Jno Hedges: Feb: 15 1705/6
pr: 1:

J. Adams.

London Dec: 1783.



G. Appelmans. sculp

PUB. VIRGILII MARONIS

OPERUM

TOMUS SECUNDUS,

Continens ſex priores LIBROS

ÆNEIDOS.



LUGD. BATAVORUM,
Apud JACOBUM HACKIUM.
AMSTELODAMI,
Apud ABRAHAMUM WOLFGANG.
Ao. CIↃ IↃ CLXXX.

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS
LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Troja capta, Æneas Anchisæ & Veneris filius, vir singulari pietate, parique fortitudine praditus, dum erroris sui anno septimo per mare Tyrrhenum à Sicilia in Italiam navigat, immissa ab Æolo, rege ventorum, (rogatu Junonis) gravissima tempestate, ad Libycum litus appellitur: egressusque in terram, septem ingenti magnitudine cervos sagittis prosternit, singulosque in singulas naves (tot enim ex dispersa classe collegerat) æqualiter distribuit: sociosque deinde longis jam erroribus fatigatos, spe futuræ quietis ad tolerandum, quod reliquum erat laboris, exhortatur. Interea Venus Æneæ sui Trojanorumque caussam apud Jovem agit, omniumque calamitatum illarum caussam Junoni imputat. Jupiter contra, reserata fatorum serie, spe felicis posteritatis, potentiæque Romanorum, filiæ dolorem consolatur. Cujus oratione confirmata Venus, Æneæ suo, locorum ignaro, & explorandæ regionis causa huc illuc oberranti, sese obviam præbet: navesque dispersas salvas esse nunciat: ostenditque non procul illinc abesse Carthaginem, quam tunc in iis locis condebat Dido. Æneas itaque matris beneficio, cava nube cinctus, una cum Achate Carthaginem ingreditur: ubi & socios salvos reperit, & à Didone benigne excipitur. Venus tamen, quod neque Junonio hospitio, neque muliebri inconstantiæ satis fideret, sopito in Idaliæ lucis Ascanio, pro eo Cupidinem substituit, qui inter amplexus & oscula latenter reginæ amorem inspirat Æneæ.

ÆNEIDOS LIBER PRIMUS.] Titulus est ÆNEIS, derivativum nomen ab Ænea, ut à Theseo Thesis: Sic Juvenalis *vexatus toties rauci Theseide Codri.* Qualitas carminis patet: Nam est metrum Heroïcum & actus mixtus, ubi & Poëta loquitur, & alios inducit loquentes. Est autem heroïcum, quod constat ex divinis humanisque personis, continens vera cum fictis. Nam Æneam ad Italiam venisse manifestum est. Venerem vero locutam esse cum Jove, missumve Mercurium, constat esse compositum. Est autem Stylus grandiloquus, qui constat alto sermone, magnisque sententiis.

Scimus enim tria esse genera dicendi, Humile, Medium, Grandiloquum. Intentio Virgilii hæc est, Homerum imitari & Augustum laudare à parentibus; namque est filius Atiæ, quæ nata est de Julia, sorore Cæsaris, Iulius autem Cæsar ab Julo, filio Æneæ, originem ducit, ut confirmat ipse Virgilius, dicens,

A magno demissum nomen Iulo.

De numero librorum nulla hic quæstio est, licet in aliis inveniatur Auctoribus. Nam Plautum alii dicunt scripsisse fabulas XXI, alii XL. alii C. Ordo quoque manifestus est, licet quidam superflue dicant, Secundum Primum esse, Tertium Secundum, Pri-

Primum Tertium: ideo quia primo Ilium concidit, post erravit Æneas, inde ad Didonia regna pervenit, nescientes hanc esse artem Poëticam, ut à mediis incipientes per narrationem ad prima redeamus, & nonnunquam futura præoccupemus, ut per vaticinationem: quod & Horatius sic præcipit in Arte poëtica: *Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici, Pleraque differat & præsens in tempus omittat.* Unde constat perite fecisse Virgilium. Sola superest explanatio, quæ in sequenti expositione probabitur: Hæc quantum ad Æneidem pertinet dixisse sufficiat: Nam Bucolicorum & Georgicorum alia ratio est. Sciendum præterea est, quod sicut nunc dicturi thema proponimus; ita veteres incipiebant carmina, titulo carminis sui, ut puta, *Arma virumque cano.* Lucanus, *Bella per Emathios.* Statius, *Fraternas acies alternaque regna profanis.* Servius.

ILLE ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen; & egressus silvis, vicina coëgi,
Ut quamvis avido parerent arva colono;
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis.

1. *Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena.*] In nobilissima, maximeque celebri Poëmatis Virgiliani parte, non otiose plerique omnes quæsunt, Sitne inde exordiendum à quatuor illis versibus, quos veterum quorundam censura constat esse detractos: an illis præteritis, ab eo loco incipiendum, *arma virumque cano.* Sanè quantum ad antiqua pertinet exemplaria, manu scripta, nullum adhuc inveni, ubi principium Æneidos à quattuor illa versibus desumeretur: verum separatim in codicibus aliquot præscripti habentur. In plerisque verò, iisdemque antiquioribus, ne inveniuntur quidem. Sed fuerint sanè Tuccæ Varique censura sublati: eo tamen consilio fuerunt à Virgilio præpositi, ut legerentur. Id quod in aliis etiam operibus non injuriose factitasse deprehenditur, dum in Bucolicis Eclogarum, quas prius edidisset, mentionem facit, ut in Daphnide, *Hæc nos Formosum Corydon ardebat Alexin.* Hæc eadem docuit, *Cujum pecus, an Melibœi?* Et quum Georgicon libris finem imponeret, Bucolica à se scripta citavit, *Carmina qui lusi pastorum, audaxque juventa. Tityre te cecini patulæ sub tegmine fagi.* Et ne cui de nomine quoque ambigendum esset, id in carmine curavit inserendum,

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope.

Nam nisi ea fuisset cura, satis erat dixisse, *Illo me tempore dulcis alebat Parthenope.* Pari verò ratione, visum est illi tertium hunc ingenii felicissimi conatum, duobus illis prioribus adnectere: ut unum quasi corpus insolubili vinculo colligatum, cum nominis sui æternitate à furacitatis injuria, quæ tunc nimium impudenter in aliorum labores grassabatur, incolume servaretur. Visum tamen est posteritati, confirmata jam tanti Poëtæ fama, in Tuccæ Varique sententiam descendere. Bonaque hominum pars nimirum, *arma virum,* Æneidos principium agnoscunt, eo potissimum argumento, quod citaturus Persius Poëta Virgilianam Æneida dixerit, *Arma virum,* nonne hoc spumo-

ſpumoſum. Quodque Val. Martialis, *Protinus Italiam concepit, & Arma virumque.* Quod Sex. Propertius, *Qui nunc Æneæ Trojani ſuſcitat arma.* Multa illi præter hæc ex aliorum Poëtarum tam Græcorum quam Latinorum parodia afferre ſolent: ut Virgilium in exordiendo, non tam Veteres imitatum oſtendant, quam alios etiam imitatores habuiſſe. Sed enim fuerit ea Perſii ſententia: intellexerit illud Æneidos eſſe principium, Valerius Martialis: cenſuerint eos verſus quattuor tollendos, Auguſti Octaviani temporibus eruditi viri: Magis tamen ego unius Virgilii judicium æſtimarim, quam Criticorum omnium cenſuras, quantumlibet acres: quum is præſertim ex eruditorum præceptis, non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem cogitaverit. Adde, quod verſus illi à Perſio & Martiale citati, non ſunt idonei, qui tale eſſe principium indicent. Sex. vero Propertium quis non videt, dum inſcriberet, *Qui nunc Æneæ Trojani ſuſcitat arma*, ad conjunctum illud Virgilianum carmen reſpexiſſe: quod iiſdem pene verbis eſt, *at nunc horrentia Martis, Arma virumque cano.* Pier.

Ille ego, qui quondam, &c.] Proponit & dividit, & ſeſe commendat, quod neque ludicra, neque turpia, ſed ſpectata elegerit. *Donatus.*

Ille ego, qui quondam, &c.] Videtur & hoc initium ductum ab illo Theocr. δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος ὁ τὰς βόας ὧδε νομεύων· & Eurip. in Hipp. ὅδ' ὁ σεμνὸς ἐγὼ, καὶ θεοσέπτωρ, ὅδ' ὁ σωφροσύνῃ πάντας ὑπερέχων προῦπτον ἐς ᾅδην στείχω κατ' ἄκρας ὀλέσας βίοτον. Pari & forma Sophocl. in Ajac. ἐγὼ δ' κεῖνος· & ἐγὼ δ' ὁ κείνου παῖς· & in Tyranno, ἐγὼ δ' ὅδ' ἐνθάδε: hoc eſt, ille ego, quem patrem interfecturum oracula canebant: & in Colono, ὅδ' ἐκεῖνος ἐγώ. *Germ.*

Ille ego, qui quondam.] Etſi homines, cætera non indocti, calidè diſputant, & argumentis ingenioſe excogitatis perviciſſe exiſtimant; quattuor hoſce verſus *Æneidi* quaſi ante ambulones, à Virgilio neque factos, neque majeſtate hujus Operis dignos: tamen haut ſcio, an tanti ea debeant æſtimari, ob quæ vel Servii Donatique majorum gentium (ut ſic dicam) & veteris ævi Interpretum, vel hujus etiam ſæculi claſſicæ notæ Senatorum, judicia reſcindantur. Quicquid ſit, certè P. Nannii, J. Parrhaſii, Naſc. Naſcimbænii, L. Hortenſii, Germ. Valent. G. Pimpontii, Fabricii, aliorumque Poëtæ noſtri Interpretum, & qui denique Poëticæ candidatis inſtar omnium fuerit, *Jul. Cæſaris Scaligeri* judicium, qui (lib. 5. c. ult. Poët.) hos verſus & genuinos, atque in loco poſitos, argumentis vincunt; negligere, aut in ordinem redigere, legitimo Eruditorum Senatui probari, opinor, vix poterit. Varus autem & Tucca, quibus Æneida corrigendam dederat Cæſar Auguſtus, quàm rectè fecerint, quòd verſus iſtos detraxerint, judicent qui plus Tuccæ & Vari, quam Maronis tribuunt judicio. Sanè Scaliger clarè profitetur; eos, qui hæc carmina abſtulêre, ſuam facere Æneida, non Maronis. Quem virum ego quidem, vel in Poëticâ, audiendum inprimis cenſeo. Quod enim ille, de Donato dixit, *Virgilii animam eſſe*; id ego pari fiduciâ aut etiam majori, de Scaligero dixerim. Obſervetur autem, quàm humili ſermonis formâ exorſus, cum ipsâ rerum, quas tractabit, naturâ, altiùs atque altiùs dicendo adſurgat: ut poſſis exiſtimare, ipſum Poëtam hâc triplici orationis figurâ innuiſſe, Georgica Bucolicis, & Æneida Georgicis tantum præſtare, quantum ſecundus verſus diſtat à primo, quartus à ſecundo. *Taubm.*

Gracili avena.] Sic & Propert. lib. 2. graciles muſas vocat: *Hic me tam graciles vetuit contemnere muſas.* Germ.

Modulatus avena carm.] Tibul. lib. 2. *Et ſatur arenti primum eſt modulatus avena Carmen.* Certè Orphea imitatus Maro, qui Argonauticωn principio compendioſa enumeratione opera ſua eſt

est complexus & professus, brevi anacephalæosi sua quoque distinxit & comprehendit, ne (ut Nannii sequar judicium) aut plagiarii, à quibus olim vexatus fuerat, sacrilegio versus divinos sublegerent, sibique ascriberent, aut eos falsarii adulterare auderent. Tucca tamen post Virgilii mortem, nullo discrimine principium hoc recidere est aggressus, quòd ab utrisque nihil esse metuendum videret, jam temporibus Augusti integro Poëmate & opere Maronis, sub germano auctoris nomine evulgato, & recognito. *Idem.*

2. *Vicina coëgi.*] Pleræque, quas vidi, editiones post, *coëgi*, distinctionem habent, sed Henr. Stephanus nullam hic interpunctionis notam desiderari in Scholiis Virgilianis monet: conjungenda quippe esse *arva vicina.* Quod agriculturam tractaverit post Bucolica, asseritur iis verbis: *egressus silvis.* In silvis enim pascebantur pecora, ut ex Turn. l. 1. c. 5. id notum est satis. *Emmeness.*

3. *Quamvis avido.*] Pro *quantumvis.* Lucret. 2. *quia quamvis effera proles Officiis debet molliri victa parentum.* Germ.

Quamvis avido.] Vel cuique etiam avidissimo: quantumvis cupidissimo; *auctore Parrhasio.* Particula *quamvis*, ita usurpatur & à Catullo Carm. 12.

Quamvis sordida res & invenusta est,

Id est, admodum sordida res est. Et à Plauto, Menæch. act. 2. sc. 2.

Quamvis ridiculus est, ubi uxor non adest.

Id est, nihil eo magis ridiculum ne optari quidem potest. *Taubm.*

Avido.] Aristoteles lib. 6. Politic. cap. 4. loquens de agricolis, μᾶλλον ὀρέγονται τοῦ κέρδους, ἢ τῆς τιμῆς: *lucrum potius quam honorem appetunt:* subjicit deinde rationem. *Cerda.*

Parerent.] Ita Plinius lib. 2. cap. 63. terram vocat *ancillam*, & *famulam.* Et Cyprianus contra Demetrianum, eidem dat *obsequium* & *servitutem.* Senec. de Tranq. c. 15. *Fertilibus agris non est imperandum.* & epist. 49. *vester villicus regnet.* & post pauca: *Fundus, quod aliquando imperium vocabatur.* Idem.

4. *Horrentia.*] Horror quoque ad arma, ad bella pertinet: imo ad nullam rem aliam signatius. Inde Horat. 1. Sat. lib. 2.

——— *horrentia agmina.*

& 3. Carm. od. 3. Romam ipsam *horrendam* vocat, quia videlicet bello dat jura Medis. Ennius 8. Annal.

——— *Horrentia tela virorum.*

Calaber lib. 1.

——— πόλεμον, τόν περ ῥιγέουσι καὶ ἄνδρες:

Bellum quod viri horrent.

Idem.

Horrentia Martis arma.] Versus quia quartus cohæret cum quinto *arma virumque, &c.* non spurios esse quatuor, qui præcessere concluditur à Roberto Stephano. notulas interjiciendas arbitratur inter quartum & quintum. Non tamen eorum sententiæ subscribitur. Hujus quippe exordii, *arma virumque cano*, non autem illius: *ille ego, qui quondam, &c.* meminerunt veteres, ut paulo post attingo hanc controversiam. *Emmeness.*

Arma

Rma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus Lavinaque venit
Lito-

1. ARma virumque, &c.] Multi varie differunt, cur ab armis Virgilius cœperit, omnes tamen in hoc assentire manifestum est: Cum enim constet aliunde eum sumpsisse principium, sicut in præmissa narratione monstratum est, intelligamus tamen per *arma* bellum significasse, & est tropus Metonymia. Nam arma quibus in bello utimur, pro bello posuit. Sic toga, qua in pace utimur, pro pace ponitur: ut Cicero, *Cedant arma togæ*, id est, bellum paci.

Arma virumque.] Figura usitata est, ut non eo ordine respondeamus, quo proposuimus. Nam prius de erroribus Æneæ dixit: post de bello. Hac autem figura etiam in prosa utimur. Sic Cicero in Verrinis, *Nam sine ullo sumptu nostro coriis, tunicis, frumentoque suppeditato, maximos exercitus nostros vestivit, aluit, armavit.* Nonnulli autem yperbaton putant, ut sit sensus talis, *Arma virumque cano, genus unde Latinum Albanique patres atque altæ mœnia Romæ:* mox illa revoces, *Trojæ, qui primus ab oris.* Sic enim caussa operis declaratur, cur agentibus fatis in Latium venerit.

Alii ideo *Arma* hoc loco proprie dicta accipiunt; primo, quod fuerint victricia; secundo quod divina; tertio quod semper armis virum subjungit, ut, *Arma virumque ferens*; & *arma acri facienda viro*; & est poëticum principium professivum, *Arma virumque cano.* Invocativum, *Musa mihi caussas memora.* Narrativum, *Urbs antiqua fuit:* & professivum quatuor modis sumsit, à Duce, *Arma virumque cano:* ab itinere, *Trojæ qui primus ab oris:* à bello, *Multa quoque & bello passus:* à generis successu, *Genus unde Latinum.* Servius.

Arma.] Scutum & reliqua quæ Æneæ fabricavit Vulcanus. *Donatus.*

Arma virumque, &c.] Initium hoc *Arma virumque*, adeo auspicatum est, ut qui velint Æneidem Maronis signare, signent illam per duo hæc verba. Hi sunt Martialis lib. 8. 46. & lib. 14. 185. Ovidius 3. Trist. Persius 1. Sat. demum Ausonius παρῳδήσεις. Qui non tam avide arripuissent initium hoc, si quid in illo minus probe dictum adnotassent. *Cerda.*

Arma virumque cano.] Quod distributæ Propositionis est proprium, id fecit hic Poëta. Cum enim tria sint necessaria Distributioni; Brevitas, Absolutio, Paucitas: *Brevitatem* quidem obtinuit, quando duobus verbis totum Opus in membra totidem partitus est: *Absolutionem*, quando omnia necessaria Distributioni genera, quæ in his duobus verbis intelliguntur, partesque totius Operis sustentant, complexus est: *Paucitatem*, quando partes non expressit; cum genera proposuerit. Habent autem Poëtæ liberam in Propositione ordinandi licentiam; ut & in Exsequendi: nec peccat Virgilius, quod primum *Rem*, deinde *Personam* posuerit: nec, quod ὕστερον πρότερον secutus, *Arma* quidem primum proposuerit, postremo autem exsecutus sit. Quippe sex prioribus Libris *Virum*, id est, errores Æneæ; posterioribus demum, *Bella* ejusdem descripsit. Atque in illis quidem Vitæ Civilis ac privatæ; in his heroïci Bellatoris exemplum ac speculum exhibuit. *Homerum* vero sic imitatus est, ut eum *Brevitate* & *Gravitate* potissimum superârit. Quam enim ille βίον θεωρητικὸν in Ulysse XXIV. Libris expressit, noster sex prioribus; quam ille πρακτικὸν in Achille totidem libris, noster itidem sex posterioribus. Tradit Fabius, lib. 3. Poëtas reddere auditores sibi *Benevolos*, Musarum invocatione; *Attentos*, propositâ rerum magnitudine; *Dociles*, summâ celeriter comprehensâ. Noster fecit. In hâc autem Præfatione, præter Musæ invocationem, triplex etiam emergit Benevo-

nevolentiæ locus. Primus ex personâ Poëtæ: alter à rebus ipsis, quas præclaras elegerit: tertius à personâ Æneæ, quem ἐμφατικῶς *Virum* appellat: nempe *acrem virum*, ut eundem Vulcanus indigitat, l. 8. ℣ſ. 441. quo modo & Homerus Ulyssem, Ἄνδρα μοι ἔννεπε, μοῦσα. Primum igitur auditores facit dociles, re breviter comprehensa: deinde, quia summa docilitas ex Attentione comparatur, cum proposuisset, *Arma virumque cano*; subdit statim,

—— *Trojæ qui primus ab oris*

Italiam fato, & quæ sequuntur, quæ verba ad Attentionem mire efficacia sunt. *Virum*, inquit, non quemvis virum; sed illum è Trojâ: illum, qui Romani Imperii auctor esse meruerit: illum, qui terrâ marique jactatus fuerit: illum, qui iram Junonis & reliquorum deûm factiones animo forti pertulerit. Nec audiendi sunt, qui *Arma* de scuto illo à Vulcano Æneæ fabricato intelligunt; neque illi, qui *Arma virumque*, interpretantur *armatum virum*, ex figurâ, quæ Græcis ἓν διὰ δυοῖν vocatur, quemadmodum de singulis luculenter disputat Nascimbænius. *Taubm.*

Arma virumque cano.] Genuinum quod à Marone nostro profectum est principium, ad quod alludere videtur Martial. l. 14. epigr. 185.

Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis,
Nec nucibus positis, Arma, virumque canas.

Male in quibusdam edit. *nucis*, vel *nugis* legitur pro *nucibus*. Grande est exordium, quod rebus grandibus est conveniens, ut Casaub. ad Perſ. Sat. 1. ℣ſ. 110 *arma virum. Virum* appellat, nomen quippe est honorificum, sic Ulyssem indigitat Hor. Art. Poët. ℣ſ. 141. *Dic mihi musa virum captæ post tempora Trojæ, Qui mores hominum multorum vidit & urbeis.* est teste Vossio, l. 3. Inst. Poët. c. 4. ἓν διὰ δυοῖν, *arma virum* pro *virum armatum:* qua figura usus videtur Ovid. l. 2. Trist. ℣ſ. 533.

Et tamen ille tuæ felix Æneïdos auctor,
Contulit in Tyrios arma virumque toros.

In initio præterea carminis sui Poëtæ profiteri solent totius operis argumentum, ut observavit Turneb. Adv. l. 9. c. 31. & Torrent. ad Horat. de Art. Poët. p. 783. & universum poëma Virgilianum, & hujus vestibuli suavitatem admiratur & commendat citatus Turneb. l. 18. c. 32. *Emmeneſſ.*

Cano arma & virum.] Sed armorum descriptionem primo propositam sequenti disputationi reservavit. *Donat.*

Virum.] Non dicit quem: sed circumstantiis ostendit Æneam. & bene addit post *arma* virum, quia *arma* possunt & aliarum artium instrumenta dici, ut *Cerealiaque arma. Cano* Polysemus sermo est. Tria enim significat. Aliquando laudo; ut, *Regemque canebant.* Aliquando divino. ut, *Ipsa canas oro.* Aliquando canto, ut in hoc loco. Nam proprie canto significat, quia cantanda sunt carmina. *Servius.*

Virum.] Non sexus, sed excellentiæ. Ergo *virum* qui talia arma, & tam pulchra & habere & gerere potuerit, qui Romani imperii auctor esse meruerit: qui Junonis inimicitias, & reliquorum deorum factiones superaverit: qui tot adversa mari perpessus tolerando transmiserit. Nec erravit, si primo rem, deinde personam posuit. Nam Sallustius nulla metri necessitate coactus, primo rem, deinde populo Romano personam posuit. Vergilius in propositione liberam orandi habuit licentiam, exequendi vero alium ordinem tenuit. *Donatus.*

Cano.] Cùm paullò antè dixisset:

—— *gracili modulatus avena*;

Nunc illi opponit, *Cano*, Est enim hoc verbum longè illo præstantius: iccircò *Calliope* Musarum regina est; quia cæteræ *modulantur*; illa *canit:* ut docet Scaliger, Poët. l. 3. c. 26. & l. 4. c. 16. Proprium utique Poëtarum est, humanas actiones imitando canere, seu versus ad rithmum, seu numerum compositos, cantando pronunciare. Est enim (sententiâ Scaligeri) Numeri anima sonus; ut Corpus dictio. Nec tamen ista lectio

lectio sit in canticum dissoluta, nec psalmare effæminata. de quâ C. Cæsar dixit; *Si cantas, malè cantas: si legis, cantas.* Quippe Numerus est concinnitas orationis, apta rei, quæ significatur. atque à *canendo* est *concinnitas*, non à *cinno*; auctoribus Prisciano & Scaligero, Poët. l. 4. c. 43. Operæ autem pretium fecerit, qui leget, quæ de hoc genere tradiderunt Fabius, l. 1. c. 8. & præcipuè lib. 11, 3. itemque Probus in Vitâ Maronis: & Scaliger Poët. l. 4. c. 47. nuperque adeò Guido Pancirollus, in Tractatu *Rerum nunc olim perditarum*: ubi docet, Actionem sive Pronunciationem, quæ eloquentia quædam corporis est, quasi fundamentum omnis gratiæ in exilium missam, atque ita proscriptam, ut nemo eam hodie teneat, aut etiam investiget. *Taubm.*

Trojæ.] *Troja* regio est Asiæ, Ilium civitas est *Trojæ*. Plerunque tamen usurpant Poëtæ, & pro civitate, vel regionem, vel provinciam ponunt. Juvenalis, *Et flammis Asiam ferroque cadentem.* Probus ait *Trojam, Grajos & Ajax,* non debere per unam i, scribi. *Servius.*

Trojæ.] Altera cum propositione divisio, ut ostendat, quid Æneas fatali ratione compulsus, & quid extra fatum perpessus sit. Fati enim fuit, ut, relicta Troja, Italiam peteret. Ergo crimine desertæ patriæ absolvitur. Non potuit enim defendi, quæ fato interitura erat: sed neque poena fuit, quod sit Asia pulsus, sed gloria. Nam minori detrimento affectus, majus est emolumentum consecutus, scilicet ut Rom. imperium conderet. Non ergo malo fatorum patriam perdidit, sed, ne ab ea detineretur Æneas, qui imperio Rom. constituendo dignus auctor parabatur. *Donatus.*

Trojæ.] *Troja*, propriè regio est Asiæ; *Ilium*, civitas Trojæ (ut notant Stephanus De Urbb. & Servius Fuldensis) *Pergamus*, arx Ilii. Sed Poëtæ hæc indiscriminatim ponunt. Quomodo è Dardaniâ, Ilio & Trojâ urbs una facta sit, docet Cælius Rhodig. lib. 18. c. 34. Jam cur Poëta non dixerit *Phrygiæ*, sed, *Trojæ qui primus ab oris*: nec, *Italiam profugus fato*; sed *Italiam fato profugus*, docet Scaliger lib. 4. cap. 48. Poëtices. *Taubm.*

Qui primus.] *Primus* non ante quem nemo, sed post quem nullus, vel hic primus princeps, vel optimus. Quærunt multi, cur Æneam primum ad Italiam venisse dixerit, cum paulo post dixerit, Antenorem ante adventum Æneæ fundasse civitatem. Constat quidem, sed, habita temporum ratione peritissime dixit Virgilius. Namque illo tempore quo Æneas ad Italiam venit, finis erat Italiæ usque ad Rubiconem fluvium. Cujus rei meminit Lucanus, *Et Gallica certus Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.* Unde apparet Antenorem non ad Italiam venisse, sed ad Galliam Cisalpinam, in qua Venetia est. Postea vero, promotis usque ad Alpes Italiæ finibus, novitas creavit errorem.

Plerique tamen quæstionem hanc volunt ex sequentibus solvi; ut videatur ob hoc addidisse Virgilius ad *Lavina littora*, ne significaret Antenorem. Melior tamen est superior expositio. *Primus* ergo non ante quem nemo, sed post quem nullus; ut, *Tuque ô cui prima furentem Fundit equum, magno tellus percussa tridenti.* Et, *Hic mihi responsum primus dedit*: vel laudative primus; ut, *Primus qui legibus urbem fundabit, Curibus parvis.* Servius.

Ab oris.] Species pro genere. nam *oras* terras generaliter debemus accipere, sane præpositionem mutavit, nam *ex oris* melius potuit dicere. *Idem.*

Trojæ qui primus ab oris.] Fædo & ridiculo in errore sunt, qui Virgilium existimant, nomen Æneæ consulto hoc initio tacuisse: quia turpe censeret laudare proditorem patriæ. Quid ergo? de ejus laudibus tot libros facere, cum toto opere cum tantis præconiis nominare honestum fuit? ÆNEIS utique ab Ænea deflectitur: qui nisi pius ac probus ante fuisset habitus à Romanis & Græcis, potuisset ipse operis index lectorem

ctorem statim offendere. Hoc itaque statuendum, ornatius, jucundius & copiosius, cum attentione lectorum, rem cum circumscriptione exprimi, quam si aperte nominaretur. *Modicius.*

Trojæ qui primus ab oris, &c.] Promittit hic se Æneam producturum de Trojæ litoribus, sed ad januam narrationis progressus, Æneæ classem non de Troja, sed de Sicilia producit. quod studio fecisse videtur Maro, ut Macrob. l. 5. c. 2. Saturn. quia Historicorum legibus noluit esse adstrictus. *Emm.*

2. *Italiam.*] Ars quidem hoc exigit, ut nominibus provinciarum præpositionem addamus, civitatum nunquam: Tamen plerumque hoc perverso ordine lectum est. Nam ecce hoc loco detraxit provinciæ præpositionem; dicens *Italiam venit*, pro *ad Italiam.* Tullius in Verrinis, *Ea die Verres ad Messanam venit*, pro *Messanam venit.* Sed hic schemate utuntur. Sane sciendum est usurpari ab auctoribus, ut vel addant, vel detrahant præpositiones. Namque ait Virgilius, *Silvis te Tyrrhene feras.* Pro *in silvis.* Ut ergo illic loco detraxit præpositionem, sic hic provinciæ: & est figura. Italia autem pars Europæ est. Italus enim rex Siculorum profectus à Sicilia; venit ad loca, quæ sunt juxta Tiberim, & ex nomine suo appellavit Italiam. Ibi autem habitasse Siculos, ubi est Laurolavinium, manifestum est: sicut ipse alio loco dicit, *Siculi veteresque Sicani.* Item, *Et gentes venere Sicanæ Sæpius.* Sane Italiam I. contra naturam producta est, cum sit natura brevis. In hoc vero nomine I. contra naturam producitur. *Serv.*

Fato profugus.] *Fatum* ad utrumque pertinet, & quod fugit, & quod ad Italiam venit. Et bene addidit *Fato*, ne videatur aut causa criminis patriam deseruisse, aut novi imperii cupiditate. *Idem.*

Profugus.] Vagus, id est, porro fugatus ab Ilio, qui & extorris dicitur. *Profugus* autem proprie dicitur, qui procul à sedibus suis vagatur, quasi *porro fugatus.* Multi tamen ita definiunt, ut *profugos* eos dicant, qui exclusi necessitate de suis sedibus adhuc vagantur: & simulatque invenerint sedes, non dicantur *profugi*, sed *exules.* Sed utrunque falsum est.

Nam & *Profugus* lectum est, qui jam sedes locavit. ut in Lucano, *Profugi, quæ à gente vetusta Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.* Et *exul* qui adhuc vagatur. Ut in Salustio, *Qui nullo certo exilio vagabantur, adeo exilium est ipsa vagatio.* Quidam hic *Profugus* participium volunt. Sane non ociose *fato profugum* dicit Æneam, verum ex disciplina Hetruscorum, est enim in libro qui inscribitur Terræ ruris Hetruriæ scriptum vocibus Tagæ, *Eum, qui genus à perjuris duceret, fato extorrem & profugum esse debere.* Porro à Laomedonte perjuro genus ducit Æneas, siquidem alibi ait, *Jampridem sanguine nostro Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.* Idem.

Fato profugus.] Fama erat, Ænean, patria prodita, fugisse, quem ut suspicione hac liberet, culpam fugæ in fata conjicit, atque adeo *fato* fuit *profugus*, non suo merito. Etenim nisi *fato* adderet, videretur Æneas fugisse, aut causa criminis, prodita patria, aut cupiditate novi Imperii: Sic ferme Jul. Scal. & Servius. Homerus aperte lib. 20. Il. μόϱιμον γέ οἱ ἐςʹ ἀλέαδϛ: *fatale est illum servari.* Loquitur de Æn. Æneas ipse 3. Æn.

Diversa exilia, & desertas quærere terras
Auguriis agimur Divûm.

Et in 4. arva Italiæ vocat *fatalia.* Habetur id millies in Æneide. Horatius etiam excusans Ænean in Carmine Sæculari: *Cui per ardentem sine fraude Trojam Castus Æneas patriæ superstes, &c.* De proditione porro, quæ Æneæ adfingitur, vide, quæ adducit Dionysius Antiq. ex Menocrate Xanthio. *Cerda.*

Fato profugus.] De Ænea, patriam fugiente, vel relinquente, Livius l. 1. c. 1. *Æneam ab simili clade domo profugum, sed ad majora initia rerum ducentibus fatis, &c.* Emmeness.

Lavi-

Lavinaque venit Litora.] Hæc civitas tria habuit nomina: Nam primum Lavinium dicta est à Lavinio, Latini fratre. Postea Laurentum à lauro, inventa à Latino; dum, adepto imperio, post mortem fratris civitatem augeret. Post Lavinium à Lavinia uxore Æneæ. Ergo *Lavina* legendum est, non *Lavinia*. quia post adventum Æneæ dictum est Lavinium. Ergo aut *Lavinum* debuit dicere, sicut dixit, aut *Laurentum*. quamvis quidam superfluo esse Prolepsim velint. Sane bene addidit *Lavina*, ut ostenderet, ad quam partem Italiæ venisset Æneas; quia & multi alii eo tempore ad Italiam venerant; ut Capys, qui Capuam: Polytes, qui Polytorium condiderunt. *Servius.*

Lavina litora.]Cum alii ante Æneam in Italiam venerint, ille tamen primus venit ad eam partem, ubi deinde fuerunt *litora Lavina*: & primus fato venit, cum alii casu venissent, ergo fato perdidit patriam: *Fato exclusus.* Fato pervenit in littora Lavina. *Donatus.*

Lavinaque venit litora.] Anxiè quidem, ac diutissime quæsivi, ubinam gentium antiquissimus ille codex delitesceret, in quo *Lavinia venit littora*, plerique non illitterati viri scriptum asseverarunt: citato ex Vaticana bibliotheca vetustissimo, qui nusquam invenitur codice: Regula etiam adinventa, qua denominativum ea forma deducere necessarium putent. Sed enim, ut multa prætercam, quæ contra oggeri possent, ad ejus regulæ infirmitatem coarguendam, cur *Lavina* dimensione Bacchii legendum sit, non contemnendam mihi rationem Servius videtur attulisse. Nam quod apud Dionysium Halicarnassæum legamus populos tris *Lavinienses*, *Laurentes*, & *Laviniatas*, nequaquam ostendit Virgilium *Lavinia*, non *Lavina* formare debuisse Non enim Græcitatis usu nostrorum, quæ esse cum decoro potest, licentia coarctatur. Quid verò, quod apud Sex. Propertium, *Lavinis*, dimensione Molossi positum videmus, eo versu, *Jactaque Lavinis mœnia litoribus*: nisi quis factam ibi synæresin dicat, ex *Laviniis*: quod in *Lavina* alterius formæ casu fieri non possit. si vetusti codices ambiguitatem ipsam firmare possunt, nullum ego neque in intima bibliotheca Vaticana, neque in ea, quæ omnium commodo patescit, neque in aliis, quos alibi viderim, codicem inveni, qui lectionem ejusmodi contineret. in omnibus verò, quotquot enancisci potui, atque etiam in Ti. Claudii Donati commentariis antiquis, *Lavinaque venit*, eodem exemplo scriptum inspexi. Addam & illud, *litus* unico *t*, in antiquioribus plerisque codicibus haberi: ut etiam in veterum monumentis inspicitur: de quo lib. VII. plura. *Pier.*

Lavina litora.] Agnosco anticipationem (Græci vocant, πρόληψιν) cum videlicet, quod posterius accidit, ante tempus scribitur. Nondum ea litora aut ab Lavino Latini fratre, aut ab Lavinia, Latini filia nomen acceperant, sed post adventum Æneæ in ea loca, quod Juno apud Silium conqueritur his versibus,

> *Intulerit Latio, spreta me, Troïus, inquit,*
> *Exul Dardanium, & bis numina capta Penates,*
> *Sceptraque fundarit victor Lavinia Teucris?*

Et tamen Æneas dicitur venisse in Lavina littora. Multa sunt apud Poëtas, & apud Virgilium non pauca, quæ, nisi hac figura, salva esse nequeant. Apud Plaut. Amph. juratur per Herculem nondum natum, sed ne conceptum quidem. Adi Agellium lib. 10. cap. 16. Erythræum in indice, Delrium in Senecæ Medeam. Sed cur *litora*? Potuit figurare, vel pro universo tractu Lavinio: vel proprie accipe, dicente Fabio Maximo I. Ann. (citat Servius) *tum Æneas ægrè patiebatur in eum devenisse agrum macerrimum litorosissimumque.* Ita alii defendi possunt. Ego aliter puto. Amat Poëta consonantiam in rebus miram, & artificiosam. Ergo, qui dixerat Æneam discessisse ab oris Trojæ, addit, venisse ad Lavina lito-

Litora. multum ille & terris jactatus & alto

Vi

litora, quæsita oppositione verborum inter *oras* & *litora*. Cerda.

Venit.] Priscian. lib. 8. Virgilius, inquit, ex suâ personâ ait; *Venit*: quippe *venit* positum est, pro *venerat*. Intelligit enim Æneam multò antè venisse ad Italiam. Ita Æneid. 8. ℣ſ. 340. *cecinit*, pro *cecinerant*, &c. Taubm.

Litora.] Laurolavinium constat VIII. milibus à mari remotum. Nec nos debet fallere, quia dixit *Lavina littora*. Litus enim dicitur terra quoque mari vicina: sicut ipse Virgilius in quarto, *Cui litus arandum*. quum per naturam litus arari non possit. Ergo sciendum litus & terram dici posse. Fabius Maximus Annalium primo: *Tum Æneas ægre patiebatur in eum devenisse agrum, macerrimum litorosissimumque*. Ergo scire debemus litus posse terram dici. *Servius*.

Multum ille.] Collisio est. & *Ille* hoc loco abundat. Est enim interposita particula, propter metri necessitatem, ut stet versus. nam si detrahas *Ille*, stat sensus. *Qui* sane *primus* enim ad omnia possumus trahere. Sic alio loco, *Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra*. Est autem Archaïsmos. aut certe *ille*, quia hæc particula more antiquo, aut nobilitati, aut magnitudini dabatur; ut, *At velut ille cavum* & *Saucius ille*. Idem.

3. *Multum ille & terris jactatus & alto.*] Alia cum propositione divisio est. Scribit enim quæ mari, quæ terra sit passus. *Donatus*.

Multum ille.] Propositionem aptè suscipit prosopographia Æneæ, à virtute, experientiâ rerum, & laborum tolerantiâ terrâ marique. Cui admisti sunt varii adfectûs, à loco, à caussis malorum, ab indigno. Servius, & Turneb. lib. 18, 32. existimant, τὸ *ille* πλεονάζειν: & huc inculcatum, ut ruinam versus tantum fuciat: sicut 5. Æn.

Nunc dextrâ ingeminans ictûs, nunc ille sinistrâ.

Et 12. Æn.

Aut ille in saltûs, &c.

Ibid.

Saucius ille gravi venantum.

Et 10. Æn. ℣ſ. 274.

— ceu Sirius ardor

Ille sitim morbosque ferens.

Sed Pimpontius negat ἀκύθεϱον quid in Virgil. reperiri. Certè & Servius Fuld. notat, hanc particulam (*ille*) more antiquo, aut nobilitati, aut magnitudini dari. Observes etiam terræ marisque difficultates syllabarum collisu pedumque tractu repræsentari. ut non immerito Pontanus in Actio disputet, cur sollertissimus aurium subblanditor Virgilius hic dixerit,

— multum ille & terris, jactatus & alto,

potius, quàm (cum potuisset, nec inepte quidem) *— multumque & terris jactatus, &c.* Cur item, *Multa quoque & bello passus*, maluerit; ne à geminatione quidem Conjunctionis deterritus, quam, *Multa etiam bello passus*. Cur dixerit, *— tot adire labores*, non, *— tot obire labores*. De quibus & Scalig. lib. 4. c. 48. Quorum duumvirûm in hisce talibus judicium deinceps potissimum sequemur: posthabitis, qui nimium curiose satagentes, ea nonnunquam venditant, de quibus μηδ᾽ ὕπαρ, μηδ᾽ ὄναρ Poëtam cogitante non injuria suspiceris. *Taubmannus*.

Et terris jactatus.] Fatigatus est enim apud Thraciam monstro illo, quo de tumulo Polydori sanguis emanavit: apud Cretam pestilentia: apud Strophadas insulas Harpiis: tempestate vero & in primo, & in tertio. Jactamur autem in maris fluctibus, fatigamur in terris. & bene duûm elementorum mala uno sermone conclusit. *Servius*.

Jactatus.] Πολλὰ πλάγχθη, ἐπλαγχθη. Homer. Odyss. α. ℣ſ. 2. Qui plurimis, in itinere præcipue maritimo, fatigantur molestiis, teste Non. Marcel-

lo

Vi superûm, sævæ memorem Junonis ob iram:

Mul-

lo c. 4. dicuntur *jactari.* sic noster hoc libro ℣. 29.

——— *Jactatos æquore toto*
Troas, relliquias Danaûm atque inmitis Achilli
Errabant acti fatis maria omnia circum.

Sic Horat. l. 4. od. 4. de gente Trojana, quot quantisque periculis exposita fuerit, cum patria ejecti essent.

Gens, quæ cremato fortis ab Ilio,
Jactata Tuscis æquoribus, Sacra,
Natosque, maturosque Patres
Pertulit Ausonias ad urbes.

Idem narrat evenisse Trojanorum posteritati, populo Romano, Florus in Præfat. l. 1. *tot laboribus periculisque jactatus est.* Homerum videtur noster imitatus, qui similem fere expressit sententiam l. α. Odyss. ℣. 4. de Ulysse: πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ ἄλγεα. Nec non Aristoph. in Vespis: πολλὰ μὲν γῆ, πολλὰ δ' ἐφ' ὑγρῶ. *Emmeness.*

Alto.] Mari modo, quia navigans Scyllam & Polyphemum effugit, perditus etiam est Orontes, amissus Palinurus & Missenus. *Altum* tamen sciendum est, quod & superiorem; ut, *Maja genitum demittit ab alto*; & inferiorem altitudinem significat. Namque mensuræ nomen est altitudo. *Servius.*

Alto.] Id est, mari. Horat. lib. 2. od. 10.

Rectius vives, Licini, neque altum
semper urgendo.

l. 3. od.

Contracta pisces æquora sentiunt
Jactis in altum molibus.

Sic Maro l. 4. Georg. ℣. 528. plenam habet locutionem:

Hæc Proteus, & se jactu dedit æquor
in altum.

De hac constructione l. 4. p. 316. de Ellypsi. *Emmeness.*

4. *Vi superûm.*] Violentia deorum, secundum Homerum, qui dicit à Junone rogatos esse deos in odium Trojanorum: quod & Virgilius tetigit dicens, *Vos quoque Pergameæ jam fas est parcere genti, Diique, Deæque omnes.* Latenter autem defendit hac ratione Trojanos, quod non suo merito eos insequebantur numina, sed Junonis impulsu. multi *Vi superum*, posse accipi dicunt Irim, Æolum, Juturnam, Junonem, sed melius indicant, vi quam superi habent. *Servius.*

Vi superûm.] Vis est cum fit aliquid contra leges, id est, contra fatum. Ut autem ostendat nihil tale de superis meruisse Æneam; addit, *Sævæ memorem Iunonis ob iram.* Ergo non propter culpam Æneæ fecerunt superi, sed ut obsequerentur Junoni, tanquam omnium reginæ. Purgatur igitur Æneas, & deformatur Juno adversaria. *Donatus.*

Sævæ.] Cum à *juvando* dicta sit Juno, quærunt multi *cur* eam dixerit *sævam*: & putant temporale esse epitheton, quasi sævam circa Trojanos: nescientes quod *sævam* dicebant veteres *magnam*, ut Ennius, *Induta fuit sæva stola*, id est, magna. Item Virgilius, quum ubique pium inducat Æneam, ait, *Maternis sævus in armis Æneas*, id est, magnus. *Servius.*

Sævæ.] Id est, crudelis, quæ prosequatur innocentem, & qui Deorum omnium, atque ipsius cultor sit. Onerat etiam eam, quod inimicitias, nulla Æneæ culpa susceptas, diutissime teneciterque retineret: cum ne id quidem, etiam si justæ sunt inimicitiæ, facere probis conveniat. Hoc latius in V. *Iunonis gravis ira, nec exaturabile pectus: Quam nec longa dies, nec pietas mitigat ulla.* Donatus.

Vi superûm, sævæ.] Vulgati plerique codices & particulam inserunt, *vi superum & sævæ.* Antiquiores absque & legunt: quod longe venustius, & gravius videtur. *Pier.*

Sævæ mem. Iunonis ob iram.] Constat multa in auctoribus inveniri, per contrarium significantia, pro activis passiva.

Multa quoque & bello passus, dum conderet urbem,

In-

ſtra. ut, *Pictis bellantur Amazones armis*, pro bellant. Pro paſſivis activa. ut, *Populatque ingentem farris acervum*; pro populatur. Et hæc varietas, vel potius contrarietas invenitur etiam in aliis partibus orationis; ut ſit adverbium pro adverbio, ut eſt, *Hoc tunc pater ignipotens cœlo deſcendit ab alto*, pro huc. Et in participio. ut, *Et qua vectus Abas*, pro vehebatur. Et in nomine: ut, *Memorem Iunonis ob iram*. non quod meminerat, ſed quod in memoria erat. De his autem hæc tantum, quæ lecta ſunt, poſita ſunt, nec ad eorum exemplum alia formata. Sane *memor* apud veteres non tantum dicebatur ὁ μνήμων, ſed & ὁ μνήμων. Et hoc per confuſionem verbi & nominis. Nam *memorem* eſt verbi ſignificatio, cum nunc ſit nomen. *Serv.*

Memorem Iunonis ob iram.] *Memorem iram* dixit, ut Æſchylus in Agamem. μῆνιν μνάμονα, his verbis: μίμνει γὰρ φοβερὰ παλίνορτος οἰκονόμος δολία, μνάμων μῆνις τεκνόποινος. Nimirum Deos, Heroas, regeſque ſerius iram coquere, canunt Poëtæ. Sophocles μνήμονα ἐριννὺν in Ajace, & Æſchylus in Prometh. μνήμονας ἐριννύας vocat. Idem quoque Sophocl. inibi, θυμοῦ, ait, οὐδὲν γῆρας· unde dicunt iram tardiſſimè ſeneſcere. Hic autem locus, *jactatus & al. mem. Iun. ob iram*, ſapit omnino illud Od. γ. τῷ σφέων πολέες κακὸν οἶτον ἐπέσπον μήνιος ἐξ ὀλοῆς γλαυκώπιδος ὀβριμοπάτρης. *Germ.*

Memorem iram.] Ovid. l. 12. Metam. ℣ſ. 583.

Exercet memores, plus quam civiliter, iras.

Sic Horat. l. 1. od. dixit *memorem notam*. l. 3. od. 17. *memores favos*. & l. 2. Epiſt. 1. ℣ſ. 144.

Memorem brevis ævi genium.

Qui nos memores reddat, vel qui nobis aurem vellat de vita brevi. Petrus Victor. var. lect. l. 25. c. 2. Senſum tributum rei non modo ſenſu, ſed corpore etiam carenti: de acerbiſſima Junonis ira noſter l. 5. Æn. ℣ſ. 781.

Iunonis gravis ira nec exſaturabile pectus.

Emmeneſſ.

Iram.] Continet hanc tota Æneis, tota Ilias. In 1. tempeſtas excitatur Junonis ira. in 2. ea diruit portas Trojæ. in 4. vult Ænean continere Carthagine, avertens ab Italia. in 5. incenduntur naves. in 7. educitur Furia. in 9. Turno favet, abſente Ænea. in 10. diſceptat contra Venerem. in 12. Turnum eripit Æneæ. Quid Ilias? alia opus Iliade, ad numerandos labores, quos una Juno Trojanis immiſit. *Cerda.*

5. *Multa quoque & bello paſſus.*] Hoc ad poſteriores VI. pertinet libros. *Servius.*

Quoque &.] Duas conjunctiones ſeparatas naturaliter nemo conjungit. ſed hoc plerunque à Poëtis cauſa metri fit. Ergo hic una vacat: ſicut alio loco, *Dixitque: & prælia voce diremit.* Saluſt. *Tyrannumque & Cinnam.* Idem.

Quoque &.] Veteres ſæpè geminabant Conjunctiones: ut hic, *quoque &*: Comici, *quoque etiam.* Cicero de Amicitiâ: *quamvis licet excellas.* Vide Popmam De uſu antiq. locut. l. 2. c. 10. *Taubm.*

Bello paſſus.] Contra Turnum quod geſſit. *Servius.*

Multa quoque & bello paſſus.] Exaggerat Æneæ incommoda: qui non ſolum navigando, verum etiam belligerando, multa paſſus eſt. Occulte etiam commiſerationis affectum movere videtur, per locum communem ex falſa ſpe felicitatis futuræ. nam hoc innuere videtur Poëta doctiſſimus, Æneam in mari fluctibus agitatum, in terris peſtilentia & fame vexatum. Poſtremo cum ſedes quietas ſibi, ſociiſque invenire putaret, tunc bello teterrimo, graviſſimiſque laboribus ac periculis fuiſſe vexatum. *Naſcimbæn.*

Dum

Inferretque deos Latio. genus unde Latinum,

Al-

Dum conderet urbem.] Tres hic sunt significationes. Aut enim Trojam dicit, quam ut primum venit in Italiam, fecit Æneas. de qua ait, *Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.* Et alio loco Mercurius, *Nec te Troja capit.* Trojam autem dici, quam primum fecit Æneas, & Livius in primo, & Cato in Originibus testantur. Dum enim hæc fieret, ab agrestibus ob vulneratum regium cervum, mota sunt bella. Aut Laurolavinium. Et significat *Dum*, donec. tandiu enim dimicavit, quandiu tempus faciendæ civitatis veniret; id est, donec Turnus occumberet. Aut Romam. Et est sensus, modo dum conderet urbem: aut Trojam, aut Laurolavinium, aut Romam. *Servius.*

Urbem.] Aliqui Albam capiunt, malè, nam hanc Ascanius condidit, non Æneas. Sunt qui Romam, pessimè. Intelligit certe Lavinium. Hanc enim Æneas condidit, ut auctores sunt Livius, & Dionysius, & Æneas ipse in 12.

—— *Mihi mœnia Teucri*
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.

& Drances. 11.

Quin & fatales murorum attollere moles,
Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.

Cerda.

6. *Inferretque Deos Latio.*] Latium duplex est, unum à Tyberi usque ad Fundos: Aliud inde, usque ad Vulturnium. Denique ipse dixit, *Veteresque Latini*, ideo, quia scit esse etiam novos, id est, à Fundis usque ad Vulturnium. *Latium* autem dictum est, quod illic Saturnus latuerit. Saufejus *Latium* dictum ait; quod ibi latuerunt incolæ, qui quoniam in cavis montium vel occultis, caventes sibi à feris belluis, vel à valentioribus, vel à tempestatibus habitaverunt, Cassei vocati sunt, quos posteri Aborigines nominaverunt, quoniam aliis ortos esse recognoscebant, ex quibus, Latinos etiam dictos. *Servius.*

Inferretque Deos.] Penates, vel suam genituram. *Idem.*

Latio.] Hoc est *in Latium.* Et est figura usitata apud Virgil. Quod enim per accusativum cum præpositione dicimus; ille per dativum ponit sine præpositione. sicut alibi: *It clamor cœlo*, pro *in cœlum.* Deos vero utrum Penates: ut, *talibus attonitus, visis & voce Deorum.* An se & Ascanium & posteros suos de quibus dictum est, *Diis genite & geniture Deos.* Idem.

Inferretque Deos Latio.] Expugnata Troja, cum singulis unius rei auferendæ potestatem fecissent Græci, cæteris neglectis, Æneas Deos penates πατρώους θεοὺς exportavit, ut Ælian. l. 3. var. Hist. l. 22. quos post multa rerum discrimina in Latium tandem aliquando perduxit. &, ut Val. Max. l. 1. c. 8. *penates Deos Æneas Troja avectos Lavinii collocavit, &c.* inde Maro noster l. 6. Æn. ℣. 68. sic canit,

Errantisque Deos agitataque numina Trojæ.

Emmeness.

Genus unde Latinum.] Si jam fuerunt Latini, & jam Latium dicebatur, contrarium est, quod dicit Latinos ab Ænea originem ducere. Prima est jucunda absolutio, ut *Unde* non referas ad personam, sed ad locum. Namque *Unde* adverbium est de loco, non deductio à persona. Tamen Cato in Originibus dicit hoc, cujus auctoritatem Salust. sequitur in bello Catilinæ, *Primum Italos quosdam, qui appellantur Aborigines. hos postea adventu Æneæ Phrygibus junctos, Latinos uno nomine nuncupatos.* Ergo descendunt Latini non tantum à Trojanis, sed etiam ab Aboriginibus.

Est autem vera expositio hæc. Novimus, quod victi victorum nomen accipiunt.

Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.

Musa,

piunt. potuit ergo, victore Ænea, perire nomen Latinum. Sed volens sibi favorem Latii conciliare, nomen Latinum non solum illis non sustulit, sed etiam Trojanis imposuit.

Merito ergo illi tribuit quod in ipso fuerat, ut posset perire. unde & ipse inducit in XII. libro rogantem Junonem, ne pereat nomen Latinum. Item in execratione Didonis legimus, *Nec cum se sub leges pacis iniquæ Tradiderit.* Iniqua enim pax est, in qua nomen amittit ille, qui vincit. sed veteres, *unde* etiam ad personam adplicabant, ita ut omne genus ad omnem numerum jungerent: ut hoc loco, *Genus unde Latinum*, masculino generi & numero singulari junxit; alibi genus fœminum & numerum pluralem referret: *Nymphæ Laurentes, Nymphæ genus amnibus unde est*; sicut *hinc* particulam sumsit loco adverbii Terentius, cum vetuste ad personam transtulerit, *Sed eccum Syrum incedere video hinc jam scibo, quid fiet.* Idem.

Unde.] Disputat Servius, quo referri debeat τὸ *Unde*: an ad Latium, an ad Æneam, qui *Latinos populos*, ut inquit Justinus, *condidit*; Sed Nascimb. ad utrumque ait referri posse. cum in Latio conditi sint, & nuncupati *Latini*, qui prius *Aborigines* dicti. Jo. Scoppa: *Unde*, id est, à quo Ænea, ejusque ducibus: *genus*, id est, nobilitas Romanorum, qui *Latini* dicuntur, venit. Quod Virgilius cum alibi, tum Æn. 5. testatur; *Mox-Italus Mnestheus, &c. Genus* autem Nobilitatem significare, docet vel illud Horatii;

Et genus & formam regina pecunia donat.

Vide ibidem. *Taubm.*

7. *Albanique patres.*] Albam, ab Ascanio conditam, constat: sed à quo incertum, utrum à Creüsæ an Laviniæ filio: de qua re Livius dubitat. Hanc autem cum evertisset Tullus Hostilius, omnes nobiles familias Romam transtulit. Et sciendum bene hunc ordinem servare Virgilium, ut ante dicat Latium, inde Albam, post Romam; quod & hoc loco fecit: & in V. *Priscos docuit celebrare Latinos.* & deinde, *Albani docuere suos, nunc maxima porro Accepit Roma, & patrium servavit honorem.* Item in VII. *Mos erat Hesperio in Latio quem protinus urbes Albanæ coluere sacrum: nunc maxima rerum Roma colit.* Servius.

Altæ mœnia Romæ.] Aut propter gloriam, aut propter ædificia ingentia: aut quia in montibus collocata est. *Idem.*

Altæ mœnia Romæ.] Nascimb. perpetuum ait urbium epitheton, exemplo Horatii I. Carm. 16.

—— *Et altis urbibus ultimæ*
Stetêre caussæ.

Hom. τροίην ὑψίπυλον vocat, & ἴλιον αἰπεινήν. Vide N. 4. Æn. ℣. 265. & Æn. 10. ℣. 737. De enormi ædificiorum altitudine, videantur Admiranda J. Lipsii l. 3. c. 4. Claudianus:

Quâ nihil in terris complectitur altius aër,
Cujus nec spacium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit.

Periti viri est, non dicam describere, sed capere, & credere qualis ea Roma fuit,

Cui par est nihil, & nihil secundum.

Porro notat Servius, bene hunc ordinem semper servasse Virgilium, ut ante dicat *Latium*, deinde *Albam*, post *Romam*: ut hic, & 5. Æn.

—— *priscos docuit celebrare Latinos, &c.*

Item 7.

Mos erat Hesperio, &c.

Cui Flores Maronianos, delibare animus est, Consulat Scalig. de re Poët. l. 4. c. 47. *Taubm.*

8. *Musa,*

Musa, mihi caussas memora, quo numine læso,
Quidve

8. *Musa, mihi causas memora.*] *Mihi*, longa hic; alibi brevis; ut *Mihique hæc edissere vera roganti.* Sane in tres partes Poëtæ dividunt carmen suum, proponunt, invocant, narrant. Plerunque tamen duas res faciunt, & ipsam propositionem miscent invocationi, quod in utroque opere Homerus fecit; namque hoc melius est. Lucanus tamen ipsum ordinem vertit, primo enim proposuit, inde narravit, postea invocavit: ut est, *Nec si te pectore vates Accipio.* Sane observandum est, ut non in omnibus numen aliquod invocetur, nisi cum aliquid ultra humanam possibilitatem requirimus. Hinc in arte Poëtica Horatius, *Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus Inciderit.*

Bene ergo invocat Virgilius: non enim poterat per se iram numinis nosse. Item in nono libro, nisi adderet, *Juno vires animumque ministrat:* quis crederet Turnum evasisse de castris? Et hic *Musa* non addidit, μῆνιν ἄειδε θεά, sed, *Musa mihi caussas memora*, pro adesto & memores. Sane Musas multi VIIII. multi VIII. multi VII. dixerunt. His Numa ædiculam æneam brevem fecerat; quam postea de cœlo tactam, & in æde honoris & virtutis conlocatam Fulvius Nobilior in ædem Herculis transtulit, unde ædis Herculis Musarum appellatur.

Has alii Virgines perhibent, nam ideo eis & porcam sacrificari ajunt, quod multum pariat: alii eis etiam filios dant Orpheum, Linum, Sirenas. Alii has octo, ut Athenis visuntur; alii quatuor dicunt. Alias Bœotias, alias Atticas, alias Siculas. has Musas Siculus Epicharmus non multas, sed ὁμοφώνους dicit. *Servius.*

Musa.] Ab invocatione Musæ, quod erat scripturus, incœpit: quam, cum dea sit, nihil latere oportet, Interrogat ergo, ut cum nulla in Ænea culpa inveniatur, confirmet Junonis sævitiam. *Donat.*

Musa.] Musam cum invocat, quam intelligit: Calliopem. Nam hæc Musarum Regina, Dux & princeps heroïci carminis. Ausonius: (hujus est enim, si Scaligero, & doctis aliis credimus.)

Carmina Calliope libris heroïca mandat.

Cælius Bassus lib. 2. Lyricorum:

Calliope princeps sapienti psallerat ore.

Horatius quoque Od. 4. lib. 3. *Regina Calliope* dixit. Præterea alii aperte nominant. Stesichorus, δεῦρ' ἄγε Καλλιόπεια. Oppian. 1. Venat. Τοῦτό με Καλλιόπη κέλεται. Homeri enarrator. 1. Il. οὐ προσέθηκε δὲ οὐδὲ ὄνομα Μούσης, πάσας διὰ τῆς μιᾶς καλῶν. λέγει δὲ τὴν Καλλιόπην: *Nullius Musæ nomen constituit, sed omnes in una invocat; Calliopem autem intelligit.* Philostratus in Heroïcis loquens de Poëtis, ait, τὴν Καλλιόπην παρατυχεῖν αἰτούμενοι τῷ λόγῳ: *Calliopem, ut orationi adsit, invocant.* Placuit autem Poëtæ in nominanda Calliope, Odysseam potius imitari, quam Iliada. Nam ibi, ἔννεπε Μοῦσα. in Iliade generalius, θεά, & Pindarum, qui Musam invocat, non Deam. Statius Homero hæsit in Achilleide, ait enim, *Diva refer*, & in Theb.

—— *Unde jubetis*
Ire Deæ.

Silius Virgilio,

—— *da Musa decus memorare laborum*
Antiquæ Hesperiæ.

Cerda.

Mihi.] Homericum est,

Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα.

Idem.

Musa m.] Græci statim invocant: simul invocationi admiscent Argumenti propositionem. Latini hanc primo loco:

Quidve dolens regina deûm, tot volvere casus
In-

loco: deinde implorant opem; haud sine magna ratione. Cum enim etiam rerum abditarum, etiam animorum momenta, atque discursus canere instituant, verisimile est non nisi deorum immortalium spiritu afflatos ea consequi posse. Vide Scalig. l. 5. c. 17. & l. 7. c. 5. Poët. item Aristotel. in Poëtic. si forte. *Taubm.*

Memora.] Præclare Homerus Il. ἄειδε. In Odyss. ἔννεπε. Stesichorus, ἄγε. Pindarus, μαντεύεο. Oppianus, ἴλαθι. Auctor hymni in Mercurium ὕμνει: *cane, dic, age, vaticinare, fave, lauda.* Superat Græcos Virgilius; nam aptius *memora.* sunt enim Musæ filiæ Memoriæ, Μνημοσύνης. Ex eadem observatione in 9.

Et meministis enim Divæ, & memorare potestis.

Poëtæ animum Silius advertit, dixit enim

— da Musa decus memorare.

In Græcis etiam reperi. Nam auctor hymni in Bacchum μνήσομαι, quo etiam verbo usus Apollonius, & Pindarus Od. 1. Nem. *Vult Musa meminisse,* Μοῦσα μεμνᾶσθαι φιλεῖ. *Cerda.*

Quo numine læso.] *Quo*, in quo, in qua causa. Et est septimus casus, & communis elocutio. Dicimus enim, quo te læsi: est & alia expositio. namque Juno multa habet numina. est Curitis, quæ utitur curru, & hasta. ut, *Hic illius arma, Hic currus fuit.* Est & Lucina, quæ partubus præest, ut Terentius, *Iuno Lucina fer opem.* Est regina. ut, *Quæ divum incedo regina.* Sunt & alia ejus *nomina.* Merito ergo dubitat, quod ejus læserit numen Æneas. Alii tamen dicunt separandum esse; ut de odio Junonis non dubitet, quærat autem quod aliud numen est læsum. *Servius.*

Quo numine.] Ideo trahitur in ambiguitatem, & requirit in quo Junonis numen læsit Æneas, quia in ipsum certa non erant odia, sed in gentem, propter caussas, paulo post dicendas. Alii *numen* voluntatem accipiunt. *Idem.*

Quo numine.] Pro *numine* Sciopp. epist. 7. in parad. legendum contendit *nomine*, id est, quâ caussa, quâ re, seu de qua re. Suet. Galba c. 16. *subinde jactavit legere se militem, non emere consuevisse. Atque eo quidem nomine omnes, qui ubique erant, milites exacerbavit.* Plura ille. Cod. vet. tamen agnoscunt *numine.* quam veram esse lectionem ex Macrobio discas licet, qui hujus loci meminit Saturn. l. 1. c. 17. *Emmenes.*

Læso.] Læso dicendo, ipso verbo ostendit etiam si fuisset, levissimam culpam fuisse. Non enim dixit violato aut injuriam passo. *Servius.*

Quo numine l.] Servius Ms. Fuld. *Numen* voluntatem accipit. Turneb. l. 18, 32. Veteres, inquit, suorum incommodorum caussam diis attribuebant, quos suâ aliquâ noxâ læsos opinabantur. Ex hâc opinione hæc dixit. Sic Tibul. l. 1, 2.

Num feror incestus sedes adiisse deorum?

Statius 5. Silvar.

— Quæ vestra sorores
Orgia Pieriæ, quas incestavimus aras?

Et ibidem:

Numquid inaccesso posui vestigia luco?
Num vetito de fonte bibi?

Taubm.

9. *Quidve dolens.*] Bene Philosophice dubitavit. Dicunt enim quidam, ad deos nihil pertinere. *Servius.*

Tot volvere casus.] Id est, casibus volvi. Et est figura Hypallage: quæ fit quotiescunque per contrarium verba intelliguntur. Sic alibi, *Dare classibus austros:* cum ventis naves demus, non navibus ventos. Item, *Animumque labantem Impulit.* hoc est, impellendo fecit labantem. *Idem.*

Volvere casus.] *Veluti molem quandam* ait H. Steph. Neque vero est ταυτολογία. nullam enim in Virgilio agnosco. nam *volvere*

Insignem pietate virum, tot adire labores
Inpulerit. tantæne animis cælestibus iræ?

Urbs

volvere casus ad corpus pertinet, vel à proverbio, ad quod allusit: usurpavit enim Terentius *hoc saxum volvo* cum respectu ad Sisyphum: *adire* autem *labores* ad animum spectat. *Cerda.*

Tot volvere casus.] Similis locutio occurrit apud Stat. l.2. Thebaid.

—— *ignota per oppida tristes*
Exul agit casus. ——

pro agitur tristibus casibus. *Emmeness.*

10. *Insignem pietate virum.*] Quia patrem & deos penates de incendio Trojæ liberavit. Et hic ostendit merito se invocasse Musam. Nam si justus est Æneas, cur odio deorum laborat? *Servius.*

Insignem pietate virum.] Pietatis nomine venit officium, quod inter conjunctissimos sit oportet. De pietate Æneæ mille scriptores mentionem inferunt, quam Græci summopere admirabantur, cum Deos primum, ut narratum supra, dein patrem exportaret. Vide Ælian. var. hist. l. 3. c. 22. *Emmeness.*

11. *Inpulit.*]In Romano codice, *inpulerat*, indicandi modo, & exacta specie legitur. Quasi jam hinc ad conciliationem, quæ Jovis precibus subsecuta est, Poëta respexerit. Sed enim codices reliqui tam veteres, quam recentiores *inpulerit* legunt. Hac tamen forma pleraque alia sic mutata reperiemus. *Pierius.*

Tantæne animis cœlestibus iræ?] Hic jam non de qualitate iracundiæ quærit, sed de quantitate. Nimia etenim ira est, quæ pietatis non habet considerationem. & hoc quidem secundum Stoicos dicit: sed miratur cur tantum. Nam Epicurei dicunt deos humana penitus non curare. *Servius.*

Tantæne.] Quasi exclamatio est mirantis. Cum ex ipsa narratione sententiam trahentes, nostram personam interponimus; ut, *Tanton' placuit concurrere motu.* Nonnulli *Tantæne* legunt, ut interrogatio sit potius, quam exclamatio. Responsio Musæ vel deæ. *Idem.*

Animis cœlestibus.] Diis superis. nam apud inferos esse iram constat, ubi sunt furiæ. animis vero τοῖς ὅμοις. *Idem.*

Tantæne animis cœlestibus iræ?] Admiratur hoc Poëta, cum Dii lenes esse soleant & misericordes, quod reprehendatur in eis, quod in hominibus displicet. Post invocationem autem in adjumentum carminis, & in favorem suscepti sui operis positam, causas enumerat, quibus lector in initio advertat, & Junonem sævam, & deos malo studio Junonis motos, & Æneam non sua culpa hæc esse passum. *Donatus.*

Tantæne animis cœlestibus iræ?] Agnosce emphasim. Quasi dicat, Cœlestesne etiam irascuntur? non decet. Euripides in Bacchis, ὀργὰς πρέπει θεοὺς οὐκ ὁμοιοῦσθαι βροτοῖς: *Non decet irasci Deos instar mortalium.* Advertit vero præclare Germ. *iras* plurali numero signanter dici cum sermo est de Diis. Ovid. 1. Met.

—— *dignas Jove concipit iras.*

In 4. Georg. de Nymphis:

—— *irasque remittent.*

Et alibi.

Et germana Jovis Saturnique altera proles,
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?

Æsopus in fabella mulieris veneficæ, θείων μηνιμάτων. Livius lib. 8. *preces, quæ Deorum iras placant.* & lib. 3. *veniam irarum cœlestium exposcunt.* Cerda.

Tantæne animis cœlestibus iræ?] Petr. Victor. var. lect. l.25. c.2. justam dicit esse exclamationem. Vel nunquam oportere irasci Deos immortales, neque motu hoc turbido animos eorum vexari,

Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)

Car-

vexari, aut facile, si forte alicui aliquando irascantur, placari. juxta illud Euripidis: ὀργὰς πρέπει θεοὺς οὐκ ὁμοιοῦσθαι βροτοῖς. in παθολογίᾳ exclamationes locum habent, docente Scaligero l. 3. Poët. c. 39. ut Græci ὀργὰς in plurali sic *iras* l. 4. Georg. ℣s. 536. vide Not. in Ecl. 2. ℣s. 14. *Tristis Amaryllidis iras.* Emmeness.

12. *Urbs.*] Urbs dicitur ab orbe: quod antiquæ civitates in orbem fiebant: vel ab Urbo parte aratri, quo muri designabantur. & *Antiqua* autem, & *Fuit* bene dixit: namque & ante LXX. annos urbis Romæ condita erat: & eam deleverat Scipio Æmilius ante Æmilianus. quæ autem nunc est, postea à Romanis est condita: unde *Antiquam* accipe & ad comparationem istius quæ nunc est, & Roma antiquiorem. *Servius.*

Urbs.] *Conjunctionem tectorum oppidum, vel urbem appellarunt, delubris distinctam, spatiisque communibus. populus autem civitatem constituit.* Hanc urbis & civitatis distinctionem apud Non. Macell. c. 5. & Cicer. l. 1. de republ. invenias. *Emmeness.*

Antiqua.] Id est, nobilis. *Servius.*

Antiqua.] Non magna, ut multi dicunt, sed prolixi temporis: ut annositate corroborata, imperium Rom. nascens, longævis viribus premeret. *Donatus.*

Fuit.] Pro *erat.* Servius.

Urbs antiqua fuit.] Primam Junonis odiorum caussam dicit, quæ Æneam insectatur: quoniam ab eo gens oritura erat, quæ imperium, quod ipsa Carthagini servari cupiebat, præreptura esset. Volebat ergo si possit illum extingui. igitur hæc sola causa satis erat ad odia excitanda. Verum aliæ quoque enumerantur: ut, cum sint procul à culpa Æneæ, & ipse purgetur, & Junonis factio iniquissima cognoscatur. Laudatur multipliciter Carthago: ut ostendatur, illa Rom. imperium opprimere potuisse, maxime annitente Junone. *Donatus.*

Urbs antiq.] Respondet Musa, & caussas odii Junonis memorans, laudat primum Carthaginem ab antiquitate, à conditoribus, à situ, à fortunis, à disciplina militari, à dignitate. Et bene dixit, *Fuit*: nam & ante Romam condita, & à Romanis postea deleta est. Æn. 2.

—— *Fuimus Troës: fuit Ilium.*

Jam de puritate horum versuum, in genere dicendi Altiloquo, vide Scalig. lib. 4. cap. 13. *Taubm.*

Tyrii tenuere coloni.] Deest *Quam*, vel ut alii volunt *Hanc.* Amant namque antiqui per Epexegesin dicere, quod nos, interposito pronomine, exprimimus. *Est locus, ut alibi, Hesperiam Graji cognomine dicunt*, deest *quem*. Coloni dicuntur cultores advenæ; & hos de Tyro constat venisse, qui Carthaginem condiderunt.

Sane veteres Colonias ita definiunt. Colonia est cœtus eorum hominum, qui universi deducti sunt in locum certum, ædificiis munitum, quem certo jure obtinerent. Alii, Colonia est quæ Græce παροικία vocatur. Dicta autem est à colendo, est autem pars civium, aut sociorum missa, ubi Rempub. habeant ex consensu suæ civitatis, aut publico ejus populi, unde profecta est consilio. Hæ autem coloniæ sunt, quæ ex consensu publico, non ex secessione sunt conditæ. *Servius.*

Coloni.] Ut præter incolas etiam aucta sit colonis. *Donatus.*

Tyrii tenuere coloni.] Non tam cultores terrarum intellige quam ἀποίκους, id est, deductos in colonias, utique ἀποικίας. Tale illud, *Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis.* Arist. 2. Polit. ἄποικοι γὰρ οἱ Λύκτιοι τῶν Λακώνων ἦσαν: *Lyctii Laconum coloni erant.* Sic ergo Carthaginienses coloni Tyriorum. Isocrates Paneg. ita extulit, πάσας τὰς νήσους κατῴκισαν. Itaque *coloni* tam Græcis

quam

Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Oſtia, dives opum, ſtudiiſque aſperrima belli:
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam

Poſt-

quam Latinis explicandi ſæpe pro his, qui ex propriis domiciliis exeuntes, mutant ſedes, quas alibi figunt. Cauſam coloniarum hanc adhibet Plutarchus de Stoïcorum repugnantiis: *αἱ πόλεις πλεονάσασαι εἰς ἀποικίας ἀπαίρουσι τὰ πλήθη*: *urbes abundante multitudine colonias deducunt, ut ſe exonerent.* Cerda.

Coloni.] De colonis diſputant erudite inter veteres Gellius l. 16. c. 13. inter recentiores M. Velſerus rer. Auguſtanarum Vindelicarum l. 4. & 5. Hugo Grotius Flor. Sparſ. ad jus Juſtinian. p. 270. 271. & Arniſæus l. 5. ſect. 30. Carthaginienſes Colonos eſſe Tyriorum docet Juſtinus l. 18. c. 3. 4. 5. *Emmeneſſ.*

13. *Italiam contra.*] Conſtat tria latera habere Italiam, ſuperi maris, inferi, & alpium. unde tollens cauſſam erroris adjecit, *Contra Tiberina*, id eſt oſtia, quæ in infero mari ſunt. Oſtiam vero ideo veteres conſecratam eſſe voluerunt ſicut Tiberim, ut ſi quid bello navali ageretur, id auſpicato fieret ex maritima & effata urbe, ut ubique conjunctum Auſpici: ut Tiberis cum colonia eſſet. Aut certe ideo *Italiam contra*, quaſi de æmula dictum accipiamus, ut non tantum ſitu, quantum & animis contra. *Servius.*

Italiam contra.] Laus eſt à ſitu. *Donatus.*

Italiam contra.] Sic Cæſar bel. civ. lib. 1. *Hic ad inſulam, quæ eſt contra Maßiliam, ſtationes obtinebat*: *ἀντιπέραν, ἀντιπέρηθεν, ἐξ ἐναντίας.* Sic vero & præpoſitionem poſtpoſuit Tacit. lib. 3. Ann. *Corcyram advehitur litora Calabriæ contra ſitam.* Germ.

Tiburina.] Pro *Tiberis* dixit. Quidam ſane ita volunt jungi, non longe oſtia, ſed *longe dives* valde. *Servius.*

Longe.] Porro, valde. Saluſtius, *Longe alia mihi mens eſt, patres conſcripti,* aut certe maxime, vel præcipue, ut ſit Carthago præcipue poſita contra Tiberina oſtia. Cic. pro Rabirio, *Et cum univerſo Pop. Romano, tum vero Equeſtri ordini longe chariſſimus.* Idem.

Tiburinaque longe oſtia.] Non temere uſus plurali, nam & Plinius *oſtia Tiberina* dixit, quia plura. Particula *longe*, nec *valde* nec *præcipue* explicanda: primum cum Servio, alterum cum Chariſio. tantum dicit reſpectum ad intervallum illud, quod eſt à Carthagine ad oſtia Tiberis. monuerunt interpretes. *Cerda.*

14. *Dives opum.*] Modo tantum dives dicimus, antiqui adjungebant cujus rei; ut, *Dives equûm, dives pictai veſtis & auri*: jungentes tantum genitivo caſui. *Servius.*

Dives.] A fortuna. *Donatus.*

Dives.] Quando cum Romanis bellum gerebat Carthago, erant in ea LXX. myriades hominum, urbeſque CCC. habebat. *Taubm.*

Studiiſque aſperrima belli.] Cauſſam oſtendit mirabilem, dicens hos & bellicoſos & divites, quum otioſa ſit ſemper opulentia. Jure ergo hanc diligit Juno, & vult orbis regna ſortiri. Quæ res odia ejus in Trojanos exagitat, & bene *ſtudiis* non *ſtudio*, quia tertio rebellavit contra populum Romanum. *Servius.*

Studiiſque.] A natura & à moribus. Ergo omnis erat occaſio Junonis favor, locorum proximitas, ſubſtantia rei familiaris, bellatorum numerus, fiducia naturalis: & innatum ſtudium dimicandi. *Donatus.*

15. *Fertur.*] Dicitur. Et ingenti arte Virgilius utitur, ne rebus fabuloſis aperte utatur, licentia Poëtarum, quaſi opinionem ſequitur: & per tranſitum Poëtico utitur more. vel certe *fertur*, creditur; *magis* pro valde. *Serv.*

Posthabita coluisse Samo. hic illius arma,

Hic

Quam Juno fertur, &c.] Non est injucundum quod Erythræus observavit Homerum Il. δ. nullam Sami mentionem fecisse inter gratas addictasque Junoni civitates sub his versibus: ἤτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες, Ἄργος τε, Σπάρτη τε, καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη. Solent autem Poëtæ, quas Dii Deæve in tutela urbes, insulasve, aut montes habent, diligenter recensere, Diisque ipsis subjicere, & in memoriam redigere: ut Callim. in Dianæ Hymno: νήσων μὲν δολίχη, πολίων δέ τοι εὔαδε Πέργη, Τηΰγετον δ' ὀρέων. Ut autem hic *magis omnibus unam*, sic Sophocl. τὰν ἐξ ἁπασᾶν τιμᾷς ὑπερτάταν πόλεων. Et Hom. οδ. θ. ἥ οἱ γαιάων πολὺ φιλτάτη ἐστὶν ἁπασέων. *Germ.*

Quam Juno.] Juno pingebatur Carthagine leoni insidens, dextra fulmen, sinistra sceptrum gestans. *Cælestis* dicta Pœnis, ut Græcis οὐρανία, & οὐρανοῦ κυρία. Vide Jos. Scalig. De Emendat. temporum; ubi etiam docet, Punicam linguam tunc pænè fuisse Hebraicam. *Taubm.*

16. *Posthabita.*] Non contempta: sed in secundis habita. Namque in superiore versu dixit *magis*, ut etiam loco originali servetur affectio. *Servius.*

Posthabita.] Tanta obstinatione contra Romanum imperium nitebatur pro Carthaginis opibus, ut omnibus terris & ipsi solo genitali illam præposuerit, & insignia sui numinis, & quicquid potuit, in ea collocaverit. *Donatus.*

Posthabita.] Sic Terentius pro *postponere* Phorm. 3. 7. 15. *omnes res posthabui.* & noster Ecl. 7. ℣s. 17.

Posthabui tamen illorum mea seria ludo.

Emmeness.

Coluisse Samo.] Deest *etiam*, ut esset posthabita *etiam* Samo, ut Juvenalis, *Et Samia genitrix quæ delectatur arena.* Servius.

Coluisse.] Quia veteres colere dicebant, etiam cum major minorem diligeret; ut, *Ille colit terras.* Plautus in Pænulo, *Iupiter qui genus colis alisque hominum.* Idem.

Coluisse Samo.] Nobilissima insula vel per unum Pythagoram, ne quid dicam de vasis Samiis, quæ laudat Plin. l. 35. cap. 12. Variis nominibus antea fuit dicta, quæ Stephanus habet, nempe: Σάμος ἐπιφανὴς πρὸς τῇ Καρίᾳ νῆσος. ἐκλήθη δὲ πρότερον Παρθενία, καὶ Δρυοῦσα καὶ Ἀνθεμοῦσα καὶ Μελάμφυλλος. Non in Ionia ponit Mela l. 2. c. 7. Sita est contra Ephesum. Juno hac in insula religiosissime colebatur, quod ex Cicerone notum Verr. 4. c. 32. *Miramur Athenis Minervam, Deli Apollinem, Iunonem Sami, &c. aliosque Deos violatos esse.* inde *Samia* dicitur apud eundem Verr. 1. c. 19. *fanum Iunonis Samiæ.* imo ipsa insula *Junonia* appellatur. Ovid. l. 8. Metam. ℣s. 220.

—— & jam Iunonia læva
Parte Samos.

Sic Stat. Thebaid. l. 1. Juv. Sat. 16. ℣s. 6.

Et Samia genitrix quæ delectatur arena.

Emmeness.

Samo. Hic.] Hujusmodi *Complosionis* sive *hiatus* exempla notantur aliquot triginta in Virgilio, summo judicio facta. Vide & Scalig. lib. 4. cap. 48. *Taubm.*

Hic illius arma.] Figura creberrima, adverbium pro adverbio posuit, præsentis loci pro absentis. debuit enim dicere *illic arma.* Servius.

Arma.] Instructam armis Junonem alio loco testatur ipse: ut, *Ferro accincta vocat.* Idem.

Hic illius arma.] Hastam intellige. nam hæc Dea veteribus Hastam ferre dicebatur. Inde illam *hastatam*, vel *Curitim* dixere. Festus: *Matronæ Iunonis Curitis in tutela sunt, quæ ita appellatur à ferenda hasta, quæ lingua Sabinorum Curis dicitur.* Plutarch. ἐν τοῖς ῥωμ. Ἥρας δὲ

ἱερὸν

Hic currus fuit: hoc regnum dea gentibus esse,

Si

ἱερὸν δόρυ νενόμιςαι, καὶ τῶν ἀγαλμάτων αὐτῆς δόρατι ςηρίζεται τὰ πλεῖςα, καὶ Κυρῖτις ἡ θεὸς ἐπωνόμαςαι: *Iunoni sacra esse habetur hasta, & multæ ejus statuæ hastæ innituntur, ipsaque dicitur Dea Quiritis.* Ad arma etiam Junonis multum conducit illud Poëtæ in 2. qui de hac Dea *ferro accincta*, quo sane gladius innuitur. Græcis dici illam ὁπλοσμίαν, ab armis Corradus notat. In Pausan. lib. 5. invenias mentionem aræ Ἥρας ἱππίας, *Iunonis equestris*, quem habitum sequi videntur Arma. His apparet Junoni non hastam solum, sed alia quoque arma attributa. Quin Valerius Flaccus illi dat Ægida; Servius, clypeum. *Cerda.*

17. *Currus.*] Aut vere currum, quo secundum Homerum in bello utitur: aut thensam significat, qua deorum simulachra portantur. Thensa autem cum aspiratione scribitur, ἀπὸ τῶ θυεῖν, id est, à re divina. Aut certe illud, *currus*, quod ait, *Ductos alta ad donaria currus.* Habere enim Junonem currus, certum est. Sic autem esse etiam in sacris Tiburtibus constat, ubi sic precantur, *Iuno curulis tuo curru clypeoque tuere meos curiæ vernulas sane.* Servius.

Hic illius arma, hic currus fuit.] Quotiescunque nomina singularis & pluralis numeri connectuntur, respondemus viciniori: ut ecce hoc loco, currui, non armis respondit. Eadem & in diversis generibus est observatio; ut magis vicino sive masculinum sit, sive fœmininum respondeamus, *ut* puta *vir & mulier magna ad me venit.* Si autem plurali numero velimus uti, ad masculinum transeamus, necesse est: *ut vir & mulier magna ad me venerunt.* Sane *fuit* pro fuerat. *Idem.*

Hic currus fuit.] Quis hic? Non thensa, ut volunt aliqui, nam hæc communis Diis aliis, & hic speciale quiddam insinuatur. de militari apparatu, vere militarem currum intelligo, quo usam in bello Junonem Homerus scribit. Hic currus servabatur Carthagine, quod Poëta hic scribit, & Ovid. 6. Fast. apud quem hæc Dea ita loquitur,

Pœniteat quod non fovi Carthaginis arces,
Cum mea sint illo currus & arma loco.

Indicat Apulejus lib. 6. ubi in oratione Psyches ad Junonem dicit, hanc Deam, cœlo solitam, commeare leonis vectura, idque juxta Carthaginem. Unde elici potest, eam cum ab ea concursatione quiesceret, currum ad eandem urbem solitam remittere, juxta quam vehebatur. De studio etiam Junonis erga currus & bella Valerius Flaccus l. 5. ita ait,

Cui Iuno, dimitte metus, ne prælia forte
Hinc tibi grata negem: jamjam manet ægida sudor
Et nostros jam sudor equos.

Qui hi equi, nisi currus? Allucet multum ex Servio, qui in sacris Tiburtibus hanc precationem fieri solitam scribit: *Iuno Curulis tuo curru clypeoque tuere meos curiæ vernulas sane.* Hæc omnia satis indicant bellicum apparatum. Sed quid opus multis, ubi extant luculenta Homeri de curru hujus Deæ, deque aurigatione Hebes. lib. 5. Il. *Cerda.*

Hic currus fuit.] De vehiculis Deorum, & thensis videndus Scefferus de re vehiculari lib. 2. cap. 24. noster hoc libro vs. 675. Carthaginem nominat Junonium hospitium:

—— *& vereor quo se Iunonia vertant*
Hospitia. ——

Emmeness.

Hoc regnum, &c.] Proprie admodum datur Junoni cupiditas regni erigendi, ut quæ regnis atque opibus præsit, ut Pallas bello, Venus amori. Ejus tamen in Carthagine conatus fuit irritus, ideo

Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque.
Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.

Hinc

tendit. Sed in irrito conatu non cessat, ideo *fovet* non tanquam *imbecillam*, ut vult Servius. Nam quî imbecilla, quæ armis potens, quæ dives opum? Sed *fovet* illam blande ac tenere, ut mater filium. Sententiæ Virgilii ita institit Silius lib. 1.

Hic Iuno ante Argos (sic credidit alta vetustas)
Ante Agamemnoniam gratissima tecta Mycenem,
Optavit profugis æternam condere gentem.

Cerda.

Gentibus.] Pro *gentium*, dativum pro genitivo. *Servius.*

18. *Si qua fata sinant.*] *Qua* vacat, & est ornatus causa positum. ut ubique gentium, locorum terrarum, & reliqua: ut, *Dixitque & prælia voce diremit.* Idem.

Si qua fata sinant.] Quod tamen sinebant. Nam Juppiter ad Venerem infra:

—— *manent immota tuorum*
Fata tibi.

Est *qua*, qua via, qua ratione, id est, *si fata aliqua ratione sinant.* Integrum versum arripuit Prudentius. 2. in Symm. *Cerda.*

Jam tum.] Ex quo constituta est à Tyriis colonis. *Servius.*

Tenditque fovetque.] Tanquam imbecillam. Figurate dixit. Non jam regnum fovet, sed tendit, & fovet, ut regnum esse possit. Et bene *Tendit*, tanquam contra verum; *fovet* autem tanquam imbecillam, adversus Trojanorum conatus. *Idem.*

19. *Progeniem.*] Vel Romanos, vel ut quidam volunt Scipionem, qui Carthaginem diruit. *Idem.*

Progeniem.] Gentem innuit Æmiliam, ab Æmilio Ascanii filio oriundam; ex qua Scipio Æmilianus fuit, qui Carthaginem excidit. Et notat Plutarch. in Cæsare, Familiam Scipionum & victoriam Africæ fatalem fuisse. Vide & Floridum lib. 2. Succisivar. Lect. c. 22. *Duci* autem pro *ducendam*, vel *ductum iri:* enallage de qua Linac. l. 6. *Taubm.*

Duci.] Ductum iri: infinitivi modi verbum à passivo, tempus præsens pro futuro, verbum pro verbo. *Servius.*

Duci.] Sunt qui repudiant explicationem *duci* pro *ducendam* vel *ductum iri.* Fatale enim illud genus jam tum ab ultimis majoribus ducebatur, nam Anchises vivebat in Ænea, Æneas in Ascanio, & deinceps in Scipione, qui destinatus ad excidium erat Carthaginis. Aliquando tamen præsens hoc, pro futuro usurpari, docet Scefferus ad Phædr. l. 3. F. 11. *Heredem suffici se proximum*, pro *suffectum iri.* Emmeness.

20. *Audierat.*] A Jove, aut à Fatis. Non enim omnia habent divinandi facultatem numina: denique ne ipse quidem Apollo sua sponte divinat. ut est, *Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo prædixit.* Et perite *Audierat.* In Ennio enim inducitur Juppiter, promittens Romanis excidium Carthaginis. Ergo bene *audierat* quasi de incertis rebus, ut & timeret, & speraret omnia pro sua voluntate posse mutari. *Servius.*

Tyrias arces.] Carthaginem dicit, quam Tyrii condiderunt. *Arces* dictæ, ab eo, quod est arceo, quod inde hostes arcentur, hoc est, prohibentur. Et *arces* genus teli, quod hujus ministerio sagittæ arceant hostem. Sane per confusionem Verbi & nominis dictum est, nam *arces* est verbum *arceo arces*, cum non sit nomen. *Idem.*

Olim.] *Quandoque.* Tria enim tempora significat: Præteritum, ut, *olim arbos,*

Hinc populum late regem, belloque superbum,
Venturum excidio Libyæ: sic volvere Parcas.

Id

arbos, nunc artificis manus ære decoro Inclusit. Præsens, ut, *Tumidis quod fluctibus olim Tunditur.* Futurum, ut, *Nunc olim quocunque dabunt se tempore vires.* Idem.

Tyrias olim quæ verteret arces.] Antiqui aliquot codices, *everteret* legunt: quod nonnulli ajunt majorem præ se ferre conatum. Sed enim Ti. Donatus *vertere* eam habere intellectus expressam rationem dicit, ut nihil post excidium supersit: huicque illud simile subjungit, *Quæ te genitor sententia vertit.* hoc est, sic mutavit, ut nihil pietatis remanserit in sensibus Jovis. Additque etiam illud ex alio loco, *Tum vero om. mi. vi. con. in ig. Ilium, & ex imo verti Neptunia Troja.* Quoniam (ait Donatus) constabat nihil ejus remansisse post flammas: ideoque hæc principalis fuerat caussa: quæ etiam si sola existeret, sola posset adversus Trojanos animum Junonis urguere. *Pier.*

Verteret.] Eam habet significationem, ut nihil post excidium supersit. unde alibi, *quæ te genitor sententia vertit*, id est, penitus ita immutavit, ut nihil in illo pietatis relictum sit. Item, & *omnis imo vertit Neptunia Troja.* Donatus.

Verteret.] Ut apud Horat. l. 3. od. 3. *& mulier peregrina vertit in pulverem.* & od. 25. *proceras manibus vertere fraxinos.* frequentius *evertere* compositum. quod apud Phædr. l. 3. F. 11. *non evertisset scelere funesto domum.* Quare non nulli legunt, *quæ everteret arces.* Emmeness.

21. *Hinc populum late regem.*] Scilicet à Romanis. Laudat autem eorum imperium, dicendo *populum regem.* Serv.

Late regem.] Pro late regnaturum. Nomen pro participio. quidam hic democratias intelligunt. Et *Hinc populum late regem belloque superbum &c.* In Probi adjuncta sunt, & adnotandum hi duo si eximantur, nihilominus sensus erit integer. Sed Virgilius amat aliud agens exire in laudes Pop. Romani. *Servius.*

Late regem.] Homerus Iliad. α. ℣s. 102. Agamemnona vocat εὐρυκρείωνα, id est, late regnantem, vel potius *late tyrannum*, ut Horat. l. 3. od. 17. & noster l. 7. ℣s. 737.

—— late jam tum ditione premebat
Sarrastis populos. ——

Emmeness.

Superbum.] Id est, nobilem; ut, *Ceciditque superbum Ilium*, eminens, gloriosum. *Servius.*

22. *Venturum excidio.*] Ad excidium, ut Idem *v. t. ad. a. n.* Idem.

Venturum excidio.] Nec hæc plane abjicienda explanatio videtur, *excidio* dici, pro ob *excidium.* Carthagine nempe deleta, late imperitaturum populum Romanum. Dativum poni etiam pro accusativo cum præpositione docet Servius l. 1. Georg. ℣s. 173.

Cæditur & tilia ante, jugo levis.

Id est, ad jugum. sic *hosti stat* l. 3. G. ℣s. 347. & alibi. *it clamor cœlo.* Emm.

Libyæ.] Carthaginis. Et provinciam pro civitate posuit. Dicta autem Libya, quod inde Libs flat, hoc est Africus, aut ut Varro ait, quasi λιπύια egens pluviæ. Sic Salustius, *Cœlo terraque penuria aquarum.* Servius.

Volvere Parcas.] A filo traxit volvere, aut à libro, una enim loquitur, altera scribit, tertia fila deducit. Et dictæ sunt κατὰ ἀντίφρασιν: quod minime parcant, sicut lucus à non lucendo, bellum à nulla re bella. Nomina Parcarum, Clotho, Lachesis, Atropos. *Idem.*

Volvere.] Proprie, nam Parcæ volvunt, & nent fila. Græci νήθειν, καὶ κλώθειν. Philostratus, κεκλωσμένα: *fato destinata*, ad verbum, *voluta, glomerata, neta.* Pari indole Poëtæ alii. Ovidius in epist. Sapphus:

Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,

Prima

Et data sunt vitæ fila severa meæ. Statius 7. Theb. de Parcis *revolvere stamina*, Claudianus 1. Rap. de iisdem:

Longaque ferratis evolvunt secula pensis. Quin Κλωθὼ una Parcarum nomen inde sumsit. Cui Plutarchus de sorte lunæ attribuit verbum συνδεῖ ab stamine, quod colligit. Nonnus lib. 3. *μοιρειδὴς κλωστῆρος*, *fatalis fusi*. Plautus à Parcis etiam sermonem in Menæchm. *Quem ego hominem, siquidem vivo, vita devolvam sua.* Nam, ut vita convolutione, & glomeratione staminis producitur, & fit longior; ita, fit brevior, cum stamen jam convolutum devolvitur, ut præcidatur. Ita explicat Plautum Simon Blosius. Ad Parcas quoque allusit Paulinus epist. 36. *Fata simulantur vitas nere de calathis.* De illarum potestate, ita statim: *In gremio anus* (Plato) *pensum necessitatis exponit, & tres ei filias addit concinnantes & versantes fusum, & per fila ludentes. Hoc scilicet lanificio autumans eas conficere res hominum, & tempora cuique signata detexere.* Cerda.

Volvere Parcas.] De origine Parcarum, quod per antiphrasin sic appellatæ sint, rejicitur. alii malunt ea appellatione dignas esse, quia præparce nobis vitam tribuunt, alii à pariendo, elige, quam velis amplecti, sententiam apud Sanctium in Minerva l. 4. ubi de antiphrasi. p. 440. qui postremæ subscribit. quod parcant humanæ vitæ, usque dum dies, fato destinatus, venerit, omnium verissima videtur, quam tradit Scalig. l. 3. c. 89. *Emmeness.*

23. *Id metuens.*] Bis idem, Archaïsmos sane: de futuro enim timor est: Odium, de præteritis: Metuebat ergo Carthagini; Odium autem habebat propter causas sequentes. & est de utroque exemplum, *Conveniunt quibus aut odium crudele tyranni: Aut metus acer erat.* Servius.

Id metuens.] Ut firmet primam fuisse principalem causam, incipit dicere alias. Timet ergo, ne Trojani ab excidio liberati, vel vires adversus Græcos reparent: vel in Italia consistentes, Carthagini officiant. Artificiose deinde aliam causam addit, judicium Paridis: & unam injuriam facit duplicem, scilicet quod offensa sit in eo judicio, quod minori sit postposita, & quod sit spreta forma sua, quia in pomo scriptum erat: *Pulchriori detur.* Hoc maxime vexat mulieres. Hanc igitur partem facit Virgil. cum dicit: *Manet alta mente repostum judicium Paridis, spretæque injuria formæ*, ut non tantum irascatur quod victa est, quantum quod forma sua sit spreta. *Manet* ergo, ad omnia pertinet. *Repostum* autem, ad judicium Paridis. *Iudicium.* Scilicet corruptum, libidinis præmio. *Paridis*, ut convitium sit, non hominis nomen, scilicet abjecti, venalis, vulgaris & inhonesti. Falluntur autem, qui referunt, injuria formæ ad Antigonem: Unde addit, *Et genus invisum:* ut ad principalem causam gentis, æstus reduceret Ganymedis, qui turpiter amatus est à Iove Est autem fœdum hoc loco aliquid intelligere de Zodiaco, in quo Ganymedes dicitur collocatus, ne infames inter sancta sydera sint collocati, & sentiamus id, quod poëta non dixit. Ostendit omnes has causas esse alienas ab Ænea, atque ut posterius dictas ostenderet, incidentes aït. *Donatus.*

Veteris belli.] Quantum ad Virgilium pertinet, antiqui. si ad Iunonem referas, diu, per decennium gesti. Sane tunc ad personam referendum est, quum ipsa loquitur: quod si nulla persona sit, ad poëtam refertur. Nunc ergo *Veteris*, ex persona Poëtæ intelligendum est. sic ipse alibi, *Mirantur dona Æneæ, mirantur Iulum, Flagranteisque dei vultus.* Partem ad se retulit, partem ad Tyrios, qui deum esse nesciebant. *Servius.*

Veterisque.] *Veteris*, ex persona Poëtæ. Hen. Steph. ut & Servius Fuld.

Vetus

Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis.
Nec dum etiam caussæ irarum sævique dolores
Exci-

Vetus interpretantur longum: utpote decennale. At Nascimb. & Pomp. Sabinus hic primum bellum intelligunt, quod, duce Hercule, contra Trojanos gestum est. de quo Diod. Siculus, l. 5. *Taubm.*

Saturnia.] Antonomasia *est*, non epitheton: quæ fit, quotiens pro proprio nomine ponitur, quod potest esse cum proprio nomine, & epitheton dici. *Saturnia* autem nomen quasi ad crudelitatem aptum posuit. Virgilius enim ubicunque Iovi, vel Iunoni Saturni nomen adjungit, causas eis crudelitatis adnectit. ut, *Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.* alibi, *Et germana Iovis Saturnique altera proles, tantos volvis sub pectore fluctus.* Servius.

24. *Prima.*] Atqui Hercules prior contra Trojanos pugnavit: unde modo *Prima* princeps accipienda est. Nam plerunque Poëta significationem nominis dat participiis: vel è contra: ut, *Volventibus annis.* Significat enim volubilibus. hac licentia & in hoc nomine usus est, ut *Prima* pro principe poneret: *Prima*, Inter primos, alii pro olim; Alii *prima* simpliciter, postea enim alii dii interesse cœperunt. Alii *prima* non ordine, sed voluntate, aliter *primusque Machaon*, ibi in primis intelligitur. *Idem.*

Ad Trojam.] Ad & apud, accusativæ sunt præpositiones. Sed *apud* semper in loco significat, *ad* & in loco, & ad locum. In loco: ut, *Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est.* Et Cicero, *Decem fictos ad senatorem quendam relictos.* Item, *Ad Marcum Leccam te habitare velle dixisti.* Idem.

Caris Argis.] Illic enim eam coli omnibus notum est. Argos autem in numero singulari generis neutri est: ut Horatius, *Aptum dicet equis Argos ditesque Mycenas.* In plurali vero masculini, ut *hi Argi.* Cæterum derivatio nominis *Argivos* facit, non *Argos.* Idem.

Caris Argis.] Argos in pl. *Argi.* Noster l. 2. Æn. ℣s. 74.

Si patrios unquam remeassem victor ad
Argos.

Civitas est Peloponnesi, de qua Stephanus de urb. Ἄργος, ἀξιοσημοτάτη πόλις πελοποννήσου, ἣ τις φορωνικὸν ἄστυ ἐκέκλητο, καὶ Αἰγιάλεια, καὶ ἱππόβοτον, &c. (ab equis, de quibus dictum l. 3. Georg. ℣s. 121.) Heroum temporibus potens & opulenta fuit, teste Pausania l. 7. in Arcad. ἐς πλεῖστον ἀφικομένη δυνάμεως, &c. de situ & variis hujus urbis appellationibus Strabo lib. 8. Junoni præ cæteris cara. Quod ex Mela videre est. l. 2. c. 7. *in Argolide Argos & Mycenæ & templum Junonis vetustate & religione percelebre.* apposite Stat. l. 1. Theb. ℣s. 250.

Talia Juno refert, &c. ——
—— *Scis semper ut arces*
Cyclopum, magnique Phoroneos inclyta fama
Sceptra viris opibusque juvem.

& paulo post:

Facta luant Thebæ, cur hostes eligis
Argos.

Inde Homer. l. Δ. ℣s. 8. Ἥρη ἀργείη. *Juno Argiva.* & recte quidem; eodem enim libro ℣s. 52. numerat hanc urbem inter loca sibi perdilecta.

Ἤτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι
πόληες
Ἄργος τε, σπάρτη τε, καὶ εὐρυάγυια
μυκήνη.

Emmeness.

25. *Necdum etiam.*] Adverbium, Quasi antehac. *Serv.*

Causa.] Nunc de præteritis loquitur; Nonnulli tamen pro caussa & dolore dictum accipiunt. *Idem.*

Sævi dolores.] Quod sævire faciant. *Idem.*

Nec dum etiam caussæ irarum sævique
dolo-

Exciderant animo. manet alta mente repoſtum
Judi-

dolores exciderant animo.] Superfluum videtur veterum monumenta in teſtimonium afferre, conſueſſe priſcos *cauſſam* duplicato *ß* paſſim ſcriptitare, quum tot Romæ marmora ſpectemus, quæ dictionem eam per *ß* geminatum notatam oſtentent. Scriptionis vero hujuſmodi rationem hanc afferri ſolitam ait Terentius Scaurus, quod *cauſſa:* dicta ſit à *cavillationibus*, vel *à cavendo caviſſa.* deinde κατὰ συγκοπὴν *cauſſa* ita *s* literam geminandam putaverunt, ut appareret originatio. aliter tamen ipſe ſentit, qui dicat, *s* literam non ſolere geminari, niſi præcedente vocali correpta: quare *cauſam* unico *s* ſcribi mavult. Nos tamen libentius *s* in *cauſſa* geminamus: quia ſic Virgilii & Ciceronis manu ſcriptum aſſerit Quintilianus. Ubi vero *ſævique dolores* legitur in vulgatis codicibus, Vetera exemplaria quædam cum Longobardico *labores* habent: quos ſcilicet contra Trojanos antea ſuſceperat, toto eo decennali bello. Nam quod ſequitur, *manet alta in mente repoſtum Judicium Paridis*, & quæ ſequuntur, ad exaggerationem poſita ſunt. Sed neque illud diſſimulandum eſt, emendatiores codices *alta mente* abſque *in* præpoſitione legere. Quam quidem particulam Virgilius libenter præterire ſolet. Quod vero ad *dolores* pertinet, in veteribus pleriſque codicibus altera illa ſublata lectione *dolores* ſuperinductum eſt, non omnino male, ſi quæ ſequuntur inſpicias, quæ dolendi cauſſam darent. *Pier.*

Exciderant animo] Necdum in oblivionem datæ erant, juxta Non. Marcell. c 4. Cic. l. 5. ad Fam. Epiſt. 13. *quæ cogitatio, cum mihi omnino non excidiſſet (etenim penitus inſederat) &c.* Emmeneſſ.

26. *Alta mente.*] Secreta, recondita. *Servius.*

Repoſtum.] Syncopa eſt. unam enim de medio ſyllabam tulit. Sed cum omnes ſermones aut integri ſint, aut pathos habeant: hi, qui pathos habent, ita ut lecti ſunt debent poni, quod etiam Maro facit: nam *Repoſtus & porgite* de Ennio tranſtulit, integris autem & ipſis utimur, & eorum exemplo aliis. *Idem.*

Manet alta mente repoſtum.] Eſt hoc quod Poëta,

— *æternum ſervans ſub pectore vulnus.*

Salluſtius flexu iſto: *Quod verbum in pectus Jugurthæ altius, quam quiſquam ratus erat, deſcendit.* Fabius declamat. 305. *odia altiſſime ſedent.* Tacitus l. 16. *offenſio altius penetrabat.* & 1. Annal. *iras retinebant.* Livius lib. 45. *ingentes jam diu iras in pectore volvere.* Seneca quoque lib. 1. de Benef. cap. 1. ait, comparatum eſſe natura *ut altius injuriæ, quam merita deſcendant, & illa cito defluant, has tenax memoria cuſtodiat.* Idem lib. 1. de ira, cap. 4. recenſens irarum differentias, extremo loco ponit illas, quæ *altæ, graveſque ſunt, & introrſus verſæ*, indicans has eſſe majores, & difficiliores. Præclare admodum Plautus Pœnul. *Si quid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt.* Hujuſcemodi ira videtur referenda ad illam, quam Græci dicunt κότον. Nam Scholiaſtes Ariſtophanis in Ranis, diſcriminans iras, περὶ τοῦ κότου, ait, ὀργὴ ἐπιτηροῦσα, *ira repoſita.* Hoc Poëta indicans ait *manet.* Poſſis cum Philoſtrato ita referre, βεβυθισμένον τῆς ὀργῆς, *iram profundam & ſubmerſam.* De judicio Paridis, quid contra Macrobium ſcribat Jul. Scal. lib 5. Poët. cap. 3. in promptu eſt. Auctoribus, quos de hoc judicio alii advocant, adjunge Dionem Chryſoſt. orat. 20. Philoſtratum Juniorem in Iconibus. *Cerda.*

Manet.] Id eſt, inhæret, infixum eſt, ut Non. Marcellus cap. 4. *Emmeneſſ.*

Judicium Paridis, ſpretæque injuria formæ;
Et genus inviſum, & rapti Ganymedis honores.

His

27. *Judicium Paridis.*] Nota fabula eſt, de malo aureo, Paridem pro Venere contra Junonem Minervamque judicaſſe de forma: & bene *judicium Paridis*, non favor, ne revera videatur offenſa. Sic enim agit Poëta, ut & Juno cauſas iraſcendi habeat, & tamen in Ænea nulla ſit culpa. *Servius.*

Judicium Paridis.] Quia Macrob. lib. 5. negavit uſquam ab Homero de Paridis judicio factam mentionem, adſcribamus ex Il. ultimo vel è tabulis teſtimonium: ἔνθ' ἄλλοις μὲν ἑήνδανεν, οὐδέ ποθ' ἥρῃ, οὐδὲ ποσειδάων' οὐδὲ γλαυκώπιδι κούρῃ, ἀλλ' ἔχον ὡς σφὶν πρῶτον ἀπήχθετο ἴλιος ἱρὴ, καὶ πρίαμος, καὶ λαὸς, ἀλεξάνδρου ἕνεκ' ἄτης, ὃς νείκεσσε θεὰς, ὅτε οἱ μέσαυλον ἵκοντο, τὴν δ' ᾔνησ' ἥ οἱ πόρε μαχλοσύνην ἀλεγεινήν. De quo judicio ſunt etiam adjiciendi Eurip. in Troad. verſus elegantes: ἔκρινε τρισσὸν ζεῦγος ὅδε τρισσῶν θεῶν, καὶ παλλάδος μὲν ἦν ἀλεξάνδρῳ δόσις, φρυξὶ στρατηγοῦνθ' ἑλλάδ' ἐξανιστάναι. ἥρα δ' ὑπέσχετ' ἀσίας εὐρώπης θ' ὅρους τυραννίδ' ἕξειν, εἴ σφε κρίνειεν πάρις, κύπρις δὲ τοὐμὸν εἶδος ἐκπαγλουμένη, δώσειν ὑπέσχετ' εἰ θεὰς ὑπεκδράμοι κάλλει. Meminit & hujus judicii Eurip. ſub princip. Helen.
—ἦλθον τρεῖς θεαὶ κάλλους πέρι ἰδαῖον εἰς κευθμῶν' ἀλέξανδρον πάρα, &c. Judicii hujus diſceptationem non indocte exequitur Tryphiodorus. *Germ.*

Spretæque injuria formæ.] Epexegeſis eſt. Hoc enim fuit judicium Paridis: *Ut quæ* particula vacet, ut alibi: *Dixitque, & prælia voce diremit.* Licet nonnulli ſeparent, dicentes aliud eſſe. Nunquam enim conjunctio ponitur, niſi inter duas res. *Et ſpretæ formæ* referunt ad Antigonam Laomedontis filiam, quam à Iunone propter formæ arrogantiam in ciconiam conſtat eſſe converſam. *Servius.*

Judicium Paridis ſpretæque injuriæ formæ.] Paris arbiter conſtitutus juſſu Jovis, inter Junonem, Minervam & Venerem, de Forma contendentes, pomum aureum Veneri adjudicavit. Vide Ovid. 5. Heroïd. ℣ſ. 34. & epiſt. 16. ℣ſ. 68.

Arbiter es formæ: certamina ſiſte Dearum;
Vincere quæ forma digna ſit una duas
Neve recuſarem, verbis Jovis imperat, &c.

& paulo poſt de Venere, ipſius judicio palmam ferente,

Dixit: & ex æquo donis formaque probata
Victorem cœlo rettulit illa pedem.

Ipſam fab. habet Hyginus fab. 92. quæ inſcribitur: *judicium Paridis.* Emmeneſſius.

28. *Et genus inviſum.*] Propter Dardanum Electræ pellicis filium, à quo origo Trojana eſt. *Servius.*

Rapti.] Stuprati, corrupti, ut eſt, *Rapta Garamantyde Nympha. Et raptas ſine more Sabinas.* Vel Rapta raptoris mortem vel nuptias optet, vel certe quod ad cælum raptus ſit à Jove per aquilam. Ut *Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis.* Idem.

Ganymedis honores.] Trois, regis Trojanorum filii. *Idem.*

Honores.] Dixit, vel propter miniſterium poculorum, ad quod receptus eſt, remota Hebe, filia Junonis, quæ Iovi bibere miniſtrabat. vel ob hoc, quod inter ſidera collocatus, aquarii nomen accepit. Ergo iraſcitur Juno, quod non ob hoc tantum raptus ſit, ut divinos honores conſequeretur, ut pocula miniſtraret, ſed quod violatus ſit ut divinos honores conſequeretur, aut honores propter formam, ut, *Et lætos oculis afflarat honores.* Sane hic Ganymedes Latine Catamitus dicitur: Licet Theo-

His accensa super, jactatos æquore toto
Troas, relliquias Danaûm atque inmitis Achilli,

Arce-

Theodatus, qui Iliacas res perscripsit, hunc fuisse Belim dicat & Laomedonti prædixisse, tum perituram & civitatem & regnum Trojanorum, cum de monte Meotio sponte fuisset saxum delapsum, quod cum evenisset postea Ilium est direptum. *Idem.*

Et rapti Ganymedis honores.] Quod in codicibus aliquot antiquis duo illa verba *rapti Ganymedis* per lineolas alio atque alio loco ductas distingui videtur, nempe in aliquot ante, & post dictionem *Ganymedis* hoc pacto, *Rapti Ganymedis / honores*. In aliquot inter particulam copulativam & participium *Rapti*, hoc modo, *& / rapti Ganymedis / honores.* in memoriam suggerit varias itidem hujus hemistichii sententias apud Interpretes esse. Nonius enim Marcellus, *honores*, pro integritate & pudicitia vult hoc loco intelligi: quare, *rapti honores*, legere videtur, hoc est, rapta pudicitia. *honores* alii pro dignatione, qua fuerit Ganymedes honestatus, exponunt: quippe quod Mythologi eum dicunt in zodiaco sedem sortitum esse, quod quidem dictu fœdum ait Donatus. Servius, qui Honores, Ganymedi habitos, interpretatur, *rapti*, hoc est stuprati exponit. Ut, *Rapta Garamantide Nympha.* Cui Ovidii etiam subscribit parodia VI. Fastorum,

Caussa duplex iræ, rapto Ganymede, dolebam,
Forma quoque Idæ judice victa mea est.

Sed hæc alii viderint. *Pier.*

Rapti Ganymedis honores.] Ganymedes non Troïs, sed Erichthonii fuit filius, quem Jovis amavit, ut Hyginus Fab. 271. & Poët. Astron. 2. 16. & 29. cujuscunque fuerit, Phrygius fuit. inde Ovid. lib. 10. Metamorp. ℣ſ. 155.

— Phrygii quondam Ganymedis amore.

Stat. Thebaid. l. 1.

Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alis.

Postquam, assumpta aquilæ figura, rapuerat, ὁ ζεὺς ἥρπασε, ut Long. Pastoral. l. 4. quo loco, qui ἁρπαγία, non convenit inter Strabonem & Athenæum. uterque videndus l. 13. Extat de hoc formoso puero Dialogus Luciani. qui, remota Hebe, quæ ante ad cyathos steterat, Jovi aliisque diis fuit à poculis. Quod liquidum ex Ovid. dicto loco:

Abripit Iliadem, qui nunc quoque pocula miscet,
Invitaque Jovi nectar Junone ministrat.

idem Juvenalis docet Sat. 13. ℣ſ. 44. *Emmeness.*

29. *His accensa super.*] Super his, aut super metum, quem de Carthagine habuit, his quoque accensa. *Servius.*

His accensa super.] Id est, super illam, quæ fuit ob excidium Carthaginis. *Donatus.*

Jactatos æquore.] Hæc omnia ad exprimendam Junonis iniquitatem pertinent, ut ostendat, excidium Carthaginis solam causam fuisse, ne ipsa misereretur, nec desereret intentionem suam: quæ cognoscens, non posse expugnare fata, cupiebat saltem illos arcere, quos ad plenum superare non poterat. Non miserebatur igitur, ut jactatos toto æquore, & eos qui ex infinito numero ad paucos redacti essent, quos è manibus sævissimorum hostium fortuna servaverat, insidiis assiduis obtereret. *Idem.*

30. *Troas.*] Bona œconomia ostendit totum genus Trojanorum invisum fuisse Junoni, quia illaturus est, Minervam ob unius hominis delictum, etiam

etiam eos quos amaverat perdidisse. *Servius.*

Relliquias.] Ut stet versus geminavit L. Nam in prosa *reliquis* dicimus. Reliquias autem Danaum dupliciter, & à Trojanis, & à Græcis dici possunt, ut, *Et nostro sequitur de vulnere sanguis.* Idem.

Relliquias Danaûm.] Magna crudelitas, quæ mullis cladibus satiari poterat. Laus autem Æneæ magna, quod de solis reliquiis Trojanorum, imperium Romanum condere potuerit. Ergo, ni fata obstitissent, patriam integris opibus defendisset, cum in aliena terra imperium condiderit. *Donatus.*

Atque inmitis Achilli.]Bene secundum Homerum segregavit ducem à populo. sic Æneas in secundo post omnium casum, Priami separavit interitum. ut, *Forsitan & Priami fuerint quæ fata requiras.* Inmitem autem dixit etiam circa extinctum Hectorem crudelem. Aut ideo intulit Achillem præcipue, quod Æneas cum Achille congressus sit, & ut in 5. ait Neptuni beneficio liberatus. Sane Achilli, propter ὁμοιοτέλευτον detraxit litteram, quæ plerunque pro sibilo habetur; non solum necessitatis, sed etiam euphoniæ caussa. Nam alibi ipse ait, *Nec equis aspirat Achillis:* ut Salustius, *A principio urbis, ad bellum Persi Macedonicum.* detrahitur autem *s*, tertiæ declinationis genitivo. Sane apud Sygeum Achillis statua fuisse dicitur, quæ in ima, id est, extima auris parte elenchum more fæmineo habuerit. Hic apud Cretam insulam Pemptus vocatus est, ut veteres auctores tradunt. *Servius.*

Achilli.] Sunt qui ex Poëtarum veterum exemplis *reliquias* unico *L* recte scribi contendant, ut in bona codicum antiquorum parte notatum invenitur. Ajunt enim *re* particulam pro communi habitam à veteribus. Hinc apud Ovid. *Quod in ipsum recidat orbam,* quam tamen Valerius Probus semper brevem dicit ubicunque loquelaris sit: ideoque juniores *ll* geminari censuere. Quam quidem quæstionem ita Comminianus absolvit: ut in nomine *relliquias* barbarismum esse dicat adjectione litteræ, perinde ac *Italiam fato* temporis adjectione. Nam *Italiam* Probus quoque primam correptam habere contendit, & vitium in eo nomine spatio factum, ait Quintilianus. Quare in altero consonantem geminare, necesse est, alterum vi quodammodo sua crassescit, nulla parenthesi. Ut vero prætercam, quod minime placet *atque,* ex hoc versu sublatum aliquot in codicibus, ut sine copula legatur *relliquias Danaûm inmitis Achilli,* prout apud Catullum, *Juppiter ut Calibum omne genus pereat.* & apud Tibullum, *Cimmerium etiam obscuras accessit ad oras,* quo nonnulli offensi, *Cimmerium obscuras etiam concessit ad oras*, legendum censuere: alterum vero locum Græce scribendum curavere. Hoc tamen loco, siquis eam conjunctionem, quæ est *atque* demat, venustatem carminis demere videatur. Est & illud varie tam in veteribus quam in recentioribus exemplaribus positum *inmitis Achilli.* Nam *Achillei*, in Oblongo habetur codice, quo declinatu usus est Horatius, *Matronisque Phrygum classis Achillei:* atque alibi, *Heu pervicacis ad pedes Achillei*, sicut etiam *Ulyssei.* Idem, *Laboriosa nec cohors Ulyssei:* quæ quidem forma Græcanica est, & nominativum habet in *eus*, Achilleus, Odysseus, Orpheus. Ut in veterum monumentis *M. Valerius Achilleus lector.* Inde autem putent *Achilli* factum κατὰ συναίρεσιν. Servius detractam *s* litteram ad ὁμοιοτέλευτον evitandum putat. pluraque demum exemplaria ita scriptum ostendunt. Quidam dativum pro genitivo positum ajunt, more veterum. Nomina quædam agnoscit Probus in arte, quæ in genitivo casu num. sing. in uno vocabulo suo duabus his formis finiantur *i*, & *is*, ut puta hujus *Achilli*, & hujus *Achillis.* Carisius inveniri ait apud veteres ex nominibus in *es* rectum efferentibus, quæ sine ratione genitivum faciant per *I*, ut apud Sallust. in prima historia: *Bellum Persi Macedo-*

Arcebat longe Latio: multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Vix

Macedonicum. Item apud Virg. *Inmitis Achilli*, & alio loco, *Fallacis Ulyßi.* Priscianus veteres ait frequentissime dativum pro genitivo protulisse *Aristoteli*, *Demostheni*, *Thucydidi*, *Euripidi* pro Aristotelis, Demosthenis, Thucydidis, Euripidis, desumitque sibi ex Virgilio exempla. Nunc *acris Oronti*, & *Inmitis Achilli*, & *Miles Ulyßi.* Item ex Terentiano *Arconidi* filiam, pro *Arconidis.* Ex Cic. in II. Verr. *in Timarchidi potestate.* qui eadem voce usus est etiam in dativo, *Neque in præsentia Timarchidi, quid responderet, habuit:* ne aliam quis esse declinationem putet. & *Achilli* absque *s* sciant omnes præter usum non esse. *Pier.*

Achilli.] De genitivo, in *i* terminato, in declinatione tertia, omnia, quæ dici possunt, Dausquius in Orthograph. ex veteribus Grammaticis congessit. Quem vide pag. 95. noster hoc lib. ✝ſ. 224.

—— *nunc acris Oronti.*

l. 3. ✝ſ. 87.

—— *relliquias Danaûm atque inmitis Achilli.*

& l. 6. ✝ſ. 839.

—— *genus armipotentis Achilli.*

Charisius sine ratione hoc pacto finiri hunc casum stomachatur l. I. p. 52. probat Sanctius in Min. p. 288. apud quem *homo bonæ frugi.* Emmeness.

31. *Arcebat.*] Prohibebat. aliquando significat, & continet. Ennius, *Qui fulmine claro Omnia per sonitus arcet.* id est, continet. *Servius.*

32. *Acti fatis.*] Si fatis, nulla Junonis invidia est, si odio Junonis, quomodo *acti fatis*? Sed hoc ipsum Junonis odium fatale est. laborat enim Virgilius, nil Trojanorum meritis, sed omnia fatis ascribere. Est & alter sensus: nam *fatum* voluntatem legimus. ut, *fatis Junonis iniquæ*, id est, voluntate. ut hic intelligamus agebantur fatis Junonis id est, voluntate. Vel *fatis* pro malis; ut, *Nate Iliacis exercite fatis.* Idem.

Acti fatis.] Id est, ipsi qui fatis agebantur, in Italia errabant Junonis inimicitiis. *Donatus.*

Maria omnia circum.] In fine accentum ponimus contra morem Latinum: sed corruptio hoc facit. namque præpositio postposita, corrupta est sine dubio. *Servius.*

Maria omnia circum.] Similis anastrophe nostro familiaris. l. 2. Georg. ✝ſ. 382.

—— *pagos & compita circum.*

l. 3. Georg. ✝ſ. 537.

Non lupus insidias explorat ovilia circum.

l. 4. ✝ſ. *Hæc circum.* ✝ſ. 188. *Mussantque oras & lumina circum.* ✝ſ. 430. *eum circum.* & ✝ſ. 678. *quos circum.* Emmeness.

33. *Molis.*] Difficultatis. In sequentibus proprie, *Miratur molem Æneas magalia quondam.* Servius.

Tantæ molis.] Non fiunt sine magno labore magna. Laudatur autem Æneas, qui nullo labore, nulla diuturnitate erroris, desistebat ab incepto. *Donatus.*

Tantæ molis.] Hac voce solent fieri acclamationes. Lucretius,

Tantum religio potuit suadere malorum.

Ennius in Thyeste in summa quoque acclamatione:

Tanta vis sceleris in corpore hæret.

Ita etiam acclamat Plinius lib. 2. c. 17. & Cicero epist. 8. lib. 2. Homerus sæpe acclamat cum his, ὡς, οὕτως. Oppianus interdum cum ὧδε. exemplum habes lib. I. Κυνηγετ. Effecit autem Roma sua magnitudine, ut *molis* nomine explicaretur ab auctoribus, Calpurnius lib. I. Ecl.

Roma

Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant,

Cum

Romanæ pondera molis.
Cerda.

Tanta molis erat, &c.] Epiphonema constans ecphonesi, in difficultatem condendi primordia populi Romani. Vide etiam Cæl. Rhodig. l. 23. c. 7. Jam Scalig. l. 3, 26. notat ejusmodi Epiphonemata, aut Prosphonemata, maximam præ se ferre efficaciam. *Taubmannus.*

Romanam condere gentem.] Latenter ostendit hinc odium Iunonis Æneam pertulisse, quod Romanæ gentis auctor existebat. *Servius.*

34. *Vix.*] Hoc loco *mox* & *statim* significat. *Idem.*

E conspectu.] Ut adhuc de Sicilia possint videri. & ut Homerus omisit initia belli Trojani, sic hic non ab initio cæpit erroris. *Idem.*

Vix è conspectu.] A septimo anno incipit narrationem: ut priora reservet ad convivium Didonis. *Donatus.*

Vix è conspectu, &c.] Narratio, quam ducit à catastrophe errorum Æneæ: idque exemplo Homeri, qui eam legem primus Poëtis tulit: quamque Aristoteles in Poëtic. tenendam censuit. Atque hanc Oeconomiam luculenter commendat etiam Horat. in Arte:

Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo:
Semper ad eventum festinat, &c.

Macrob. l. 5. c. 2. Observetur, inquit, cum primo versu promisisset producturum sese de Trojæ littoribus Æneam,

— *Trojæ qui primus ab oris Italiam, &c.*

Ubi ad januam narrandi venit, Æneæ classem non de Trojâ, sed de Siciliâ producit: *Vix è conspectu, &c.* Quod totum Homericis filis texuit. Ipse enim vitans in Poëmate historicorum similitudinem, quibus lex est, incipere ab initio rerum, & continuam narrationem ad finem usque perducere: ipse, Poëticâ disciplinâ, à rerum medio cepit, & ad initium post reversus est. A Siciliâ in Libyam delatus, in convivio Didonis narrat ipse Æneas usque ad Siciliam de Trojâ navigationem suam: & addidit uno versu, quod jam copiose Poëta descripserat, 3. Æn. sub finem:

Hinc me digressum vestris Deus appulit oris, &c.

Vide ibidem plura. Inprimis Scalig. Poëtic. l. 3. c. 95. ut & Jov. Pontani Actium, ubi de numerorum gravitate, & versuum horum magnifico apparatu ingeniose disputatur. Porrò τὸ *vix* interpretatur Servius *mox*. Donatus, *vix læti*, conjungit: quod & dolerent Anchisæ mortem, & gauderent prope abesse Italiam. Servius ait, eos lætari: ut sit Junoni caussa majoris iracundiæ. Sic enim 7. Æn. irascitur, ubi *lætum Æneam Siculo prospexit ab usque Pachyno.* Denique notat Scalig. l. 4. c. 47. monosyllabum *vix* admodum firmum esse in oratione. *Taubm.*

35. *Læti.*] Vel alacres, vel veloces. ut, *Et lætus Eois Eurus equis*, vel festinantes; ut, *Et virgea lætus Pabula*, & alibi, *Et armari pubem portisque moveri Lætus in arma jube*, id est, festina cum intentione. Vel re vera læti: quamquam incogruum sit, post Anchisæ mortem. sed & interitus senum minus doletur, & magis lætos intelligendum est, ut sit causa majoris iracundiæ. sic enim & in septimo irascitur; ubi *lætum Æneam Siculo prospexit ab usque Pachyno.* vel Læti, πρόθυμοι. ut *Omnisque juventus Læta f.* Servius.

Vela dabant læti.] Utrunque temperat. Nam læti erant, quod essent propinqui Italiæ: Sed morte Anchisæ contristati vix erant læti. *Donatus.*

Salis.] Maris, secundum Homerum. Salem autem quo utimur, singulari numero tantum dicimus: quum jocos significamus, pluralem numerum tantum

Cum Juno, æternum servans sub pectore volnus,
Hæc secum: Mene incepto desistere victam,

Nec

tum ponimus, ut Lucanus: *Non soliti lusere sales.* Aliquando urbanitatem singulari numero tantum dicimus: ut Terentius, *Qui habet salem, quod in te est*, id est, quæ res in te est. Masculini enim generis est, non neutri: & neutra triptota sunt, nec ab hoc accusativo nominativus esse potest *hoc sale.* Servius.

Ære.] Intelligit naves illas, quæ æreo rostro in prora armantur, quas idem vates *æratas* vocat lib. 10. *Quot prius æratæ steterant ad littora puppes.* & Livius *rostratas* lib. 4. cum ait *quæ aut apertæ rostratæ, aut sine rostris erant speculatoriæ.* Ita multi Poëtam capiunt. Nunc mihi ante oculos Turnebus l. 12. cap. 12. & lib. 26. cap. 23. & Parrhasius in Claudianum, & Philander in Vitruv. lib. 10. cap. 21. Addit postremus sic capiendam *trabem Cypriam* Horatii, nam Tamasum, Cypri oppidum, habuit metalla æris plurima, ut constat ex Strabone lib. 14. Sed certè Horatius non eget hac explicatione: nam ipse tantum loquitur de nave oneraria, & quæ servit mercaturæ, non bello. Redeo. Naves istæ *rostratæ* aut *æratæ*, dicuntur Græcis, χαλκήρεις, & χαλκέμβολοι, nisi mavis *rostrum*, ipsum *æreum* dici χαλκέμβολον. Vide Lilium de Navigiis cap. 11. Aristides in Rhodiaca, ἐμβόλους χαλκοςόμους, vocat *ærata rostra.* Cerda.

Spumas salis ære ruebant.] Id est, spumans mare æratis navium rostris secabant. Turneb. l. 11. c. 12. & l. 26, 23. & J. Parrhasius. Iam G. Fabricius in hoc hemistichio duodecim numerat figuras. In genere, inquit, est περίφρασις, pro, navigabant. item ἐνέργεια, quia evidenter rem nauticam exprimit. In specie posuit, *spumas salis*, Pro, mari spumante, κατὰ ταπείνωσιν, ἀντιμέρειαν, συνωνυμίαν. *Ære*, pro, æratis rostris, κατὰ μετωνυμίαν, quia materia ponitur pro re confecta. κατ' ἐναλλαγὴν numeri, quia singularis pro plurali. κατὰ συνεκδοχὴν, quia rostrum pro navi, pars pro toto. κατ' ἔλλειψιν, quia rostrum non nominatur, sed intelligitur. κατ' ἐναλλαγὴν qualitatis, quia substantivus pro adjectivo ponitur, *æs* pro instrumento æreo. *ruebant* κατ' ἐναλλαγὴν generis, neutrum pro activo: item κατ' ἐναλλαγὴν figuræ, quia simplex pro composito, *ruebant*, pro *eruebant*, vel *perruebant.* Taubmannus.

36. *Sub pectore.*] Pro *in pectore.* Servius.

Cum Juno æternum servans.] Advertens Juno Trojanos de proximitate Italiæ laborare, recrudescebat vulnus. Et exclusa ab inventione nocendi, & à loco & tempore, sic suos dolores intimis sensibus enumerat: *Mene.* componit summa arte, quales habere debuerit cogitationes, carens inventione ad nocendum: & inducto qualitatis statu per exempla aliena inventa consilia enumerat. Et comparat personam suam cum persona Minervæ, & Trojanorum, & Græcorum, & inimicitiarum causas. *Donatus.*

Æternum sub pectore vulnus.] Ὑποκάρδιον ἕλκος Theocr. & Lucret. lib. 1. *æterno devinctus vulnere amoris.* Germanus.

37. *Hæc secum.*] Subaudimus locuta est, deest enim hoc. Et hoc fictum est, ut superius diximus. unde enim hoc sciret Poëta? Bene autem impatientiam doloris ostendit, detrahendo ei solatia. Quia vehementer affectus est sine conscio, ut, *Et casum insontis mecum indignabar amici. Et crudelia secum fata Lyci.* Et in quarto solam inducit Didonem, *En quid ago?* è contrario *Qui cum partiri curas.* Servius.

Hæc secum.] Πρὸς ὃν μυθήσατο θυμὸν Od. ε. Suprà, *tacitus mecum ipse voluto:*

Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?

Quippe

voluto: Bucol. Sic autem Hom. eod. Od. lib. Neptunum inducit ab Æthiopia redeuntem naviganti Ulyssi tempestatem immittere. Et Eurip. αὐτὴ πρὸς αὑτήν. *Germ.*

Hæc secum.] Est hoc, quod Ennius dixit 4. Annal.

Tum cum corde suo Divûm pater atque hominum Rex
Effatur.

Quod Terentius And. *Egomet continuò mecum.* & 2. Æn.

Et casum insontis mecum indignabar amici.

Quod Apulejus lib. 4. in magnis iris Veneris: *impatiens indignationis, capite quassanti, fremens altius, sic secum disserit.* Græci, παρ' ἑαυτῷ νοεῖν, παρ' ἑαυτῷ λογίζεσθαι, ex observatione H. Stephani. *Cerda.*

Mene.] *Ne*, non vacat: significat autem *ergo*, & est conjunctio rationalis. *Servius.*

Mene.]Emphasim habet pronomen, & magnum dicendi pondus, quod infra aperuit, cum dicit: *Ast ego quæ divûm incedo regina, Jovisque Et soror & conjunx.* Donatus.

Incepto desistere.] Tolerabilius enim non inchoare, quam incepta deserere. Ut Terentius; *Verum si incipias, neque pertendas naviter.* Et *mene* sic habet Emphasim, ut, *Ast ego quæ divûm incedo regina.* Servius.

Victam.] Ut in VII. *vincor ab Ænea.* Et victam se pronuntiat, velut victam; alii iratam tradunt. *Idem.*

Incepto desistere victam.] Incepta sunt animorum destinatione. Saluft. *Nam talia incepta non consultorem vertissent rerum pestem factura.* Dolet igitur intentionem suam sine effectu defecisse, nec superesse nocendi consilium, vel tempus. Et quia bonorum est, incepta deserere, si aut prece flectantur, ut sponte ignoscant; ostendit utranque occasionem perdidisse, & incidisse in ludibrium; ut scilicet superata discederet. *Donatus.*

Mene incepto desistere victam.] Iratis propria oratio abrupta. Adde *æquum*, vel *dignum est*. Plura Sanctius in Minerva p. 354. ubi agit de Aposiopesi. Tale est illud Horatii l. 2. Sat. 4.

Ten' lapides varios lutulenta radere palmâ.

Ubi Lambinum consule. de hac Junonis indignantis & stomachantis locutione Turneb. l. 5. c. 27. Recte *victam*, propter irritos conatus, ex voto minus succedentes: *victor* enim dicitur, qui, quod intendit, consequitur, juxta Servium l. 3. Georg. ✡ 59. *Emmeness.*

38. *Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?*] Et detraxit more suo præpositionem provinciæ. Non enim dixit, *de Italia*, sed *Italia*. Servius.

Italia.] Id est, ab Italia. Sic alibi, *bellum ingens gerat Italia:* ergo si non poterat perdere, saltem disjungere ab Italia: & si omnes non perirent, saltem id obtineret juxta unum Æneam, cujus stirpi deberi sciebat imperium Rom. *Donatus.*

Teucrorum.] Quia Teucer & Scamandrus Creta profecti Trojam *venerunt*, qui à Dardano hospitio accepti de advenis cives facti, quia Batiam Teucri filiam Dardanus sibi junxit, & populares suos socero cognomines fecit. *Serv.*

Avertere.]Id est, perpetuum regem, hoc est, nihil amisit, rex est, & mire Æneam noluit nominare. Honorantur enim minores à majoribus, si suo nomine fuerunt nominati. ut, *Æole namque tibi.* contra contumelia est, si majores à minoribus suo nomine nominentur; ut, *Junonis gravis ira.* Et, *Pacem te poscimus omnes Turne*, non enim dixit Trojanos, sed unum hominem Trojanum. *Idem.*

Avertere regem.] Id est, si perdere non potui, debui superare Teucrorum regem. *Donatus.*

Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam & furias Ajacis Oïlei?

Ipsa,

39. *Quippe vetor fatis.*] Revera inquit fata me prohibent. ergo Juno ignorat vim fatorum. Sed hoc non possumus dicere, quia superius lectum est, *Si qua fata sinant.* Et, *Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci Audierat.* Hoc ergo est, omnes res hominum aut ex nostra voluntate descendunt, ut puta sedere, surgere: aut ex fati necessitate, ut puta nasci, mori: aut ex deorum voluntate, ut puta navigare, vel honoribus frui. Nunc de navigatione agitur: & bene invidiose, quasi etiam hujus rei potestatem ei possint fata detrahere. Est & alter latens sensus, ut speret se regina contra exulum fata posse aliquid, si Minerva numen inferius valuit contra fata victorum. *Serv.*

Quippe vetor fatis.] Ergo magis debuit vetari Minerva, fatis Græcorum. *D.*

Pallasne.] Minerva ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, id est, ab hastæ concussione: vel quod Pallantem Giganta occiderit. Sane oportune hic Ajacis naufragium ad exemplum adfert. *Mars perdere gentem Immanem Lapithum valuit.* *Ne* autem Conjunctio expletiva videtur an aliter? *Servius.*

Pallasne.] Quæ non esset tanti meriti, aut potestatis. *Donatus.*

Exurere.] *Exuri* dicitur, de quo nihil superest, ut, *quid memorem exustas Erycino in litore classes.* Servius.

Classem.] Ad invidiam posuit, ut pro una navi classem dicat. sic Venus, *Navibus infandum amissis:* quum Orontes solus periisset. aut re vera unam navem significat, ut Horat. *Me vel extremos Numidarum in agros classe releget.* Classis enim dicta est ἀπὸ τῶν κάλων, id est, à lignis. unde & calones dicuntur milites, qui ligna deportant, & καλοπόδια. *Idem.*

Exurere classem.] Comparatio pœnarum. Minerva potuit naves Græcorum, & ipsos exurere; ego unum ab Italia arcere non potui. *Donatus.*

Exurere.] *Urere* est aliquid lædere incendio: *exurere* est penitus abolere incendio. Confirmat autem Poëta soli Æneæ deberi imperium, cum de ipso solo laboret Juno. *Idem.*

40. *Argivûm.*] Quasi & illud contra fata. Et *Argivûm* pro *Argivorum*, videtur accusativi singularis species pro genitivo plurali. Et bene *Argivûm*, quos ipsa Juno amat, ut supra, *Pro charis gesserat Argis.* Servius.

Potuit.] Ad illud refertur, quod superius dixit, *Nec posse Italia Teucr.* Et invidiose potentiam Minervæ exaggerat, quæ uno tempore potuit & exurere & submergere. *Idem.*

41. *Unius ob noxam.*] In istis sermonibus *unius*, *illius*, *ipsius*, media syllaba naturaliter producitur: sed, cum opus est, corripitur hac excusatione. nam quotiens vocalem longam vocalis sequitur, priori vires detrahit, ut est, *Insulæ Ionio in magno.* Et, *Sub Ilio alto.* Et ob hoc mutat accentum. in Latino enim sermone cum penultima corripitur, antepenultima habet accentum, ut hoc loco, *Unius ob noxam.* Et contra, *Navibus infandum amissis unius ob iram Prodimur.* Idem.

Ob noxam.] Pro *noxiam.* Et hoc interest inter *noxam* & *noxiam*; quod *noxia* culpa est, id est, peccatum: *Noxa* autem pœna. Quidam *noxa* quæ nocuit, *noxia* id, quod nocitum accipiunt. Sane latenter tangit Historiam. dicitur Minerva tantum ob vitiatam Cassandram in templo suo, solius Ajacis pœna non fuisse contenta, ut postea per oraculum de ejus regno quotannis unam nobilem puellam jusserit Ilium sibi ad sacrificium mitti; & quod est *amplius*, de ea tribu, de qua Ajax fuerat; sicut *Annens Placidus* refert. *Idem.*

Ob

Ipsa, Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem,

Dis-

Ob noxam.] *Noxa* pro damno, culpa vel pœna, agnoscit Valla, sed *noxia* nusquam inveniri asserit lib. 6. cap. 36. utramque vocem probat Sanctius in Minerv. p. 294. l. 4. sed *noxia* esse ad jectivum, in quo subauditur *culpa*. Donati ad Terent. Phorm. 1. 4. 18 sententiam amplectuntur non pauci, dicentis, per epenthesin *noxam* pro *noxia* usurpari, nunc culpam, alias pœnam significare, quamquam si Festum sequamur *noxa* pœna, vel τιμώρια, *noxia* ἁμαρτία culpa est. Sic Ter. Hec. 3. 1. 30. pro *levibus noxiis*, id est, injuriis. H. 2. 3. 57. *extra noxiam.* & E. 5. 2. 13. *unam hanc noxam omitte*, *&c.* pro hujus mihi delicti gratiam feceris. Jurisconsultorum est locutio, *noxæ dedere*, *in* vel *ad noxam dare*, ut l. 1. si quadrupes, &c. de quâ Jac. Nic. Loens. l. 6. c. 11. etiam Quintil. Decl. 9. ubi recte ὁ πάνυ Gronovius *dedita* non *debita* legendum docet: non raro tamen confunduntur hæc duo, sed de his plus quam satis. secunda in *unius* anceps, ut apud Stat. l. 3. Thebaid. *unius haud pudeat*, *&c.* Emmeness.

Et furias.] Amorem. ut in Bucolicis, *Seu quicunque furor.* Alii sic accipiunt, quod illum in furore deliquisse dicat, Trojanos scientes. *Servius.*

Furias.] In Oblongo codice sanè quàm vetusto *furiis* legitur, casu septimo, quod non æque placet: utrunque enim cadit sub præpositivam particulam *ob*. Pier.

Oilei.] *Oilei* non vacat. Nam & duo Ajaces fuerunt, & ambo perierunt. Sed ira armorum Telamonius, hic amore; quo Cassandram in templo Minervæ, capto Ilio, stupravit. Et est Græca figura si dicamus *Æneas Anchisæ*, & subaudiamus *filius*. Hac autem figura utimur circa patres, & maritos tantum. ut Virgilius, *Deiphobe Glauci*, id est, filia. *Hectoris Andromache*, id est, uxor. Sane hic Ajax Oilei *filius*. à multis historicis Græcis, tertiam manum dicitur post tergum habuisse; quod ideo est fictum, quia sic celeriter utebatur in prælio manibus, ut tertiam habere putaretur. *Servius.*

Ajacis Oilei.] Ajax temerarius, sacrilegus, in templo deæ, in templo virginis, ante ipsas aras, in conspectu numinis, regiam sacerdotem, eamque intactam, quam perditè amabat, stupro violavit. Æn. 2. Hoc tamen atrox facinus Juno hîc extenuat: quasi Trojanorum graviora essent. Vocat *Noxam*, quod levioris criminis aut culpæ nomen est: & quidem *unius*; quod facilius possit condonari: & *furias*, ut non crimen, sed culpa sit: nam qui mentis inops est, meretur veniam. Quanquam hic furor amoris erat furor: sive furiosus amor. *Noxa* autem hîc culpam significat, ut Beroald. contra Serv. docuit. Et notat alicubi Jos. Scaliger, quod hodie in Galliâ jurgium vocatur *Noise*, id à *noxiâ* detortum esse, quod aliquando notet jurgium ac dissidium. Petronius:

In mediam noxam perfertur.

Ausonius:

Sæpè in conjugiis fit noxia, si nimia est dos. Taubm.

Ajacis Oilei.] Quemadmodum Homerus Odyss. Δ. ℣. 500. & seqq. attingit naufragium & interitum Ajacis Oilei, qui ob stupratam in Palladis templo Cassandram in maximam Deæ offensam ceciderat, sic alludit Horat. Epod. l. od. 10.

Quietiore nec feratur æquore,
Quam Graja victorum manus;
Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio
In impiam Ajacis ratem.

Latius autem hanc calamitatem, quæ victricem Græcorum classem afflixit, exponit Ovid. l. 14. ℣. 467. & seqq. *Emmeness.*

42. *Ipsa.*] Bene *ipsa*: dulcis est enim propria

propria manu quæsita vindicta. Unde plus dolet Juno alienis se viribus niti, ut Æoli: vel inferorum, sicut ipsa, *Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.* Servius.

Rapidum.] Velocem. ut est, Quum rapidus Sol nondum hiemem contingit equis, Jam præterit æstas. Item, *Rapidive potentia Solis.* Sed cum Varro Divinarum V. quatuor Diis fulmina adsignet, inter quos & Minervæ. quæritur cur Minerva Jovis fulmen miserit? Antiqui Jovis solius putaverunt esse fulmen, nec id unum esse, ut testantur Hetrusci libri de fulguratura, in quibus duodecim genera fulminum scripta sunt. ita, ut Jovis, Junonis, Minervæ, sic quoque aliorum. nam de Junonis fulmine Accius ait, *Præfervido fulgore ardor injectus Junonis dextra ingenti incidit.* Quare non potuit Minervam misisse fulmen suum? sed nonnulli dicunt habere quidem Minervam, ut Jovem & Junonem fulmen, sed non tantum valere, ut vindictam suam possit implere, nisi usa esset Iovis fulmine: unde merito queritur Iuno, Minervam, cum de numero minorum sit, qui fulmen habeant, usam tamen Iovis fulmine. *Idem.*

Jaculata.] In libris Ethruscorum lectum est, jactus fulminum, manubias dici: & certa esse numina possidentia fulminum jactus. inter quos etiam Minerva est, sicut supra dictum est; cavendum ergo ne confusione hoc aliis numinibus demus: *Et jaculata* pro jaculans, participium passivum, pro activo posuit. *Idem.*

E nubibus.] Secundum physicos, qui dicunt collisione nubium fulmen creari. Et indignatur Iuno, quod cum nubes suæ sint, pariter eis Minerva, ac Iovis fulmine usa sit, cum sibi neutrum possit. *Idem.*

Ipsa, Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem.] Periphrasis est fulminis. Fulmen Juppiter jaculabatur, alii interdum Dii, quibus peculiare erat ac distinctum fulmen à Jovis fulmine. Sed Pallas non contenta suo, alieno Jovis utebatur, quod atrocius ac sævius. Acron in illud Horat. *Iam satis terris, &c.* sic scribit: *omnes Manubiæ albæ & nigræ Palladis esse dicuntur; Iovis rubræ, & sanguineæ.* Sic legit verba Acronis Nannius 3. Miscel. Est autem *manubia* Hetruscorum lingua, fulmen, seu jactus fulminis. Adi Senecam lib. 2. Nat. Quæst. cap. 41. Calaber lib. 14. inducit Jovem præbentem Palladi arma, quæ sibi Cyclopes fabricaverant, videlicet ὀλοὸν κεραυνὸν, βροντὴν στονόεσσαν, ut Pallas utatur in Græcos armis istis. Euripides etiam in Troadib. sic infert Neptunum loquentem ad Palladem,

Ἀλλ' ἐς Ὄλυμπον ἔρπε, καὶ κεραυνίους
βολὰς
Λαβοῦσα πατρὸς ἐκ χερῶν.

Ibidem Pallas glorians,

Ἐμοὶ δὲ δώσειν φησὶ πῦρ κεραύνιον,
Βάλλειν Ἀχαιούς.

Seneca Agamemn.

—— *fulmine irati Iovis*
Armata Pallas.

Fuisse hoc singulare Palladis privilegium, non aliorum numinum, elici potest ex Aristide, qui orat. 2. scribit de hac Dea, μόνη δὲ τοῖς τοῦ πατρὸς ὅπλοις κοσμεῖται. quod firmat testimonio Homeri, id est, *sola paternis armis ornatur.* Quod non de ægide tantum intelligendum, sed de fulmine, cum Æschylus ἐν Εὐμεν. Palladem inducat ita gloriantem,

Καὶ κλῇδας οἶδα δωμάτων μόνη
θεῶν,
Ἐν ᾧ κεραυνός ἐστι.

& cum dicat idem Aristides: ἔξεστι τὰ τοῦ Διὸς ἔργα κοινὰ τοῦ Διὸς εἶναι φῆσαι, καὶ τῆς Ἀθηνᾶς. Quæ dixi, pertinent ad fulmen Jovis, quo tamen Pallas utitur. Sed ipsam quidem suum habere fulmen, tum ex Acrone jam adducto, tum liquidum ex Flacco 4. Argon.

Prima coruscanti signum dedit ægide virgo,
Fulmineam jaculata facem.

quò spectat, in nummo Domitiani (vidi in Ant. August. lib. 5. Icon.) in aversa

Disjecitque rates, evertitque æquora ventis:
Illum exſpirantem transfixo pectore flammas

Tur-

averſa parte excudi Palladem tenentem fulmen. Ut Virgilius autem *jaculor* de fulmine, ita Plinius lib. 2. c. 20. *Jovem fulmina jaculari*. Cerda.

43. *Disjecitque.*] Quidam volunt fulminum genera quatuor eſſe. Unum quod dicitur disjiciens, idemque fragoſum, alterum transfigens, tertium corripiens, quartum infigens. quas omnes ſpecies more ſuo in unius fulguris deſcriptione attigit, dicens primum, *Disjecitque rates*. Secundum, *Illum expirantem*. tertium, *Turbine corripuit*. quartum, *Scopuloque infixit acuto*. Servius.

Rates.] Abuſive, naves: nam proprie rates ſunt connexæ invicem trabes. Varro ad Ciceronem, *Ratis, dicta navis longa propter remos. quod hi ſupra aquam ſublati dextra & ſiniſtra duas rates efficere videntur*. Ratis enim unde hoc tranſlatum, ubi plures mali vel trabes juncti aqua ducuntur. Hinc naviculæ cum remis ratianiæ dicuntur. *Idem.*

Disjecitque rates.] Ne ſi alicui contigiſſet evadere, haberet navigandi ſubſidium.

Evertitque æquora ventis.] Alieno uſa eſt imperio. Nam Jovis fulmen arripuit, & Neptuni imperium. Habuit enim poteſtatem in ventos, qui alieno ſubjecti ſunt imperio. *Don.*

Disjecitque rates, evertitque æquora ventis.] Rates, id eſt, σχέδια & compactas invicem trabes disjecit: ne quis enavigandi haberet ſubſidium. Nec ſolùm Jovis fulmen arripuit, ſed & in ventos jubendi poteſtatem habuit: quibus & *æquora evertit*, id eſt, mare prius tranquillum ita perturbavit, ut planè everſum videretur. Scaliger, l.4. c. 16. Maluit, inquit, Poëta *evertit*, quàm *ſubvertit*: quaſi extra alveum ſuum verterit: grandius eſt. Atque hæc ab Euripid. Troad. ſumpta ait Macrob. l. 5. cap. 22. Porrò Giſanius dubitat, num rectius legatur, *everrit*: quia in Lucret. ſit, *verrentes æquora venti*. At ego non dubito quin illud ſit rectius, utpote vehementius. *Taubm.*

44. *Illum.*] Auctorem ſcilicet criminis. *Servius.*

Illum.] Emphaſim pronomen habet: quaſi temerarium, inconſideratum, ſacrilegum, prophanum, qui in templo deæ virginis ante aras in conſpectu numinis, regiam ſacerdotem intactam violavit. *Donatus.*

Illum exſpirantem.] Id eſt, cum anima flammam fulminis evomentem. Sic 11. Æn. *confixi exſpirant animas*. Notetur ſoliditas & ſtabilitas numerorum. *Illum exſpirantem*: ut alibi; *Illum & labentem*. Ex illo enim ſi detraxeris *ex*, deque hoc *&*, dixeriſque, *Illum ſpirantem*; *Illum labentem*; curtum neſcio quid aures ſtatim offendit. Hoc autem ideò dicimus, quòd non ubique colliſiones iſtæ fiunt neceſſitate carminis, ſed arte potiùs, atque aurium obſequio, id eſt, numerorum gratiâ. Cur verò ſyllabæ ex vocali *M* compactæ deturbentur ubique nunc è verſu, (contrà, quàm priſci faciebant, ut Ennius;

— *& millia militum octo.*)

videtur cauſſæ illud eſſe, quòd propter *M* terminalem obtuſum neſcio quid ac ſuboſcurum ſonent, quod aures in fine vocum vix patiantur, *Pontanus in Actio*. Taubm.

Expirantem flammas.] Non animam dicit *flammas*, ſed cum anima fulminis flammas vomentem. Et ut ſuperius pleno nomini adjecit *opum*, id eſt, *dives opum*: ſic hìc verbo. cum enim plenum ſit *Expirat*, addidit *Flammas*. ut alio loco, *Animas*. ut, *Confixi expirant animas*: alii *expirantem* anhelantem accipiunt. Probus & *tempore* legit, ut ipſe *Liquefacto tempora plumbo*. Sed qui legunt *pectore*, de Accio tranſlatum affirmant,

Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.
Ast ego, quæ divûm incedo regina, Jovisque

firmant, qui ait in Clytemnestra de Ajace: *In pectore fulmen inchoatum, flammam ostentabat Iovis.* Qui *tempore* legunt de typica historia tractum dicunt. Nam Ardeæ in templo Castoris & Pollucis in læva intrantibus post fores Capaneos pictus est, fulmen per utraque tempora trajectus, & singulare nomen pro plurali. Totius autem Italiæ curiosissimum fuisse Virgilium, multifariam apparet. *Servius.*

Illum expirantem.] Illa propter unum, plurimos perdidit: ego à plurimis offensa, unum ab Italia arcere non possum. Et quod auget dolorem, ostendit Minervam minorem deam Jovis fulmine uti potuisse: & in pœna delicti defendit auctorem. Si ergo ille injuste gravissimum pertulit supplicium, multo magis ejus socii. Defendit autem culpam in amorem rejiciens, & utitur veniali statu. Factum enim, quod manifestum est, non purgatur, nisi dicatur, non erat suæ mentis, nec sui consilii Ajax, sed furore amoris trahebatur. Nam quicquid fit per Pathos, non ascribitur homini. *Donatus.*

Pectore.] Quo vulnus omnino letale esset. *Idem.*

45. *Turbine.*] Volubilitate ventorum. *Servius.*

Turbine corripuit.] Nam aliter infigi non poterat, & ostendit vim iræ in tanto impulsu. *Donatus.*

Scopulo.] Saxo eminenti. *Scopulus* autem à speculando dictus: aut à tegumento navium, ἀπὸ τοῦ σκεπάζειν. Contigerunt autem ista circa Caphareum montem Euboeæ. *Servius.*

Infixit.] Cornutus ait, *inflixit*, verius, ut sit vehementius. *Idem.*

Infixit scopulo.] Ne ad litus deveniens saltem sepulturam acquireret. *Donatus.*

Scopuloque infixit acuto.] Sunt qui legant *inflixit* ad majorem quandam ultionem ostendendam: quod ego nusquam in veteribus codicibus observavi. Sane vero Ti. Donatus *infixit* agnoscit, dum ait, Figi enim non potuit, nisi urgente turbine: cum pondere, atque magno ictu saxo fuisset illisus. Et inferius, Hic etiam illud intelligi potest, idcirco eum infixum scopulo, ne delatus fortassis ad litus, sepulturæ saltem beneficium reperiret. Verum hæc & alia ejus scripta in impressis codicibus passim mutilata, laceraque & majori sui parte depravata sunt. *Pier.*

Scopuloque infixit.] Hoc quoque ad irascentis animum pertinet: ut, cum in acutum scopulum etiam modesto fluctu actus hærere potuisset, à turbine ventorum vis major adderetur, quo facilius fieret quod volebat offensa. Atque iccirco etiam *scopulo infixit*, ne delatus fortè ad littus, sepulturæ saltem beneficium reperiret. Alii, in quîs & Lamb. legunt, *infixit.* Hæc autem juxta Capharejum Eubojæ promontorium contigere. *Taubm.*

46 *Ast ego.*] Nunc comparat singula. Et ne leve esset quod dixerat, *Ego*, addidit. *Servius.*

Ast ego quæ divûm incedo reg. &c.] Declarat quid sit illud: *Ast ego*, scilicet quæ omni genere rerum Minervam supero. Sum enim regina: sum soror & conjunx Jovis. Unde deberem ab eo qui frater est & maritus omnia impetrare. *Una cum gente tot annos bella gero*, cum Minerva uno ictu potuerit. *Donatus.*

Ast ego, &c.] Ἐμφατικῶς personam addit *Ego*: quam à genere & majestate illustrat. Ita & 7. Æn. Iuno queritur:

—— Mars perdere gentem
Immanem Lapithûm potuit, &c.

Proprie autem dixit, *Incedo*, judicabant enim veteres Junonem insigni quadam majestate incessus procedere.

Et soror & conjux, una cum gente tot annos
Bella

Hinc & Athenæus, ἡραῖον βαδίζει, id est, *Iunonio incessu ambulat*, pro gravitate quadam & magnificentia incessus, dixit: ut & Propert. l.2,2.

—— *incedit vel Iove digna soror.*

Vide Turneb. l. 13. c. 16. Notat etiam Servius, *incedere* proprie esse Nobilium personarum. De hac autem divina tum verborum tum pedum compositione, non casu (ut imperiti existimant) sed arte summa & judicio facta copiose disputant, Trapezunti.., I..tanus, Maranta, alii. Cur autem Iuno & *Soror* & *Conjux* sit *Iovis*, docet Cic. 2. De Natura deorum, & Macrob. l. 1. c. 17. In Som. Scip. *Iuppiter* est æther, id est, ignis, & Mundi anima. *Iuno* est aër; & dicitur *Soror Iovis*, quia iisdem seminibus, quibus cælum, etiam aër est procreatus: *Conjux*, quia aër subjectus est cælo. Varro & alii aliter. Porro de hac comparatione, qua Juno non quidem se Minervæ, sed Minervam sibi comparat, vide Scalig. l.3. c. 49. *Taubm.*

Divûm regina.] *Divûm*, pro Divorum. sic Sallust. *Vos autem*, hoc est populus Romanus. *Divûm* pro Divorum, sicut *Argivûm*. Servius.

Regina.] Ἀπλῶς pro Iunone apud Iuvenal. Sat. 12. ℣. 3. *niveam reginæ cædimus agnam.* Emmeneſſ.

Incedo.] *Incedere* proprie est nobilium personarum. Hoc est cum aliqua dignitate ambulare: ut 1. Æn. *Regina ad templum forma pulcherrima Dido Incessit.* Et, *aut jaculo incedit melior.* Sallustius, *Incedunt per ora vestra magnifici.* Servius.

Incedo.] De incessu Iunonis, de quo proverbium, Hesiod. Theog. ℣. 13.

Καὶ πότνιαν ἥρην ἀργείην, χρυσέοισι
πεδίλοις ἐμβεβαυῖαν.

Emmeneſſ.

47. *Iovisque & soror & conjux.*] Physici Jovem ætherem, id est, ignem volunt intelligi; Junonem vero aërem, & quoniam tenuitate paria sunt, dixerunt esse germana. Sed quoniam Juno, hoc est, aër, subjectus est igni: Id est, jure superposito elemento mariti * traditum est. Jovem autem à juvando dixerunt. nulla enim res sic fovet omnia quomodo calor. *Servius.*

Jovis & soror & conjux.] Ita Homerus Il. 16. de Iunone κασιγνήτην, ἄλοχον. Ideo Iuno 4. Il. ἀμφότερον usurpat, de eadem re loquens. Nazianzenus orat. 1. contra Iulianum, Ἥρα τὴν μεγάλου Διὸς ἀδελφὴ, καὶ ὁμόζυγος: *Iuno magni Iovis soror & conjux.* Seneca Agam.

—— *ades ô magni*
Soror & conjux concors sceptri
Regia Iuno.

Apulejus lib. 6. *Magni Iovis germana, & conjuga.* Cicero etiam 2. Natur. loquens de Iunone, *soror & conjux Iovis.* Est hoc quod Minutius reprehendit: *Deos colitis incestos, cum matre, cum filia, cum sorore conjunctos.* Cerda.

Jovis & soror & conjux.] Sic, ubi stomachum erumpit Juno, apud Horat. 3. od. 3.

Trojæ renascens alite lugubri
Fortuna, tristi clade iterabitur,
Ducente victriceis catervas
Conjuge me Jovis & sorore.

Emmeneſſ.

Et soror & conjux.] In plerisque veteribus exemplaribus *conjux* absque *n* litera in ultima syllaba legitur: sicuti Scaurus melius putat dici, & scribi. & à Sosipatre Carisio *conjux* inter ea nomina recensetur, quæ *ux* litteris finiuntur: ut *nux*, *Pollux*. Neque vero hic veterum inscriptiones recensebo: quum in nulla pene dictione variata magis scribendi ratio, quam in hoc nomine reperiatur. *Pier.*

Tot annos.] Pro *tot annis*. Licenter in istis locutionibus, & accusativo utimur & ablativo. Dicimus enim & *tota nocte legi*: & *totam noctem legi*. Honestior tamen elocutio est per accusativum. Sane tot

Bella gero. & quisquam numen Junonis adorat.
Præterea, aut supplex aris inponet honorem?
Talia flammato secum dea corde volutans,

Nim-

annos continuationem significat, *tot annis* intervallum. *Servius*.

48. *Et quisquam.*] Non Trojanorum, sed omnium generaliter. *Idem.*

Et quisquam numen Junonis adorat.] In codice Longobardico, & aliquot aliis antiquioribus *aut quisquam* legitur: quam lectionem Servius agnoscit. Est autem Græcorum imitatio, qui τὸ ἢ disjunctivam, & interrogativam particulam usurpant. In aliquot aliis, *ecquisquam*. In aliis *aut quis jam*. Quæ lectio sit ex his castior judicanda, aliorum judicio relinquimus. Idque potius dicemus *adorat* præsenti tempore indicativi modi tam in Romano, quam in codicibus aliquot antiquis haberi. Et quod subsequitur, *aut supplex aris inponat honorem.* In eodem Romano codice, *inponet* futuri temporis esse. Alii quidam codices non contemnendi *inponit* legunt, eadem synchronia, qua lectum est *adorat.* Utriusque verbi lectio eodem tempore Donato agnita, qui totum hoc de Trojanis dictum putat, eos scilicet Junonis numen non adorare, aut aris ejus non imponere sacrificia: quod se sperarent eam renitendo superaturos. Neque tamen contemnenda est vulgata lectio, *adoret* & *inponat* figura loquendi Græcanica & eleganti: magis enim indignationem exaggerat, si ad nationes reliquas referatur: quippe, nisi supplicium de Trojanis sumat, nisi eos perdat, aut ulciscatur, futurum, ut numen suum apud omnes gentes & nationes despicatissimum habeatur. *Pier.*

Et quisquam numen Iunonis adorat.] De Junone & Eurip. τοιαύτη θεῷ τις ἂν προσεύχοιτο; Hunc locum est imitatus Naso lib. 3. Am. *Et quisquam pia thura focis imponere curet?* & 2. Metamorph. *Et vero cur quis Junonem lædere nolit Offensamque tremat quæ prosum sola nocendo?* Germ.

Quisquam numen Iunonis adorat.] *Quisquam* interrogationem cum indignatione quadam complectitur. exempla habet Hadr. Cardinal. de Serm. Latin. idem fere expressit Homerus odyss. v. ℣s. 128.

Ζεῦ πάτερ, οὐκέτι ἔγωγε, &c. *Emmeness.*

Iunonis.] Pro meum, nomen pro pronomine. *Servius.*

49. *Præterea.*] Postea. ut, *Præterea vidit nec portitor orci Amplius objectam passus transire paludem.* Idem.

Præterea.] In medio posuit, & bis est repetendum. *Donatus.*

Supplex aris inponet.] Breviter utrumque dixit, aut enim suscipiuntur vota precibus, aut honore redduntur, & ostendere vult, non solum non sibi supplicandum, sed nec simplici veneratione dignam futuram. *Servius.*

Aut supplex aris imponat honorem.] Par locus Ovid. lib. 3. eleg.

Et quisquam pia thura focis imponere curet?

Cerda.

Honorem.] Hac voce frequenter usum esse Maronem ad augendam dictionis majestatem notat Scalig. l. 4. Poët. c. 16. ut, *Divum templis inducit honorem.* ibi plura. *Emmeness.*

50. *Talia flammato.*] Quod superius intermiserat, nunc reddit. nam dixerat superius, *Hæc secum*: & modo, *secum.* Servius.

Flammato.] Superius dicit accensa: sed plus est flammato pectore, ut ostendat quantum accreverit ira, ex comparatione Minervæ. Nocendi autem consilium, de Minervæ exemplo cepit; præsertim cum Trojanos videret navigantes. *Donatus.*

Talia flammato corde.] Grande verbum est, ut Scaliger Poëtic. l. 4. c. 16.

Quo

Nimborum in patriam, loca fœta furentibus austris,
Æoliam venit. hic vasto rex Æolus antro

Lu-

Quo usus Statius lib. 1. Thebaid. ℣ſ. 249.

— *ast illi saucia dictis*
Flammato versans inopinum corde dolorem.

Tacito familiare, pro composito *inflammare*. l. 2. Histor. c. 74. *namque omnes exercitus flammaverat arrogantia militum.* idem l. 4. c. 24. *his inter se vocibus instinctos flammavere insuper allatæ à Vespasiano literæ.* Emmeneſſ.

Volutans.] Id est, cogitans. Multi sane *talia volutans*, *talia revolutans* accipiunt. *Servius.*

51. *Nimborum.*] Nimbi enim ventos significant: plerunque nubes vel pluvias. ergo prout locus fuerit, intelligamus. Proprie tamen *nimbi* dicuntur repentinæ & præcipites pluviæ; nam pluvias vocamus lentas & juges. Et figurate *Patriam loca*, unum enim varietas ipsa significat. *Idem.*

Nimborum in patriam.] Habet rationem personæ, non reginæ, sed iratæ, quæ occasionem nolit omittere loci & temporis. Nam si rationem reginæ haberet, mitteret aliquem, qui Æolo juberet. Sed quia mandata, nisi ipsa adesset, poterant aut negligentius agi, aut differri, & sic præteriret nocendi occasio, omisit personam reginæ. Et sic monet Poëta per nos ipsos agendum, quod rectius curari volumus, & inferiori personæ exhibendum honorem, si illa indigemus. Nam gratatur sibi à potiore esse delatum. Cætera significant ventos cavis terræ oriri. *Donatus.*

Nimborum in patriam.] Homerus Odyſſ. κ. in principio. Ovid. lib. 11. & 14. *Hart.*

Loca fœta.] Nunc plena, veluti est, *Fœta armis.* Sciendum est etiam *fœtam* dici & gravidam, & partu liberatam, ut, *Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro.* Enixam eam fuisse, lac quod pueris præbebatur, ostendit. Item *fœtam*, gravidam; ut est, *Non insueta graveis tentabunt pabula fœtas.* Ergo quia *fœta* medius sermo est, bene hoc loco epitheta duo discrevit; dicens, *Graveis fœtas:* ut *bonum facinus*, & *malum facinus* dicimus, & *bonum venenum* & *malum venenum.* Servius.

Austris.] Figura est celebrata apud Virgilium: & est species pro genere. Legerat apud Ennium, *Furentibus ventis.* sed quasi asperum fugit, & posuit *Austris*, pro ventis. *Idem.*

Austris.] Sunt qui cum spiritu legunt *hauster*, quasi ab hauriendo. alii ab αὐστηρὸς derivare malunt, quia nocet vehementer, pro qua stat sententia Dausq. Orthogr. p. 50. *Emmeneſſ.*

52. *Æoliam venit.*] Ut *Italiam fato.* Pro *in Æoliam.* Novem autem insulæ, quæ sunt circa fretum Siciliæ, vocantur Æoliæ ab Æolo rege Siciliæ, licet propria nomina habeant. unde Virgilius ait, *Æoliam Liparem.* Poëtæ quidem fingunt hunc regem esse ventorum, Ippotæ sive Iovis sive Neptuni filium, qui cum immineret bellum, quo Tyrrenus Lypari frater, Peloponessum vastare proposuisset, missus ab Agamemnone, ut freta tueretur, pervenit ad Lyparum, qui supra dictas insulas regebat imperio, factaque amicitia, Cyanam filiam ejus in matrimonium sumpsit, & Strongulam insulam, in qua maneret, accepit. Varro autem dicit hunc insularum regem fuisse, ex quarum nebulis & fumo Vulcaniæ insulæ prædicens futura flabra ventorum, ab imperitis visus est ventos sua potestate retinere. *Servius.*

Æoliam venit.] De insulis Æoliis, & imperio Æoli, vide si placet Dionysium in descript. orbis. Etiam Diodor. lib. 5. cap. 3. & Strabon. lib. 6. & Gyraldum Syntagm. 5. *Pontanus.*

Æoliam venit.] Quæ ventorum nimborumque patria est, ut ex Ovid. l. Metam. ℣ſ. 262. & seqq. tales insulas Me-

Luctantis ventos tempestatesque sonoras

Im-

la l. 2. c. 7. numerat septem. sed Turneb. l. 21. c. 10. hic designari Strongylem (hodie Stromboli) testatur, quia, Solino 12. & Plin. l. 3. c. 9. testantibus, *domus Æoli* vocatur. *Emmeness.*

Hic.] Illic, ut superius, *Hic illius arma, hic currus fuit.* Servius.

Vasto antro.] Physica ratione hoc fingit poëta. naturale enim est, ut loca concava plena sint ventis. Sane *vasto* pro desolato veteres ponebant. Ennius Ifigenia: *Quæ nunc abs te viduæ & vastæ virgines sunt.* Ponebant & pro magno. Clodius commentariorum *vasta, inania, magna.* Idem.

Vasto antro.] Id est, ingenti, ut Non. Marcel. c. 4. passim sic noster etiam Phædr. l. 1. fab. 6. *cepissent cervum vasti corporis.* Emmeness.

Rex Æolus.] Scribit Diodorus lib. 5. Æolum Vulcaniis insulis imperasse (quæ ab eodem postea Æoliæ sunt nominatæ) pium fuisse, ac justum regem, & perhumanum erga hospites, ac nautas, docuisse velis uti; præterea ex diligenti ignis observatione prædicere solitum, qui venti futuri essent, atq; inde locum datum fabulæ, ut ventorum Rex fingeretur. Eadem ferè Strabo lib. 1. Dionysius affert de illo βασιλῆ⊙ φιλοξένȣ, propter illam in hospites humanitatem. Homerus 10. Odyss. illum vocat ταμίην ἀνέμων, *promum condumque ventorum.* Plutarchus de exsilio, τὸν θεοφιλέστατον Αἴολον, *Diis charissimum Æolum.* Horatius, *ventorum pater.* Fuisse hunc Regem Thuscorum Sostratus scribit lib. 2. rerum Thuscanicarum, & Plutarchus in parallel. Ovidius lib. 14. Met.

Æolon ille refert Thusco regnare profundo.

quod de ignis observatione dixit Diodorus; capiendum fortasse de fumo, ex mente Plinii, lib. 2. cap. 9. & Solini, qui scribunt, Æolum, cùm regnaret in Strongyle, ex ejus insulæ fumo, quinam flaturi essent venti, in triduum prædicere solitum: inde existimatum ventos Æolo paruisse. *Cerda.*

Antro.] Antrum hoc & cavernam ventorum ita latè describit Valerius Flaccus 1. Arg.

Continuo Æoliam Tyrrhenaque littora tendit.
Stat rupes horrenda fretis, quot in æthera surgit
Molibus, infernas totidem demissa sub undas,
Has Nymphæ, ventique domos, & naufraga servat
Tempestas.

Idem.

53. *Luctantis.*] Elaborantes egredi, vel inter se sævientes. *Servius.*

Luctantis ventos, &c.] Huic sermoni affinis sermo Aristophanis, qui in Vespis de Borea ἐπεστρατεύσατο. Potestatem Æoli in ventos atque imperium Virgilius expressit, Poëtis omnibus grandiùs, sublimiùs, magnificentiùs. Quis conferendus cum duobus versibus, in quibus nunc sum? quis cum illis,

— *celsa sedet Æolus arce,*
Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras?

Quid cùm audies?

Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.

Quid illa?

Æole namque tibi Divûm pater, atque hominum Rex,
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

Quid demum?

Nimborumque facis tempestatumque parentem.

Audisti Poëtam, veriùs Poëtarum omnium magistrum. *Cerda.*

Sonoras.] Graves sonis. Et est tempestatis epitheton. Ordo autem talis est, Æolus ventos & tempestates sonoras vasto antro premit. Quidam *sonoras* semper strepentes tradunt; ut, *fluminibusque sonoris*, nam *sonorum* est quid-

Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Cir-

quidquid ſine intermiſſione ſonum ſervat; *ſonans* vero quod ad tempus auditur. Male autem quidam accipiunt *ſonoras* pro *ſonantes*, cum ſit proprium *ſonoras*, ut θαλάσσα τε ἠχήεσσα. Aliud enim eſt ἠχοῦσα & ſonantes *. *Servius.*

Sonoras.] Neſcio quæ major dignitas in hac voce, quàm ſi diceret *ſonantes*. Ita Val. I. Arg.

Dii quibus undarum, tempeſtatiſque ſonoræ
Imperium. Cerda.

54. *Ac vinclis, &c.*] Tranſlatio eſt per poëticam licentiam facta. Carcer autem eſt undecunque prohibemur exire, dictus quaſi *arcer* ab arcendo. Locum autem, in quo ſervantur noxii, carcerem dicimus numero tantum ſingulari: unde vero erumpunt quadrigæ, carceres dicimus numero tantum plurali: licet plerunque uſurpet Poëta, ut eſt, *Ruuntque effuſi carcere currus.* alii vinclis carceris tradunt. ut, *Quam ferro exciſam crebriſque bipennibus inſtant.* Servius.

Imperio premit.] Homerus Odyſſ. κ. ἠ μὲν παυέμεναι, ἠδ' ὀρνύμεν ὅν κε θέλησι. Hartung.

Carcere.] De ventis quoque *carcerem* dixit Lucan. lib. 5. *Æolii jacuiſſe Notum ſub carcere ſaxi:* & Valer. I. Arg.

—— *Fundunt ſe carcere læti*
Thraces equi:

& Ovidius 14. Metam.

Æolon Hippotadem cohibentem carcere ventos.

Silius lib. 4.

Et pater Æolio qui frangit carcere ventos.

Cerda.

Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.] Sub ſua poteſtate habet ventos Æolus in carcere, qui cum exeundi veniam concedit, dicitur Janua carceris patere, ut Ovid. l. 2 Faſt. ℣ſ. 455.

Et ſex reſerata diebus
Carceris Æolii janua laxa patet.

Eleganter alludit Juvenal. Sat. 10. ℣ſ. 180. cum de Xerxe agit:

In corum, atque eurum ſolitus ſævire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere paſſos.

Emmeneſſ.

55. *Illi indignantes.*] Hic aperte oſtendit, quid ſit luctantes. *Servius.*

Illi indignantes.] Hos impetus ventorum, hæc murmura indignantium in cavernis expreſſit Calaber, lib. 14.

Ἔνθ' ἄνεμοι κελαδεινοὶ δυσηχέες εἰλίζοντο
Ἐν κενεῷ κευθμῶνι. περίαχε δ' αἰὲν ἰωὴ,
Βρυχομένη ἀλεγεινά.

Ubi venti magno ſtrepitantes murmure ſtationem habent
In vacua ſpelunca: perpetuoque ſonus circumfremit
Horrendum rugiens.

Sed & Lucretius lib. 6. ita:

Speluncaſque velut ſaxis pendentibus ſtructas
Cernere quot venti cum tempeſtate coorta
Complerunt, magno indignantur murmure clauſi
Nubibus, in caveiſque ferarum more minantur.

Valerius Flaccus I. Arg.

—— *At cuncti fremere intus,*

loquitur de ventis clauſis. *Cerda.*

Magno cum murmure.] Non circum montis clauſtra, ſed cum magno montis murmure fremebant. & eſt major ſenſus; ſic fremebant, ut etiam antra poſſent ſonare. Sic dixit Pacuvius *Murmur maris*, quia ventos murmur ſequitur, ut ipſe alibi, *Magno miſceri murmure Pontum.* Servius.

Cum murmure.] Fremebant, quod ventos murmur ſequitur, nam & *murmur maris* dicitur. *Idem.*

56. Cir-

Circum claustra fremunt. celsa sedet Æolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras cælumque profundum
Quip-

56. *Circum fremunt.*] Quidam hoc loco *fremunt*, id est, imperia recusant, intelligunt, ut à Coss. in Annalium Secundo, &c. *Ne quis regnum occuparet, si plebs nostra fremere imperia cœpisset*, id est, recusare. Ita & hic ostendit ventos imperia recusantes. Nonnunquam *fremere*, velle significat, ut *arma amens fremit*. Servius.

Claustra.] Hac voce usus quoque Statius 1. Theb.

—— *Iam claustra rigentis*
Æoliæ perculsa sonant.

Inde eundem explicabis, 3. Theb.

Tum fragor hiberni subitus Iovis, omnia mundi
Claustra tonant.

Quæ hæc claustra, nisi unde venti infremunt à quatuor orbis partibus? Ita & Claudianus 1. Rap.

—— *Si fortè adversus ahenos*
Æolus objecit postes, vanescit inanis
Impetus, & fractæ redeunt in claustra procellæ.

Cerda.

Celsa arce.] Secundum quod superius diximus. Venti enim melius deprehenduntur ex alto. *Servius.*

Sedet.] Non otiatur, sed curat. *Sedet* enim apud Antiquos, *considerat* significabat. ut est, *ipse Turnus sacrata valle sedebat.* Idem.

Celsa sedet.] Sedet Æolus in solio, quod est in celsâ arce. *Celsum* est solium: quia hic habitus conciliat majestatem: & inferiora melius ex alto observantur, ut hîc venti. *Sedere* autem non est otiari, sed *curare* & *considerare*, teste Servio. Et notat Turnebus, *sedere* magistratuum esse, exemplis Cic. in Vatin. *De quibus duos prætextatos sedentes vides.* Et pro Rab. *Modò vos in Gabinium judices sedistis.* Ita Catullus:

Consule Pompeio primum duo, Cinna, sedebant
Mœchilli, &c. ——

Ubi Gifan. annotat, *sedebant*, senatorium esse. *Taubm.*

57. *Mollitque Animos.*] Id est, Ventos, ἀπὸ τῶν ἀνέμων. veluti est, *Quantum ignes animæque valent.* & Horatius, *Impellunt animæ lintea Thraciæ.* Servius.

Mollit.] Ideo dixit, ut per transitum ostenderet, & vitia naturæ nulla ratione mutari, sed mitigari aliquatenus posse. *Idem.*

58. *Maria ac terras cœlumque profundum.*] Atqui quatuor elementa sunt: terra, aqua, aër, æther. Sed hoc loco rite prætermisit ætherem: quia venti non turbant superiora, ut ait Lucanus, *Pacem summa tenent.* sed aut terras, aut maria, aut aërem. Nam *Cœlum* hoc loco pro aëre posuit. ut Lucretius, *In hoc cœlo qui dicitur Aër.* profundum autem & sublime dicitur, & in p. ut supremum altum. *Prô supreme Iupiter*, *postremum* potest & ad maria & ad terras referri; quidam *profundum*, in profundum accipiunt; alii pro funditus: & sicut hîc profundum in altitudinem, sic alibi fastigia de infima parte: *Forsitan & scrobibus quæ sint fastigia quæras.* Idem.

Ni faciat, maria, &c.] Assignat rationem, cur ventis fuerit Rex dandus. quippe omnia confunderent, nullaque esset maris terrarumque distinctio, quod factum esse, cum carebant Rege, Valerius scribit 1. Argon.

—— *Hinc olim soliti misere polumque*
Infelixque fretum, neque enim tunc Æolus illis
Rector erat, Libya cum rumperet advena Calpen
Oceanus, cum flens Siculos Oenotria fines
Perderet, & mediis intrarent montibus undæ.
Intonuit donec pavidis ex æthere ventis
Omni-

Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras:
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens: molemque & montis insuper altos
Inposuit, regemque dedit, qui fœdere certo

Omnipotens, Regemque dedit, quem jussa vereri
Sæva cohors.

Cerda.

Cœlum.] An aërem intelligit? fortassis. Lucretius,

— *In hoc cœlo qui dicitur aër.*

An proprie cœlum? Possis hoc quoque. nam in præmissis versibus Valerius,

—— *Soliti miscere polumque.*

An aërem, & ignem? Sustineri & hoc posset. Sic enim quatuor elementa enumerabit. *Cœlum* quippe sumitur & pro aëre, & pro æthere, qui est ignis. Itaque elegit vocem mediam, qua duplex elementum signaret. Vide quæ ego ad illud 6. Æn.

Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes.

Ubi *cœlum* & pro igne & pro aëre sumi, Servius ait. Noteiur obiter cœli significatio alia. Oris partem ad palatum οὐρανὸν vocat Pollux lib. 2. *Idem.*

59. *Ferant.*] Auferant. Et est aphæresis. *Servius.*

Rapidi.] Veloces, ut supra. *Idem.*

Verrantque.] *Verrere* est trahere: à rete, quod *everriculum* dicitur. Est autem principalitas verbi *verro verris*, præteritum *versi*: unde est participium *versus*; hinc alibi, *Et versa pulvis inscribitur hasta*, id est, tracta. Sed archaismos; nam nostra omnis vis in animo & corpore sita est. *Idem.*

60. *Speluncis atris.*] Vel tenebrosis, vel magnis. *Idem.*

61. *Hoc metuens.*] Providens, cavens aut timens. Ergo Juppiter timet: non sibi, sed elementis; ne turbentur eruptione ventorum. ut si bellorum tempore dicas, virum fortem timere, non sibi, sed liberis suis. *Idem.*

Hoc metuens.] Explicui, providens, & cavens, *Metuere* enim, ut vulgo accipitur, non esset è dignitate Jovis, qui omnipotens. nequeo negare *timorem*, *metum* ab auctoribus sæpe confundi, tamen sæpe ita discriminantur, ut *timor* teste Tullio 4. Tusc. sit de malo jam appropinquante: sed *metus* de periculo remotiore. Inde est, ut *metuo* sæpe capiatur, pro provideo, nam tum locus est providentiæ, cum remotiores à malo sumus, quod de verbo *timeo* dici nequit. Itaque apud Horatium *penna famæ metuens solvi*, est, cavens solvi. & apud Virg. 1. Georg.

Arctos metuentes æquore tingi,

est φυλαττομένας. Ennius apud Festum:

Vivam an moriar: nulla in me est
metus,

id est, cura. & nota olim fœmineo genere enuntiari: id enim agit Festus Enniana auctoritate. Et de loco, in quo sum, Servius ex fragmento Danielis ita: [*Metuens, providens, cavens.* Cerda.

Molemque & montes.] Id est, molem montis. Et est figura endyadis, cum una res in duas dividitur, metri causa, interposita conjunctione. ut alio loco, *Pateris libamus & auro:* id est, pateris aureis. *Servius.*

62. *Fœdere.*] Modo lege: alias pace, quod fit inter dimicantes. *Fœdus* autem dictum vel à fœcialibus, qui olim fœdales dicebantur, id est, sacerdotes, per quos fiunt fœdera: vel à porca fœde, hoc est, lapidibus cæsa. ut ipse: *Et cæsa jungebant fœdera porca.* Idem.

Fœdere certo.] Inter Deos gentilium ita res erant constitutæ, ita distributa imperia, ut prius Juppiter jussisset certo quodam pacto, quod cuique esset administrandum, quo facto, jam illo inconsulto, quisque poterat munus suum administrare. Hinc postea Juno ad Æolum,

Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.
Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est:

Æole,

Æole, namque tibi Divûm pater atque hominum Rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos.

Ex hujus fœderis violatione procedunt, quæ apud Senecam queritur Juno:

—— Fœdus umbrarum periit:
Vidi ipsa, vidi nocte Diis justa inferûm
Et Dite domito, spolia jactantem patri
Fraterna.

Dolet quippe Juno eductum Cerberum contra fœdus. Inde procedunt illa Claudiani lib. 1. Rap. ore Lachesis ad Plutonem,

Ne pete firmatas pacis dissolvere leges
Quas dedimus, nevitque colus: ne fœdera fratrum
Civili converte tuba. cur impia tollis
Signa? quid infestis aperis Titanibus auras?

Cerda.

63. *Et premere & laxas sciret dare jussus habenas.*] Permansit in translatione: ut, *vinclis & carcere frenat.* *jussus* autem ob hoc posuit, quia suo nihil facit imperio. Nam tolle hoc, & major est omnibus diis: si ad ejus voluntatem possint elementa confundi, ut ipse Æolus, *Mihi jussa capescere fas est.* Simul ventorum ostenditur vis, quibus parum fuit superponi montem, nisi & regem acciperent, qui ipse quoque alieno pareret imperio. Alii *Jussus* ita intelligunt, non cum juberetur, tunc hoc faceret, alioquin Junoni obsequi non posset; sed ita administrare, ut etiam jussus erat secundum desiderium temporum. *Servius.*

Habenas.] Ab equis ad ventos crebræ metaphoræ. Sic supra de Æolo *frenat.* Horatius Od. 4. lib. 4.

—— Eurus
Per Siculas equitavit undas.

Valerius concitans tempestatem, Boream periphrastice ita describit,

—— Fundunt se carcere læti
Thraces equi.

Eurip. Phœniss.

Ζεφύρου πνοαῖς ἱππεύσαντος ἐν οὐρανῷ:

Zephyro flatibus equitante in cœlo.

Oppianus 5. Hal. de ventis,

Αἰεὶ δυσκελάδοισι συνιππεύοντες ἀέλλαις:

Semper gravisonis coëquitantes procellis.

Ut vero Poëta *dare habenas*, ita Euripid. metaphora alia, δοῦναι χαλινοὺς γυναιξί. ut & Livius, *date frænos impotenti naturæ, indomitoque animali.* Hominem, qui aliquid jussus facit, Græci vocant ἐγκέλευστον. *Cerda.*

Laxas dare habenas.] De hac locutione Scefferus de re vehicular. l. 1. c. 13. qui plus dicit esse *immittere*, quam *dare*, quoniam qui dat, non tenet frena adstricta; nec tamen libera patitur esse, qui vero immittit, sinit quoque esse libera. Sed cum Poëta *laxas habenas* dicit, cum Non. Marcell. cap. 4. *remissa, libera frena* intelligenda esse arbitror, ut l. 2. G. ℣ s. 364.

Laxis per purum immissus habenis.

Emmeness.

64. *Ad quem.*] Apud quem. *Servius.*

Supplex.] Non quia supplicantis verba sit locuta, sed quia venit. *Donatus.*

Supplex his vocibus.] Putant interpretes hic corpus supplex exprimi. nequit credi. non enim Iuno accederet ad Æolum inclinato & supplicabundo corpore, hoc non ex ejus dignitate. Sed *supplex vocibus*, id est, supplicans. Sic Venus infra ad natum Cupidinem: *Ad te confugio, & supplex tua numina posco.* id est, supplicabunda voce. Non enim credibile Venerem accidisse ad natum. Clare Tacitus 1. Annal. *Neque victa in lacrymas, neque voce supplex.* Græci etiam dicunt ἱκέσιον λόγον: *supplicem*

Æole, (namque tibi divûm pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus & tollere vento)

Gens

plicem sermonem, vel *supplicantem*. Virgilius 8.

—— *Supplicibus supera votis.*

Cerda.

65. *Æole.*] Rhetoricum est in omni petitione hoc observare. ut possit præstare qui petitur; ut sit petitio justa, nec plus aut minus quam debeat petat; ut sit possibilitas; ut res justa sit quæ petitur: ut habeat modum petitio; ut sequatur remuneratio. Et sciendum, secundum hunc ordinem omnes petitiones formare Virgilium, ut in hoc loco possibilitas est, *Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.* Justa petitio est, *Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor.* Omne enim quod contra inimicos petimus, justum est. Modus est petitionis, *Incute vim ventis, Et disjice corpora ponto.* Remuneratio. *Sunt mihi bis septem præstanti. Æole incute vim ventis.* Ordo ipse est, & est figura parenthesis.

Inter parenthesim & eclipsim hoc interest; quod parenthesis est quotiens, remota de medio sententia, integer perdurat sermo. Plenum namque est, *Æole incute vim ventis.* Item, *Æneas rapidum ad naves præmittit Achatem.* Eclipsis autem est, quotiens, remotis interpositis, deest aliquid; ut est, *Quos ego?* deest enim affligam.

Sane Antiqui quotiens à minoribus beneficium petebant, à nomine incipiebant, & erat honoratius, si nomen ipsius ante præferrent? *Servius.*

Æole.] Omnia in hac oratione sociata sunt summo artificio. Incipit à nomine, quod nec Junonem humilem facit, & Æolo gratum est. Ostendit enim se illi benevolam cum norit nomen. Et ipse lætatur se potiori notum, perindeque acceptum atque charum. Ergo captat benevolentiam Juno: Facit item attentum, cum idem conjiciat Æolus officium suum Junoni esse necessarium, cum subtiliter intellexisset, habere in ventos plenissimam potestatem. *Donatus.*

Divûm pater.] Jupiter, & est Periphrasis, id est, circumlocutio. *Pater* autem Virgilio ad eminentiam ponitur; ut, *pater Æneas*, *& pater Apenninus.* Servius.

Divûm pater.] Ne arrogantem faceret, Junonem, si dixisset maritus & frater, ut supra, cum locuta est secum: ergo hic satius fuit, id intelligi posse, quam dici. Ne autem prolixior esset futura oratio; ipsa occulte sibi præponit, quam excusationis causam potuisset Æolus opponere, & illis respondet, ne ulterius accedi possit, & ne negaret Æolus ventos esse in potestate sua, prævenit, ostendens plenam illum à Jove in eos habere potestatem. *Donatus.*

Æole namque tibi divûm pater.] Sic & Hom. Od. κ. δύναμις γὰρ ἐν ὑμῖν. Et Epig. l. 3. ἀλλὰ θεὰ, δύνασαι γὰρ, ἃ ἡβητῆρα μετέδεξον, &c. Item Eurip. in Oreste: ἱκνοῦμαι--τοῖς δεομένοισιν ὠφελεῖν, οἷός τε δ᾽ εἶ. Ut autem *Divûm pater*, Græcis sæpe βασιλεὺς θεῶν. & Hom. πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Patriam potestatem Aristot. lib. de morib. θ. regiæ æquiparat ex Homero, & divinæ, his verbis: ἡ μὲν γὰρ πατρὸς πρὸς υἱεῖς κοινωνία βασιλείας ἔχει σχῆμα. τῶν τέκνων γὰρ τῷ πατρὶ μέλει, ἐντεῦθεν δὲ καὶ Ὅμηρος τὸν Δία πατέρα προσαγορεύει, πατρικὴ γὰρ ἀρχὴ βούλεται ἡ βασιλεία εἶναι. *Germ.*

66. *Et mulcere dedit fluctus & tollere vento.*] Aliud pendet ex alio: Nam qui potest mulcere, potest & tollere, id est, erigere in tempestatem: mulcere autem *delinire*. Hinc mulsum, quod dulcedine animos nostros permulceat; alii *mulcere*, mitigare, mollire vel fovere. *Servius.*

Et mulcere dedit fluctus & tollere vento.] Macrobius l. 5. c. 4. ex Homero desumptum hoc testatur Odyss. κ. γι.

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,

Ilium

℣ſ. 21.

Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρο-νίων

Ἠ μὲν παυέμεναι, ἠδ' ὀρνύμεναι ὅν κ' ἐθέλῃσι.

Æolum *patrem ventorum* appellat Horat. l. 1. od. 3. *Emmeneſſ.*

Tollere vento.] Recte legitur, *vento:* non, *ventos*, judicio quidem H. Steph. Erythræi, Pimpont. Hortenſ. Naſcimb. Scaligeri, ipſius Servii, aliorumque: ut intelligatur, eoſdem fluctus attollere atque inflare, ventum immittendo. Sitque ſingularis pro plurali. Quidam exponunt: vel uno vento. *Taubm.*

67. *Gens.*] Sermo hic, & nationem ſignificat, & familiam; ſed nunc ad utrumque poteſt referri. nam aut ad familiam Æneæ, aut ad Trojam gentem refertur. *Serv.*

Gens inim.] Hic non nominavit Æneam, ne reſponderet Æolus, non audeo in nepotem Iovis, à quo imperium ſumpſi. Speciale igitur ſubtraxit, generale poſuit. *Donatus.*

Inimica.] Non dicit ſe genti inimicam, ſed gentem ſibi, quaſi inferiores potiorem provocent. quæ res etiam Æolo indignationem movet, ut Iunoni auxilietur. *Idem.*

Tyrrhenum.] Tyrrhenum mare dictum eſt, vel quod Tuſciam alluit, id eſt, Tyrrheniam. Tyrrhenus enim cum fratre Lydo regnum ea indulgentia tenuit, ut ingens frequentia populi his contingeret, quæ cauſa ſummam rerum fecit inopiam, nullo patriam relinquente, aut volente peregrinari, quia tanta bonitas erat in regibus; conſilium igitur habuerunt, ut partiti turbam, quam alere non poterant, alternis diebus abſtinerent à cibis, luſibuſque vacarent, atque hac laſcivia excogitaverunt, talorum teſſerarumque jactus, pilæque luſum, & tibiæ modulationem, & concentum ſymphoniæ tubarumque, quibus advocati cives, facilius tolerarent jejunium. Noviſſime tamen quia vincebat neceſſitas, nec ulla conſilia famem relevarent: ſortiti ſunt uter ex fratribus cum parte populi abiret, in quas ſors terras dediſſet: cum Tyrrhenus ſorte juſſus diſcederet, in mari, quod Tyrrhenum ab eo vocatur, periit. Cujus filius Tuſcus cum populo evaſit in regionem Tuſciam, quæ ab eo nomen accepit. Vel certe à Tyrrhenis nautis, qui ſe in hoc mare præcipitaverunt. Namque hoc habet fabula: Dormientem in litore Liberum patrem puerum, nautas abſtuliſſe Tyrrhenos, qui quum eſſet experrectus in navi, quo duceretur interrogavit; reſponderunt illi, quo vellet. Liber ait, Ad Naxum inſulam ſibi ſacratam. At illi cœperunt alio vela deflectere, quamobrem iratum numen Tigres ſibi ſacratas juſſit videri, quo terrore ſe illi præcipites dantes, mari nomen dederunt. Alii dicunt, quod ſtuprum Libero patri inferre temptaverunt, ac propterea hoc pertulerint. *Servius.*

Tyrrhenum.] Quod facilius concitatur & Italiæ vicinius eſt. *Donatus.*

Mihi.] Reginæ & Jovis ſorori & conjugi, quod, ne arrogans videretur, ſubtraxit. *Idem.*

Mihi navigat.] Id eſt, in meum dolorem. *Servius.*

Navigat æquor.] Figura Græca eſt. Nos enim dicimus, per æquor navigat. Similiter etiam alio loco, *Terram, mare, ſydera juro:* cum Latinitas exigat, ut addatur præpoſitio *per.* Et non vacat, quod *Tyrrhenum* addidit; videtur enim dicere jam eis Italiam eſſe vicinam. *Idem.*

Navigat æquor.] Sic & πλεῖν τὴν θάλατταν Demostheni: & Hom. ἐπέπλεον ὑγρὰ κέλευθα. Ulpianus autem l. 1. §. Qui ſint igitur. ff. Nautæ, caup. ſtab. paſſivè extulit. Nautam accipere debemus eum, qui navim exercet: quamvis nautæ appellentur omnes, qui navis

Ilium in Italiam portans, victosque Penates:
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes;
Aut

navis navigandæ causa in navi sunt. *Germ.*

Navigat æquor.] De verbis falso neutris consule Sanct. Minerv. l. 3. p. 173. Cic. l. 2. de fin. *terram navigasset.* Emmeneff.

68. *Ilium in Italiam portans.*] Id est, res Ilienses. Et invidiose dicit *Ilium,* quasi ipsam cernat civitatem, quum Trojanos aspexerit. Et bene *Ilium,* hoc est, quam fata stare noluerint. *Servius.*

Ilium in Ital. portans.] Res & homines Ilienses. vel, ex Ilio victo Penates portans in Italiam. Imitatur Euripidem in Oreste: πάϱιν, ὃς ἄγαγ' Ἑλλάδ' εἰς Ἴλιον. Strigelius μεταληπτικῶς significari ait reliquias, signa, ornamenta, & regalia (ut vocant) & Privilegia Ilii. Nascimbænius, ἐμφατικῶς, inquit, nec absque invidiâ, *Ilium portans*, dicit Juno, quasi Trojanos & urbem oculis cernat, quam suâ operâ destructam sciebat. Ita hyperbolικῶς & invidiose dixit, Æn. 2.

—— *alii rapiunt incensa feruntque*
Pergama.

Taubm.

Victosque penates.] A Græcis. Tacite occurrit quæstioni, portat quidem & deos: sed *victos*, id est, contemnendos, ne facere contra invictos nollet. *Servius.*

Victosque penates.] Ovid. l. 3. Metam. ℣ſ. 539.

Profugos posuistis sede penates.

Stat. l. 2. Silv. Epicœd. in Glauc. ℣ſ. 67. *desolatique penates.* noster l. 2. ℣ſ. 505. *miseros* appellat. Hos per Æneam in Italiam delatos esse, docet Ovid. l. 4. Fast. ℣ſ. 77.

Serus ab Iliacis, & post Antenora flammis
Attulit Æneas in loca nostra Deos.

& ℣ſ. 251.

Cum Trojam Æneas Italos portaret in agros;
Est Dea sacriferas pæne secuta rates.

Macrob. l. 3. Saturn. c. 4. ubi de origine etiam agit: *penates*, quippe dici, *per quos spiramus penitus, &c.* Cic. *à penu*, vel *à penitus insidendo.* utriusque notationis rationem habes l. 2. de nat. Deor. c. 27. sitne nominativus sing. qui in usu non est, *penas*, an *penatis* disputat Festus. Juxta Isiod. l. 8. c. 11. Gentiles omnes Deos nominabant penates, quos domi colebant. Et penates dicti, quod essent in penetralibus, id est, in secretis. Hinc Florus l. 3. c. 19. *in penatibus domorum suarum trucidantur.* Emmeneff.

69. *Incute vim ventis.*] Duplex sensus est: *Incute* enim *injice* significat. *Servius.*

Incute vim ventis.] Expressit pathos, propter quod non explicat rem ordine. Dixit ergo quæ cupiebat, sed propter perturbationem sine ordine. *Donatus.*

Ventis.] Dativus est casus. hoc est, parva est eorum; etiam tu eis da magnam vim. si autem fac, septimus casus est. & erit sensus, fac vim Trojanis per ventos. hoc est, per ventos vim in Trojanos incute. Ennius, *Dictis Romanis incutit iram.* Servius.

Submersasque obrue puppes.] Ordo est in sensu confusus: ante enim est ut obruantur fluctibus, & sic submergantur; id est, obrue ut submergas. Tota autem Junonis petitio in sequentibus explanatur. *Idem.*

Submersasque.] Sunt qui *subversas* legendum autument, ne ordo in sensu sit confusus. obrui enim prius accidit, quam immergi. Mihi tamen displicere non potest, quod in antiquis omnibus exemplaribus, quæ versavimus, legitur: tum *summersas*, tum *submersas:* quod etiam si non accipiamus pro *submergendas*, ut Grammatici nonnulli interpretantur: Certe Poëtarum mos est, hæc de industria sæpe confundere. *Pier.*

Submersasque.] Sic leg. non *summer-*

sas

Aut age diversas: & disjice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ:
Qua-

sas, ut recte monet Dausq. quod pro *submergendas* dici vult Sanctius in Min. p. 55. *Emmeness.*

70. *Aut age diversas.*] Hoc est, disperge illos per diversa, ne ad Italiam veniant. duobus enim generibus deletur exercitus, aut internecione, aut dispersione. *Servius.*

Aut age diversas.] Ut si non possit provenire primum, proveniat secundum; quoniam sparsi nec quicquam audere, nec ad Italiam pervenire poterant. *Donatus.*

Diversas.] In antiquis omnibus exemplaribus de meliore nota *diversos* legitur, virili genere, ut de Trojanis intelligatur: Quam lectionem aperte Donatus etiam agnoscit, ubi super ordine hoc plurima disputat, quæ in vulgatis codicibus non habentur. Ideo vero ait cupere Junonem, Trojanos diversos agi, quoniam sparsi nihil audere posterius poterunt, nec ad Italiam pervenire. Et inferius, *Aut age diversos, impleri non posset nisi venti*, ut supra dictum est, impugnantes sese, discretos Trojanos per diversa distraherent. *Pierius.*

Et disjice corpora.] Hic mutavit conjunctionem, nam dicendum erat, *Aut disjice corpora.* Servius.

Disjice.] Est hoc, quod Hesiod. Theog. loquens de ventis dixit, διασκιδνᾶσι τε νῆας: *dißipant naves.* Lege Isidorum lib. 18. etym. cap. 2. ubi versus hujus affert explicationem quandam. *Cerda.*

Corpora ponto.] Tam virorum, quam navium: ut ipse alio loco, quum de navibus loqueretur, *Et toto descendit corpore pestis.* Sciendum sane est, artem hanc esse petitionis, ut minora impetrare cupientes, majora poscamus: quod etiam nunc Juno facit. scit namque se fatis obstare non posse, sed hoc agit, ut eos arceat ab Italia. *Servius.*

71. *Sunt mihi bis septem.*] Non sine ratione dicitur Juno Nymphas sua potestate retinere, ipsa est enim aër: de quo nubes creantur. ut est, *Atque in nubem cogitur aër.* Ex nubibus aquæ: quas Nymphas esse, non est dubium. Ideo autem Nympham Æolo pollicetur, quia ventorum rex est, qui aquæ motu creantur. Bene ergo ei jungitur origo ventorum. Sane notant Virgilium Critici, qui marito promittit uxorem: quod excusat regia licentia, ut Sallust. *Denas alii, alii plures habent, sed reges eo amplius.* Vel certe quod ex priore conjuge improbos filios Æolus habuerit; vel quod hæc, quam promittit, immortalis est. Alii volunt Junonem per iram oblitam, Æolum uxorem & filios habere; quod exinde afferunt, quia Æolus ad hæc nihil ei responderit; & bene Juno sic pollicetur, quasi Æolo beneficium ante non contulerit. E contra Æolus, non ad præsens, sed ad præteritum respondit, *Tu mihi quodcunque hoc regni est.* Idem.

Sunt mihi.] Addidit munus, ut explicetur ardor cupiditatis ejus. Et ex obliquo pulsat Veneris munus in Paridem, quæ dedit mulierem, quæ non erat in potestate sua. Unde contra Juno hic dicit: *Sunt mihi.* nec poterat Helena esse propria uxor, nec inde creari legitima soboles: ergo acute dixit: *Sunt mihi.* Et *Connubio jungam stabili, propriamque dicabo, &c.* quarum rerum nulla fuit in Helena. Non erat Veneris, ergo non potuit dare stabilem, nec legitime collocare. *Donatus.*

Sunt mihi bis septem, &c.] Hæ ne quatuordecim Nymphæ filiæ sunt Junonis? Non puto. Sed tantum Nymphæ, quæ hanc Deam comitarentur, essentque in ejus potestate. Sane Diis omni-

Quarum, quæ forma pulcherrima, Deïopeam
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo:

omnibus veterum Nymphæ quædam erant attributæ ad ministerium. Habuit Juppiter apud Ovid. 1. Met.

Sunt mihi semidei, sunt rustica numina Fauni,
Et Nymphæ, Satyrique, & monticolæ Sylvani.

Habuit Neptunus, quem Νυμφαγέτην appellat Cornutus, & illi Hesiodus quinquaginta dat, sicuti Pindarus in Isthmiis. Habuit Phœbus Aganippidas suas & Aonias. Habuit Bacchus ita multas, ut vix recenseas nomina Baccharum, Bassaridum, Eleidum, Thyadum. Habuere etiam Deæ; ut Diana, venatrices; Thetis, Nereidas; Venus, Gratias. Sic ergo Iuno suas. *Cerda.*

Præstanti corpore.] Bene etiam laudat istas, ut major sit in Deïopeja pulchritudinis gloria. Laudabilius est enim superare laudatos, ut ipse ad majorem Æneæ gloriam laudat & Turnum. Harum autem quatuordecim nomina, ut quidam volunt, in Georgicis invenimus. *Præstanti autem corpore*, pro *præstantis corporis*, ablativum pro genitivo. *Servius.*

72. *Quarum, quæ forma.*] Dicimus & per se *quarum quæ pulcherrima*, & plus ornavit inferendo *forma pulcherrima.* Idem.

Deïopeam.] In Romano codice, in Oblongo, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis *Deïopea* nominandi casu scriptum est, pulcherrima elocutionis figura. Nam alibi etiam Virgilius utitur antiptosi. *Pier.*

73. *Connubio jungam stabili, &c.*] Deest *eam*, & connubium est jus legitimi matrimonii. Et bene *Connubio jungam* dicit, ut hanc ab aliis segregaret, quæ à regibus sine lege habentur. solent enim reges inter plures uni præcipuum dare nomen uxoris. Et *connubio*, *Nu* brevem posuit cum naturaliter longa sit. *Nubo* enim, unde habet originem, longa est. Sed est tropus Systole; qui fit quotiens longa corripitur syllaba, metri causa. Ipse alio loco longam posuit, ut est, *Hectoris Andromache Pyrrhin connubia servas?* Item, *Cuique loci leges dedimus, connubia nostra Reppulit.* Et, *Per connubia nostra.* Et, *Nomadumque petam connubia supplex.* Sciendum tamen est, quia plerunque in compositione vel derivatione principalitatis corrumpitur natura. *Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.* Multa in unum contulit versum, quæ Juno promittit. Dicendo enim *Connubio*, ostendit legitimum. Dicendo *Stabili*, longam promittit concordiam, id est, quæ divortio careat. Dicendo *Propriam*, adulterii removet suspicionem. Quod autem adjecit *Dicabo*, obsequentem eam fore demonstrat. In usu enim est ut dicamus, *sacerdos dicatus est numini*, hoc est, ad obsequium datus est.

Alii *dicabo*, dabo accipiunt. Terent. *Jam hanc operam tibi dico.* Id est, do, sicuti ab eo, quod est *dico* participium à passivo *dictus* facit; ut est, *Junoni infernæ dictus sacer*; quamvis alibi lectum sit, *templis sibi ferre dicatis.* *Propriam dicabo* autem deest, *tibi*, *eam.* *Propriam* autem possumus, vel firmam, vel perpetuam accipere, ut si proprium hoc fuerit. Terentius, *Nihilne esse cuiquam proprium.* Et alibi, *quod voluptates eorum propriæ sunt.* Et, *Da propriam Thymbraee domum.* Servius.

Jungam.] Apte, loquitur enim Iuno, *cui vincla jugalia curæ*, ut habetur 4. Æn. Adi. *Cerda.*

Stabili.] Propriè, quod alii jam observarunt. Videtur enim hæc vox usurpata in matrimoniis, quæ dirimi non poterant. Cicero in Anton. veluti rem explicans, dixit, *in matrimonio stabili & certo collocavi.* ubi vox posterior priorem explicat. Virgilianam sententiam

Omnis ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

Æo-

Propertius ita extulit lib. 2. eleg. 6.

Semper amica mihi, semper & uxor eris.

& Plautus Aulul. *Quod tibi sempiternum salutare sit procreandis liberis.* Idem.

Propriamque.] Quod divortio caret. Huc illud Apul. Metam. l. 6. *Nec unquam digredietur, à tuo nexu cupido, sed istæ vobis erunt perpetuæ nuptiæ. proprium* dicitur, teste Serv. Ecl. 7. ℣s. 31. idem, quod perpetuum. noster l. 6. ℣s. 871.

—— *propria hæc si dona fuissent.*

Cic. Orat. post red. in Sen. c. 4. *quod si illud perenne, ac proprium manere potuisset.* Corn. Nep. 8. 4. *parva munera diutina: locupletia, non propria esse consueverunt.* Horat. l. 2. Sat. 6. ℣s. 4.

—— *nihil amplius oro,*
Maja nate, nisi ut propria hæc mihi munera faxis. Emmeness.

Dicabo.] Id est, dabo, explicante Mureto. Nam veteribus verbum *dico, dicas*, usurpatur, pro, do, das, quod etiam Servius admonet. Sic & Catull.

Quos junctos Cameri mihi dicaris,

id est, dederis. Quin *dico* unum è tribus verbis Prætoris, Muretus à dicando ducit, non à dicendo. Quod ille favente literarum genio. Nam, cum tria illa verba *Do, Dico, Addico*, darentur Prætori, quibus ille uteretur ad dandum cuique, quod suum esset, ad quem usum verbum *dico, dicis*? Adjuvo explicationem Mureti verbis Livii lib. 5. ex oratione Licinii Calvi ad Quirites: *En vobis, juvenem filium tenens, effigiem, atque imaginem ejus, quem vos antea tribunum militum ex plebe primum fecistis. hunc ego institutum disciplina mea vicarium pro me Reip. do dicoque.* agnosce hic dico, dicas. ut sit sententia, *do, & consecro.* Cerda.

Connubio jungam, &c.] Hi tres versus pulchre describunt conjugium. Promittit autem Juno Conjugium: quia ipsa *pronuba est, & cui vincla jugalia curæ*, ut est in 4. Æn. Et bene, *Connubio jungam*, dicit, ut hanc ab aliis segregaret, quæ à Regibus sine lege habentur. *Stabili* vero dixit, de firmo certoque conjugio, nec divortio ullo unquam dirimendo. Sic Cic. 2. in Anton. *Curio te in matrimonio stabili ac certo locavit.* ut notat Turneb. l. 12. c. 12. *Taubm.*

Connubio jungam stabili propriamque dicabo.] Spes luculentæ conditionis & matrimonii exoptati quid valeat, non est, quod hic explanem. Iisdem promissis, quod jam monuit Turneb. l. 18. c. 32. aggreditur Somnum Juno Iliad. ξ. ℣s. 267.

Ἀλλ' ἴθ', ἐγὼ δέ κέ τοι χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων
Δώσω ὀπυιέμεναι, καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν
Πασιθέην, ἧς αἰὲν ἱμείρεαι ἤματα πάντα.

Nihil notius, quam eo præmio Venerem pellexisse Paridem, de quo præter Ovid. in Her. epist. etiam Apulejus Metam. l. 10. *si fuisset Deabus ceteris antelata, daturam se nuptam Paridi forma præcipuam, suique consimilem, &c.* Emmeness.

74. *Omnis annos.*] Bene quia Dea est, non enim usque ad senectutem. *Servius.*

Meritis.] Præstitis. ut alibi, *Nec te regina negabo Promeritam*, id est, præstitisse. Et alterum pendet ex altero: meritum enim non nisi ex præstantis beneficio descendit. *Idem.*

75. *Pulchra prole.*] Bene postremum addidit, propter quod matrimonium contrahitur, pulcherrimos filios. Et mire hoc Juno Lucina promittit, quasi non ob libidinem offerat. Notanda tamen figura, frequenter enim hac utitur, nam quod nos per genitivum singularem dicimus, antiqui per septimum dicebant.

ut hoc

Æolus hæc contra: Tuus, ô regina, quid optes
Ex-

ut hoc loco, *parentem pulchra prole*, id est, pulchræ prolis. Et simpliciter intelligendum est: errant namque qui dicunt ideo *Pulchra* dixisse, propter Canacem & Macareum in se invicem turpissimos fratres; illi enim alterius Æoli filii fuerunt. *Servius.*

Pulchra faciat te prole.] Nam ex legitimo & stabili connubio hæc proles speranda. Extollit etiam munus, primum à numero bis septem, deinde à qualitate. *Donatus.*

Pulchra te prole parentem.] Quanto hæc melius, (*inquit Scalig. lib.* 4. *cap.* 16.) quam si dicat, *Pariat tibi liberos.* Idem, Non solam, *inquit*, pollicetur oblectationem, quod bestiarum est: sed & prolem, cujus gratiâ matrimonium est institutum. lib. 5. cap. 3. Atque ut in priori versu perpetuitatem matrimonii pollicetur, ita in hoc felicitatem: nimirum prolem, & quidem pulchram. Nam (ut est apud Platon. Dialog. 6. De Leg. & Legumlat.) cogitare omnino Sponsus & Sponsa debent, quo pacto quam pulcherrimos & optimos civitati liberos possint procreare. Donatus hîc *Pulchram prolem*, non corporis, sed generis honestate decoratam interpretatur. ut cum inferius Poëta originem Cæsaris adsereret à Trojanis descendere, & hanc partem inter laudes ejus poneret; *Nascetur*, inquit, *pulchra Trojanus origine Cæsar.* scilicet, *Pulchra* non corpore, sed natalium honestate. ἀρχαϊκῶς autem & more suo, *pulchrâ prole parentem*, dixit in casu septimo, pro, *pulchræ prolis.* Taubm.

Pulchra faciat te prole parentem.] Sic Apulejus l. 6. Metam. *unde me præclara sobole aviam beatam scilicet faciat.* pro *facere.* Lucret. l. 5. *procudere prolem.* Vide Gifanium. *Emmeness.*

76. *Æolus hæc.*] Deest *dixit.* quod ex posteriorbus intelligitur, ut supra notavimus. *Servius.*

Æolus hæc contra.] Non contra voluntatem Junonis, sed contra verba. non enim ad præmia respondet, ne videatur moveri libidine, ut Paris. Reddit benevolam, cum dicit discernendo officia: Tuum est jubere, meum complere jussa. *Donatus.*

Æolus hæc contra.] Brevi Orationi opponit pro re natâ brevius responsum Æolus, & beneficiis Junonis erga se exaggeratis omnem ipsi operam pollicetur, atque etiam præstat. *Æolus* est imago aulicorum parasitorum (inquit Victorius) colludentium cum dominis. Non enim disputat hîc Æolus de Jure: An juste faciat, an secus, turbando alterius regnum, & piam gentem atque exsulem vexando: sed statim ad Reginæ affectus inflectit & conformat suos. *Taubm.*

Regina.] Inferioris personæ reverentia est, majorem meritis appellare, non nomine. Contra, majoris est minorem nomine tantum vocare. qui ordo non nisi per indignationem corrumpitur: ut in duodecimo, Sages in extremis rebus, Turnum, non regem vocat: ut, *Ruitque implorans nomine Turnum.* Et alibi de Aristæo, *Et te crudelem nomine dicit.* Servius.

Tuus, ô regina, quid optes.] Et si placet *quid* indefinitum, in plerisque tamen codicibus vetustis *quod* habetur: idque alicubi per *t* finale, non ut numerum significet, sed quia *t* & *d* indifferenter poni tam in tabulis æneis, quam in marmorum monumentis, apud veteres observatum. *Pier.*

O regina.] Inferioris personæ reverentia est, majorem *meritis* appellare, non *nomine.* Contrà, majoris est, minorem tantum nomine vocare. Qui ordo non nisi per indignationem corrumpitur, ut in 12. Æn. Sages in extremis rebus *Turnum*, non *Regem* vocat: ut

— *ruitque implorans nomine Turnum.*

Vide N. 4. G. ℣s. 321. & ad Amph. Plauti act. 1, 3. Est responsum hîc aulicum,

Explorare labor: mihi jussa capessere fas est.
Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu sceptra Jovemque
Con-

cum, Gnedige Fraw: Was Ewer Gnad will. *Taubm.*

Optes.] *Optare* non tantum eligere significat; ut alibi, *Optavitque locum Regno*; Sed etiam *velle*, ut hoc loco, *quid optes*, quid velis. Lucilius in VI. *Quid ipsum facere optes?* id est, velis: Alii *quid optes*, quid petas. Sane servavit ordinem. Nam qui promittit statim à primo polliceri debet, post si qua vult addat; ut auditor expectatione non pendeat. *Servius.*

77. *Explorare.*] Deliberare. Superius namque multa poposcerat Juno: Hoc ergo dicit, Tuum est deliberare quid velis, aut certe aperire vel pensare, quale sit desiderium: Alii explorare Jovis animum; aut certe *explorare*, explanare, aut certe statuere an æquum sit, quod petis, tuus enim hic labor est. *Idem.*

Quod optas explorare l.] Orditur ab utriusque officio. Tui, inquit, laboris & curæ est, deliberare, σκέπτεσθαι, quodnam ex iis, quæ modo poscebas, potissimum velis jubeasque; sollicitudinis autem meæ est, id gnaviter dare effectum. *Taubm.*

Mihi jussa capessere fas est.] *Capessere*, est *sæpe capere*: figura est liptotes, quod fit quotiescunque minus dicimus & plus significamus per contrarium intelligentes. ut hoc loco, nam cum dicit, non se posse implere, quæ Juno præcipiat, nefas tamen putat non implere præcepta. Item alibi, *Munera nec sperno*, id est, libenter accipio. E contrario autem nefas mihi facere non jussa. Hoc secundum ea, quæ aliter dicuntur, aliter audiuntur, dictum est. *Servius.*

Mihi.] Sane ultima syllaba produci debet; quia hoc casu omnia vel nomina vel pronomina, vel participia in ultima syllaba produci debent. *Idem.*

Jussa capessere.] Taubmannus legit *facescere.* Sed Non. Marc. c. 4. & ipse Servius agnoscunt *capessere* pro *perficere.* cum eo faciunt omnes, quos vidi, codices. *Emmeness.*

Fas est.] Licebit facere, etiam si illicita jusseris. Respondet contra, veluti si dicat: etiam si victi non sint Penates, licebit facere: Nam cum, qui potestatem habet, jubet, illicita fiunt licita inferiori. Vel dixit contra, quia Juno dixit illum habere imperium à Jove, hic respondet habere ab ipsa Junone: & ut videatur memor beneficiorum addidit, *Tu sceptra Jovemque.* Donatus.

Fas est.] Propriè dictum. Quia (ut ait Scaliger) *Jus* est hominum; *Fas* deorum, quorum numen fata condit. Tua enim jussa sunt fata. Et notetur quantâ elegantiâ, quâ majestate extulerit illa simplicia; *Tuum jubere est, meum parêre.* lib. 5. cap. 3. Porrò hunc versum refert P. Victorius lib. 29. cap. 4. ad illum Eurip. in Ione: ποῦ, καί τι δρῶσαις; σὸν λέγειν, τολμᾶν δ' ἐμόν. Id est. *Ubi, & quid faciens? Tuum est imperare, meum verò obsequi.* Taubm.

78. *Tu mihi q. h. regni.*] Hoc ad illud respondet, *Namque tibi divûm pater atque hominum rex.* Redit ad physicam rationem. nam motus aëris, id est, Junonis, ventos creat, quibus Æolus præest. Dicendo autem, *Quodcunque*, aut verecunde ait, ne videatur arrogans: aut quia ipse rex sub alieno imperio est, aut latenter pene jocatur Poëta. quis enim potest ventos, id est, rem inanem tenere. *Quodcunque* ergo, quod *clauso regnorum carcere regno*, nec in mea manu est, nisi jusso ventos emittere. *S.*

Tu mihi quod.] Vult esse Junonis, quod Juno illum à Jove accepisse memoravit. *Donatus.*

Tu mihi quodcumque.] Donat. in Hec. Terent. act. 4. sc. 4. notat, apud Virgil. *hoc regni*, cum contemptu dici. *Taubm.*

Sceptra.] Insigne regium, βασιλι-
κὸν

Concilias: tu das epulis accumbere divûm,
Nimborumque facis tempestatumque potentem.
Hæc ubi dicta, cavum conversa cuspide montem

In-

καὶ ῥάβδος, ut Suidas, quod hastam appellat Justin. l. 43. c. 3. *per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Græci* sceptra *dixere*. ad quem locum consule Turneb. l. 22. c. 12. ab hoc reges Homer. Iliad. *β*. ℣s. 86. *σκηπτοῦχοι βασιλῆες*. id est, *σκηπτροφόροι βασιλεῖς*. ut Scholiast. aureum gestabant reges Persarum, quod testatur Briss. de regn. Pers. l. 1. p. 43. & 146. *Emmeness.*

Jovemque concilias.] Hysteroproteron in sensu. non enim Juppiter conciliatur Æolo: sed Æolus Jovi, quasi superiori. Conciliantur autem novi, reconciliantur antiqui. *Servius.*

Jovemque concilias.] Impetras mihi regnum à Jove conciliato. Donat. in Phorm. Ter. & Prisc. lib. 1. De Construct. Attingit autem rem Physicam verbo *Conciliare*. nam *Juno* est aër, ex cujus motu venti generantur: *Juppiter* vero ignis est, qui aërem temperat. *T.*

79. *Tu das epulis accumbere divûm.*] Hoc est, deum me facis. duplici enim ratione divinos honores meremur, dearum conjugio, & convivio deorum. unde in Bucolicis legimus, *Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.* Sane *epulis accumbere*, secundum temporis consuetudinem dixit, nam olim sedentes vescebantur, sicut ipse meminit, *Gramineoque viros locat ipse sedili.* &, *perpetuis soliti patres considere mensis:* & apud Homerum sedentes Dii epulantur. *Servius.*

Das epulis.] Superius beneficium humanitatis accumulatur, si convivium cum potiore misceatur. Tertio, si cum potioribus plurimis, quarto si inferior persona non sedeat, ut fieri solet, sed accumbat: posuit in fine hoc, quod desideras tuum est. Personarum igitur in utraque oratione rationem habuit, scilicet Junonis, Æoli, Trojanorum, penatium victorum: Veneris, Helenæ, Paridis, & Deïopejæ. Item loci, propter mobilitatem Thyrreni maris & proximitatem Italiæ. item temporis: nam Juno breviter oravit, & Æolus brevius respondit, ne longitudine tempus nocendi subtraheretur. *Donatus.*

Das accumbere.] Facis me accumbere, hoc tibi debeo. ideoque me totum sui beneficii esse lubens profiteor. Non. Marcell. citat nostrum l. 3. Æn. ℣s. 77.

Inmotamque coli dedit, & contemnere ventos.

quod veteres accubuerint, ex appendice F. Ursini ad Ciacc. de Triclin. p. 247. 248. liquidum satis. antiquissimis tamen temporibus prisci Romani sederunt epulantes. post cibum sumentes accubuerunt viri, fœminæ autem sederunt. Dein accubuit uterque sexus idem p. 244. 245. *Emmeness.*

80. *Nimborumque.*] Nubium. ut, *& Lunam in nimbo nox intempesta tenebat.* Servius.

Tempestatumque potentem.] Id est, dominum. Horat. l. 1. od. 3. *sic te diva potens Cypri.* multa congessit exempla Lambinus. violentissimæ tempestatis fit mentio apud Ovid. l. 11. ℣s. 480.

Cum mare sub noctem tumidis albescere cœpit
Fluctibus; & præceps spirare valentius Eurus.
Ardua, jamdudum, demitte cornua, rector
Clamat; & antemnis totum subnectite velum. &c.

horridarum aliquot tempestatum exempla habet Farnab. ℣s. 499. *Emmeness.*

81. *Hæc ubi dicta.*] Et ab Junone & ab Æolo. Et, *dicta*, si nomen est, dedit; si participium deest *sunt.* vel, *hæc ubi dicta*, pro *postquam*, adverbium loca-

Inpulit in latus: ac venti, velut agmine facto,

Qua

locale pro temporali. *Servius.*

Hæc ubi.] Post utriusque orationem, cœpit Æolus jussa complere. Emisit plurimos ac contrarios ventos: ut confligentibus inter se fluctibus, regendis navibus consilium non suppeteret, & deficiente industria, facilius mergerentur, & mersis navibus corpora disjicerentur: & ut complerentur jussa Junonis, accessit ad violentiam maris, aliorum quoque elementorum perturbatio; nam nox eripuit cælum ac lucem, ut esset eadem facies maris & terræ, ne contra mala consilium suscipi posset; neve scirent gubernatores, in quam partem niterentur. Mittebantur tonitrua & fulgura, ut multiplici metu Trojani desperantes, nihil aliud quam mortem expectarent. *Donatus.*

Cavum.] Ordo est, Conversa cuspide cavum montem in latus impulit. Et alibi, *In latus inque feri curvam compagibus alvum Contorsit.* Alii *in latus* pro latus accipiunt. Ennius, *Nam me gravis impetus Orci Percutit in latus*: & bene *in latus* quasi in rem, quæ facile cedit ictui. *Servius.*

Hæc ubi dicta, cavum, &c.] Judicium summorum virorum est, neminem Poëtarum conferri posse cum Virgilio in hac tempestatis descriptione. Nam Homerus Odyss. 5. illam tantum inchoavit, non perfecit, ubi multa sunt indigna Homeri ingenio. Lucanus lib. 5. furit, & multa interdum ridicula. Ovidius 1. Trist. & 11. Met. nugatur in re satis luctuosa. Papinius 5. Theb. & Flaccus 1. Arg. sui semper sunt similes. Seneca in Agamen. multis redundat. Apollonius plebejus est multorum judicio. *Cerda.*

Hæc ubi dicta, cavum, &c.] Macrob. l. 5. Saturn. c. 4. hunc locum Homero deberi affirmat. ex hisce antecedentibus judicandum monet Quintil. l. 8. c. 4. de magnitudine tempestatis. *Emmeness.*

Montem.] Statius 10. Theb. saxum dat, quod claudat portas Æoli,

Portam iterum saxo premat imperiosus, & omne
Claudat iter.

Virgilius ex Calabro, ut apparet, qui lib. 14. incipiens tempestatem, χερσὶν ὑπ᾽ ἀκαμάτοισιν ὄρος μέγα τύψε τριαίνῃ, *validis manibus sceptro montem percussit.* Loquitur de Æolo. & postea: βίᾳ δ᾽ ἔρρηξε κολώνην, *vi dirupit collem.* Cerda.

82. *Inpulit in latus.*] Corradus & Germanus referunt hoc ad ventos, qui oblique aspirant & in latus. Græci dicunt πνεύματα πλάγια. hi sunt præsertim Notus & Boreas, quorum φορὰ ἐστι λοξὴ, ait Arist. 2. Meteor. Ex Virgilio Flaccus 1. Argon.

— *tum valido contortam turbine portam*
Impulit Hippotades. Idem.

Agmine.] Vel impetu, vel multitudine. nam *Agmen* polysemus sermo est. nam impetum significat. ut, *Illi agmine certo Laocoonta petunt.* Multitudinem, ut hoc; *Vocat agmina sæva sororum.* Sed mirum cur *agmina* dixerit, cum tres sint, nisi forte etiam impetum voluit simul designare. Et jam exercitum incedentem *agmen* vocamus. *Servius.*

Ac venti, velut agmine facto.] Exitium ventorum è carcere, & conatus primos ad pugnam ita expressit Homerus Odyss. 12.

— ἦλθε
Κεκληγὼς Ζέφυρος.

venit stridens Zephyrus. Languidum hoc, & nihil ad verba *agmen*, *turbinem*, *perflant*, *ruunt*. Æque frigide 9. Il. loquens de Borea & Zephyro inchoantibus tempestatem, ἐλθόντ᾽ ἐξαπίνης, *venientes repente.* Homerici interpretes, ut medeantur tanto languori, reddunt *ruentes.* Aliquanto dignius Odys. 4.

— λιγέων δ᾽ ἀνέμων ἐπ᾽ ἀϋτμένα
χεῦε;

Stri-

Qua data porta, ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque à ſedibus imis
Una Euruſque Notuſque ruunt, creberque procellis
Afri-

Stridulorum ventorum flatum effudit. Sed neque hîc caret reprehenſione. Nam vox prima potius ad concentum pertinet, & canoros ſonitus, quàm ad impetus, qui excitandi in tempeſtatibus. Ab Calabro lib. 14. ita educuntur venti, οἱ δ᾽ ἄφαρ ἐξεγένοντο. Sumpſit ab Homero, qui ἐπέχυε. Addit Calaber duo alia verba, ὤρνυντο, φέροντο. Aratus in Phænomen. ſic inchoat exprimens impetum, ὄρωρε χειμών. Ovid. 11. Metam. ita incipit:

Cum mare ſub noctem tumidis albeſcere cœpit
Fluctibus, & præceps ſpirare valentius Eurus.

In quibus *nulla efficacia*, ait Jul. Scaliger. Aliquanto dignius Valerius,

—— fundunt ſe carcere læti
Thraces equi.

Digniſſime Horatius, & cum majeſtate, od. 10. Epod.

Inſurgat aquilo quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.

Varro in Marcipore ita præclare:

Ventique frigido ſe ab axe eruperant
Phrenetici, ſeptentrionum filii
Secum ferentes tegulas, ramos.

Cerda.

83. *Qua data.*] Et in XI. *Coëant in fœdera dextræ Qua datur. Qua* ergo, quoniam: vel *qua data*, ad votum ventorum videtur retuliſſe. *Servius.*

Porta.] Omnis exitus *porta* dicitur, qua poteſt vel importari vel exportari aliquid; aut ideo *porta*, quia agmine dixerat. Nam *porta* proprie aut urbis, aut caſtrorum eſt. *Idem.*

Porta.] Vaſis genus deſcribit Vitruvius lib. 1. cap.6. ipſe vocat *Æolypilam*, id eſt, portam Æoli. Qui legat, quæ ibi Vitruvius, facile intelliget huic vaſi nomen inditum à portis Æoli. Peritiam Maronis Turnebus colligit lib.25. cap.12. *Cerda.*

Ruunt.] Pro, *irruunt*: vel, cum impetu erumpunt. At paulo poſt active, & ſignatiſſime dixit, *venti ruunt mare*; quaſi, eruunt, evertunt: ut ῥύμη. Scalig. lib.4. c.16. Lucret. l. 1.

—— ruit qua quicquid fluctibus obſtat.

Euripid. αὐτοῖσιν βάθροις ἄνω κάτω στρέψασα. *Taubm.*

Turbine.] Vi ventorum. Et ſciendum eſt, quod quando appellativum eſt, *turbinis* facit: ſi autem ſit nomen proprium, *turbonis* facit: Horatius, *Turbonis in armis.* Servius.

84. *Incubuere mari.*] Tria dicit elementa turbata, *Terras turbine perflant. Incubuere mari*, & rurſum, *Intonuere poli.* His ergo enumeratis recte adjecit, *Intentant omnia mortem.* Idem.

Incubuere mari.] Homerus, de ventis ſingulis πέσε. Illum imitans Heſiodus in Theog. πίπτουσαι ἐς ἠεροειδέα πόντον ait, auras incidiſſè in nigrum pontum. Latini ex ductu Virgilii *incubuêre.* Nam Ovidius in epiſt. Laodam.

Incubuit Boreas, arreptaque vela tetendit.

Seneca in ſua tempeſtate: *venti undique incumbunt ſimul.* Dio Chryſ. orat. 75. ita extulit, κατερείσαντος ἀνέμου. Cedrenus ita, λαίλαπος καὶ θυέλλης δίκην ἐνέσκηψεν. *Cerda.*

85. *Una Euruſque Notuſque & Africus.*] Bene hos modo tres ventos inferiores tantum nominavit, quia ſedibus mare jure commovent, Zephyrum & Aquilonem tacuit: Zephyrum qui ad Italiam ducit, Aquilonem qui deſuper flat. ideo Homerus de eo καὶ Βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων. *Servius.*

Una Euruſque Notuſque, &c.] Paulo aliter hanc ſententiam & procellam extulit Muſæus: μαρναμένων ἀνέμων, ζεφύρω

φύρῳ

Africus, & vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorque virûm stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes cælumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.

Into-

φύρῳ δ' ἀντέπνεεν βόῤῥας, καὶ νότος ἐς βορέην μεγάλας ἐφίηκεν ἀπειλάς. Hîc autem Africum à Virgilio pro Zephyro dici notat Turnebus, ut ab Homero superiore loco non pro Favonio, sed Africo, ut quem δυσαῆ dicat Hom. *G.*

Ruunt.] Modo *eruunt.* Servius.

Procellis.] *Procella* est vis ventorum cum pluvia, dicta *procella* quod omnia percellat, hoc est, moveat. *Idem.*

Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis Africus.] *R*, & *S*, optime exprimunt ventorum violentiam, præsertim si cæsuræ juvent, teste Vossio l. I. Instit. Poëtic. c. 8. Noster l. II. ✠ſ. 625.

Nunc ruit ad terras scopulosque superjacit undam
Spumeus, extremamque sinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retro, atque æstu revoluta resorbens
Saxa.

de Africo luctante fluctibus Icariis Horat. l. I. od. I. ex Homero desumptus locus Odyss. ε. ✠ſ. 295. *Emmeness.*

87. *Insequitur clamorque virûm.*] Sequitur, quia præcesserat ventorum sonus, quem & ipsum clamorem possumus dicere. *Servius.*

Stridorque rudentum.] Proprie enim in funibus stridor est. Pacuvius in Teucro, *Armamentûm stridor & rudentum sibilus.* Idem.

Stridorque rudentum.] Funes sunt nautici ad navium ministerium: pro his accipi à Plinio, quibus naves ad terram religantur, Bayfius admonet. His Poëta dat stridorem, ut Ovid. in sua tempestate:

Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes.

Omnes ad etymon aspirant, quippe rudentes à rudendo. *Cerda.*

Stridorque rudentum.] Sic Silius l. 17.

—— *Stridorque immite rudentum*
Sibilat.

Horat. l. Epod. od. 10,

Niger rudentes eurus differat.

Emmeness.

88. *Eripiunt subito.*] Accius in Clytemnestra, *Deûm regnator nocte cæca cælum è conspectu abstulit.* Servius.

Diem.] Id est, solem (notatore Parrhas.) nam postea: *Collectasque nubes, Solemque reducit.* Apertius Claudianus, & Lucretius. Hic, *lucida tela diei*, id est, solis: ille, in Raptu:

Merserat unda diem,

id est, solem. hîc contra *soles* pro diebus accipi, clarum. Quid si vere diem ad αὔξησιν; ita ego accipio Senecam Rhetorem cont. 16. *Emicabant densis undique nubibus fulmina, & terribili fragore horridæ tempestates absconderant diem.* Cerda.

89. *Teucrorum ex oculis.*] Bene *Teucrorum*, quibus tempestas immissa erat. Nunquam enim totum cœlum tegitur nubibus, sed illa pars, contra quam flaverint venti. Diem autem eripi, ad videntum oculos retulit, non ad naturam. *Servius.*

Nox incubat.] *Nox* dicta, quia oculis noceat. *Idem.*

Incubat.] Ideo dixit, quod alienum tempus invasit. Nam *incubare* proprie dicitur, per vim rem alienam tenere. Aut certe *nox incubat*, ut nihil intervalli esset inter tenebras & mare, aut tempestates, ut in Georgic. *Ipse pater media nimborum in nocte corusca Fulmina molitur dextra.* Idem.

Ponto nox incubat atra.] Melius quam Homericum ὀρώρει νὺξ, *ruit nox.* Ab nostro Curtius lib. 9. *caliginem, ac tenebras, ac perpetuam noctem profundo incubantem.* Hoc enim verbo molestissimum quiddam indicatur. Tale illud Hora-

Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther:
Præsentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Æneæ solvuntur frigore membra.

Inge-

Horatii lib. I. Od. 3. *Macies, & nova febrium Terris incubuit cohors*. Cerda.

Nox atra.] Tempestatis indicium, cum nempe, ut Horat. epod. l. od. 10. sidus amicum nullum apparet. cum *atra nubes condidit lunam, neque certa fulgent sidera nautis*. eodem canente l.2. od.16. ut Maro hic in describenda atroci est tempestate, sic Juvenal. Sat. 12. ✠s. 18.

Nam præter pelagi casus, & fulguris ictum
Evasi, densæ cœlum abscondere tenebræ
Nube una, &c.

similem descriptionem tempestatis narrat Apollon. arg. l.2. ✠s.1105.& seqq. *Emmeness.*

90. *Poli.*] Axes, id est, extremæ partes coeli. Duo enim sunt Notios & Borios, à quibus totum cœlum contonuisse significat. *Servius.*

Æther.] *Ætherem* hic pro aëre posuit. nubes enim unde & fulmina, aëris sunt, non ætheris: & frequenter Virgilius duo ista confundit. *Idem.*

91. *Intentant.*] Minantur, ingerunt. *Idem.*

Intentant.] *Intentare mortem, vim, manus*, elegantissimæ locutiones, de quibus exemplorum copiam expromit ex Cicerone aliisque optimis scriptoribus Hadr. Card. de Serm. Lat. *Emm.*

Omnia.] Ad superiora retulit. *Serv.*

92. *Extemplo.*] Illico, statim. Et est augurum sermo. *Templum* enim dicitur locus manu designatus in aëre, post quem factum illico captantur auguria. *Idem.*

Extemplo.] *Extemplo* est continuo inquit Varro de Ling. lat. lib. 6. Est autem verbum sacrorum, sicut *Ilicet* judiciorum. Ut enim hoc dimisso senatu; sic & illud sacrificio patrato à præcone pronuntiabatur: quo significabatur, ut exirent ex templo. Quod quia cito fiebat, inde pro cito, & propere sumi cœptum est. *Scalig.*

Æneæ.] Servavit τὸ πρέπον, ut Æneam ultimum territum dicat. *Servius.*

Extemplo Æneæ.] Exprimit quale & animi & corporis senserit pathos. *Don.*

Frigore.] Timore. Et est reciproca translatio: Nam & *timor* pro frigore, & *frigus* pro timore ponitur: ut in Terentio, *Uxorem tuam pavitare ajunt: non timere, sed laborare frigoribus*. utrumque enim in unum exitum cadit, sicut & de calore & frigore, *urere* dicimus. ut est, *Aut Boreæ penetrabile frigus adurat*. Nam & Græci φικτὰ dicunt quæ sunt timenda, ut Homerus δῶρα μὲν οὐκ ἔτ' ὀνοστὰ. Livius in Odyssia: *Igitur demum Ulixi cor frixit præ pavore*. Reprehenditur sane hoc loco Virgilius, quod improprie hos versus Homeri transtulerit: καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ ὀχθίσας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν. Nam *frigore soluta membra* longe aliud est, quam λύτο γούνατα. *Et duplices tendens a. s. p.* * 1. molle, cum illud magis altum, & heroïcæ personæ πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν. Præterea quis interdiu manus ad sidera tollit; aut quis ad coelum manum tendens, non aliud precatur potius quam dicit. *O terque quaterque beati*. Et ille intra se, ne exaudiant socii, & timidiores despondeant animo: hic vero vociferatur. *Servius.*

Frigore.] Non pro timore posuit: nam derogaretur ejus virtuti, ergo *frigus* dixit proprie quod oriebatur; non ex casu evidentissimæ mortis, sed ex tot adversis, quæ corporis calorem extinxerant: quia cruciabatur animus viri fortis, qui maluisset gloriosius in campo occumbere, quam ignobiliter in fluctibus interire. *Donatus.*

Ex-

Ingemit, &, duplicis tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati,

Quis

Extemplo Æneæ.] Odyss. ε. λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ. Vide Floridum l. 2. cap. 10. succis. lectionum. *Hartung.*

Extemplo Æneæ solvuntur frigore membra.] Locus apud nostrum huic persimilis l. 3. Æn. ✠s. 29.

—— *mihi frigidus horror*
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.

frigus solet præcordia metuentium invadere. unde Ter. Phorm. 5.8.5.

Abi: tange: si non totus friget, me eneca.

sic Oppian. l. 5. ἁλιευτ. ✠s. 564.

Δείματι καὶ καμάτῳ θυμαλγέϊ γυῖα λέλυνται.

ubi præcipue genua officio defungi non posse, quando stupor obsedit animum, erudite notat Rittershusius. Quod accidit Phaëtonti imperito paterni currus aurigæ, de quo Ovid. lib. 2. Metam. ✠s. 180.

—— *Et subito genua intremuere timore.*

Emmeness.

93. *Ingemit.*] Non propter mortem. sequitur enim, *O terque quaterque beati.* sed propter mortis genus. grave est enim secundum Homerum, perire naufragio, quia anima ignea est: & extingui videtur in mari, id est, elemento contrario: ut, *igneus est ollis vigor.* Servius.

Duplicis.] Duas secundum antiquum morem. nam *duplices*, duas dicebant, ut hoc loco, & *binos*, duos: & *utrosque* pro utrunque. ut Cicero, *Binos habebam, jubeo promi utrosque.* Item Sallustius cum de duodus loqueretur: *Hi utrique ad urbem imperatores erant.* Idem.

Duplicis.] Ambas tollit manus; & tollit alte: quod indicium est calidi adfectûs. vel, tollit ad sidera, ad indicandam eorum beatitatem, qui pro patriâ perierunt: quibus in cœlo decretas esse sedes existimat, è Platonis epitaphio. Nec gestu tantum affectus declarat, sed & verbis expressis, —— *O terque q.* Huic orationi affinis est illa Æn. 3. *O felix una ante alias, &c.* Taubm.

Palmas.] Manus explicitas. *Servius.*

Duplicis tendens ad sidera palmas.] Precaturi manus ad cœlum tollebant. Horat. l. 3. od. 23. *Cœlo supinas si tuleris manus.* Quod fusius Lambinus ex Marone & aliis illustrat. *Emmeness.*

94. *Talia voce refert.*] Profert, *Re* abundat; alibi *refert*, respondet, ut initio 4. Æneid. *Anna refert*; in consuetudine, sic dicimus, *ille mihi retulit.* Servius.

O terque quaterque.] Hoc est sæpius. Finitus numerus pro infinito. & sic erupit in vocem cum dolore τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις οἳ τότ' ὄλοντο. Et hoc principium quidam acephalon dicunt, cum intelligi debeat multa eum intra se cogitasse, postremo in hæc erupisse. *Idem.*

O terque quaterque.] Id est, multifariam. *Donatus.*

O terque quaterque b.] Id est, omnibus modis beati. Græci unâ voce τρισμακαρίους dicunt. Sic Tib. l. 3.

O mihi felicem terque quaterque diem!

id est, septies, ut doctis placet, qui conjunctim accipiunt, ob numeri septenarii efficaciam. De quo numero videatur Macrobius, Agell. lib. 3. c. 10. alii. Ita Homerus: τρὶς μάκαρες Δαναοὶ, καὶ τετράκις, &c. Ab Aristophane, in Pluto, opponitur *Terque quaterque beatis* τρισκακοδαίμων, καὶ τετράκις καὶ πεντάκις. Est autem hæc oratio densissima adfectibus; & habet primum πάθος à personâ & loco. *Taubmannus.*

O terque quaterque beati.] Id est, plene & per omnia beati, ut Macrob. l. 1. in Somn. Scip. c. 6. ubi, nescio quid, de

Quîs ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere! ô Danaûm fortissime gentis
Ty-

de numero septenario somniat. *terque quaterque* pro indefinito numero, ut l. 12. Æn. ℣s. 155.

Terque quaterque manu pectus percussit honestum.

Horat. l. 2. Sat. 7. ℣s. 176.

— *Quem ter vindicta quaterque*
Imposita haud unquam misera formidine privet.

de hac locutione Brodæus Misc. l. 2. c. 1. Maluisset cadere in bello fortissimus heros, quam aquis extingui, à quo genere mortis viri strenui vehementer abhorrebant: quare Hesiod. ἔργ. δεινὸν δ' ἐςὶ θανεῖν μετὰ κύμασιν. vide hunc Virg. locum explicatum à Fr. Luisino l. 2. Par. c. 28. & Guther. de jure m. l. 1. p. 52. *Emmeness.*

95. *Quîs.*] *Quis* & *quibus* unum significant: secundum artem enim sic dicimus. Ab eo quod est à *Qui*: *bus* mittit ab eo quod est à *Quo*, in *is* mittit. sed à tertia declinatione in usu sunt dativus & ablativus plurales; licet antiqui omnibus usi sunt casibus. Cato in Originibus ait, *Si ques sunt populi.* Et declinavit *ques*, *quium*: ut *puppes*, *puppium.* Servius.

Quîs ante ora.] De Polyte, ex iis quæ in 2. dicuntur, intelligemus: qui cæde Pyrrhi in conspectu patris occubuit. *Donatus.*

Quîs ante.] Valerius Probus versum hunc citans *queis* jambum esse dicit, passimque dativo & ablativo casu pro jambo accipi debere. Quare non alienus sum ab eorum opinione, qui *queis* per *ei* scribendum censent, ut aliquot habent marmora: sed hoc loco cadit in unam syllabam: κατὰ συνίζησιν. *Pierius.*

Mœnibus altis.] Propter Pergama, quæ altissima fuerunt: ex quibus omnia alta ædificia, *Pergama* vocantur, sicut Æschylus dicit. *Servius.*

Altis.] Id est, integra adhuc civitate. Ipse enim Æneas non Trojam altam, sed campos, ubi Troja fuit, reliquit, & in fluctibus pericilitatus est. *Donatus.*

96. *Oppetere.*] Ore terram petere, id est, mori, exspirare, vel occumbere. Possumus autem sic uti hoc sermone, & ut per se plenus sit, & recipiat adjectionem. Ergo dicimus & *oppetit*, & *mortem oppetit*, sicut & *expirat*, & *animam expirat*. Servius.

Oppetere.] Subaudi *mortem*, cum Sanctio in Min. p. 319. noster l. 12. Æn. ℣s. 543.

Te quoque Laurentes viderunt, Æole, campi
Oppetere.

plena locutio apud Ciceronem de divinat. l. 1. c. 18. *æquius esse censuit, se maturam oppetere mortem.* Non. Marcell. *mori* interpretatur, sed plus esse volunt alii, quia bellicosi heroes, cum confossi vulneribus in prælio cadunt, terram ore petere dicuntur, juxta illud Maronis, prædicantis, sub persona Turni, felicitatem eorum, quibus perire contigisset ante maximas miserias. Verba hæc sunt, l. 11. ℣s. 415.

Ille mihi ante alios, fortunatusque laborum,
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.

pro patria autem oppetere mortem decorum est, teste Horatio l. 3. od. 2. *Emmeness.*

Fortissime gentis.] Atqui in artibus legimus superlativum gradum non nisi genitivo plurali jungi. constat quidem: sed gens nomen est enuntiatione singulare, intellectu plurale. Bene ergo junxit: in gente enim plures sunt. ut alibi, *Ipse ditissimus agri Phœnicum.* non enim unus est ager Phœnicum. Item Salu-

Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra?

Sævus

Salustius, *Romani generis disertissimus.* aut superlativo pro comparativo usus videtur, quasi fortissimis comparandus; non, ut vulgo creditur, præferendus. cur Diomedem fortissimum dixerit, cum post Achillem & Ajacem ipse sit tertius. unde etiam Salustius ait, *Primum Græcorum Achillem.* Multi dicunt ideo *fortissimum*, quia juxta Homerum & Venerem vulneravit & Martem. Alii ad gentem referunt, quod Achilles Thessalus fuit, Ajax Græcus, Diomedes Danaus. Multi ad excusationem Æneæ volunt fortissimum dictum: à quo constat esse superatum, ut, Juvenalis: *vel quod Tydides percussit pondere coxam Æneæ.* Servius.

O Danaûm fortissime gent.] Ex illo, ad aliud raptus est: existimans se infelicem, qui & hunc exitum vitæ sortiatur, & ignobili morte periturus sit. *Donatus.*

O Danaûm fortissime.] Scilicet Homerus Diomedem κάρτιστον ἀχαιῶν vocat. Et hic locus illum sapere videtur Il. φ. quo Achillem Scamandri fatigatum assultibus pœnitet non occubuisse sub Hectore: ὥς μ' ὄφελ' Ἕκτωρ κτεῖναι, ὃς ἐνθάδε γ' ἔτραφ' ἄριστος, τῷ κ' ἀγαθὸς μὲν ἔπεφν' ἀγαθὸν δέ κεν ἐξενάριξε. *Germ.*

97. *Tydide.*] Vocativus Græcus, si enim Latine diceret, *Tydida* debuit ponere. Omnia enim patronymica quæ in *des* exeunt, apud Latinos primæ declinationis sunt; ut, *Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector.* Tydides Diomedes Tydei & Deiphyles Adrasti filiæ filius, qui post captum Ilium ad Italiam venit, quod plenius in XI. lib. habes. Eo tempore statua cum in templo Apollinis Delphici staret, vi quadam divina ad Corcyram migravit, visa est muros Corcyæorum defendere: Nam ejus comminatione, hostibus fugatis, Corcyra bello exempta est. *Servius.*

Mene Iliacis.] Ex his se infelicem existimans, qui hunc exitum vitæ non habuerit, sed vir fortis in pelago esset moriturus. Non potuit autem explere orationem, interveniente fluctu. Esset autem vitium poëtæ, si, finitis querelis, fluctus intervenisset: semper ergo imperfectas reliquit querelas, ut *Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur.* Et alibi: *Talia fundebat lachrymans.* Donatus.

98. *Non potuisse.*] Quasi semper voluerit. *Servius.*

Animam hanc.] Quasi cum dolore *hanc animam* dixit; ac si diceret infelicem, quæ ad laborem nata est. *Idem.*

Hanc animam.] Affectus non vulgaris, quem Ovidius arripuit 1. Trist. eleg. 2. in tempestate quam passus: *Opprimet hanc animam fluctus*, & in Ibin:

— *hanc animam nimium tibi sæpe petitam.*

Statius quoque, in sua tempestate, *hanc animam* dixit pari emphasi, versus postea adducam. Donatus in verba Terentii *hanc ego vitam*, ait, interpretans, *quæ nos perturbat.* & addit ita hic capiendum Virgilium. Pari emphasi 3. Æneid.

Vos animam hanc potius quocunque absumite letho.

& 4. Æneid.

Accipe hanc animam.

Terentius Hecyr.

Hanccine hanc animam parsi perdere?

& Propertius lib. 1. eleg. 6.

Me sine quem semper voluit fortuna jacere,
Hanc animam extremæ reddere nequitiæ.

Omnia hæc cum contemptu efferenda. *Cerda.*

Effundere.] Secundum eos qui dicunt sanguinem esse animam: ut ipse, *Purpuream vomit ille animam.* Nam alio

loco

Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon: ubi tot Simoïs correpta sub undis

Scuta

loco licet alias aliorum opinionem sequitur, qui dicunt spiritum esse animam. ut est, *Atque in ventos vita recessit.* Servius.

99. *Sævus.*] Magnus, vel fortis, vel bellicosus; ut est, *Et sævum Æneam agnovit Turnus in armis.* Vel adversus hostes *sævus*, & est epitheton ad tempus. Nam incongruum erat ab Ænea *sævum Hectorem* dici: aut *sævus*, quod adversum Antenorem & Æneam & Helenum sentiens, Elenam non permiserit reddi. Ideo *Sævus Hector*, quia Æneas pius. *Servius.*

Æacidæ telo.] Vult ostendere feliciorem Hectorem, cui contigerit ab Achille perire, quod ipse optaverit ei congressus, sicut in 5. Neptunus Veneri loquitur. Et bene legit cum quibus perisse debuerit, ipse enim & fortis est & numinum proles: certè ergo his jungitur, in quibus talia fuerunt. *Idem.*

Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens Sarpedon: ubi tot Simoïs correpta sub undis.] Ut prætercam *sævos* per *o*, & *conrepta* præpositione incolumi, veteribus in aliquot exemplaribus notata, quæ Scaurus ferre non potest: Id attingam, quod in antiquiori quodam codice legere est, *Hector & ingens*, pro *ubi ingens.* Nempe quod satis illis visum sit repetere bis tantum adverbium *ubi*, ne si ter prolatum sit, oratio loco tam mœsto lascivire videatur. Mihi vero perplacet ea triplicata repetitio, quippe quæ majorem quandam vim ad excitandum pathos habeat. Et bona antiquorum codicum pars *ubi* ter ponit: & in antiquis Prisciani codicibus ita citatos versus inveni, dicente eo *ubi* relativum gravari debere, ut hoc loco est, *ubi Æacidæ, ubi ingens, ubi tot Simoïs.* Pier.

100. *Sarpedon.*] Et in ultima syllaba, & in penultima possumus accentum ponere. Nam Homerus & *Sarpedonis* declinavit & *Sarpedontis*: unde & varius accentus est. Nam si *Sarpedonis* dicas, antepenultima habet accentum; si *Sarpedontis* penultima. Sed *Sarpedontis* usurpavit. Naturalis autem declinatio est, *Sarpedonis*, ut *Memnon Memnonis*, *Sinon Sinonis.* Si autem genitivum in *dontis* miserit, à circumflexo venit, qui est in ultima syllaba nominativi, ut *Demophoon, Demophoontis, Lycaon Lycaontis*: sic ergo & *Sarpedontis.* est autem Sarpedon, Jovis & Laodamiæ filius, ut alio, *Quin occidit una Sarpedon mea progenies*, occisus à Patroclo Menæcii filio, armis Achillis induto; hujus interitum Juppiter prosecutus dicitur imbre sanguineo. *Serv.*

Ingens Sarpedon.] *Ingens* staturâ & virtute bellicâ. Alii putant ad significatum vocis alludi: cum σαρπηδόνιον Gr. μέγα dicant, &c. *Sarpedonium littus*, Proverbium sit, de Clamosis. Fuit autem *Sarpedon* Jovis & Europæ (alii *Laodamiæ*) filius, frater Minois & Rhadamanti; rex Lyciæ: qui Trojanis suppetias ferens, à Patroclo interfectus est. cum quo omnis spes præsidii Trojanis cecidisse credebatur. Declinatur autem *Sarpedon, Sarpedonis* & *Sarpedontis*: de quo Servius. Denique placet quibusdam doctis, quod legitur in vet. l. —— *Hector & ingens*, pro, *Ubi.* nempe quod satis illis visum sit bis tantum repetere Adverbium *Ubi*: ne oratio loco tam mœsto lascivire videatur. Gifan. l. *ut*, pro, *Ubi*, *&c.* quod usitatum esse, etiam Scaliger ad Varr. notat. Catullus:

Ut convenerat esse delicatos.

Taubm.

Simoïs.] Nomen hoc integrum ad nos transiit, unde suo accentu profertur. Nam si esset Latinum in antepenultima haberet accentum, quia secunda à fine brevis. Sane bene fecisse videtur Simoïs mentionem, ut ibi videatur

Scuta virûm galeasque & fortia corpora volvit.
Talia jactanti stridens aquilone procella
Velum adversa ferit, fluctumque ad sidera tollit.
Fran-

deatur pati se optavisse, ubi genitus est, ut alibi: *Tunc ille Æneas quem Dardanio Anchisæ Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam.* hic flumen Trojæ est. *Servius.*

Correpta.] Rapta. *Idem.*

Sub undis.] Et *sub undis* legimus, & *sub undas.* Sed *si sub undas*, *correpta* intellige: si *sub undis*, *volvit.* varia ergo distinctio est. *Idem.*

101. *Fortia corpora.*] Id est, virorum fortium, nulla enim est in mortuis fortitudo. *Idem.*

Scuta virûm, galeasque & fortia corpora volvit.] De flumine repleto cadaveribus & armis noster lib. 8. Æn. ꝟs. 538.

—— *Quam multa sub undas*
Scuta virûm, galeasque & corpora fortia volves
Tybri pater.

Sil. Ital. l. 4.

Corporibus, clypeisque simul, galeisque cadentum
Contegitur Trebia, & vix cernere linquitur undis.

Locus autem hic Virgilii desumptus ex Homero l. μ. ꝟs. 22. ut monet Turneb. l. 18. advers. c. 32.

Καὶ σιμόεις, ἔθ' πολλὰ βοάγρια κὶ τρυφάλειαι
Κάππεσον ἐν κονίησι, κὶ ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν. *Emmeness.*

102. *Talia jactanti.*] Inaniter loquenti: ut alibi, *Atque irrita jurgia jactat.* &, *Voces dum jactat inanes.* Serv.

Jactanti.] Adhuc loquenti intervenit vis fluctus, nec permisit explicare felices, qui in Troja perierunt: se infelicem, qui in fluctibus sit periturus. *Donatus.*

Jactanti.] Viderunt jam alii superatum hîc Homerum, qui εἰπόντα dixit. Jactare propriè dicit querelas sine fructu, quod Æneæ accidit: nam loquentem illum sævior adhuc procella invasit. An in tanto tumultu exaudiri Vlysses posset? Transfer in hunc locum, quæ ego 2. Eclog. ad illud:

Montibus & sylvis studio jactabat inani.

Idem est enim jactare querelas suas ad montes, quod ibi facit Corydon; atque ad ventos, quod hîc Æneas. Sed & Lucanus frustra anhelat (ait Scaliger) ad Virgilium, neque enim assequitur, cum ait:

—— *Non plura locuto*
Avulsit laceros percussa puppe rudentes
Turbo rapax.

Cerda.

Aquilone.] Ab Aquilone. Ecce hic reddit ventum quem transierat, & à generali tempestate ad speciem transit. *Servius.*

Aquilone proc.] Ventis Austrinis opponit Septentrionalem. Nec ab re est, ut Aquilo reliquis ventis impetuosior velum Principis feriat. Hujus autem venti prosopopœia elegantiss. est apud Ovid. 6. Met. Fab. ult.

Apta mihi vis est, quâ tristia nubila pello,
Et freta concutio, nodosaque robora verto:

& quæ sequuntur. *Taubm.*

103. *Adversa.*] Contraria. quia ad Italiam navigantibus Aquilo contrarius est. *Servius.*

Franguntur remi.] Vel gubernacula: vel, quod verius est, remi. Antiqui enim velis remisque navigabant. Et hoc de navi Æneæ, an de omnibus dixit? *Tum proram avertit.* Alii *Prora* legi tradunt, ut sit, *Avertit*, pro *avertitur.*

Est est figura creberrima. potest namque pro activi verbi significatione passivum poni: ut est, *Et pictis bellantur Amazones armis*, pro *bellant.* Nec nos debet movere quod *bellor* non facit,

Franguntur remi: tum prora avertit, & undis
Dat latus. insequitur cumulo præruptus aquæ mons.

Hi

cit, natura enim hoc prohibuit verbum componere. Et invenitur ubi activum ponitur, ut est *avertit* pro *avertitur.* & *Insinuat pavor*, pro *insinuatur.* &, *Nox humida cœlo Præcipitat*, pro *præcipitatur.* Sed hæc verba tantummodo pro se invicem ponuntur, quæ & activa esse possunt & passiva; ut est *averto* & *avertor*, *præcipito* & *præcipitor.* Ergo non possumus dicere, quod quidam artigraphus, declinationes activi verbi & passivi pro se invicem poni. Nam & neutralis verbi declinatio activa est, & communis deponentisve passiva: & aliud est esse activum verbum, & aliud habere activi verbi declinationem. *Idem.*

Franguntur.] Classem tempestatibus agitatam tanto artificio descripsit, ut neque evidentius, neque expressius oculis corporis è littore, quam animo ex his versibus spectari possit. Quæ describendi ratio (semel ut dicam) Quintiliano *credibilis rerum imago*, aliis *Evidentia*, aliis *Informatio* dicitur. Aphthonius ἔμφασιν, Rutilius Lupus χαρακτηρισμὸν, Aquila Rom. διατύπωσιν, vulgo ὑποτύπωσιν vocant. *Taubm.*

104. *Tum prora avertit.*] Pro *proram.* alii *proram* legi tradunt, ut si *avertit* pro *avertitur.* Servius.

Tum prora avertit.] In Rom. codice, *proram* legitur, accusativo casu: cujus suppositum erit procella. Quanquam Servius longa disputatione *avertit*, pro *avertitur* legendum censet. Quare itidem *prora* casu recto ponendum: quæ quidem magis Poëtica elocutio est. *Pierius.*

Prora avertit.] Pro *avertitur*, id est, incipit circumagi in gyrum, ut Victorius explicat. Et est elegans orationis figura: de quâ Agell. lib. 18. cap. 12. Morem, inquit, istum veteribus fuisse, verba *Patiendi* mutare in *Agendi* modum. Ita inferius, *avertens roseâ cervice.* alibi; *Insinuat pavor: agglomerant*, pro agglomerantur: *turbant*, pro turbantur: *Nox humida cœlo Præcipitat*, pro præcipitatur: *Venti ponunt: volventibus annis*; ut, *anno vertente*, apud omnes fere. Ita Cicero pro Sextio, *qui non modo præcipitanti patriæ non subvenirent*, *&c.* Idem pro C. Rabirio Posth. & alibi. Livius: *Mores pop. Rom. quantum mutaverint.* Idem: *tempestas sedet.* Plautus, *Rugat pallium*, Casinâ: *iræ leniunt*, Milit. act. 2. sc. 6. ubi Notas nostras vide: vel etiam Servium ad hunc locum. *Taubm.*

Prora avertit.] *Vertere* sæpenumero absolute inveniri monet Torrent. ad Horat. l. 4. od. 10. Gell. 4. c. 18. *id cum dixisset avertit, & ire in Capitolium cœpit.* Congessit plura exempla Vechner. Hellenolex. l. 1. c. 12. *Emmeness.*

105. *Dat latus.*] Inclinatur. *Servius.*

Cumulo.] Exuberante fluctu, id est, altitudine, cum cumulo. *Idem.*

Præruptus.] In altum levatus. *Idem.*

Cumulo præruptus aquæ mons.] Laudat Scaliger Poëtam, qui non palam profiteatur eruditionem, ut alii. Nam cum decumanum, aut decimum fluctum intelligat, *montem aquæ* maluit dicere. Est vero *decumanus fluctus*, maximus fluctus. Perfectio enim hujus numiri facit, ut quæ sunt magna, efferantur per illum. Sic *ova decumana*, quæ maxima: *decumana scuta*, quæ amplissima: *pyxa decumana*, vel *decimiana*, apud Plinium, lib. & cap. 15. De *porta decumana* castrorum, lege Lipsium ad lib. 1. Ann. Taciti. Redeo. *Decumani fluctus*, multi meminere. Ovidius 11. Met. nominat *undam decimam.* Silius lib. 14. *volumen decimum.* Valerius, *tumorem arduum undæ decimæ.* Omitto Senecam, Lucanum, alios. Vide, uti Ovidius in Tristibus circumscribat hunc fluctum. Græci hunc fluctum appellant τρικυμίαν. Homerus Odyss. 3.

κύματα ἶσα ὄρεσιν, *fluctus æquales montibus*. Calaber lib. 14. *ἐοικότα κύματ' ὄρεσιν*, *fluctus similes montibus*. Homeri locum repræsentat Dio Chrysost. orat. 75. Ovidius 1. Tristium, eleg. 2.

— montes volvuntur aquarum.

& 15. Met.

— Cumulusque immanis aquarum
In montis speciem.

Paulinus natali 9. Felicis:

Et tremula compage minax pendebat aquæ mons.

Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, *montes gurgitum*. Aristides orat. 2. sacror. serm. & Græci alii simpliciter, *κῦμα ὑψηλόν*. Sed quoniam incidi in Aristidem, adde auctorem hunc reliquis advocatis à Junio Cent. 6. Adag. 77. Nam illo quoque firmabitur adagium illud: *Decumani malorum fluctus*. Verba Aristidis sunt in 2. Platon. *Θεμιστοκλέα δὲ τὰ δεύτερα ἀεὶ τῶν προτέρων μείζονα ἐξεδέχετο. καὶ τὸ τῆς παροιμίας αὐτῷ περιεστήκει. Τὸ μὲν γὰρ ἔλιπεν αὐτὸν κῦμα, τὸ δ' ἐπικατελάμβανεν, ἕως διεξῆλθε διὰ τῶν τρικυμιῶν νικῶν· Themistoclem vero posteriora semper prioribus excipiebant majora, &, ut est in proverbio, alius eum relinquebat fluctus, alius comprehendebat, donec per undas decumanas victor evasit.* Cerda.

Præruptus aquæ mons.] Moles aquæ prærupta, sive in altum elevata. J. C. Scalig. lib. 4. cap. 48. Poëta cum incomparabilem versum illum fecisset (Æn. 5.)

Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos:

impudenter Servius; *Pessimus*, inquit, *versus in monosyllabam desinens*. Utrum enim malis; huncne, an;

Sternitur, examinisque tremens bos corruit ictu.

Quis igitur illum quoque Grammaticorum interpolabit nobis, ne sit monosyllabum?

Dat latus, insequitur cumulo præruptus aquæ mons.

Quem versum quare non appellavit pessimum, sicut & congenerem illum alterum? Atque potuerat sic,

Dat latus, insequitur tumidis mons incitus undis.

Verum ut corruit taurus; ut confluxit in unum montem mare; ita corruit versus in monosyllabum; copia multarum syllabarum in unam coacta. Sicut & in illo (2. Æn.)

— ruit Oceano nox.

Quid illo acrius? (6. Æneid.)

— en hæc promissa fides est?

Nihil enim aptius indignationi, quam oratio desinens in monosyllabum. Vel evolve Demosthen. Orationes: quotnam ejusmodi periodos invenies? Inverte modo, nihil frigidius. Itaque omnibus locis adeo studiosus fuit collocationis, ut si quid tantillum mutes, deterius facias. Horatius quoque cum è magnis ceptis futile Poëma exiturum stomacharetur, ex prolixis vocibus eduxit finem monosyllabum,

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Sic Poëta valido monosyllabo substentavit procedentem ac mobilem versum, 4. Æn.

Massylique ruunt equites, & odora canum vis.

Quam vocem si transmittas alio, totus pereat decor. In illo quoque (2. Æn.) avertit deæ mentem, ut postea figat in pertinacia,

— aversa deæ mens.

Quæ semel huc annotasse è re visum est. *Taubm.*

Præruptus aquæ mons.] Aqua in altum sublata *μέγα κῦμα* nempe, cum *ὕπερθε πολλὸν ἁλὸς κορθύεται ὕδωρ*. ut Apoll. l. 2. Argon. ℣s. 322. montis nomine venuste venit. sic noster l. 4. Georg. ℣s. 361.

Curvata in montis faciem circumstetit unda.

Huc pertinet emendatior lectio, quæ nobiliss. Heinsio debetur l. 11. Metam. ℣s. 538. *Emmeness.*

Hi summo in fluctu pendent: his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit. furit æstus arenis.
Tris notus abreptas in saxa latentia torquet:
Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, aras.

Dor-

106. *Hi.*] Pro, *Illi*, vel *alii*; & bene dicticῶs, *his* pro illis vel aliis. *Servius.*

Hi summo in fluctu.] Fluctibus vario motu venientibus: aliæ erigebantur tumore fluctuum, aliæ deprimebantur. *Donatus.*

Hi summo in fluctu pendent.] Virgilius hic nihil tale cogitat: describit enim navem uno in loco hærentem, tantum ad latus inversam, & ideo sublatam à puppi, depressam à prora, utique pendentem, qualem ferme descripsit Lucanus lib. 9.

Pars sedet una ratis, pars altera pendet in undis.

Cerda.

Pendent.] Sic Leandri per vim maris jactati corpus pependerat aqua. ut de eo Ovid. Epist. 18. Heroïd. ℣s. 52.

—— *quod dubia sæpe pependit aqua.*

Emmeneß.

Dehiscens.] Valde hiscens. *De* enim augentis est, ut in Terentio, *Deamo te Syre.* Servius.

107. *Aperit.*] Ostendit: ut Sallustius, *Caput aperire solitus*, id est, nudare, ostendere. sic alibi, *Visa aperire procul montes:* sane aliter hic aperit, aliter ostium aperit. *Idem.*

Terram inter fluctus aperit.] Est hoc, quod dixit Tibullus lib. 4. *Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.* Cerda.

Arenis.] Et ab arenis & cum arenis. id est, vel ab imo movebatur mare, vel cum ipsis arenis, ut in tempestate solet. *Servius.*

Furit æstus arenis.] Est hoc, quod vetus Poëta apud Tullium de Divin. *fervet æstu pelagus.* Ab hoc æstu & fervore dixit Nazianzenus in Apologetico loquens de tempestate, ῥοθίῳ ζέοντι. *Cerda.*

108. *Tris.*] Latinum est. Genitivus enim pluralis quotiens in *ium* exit, accusativum pluralem in *is* mittit, ut *puppium puppis.* Quotiens in *um* exit, in *es* mittit, ut *patrum patres.* Serv.

Saxa latentia.] Modo propter tempestatem; vel, ut quidam tradunt, tranquillo mari, nam quemadmodum latent, quæ nomen habent. hæc autem sunt saxa inter Africam, Siciliam & Sardiniam, & Italiam, quæ saxa ideo Itali *aras* vocant, quod ibi Afri & Romani fœdus inierunt, & fines imperii sui illic esse voluerunt; unde etiam Dido, *Litora litoribus contraria, fluctibus undas Imprecor.* Quæ aræ, à Sisenna, *propitiæ* vocantur. alii dicunt Græcos hæc saxa βώμους appellare. Quidam insulam fuisse hunc locum tradunt, quæ subito pessumierit, in cujus reliquias saxa hæc extare, in quibus ajunt Pœnorum Sacerdotes rem divinam facere solitos. Has aras alii Nept. v. sicut Claudius Quadrigarius I. Annalium: *Apud aras, quæ vocabantur Neptuniæ.* Varro de ora maritima lib. I. *Ut faciunt ii, qui ab Sardinia Siciliam, aut contra petunt. Nam si utramque ex conspectu amiserunt, sciunt periculose se navigare, ac verentur in pelago latente insulam, quem locum vocant aras.* Idem.

Torquet.] Jacit, immittit, ut *Torquet aquosam hiemem.* Inde & torquet, *jacit* dicimus. Alibi Torqueat, *deflectit*; ut, *Torquet medios nox humida cursus.* Alibi *regit* & *frenat*: ut, *Cuncta tuo, qui bella pater sub numine torques:* Alibi *sustinet* & *fert*, *Axem humero torquet stellis fulgentibus aptum.* Idem.

109. *Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras.*] Ordo est, quæ saxa latentia in mediis fluctibus, Itali aras vocant. pro quibus hunc ordinem esse ait, *Tris Notus abreptas mediis fluctibus in saxa latentia torquet:* Alii *mediis fluctibus*

Dorsum inmane mari summo. tris Eurus ab alto
In brevia & Syrtis urget, miserabile visu;

ctibus aras legunt, ut sit ordo, *Saxa vocant Itali aras, quæ mediis fluctibus*, ut desit *Sunt*. Italos autem aliqui non qui in Italia nati sunt, sed qui Latine loquantur, accipiunt. *Idem.*

Aras.] *Aras*, *dorsum inmane*, appositio est, conjuncta cum metaphorâ; ut exponit Hortensius. Notat Turnebus lib. 26. cap. 23. earum fuisse novem: probatque è Lucano, lib. 8. saxa illa magna religione & veneratione fuisse culta. Nascimbænius Ægates insulas esse ait. Porro Jos. Scalig. Auson. Lect. l. 2. c. 22. *Aræ*, inquit, sunt margines seu crepidines prominentes earum molium, quibus flumina (ut loquitur Lucret.) *oppilantur*, quæ & *moles* dicuntur, & χηλαί: Vulgo Franci *καί@* vocant, quæ vox satis antiqua. *Cajare* enim apud veteres erat, *cohibere*, *compescere*, *&c.* Omnes igitur crepidines & eminentias veteres illi *Aras* vocabant: ut hic saxa in mare eminentia Virgilius. Tertullian. lib. de Pallio: *Soleo de quâlibet margine vel arâ medicinas moribus dicere.* Ubi manifesto *Ara* est ἐξοχὴ, ut & *margo*. Varro de R. R. l. 1, 54. *Alia* (uva) *in amphoram picatam descendat: alia in aram, ut in carnarium adscendat*, *&c.* Taubm.

Saxa vocant Itali mediis in fluctibus aras.] Aras fuisse novem propitias admonet Turnebus inter Sardiniam & Africam celebres icto ibi inter Afros & Romanos fœdere, de quibus Lucanus, *angustius aris Victoris Libyco pulsatur in æquore saxum Tarpejis.* Germ.

Aras.] Apud Suidam Ἑρμαῖος est τετράγωνος λίθος. Quales lapides sunt ἕρμαλα ὕφαλα *scopuli marini*: sic appellantur à Dionys. Halicarn. antiq. Rom. l. 1. p. 42. quo loco testatur Æneam in hæc saxa quoque latentia incidisse. Plinii locus videtur corruptus l. 5. c. 7. *Ægimori à re*, *scopuli verius*, *quam insulæ.* ubi Scottus Observ. Philosoph. l. 5. c. 19. pro *à re*, legit, *aræ*. misturam esse verborum in hoc versu contendit Quintilian. l. 8. c. 2. Quæ tanti haud videtur esse, ut Maroni verti possit vitio. *Emmeness.*

110. *Dorsum inmane.*] Eminens, vel altum, secundum Homerum, vel certe eminens planities, aut superficies durior: aut sic ait hic Poëta *dorsum* de saxo, sicut Hom. Νῶτα θαλάσσης: sicut alibi ipse: *Dorso dum pendet iniquo.* Quidam *inmane* pro malo accipiunt positũ, propter naufragia, quæ ibi solent fieri. nam *manum* bonum dicunt, ergo quod bono contrarium *inmane*. Non enim potest pro magno accipi. Alibi, *Posuit quæ inmania templa*, quia non facile apparent hæc saxa, nisi cum mare ventis movetur. *Dorsum* autem hoc loco non absurde ait, quia Græce aræ ipsæ ἵππου νῶτα dicuntur, ut Sinnius Capito tradidit, secundum Homerum. *Servius.*

Mari summo.] Vel in summo, vel in placido. *Idem.*

Dorsum inmane mari summo.] Sic *tergum* l. 3. Georg. vs. 361. Scottus Observ. Histor. l. 3. c. 28. *dorsum* nominat *eminentiam.* in ea notione apud nostrum l. 10. Æn. vs. 227.

—— *ipsaque dorso*
Eminet ——

& vs. 303.

—— *dorso dum pendet iniquo.*

Isid. l. 11. c. 1. dorsum *superficiem*, vocat, *corporis*, *instar saxi.* ita hoc loco pro maris superficie, quam Græci, ut ex Oppiano lib. 1. de Piscat. vs. 60. νωτὸν ἁλὸς, & Suidas τὴν ἐπιφάνειαν τῆς θαλάσσης. *Emmeness.*

111. *In brevia & Syrtis.*] Id est, in brevia Syrtium: quo modo, *Molemque & montes.* Servius.

Brevia.] Dicit vadosa, per quæ possumus vadere. *Idem.*

In brevia & Syrtis urget.] In antiquis plerisque codicibus, *urguet* est, *u* post *g* addita: Attiano more. Et hoc loco *Syrtis* in accusativo plurali tantum fieri docet

Inliditque vadis, atque aggere cingit arenæ.
Unam, quæ Lycios fidumque vehebat Oronten,
Ipsius ante oculos ingens à vertice pontus
In

docet Priscianus, sicut & *Alpis*, propterea quod Græce declinata *ει* diphthongum habeant: ejus vero sonum apud Latinos esse per *i* longum. Est & Velii Longi sententia, ut *Syrtis* per *i* scribatur citato versu, *Et vastas aperit syrtis.* Nostra autem ætate litterati pene omnes diphthongum Græcam recepere: atque ita dictionis hujus casum *Syrteis* per *ei*, ut pleraque alia scriptitant: quod in codicibus antiquis inventu rarissimum: quodque supervacuum esse, quod *i* tam longæ, quam brevis naturam habet, tum incommodum aliquando judicat Quintilianus. Sed de hoc genere plura alibi recitantur. *Pier.*

Brevia.] Dicuntur Syrtes, Latinis *Brevia*, ut Græcis βραχέα, vadosa videlicet, & arenosa loca. oportet enim ibi brevius sit & contractius mare, ubi sunt ingentes cumuli arenarum: non latum, & spaciosum. Duæ sunt in sinu Africo Syrtes, ἡ μὲν μείζων, ἡ δὲ μικρά, Zetzes in Cass. Lycophron. Dicuntur ἀπὸ τοῦ σύρω, *trabo.* vento enim in mare arena trahitur cogiturque. Pomponius Sabinus Poëtam accipit de majore, nam hæc proxima Carthagini. Vide uti Modicius cap. 12. defendat Virgilium à nonnullorum calumnia. uti Sallustius describat Syrtes, in promptu est. *Cerda.*

In brevia.] Quæ Latini *brevia* nominant, vadosa quædam in mari spatia, ea Græce βραχεῖα. Coelius l. 4. c. 15. *Pontan.*

In brevia.] Sanctius in Minerva subaudit *vada.* Hunc quoque Maronis locum attingit Robert. Tit. controv. l. 9. c. 20. & accurate, quid *brevia* sint, edocet ex Græcis scriptoribus Brodæus l. 6. Miscell. c. 24. *Emmeness.*

112. *Vadis.*] Vada, τὰ βραχέα. Varro de ora maritima l. 1. *Si ab aqua summa non alte est terra, dicitur vadus*, & multi sic legunt: *Inliditque vadis atque aggere cingit harenæ.* Et *Syrtes*, Syrtium sinus duo sunt pares natura, impares magnitudine, ut Sallustius dicit. *Servius.*

113. *Lycios.*] Hi Trojæ ad auxilium venerant, qui, mortuo rege Pandaro, Æneam secuti sunt; unde & in secundo ait, *Comitum affluxisse novorum. Idem.*

Lycios.] Signate. Et militum & Ducis nomen ponit, itemque magistrum, & navim submersam scribit. Lycii autem, interfecto Sarpedone, adhæserunt Æneæ, ductore Oronte. Unde 2. Æn.

—— *comitum turbam adfluxisse novorum*

Invenio.

Navis magister erat Leucaspis, ut Æn. 6.

Leucaspim, & Lyciæ ductorem classis Orontem.

Taubm.

Fidum.] Fidelem: utrumque nomen idem significat, quamvis quidam velint *fidum* amicum, *fidelem* servum dici. & sic pronuntiandum, ut dolorem afferat talis socii amissio. *Servius.*

114. *Ipsius ante oculos.*] Ad majorem dolorem: unde alibi, *Quæque ipse miserrima vidi.* Item, *Qui nati coram me cernere lethum Fecisti.* Idem.

Ingens pontus.] Unda. Et est tropus Synecdoche. *Idem.*

A vertice.] Aut à puppi, quæ vertex navis est: aut ab Aquilone vento, qui flat à mundi vertice, à septentrione: ut ipse alibi, *Hic vertex nobis semper sublimis.* quidam *verticem* hic procellam accipiunt. *Idem.*

A vertice.] Κατ' ἄκρας. Recurre ad illum Georg. locum: *ventus à vertice sylvis Incubuit.* Nannius vir acerrimi ingenii non injuria mihi Servium hic notasse videtur, ut ex ejus Nannii contextu

In puppim ferit. excutitur, pronusque magister
Volvitur in caput. ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.

Appa-

textu, qui ita habet, liquebit. Describit Virgilius mirabilem subversionem navis, & quæ vix unquam, nisi in sævissimis tempestatibus, contingere soleat: undas scilicet, sublata in altum prora, navem in puppim statuisse, adeo ut gubernator, cum pedes illi in altum tollerentur, pronus in caput necessario excideret, quam sententiam firmat Livii auctoritate lib. 4. de bel. Pun. *Ferrea manus firmæ catenæ illigata, cum injecta proræ esset, gravi libramento plumbi revelleret ad solum, suspensa prora navim in puppim statuebat.* Tale quid forsan apud Calab. ξ. φορέοντ' ἐπικάρσιαι εἰν ἁλὶ νῆες, ἄλλαι δ' ἀναστρέψασαι ἄνω ἔσαν. *Germ.*

115. *In puppim.*] Pro *puppim*, addidit præpositionem. *Servius.*

In puppim ferit.] Hos specialiter cum eorum nominibus ponit, qui in iis potiores navigabant, & uno casu ferebantur. *Donatus.*

In puppim ferit.] Imitatione Homeri, qui de Ulysse, τῆλε δ' ἀπὸ σχεδίης πέσε· *longe autem à navi cecidit.* Deinde Petronii, qui in Satyr. *illum quidem vociferantem in mare ventus excussit, repetitumque infesto gurgite procella circumegit, atque hausit.* Inveni etiam locum Aristidis orat. 2. sacrorum sermonum, similimum Virgiliano. sic enim de nave loquitur: καὶ τὸ πλοῖον ἐκ πρώρας ἀρθὲν, ἐπὶ πρύμναν ὤκλασε· Cerda.

Pronus.] Πρηνής. nonnulli sane *pronum* adverbialiter legunt. *Servius.*

Magister.] Leucaspis: ut in sexto libro, *Leucaspim, & Lyciæ ductorem classis Orontem.* Idem.

Magister.] Sic Horat. l. 3. od. 6. *navis Hispanæ magister.* vide Torrentium. noster l. 6. Æn. vs. 358.

Quam tua ne spoliata armis, excussa magistro. Emmeness.

116. *Volvitur in caput.*] Sic & Il. ζ. πρηνὴς ἐν κονίῃσιν ἐπὶ στόμα· & Il. ε. ἔκπεσε δίφρου κύμβαχος ἐν κονίῃσιν, ἐπὶ βρεχμόν τε καὶ ὤμους δηθὰ μάλ' ἑστήκει. Ut autem *pronus magister volvitur,* sic & illi περικάρηνος κυβιστῶν. *German.*

Volvitur in caput.] *Præceps inegit* inquit Apulejus l. 4. Metam. id est, in caput, & juxta Glossas ἐπὶ κεφαλῆς. Græci habent verbum κυβιστίζειν, quod teste Hesychio, ῥίπτειν est ἐπὶ κεφαλήν. *Emmeness.*

Ter.] Sæpius: finitus numerus pro infinito. *crebro* enim fluctus facit Aquilo, ut Sallustius, *Crebritate fluctuum ut Aquilo solet.* vel certe quod Græci τρικυμίαν appellant: ut Sallustius, *triplici fluctu.* Servius.

Ibidem.] *Ibidem* & *ubinam* multi dubitant ubi debeat esse accentus, quia *ubi* & *ibi* naturaliter breves sunt: sed ratione finalitatis plerunque producuntur in versu: nescientes hanc esse rationem, quia pronuntiationis caussa contra usum Latinum syllabis ultimis, quibus particulæ adjunguntur, accentus tribuitur: ut *Musaque, illene, hujusce.* sic ergo & *ibidem.* Idem.

117. *Torquet agens circum.*] In gyrum circumagit. *Idem.*

Vortex.] *Vortex* dicitur circumacta in se unda, & quæ quasi sorbere videatur. quod de Charybdi legitur, *Atque imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus.* de quo ait Sallust, *Charybdis mare verticulosum.* Idem.

Vorat.] De aquis. ita Aristot. in Problem. sect. 23. q. 5. interrogat, cur interdum navigia, dum cursum agant in mari quieto, repente καταπίνεται, *devorantur.* H. Stephanus in illo Virgilii 11. Æn. *æstus resorbens*, dicit, hoc verbum respondere Græco ἀναπίνων, quasi *rebibens.* Græci fere omnes

ἀμπω-

Apparent rari nantes in gurgite vasto;
Arma virûm, tabulæque, & Troïa gaza per undas.

Jam

ἄμπωτιν, id est, *aquarum reciprocationem*, ducunt ab ἀναπίνω, *rebibo*, &, *résorbeo*. Ex Aristotele quoque adducitur, δῖνος καταπίνει, *gurges devorat*. Plinius lib. 6. c. 1. dat aquis verba *devoro, absorbeo, satietas, aviditas*. Horum alterum habet Cassiodorus lib. 8. epist. 10. *navigium tumens fluctus absorbuit*. & ultimum Lucretius lib. 1. *avidum mare*. Seneca ad Marciam, c. 20. *mare devorasset*. Cerda.

Æquore vortex.] Mirum est quam sæpe invenias *vortex*, & *vertex* indifferenter scribi in antiquis codicibus, quod idem esse vult Arusianus Messus; Capro tamen non temere *Vorticem* per *o* vocalem quartam in prima syllaba, à *Vertice* per *e* vocalem secundam distinguente. Præterea Sos. Carisius *vertex* à vertendo, *vortex* à vorando dicta putat. Vult autem Plinius Verticem immanem vim impetus habere: ut, *Ingens à vertice Pontus*. Vorticem vero circumactionem undæ esse: ut, *Rapidus vorat æquore vortex*. Pier.

118. *Apparent.*] Aliud est *parere*, & aliud *apparere*. *Parere* enim est *obedire*; ut, *Paret amor dictis*. *Apparere* autem, *videri*: ut, *Apparet liquido sublimis in aëre Nisus*. Et hæc observatio diligenter custodiri debet; licet eam auctores metri caussa, vel clausulæ plerunque corrumpant. *Servius*.

Rari.] Vel propter maris magnitudinem, vel quia una perierat navis. vel *rari* de multis, ut ostendat statim alios plures periisse; & quomodo apparent, *si Ponto nox incubat atra?* aut quia, *Crebris micat ignibus æther*, aut quia ante ipsius oculos hoc evenit. *Idem*.

Nantes.] Prima verbi propositio, *no, nas, nat*. unde est, *Nare per æstatem liquidam*, prima syllaba naturaliter longa est: licet *Natare*, *na* brevis in eadem significatione. *Idem*.

Apparent rari nantes.] Ut compleatur id: *Submersasque obrue puppes*. periit ergo amicus, & fidus, & in ejus conspectu. Excusatur igitur Orontes, qui non imprudentia, sed vi tempestatis perierit. *Donatus*.

Apparent rari nantes.] Observavit Corradus ab Aristot. παῦροι ἀναπλέουσι. Ut autem *gurgitem* hic *vastum*, Hom. θάλασσαν εὐρύπορον. *Germ.*

In gurgite vasto.] Tapinosis est rei magnæ humilis expositio. Prudentior tamen Virgilius humilitatem sermonis epitheto sublevat, ut hoc loco, nam addidit *Vasto*. Item cum de equo loqueretur, ait, *Cavernas ingentes*. Servius.

119. *Arma virûm.*] Bene addidit *virûm*, id est, virorum. *Arma* enim dicuntur cunctarum artium instrumenta: ut *Cerealiaque arma*. Item, *Colligere arma jubet*. Item & alio loco: *Dicendum & quæ sint duris agrestibus arma*. Idem.

Arma virûm tabulæque.] Sic & πίνακες Græcis in re nautica usurpantur, ut ex illo: ἀλλά θ' ὁμοῦ πίνακάς τε νεῶν, καὶ σώματα φωτῶν κύμαθ' ἁλὸς φορέουσι, πυρός τ' ὀλοοῖο θύελλαι. *Germ.*

Troja.] Differentia in hoc sermone est, & in sensu, & in syllabis. Nam cum provinciam dicimus (nam Troja provincia, Ilium ipsa civitas) & principale nomen est, brevis est *Tro.* quando autem non est principale & derivatio est, longa est *Tro.* ut, *Troïus Æneas.* Servius.

Gaza.] Persicus sermo est, & significat *divitias*, unde Gaza urbs in Palæstina dicitur, quod in ea Cambyses rex Persarum cum Ægyptiis bellum inferret, divitias suas condidit, est autem generis fœminini: ut, *Gaza lætus agresti*. Quæritur tamen à multis, quemadmodum potuit aurum natare, nescientibus *Gaza*, id est, opes dici omne, quod possidemus, aut certe hyperbole tem-

Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, & qua grandævus Aletes.
Vicit hiems. laxis laterum conpagibus omnes
Acci-

tempestatis, ut etiam ponderosa ferri potuerint. *Idem.*

Gaza.] Hac voce significatur regia omnis supellex, atque (ut ait Hesychius) etiam tributa, & reditus. Suidas ait esse θήσαυρον, id est, res omnes pretiosas, quas recondimus. Pomponius Mela ait, illa signari *ærarium:* inde est, ut Persarum Reges (nam Persica hæc fuit vox) beatissimi olim judicarentur. Horat. 3. Carm.

Persarum vigui Rege beatior.

Cerda.

Per undas.] *Per* quidam nolunt, Et *Troja* possessivum, a. i. a. c. e. f. s. e. o. i. p. *Servius.*

120. *Jam validam, &c.*] Zeugma est ab inferioribus. *Idem.*

Ilionei.] Antiptosis est, pro genitivo enim dativum posuit: nam constat hujusmodi nomina Græca dativum singularem in *ei* mittere, ut *Orphei.* nam illa solutio. at *Orphei* separatim dicimus, nec modo *Ilionei* possumus dicere strictum esse genitivum, ut ipse sit qui & dativus. quod etsi forte contingat, non regula mutatur, sed Antiptosis fit, qua plerunque utuntur Poëtæ, ut, *urbem quam statuo vestra est,* pro *urbs:* Item *Hæret pede pes:* pro *pedi.* Idem.

Ilionei.] Oratoris Æneæ: erudite ducto vocabulo ab *Ilio* & *Ilo.* Hom. Iliad. ξ. Phorbantis facit filium, & à Mercurio unice amatum. *Taubm.*

121. *Vectus.*] Qua vehebatur significat. Et pro præsenti participio, quod non habemus, præteritum posuit. In Latino enim sermone à passivo verbo præsens participium non est, neque ab activo præteritum. sed quod uno sermone non possumus explicare, aut circumlocutione ostendimus: aut partipium pro participio ponimus, sed usurpative; ut hoc loco factum est. *Servius.*

Abas.] Abantes aliquot tradunt, hic unus Æneæ comes; Alter quem in Troja Diomedes occidit; Tertius est Argivus, cujus tertio lib. clypeum Apollini consecrasse dicit Æneam. *Idem.*

122. *Vicit hiems.*] Quod fit & à superioribus & à medio, plerumque & ad utrunque respondet: ut, *Trojugena interpres divûm qui numina Phœbi, Qui tripodas Clarii lauros, qui sidera sentis.* Ecce hoc loco *sentis,* & ante dicta & sequentia concludit. *Idem.*

Vicit hiems.] *Hiems* duas res significat: aut tempus, aut vim venti, per quam oritur tempestas. Ergo pro loco intelligendum. Accius: *Unde estis nautæ huc hieme delati.* Sic & Varro. *Idem.*

Hiems.] Χειμῶν ἐβιάσατο. Pro aquarum fervore paulo post ℣s. 125.

Emissam hiemem.

Ovid. 18. epist. Heroïd. ℣s. 184.

Et me felicem nulla videbit hiems.

& Epist. 19. ℣s. 80.

Meque tibi amplexo nulla noceret hiems.

Sil. Italicus l. 12.

Ventis debebis nimirum, hiemisque procellis.

Ovid. l. 11. Metam. ℣s. 521.

Cæcaque nox premitur tenebris hiemisque suisque.

inde *Hiberno ponto* pro tempestate concitata Stat. Theb. l. 1. *Emmeness.*

Laxis.] Pro *laxatis*, nomen pro participio. *Servius.*

Laxis laterum compagibus.] Lucret. 6. *cæcisque in eo compagibus hæsit.* Germ.

Laxis laterum compagibus.] Est hoc, quod Lucanus lib. 5.

—— *sonuit victis compagibus alnus.*

Quod Sen. 2. de ir. cap. 10. *Navigium multam undique laxatis compagibus aquam trahit.* Quod Paulin. ep. 42.

Late-

Accipiunt inimicum imbrem, rimiſque fatiſcunt.
Interea magno miſceri murmure pontum,
Emiſſamque hiemem ſenſit Neptunus, & imis

Stagna

Laterumque laxis ſolvitur compagibus
Undaſque rimis accipit.

Et omnes de navibus *compages.* Illis prior Pacuvius:

Nec ulla ſubſcus cohibet compagem.

Ut & Seneca Rhetor. Cont. 16. *Reſolutis compagibus infelix omen navigationis.* Cerda.

123. *Accipiunt imbrem.*] *Imber* dicitur humor omnis, veteres enim omnem aquam *imbrem* dicebant: ut Lucretius, *Ex igni, terra, & anima naſcuntur & imbri*, id eſt, humore. Ennius *imbrem* pro aqua marina, *Ratibuſque fremebat imber Neptuni.* Serv.

Omnes accipiunt.] Id eſt, una omnium cauſa ac ſimilis fortuna fuit. Sed Neptuni datur occaſio, ne penitus Junonis juſſa implerentur. *Donatus.*

Imbrem.] Quamvis *imber* ſit agmen aquarum irruentium è cœlo, hic tamen neceſſario ſumitur pro aqua maris. Nam, ſolutis compagibus, & rimis factis, navis imbrem ſorbet: hic ergo à mari. Nonnius etiam ſcribit, quamcunque aquam dici poſſe *imbrem.* Et Ennius pro aqua maris poſuit, citante Servio:

—— *ratibuſque fremebat*
Imber Neptuni.

Lucretius numerans quatuor elementa:

Ex igni, terra, atque anima naſcuntur, & imbri.

Adde, ſic Poëtam declarari ab his, qui illum imitantur, Valerius 1. Arg.

—— *protinus alnus*
Solvitur, & vaſto puppis mare ſorbet hiatu.

Ovidius 11. Met.

Rima patet, præbetque viam lethalibus undis.

Itaque prior, *mare*, poſterior, *undas* dixit, quod Virgilius *imbrem.* Adjunge Ovidium adhuc, qui Noſtrum æmulans lib. 4. Triſt. eleg. 5.

Fert bene præcipites navis modo facta procellas,
Quamlibet exiguo ſolvitur imbre vetus.

Quid ſi ſequaris lectionem Scaligeri, qui Catullianum verſum ita legit:

Nimirum Oceano ſe oſtendit noctifer imbre.

ut ſit *imber Oceanus*, ſicut *mare Oceanum.* Cerda.

Laxis laterum conpagibus omnes accipiunt, &c.] Sic in ſua tempeſtate Ovid. l. 11. Metam. ℣ſ. 514.

Jamque labant cunei, ſpoliataque tegmine ceræ
Rima patet: præbetque viam lethalibus undis.
Ecce cadunt largi reſolutis nubibus imbres.

Emmeneſſ.

Fatiſcunt.] Abundanter aperiuntur. *Fatim* enim *abundanter* dicimus, unde & *adfatim. Hiſcere* autem *aperire*, verbum frequentativum ab *hiare.* Serv.

Fatiſcunt.] Obſervetur hoc verbum veteribus finiiſſe in (*or*,) nam Actius *fatiſcar* dixit, & Varro *fatiſcuntur.* Notarunt alii. *Cerda.*

124. *Miſceri murmure pontum.*] Forte ex Lucretio, qui lib. 1.

—— *ſævitque minaci*
Murmure pontus.

Maris murmur Græci vocant, *μυκητὴν ἀγάστονον, πολύφλοισβον. Idem.*

125. *Emiſſam hiemem.*] Hic apertius tempeſtatem declarat ex Græco: Nam & illi *χειμῶνα* tempeſtatem dicunt, & bene veteres noſtri *hiemem anni* dicebant, ne tempeſtas poſſet intelligi. *Servius.*

Emiſſamque hiemem.] Locutio traducta ab Circo: ut enim equi emiſſi à carce-

Stagna refusa vadis: graviter commotus, & alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.
Disjectam Æneæ toto videt æquore classem:
Fluctibus oppressos Troas, cælique ruina.
Nec latuere doli fratrem Junonis & iræ.

Eu-

carceribus, sic venti è suo carcere. Horat. Sat. 1. lib. 1.

Ut cum carceribus missos rapit ungula currus.

Græci, ἀφίεσθαι εἰς δρόμους. *Cerda.*

Sensit Nept.] Alludit forte ad illud Cic. 3. De Nat. deorum, qui ait, *Neptunum esse animum cum intelligentiâ per mare vagantem.* Taubm.

Imis.] Bene in imo voluit esse Neptunum, ut jam factam cognosceret tempestatem, non incipientem vetaret. *Servius.*

126. *Stagna.*] *Stagnum* dicitur aqua stans: sed nunc profunda maris significat, ab eo, quod non nisi nimia tempestate turbantur. Ergo *Stagna* & *Imis vadis refusa*, aliud pendet ex alio: quia immobilis aqua in imo maris tantummodo est, quam tunc ab imo motu dicit esse turbatam. *Idem.*

Imis stagna refusa v.] Valet, in imis profundisque undis refusam aquam & agitatam: quasi in imis gurgitibus & vadis, ubi deorum domicilia sunt, aqua sit refusa & turbata, & mare totum ab imo eversum. Turneb. lib. 12, 12. & lib. 18, 32. *Stagna* (ait Serv.) id est, aqua stans; &, *imis vadis refusa*, inter se dependent: quia aqua immobilis tantummodo est in imo maris. *Taubmannus.*

Stagna refusa.] Id est, commota. sic Stat. Thebaïd. l. 1.

— *stagnoque refusa est funditus.* —

stagnum pro *mari*, ut apud Oppian. l. 1. Halieut. ✝ſ. 47. λίμνη. vide Rittershusium. *Emmeness.*

Graviter commotus.] Oportune Neptunum ait commotum, cum maria turbantur, quia plerunque Poëtæ *Neptunum* pro mari ponunt. *Servius.*

127. *Et alto prospiciens.*] Aut è mari erigens caput, aut mari providens. Quidam alto cælo accipiunt, quia ait, *Jam cælum terramque.* Idem.

Prospiciens.] Ab Philostrato in l. 2. Icon. vocatur Neptunus Πανόπτης, quod omnia speculetur. *Cerda.*

Placidum caput.] Quærunt multi quemadmodum *placidum caput*, si graviter commotus? quasi non potuerit fieri, ut irasceretur ventis, propitius esset Trojanis. epitheta enim alia naturalia sunt, alia ad tempus: & *placidum*, ut naturale Neptuni est, ita graviter ad tempus, ob factam tempestatem. Uno autem epitheto habitum futuræ orationis ostendit: ut alibi uno sermone, *Tunc quassans caput.* Servius.

128. *Disjectam Æneæ toto v. æ. c.*] Hic ostendit Æolum omnia Junonis præcepta complesse. *Nam submersasque obrue puppes*, in Orontis sororumque ejus interitu: *Aut age diversas, & disjice corpora Ponto. Disjectam Æneæ toto videt æquore classem.* Idem.

129. *Cælique ruina.*] Id est, tonitribus, quorum sonus similis est ruinis. *Idem.*

Cœlique ruina.] In Romano quidem codice, *ruinam* legitur per M finalem litteram: ut sit, *Videt Neptunus oppressos Troas, cœlique ruinam.* Servius tamen *ruina* Latino casu una cum fluctibus agnoscit: & ita veterum codicum bona pars legit. Nam & imbres, & tempestas ea, vento, tonitru, & crebris ignibus horrenda cœlitus incubuerant. *Pier.*

Cælique ruina] Illustravi 1. Georg. ad illud:

— *ruit arduus æther.*

Cerda.

130. *Nec latuere doli fratrem Junonis, & iræ.*] Aut doli Junonis: aut fra-

Eurum ad se Zephyrumque vocat. dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Jam cælum terramque meo sine numine, venti,
Mis-

fratrem Junonis. gemina ergo distinctio est, quod & ipsa Saturni est filia. *Serv.*

Nec latuere.] Fratrem sororis studia non latebant. Ergo, vocatis ventis, orationem habuit patheticam, utpote commoti animi, abscissam, id est, nec continuam nec compositam: fuit brevis, quia subvenientis in hoc casu non erat multa loqui. *Donatus.*

Fratrem.] Neptunum. Tres erant Saturni ex Ope filii: Hinc epigramma:

Juppiter astra; fretum Neptunus; Tartara Pluto
Regna paterna tenent: tres tria; quisque suum.

Taubm.

Nec latuere doli fratrem.] Rectius dativo jungi contendit Sciopp. in prolegomenis *latet mihi* dici, ut *patet mihi.* Quem vide. *Emmeness.*

131. *Eurum ad se Zephyrumque vocat.*] Per hos, omnes intelligendi sunt. Isti enim sunt cardinales. *Servius.*

Ad se.] Et hic. Cur tamen *Zephyrus,* ait. qui ad Italiam ducit, quem Poëta supra tacuit nunc vocatur; ita in hoc Neptuni exprimitur, si etiam eum objurgat, qui non adfuerit. *Idem.*

Eurum Zephyrumque.] Zephyrum hic pro Africo sumi docet Turneb. l. 18. adv. c.32. *Emmeness.*

132. *Tantane.*] Hoc genus invectionis non habet principium, & crimen exaggerat: ostendens illos non tantum suam, sed hereditariam sectari temeritatem: quod vitium, quia naturale est, non potest emendari. Sunt enim venti à gigantibus, qui bellum diis inferre ausi sunt, sed pœnas dedere. Ostendit igitur eorum esse crimen, quod admiserant: esse etiam originale sanguinis. *Donatus.*

Generis fiducia vestri.] Ascræus unus de Titanibus, qui contra deos arma sumpserunt, cum Aurora concubuit: unde nati sunt venti secundum Hesiodum. Et hoc loco *fiduciam* pro confidentia posuit; quum *fiducia* in bonis rebus, *confidentia* in malis sit. *Servius.*

Generis.] Non maculant filios paterna scelera: polluuntur tamen si illa sectantur. *Donatus.*

Tantane vos generis tenuit fiducia vestri.] Abruptum exordium iratis convenit, in quibus ingens residet πάθος. Talia collegit Macrob. l. 4. c. 2. Cic. Catil. c. 1. *Quousque tandem, abutere, Catilina, patientia nostra?* Emmeness.

133. *Jam cœlum terramque*] Aut ordo est: Ausi estis sine meo numine tantas moles tollere, & cœlum terrasque turbare? aut certe illud est, quod tria hæc numina, licet divisa imperia teneant, videntur tamen invicem regni totius habere potestatem: sicut & ipsa elementa, quæ retinent, physica inter se quadam ratione junguntur. Sic in Georg. *Temporibusque parem diversis quattuor annum.* Ipsorum etiam numinum sceptra significant. Juppiter enim trifido utitur fulmine. Pluton, cerbero: Neptunus, tridente. Multi enim quærunt, cur modo Neptunus de alienis conqueratur elementis. Aut certe *terram* pro mari posuit, ab eo, quod continet id, quod continetur; quia ipse dicitur Ἐνοσίχθων & ἐνοσίγαιος, id est, movens terram: & *cælum* pro aëre. Constat enim terram cum aqua in aëre libratam. *Servius.*

Jam cælum.] Obscura brevisque oratio, & quia iratus erat & ad succurrendum properabat. Denique transit ab aliorum elementorum injuria, à quibus erat alienum, & venit ad propriam. *Donatus.*

Cælum terramque, &c.] Sapit proverbium

Miſcere; & tantas audetis tollere moles?
Quos ego. ſed motos præſtat conponere fluctus.
Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis.

Matu-

verbium. Cum præſertim dicat Livius lib. 4. *Quid tandem eſt, cur cœlum ac terras miſceant?* Cœlum hic capio pro aëre. Lege Plinium lib. 2. cap. 38. *Cerda.*

Meo ſine num.] Hoc eſt, *& laxas ſciret dare juſſus habenas.* Serv.

Meo.] Quaſi dicat, me contempto. *Donatus.*

Numine venti.] Diſtingue *Numine*, ut *Venti*, convitium ſit. *Servius.*

Venti.] Abjecte pronunciandum, ut convitium ſit, non nomen. *Donatus.*

134. *Tantas moles.*] Mira probatio criminis, ut non ſolum afferat verbis, ſed & ipſis aſpectibus ſubdet. *Idem.*

135. *Quos ego.*] Deficit hoc loco ſermo. Et congrue; nam qui iraſcitur perturbatæ mentis eſt. Subauditur *quos ego ulciſcar*; ergo ἀποσιώπησις eſt; hoc eſt, ut ad alium ſenſum tranſeat, ideo abruptum & pendentem reliquit. & neceſſario poſt tale ſchema, *Sed*, conjunctionem ſequi, ut, *Quamquam ô*, ſed: Terent. *Quem ego ſi ſenſero? ſed quid opus eſt verbis.* Servius.

Quos ego.] Duo pronomina cum pondere maximo. *Donatus.*

Quos.] Scilicet ſceleratos & ex peſſimis ortos: & quæ ſimiliter intelligi poſſunt. *Idem.*

Sed motos præſtat conponere fluctus.] Prudenter agit, plus eſt enim innocentibus ſuccurrere, quam nocentium delicta punire. *Serv.*

Præſtat.] Melius eſt. ut, *Præſtat Trinacrii metas luſtrare Pachyni.* Et notandus ſermo. nam & per ſe plenus eſt, & tam accuſativo jungitur, quam ſeptimo. Dicimus enim & *præſtat illum*, & *præſtat illo.* *Commiſſa* autem hic, pro peccatis. *Idem.*

Sed motos præſtat.] Addit cauſam dilatæ pœnæ. *Donatus.*

Quos ego. ſed motos præſtat conponere fluctus.] Verba iratis deſunt. Ἀποσιώπησις, de cujus ſchematis uſu Scaliger l. 4. Poët. c. 27. Exemplorum abunde eſt. Stat. l. 1. Thebaid.

—— *nobis ſociare cubilia terræ.*

(Subaudi *non licuit iracundiæ* ergo.)

Sed quid ego? & l. 3.

—— *Tu, ſed ſcopulos, &c.*

obſervanda particula *ſed* in hac figura. idem l. 8. *genus huic, ſed mitto agnoſcere &c.* habet & locum, qui huc facit Scottus in Obſerv. Poët. l. 2. c. 54. ex l. 1. Valer. Flacc. Arg. bene *motos*, ut Ovid. l. 9. Metam. ℣ſ. 96.

—— *motæque reſidant,*
Opperiuntur, aquæ.

ubi nobiliſſ. conſule Heinſium. *Emmeneſſ.*

136. *Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis.*] Aut *non ſimili pœna*, id eſt, & non ea, qua Trojanos affeciſtis. aut certe *Mihi non ſimili*, id eſt, vehementer irato: aut pro non impune poſthac: nunc enim nullam pœnam ſentiunt, niſi forte objurgationis. *Servius.*

Poſt mihi.] Si quid deinceps auſi fueritis, re, non verbis puniam. *Donatus.*

Luetis.] Perſolvetis. Et hic ſermo à pecunia deſcendit. antiquorum enim pœnæ omnes pecuniariæ fuerunt. *Servius.*

Poſt mihi non ſimili, &c.] Sapienter hoc: indicat enim iras altius inſediſſe in animo, cum in tempus aliud punitionem differat. Nam implacabilis iræ eſſe proprium, ut verba omittat, tempus & occaſionem ſpectet gravius lædendi, Ariſtoteles ſcripſit 2. Rhet. Quam ſententiam firmant verba hæc Taciti 1. Annal. *In Haterium ſtatim invectus eſt; Scaurum, cui implacabilius iraſcebatur, ſilentio tranſmiſit.* Non abeunt Homerici verſus 1. Il.

Κρείσ-

Maturate fugam, regique hæc dicite veſtro:
Non illi imperium pelagi ſævumque tridentem,

Sed

Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ,
Εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,
Ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσῃ
Ἐν στήθεσσιν ἑοῖσι.

Cerda.

137. *Maturate fugam.*]Cum maturitate, id eſt, cum tranquillitate diſcedite. Quo modo dicimus, *Matura iracundiam tuam*, id eſt, mitiga; pernitioſum enim Trojanis eſt,ſi maturent fugam, hoc eſt, ſi accelerent. Ergo *fugam* hic tantum *diſceſſum* accipiendum. *Servius.*

Maturate.] Celerius remeate. *Donatus.*

Maturate f.] *Maturum* eſt, quod neque citius eſt, neque ſerius, ſed medium quiddam & temperatum. Veretur enim, ne in ipſo diſceſſu claſſi noceant, dum raptu nimio redeunt. Idem Virgilius, *Maturare* & *Properare* ſcitiſſime ſeparavit, 1. Georg. ℣ſ.260.

Multa, forent, quæ mox cælo properanda ſereno,
Maturare datur.

De quo accurate Agellius l. 10. c. 11. Macrob. l. 6. c. 8. Nonius, Beroaldus, Floridus, alii. At vero *Turnebus* non agnoſcit illam Grammaticorum ſubtilitatem: aitque *Maturare*, eſſe *feſtinate diſcedere atque properare*: ut dicere ſoliti ſint, *Maturat ab Urbe proficiſci.* Et Cic. pro Cluent. dixerit, *Maturare mortem*, eodem modo. l. 12, 12. cum quo facit etiam Donatus. *Taubmannus.*

Regi.] Mittit & regi convitia, deformans regni ipſius poteſtatem, & perſonam: aſſerens non habere regnum, ſed ſaxa: non aulam, ſed eſſe cuſtodem carceris. *Donatus.*

Regique hæc dicite veſtro: Non illi imperium pelagi.] Neptunus ſibi imperium aſſumit, Æolo dat regnum. Contra in aliis Poëtis videas. De Æolo Ovidius in Canace,

Ille Noto Zephyroque, & Sithonio Aquiloni
Imperat, & pennis, Eure proterve, tuis.

Et in Leand.

Parce, precor, facilemque move moderantius auram:
Imperet Hippotades ſic tibi triſte nihil.

De Neptuno contra idem Ovidius:

Mulcet aquas rector pelagi.

Cerda.

Regique hæc dic.] Ita Livius lib. 1. *Ad hæc Tullius: Nunciate, inquit, Regi veſtro, vel qui vos regere deberet.* vel dic: Qui ſit Rex ventorum, quibus nihil inanius, ut ſit χλευασμὸς, & cavillatio, riſuſque ſimulatus, & oris habitu facta illuſio. *Taubm.*

138. *Sævum.*]Vel magnum. & potentem, ut ſuperius: vel vere ſævum in ventos, quia minatur. *Servius.*

Sævum.] Id eſt, magnum. in laudem, teſte Non. Marc. ſumitur aliquando, ut noſter ſupra ℣ſ. 99.

Sævus Hector.

& l. 12. ℣ſ. 107. de Ænea:

Nec minus interea maternis ſævus in armis.

de hoc epithero Scaliger Poët. l. 4. c. 16. Reveriti veteres ſunt hoc ſceptrum tanquam, κάρτερον ἔγχος. nam per tridentem, ſive fuſcinam Neptuni, juravere. Juvenal. Sat. 13. ℣ſ. 81.

Perque tuum, pater Ægei Neptune, tridentem.

adjectivum eſt, de quo agit Sanctius in Minerva p. 334. *Emmeneſſ.*

Tridentem.] Ideo *Tridens* Neptuno adſignatur, quia mare à quibuſdam dicitur tertia pars mundi; vel quia tria genera aquarum ſunt, maris, fluminum, fluviorum: quibus omnibus Neptu-

Sed mihi sorte datum. tenet ille inmania saxa,
Vestras, Eure, domos. illa se jactet in aula

Æolus,

Neptunum præesse nonnulli dicunt. *Idem.*

Tridentem.] Fuit quippe Neptunus pari dignitate cum Jove & Plutone. Nam si illi trisulcum fulmen, huic triplex Cerberus, ita Neptuno tridens. Inde hic Deus dictus ab Ovidio II. Met. *tridentiger*, à Græcis, τριαινοῦχος. Pindarus illum vocat ἀγλαοτρίαιναν; alii ὀρσοτρίαιναν, & τριαινοκράτορα. Pindarus item εὐτρίαιναν. Aristides in gratulatione Smyrnæ meminit Neptuni, τριαίνῃ κινήσαντος. Insigne hoc Neptuni: alii *fuscinam* appellant. Arnobius lib. 6. irridens, *cum fuscina Rex maris, tanquam illi pugna sit gladiatorii obeunda certaminis.* Cerd.

139. *Sed mihi sorte datum.*] *Sorte* ideo ait, quia Iuppiter & Neptunus & Dis pater, Saturni & Opis filii, cum de mundi possessione certamen inissent, placuit, ut imperium sorte dividerent; ita effectum est, ut cœlum Iuppiter; maria Neptunus; Dis pater inferos sortirentur. *Servius.*

Sorte.] Ac si diceret, potuisse se etiam cœlum tenere; nec sine suo arbitrio posse quemquam in suo regno habere potestatem: Æolum vero beneficio etiam carceris regna meruisse. *Idem.*

Sorte.] Ac si diceret, potuisse eum cœlum in divisione illa Saturniâ tenere: (de qua Homer. Iliad. 15. V. & N. Æn. 10. ỳs.40.) Æolum vero beneficio etiam carceris regna meruisse, nec ea tamen audere, nisi jussus sit, aperire. suprà,

—— *dare jussus habenas.*

Facit autem hic utriusque dominii collationem, Æolique regnum nunc *domum* nunc *aulam*, nunc *carcerem* per contemptum appellat. *Taubm.*

Ille.] Donat. in Eun. Ter. auctor est, Pronomina cum maximo pondere hic usurpari. quod & supra notavimus. *Idem.*

Inmania.] Aspera: *Manum* enim antiqui *bonum* dicebant: unde & *mane* dicitur. Quod enim melius? unde per Antiphrasim *manes* vocati, quod non sint boni. *Servius.*

140. *Vestras, Eure, domos.*] Irascentium est uti proprio nomine, ut Terentius, *Ego te in pistrinum, Dave, dedam.* Aut quasi contra principem tempestatis irascitur: quem primum constat egressum: quia supra, *Una Eurusque Notusque ruunt.* Quod autem dicit *Saxa inmania, vestras domos*; de Pseudolo Plauti translatum est, ubi ait, *Nisi forte carcerem tu aliquando effregisti vestram domum.* Et figurate *saxa* domos: vario enim significatu idem ostenditur. *Idem.*

Jactet.] Pro glorietur: veluti, *Nullo tantum se Mœsia cultu Iactet*, & hoc ex accidenti sumptum. quoniam qui sunt in aliqua re gloriosissima, motu quodam & incessu corpus suum jactant. *Idem.*

Illa se jactet.] Tale quidpiam irrisorie Agamemnon ad Achillem, I. Il.

Οἴκαδ' ἰὼν σὺν νηυσί τε σῇς, καὶ σοῖς
ἑτάροισι,
Μυρμιδόνεσσιν ἄνασσε.
*Abiens tuam in domum cum navibus
ac sociis tuis
Myrmidonibus impera.*

Cerda.

Aula.] Irrisio est: quia sequitur, *Carcere.* & nihil tam contrarium, si simpliciter intelligimus. *Serv.*

Aula.] Proprie, nam vox ista ad flatum pertinet. Notationi Cælii l. 12. Ant. lect. 15. & Josephi Scaligeri in Festum, adde à me Athenæi verba l. 5. ὁ γὰρ διαπνεόμενος τόπος αὐλὴ λέγεται, καὶ διαυλονίζειν φαμὲν τὸ δεχόμενον ἐξ ἑκατέρου πνεῦμα χωρίον: *Aula dicitur perflatus apertusque locus, & διαυλονίζειν locum dicimus, qui ex utraque parte ventum admittit.* Addit ex Menandro & Diphilo, regias quoque *aulas* vocari, &

Æolus, & clauſo ventorum carcere regnet.
Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat:
Collectaſque fugat nubes, ſolemque reducit.
Cymothoë ſimul & Triton adnixus acuto
De-

ri, & rationem, quæ ad rem, de aqua agimus, quod videlicet aulæ regum habeant ante ædificia ὑπαιθρίους τόπους, *ſubdiales locos*. Inde eſt, ut Homerus ſæpe (ait idem Athen.) ſoleat vocare *aulam* locum omnem patentem, perflabilem, ſubdialem. Hæc ergo ratio, cur regia Æoli ventorum præſidis dicatur *aula*. Non dubium tamen, quin de aliis quoque dicatur: nam Statius de domo Martis:

Innumeris ſtrepuit aula minis.

Cerda.

Se jactet in aula.] C. Rhodig. l. 12. c. 5. *Aulam* nuncupari animadverto locum, qui perflatum habeat. Unde διαυλονίζειν dicimus, cum utrinque perflatur regio aliqua. ex quo de Æolo,

—— *illâ ſe jactat, &c.*

Taubm.

141. *Clauſo.*] Quia ventos emittere non ipſius poteſtatis eſt, ſed jubentis. & hoc eſt *fœdere certo*, &, *Dare juſſus habenas*. Servius.

Ventorum.] Non otioſe, ſed per exprobrationem, poterat enim dicere veſtro, ſed ut ſupra, *Meo ſine numine venti*. Idem.

Carcere regnet.] Licet carcer, tamen regnum eſt Æoli: hæc enim pro affectu poſſidentis intelligenda ſunt: ut alibi quum de rure loqueretur, *Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas*. Et bene regnum Æoli cuſtodiam carceris dixit. *Idem.*

141. *Dicto citius.*] Non antequam diceret; dixit enim, *Sic ait*. ſed citius quam dici poteſt. *Idem.*

142. *Dicto citius.*] Effectus ſtatim apparet objurgationis & dilatæ pœnæ; ut dicto citius placidum fiat mare, & omnium elementorum removet injuriam. *Donatus.*

Dicto citius.] Eſt hoc, quod Græci, ἅμ' ἔπος, ἅμ' ἔργον. Quod iiſdem ἀντοβοεί. de qua voce vide Eraſmum. item, λεχθὲν, καὶ πραχθὲν. Præterea illi, ἐμμαπέειν, & ἐμμαπέως, quaſi ἅμα τῷ ἔπει, vel ἅμα τῷ εἰπεῖν. Quod Heſychius explicat, ταχέως, ἐσπουδασμένως, προθύμως. Homerus ita extulit:

Αὐτίκ' ἔπειθ' ἅμα μῦθος ἔην, τετέλεστο δ' ἔργον.

Ab Noſtro Sedulius lib. 3.

Imperat, & dicto citius tumida æquora placat.

Hunc tantum volui: producere poſſem multos, qui uſi eadem locutione. *Cerda.*

Placat.] Sub poëtica licentia phyſicam quoque tangit rationem. Mare enim dicitur eſſe Neptunus: quem ſuperius dixit graviter commotum, quia tempeſtas erat. nunc ait *Placat*, quia jam ſedari cœperant maria. *Serv.*

143. *Collectas.*] Aut nunc collegit ac fugavit; aut ante à ventis collectas fugavit, id eſt, reſolvit. Colligere enim nubes dicitur cælum; ut, *Aut, ſi mox pluviam ne colligat ante veremur.* Idem.

Collectas nubes.] Eſt hoc, quod Homerus 5. Odyſſ. συνάγεν νεφέλας. *Cerda.*

Solemque reducit.] Per *Solem* ſerenitas intelligenda, quod ſuperius dixit, *Eripiunt ſubito nubes cælumque diemque.* Quis enim ignorat diem conſtare per Solem & conſequens erat, ut, fugatis nubibus, Sol rediret. *Servius.*

144. *Cymothoë.*] Nomina deorum marinorum plerumque de cauſſis ſunt ficta ab elementis, quæ numina dici voluere majores: ut, *Cymothoë*, id eſt, curſus fluctuum, ὑπὲρ τοῦ θέειν τὸ κῦμα. *Idem.*

Cym-

Detrudunt navis scopulo. levat ipse tridenti;
Et vastas aperit Syrtis, & temperat æquor:
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.

Ac,

Cymothoë.] *Ino*, Nerei quinquaginta filiarum una: quam Homerus mergi similem in navi præsentem fingit. Dicta, ἀπὸ τ͂ κύματος θέειν. q. d. cursus fluctuum: *Triton* vero deus marinus, Neptuni & Salatiæ, vel Oceani & Tethyos F. Neptuni tubicen. Faciem refert hominis usque ad inguina, inde in piscem desinit. Et videre est è Plinio, hæc non plane fabulosa esse. nam Tiberio Principi nunciasse Ulisponensium legatos, visum auditumque quodam in specu concha canentem Tritonem. V. N. Æn. 10. v. 209. *Taubm.*

Triton.] Similis Deus marinus, Neptuni & Salatiæ filius deæ marinæ, ab aqua salsa dictæ. *Servius.*

Triton.] De hoc vide Theoc. in Europa, Hesiodum Theogonia, Ovid. lib. I. Metamorph. *Hartung.*

Adnixus.] Antiquum est, ut *connixus*, quibus hodie non utimur. Dicimus enim *adnisus* & *connisus*. sed multa alia usus contra antiquitatem vindicavit. Illi enim *parsi* dicebant, nos *peperci*. Item nos dicimus *suscepi*; illi dicebant *succepi*; ut *Succepitque ignem foliis*. Servius.

Adnixus.] Zeugma est, *adnixi* enim debuit dicere; ut paulo post, *Haud aliter, puppesque tuæ pubesque tuorum.* Aut portum tenet: Ergo *adnixus* ad Tritonem tantum pertinet, qui Cymothoën juvat; aliis non videtur zeugma esse, quod *adnixus* non *connixus*. Ordo tamen est, Cymothoë simul ac Triton acuto detrudunt naves scopulo, ab aris, in quas *tris Notus abreptas in saxa latentia torquet.* Idem.

Adnixus.] Hoc verbo quasi gestum detrudentis expressit. Ita 4. Æn.

—— pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris.

Et bene ait, *detrudunt*: κόντες enim Græci *trudes* vocant, quibus navis saxo inhærens extrahitur. Tac. l. 3. *Quidam trudibus aut furcis inertem molem prosternere.* Taubm.

145. *Levat.*] Leves ac navigabiles facit: ut, *Nostrumque leves quæcunque laborem.* Alii *levat*, laxat; ut, *atque arta levari Vincla jubet Priamus.* Servius.

Tridenti.] Pro *Tridente*, dativum pro ablativo. *Idem.*

146. *Aperit.*] Ideo, quia arenarum congerie impediente, præclusæ ad navigandum erant. Cæterum bis idem. Ergo immisso in eas mari aptas ad navigandum fecit. Sic Sallust. *Sed ubi tempore anni, mare claßibus patefactum est.* Servius.

Aperit.] Ostendit. *Idem.*

Aperit Syrt.] Ita ut naves ex his exire possint. *Taubm.*

Temperat.] Tranquillum facit. Tranquillat, serenat. *Servius.*

147. *Atque rotis.*] Bene non moratur in descriptione currus, ut citius liberetur Æneas. At in 5. ubi nullum periculum est, plenius & latius & placantem maria Neptunum. Sic etiam in orationibus facit, quas pro caussis vel extendit, vel contrahit, ut in Secundo libro, quoniam imminet periculum, uno versu ait, *Quo res summa loco Panthu? quam prendimus arcem?* Servius.

Atque rotis.] Alias Neptunus vitulis marinis inequitat: hic curru, ut majestas ipsius appareat augustior. De curru Nept. videatur Homerus & Plato in Critia. *Taubm.*

Perlabitur undas.] Figura est. Quod enim nos modo dicimus per præpositionem nomini copulatam sequente verbo; antiqui, verso ordine, præpositionem detractam nomini, jungebant verbo; ita tamen ut esset una pars orationis, & faciebant honestam elocutio-

Ac, veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus;

Jam-

tionem. Nos dicimus *Per undas labitur:* illi dicebant *Perlabitur undas.* Item, *per forum curro*, & *percurro forum.* Notandum plane quod plerunque suum regit casum, plerunque ad ablativum transit. *Servius.*

Perlabitur.] Non temere *pellabitur* in codicibus aliquot antiquis legitur: siquidem ex Velii Longi sententia *per* præpositio, omnibus integra præponitur: nisi quum incidit in *l* litteram. Malle enim elegantioris sermonis viros in præpositione *per*, geminare *l* litteram (ait ille) quam *r*, exprimere: ut quum *pellabor* malunt dicere, quam *perlabor*: ita enim in emendatis ejus auctoris codicibus habetur. *Pier.*

148. *Ac, veluti magno in populo.*] Virgilius tempestati, populi motum comparat: Tullius populo tempestatem, pro Milone, *Equidem cæteras tempestates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum.* Ita & Homerus seditioni tempestatem: κινήθη δ' ἀγορὴ, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης. ideo autem *Magno* addidit, quia ubi frequens est populus, ibi & crebra seditio. ut quidam *populum* totam civitatem, *vulgum* vero plebem significari putant. *Servius.*

Ac veluti.] Hac comparatione datur occasio, ut ostendat, cujus meriti & gravitatis debet esse, qui in civitate sua princeps est. Nam cum ventum est ad furorem, si virum præstantem meritis audiunt, ejus dictis acquiescunt. *Donatus.*

Ac veluti.] Eleganti hypotyposi naturam seditionis, itemque vim Eloquentiæ exponit, de quâ Cic. 1. De Orat. atque alibi: & Aristot. in Rhetor. Sunt, qui existiment, Poëtam more suo allusisse ad seditionem pop. Rom. theatralem, cujus auctor T. Roscius Otho, quem Cicero defendit: & *virum gravem* intelligant Ciceronem. Porro Cifanius huic loco affinem ait illum Lucilii, in Floridis Apul. l. 2. *Immo tum, cum equo per viam concito pervolant: si quem interea conspicantur ex principalibus viris nobilem hominem, bene consultum, bene cognitum, quanquam oppidò festinent, illico in pedes desiliunt, adeunt, auscultant.* Denique judicium Poëtæ in hoc loco commendat & Scalig. lib. 3. c. 12. *Taubm.*

Ac, veluti, &c.] Totus est in elegantissima comparatione Corn. Nepos V. 25. c. 6. *neque tamen se civilibus fluctibus committeret, quod non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se iis dedissent, quam qui maritimis jactarentur.* Emmeneff.

Cum sæpe.] Id est, ut sæpe fit. ita Nannius, qui τὸ *sæpe* inclusit parenthesi, lib. 7. miscell. ubi & hos versus Ennianum quid, aut Lucillianum sapere, probare conatur. *Taubm.*

Coorta est.] *Coortum*, & *Collucent* grandiora verba esse, notatum est, post Quintil. à Scaligero l. 4, 16. *Idem.*

149. *Seditio.*] *Seditio* est, sicut Cic. ait in l. de R. P. *publica dissensio civium.* Quod seorsim eunt alii ad alios, *seditio* dicitur. *Servius.*

Seditio.] Ut populus furens, motus gravitate viri quiescit, sic mare auctoritate rectoris quievit. *Donatus.*

Animis ignobile vulgus.] Id est, stultum: ut contra *nobilem*, animum prudentium dicimus. ideo autem paulo post ait, *Arrectis auribus.* Sumsit translationem ab animalibus, quæ utique stultiora sunt. *Servius.*

Vulgus.] Masculi & neutri invenitur, sed generis neutri hoc loco; alibi masculini, ut, *In vulgum ambiguas.* Et hoc est artis, ut masculino utamur; quia omnia nomina Latina in *us* exeuntia, si neutrius generis fuerint, tertiæ declinationis sunt, ut *pecus pecoris:* si secundæ autem fuerint declinationis, mascu-

Jamque faces & ſaxa volant; furor arma miniſtrat:
Tum, pietate gravem ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent; arrectiſque auribus adſtant:

Ille

maſculina ſunt. *vulgi* ergo facit, non *vulgeris*, ut *docti*, *clari*, *boni*. uſurpatum tamen eſt, ut neutrum genus ſit propter unum Græcum nomen, id eſt, *pelagus*. Cum enim *pelagi* faciat, neutri tamen eſt generis. *Idem.*

Sævitque animis ignobile vulgus.] Reprimi concitata raro poteſt multitudo, cui pro diſciplina eſt, vel, ut verbis utar Curtii l. 7. c. 2. quæ, cum infeſta eſt, vix inhibrri poteſt, quia protinus *ſuo more ſaxa jaciat.* Apulejus l. 2. Metam. *Sævire vulgus, & facti veriſimilitudine ad criminis crudelitatem impelli, conclamant ignem, requirunt ſaxa, &c.* κληδὸν βάλλειν Græcis eſt lapides jacere. *Emmeneſſ.*

150. *Jamque faces & ſaxa volant.*] Multi non *volant*, ſed *volunt* inveniſſe ſe dicunt. Sed Cornutus verendum ait, ne præpoſterum ſit faces velle, & ſic ſaxa, cum alibi maturius, & ex ordine dictum ſit: *Arma velit poſcatque ſimul, rapiatque juventus.* Servius.

Jamque faces & ſaxa volant.] Vides ut à ſeditione animorum vulgus veniat ad arma. Tacitus 3. Hiſt. *Ubi crudeſcere ſeditio, & à convitiis & probris ad tela & manus tranſibant, &c.* Sed ſignatiſſime Poëta dat turbæ duo armorum genera, *faces & ſaxa.* Tacitus 14. Annal. *multitudine ſaxa ac faces minitante.* Lucanus lib. 7.

—— inde ſagittæ,
Inde faces & ſaxa volant.

Cerda.

Furor arma miniſtrat.] Sic alibi, *Rimanti telum ira facit.* Sane ſumma velocitate ſenſus explicitus. *Servius.*

Furor arma m.] Ita Græci, ἐπ' ἐχθροὺς θυμὸς ὁπλίζει χέρα. P. Victorius l. 8. c. 14. Ita 7. Æn.

Rimanti telum ira facit.

Taubm.

Furor arma miniſtrat.] Ovid. Epiſt. 6. Heroïd. ℣ſ. 140.

Quamlibet iratis ipſe dat arma dolor.

Claudianus epig. 29. de iracundo:

In jaculum quodcunque ferit dementia mutat,
Omnibus armatur rabies pro cuſpide ferri.
Cuncta volant, dextra ferox in vulnera ſævit.
Pro telo geritur quicquid ſuggeſſerit ira.

Elegantiſſime Ovid. lib. 12. Metam. ℣ſ. 242.

—— & prima pocula pugnâ
Miſſa volant, fragileſque cadi, curvique lebetes:
Res epulis quondam, nunc bello & cædibus aptæ.

Emmeneſſ.

151. *Gravem.*] Venerabilem: unde & contemptibiles, *leves* dicimus. vel *pietate gravem*, cujus illis auctoritas ob pietatem eſt gravis: & bene ſervat circa hunc rhetoricam diffinitionem, cui dat & juſtitiam & peritiam dicendi: ut, *Tum pietate gravem*; &, *Ille regit dictis animos.* Orator enim ita diffinitur, *Vir bonus, dicendi peritus.* Servius.

Tum, pietate gravem & meritis ſi forte virum.] Ex Quintiliani ſententia l. 12. c. 1. oratorem oportet eſſe virum bonum, dicendi peritum. Qualis fuit Menenius Agrippa, cujus facunda oratio efficax ſatis fuit ad concordiam, ut Flor. l. 1. c. 23. & Liv. l. 2. c. 32. *Emmeneſſ.*

152. *Arrectiſque auribus.*] Tranſlatio à mutis animalibus, quibus aures mobiles ſunt. An *aures* pro audiendi ſenſu poſuit, ſecutus Terentium, qui ait, *Arrige aures Pamphile.* Servius.

Arrectiſque auribus.] Eſt hoc, quod Græci ὦσιν ἱςῶσιν. quod Apollonius lib. 1. Argon. ὀρθοῖσιν οὔασιν. quod Philoſtratus in Heroïcis, ὦτα ἵςημι. iterum, τὰ ὦτα ἵςασαν. & lib. 2. Icon.

loquens

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Prospiciens genitor, cæloque invectus aperto
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.

De-

loquens de lepore flexu alio, ὑποεγείρειν τὸ οὖς. & Aristoteles lib. 9. de histor. animal. cap. 5. ὀρθὰ τὰ ὦτα. & Plinius lib. 8. cap. 32. *aures erigere*. & Terentius And. *Aures arrigere*. & Propertius lib. 3.

Suspensis auribus.

Sed de hac re ego jam ante dixi satis in Georgicorum lib. 3. Contraria sunt, *aures arrigere*, ex Plinio, καταβάλλειν, ex Aristotele, ex Horatio, *demittere*, Consentiunt omnes, Poëtam capiendum cum respectu ad feras, quæ statim, ubi, quid accidit, solent aures arrigere. *Cerda*.

153. *Ille regit.*] Bene, *regit:* ψυχαγωγεῖ, qui effectus est Eloquentiæ. Nam & Aristoteles, *Eloquentiam Sapientiæ junctam humanæ vitæ rectricem* nominat. Euripides *reginam*, Ennius, *flexanimam*. Vide Val. Max. lib. 8. cap. 8. & Herculem ὄγμιον apud Lucianum. *Taubmannus*.

Ille regit dictis animos.] Sapiens vir eloquentia sedare qui novit seditiones, ille vere regit, id est, suæ sententiæ accommodat furentem populum. hanc locutionem illustrat Scottus Nod. Ciceronian. l. 1. c. 30. *Emmeness*.

154. *Sic cunctus.*] Coaptatio Comparationis. Verbo *cunctus* (inquit Scalig. l. 4. c. 16.) sæpe utitur Cicero. quod & Poëta hic maluit, quam *Omnis:* tum, quia plenior sonus: tum, quod omnis populus potest mihi ire obviam, etiamsi sigillatim exeant: *Cunctus* autem & *omnem* significat, & *simul*. Tametsi puto injuriam factam alteri: est enim *omnis* ἀπὸ τοῦ ὁμῶς ortum; sicut & *homo:* quippe qui sit animal sociale. ἀθρόον *cunctum* Græci dicunt. *Taubm.*

Sic cunctus pelagi cecidit fragor.] Pro quo l. 5. Æn. ℣. 821.

Sternitur æquor aquis.

quod mare Stat. l. 5. Thebaid. *Thetis plana* dicitur. *Emmeness*.

155. *Genitor.*] Venerabilis: ut, *Tybri pater*. Ergo hoc nomen & ad verum patrem pertinet, & ad honorem refertur. Sane veteres omnes Deos *patres* dicebant. *Servius*.

Cæloque invectus aperto.] Non per cœlum vectus, sed, cœlo jam sereno, vectus per maria. *Idem*.

Cælo aperto.] Qua dixerat, *eripiunt subito nubes cælum.* liberavit igitur à tempestate Trojanos Neptunus, sed eventus aliud attulit. Nam illos in Lybiam, terram Junonis inimicæ, detulit. Ergo in casum deteriorem devecti sunt. *Donatus*.

Cæloque invectus aperto.] Est hoc, quod Claudianus flexu alio dixit 2. Rap.

Medioque patent convexa sereno.

Nam latere cœlum in tempestate dicitur. Ovidius 11. Met.

Omne latet cælum, duplicataque noctis
imago est.

Aperitur itaque cœlum, cum abit tempestas. Est hæc etiam phrasis Plinii lib. 2. cap. 47. *ver aperit navigantibus maria*, quæ videlicet tempestatibus interclusa. Et Livii lib. 26. *depulsa sole nebula aperuit diem.* Cerda.

156. *Flectit.*] Quidam *flectit*, pro *regit* accipiunt, ut interdum *Torquet* in eodem significatu ponit, *qui numine torques*. Servius.

Curru.] Non, ut quidam putant, pro *currui* posuit, nec est Apocope: sed ratio artis antiquæ, quia omnis nominativus pluralis regit genitivum singularem; & isosyllabus esse debet, ut *hæ musæ, hujus musæ. hi docti, hujus docti.* Item à genitivo singulari dativus regitur singularis, ut isosyllabus sit: ut *hujus docti, huic docto.* Inde ergo est, *Curruque abscissa duorum Suspendit capita.*

 Et,

Defessi Æneadæ, quæ proxima, litora cursu
Contendunt petere, & Libyæ vertuntur ad oras:
Est in secessu longo locus. insula portum
Efficit

Et, *Libra die.* ne si *diei* fecisset, major esset nominativo plurali. *Idem.*

Curruque volans.] In Romano codice, & aliquot aliis legere est, *fluctuque volans.* ut sit, fluctu secundo. Sed *curru* magis placet eruditorum auribus, ut figuratum magis. *Pier.*

Secundo.] Trojanis obsequenti: Et tractus est sermo à sequentibus servis, id est, pedissequis. Unde & *secundam fortunam* dicimus, quod secundum nos est, id est, prope nos, à sequendo. *Servius.*

Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.] *Lorum* Græce ἱμὰς, de quo Sceffer. 1. c. 13. A frenis differt. Phædr. l. 3. fab. 7. *& lora frenis continet spumantibus.* per *currum secundum* intelligo cum Turneb. l. 12. c. 12. celerrime volantem & protractum ab equis Neptuni, qui dicitur à Platone in Critia ὑποπτέρων ἵππων ἡνίοχος. Huc facit locus Maronis l. 5. ꝟs. 817.

Jungit equos curru genitor, spumantiaque addit
Frena feris, manibusque omnis effundit habenas
Ceruleo per summa levis volat æquora currus.

loca consule è Sceffero citata lib. 4. Georg. ꝟs. 389. Equos Neptuni alii cete esse, alii vitulos marinos, alii hippocampos volunt. Accuratissime describit Turneb. lib. 26. c. 23. priores pedes habent, posterioribus carent, pontum legunt & natant. Quod ex Statio l. 1. Achill.

— & triplici telo jubet ire jugales:
Illi spumiferos glomerant è pectore fluctus.
Pone natant, delentque pedum vestigia cauda.

Emmeness.

157. *Defessi Æneadæ.*] Nunc Trojani, aliquando Romani: ut, *Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.* Servius.

Defessi.] Licet fessi, nitebantur tamen proximam terram attingere, ne interea aliquis casus emergeret. *Donatus.*

Proxima litora.] Quia post periculum non eligitur litus, sed, quodcunque occurrerit, occupatur. *Servius.*

Cursu.] Aut secundum quod superius diximus, *Proxima cursu*, id est, cursui. Aut contendunt cursu petere. Et est septimus casus. ut hic *cursu* de navibus, ita alibi iter: *Unde iter Italiam*; & in 5. *Certus iter.* Saltationes etiam navium dicebant, quod est animalibus proprium. *Idem.*

158. *Contendunt petere.*] Est hoc quod Homerus dixit 13. Odyss. ἔνθ' οἵγ' εἰσέλασαν. Latini sæpe, *contentis itineribus, cursibus, navigatione.* Cerda.

Contendunt.] Id est, festinant, inquit Nonius. vel, certatim laborant: Metaph. ab arcu ductâ. *Taubm.*

Vertuntur.] Scilicet à proposito itinere: hoc est, ab Italia. *Servius.*

159. *Est in secessu longo.*] Topothesia est, i. e. fictus secundum poëticam licentiam locus. Ne autem videatur penitus à veritate discedere, Hispaniensis Carthaginis portum putatur descripsisse. Cæterum hunc locum nusquam in Africa esse constat, nec incongrue propter nominis similitudinem posuit. Nam Topographia est rei veræ descriptio. *Servius.*

Secessu.] Sinu secreto. *Servius.*

Est in secessu.] Loci hæc descriptio negotio necessaria est. Placiditas enim fuerat pelagi procuranda, propter corruptas naves: Hanc vero præbebat objectus laterum: secretum vero proficiebat, quia cavendum erat propter regiones incognitas, & hoc dabat longitudo secessus: Nympharum domus, aquarum

Efficit objectu laterum; quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.

Hinc

rum copiam præstabat. Sunt & defensacula adversus Solem, antrum & nemus. Tantaque erat opportunitas loci, ut naves anchoris non essent tenendæ. *Donatus.*

Est in secessu.] Τοποθεσία, id est, loci ficti descriptio. (τοπογραφία rei veræ descriptio est.) Neque enim in eâ Africâ talis reperitur, sed in Hispaniâ, ad novam Carthaginem. Sunt & qui Poëtam ad portum *Anconensem* putent respexisse. Ad Homeri tamen imitationem (ut Turnebo placuit lib. 18. cap. 32.) fecisse hoc probabilius, qui portum Ithacæ (13. Odyss.) ad quem Ulysses delatus est, ad hanc faciem descripsit. Vide & Macrob. lib. 3. cap. 5. Hic autem portus in hypotyposi describitur à situ & forma, quam miro splendore & copia exornat: inde ab amœnitate, usu, commoditate, & religione. *Secessus* autem est *sinus secretus.* Accuratas porro locorum descriptiones examinat Scaliger lib. 3. c. 5. Poëtices. Hunc denique portum è Maronis archetypo imitatus est Lucanus lib. 2. *Hanc latus angustum, &c.* Taubm.

Locus.] Subaudis *quem*; ut superius, *Urbs antiqua fuit.* Et sciendum est, quotiens præmittimus nomen cujuslibet generis, & interposito pronomine, sequitur nomen alterius generis: melius illud pronomen, proprii nominis genus sequitur, ut Sallustius, *Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur.* Ecce proprio junxit, non appellativo. *Tullianum* enim proprium nomen est: *carcer*, appellativum. Si autem utraque nomina appellativa fuerint, licenter cui volumus respondemus. *Servius.*

Insula portum Efficit.] Hoc enim solummodo portus quod illi insula ante posita est. *Quem locum* subaudimus, vel *in quo insula portum efficit.* Idem.

Insula portum efficit.] Tale quiddam Cæsar 3. Civil. *Hæc insula, objecta Alexandriæ, portum efficit.* Livium jam dedi Poëtæ simillimum, & adjicio alterum Plinium lib. 6. epist. adhuc similiorem: *in ore portus insula assurgit, quæ illatum vento mare adjacens frangat, tutumque ab utroque latere decursum navibus præstet.* Cerda.

160. *Objectu laterum.*] Quia duo latera loci in portum vergentia mari objecta sunt, ejusque impetum frangunt: itaque portus ab undis tutus efficitur. quamobrem sequitur,

—— *quibus omnis ab alto*
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.

Rem oculis subjecit: nam fluctus à pelago veniens, si in scopulum impingit, scinditur, & retrocedit, iterumque iterumque ad scopulum redit: ut quidem Nascimb. hæc explicat. Servius, & alii *sinus reductos* interpretantur replicabiles, qui recolliguntur & replicantur: at Turnebus, recedentes; sive, in recessum remotos: ut apud Horat. Epod. 2. *in reducta valle*, id est, recedente. lib. 26. cap. 23. Pimpontius existimat Græcum ῥηγμῖνα Poëtam exprimere, quæ Lucret. l. 1. dixit, *fluctifragum littus*, ad quod alii fluctus franguntur. V. N. 4. Georg. ỳs. 420. *Taubm.*

Ab alto.] A mari: Mira igitur brevitas, quæ contineat omnia necessaria: cum autem locus contineatur quatuor partibus, ponit duo latera, & ingressum; quartam deinde partem posuit. *Donatus.*

161. *Inque sinus scindit sese unda reductos.*] Dividit se unda in sinus reductos, id est, replicabiles. *Inque sinus* autem antiqua est locutio. Sic ipse alibi, *Inque salutatam linquo.* Cajus Memmius de Triumpho Lucull. IIII. *Inque luxuriosissimis Asiæ opidis consedisse.* & mox; *Inque Gallograciam redierunt.* Servius.

Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cælum scopuli: quorum sub vertice late
Æquora tuta silent. tum silvis scæna coruscis
Desuper horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fron-

Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.] Ῥηγμῖνα exprimere videtur Poëta: quem circuitu *fluctifragum littus* dixit Lucret. lib. 1. *Germ.*

162. *Gemini.*] Pares, similes: alioqui & duos significat. *Servius.*

Geminique.] Servius exponit *gemini* pares. Sed cur non *duo* quum præsertim in hac descriptione Virgilius Homerum sequatur, apud quem legere est, Δύο δὲ προβλῆτες ἐν αὐτῷ ἀκταί. *Pier.*

Minantur.] Eminent: ut, *Minasque murorum Ingentes.* Item, *Illa usque minatur.* Et ita est, ut quæ eminent, minari videantur. *Servius.*

Geminique m. in cælum.] Ἢ δύο, ἢ δίδυμοι. Et est expolitio. non enim hîc præcipue *rupes* & *scopulos* distinguit; sed rupes intelligit, quæ in cœlum usque minaces (ut ait Turneb.) videntur attolli & eminere. Et censet Nascimb. *Hinc atque hinc rupes* has, nihil esse aliud, nisi *latera*, de quibus proxime dixerat, *objectu laterum.* Quintilianus hanc eminentiam geminorum scopulorum hyperbolicam vocat. Notant tamen eruditi, tales esse portus Brundisinos, quos Cæsar & Lucanus *Cornua* vocent: atque hinc esse, quod Strabo lib. 6. scribat, lingua Messapiorum Brundisium *cervi caput* appellari. *Taubmannus.*

163. *Sub vertice.*] Circa radices montis, quæ ad rectam lineam suspiciunt cacumen, id est, verticem. *Servius.*

164. *Æquora tuta silent.*] Tempestate defensa, ideo silent. *Idem.*

Silent.] Ita in 8. de Tibri: *tacita unda*, & Horatius de Liri, lib. 3. Od. 31. *taciturnus amnis.* Cerda.

Tum silvis scæna coruscis.] *Silvis coruscis:* hoc est, silvarum coruscarum, id est, crispantium. ut, Juvenalis, *Longa corruscat Sarraco veniente abies.* Et posuit septimum pro genitivo, ut superius: *Pulcra prole.* Servius.

Scæna.] Inumbratio. Et dicta *scena* ἀπὸ τῆς σκιᾶς. apud antiquos enim theatri scena parietem non habuit: sed de frondibus umbracula quærebant. Scena autem pars theatri adversa spectantibus, in qua sunt regia. *Idem.*

Scæna.] Comœdias dicunt natas in agris, educatas in urbibus. Nam, cum se rustici oblectabant, theatra tunc non habentes, ex frondibus arborum spacium locumque adornabant, qui locus *scena* dictus, ab umbra, ἀπὸ τῆς σκιᾶς. Mox, illatis in urbes comœdiis, idem nomen remansit. Placuit itaque Poëtæ ad veterem morem respicere, & nemus illud, horrore inumbratum, vocare *Scænam.* Cerda.

Coruscis.] Tremulis, vel umbrantibus accipiunt. *Servius.*

165. *Desuper.*] Pro, *supra*, præpositione contra rationem adjecta. *Idem.*

Horrenti.] Horror plerunque ad odium pertinet: plerunque ad venerationem, ut hoc loco. sic Lucanus, *Arboribus suus horror inest.* Idem.

Horrentique.] Horrorem incutiente, fortasse ob frondium densitatem. *Horrorem* pro reverentia hic sumi, docet Turneb. lib. 29. cap. 34. Lucret. lib. 1.

Hic ubi me rebus quædam divina voluptas
Percipit atque horror.

(Idem & *horrifice* usus est in rebus sacris, pro venerande) Ita 6. Æn.

——— *horrendæque procul secreta Sibyllæ:*

atque alibi. Catullus:

Dii magni, horribilem & sacrum libellum!

Luca-

Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo;

Nym-

Lucanus:

Arboribus suus horror inest ——

Taubm.

Horrentique.] Sic Stat. l. I. Achill.

—— *ubi ignotis horrenda piacula divis.*

id est, veneranda. Sic φρικώδης Græcè. φρίσσει etiam apud Hesychium idem quod τὸ φοβεῖται. & φρίκη, τρόμος. *Emmeness.*

Atrum nemus.] Tropus est; per atrum enim nigrum ostendit, per nigrum umbrosum: per umbrosum densum, id est, frondibus plenum. *Servius.*

166. *Fronte sub adversa.*] Semper autem loca sic Poëta describit: ut ingrediens. Sic facit Sallust. quæ omnia mutabuntur, si ut recedens scribat. Addit autem descriptioni duos altos scopulos, ut sit: Unde latus prospectus in pelagus appareat, ad inquirendas naves, ab Ænea separatas. Opacitas autem, ut minus ab externis conspiciatur, facit. *Donatus.*

Fronte sub adversa.] Id est, ex opposito. Lucret. l. 6.

—— *non tam concurrere nubes*
Frontibus adversis.

Taubm.

Scopulis pendentibus.] Tale quid Lucretius lib. 6.

Speluncasque velut saxis pendentibu' structas.

Cerda.

Scopulis pendentibus antrum.] Antri descriptionem habet Homerus Odyss. lib. v. ℣. 95. & seqq. Longus lib. I. Pastoral. Homero præferendum Maronem, in describenda Nympharum domo, propter brevitatem monet Scottus lib. 3. observ. Histor. cap. 22. & ut noster sic Ovid. lib. I. Metam. ℣. 575.

—— *facto de cautibus antro.*

Emmeness.

167. *Vivo.*] Naturali: ut, *Vivo prætervehor hostia saxo.* Servius.

Vivo sedilia saxo.] Viva saxa dicuntur diversa, vel opposita pene illis, quæ in ædificiis rediviva dicuntur, quæ ex vetere materia & diruta rursus ad novum opus applicantur. Plutarch. in lib. De virt. Alex. ζῶσαν ὕλην etiam dixit de Stasicrate architecto ad Alexan. ἐγὼ δὲ εἰς ἄφθαρτον, ὦ βασιλεῦ, καὶ ζῶσαν ὕλην, καὶ ῥίζας ἔχουσαν ἀϊδίους καὶ βάρος ἀκίνητον καὶ ἀσάλευτον ἔγνωκα σοῦ τὴν ὁμοιότητα καταθέσθαι σώματος. *Germ.*

Sedilia.] Adverti hanc vocem dari sedibus, factis natura, non arte. Sic hic, sic 4. Georg. ubi amnes locantur *vitreis sedilibus.* Et Horatius epist. ad Pisones:

Nondum spissa nimis complere sedilia flatu.

Est enim sermo de comœdiis veterum in pagis rusticorum, nondum formatis theatris. *Cerda.*

Vivoque sedilia saxo.] Longus cum depingit antrum, Nympharum domum, meminit fontis, semper scaturientis, l. I. Pastor. ἐκ δὲ τῆς πηγῆς ὕδωρ ἀναβλύζον, ῥεῖθρον ἐποίει χεόμενον, &c. de vivo saxo canit Ovid. lib. 5. Metam. ℣. 317.

Factaque de vivo pressere sedilia saxo.

pro quo Sil. Ital. l. 8.

—— *vivo purgor in antro.*

quæ aqua dicenda dulcis notat Lambinus l. I. Epist. 15 ad illa Horatii:

Puteosne perenneis dulcis aquæ.

Emmeness.

Nympharum domus.] Aut verum dicit, & est historia: aut ad laudem pertinet loci. Talis inquit locus est, ut domus credatur esse Nympharum. *Servius.*

Nympharum domus.] Hæc addit, ut summatim locum commendet, tum à religione, tum incredibili amœnitate:

 nec

Nympharum domus. hic fessas non vincula navis
Ulla tenent: unco non alligat anchora morsu.
Huc septem Æneas collectis navibus omni
Ex numero subit: ac magno telluris amore
Egressi

nec tantum animi, sed & corporis refectioni facit commodum: dum *aquas dulces*, dum *sedilia* memorat. qui etiam dearum sit habitatio. *Taubm.*

168. *Hic.*] Pro *illic* more suo. *Servius.*

169. *Anchora morsu.*]Supra *Anchora* dens ferreus est, ex Græca Etymologia, quòd quasi hominis manus comprehendat scopulos, vel arenas. Nam manus Græce χείρ dicitur. Hoc nomen cum in Græco, unde originem ducit, aspirationem non habeat, in Latino aspiratur: quod est contrarium. nam magis Græcorum est aspiratio. Sed hoc in paucis nominibus invenitur. *Idem.*

Morsu.] De anchoris bene dixit: cum alio loco inveniamus, *Tum dente tenaci Anchora fundabat naves.* Idem.

Unco non alligat anchora morsu.] Sic omnes legunt, sed Jul. Scal. *ullo.* non *unco.* Notatque quæsitum splendorem ex geminatione *ulla*, *ullo.* ut hìc *morsu* de anchora, ita in 6. *dentem* consentaneè. Et Sidonius *mordaces anchoras.* Nonnus quoque in re nautica lib. 3. ἀγκυλόδοντας, *curvitas dentium.* Symposius Poëta,

Mucro mihi geminus ferro conjungitur unco,
Cum vento luctor, cum gurgite pugno profundo,
Scrutor aquas medias, ipsas quoque mordeo terras.

Cerda.

170. *Huc septem Æneas collectis navibus omni.*] Quidam volunt hoc loco quæstionem nasci; Si favet Neptunus Trojanis, cur cum omnibus navibus ad Africam non pervenit Æneas? Sed Neptunus postquam sensit tempestatem commotam, potuit de periculo liberare Trojanos: ante facta vero mutare non potuit. Nam & Orontis navem cum omnibus sociis ejus constat periisse, & simul libri œconomia perisset, si Æneas cum omnibus navibus pervenisset. volunt autem septem naves ita interim colligi, ut una Æneas, ut tres de saxis à Cymothoe & Tritone, tres de Syrtibus, Neptuno Syrtes navigabiles faciente, liberatæ sint: reliquæ tantum dispersæ sunt, quas paulo post legimus ad Africæ litus adpulsas. Novam tamen rem Nævius bello Punico dicit, unam navem habuisse Æneam, quam Mercurius fecerit. *Servius.*

Septem.] Una, in qua ipse erat, tres de saxis, tres de Syrtibus ereptæ. *Donatus.*

Omni ex numero.] E viginti navibus. Sic enim inferius,

Bis denis Phrygium conscendi navibus æquor, &c.

Taubm.

171. *Telluris amore.*] Cujuscunque terræ post pericula. unde & superius dixit, *Quæ proxima littora cursu Contendunt.* Et paulo post infert; *Optata potiuntur Troës arena.* Nam revera hæc optata non erat eis, qui ad Italiam festinant. Et *Arena* aut pro terra posita est; aut & arena grata potuit esse post mare. *Tellurem* autem pro *terra* posuit, quum *Tellurem* ipsam deam dicamus: *terram* elementum; ut plerunque *Vulcanum* pro igne ponimus; *Cererem* pro frumento; *Liberum* pro vino. *Servius.*

Telluris amore.] Hoc voluit, non terræ. Tellus enim Dea est terræ. quo, credo, insinuat affectum illum, quo, qui è mari egrediebantur, præcipue tempestate jactati ad terram se inclinabant, illamque ut Deam adorabant, amplectebantur, exosculabantur. Ulysses tempestate ereptus Odyss. 5.

ὁ δ'

Egressi optata potiuntur Troës arena,
Et sale tabentis artus in litore ponunt.
Ac primum silici scintillam excudit Achates,

Susce-

— ὁ δ' ἄμφω γοῦνατ' ἔκαμψε,
Χεῖρας τε στιβαράς.

Ille vero utrumque genu flexit, manusque fortes.

& statim, κύσε δ' ζείδωρον ἄρουραν: *osculatus est almam tellurem.* Cerda.

172. *Egressi.*] Donatus in ea verba Hecyræ, *O fortunate, nescis quid mali præterieris, qui nunquam es egressus mare*, notat, eos, qui jam navigarunt, dici *egressos*. Idem.

Optata.] Quia contrariam perturbatione pelagi viderant, cum navigia ad imum usque deprimerentur. *Donatus.*

Arena.] Quæritur, habeat necne nomen hoc aspirationem. & Varro sic diffinit, *Si ab ariditate dicitur, non habet: si ab hærendo, ut in fabricis videmus, habet.* melior tamen est superior etymologia. *Servius.*

173. *Sale tabentis.*] Supra. * i. multa, aut madefactos aspergine, aut qui apud sentinam laboraverint. Nam supra ait: *Omnes accipiunt inimicum imbrem.* Sane marina aqua dicitur exesse & extenuare ut cætera, sic corpus humanum. *Idem.*

Sale tabentis.] A contrario. sal enim conservat. Sed inventus est casus, ut tabescat sale, quod servari convenit. Aqua enim maris quamvis salsa, admittit corruptionem. *Donatus.*

In litore.] Pro *in litus*, ut 8. Æneid. *Arma sub adversa posuit radiantia quercu*, pro *sub adversam quercum.* Serv.

174. *Ac primum silici scintillam excudit Achates.*] Bene adjecit speciem, quia in lapidibus certis invenitur ignis. *Idem.*

Excudit.] Feriendo elicit: quia *cudere* est ferire. unde & *incus* dicitur: quod illic aliquid cudamus, id est, feriamus. *Idem.*

Ac primum silici scintillam excudit Achates.] Arusianus Messus in Virgilianarum elocutionum exemplis, *Excudit huic*, dativo casu eleganter dici, carmine hoc ex Virg. citato, contendit approbare: & *silici* à Poëta scriptum agnoscit: & ita habetur in eo codice, ubi integra Ti. Donati commentaria leguntur. Sed & *excussit* præterito tempore positum est, ut cum altero *suscepit* quadret in synchroniam. Ea vero dictio *suscepit*, in veteribus aliquot codicibus *succepit* geminato *cc* scripta est, ut *succumbo, succedo.* Sed enim omnino ex *sub* & *capto*, *succipio* prius fuit: inde alterum *c* in *s* abiit, consuetudine pronuntiationem hujusmodi magis adprobante. *Pier.*

Silici scintill. excudit.] Non, *silicis*; sed *silici*, quod vetustiss. Codd. agnoscunt. id est, è silice elicit feriendo. ut Turnebus explicat: qui *silicis* gignendi casu (ut & Prisc.) nec ipse probat; l. 12, 12. Sic 1. Georg.

Et silicis venis abstrusum excuderet ignem.

Et 6. Æn.

— *quærit pars semina flammæ*
Abstrusa in venis silicis.

In igniariis autem, quæ πυρία Græcis, pars, quæ atteritur, ἐσχάρα; quæ atterit, τρύπανον dicitur. Sapienter autem dicit: ipsum Achatem excudisse ignem: allusitque ad nomen Achatis. Quâ de re Servius & alii, & nos superius. *Taubm.*

Achates.] Allusit ad nomen. Nam *achates* lapidis species est. Bene ipsum dicit ignem excussisse. unde etiam Achatem ejus comitem dixit. Lectum est in naturali historia Plinii, quod si quis hunc lapidem in annulo habuerit, ad custodiam ejus proficit, & gratior esse videatur. *Servius.*

Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma
Ex-

175. *Suscepit.*] Pro *succepit*: ut supra dictum est. *Idem.*

Suscepitque.] Servius legit *succepit*: & docet J.C. Scaliger lib. 4. cap. 16. Poëtam de industriâ *succepit* potius quam *suscepit* dixisse. Vide Not. 6. Æn. ꝟs. 249. Expressit autem hic πυρήϊα. *Taubm.*

176. *Nutrimenta.*] Cic. de Oratore: *Et qui deducta hujus nutrimenta eloquentia ipsa se postea coloravit.* Servius.

Arida circum nutrim. dedit.] Ovid. *foliisque & cortice sicco Nutrit, & ad flammas anima perducit anili.* Apoll. 3. ὡς δὲ γυνὴ ταλαεργὸς πυρὶ κάρφεα χεύατο δαλῷ, &c. *Germ.*

Arida circum nutrimenta d.] *Nutrimenta* (ait Scalig. l. 4. c. 16.) videtur vox humilis: sonus tamen gravis: ut alibi, *Rudimenta*, & *Tentamenta.* Intelligit autem *nutrimenta*, quæ Aristoteles vocat ὑπεκκαύματα. Ovidius, 2. Fast.

Tum sicco primas irritat cortice flammas.

Idem:

—— foliis & cortice sicco
Nutrit, & ad flammas animam producit anili.

Taubm.

Rapuitque in fomite flammam.] Pene solœcophanes est. nam cum mutationem verbi significet, ablativo usus est: sed hoc solvit, antiqua circa communes præpositiones licentia, ut est, *Conditus in nubem*: contra. Et, *nota conduntur in alvo.* Item, *Sæva sedens super arma.* Et: *Gemina super arbore sidunt.* Cicero, *Quo ille in capite ab hostium duce acceperat.* Item, *Et si fortes fueritis in eo*, supra * quoniam nemo, &c. *fit ausus defendere.* Aut *Rapuit*, raptim fecit flammam in fomite, i. celeriter. Et mire *Rapuit*, opus est enim velocitate ad tale ministerium. Sane *fomites* sunt assulæ, quæ ab arboribus cadunt, quando inciduntur, quod foveant ignem. Clodius scribit, Commentariorum IIII. *se fomenta taleæ excisæ ex arboribus* *. Item alio loco, *Assulæ ambustæ, ligna excavata à fungis nomine excepto.* Servius.

Rapuitque in fomite.] Id est, ignem accendit. Servius, Diomed. lib. 2. & alii quidam putant, hanc esse speciem solœcismi: cum dicendum esset, *rapuit in fomitem.* Solvi tamen hoc autumant antiqua circa Præpositiones communes licentia. aut, *rapuit*, id est, raptim fecit flammam in fomite, id est, celeriter. *Turnebus l.* 12, 12. Hic, *inquit*, attribuitur Achatæ, quod fomiti nutrimentoque ignis tribuendum fuit: fomes enim flammam corripuit: sed cum eam in fomite excitasset Achates, merito in eo dictus est ipsam rapuisse, quam in eo quærebat, eleganti figura orationis. *Taub.*

177. *Cererem.*] Metonymia pro frumento. *Servius.*

Corruptam undis.] Undis emollitam. *Idem.*

Cererem corruptam.] Petron. satyr. *cibisque naufragio corruptis.* Cerda.

Cerealiaque arma.] Fugiens vilia, ad generalitatem transiit, *Arma* enim generaliter omnium rerum instrumenta dicuntur; ubi reponuntur, *armaria* dicta sunt: Ergo hic propter carminis dignitatem refugiens vilia, rem vilem quæ ad omnia instrumenta pertinent, id est, arma, propter carminis dignitatem: & rem vilem auxit honestate sermonis: ut alibi, ne lucernam diceret, ait, *Testa cum ardente videret Scintillare oleum.* Et sciendum est judice Euphonia dici *Cerealia*, vel *Cerialia*: *Typhœa*, vel *Typhöia*: *Cæsareanus* vel *Cæsarianus.* In his ergo licentia derivationis est. *Servius.*

Cerealiaque arma.] Quemadmodum hic intelligenda pistoria supellex, sic apud Plautum *coquinaria arma*, sunt lebe-

Expediunt fessi rerum; frugesque receptas
Et torrere parant flammis & frangere saxo.

Æneas

lebetes, ollæ, patinæ, & quæ hujus generis sunt in usum culinæ instrumenta. Quemadmodum *arma cujuslibet rei instrumenta* appellat Serv. l. 2. Æn. ✠s. 98. —— *& quærere conscius arma.* sic & l. 1. Georg. ✠s. 160.

—— *& quæ sint duris agrestibus arma.*

& l. 5. Æn. ✠s. 15.

Colligere arma jubet.

id est, vela. & l. 6. ✠s. 358. pro gubernaculo navis.

Quam tua ne spoliata armis.

Ovid. l. 4. de Pont. epist. 16.

Aptaque venandi Gratius arma daret.

& ipse Gratius in Cyneg. vs. 23. 24.

Carmine & arma dabo venandi & persequar artem

Armorum.

Cicero de Senect. cap. 3. *artes & exercitationes virtutum* vocat *arma senectutis.* & alio loco *arma prudentiæ.* Apulejus l. 9. Metam. *Tum Saga illa, & divinipotens primis adhuc armis facinorosæ disciplinæ suæ velitatur.* Sic ὅπλα Græce, vel ex Homero & Apollonio Rhod. liquidum. sed & Paulus in Epist. ad Rom. c. 6. comm. 13. ὅπλα ἀδικίας. & δικαιοσύνης. *Cerealibus* rectius quam *Cerialibus* legi monet Dausquius in Orthogr. *Emmeness.*

178. *Expediunt.*] Nigidius de hominum naturalibus IIII. *Omnis enim ars materia inventa circa quam versetur, ferramenta, vasa, instrumentum, armamenta quæ f. q. primum comparat. per quæ opera sua efficere possit.* Servius.

Fessi r.] Hoc est penuria fatigati, id est, esurientes, quod fere labores fames subsequitur. Et *Fessus* generale est: dicimus enim *fessus animo:* incertus consilii. ut, *Ter fessus valle resedit.* & *fessus corpore*, quod magis est proprium. Et *fessus rerum à fortuna venientium*, ut hoc loco. Epitheta enim nunquam vacant: sed aut ad augmentum, aut diminutionem, aut ad discretionem poni solent. *Idem.*

Fessi rerum.] Scilicet à fortunâ venientium; ut notat Servius. *Et, multum,* inquit *Scaliger*, habet momenti ad orationis magnitudinem hæc forma: sicut in 12. Æn. *trepidæ rerum:* Poët. lib. 4. c. 16. Ita Catullum *fessos curarum* dixisse, Pimpont. observat. Turnebus, *Fessi rerum*, inquit, sunt fatigati naufragii calamitate & tempestatis jactatione. sic inferius, *sunt lacrimæ rerum*, id est, calamitatum & rerum adversarum. itaque paulo post dicet, *Tum victu revocant vires.* Taubm.

Fessi rerum.] Horat. l. 2. od. 6.

Sit modus lasso maris & viarum militiæque.

Sic *fatigatus spei* apud Apulejum. de his locutionibus consule Vechner. Hellenolexias l. 1. c. 3. *Emmeness.*

Fruges.] Generaliter omnes *fruges* dicuntur: & errant qui discernunt frumenta à frugibus. Nam Cic. ait, *Olei & frugum minutarum.* quum de leguminibus diceret, ut ostenderet etiam *frumenta* fruges vocari. *Frugum* autem nomen tractum est à frumine, id est, eminente sub mento gutturis parte. *Servius.*

Receptas.] Liberatas de periculo: ut, *Medioque ex hoste recepit*, id est, liberavit. *Idem.*

[179. *Et torrere parant flammis & frangere saxo.*] Multi Hysteroproteron putant, non respicientes superiora: quia dixit undis Cererem esse corruptam, quam necesse fuerat ante siccari. Qui tamen contra hoc, illo utuntur exemplo, *Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.* Et volunt etiam hic Hysteron proteron esse, quod falsum est. Nam & hodie siccari ante fruges, & sic frangi videmus. Et quia apud majores nostros molarum usus non erat; frumenta torrebant, & ea in pilas missa pinsebant: & hoc erat genus molendi. unde, & *pinsores* dicti sunt, qui nunc *pistores* vocantur. *Pinsere* autem dici

Persius

Æneas ſcopulum interea conſcendit, & omnem
Proſpectum late pelago petit; Anthea ſi quem

Jacta-

Perſius probat, ut, *A tergo quem nulla ciconia pinſit.* Quidam ne ὕστερον πρότερον ſit, Alios torrere, alios frangere accipiunt. Accius Troadibus: *Nocturnam ſaxo fruges franges torridas.* Sane his verſibus, *Tum Cererem corruptam undis. Et, torrere parant flammis & frangere ſaxo*, jus Pontificum latenter attingit. Flamines autem farinam fermentatam contingere non licebat. Cum autem dicit, *Cererem corruptam undis*, *& torrere parant*, *& frangere ſaxo*; quid aliud oſtendit, quam mox eos ſine frumento panem coxiſſe, qui omnes fruges corruptas protulerant. non autem expectaſſe eos fermentum, docet illo verſu: *Tum victu revocant vires.* Servius.

Et torrere.] Fruges è mari liberatas ad ignem exſiccant prius, quam molant. Neque in his ulla eſt hyſterologia: ut docent Servius & Donatus. *Torrere* enim cum dixerit, non *coquere*; recte poſuit *torrere* prius, & poſt *frangere*. Cum quibus facit & J.C.Scalig. l.3,18. Cererem enim, (inquit) corruptam undis, prius ſiccatam oportuit quam molitam. Quæ fuit cauſſa, ut opus inceperit ab igni excudendo. Turneb. lib. 5. cap. 24. ad verſ. Lucretii, l. 1.

—— *fruges quoque ſæpe minacis*
Robore cum ſuxi franguntur, &c.

Hic puto, *inquit*, duas rationes molendi indicari: unam, cum ſuſpenſa mola fruges frangimus, ut in faba freſa, & in polenta craſſiuſcula, quam κέϱμνον vocant: & ex eo Ariſtophan. κεϱμνώδη appellat, quæ craſſa ſunt: & Maro dixit,

Et torrere parant flammis & frangere
ſaxo:

quod eſt, utcunque molere, atque adeo molere. Alteram, cum non ſuſpenduntur molæ, ſed lapis lapidem terit, id eſt, mola molam, cum tenuior farina & minutior elicitur, &c. *Taubmannus.*

Et torrere parant flammis & frangere ſaxo.] Veteres tam far, quam hordeum prius torrebant, deinde molebant. Vide Salmaſ. ad hunc locum Plin. exercit. p. 328. qui & fruges pro frumento dici aſſerit p. 294. *Emmeneſſ.*

180. *Æneas.*] Merita perſonarum vilibus officiis intereſſe non debent: quod bene obſervat ubique Virgil. ut in hoc loco. Item in ſexto, cum diverſis officiis Trojanos diceret occupatos: ait, *At pius Æneas arces quibus altus Apollo Præſidet.* Niſi cum cauſſa pietatis, intervenit, ut ad ſepeliendum ſocios miſcendo ſe operi hortatur, *Nec non Æneas opera inter talia primus Hortatur ſocios, paribuſque accingitur armis.* Servius.

Scopulum.] Id eſt, ſpeculam. Et quando ſpeculationem ſignificamus, generis eſt fœminini: ut, *Specula Miſenus ab alta.* Speculum autem, in quo nos intuemur, generis eſt neutri, ut Juvenalis, *Speculum civilis ſarcina belli.* Idem.

Scopulum conſcendit.] Bene Jul. Scal. *vocabulum ſignatiſſimum* παρὰ τὸ σκοπεῖν. Etenim qui ibat ad ſpeculandum, ſcopulum aſcendit, qui dictus ab aſpiciendo. Adnecto verba Heſychii: σκόπελός ἐστιν ὑψηλὸς τόπος, ἢ πέτρα, ἢ ἀκρώρεια, ἀφ' ἧς ἐστὶ σκοπεῖν τὰ κύκλῳ: *eſt ſcopulus locus altus, aut petra, aut vertex, unde fit ſpeculatio in loca omnia.* Eſt hoc, quod dixit Philoſtratus 2. Icon. de quapiam inſula, ἀκρωνυχίαν ἐξαίρουσα πανόπτῃ Ποσειδῶνι: *verticem attollens ſpeculanti omnia Neptuno.* Cerda.

181. *Late petit.*] In quantum poteſt. *Servius.*

Pelago.] In pelagus, ut, *Inferretque deos Latio.* Idem.

Proſpectum late pelago petit.] Sumpſit phraſin è Catullo, qui de nuptiis:

At pater ſumma proſpectum ex arce petebat.

Idem ſic variat,

Unde

Jactatum vento videat Phrygiasque biremis,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caïci.
Navem in conspectu nullam. tris litore cervos

Pro-

Unde aciem in pelagi vastos protenderet æstus.
Pacuvius apud Nonium ita: *Incipio sax' tentans scandere verticem summi, inde in omnes partes prospectum aucupo.* Seneca ep. 89. *in vastum terrarum, marisque prospectum.* Cerda.

Anthea si quem.] Ordo est, Ascendit scopulum requisiturus Anthea, Capyn, Caicum, si quem videat. Et est usus hoc genere locutionis, quo etiam Terentius, qui dixit, *Quod plerique omnes.* Atque nihil tam contrarium: *Omnes* enim generale est. *Plerique* speciale. Ordo ergo est: *Quod omnes faciunt adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adjungant, pleriq; equos alere, pleriq; canes.* Aut certe *Quem* vacat, ut superius diximus, istas frequenter vacare particulas. ut ipse Virg. *Rhebe diu, res si qua diu mortalibus ulla est.* nemo dicit *si qua ulla*, sed *si ulla.* Vacat ergo *Qua.* Item in Lucillio, *Ecquem Pamphilum quæris. Quem* vacat. nam de uno loquebatur. Ergo *si quem videat*, pro *si videat*, posuit; cui contrarium ponebant veteres *Nullum*: Si quem vidisti, nullum vidi, pro non vidi. Sane legitur & *siqua*, ut sit si qua ratione. *Servius.*

Anthea si quem.] In Longobardico, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis exemplaribus, *si quem* legimus. Quod elocutionis genus aliorum etiam Poëtarum testimonio Servius agnoscit. Sed & *siqua* in veteribus codicibus aliquot scriptum animadverti: eamque lectionem à veteribus grammaticis defendi. Aitque Sosipater quosdam ita legere, *Anthea siqua*, quemadmodum legitur, *siqua fata sinant*, pro si quo, aliquo modo. Aliud autem esse in illo, *siqua fata aspera rumpas, Tu Marcellus eris*: quanquam & ibi, *Si quo* modo, sit audiendum. *Pier.*

182. *Phrygias.*] Trojanas: Troja enim Phrygiæ provincia est. Et verisimile est, Æneam de omni illa provincia socios habere potuisse. Secundo enim ait, *undique convenere, animis opibusque parati.* dicta autem ab Æsopi filia Frigia nomine. *Servius.*

Biremis.] Naves habentes remorum ordinem geminum: ut alibi, *Triplici pubes quam Dardana versu Impulit.* Quidam tamen biremes ad suum tempus volunt dixisse Virgilium, negantes Trojis temporibus biremes fuisse. Varro enim ait, post aliquot annos inventas biremes. *Idem.*

Biremis.] Vult Servius Poëtam ad suum tempus respexisse, cum dicat Varro, inventas biremes post Trojana tempora. Dicuntur ita à duplice remorum ordine, ut etiam Græcis διήρεις. qui tamen frequentius δίκροτα, appellant. qua voce interdum Latini usi. Cicero ad Att. lib. 5. ἄφρακτα Rhodiorum, & dicrotum Mitylenæorum, & aliud catascopium. Cerda.

183. *Aut Capyn.*] *Capys*, à quo postea *Capuam* volunt conditam, unus è Ducibus Trojanorum, ut & *Antheus* & *Caicus. Celsis* autem *puppibus* dicit; quia pars ea navis altior est. Et mos erat militum navigantium puppibus arma religare. ut 10. Æn.

—— *præfigere puppibus arma.*

Græci hæc arma vocabant παράσημα τῆς νηὸς, *insignia navis.* De quibus dicendi locus erit 5. Æn. ad illud, *Centauro invehitur magna.* Videatur Baysius De re navali. *Taubm.*

In puppibus a. c.] Quia navigantium militum est in puppibus arma religare. Fiebatque signi gratia: aut *Arma* pro navalibus armamentis; ut *Colligere arma jubet*: & alibi, *Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.* Servius.

184. *Cervos.*] *Cervi* dicti sunt ἀπὸ τῶν κεράτων, id est, à cornibus. Sciendum

185 Prospicit errantis: hos tota armenta sequuntur

A ter-

dum etiam Latina nomina, Græcam plerunque etymologiam recipere. Sed cervi non sunt in ea parte Africæ, id est, in provincia nunc proconsulari, ad quam venit Æneas. Aut fictus ergo est secundum poeticum morem: aut ob hoc dictum, quia heroicis temporibus ubique omnia nascebantur: ut ipse, *Omnis feret omnia tellus.* aut possunt tunc fuisse; Sed, ut multis aliis locis variæ mutationes factæ, licet quidam *cervos* pro quacunque fera dictos accipiunt: quia post ait, *Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinæ.* Nam male quidam eos de vicinis insulis transfretasse tradunt, & ideo *errantes*, quod in ignotis locis essent. *Idem.*

Cervos.] In Africâ multos cervorum greges esse Jac. Dalechamp. Medicus, in Notis ad Plin. l. 8. c. 33. & Loinus, qui testem laudat Oppianum l. 2. Cyneget. testantur. Videatur & Corradus, qui hunc locum accurate expendit. *Errantes* autem significat oberrando pascentes. Traditque Plinius, cervis naturâ inditum, ut gregatim pascantur: itaque hîc dicitur,

——*hos tota armenta sequuntur.*

Tota autem hîc *omnia* significat, auctore Servio, qui prolixe differentiam inter *Totum* & *Omne* persequitur, ut & Nonius. cum quibus potest conferri Aristotelis distinctio 5. Metaphys. inter τὸ πᾶν & ὅλον. *Taubm.*

185. *Prospicit.*] Bis accipe: ut navem nullam prospicit, sed tamen prospicit cervos. *Donatus.*

Errantis.] Pascentes. ut, *Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.* re vera enim dum pascuntur, vagantur. *Servius.*

Tota.] Inter *totum* & *omne* hoc interest; quod *totum* dicimus unius corporis plenitudinem: *omne* de universis dicimus; ut puta, *Totum auditorium habet scholasticos*, hoc est, plenum est auditorium scholasticis. *omne auditorium habet scolasticos*, id est, omnia auditoria. Usurpant tamen poëtæ & illa confundunt; ut hoc loco *Tota* pro omnibus posuit: & contra pro toto, *omnem* posuit: ut est, *Omnemque reverti per Trojam.* Statius, *Et totos in pœnam ordire nepotes*, id est, omnes. Plerique derivationem ducunt ab eo quod est tot, *totus*: ut ab eo quod est quot, *quotus.* Sed illud notandum, quod in derivatione mutat plerunque naturam: nam cum *Tot* producitur: *quotus* vero secundum originem suam brevis permanet. *Idem.*

Tota.] Sic Stat. Thebaid. l. 1. *totos in pœnam ordire nepotes*, id est, *omnes.* & omnis pro *totus*, ut Cæsar in princ. l. 1. de Bello Gallico, *omnis Gallia.* Emmeness.

Armenta.] Videtur nove de cervis dixisse, cum *armenta* proprie boum sint, vel cæterorum, quibus in armis utimur. *Servius.*

Tota armenta sequuntur.] Dicit aptius, quam *greges*: quamvis & hoc potuisset. Itaque male hic à sciolis damnatur Virgilius. Verum est, frequentius *gregem* sumi pro minore pecore, ut sunt oves, capreæ, cervi: *armentum* pro majore, ut sunt tauri, equi. Sed liceat interdum discedere ab oraculis grammaticorum (ait Michaël Brutus, hac de re loquens, in explicationibus Horat.) Nam Græci ἀγέλην, id est, *gregem*, dicunt de bobus. Apud Homerum sæpe ἀγέλη βοῶν, leges, & notum verbum taurorum ἀπαγελᾶν. Plinius lib. 8. cap. 8. bis aut ter dicit *gregem* de Elephantis. & c. 15. *equorum greges.* Has voces, ut alii commutarunt, ita princeps carminum Maro. Nam de bobus 6. Ecl.

Aut aliquam in magno sequitur grege.

& 6. Æn. *grege de intacto septem juvencos*, quem æmulans Horatius 2. od. epod. *greges mugientium* dixit. Et quidem Varro 2. Rust. cap. 5. hoc discrimen nihil curans scripsit *qui gregem armentorum emere vult*, &c. Sed adhuc in

A tergo, & longum per vallis paſcitur agmen.
Conſtitit hic, arcumque manu celeriſque ſagittas
Corripuit; fidus quæ tela gerebat Achates:
Ducto-

in Virgilio quiddam conſidero non illo indignum. *Gregem* capit de minore; *armentum* de majore: cum commutat, aliquid addit. Nam de bobus, non *gregem* ſimpliciter, ſed *magnum gregem* dicit 6. Ecl. de cervis hîc, ut illorum magnitudinem ſignaret, *armentum* maluit; dicturus enim de illis poſtea, *ingentia corpora*. Cerda.

Hos tota armenta ſequuntur A tergo, & longum.] Vetera aliquot exemplaria, *quos tota* legunt: à nemine tamen, quod ſciam, adhuc recepta lectio: perinde ac illud etiam quod antiqui codices nonnulli, *tot armenta* ſcriptum habent: ſive ea olim fuerit apoſtrophe, qua Latinos etiam aliquando uſos monumenta plurima declarant: ſive *tot* numerale nomen ratione communis loci producatur. Sed *tota*, paſſim agnoſcitur à grammaticis. *Pier.*

186. *A tergo.*] Quidam diſpungunt poſt τὸ *ſequuntur*: quod, qui ſequitur, neceſſario *à tergo* ſequatur. Sed hic pleonaſmus frequens eſt, ita lib. 8.

—— *geminos à tergo reſpicit angues.*

Cic. 1. Tuſc. *Adoleſcentes in curſu à tergo inſequens, nec opinantes adſecuta eſt ſenectus.* Taubm.

A tergo, & longum, &c.] Errare eos Ti. Donatus ait, qui comma ſtatuunt, *ſequuntur à tergo.* Quum abſque ullo interjecto puncto legendum ſit uno eodemque membro: *A tergo & totum per vallis paſcitur agmen.* ut ſit, Longum agmen à tergo paſcitur per vallis: cujus elocutionis exempla ponit, *Theſtylis & rapido feſſis meſſoribus æſtu.* Item, *Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.* Item, *Subito cum tabida membris:* hoc eſt, cum ſubito. *Pier.*

Agmen.] *Agmen* proprie dicitur ordinata multitudo, ut eſt ambulantis exercitus. neque enim in uno loco ſtans, *agmen* vocatur: aut ſi inventum fuerit, uſurpatum eſt: unde bene adjecit *longum*, ut incedentium oſtenderet ſignificationem. *Servius.*

187. *Conſtitit.*] *Con* ſecundum naturam brevis eſt ſemper, excepto, quum *f* litera, vel *ſ* ſequitur: tunc enim tantum producitur, ſicut in ſyllaba, *inſula*, *infula.* Idem.

Hic.] Pro, *Tunc*, aut pro *Ibi.* Idem.

188. *Corripuit.*] Aut de pharetra *Corripuit*: ut eſt, *Corripit hic ſubita trepidus formidine ferrum.* Aut corripit ab Achate, & quomodo & Achate, quem apud ignem occupatum dixit, ſed eum ſecutum eſſe per ſilentium intelligamus: ut illo loco, *Ni jam præmiſſus Achates afforet.* Item, *Nunc repeto, Anchiſes fatorum arcana reliquit.* Idem.

Gerebat.] Aut tunc: aut quæ gerere conſueverat. *Idem.*

Gerebat.] Vel tunc præſens: vel portabat Æneas tela, quæ Achates, intentus igni excitando, reliquerat. Non vidit naves, ſed eventus oſtendit cervos, quæ res non ad venandi voluptatem, ſed ad victus neceſſitatem recepta eſt. Septem ergo majores ſtravit, in quibus alimoniæ major eſſet copia; multos deinde parvulos interemit. Reprehendunt autem temerarii, quod Poëta dixit: *A tergo ſequuntur.* Error eſt interpretantium. Nam tres cervos errantes in littore ſequebantur, alii per valles à tergo paſcebantur. Ita ergo legitur: proſpicit treis cervos & hos ſequuntur tota armenta, à tergo vero totum agmen paſcitur. Ergo illi errabant, hi paſcebantur. Neque enim omnes errabant, aut omnes paſcebantur, ſed alii erant ſubjecti oculis ejus, alii fuerant poſt ipſum. Similis autem verſus eſt, *Theſtylis & rapido feſſis meſſoribus*

Ductoresque ipsos primum, capita alta ferentis
Cornibus arboreis, sternit; tum volgus, & omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi, & numerum cum navibus æquet.

Hinc

foribus æstu, hoc est, & Thestylis. Item, *Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.* id est, & puppibus. Ipsi quoque numeri, gregum diversitatem significant. De errantibus enim pluraliter dixit, de pascentibus vero ait, *A tergo, & longum per valles pascitur agmen.* Ergo in littore positos, pluraliter dixit: In vallibus vero pascitur agmen. Huc accedit, quod qui pascitur non errat, & qui errat non pascitur. *Donatus.*

189. *Ductoresque.*] Miram habent Venerem hæ metaphoræ, *ductores, arboreis, vulgus, turbam.* Taubm.

Capita alta ferentis.] Infra quoque *surgentem in cornua cervum:* & item Ovid. *surgentem in cornua cervum,* ὑψοκέρωτα, & ὑψίκερων· equos ὑψαύχενας Apoll. vocat. *Germ.*

190. *Cornibus arboreis.*] Aut subaudi *cum*, ut illo loco, *Atque Ixionei vento rota constitit orbis*, id est, cum vento. Aut certe secundum supradictam figuram. *Cornibus arboreis*, pro *Cornuum arboreorum.* Melius tamen est, ut *Cum* subaudiatur. *Servius.*

Cornibus arboreis.] Ea vide, quæ dicta Ecl. 7. ℣. 30. his adde quæ Faber ad fab. Phædri 13. l. 1. *Emmeness.*

Tum vulgus.] Bene *Vulgus*, ductoribus interemptis. Ennius, *Avium vulgus & hastarum*, id est, multitudinem & hastarum & avium. *Servius.*

191. *Miscet.*] Perturbat, circumagit, insequitur. *Idem.*

Miscet.] Sic Juvenal. Sat. 10. ℣. 163.

Quæ res humanas miscuit olim.

Id est, perturbavit. Gestuosum esse verbum, & Maroni familiare monet Scal. Poët. l. 4. c. 16. *Emmeness.*

Frondea.] Pro *frondosa* posuit. Sæpe enim dum varietati declinationis student poëtæ, mutant proprietatem: nam *frondeum* est totum de frondibus, ut torus. *Frondosus* vero est locus, qui frondes habet: licet enim locus, qui frondes habet, abundet frondibus; non tamen est de frondibus totus, ut *saxosus*, saxeus. *Servius.*

Turbam.] Multitudinem. Cicero in Verrinis: *Videt in turba Verrem.* Plautus in Amphitruone, *Deinde utrique Imperatores in medium exeunt extra turbam ordinum.* Idem.

192. *Quam septem.*] Bene definivit numerum: necessitatis enim est hæc venatio, non voluptatis, in qua plura requiruntur. Nec enim conveniebat sociis diversis modis laborantibus, voluptati operam dare. *Idem.*

Victor.] Hoc loco propositi effector: ut est, *Atque rotis insistere victor.* Idem.

193. *Fundat humi.*] Per humum. Et est adverbialiter positum: ut, *Humi nitens*, id est, per humum. *Idem.*

Humi.] In Romano codice, in Oblongo, & aliquot aliis minime malis *humo* legitur, dandi casu. Sed *humi* adverbialiter positum magis placet nostri temporis eruditis viris. veluti etiam in quinto, *Fusus humi.* Quanquam & ibi quoque variam esse lectionem apud veteres ostendimus. *Pier.*

Cum navibus.] Cacephaton in sermone: quod fit si particulam *Cum*, *n* litera sequatur. Notandum sane est quod non omnia persequitur, neque enim indicat, quo delati sint cervi. *Servius.*

94. *Hinc*

Hinc portum petit, & ſocios partitur in omnis
Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes
Litore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,
Divi-

194. *Hinc.*] Pro *inde* vel *poſt.* Abutitur enim adverbiis, more ſuo. *Servius.*

Hinc portum petit.] Peracta cervorum ſtrage, qua Trojanis ſatis ſit, remeat ad naves. *Donatus.*

Partitur.] Saluſtius ait, *Provincias inter ſe partiverant.* Nam & *partio* & *partior* dicimus. *Servius.*

195. *Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes.*] Ordo eſt, Deinde vina heros dividit, quæ bonus Aceſtes Trinacrio litore cadis oneravit, & abeuntibus dederat. *Idem.*

Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes Litore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros.] Dividit. Sunt qui magis approbent lectionem illam, *deinde bonus quæ vina cadis onerarat.* cujus quidem appoſiti verbum eſt *dividit*, non *partitur*, ut Servius putat. Sed enim illam adverbii tranſpoſitionem in primum locum nuſquam in codicibus antiquis obſervavi. Agnitam vero lectionem eam, quæ vulgo habetur, inde patet, quod in ordinando ſenſu ita ſcribit, Deinde dividit vina, quæ bonus Aceſtes oneraverat cadis litore Trinacrio, atque abeuntibus dederat. Eſt præterea in codice Mediceo pro *heros* poſitum *hoſpes. Dederatque abeuntibus hoſpes*, ut muneri conditio accreſcat, quod hoſpitale fuerit. *Pier.*

Bonus.] Hic largus, vel liberalis. Sane etiam Æneam *bonum* pro laude appellat, ut in v. *Quos bonus Æneas dictis ſolatur amicis. Bonum* etiam pro *forti* dicit Saluſt. *Sane bonus ea tempeſtate contra pericula & ambitionem.* Item Catilinæ * *Sed libertatem, quam nemo bonus niſi cum anima ſimul amittit.* Servius.

Bonus.] Bonus civis, & bonus largitor. *Donatus.*

Deinde.] Una ſyllaba tollitur metri cauſa. *Servius.*

Cadis.] Prætermiſſo cadorum numero, oſtenditur vini copia. *Donatus.*

Cadis.] Inter vaſa vinaria eſt cadus, ut videre eſt in Horat. od. 7. lib. 2. & lib. 3. od. 14. 15. 19. & lib. 4. od. 12. Columell. lib. 12. cap. 28. Martial. &c. *Cerda.*

Onerarat.] Oſtenditur non quantum voluerit largitor datum, ſed quantum Trojani ferre potuerint. *Donatus.*

Onerarat.] Merces onerari dicuntur, inquit Turneb. l. 27. c. 30. cum illis navis aut jumentum oneratur. ubi etiam quid vetus illud ſit, ἐπιβάλλειν vel ἐπιτιθέναι ζημίαν *onerare zamiam*, diſces. *Emmeneſſ.*

196. *Trinacrio.*] Græcum eſt, quod tria ἄκρα habeat, id eſt, promontoria, Lilybæum, Pachynnum, Pelorum. Latine autem *Triquetra* dicitur. Sane Philoſtephanus περὶ τῶν νήσων, ſine R litera *Trinaciam* appellat, ὅτι Τρίνακος αὐτῆς πρῶτος ἐβασίλευσεν. *Serv.*

Abeuntibus.] Præter id, quod manentibus dederat. *Donatus.*

Dederatque abeuntibus heros.] Attingit Poëta morem veterum, heroïcis adhuc illis temporibus in honore habitum, ut, qui à ſe amicum dimitteret, illum viatico cibario adornaret; imo hoc proprie fuit viaticum, non pecunia. Nam Euſtathius Odyſſ. 2. ita definit viaticum, βρώματα εἰς ὁδὸν ἐπιτήδεια παρὰ τὸ ἰέναι: Eutyclea, 2. Odyſſ. Telemacho ad viam dat οἶνον, ἄλφιτα, & Ulyſſes lib. 7. accipit à Calypſode, σῖτον, καὶ μέθυ ἡδύ, & lib. 9. à Marone,

Αἴγειον ἀσκὸν ἔχον μέλανος οἴνοιο
Ἡδέος.

Apud Orpheum Cycicus ſolventes Minyas ornat donis, dans οἶνον & σῖτον ἄφθονον: *vinum, & copiam frumenti.* Herodotus quoque in Calliopè: τέτους λωσάμενοι πάντας ἀποπέμπουσι ἐφο-

Dividit, & dictis mærentia pectora mulcet:
O socii, (neque enim ignari sumus ante malorum)

O passi

διαγέσαντες εἰς τὰς Ἀθήνας: *Hos omnes dimittentes & cum honore prosecuti viatico exornarunt ad Athenas.* In Thucydid. lib. 3. ita leges, παρασκευασάντων δὲ τῶν Μιτυληναίων πρεσβέων τῇ νηῒ οἶνον, καὶ ἄλφιτα, *instructa est navis, à legatis Mitylenæis, vino & farina hordeacea.* Xenoph. lib. 1. Ελλ. aperte discriminat pecunias à cibis, & de cibis ait ἐφοδιαπάμενος. verba ejus: λαβὼν δὲ ταῦτα (χρήματα) ἐκεῖνος, καὶ ἐν Χίου πέντε δραχμίαν ἑκάστῳ τῶν ναυτῶν ἐφοδιασάμενος: *acceptis pecuniis, & præterea quinque drachmarum viatico è Chio in singulos nautas coacto.* Alter Plinius lib. 3. epist. hac una re studium suum aperit erga Martialem: *Prosecutus eram viatico secedentem, dederam etiam versiculis, quos de me composuit.* Ex hoc more lucem do Livio 42. ubi ait: *Regulus, Carthaginiensesque dimissi. Munera ex instituto data utrisque, aliaque hospitalia comiter conservata.* Cerda:

Dederatque abeuntibus heros.] Ad hæc Maronia alludit illud Juvenalis Sat. 7. ℣s.235.

— *dicat quot Acestes vixerit annis,*
Quot Siculis Phrygibus vini donaverit urnas.

de Aceste, filio Crinisi & Egestæ, Servius ad ℣s.38, l. Æn.5. *Emmeness.*

Heros.] Vir fortis, semideus, plus ab homine habens, ut ait Hesiodus. *Servius.*

197. *Dictis mœrentia.*] Bene ante epulas & hortatur socios & solatur. *Idem.*

Dictis.] Non poterant in maximo mœrore cibum capere, ergo adhibenda consolatio erat, verum à persona aliena à mœrore, sed hæc in solitudine non reperiebatur: hanc igitur subit Æneas, qui animi præstantia mœrorem vincere poterat. Hic ita se gerit, ut neque se satis tristem ostenderet, ne à consolatione illos dejiceret, neque omnino à doloribus immunem, ne in sua causa omnino alienus videretur. *Donatus.*

Mulcet.] Nam gravissime inflictus mœror, penitus removeri non poterat; sumpto aut cibo & vino, more humani ingenii speratur, animorum ventura relaxatio. Si autem hæc consolatio ab alieno sit, possit responderi Terentianum illud: *Tu si hic sis, aliter sentias.* Cum autem à socio malorum, potest attente audiri. *Idem.*

198. *O socii.*] Ordo est, O socii revocate animos. Bene autem *socios* dixit, ne se eis exæquaret. Quidam *socios* pro remiges accipiunt, sed illi *socii navales* appellantur. *Servius.*

O Socii.] Scilicet laborum. Mira arte loquitur. Norat enim odiosum illud esse laborantibus, utpote cujus causa universi trahebantur per tot & tam diuturnas calamitates. Ponit ergo præmium *ô socii laborum*, qui nil sine me passi estis: ergo debetis audire, quæ dicam, *Donatus.*

Ignari.] Immemores. Et est Acyrologia. *Ignarus* enim est, qui ignorat: *immemor* vero, qui oblitus est. *Servius.*

Ignari.] Mira consolatio. Nam cum odiosa sit infortuniorum dura commemoratio, exulcerans eorum corda, qui passi sunt, adjungit poëta commemorationi comparationem, ut dicta ipsa potius medicinæ sint, quam exulcerationi. Nam enumeratio præteritorum malorum ac graviorum, ostendit ferenda esse præsentia. Addit & sustinendi consuetudinem nutrivisse patientiam. *Donatus.*

Ante malorum.] Ὑφὲν. id est, antiquorum malorum: ut alibi, *Cæli supter labentia signa.* Et totus hic locus de Nævio belli Punici lib. translatus est. *Servius.*

Neque

O paſſi graviora; dabit deus his quoque finem.

Vos

Neque enim ignari ſumus ante malorum.] In veteribus omnibus exemplaribus diſtinctas inveni dictiones, in nonnullis puncto etiam interjecto *ante malorum*, quæ quidem Græca eſt figura: τ̃ πρὶν κακῶν. Ut illud, τ̃ νῦν ἀνθρώπων. ſubintelligitur quidem in hoc, *quæ paſſi ſumus ante*: in illo ὄντων, qui nunc ſunt: cujuſmodi ſexcenta in ſingulis Græcorum libris invenias. Quod ſiquis ſubunionem magis adamet, ut apud Catullum, *Poſtphaſelus*, & in Pandectis, *Poſtdomus*: non laboro. Non enim inſtitutum eſt noſtrum aliorum improbare ſententias, niſi error manifeſtus occurrat, ſed varias codicum veterum lectiones recitare. Cujuſmodi ea etiam eſt, quæ, *neque enim immemores ſumus*, ſcriptum oſtendit in codice Mediceo: Nimirum ex Paraphraſi Serviana deſumpta, ac aliena etiam manu inculcata lectio. *Pier.*

Neque enim ignari ſumus.] Cauſſam parentheſi includit, ante Propoſitionem. *Ignari* autem hîc valet *immemores*: Et *ante-malorum*: τ̃ πρὶν κακῶν; τ̃ ἔμπροσθεν κακῶν, id eſt, præteritorum malorum. Ita dixit Tibullus —*ante-comas*, τὰς πρὶν κόμας. Ita noſter 1. Ecl. *Semper-Deus.* Terent. *heri ſemper-lenitas.* Plautus Perſa, act. 3, 1. *nunc-hominum mores*, ἀνθρώπων τ̃ νῦν ὄντων. Turnebus lib. 18. c. 32. Ergo illud, *ante malorum*, inquit, interpretor, velut deſiderato articulo, aut ſubaudito: etſi articulorum ſupplementa Latinus ſermo recuſat. Sed profecto dictum eſt, ut ſi Græce diceres, ὐκ ἀμνήμονές ἐσμὲν τ̃ πρὶν τ̃ κακῶν. Id igitur valet, malorum quæ ante perpeſſi ſumus. Simile eſt illud Ovidii 1. Metam. *Mollia cum duris ſine pondere habentia pondus*, id eſt, βάρος ἔχοντα τοῖς ἄνευ βάρους. *Hæc ille.* J. C. Scaliger, hanc conjunctionem ſive compoſitionem verborum, cujuſmodi hic *ante-malorum*, & *ſemper-florentis*, apud Lucret. ac multa Dithyrambica, σύνθεσιν vocat: facitque huic contrariam *ſejunctionem* ſive τμῆσιν, id eſt, ſectionem: ut,

Quæ me cunque vocant terræ:

l. 4. c. 40. l. 7. c. 6. *Taubm.*

O Socii (neque enim ignari ſumus ante malorum) ô paſſi.] Non diſſimile eſt illud Homeri l. μ. odyſſ. ✠ſ. 208.

Ὦ φίλοι, ὐ γάρ πώ τι κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν, &c.

Totum locum enarrat Macrob. lib. 5. Saturn. c. 11. Horat. l. 1. od. 7.

O fortes pejoraque paſſi
Mecum ſæpe viri.

Conſolatoria talis occurrit apud Stat. Thebaid. l. 3.

— ibi grandior ævo
Concilium infauſtum dictis mulcebat Alethes:
Sæpe quidem infelix, varioque exercita ludo
Fatorum gens noſtra ruit, &c.

Huc pertinent illa Lucani lib. 1. ✠ſ. 299.

Bellorum ô ſocii, qui mille pericula Martis
Mecum, ait, experti, &c.

ut hic *Socii* ſic Græce ἄνδρες φίλοι, σύμμαχοι, συστρατιῶται, ἑταῖροι & ſexcenta alia. Duo illa vocabula *ante-malorum* (quod idem, ac præteritorum malorum) in unam vocem eſſe conglutinata docet Turneb. l. 25. c. 1. Schottus recenſet exempla bene multa de vinctis per ὑφὲν vocibus l. 2. Obſerv. Poët. c. 54. & Nod. Ciceron. l. 1. c. 16. & 17. notas noſtras conſule Ecl. 1. ✠ſ. 7.

Namque erit ille mihi ſemper Deus. Emmeneſſ.

199. *O paſſi grav.*] Arte magna utitur. vult enim eos meminiſſe graviſſimorum, ut præſentia facilius tolerent. Et bene *graviora* dicit eſſe tranſacta, ut de præſenti eos naufragio conſoletur, & ut futura oſtendat eſſe leviora. *Servius.*

Graviora.] Ut incommodorum novitas gravius pervertit, ſic ferendi conſuetu-

Vos & Scyllæam rabiem penitusque sonantis
Accestis scopulos: vos & Cyclopia saxa

Ex-

suetudo, quicquid acciderit, facilius tolerat. *Donatus.*

O passi graviora.] Tale argumentum Octaviæ in ejus tragœdia:

—— *Non hoc primum*
Pectora vulnus meum senserunt,
Graviora tuli. Dabit hic nostris
Finem curis vel morte dies.

Homeri Odyss. 20. Τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης: *Obdures anime, & quondam graviora tulisti.* Ita Xenoph. lib. 3. ἀναβ. milites exhortatur, revocans in memoriam majorum pericula, ut ipsi sint bello acres, & prompti ad perferenda mala. *Cerda.*

His quoque.] Scilicet sicut & gravioribus. *Servius.*

Dabit Deus finem.] Ultro respondit, si quærerent: quando hæc mala invenient finem? & post comparationem gravat præterita, & levat præsentia: & à generali ad specialem rationem venit. *Donatus.*

Vos.] Vos certe estis. *Servius.*

200. *Scyllæam.*] Exempla pro negotiorum qualitate sumere debemus: ut hoc loco, in marinis periculis ponit peractæ tempestatis exempla. *Rabiem* autem secundum antiquos dictam, nonnulli adserunt; nam *rabiam* dici adfirmant. *Idem.*

Scyllæam.] In mari Siculo est locus, horrendis saxis obsessus, non autem mulier usque ad pubem humani corporis, inferius vero canibus armata. *Donatus.*

Penitusque sonantis a. sco.] Id est, valde sonantes, aut *valde accessistis.* id est, juxta. Et bene ait *accessistis.* non enim passi sunt hæc pericula, sed his fuere vicini. *Servius.*

Penitusque sonantis.] Hâc quidem Syncopâ duriusculâ studiose usus est, ut litterarum ac syllabarum collisu, asperitatem scopulorum evidentius exprimeret. Per *Cyclopia* vero *saxa*, aut illa intelligamus, quæ Cyclops in Ulyssem jecit: aut ipsam Siciliam, quam (de sententiâ quorundam) Cyclopes incolebant: aut denique Ætnam. Quæ omnia nobis clariora erunt Æn. 3. Videatur Turnebus, l. 24. c. 10. ubi prolixe docet, Cyclopas non Siciliæ, sed continentis incolas fuisse. Porro notant Interpretes, in libris vet. omnibus legi *Cyclopeja*: ut pes fit Ionicus. Sed Turneb. l. 20. c. 33. notat, Latinos η in α sæpe commutasse, & ει in ε breve: ut γυναικεῖον, *ganeum*, & *gynæceum*, penultimâ brevi, apud Terentium: *conopeum*, apud Horat. epod. 9. quod est κωνωπεῖον: & hic *Cyclopeus*, κυκλώπειος. *Taubm.*

201. *Accestis.*] Pro *accessistis*, dictum per syncopen, quæ fit, cum de media parte verbi syllaba subducitur. *Servius.*

Accestis.] Ostendit, fortunæ suffragio, ex intima saxorum parte liberatos. *Donatus.*

Accestis scopulos.] Proverbialiter dixit Demosthenes orat. 3. in Philip. ἀλλὰ ἀνάγκη, τούτοις ὥσπερ προβόλοις, προσπταίοντας: *sed necesse est, vos impingere in hos, tanquam in scopulos.* Cerda.

Cyclopia.] Aut quæ Cyclops in Ulyssem jecit: aut etiam Siciliam dicit, quæ plurimis locis saxosa promontoria habet, ibique Cyclopes habitaverunt, ut ipse: *Centum alii curva hæc habitant ad littora vulgo.* Aut Ætnam accipit, quæ propria Cyclopum fuit: nam & ipse in tertio ait, *Nocte illa tecti silvis inmania monstra Perferimus.* Quidam tamen hæc saxa inter Catanam & Tauroenium, in modum metarum situ naturali dicunt esse, quæ *Cyclopia* appellantur, quorum medium, & eminentissimum *Galate* dicitur. *Servius.*

Cy-

Experti. revocate animos, mæstumque timorem
Mittite. forsan & hæc olim meminisse juvabit.

Per

Cyclopia saxa.] Antiqui plerique codices *Cyclopeia*, pentasyllabum legunt: sed, repugnante syllaba, quæ non tantum ω̄ μέγα est, sed etiam ex altera vocali coalita in crasin, quæ non nisi in longum fieri potest. Quod si quis etiam Syncopen malit, κυκλόωπες, κύκλωπες, ο itidem parvum, utpote minus validum, elidetur. ὢψ vero ὠπὸς Grammatici notam per ω̄ μέγα, pro facie, & oculo, ὀπὸς vero per ο parvum, si vocem significent. Sunt tamen qui nomen originationi reddi posse putent. ὢψ enim παρὰ τὸ ὄπτω, Cujus futurum ὄψω, unde ὂψ ἀποβολῆ τοῦ ω. Alterum vero illud ὂψ, κατ' αὔξησιν factum. Vel ω̄ μέγα in ο μικρὸν secundum Dores, quos Latini bona sermonis parte sunt imitati, mutari posse dicant: eademque proportione, qua pene ultimam in αἴθιοπα, & αἴθοπα οἶνον corripimus ex eodem fonte haustis, ita licere etiam in *Cyclopeïa* fieri, dictione maxime in denominativum excrescente. In hoc autem ad exempla confugiendum dixerim: quorum nullum hactenus ex antiquis auctoribus reperi, qui *Cyclopa* penultima longa non poneret. Quidam tamen ex recentioribus, magni omnino viri, quorum auctoritas pro ratione sufficiat, indifferentem protulere: rationes nimirum, quas supra memoravimus, secuti. *Pier.*

202. *Revocate animos.*] Quos remisistis resumite, hoc est, animo presenti estote. *Servius.*

Mœstumque timorem.] Quod mœstos & sollicitos faciat: ut, *mors pallida*, & *tristis senectus. Idem.*

203. *Mittite.*] Pro *Omittite* Et bene qui præmiserat *revocate*, addit *mittite*. Est autem tropus Aphæresis, quomodo *temnere* pro *contemnere*. Idem.

Forsan.] Forsis, forsitan, forte, fortasse, fors; ut, *Fors & vota facit.* &, *Forsitan & Priami fuerint quæ fata requiras.* Sed omnia hæc unum significant: & varie pro metri ratione ponuntur. Dicitur tamen & *fortasse*, ut Terent. *Tu fortasse, quæ hic facta sunt, nescis.* Id.

Forsan & hæc.] Delectabit nos, cum ad prospera venerimus, etiam hæc inter mala enumerare. *Donatus.*

Olim.] Temporis futuri modo. *Servius.*

Olim.] Tria tempora significat: præteritum, præsens, & futurum. *Donatus.*

Meminisse.] *Memini* & genitivum regit & accusativum. Dicimus enim & *memini malorum*, & *memini mala*, & justa ratione: nam memoriæ oblivio contraria est. Et *obliviscor* similiter & genitivum regit & accusativum, ut Tullius Cicero, *Obliviscere cædis, atque incendiorum.* & *Obliviscor injurias tuas ô Clodi.* Servius.

Juvabit.] Sicut, *Num priorum meminisse juvat*, & multi *juvabit*, non delectabit, sed usus erit, tradunt; est autem futuri temporis. Sane hujus verbi præteritum perfectum anomalum est. nam cum primæ conjugationis verba tempore perfecto, aut in *avi* exeant, ut *armavi*: aut in *vi* solutam, ut *tonui*: hoc verbum *juvit*, neque *juvavi*, neque *juvivi*, sed *juvi*, ut Lucanus, *Iuvit sumpta ducem, juvit dimissa potestas.* Idem.

Olim meminisse juvabit.] Cicero Epist. Fam. 5. *Habet præteriti doloris secura recordatio delectationem.* Idem 2. de Finib. *Jucunda est malorum præteritorum memoria.* Ita Seneca; Hercule Fur. act. 3.

—— *Quod fuit durum pati,*
Meminisse dulce est —— .

Et Euripides, ὡς ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων. *Taubm.*

Meminisse juvabit.] Macrob. lib. 5. cap. 11. citat verba Homeri, quæ è l. μ. supra monstrare memini, καὶ πυ τῶν δὲ μνή-

Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium: sedes ubi fata quietas
Ostendunt. illic fas regna resurgere Trojæ.
Durate, & vosmet rebus servate secundis.

Talia

μνήσεσθαι οἴω. sed plus solatii Maronem adhibuisse asserit, qui suos non tantum exemplo evadendi, sed spe futuræ felicitatis animavit, regni post exantlatos labores possessionem promittens. *Emmeness.*

204. *Per varios casus.*] Argumentum per comparationem, & bene dicendo casus, & discrimina præterita attenuat, neque enim ait *pericula.* Serv.

Per varios.] Exclamatio, ducta à naturâ virtutis & præmii pro exantlatis periculis. Quâ illustratur, quod Horatius celebrat,

— Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus —

Et Epicharmus,

— τῶν πόνων
Πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ θεοί.

Et Pindarus, *ἄπονον δ' ἔλαβον χάρμα παῦροί τινές*, id est, *Lætitiam sine labore pauci ceperunt.* Taubm.

Rerum.] Potest salvo sensu omitti. *S.*

Discrimina rerum.] Productio Poëtica. Nam hic *rerum* est, laborum, ut in hoc lib. *fessi rerum.* Itaque *δὶς τὸ αὐτὸ*, ait Passeratius, ut Catullus epigram. 32. *casus periculorum.* ut Cicero, *casum incommodorum, venia excusationis, culpa delicti.* Hac observatione pleni Poëtæ. *Cerda.*

205. *Sedes ubi.*] Non vacat quod adjecit *quietas*, habuit enim sedes in Thracia, sed portentosas: & in Creta, sed pestilentes; & ideo non quietas. *S.*

Fata.] Quidam hic Deorum responsa accipiunt. *Idem.*

Fata.] Ergo parendum est. Nam illis obsisti non potest. *Donatus.*

Sedes ubi fata quietas.] In perveteri codice legere est, *quietis*, quippe nobis. Nam sedes, per se plenum est ad otium indicandum, etiam sine alio epitheto. Sed enim grammatici plurium codicum veterum consensu, *Sedes quietas* agnoscunt: & Poëtarum est, ita res epithetis exornare. Sunt etiam codices, qui legant, *sedes ibi fata.* Quietas ostendunt. Veluti etiam sequitur, *illic*, indicative. Sed enim magis receptum ab omnibus est, ut relative positum sit *Ubi.* P.

206. *Illic fas regna resurgere Trojæ.*] Figura est etiam ante dicta, qua per contrarium aliquid intelligimus. Dicendo enim *illic fas*, ostendit alibi nefas, ut occurreret cogitationi sociorum, ne fatigati tot malis quascunque requirerent sedes; quod etiam in quinto factum est, navibus incensis. Bene autem *regna Trojæ* dixit, non Trojam, quam amiserant. *Servius.*

Illic fas regna resurgere Trojæ.] Est hoc, quod Ennius dixit 1. Annal.

— in Româ Troja revixit.

Quod Propertius lib. 4. eleg. 1.

Dicam, Troja cades, & Troja Roma resurges.

Non abeunt verba Senecæ, ep. 91. *Multa ceciderunt, ut altius surgerent, & in majus.* Cerda.

207. *Durate.*] Duri estote ad sustinendos labores. Sic Horat. *Vix durare possunt imperosius æquor.* Servius.

Durate.] Quando per mala ad bona transeundum est, spe bonorum toleranda sunt adversa: præsertim ubi spondetur per brevissimum tempus ocium sempiternum. *Donatus.*

Vosmet.] *Met*, *παρέλκον* est. Sciendum autem has particulas *met*, *piam*, *te*, ut, *egomet*, *quispiam*, *tute*, & similia, ornatus caussâ poni. Sunt autem adverbia. quicquid enim ab illis septem recesserit partibus, adverbium fit, necesse est. Item quemadmodum probamus adverbia esse, quia dicimus *docte facio*, *docte feci*, *docte fecisti*; & mutato verbo remanet abverbium: ergo

Talia voce refert: curisque ingentibus æger
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Illi

go sic & in istis particulis invenimus. ut *egomet*, *nosmet*, ut mutatis casibus, vel personis, eadem permaneant. adverbia sine dubio sunt. Nulla enim hoc alia pars rationis admittit. Notandum sane quod hæ particulæ plerunque naturam suam habent non syllabarum. Nam cum *Te* & *Met* longæ sint, *tutemet* dactylus invenitur, nec possumus harum partium naturam discutere, quia sub regulis non sunt. *Servius.*

Durate & vosmet, &c.] Habuit ante oculos illud Homericum 2. Il.

Τλῆτε φίλοι, καὶ μείνατ' ἐπὶ χρόνοι:
Tolerate amici, & perseverate in tempus.

Ad rem est Plautinum illud Asin. *fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum.* & Captiv. *& in re mala animo si bono utare, adjuvat.* Suet. in Cajo: *Sicut erant, loricatos monuit, ut discumberent, illo notißimo versu Virgilii, ut durarent & secundis se servarent rebus.* Cæterum de verbo *duro* notanda verba Donati in illud Adelp. Scen. 2. Act. 4. *Non Hercule hic quisquam durare potest*, ita ait: *Plus est quam permanere: & hoc verbum perferendis malis convenit.* Ex hac notione Ovidius 3. Amor. eleg. 10.

His, & quæ taceo, durabo sæpe ferendis.

Ubi absolute *durabo*: ut & Virgilius *durate.* Non abit nota Lævini in illud Horatii od. 14. lib. 1. *Vix durare carinæ Possint.* Lege illum. Seneca etiam Rhetor. Controv. 11. dixit, *Anime dura, heri fortior eras.* Cerda.

208. *Voce refert.*] Pleonasmos est, qui fit quotiens adduntur superflua. ut alibi, *Vocemque his auribus hausi.* Terentius, *His oculis egomet vidi.* Servius.

Curis.] *Cura* dicta quod cor urat. denique paulo post ait, *Premit altum corde dolorem.* Idem.

Æger.] *Æger* est & tristis, & male valens. *ægrotus* autem sive *ægrotans*, tantum male valens. *Idem.*

Curisque ingentibus æger.] Persuasoris erat, ut metum dissimularet, cum spem persuadere tentaret, & regis erat, afferre consolationem: utrunque ergo præstitit, neque oportebat illum, in sua caussa sine cura esse. *Donatus.*

209. *Spem.*] Lætitiam. ut, *spem fronte serenat*, ab eo, quod præcedit, id quod sequitur. Nam spem lætitia sequitur: spes in vultu non videtur, sed lætitia. Hæc autem figura & versa vice fit: ut intelligamus ab eo, quod sequitur, id quod præcedit. ut, *Meritæque expectent præmia palmæ.* Palmam pro virtute posuit, quæ primum meretur, & palmam post accipit. *Servius.*

Premit altum corde dolorem.] In Oblongo codice perveteri, & aliquot aliis manu scriptis, *premit alto corde* legitur: quæ quidem lectio non admodum aliena est ab Donatiana paraphrasi. Nam angebatur, inquit, dolore quam maximo: & hunc altis sensibus retinebat abstrusum. *Pier.*

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.] Est hoc, quod Tacitus dixit lib. 15. Annal. *metu abstruso, mitiora obtendens*, quod Noster alibi:

— *spem fronte serenat.*

Quod Cæcilius,

Fronte hilaro (sic legendum) *corde tristi.*

Quod Ammianus lib. 21. *ad serenitatis speciem fiducia vultu formato.* Quod Pindarus od. 6. Olymp. ἐν θυμῷ πιέσαις χόλον· *comprimens iram in animo.* Quod idem od. 4. Pyth.

Κλέπτων θυμῷ δεῖμα·
Occultans animo metum.

Quod Homerus de Junone Il. 15.

— ἡ δ' ἐγέλασσε
Χείλεσιν, οὐδὲ μέτωπον ἐπ' ὀφρύσι κυανέῃσιν
Ἰάνθη.

Illi se prædæ accingunt, dapibusque futuris:
Tergora deripiunt costis, & viscera nudant.

Pars

Illa quidem risit labiis, non tamen frons in superciliis nigris exhilarata est. Quod Theocritus εἰδ. 1. de Venere γελάοισα, *ridens*, βαρὺν δ' ἀνὰ θυμὸν ἔχοισα· *sed gravem habens, & mæstum animum.* Ad eundem affectum explicandum utitur Cicero 7. ad Attic. verbo φαινοπροσωπέω, quod est vultu ac fronte hilaritatem præfero, cum aliud in animo habeam. Livius quoque lib. 42. dixit: *in adversis vultum secundæ fortunæ gerere.* Justinus loquens de Didone reprimente iras conceptas in fratrem Pygmalionem *dissimulato odio, mitigatoque vultu.* Quintilian. Declam. 268. *fictam frontem.* Cerda.

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.] Sic Stat. Achill. l. 1.

—— *hic ficto risit Thetis anxia vultu.*

quod in imperatore nunquam non laudari satis potest. Vide Senecam ad polyb. cap. 24. *Quod duces magni faciunt, rebus affectis, ut hilaritatem de industria simulent, & adversas res adumbrata lætitia abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderunt, & ipsi collabantur.* Emmeness.

210. *Illi.*] Ostenditur quid potuerit consolatio. Nam nisi mœror sublatus fuisset, refectionem aliquam non quæsissent. *Donatus.*

Prædæ.] Ad prædam. ut, *Inferretque deos Latio.* Servius.

Accingunt.] Studiose parant. ut alibi, *Accingunt operi. Accinctos* autem industrios dicimus. ut Horatius, *Altius ac nos præcincti sumus.* Sicut contra negligentes, *discinctos* vocamus. ut, *Discinctos Mulciber Afros.* Idem.

Prædæ accingunt.] Sic l. 2. Æn. ✻ſ. 235. *accingunt omnes operi.* & *accingere se ad aliquam rem* locutio optimis probata. de eadem consule Magnum Bochartum, erudite de hujus verbi significatu disputantem, hist. de animal. Sacr. l. 2. c. 50. ubi εὔζωνος ἀνὴρ, id est, *accinctus* & *simul industrius in negotiis gerendis.* Hunc locum attingit Scalig. Poët. l. 3. c. 12. Notas adi nostras l. 3. Georg. ✻ſ. 46. *Emmeness.*

Dapibusque futuris.] Ambitiose dixit, quod sint cervi, dapes futuræ. *Serv.*

211. *Tergora.*] *Tergus tergoris.* Unde & *tergora* corium significat. *tergum* vero *tergi*, ut *templum templi:* & significat *dorsum.* ut Sallustius, *Scilicet quia tergis abstinetur.* Sed hoc à veteribus confundebatur; ut, *Taurino quantum possent circundare tergo.* Item in IX. *Ingerit hastas in tergum.* Quidam mox detracta coria *pelles*, diu subacta autem & jam medicata coria appellanda tradunt. *Idem.*

Tergora deripiunt.] Dividitur per officia procuratio epularum: neque deliciosæ dapes, aut irritamenta gulæ erant iis paranda, qui naufragio & inedia laboraverunt. *Donatus.*

Tergora.] Eodem tempore alii detrahebant coria, alii antequam tota corpora apparerent, resecabant partes: & ut plenam properationem ostendat, addit: *Veribus trementia figunt.* Hoc est, in quibus adhuc aliquid spiritus teneretur. *Idem.*

Deripiunt.] Sic legit Turneb. lib. 12. c. 12. & Gifanius in Lucret. probat auctoritate Tibulli, Statii, Lucretii. Adumbrat Poëta in hoc apparatu locum Homeri 1. Il. Vide uti Scaliger expendat Poëtam, & comparet. Omitto, quia jam alii. Non abeunt descriptiones Plautinæ in Captiv.

Adveniens deturbavit totum cum carne carnarium.
Arripuit gladium, prætruncavit tribus tergoribus glandia,
Aulas calicesque omnes confregit.

Paulo ante parasitus loquens bellissimam descriptionem infert, ab eo loco, *Dii immortales, &c.* quam nemo dubitet præferre Homericæ. estque Euthydemo Platonis similis, etiamsi brevis, hypotyposis. *Cerda.*

Deri-

Pars in frusta secant, veribusque trementia figunt:
Litore aëna locant alii, flammasque ministrant.

Tum

Deripiunt.] Vide Lambinum ad Horat. l. 1. od. 9.

Pignusque direptum lacertis. Emmeness.

Viscera nudant.] *Viscera* non tantum intestina dicimus, sed quicquid sub corio est. ut, *In Albano Latinis visceratio dabatur*, id est, caro. Est autem nominativus *hoc viscus, hujus visceris:* ut Lucretius, *Viscus gigni sanguenque creari. Sanguen* autem ideo dixit, quia *sanguinis* facit, ut *carmen carminis.* Si enim *sanguis* diceret, par esset nominativus genitivo, ut *anguis, pinguis.* Servius.

Viscera nudant.] Homer. ἔδειραν firmat hanc Servii expositionem Bochart. l. 2. c. 33. Histor. animal. apud Ovid. in Ibide ✝ſ. 28?.

Viscera diversis scissa ferantur equis. membra, necdum excoriata, hoc veniunt nomine. *Emmeness.*

212. *Pars in frusta secant.*] Figurate; ut *pars grandia trudunt.* Servius.

Veribus.] Nomen de his, quæ numero singulari indeclinabilia sunt; ut *veru, cornu, genu. Trementia*, Palpitantia adhuc. *Idem.*

Veribusque.] Est ubi *verubus*, neque uno quidem codice per *u* in penultima legitur: neque desunt litterati, qui lectionem ejusmodi probent: Quam tamen per *i* vocalem tertiam scribi debere, tam vetustiorum grammaticorum auctoritas, quam inscriptio quædam in termino Areæ illius, quam Domitianus post Neronianum incendium dedicavit, in D. Petri Basilica paucis ante annis, oculis nostris inspeximus: ita enim incipit,

HÆC AREA INTRA HANC DEFINITIONEM CIPPORUM CLAUSA VERIBUS.

& quæ sequuntur. Grammatici sane de hujus nominis penultima solliciti fuere, quum nollent *verubus*, ex quorundam abusu per *u* admittere. Nam quum veteres omnino *veru, ossu,* & *genu* dicerent, in numero multitudinis, *verua* & *ossua* proferebant, ut *genua.* Neque desunt veterum monumenta, in quibus adhuc *ossua* scriptum legatur: quod ab *ossu* agnoscit Asper. inde *verubus, genubus* faciebant. Sed enim Fl. Sosipater, *vera* dicendum, non *verua*, & *verum*, & *verucus* contendit: citata etiam Plinii sententia ex dubii sermonis libro sexto, dicentis manifestum est *veribus, genibus, ossibus* dici per *i*, in penultima. *Pier.*

Veribus.] Apte Poëta, & ex militia Romana verua dat militibus Æneæ. In Romana enim militia *verum* mentionem inveniri duplici testimonio Lipsius astruit lib. 5. de Milit. Romana Appiani, & Polyæni. Uterque enim loquens de Scipione, dat militibus ollam, veru, poculum. A Polluce lib. 1. in apparatu sacrorum numerantur ὀβελοί. *Cerda.*

Veribusque trementia.] Adhuc palpitantia. Omnia autem faciebant eodem tempore. Alii corium detrahebant, & nudabant carnem: alii, antequam omne corpus appareret, exsecabant partes, & virgis ferreis affigebant, cum adhuc aliquid de spiritu vitali in istis teneretur. *Taubm.*

213. *Litore.*] Pro *in litore.* Servius.

Aëna locant.] Quibus utebantur non ad elixandas carnes, sed ad se lavandos. Heroicis enim temporibus carne non vescebantur elixa. Huic autem nomini, majores aspirationem dabant, nam *ahena* dicebant. Sane *aëna* absolute dixit, sicut Græce χάλκεα. ut, *Costis undantis aëni*, &, *aëna undantia flammis.* quidam autem *aënum* speciem vasis; non utique *aënei* tradunt: ut, Nevius, *aëneus, plumbeus.* Idem.

Aëna.] Aquam imponebant igni, ut elixam facerent carnem. Hanc coquendis visceribus celeritatem præstant. Denique epulis paratis, vires labo-

Tum victu revocant vires : fusique per herbam

In-

labore & fame perditas, revocant. *Donatus.*

Aëna loc.] Quibus utebantur (ut Servio & doctioribus quibusdam probatur) non ad elixandas carnes, sed ad se lavandos, Heroïcis enim temporibus carne elixa in castris non vescebantur, sed tantum assa: ut scilicet paratior & promptior cœna expediretur. Quod patet ex Homero: & docuit Plato, 3. De Rep. & Athen. lib. 4. Quamvis postea utrumque factum Ovidius testetur, qui ait:

Atque ita semineces partim ferventibus artûs
Mollit aquis, partim subjecto torruit igni.

Jam totum hunc locum J. C. Scalig. lib. 4. cap. 16. Poët. ita illustrat: Complura, *inquit*, verba, quæ vel sordida, vel humilia sunt, refugit casta grandiloqui generis magnitudo. veluti cum dicit (8. Æn.) *& corpora curant.* sordidum enim quiddam subintelligitur. Ad hæc in mensa ponit heroës: culinæ nullam facit mentionem. In primo enim quam verecunde, quâ majestate dixit,

Illi se prædæ accingunt?

Jam *prædæ* vox militaris est. Ne tamen audeas præterea cum Grammaticis ineptire: ut putes subjecisse, *dapibusque futuris*, propterea quod, ut ajunt, *dapes* non nisi regia vox sit. Cyclopis enim dapes vocat in 3. Æn. quæ tamen essent immanes. Neque illis favet origo vocis. quippe de feris dicunt Græci δάπτειν & δαρδάπτειν. Posthæc lectissimis utitur verbis in re nihili,

Tergora deripiunt costis;

non dixit, *pellem* aut *corium*, sicut in 3. Georg.

Nam neque erat coriis usus.

Et verbum lectum, *deripiunt*: non dixit, *deglubunt*, ut Catullus,

Glubit magnanimos Remi nepotes.

Non dixit, *concidunt*; sed *in frusta secant.* Et cum operam illam explicaret torrendi, addidit aliquid ad efficaciam; *trementia*, inquit. Neque elixationem, nisi Circumscriptione & Omissione, quam περίληψιν, ἀποσιωπήσεως partem diximus,

Litore aëna locant, flammasque ministrant.

Hæc ille. Idem lib. 5. c. 3. Plane, inquit, divino judicio, inter illa minuta, *Tergora derip. costis*, urbanam interserit orationem illam; *Tum victu revocant vires.* Taubm.

214. *Tum victu.*] *Tum*, id est, vel postquam se laverunt; vel postquam cibum paraverunt. *Servius.*

Victu.] Cibo. unde & *convictores* dicimus. ut Horatius, *Non quia sum tibi Mecœnas convictor.* Nam *convivæ*, à *convivio* dicuntur. *Idem.*

Revocant vires.] Bene cibo dixit vires reductas, quia supra dixerat, *Fessi rerum*, hoc est fame & labore fatigati. *Idem.*

Victu revocant vires.] Lucretius,

Præterea capitur cibus, ut suffulciat artus,
Et vires recreet.

& Homerus ἄλφιτα vocat μυελὸν ἀνδρῶν, *medullam hominum.* Inde etiam Græcis εὐωχία, est convivium ἀπὸ τοῦ εὖ ἔχειν. Habent enim se melius vires corporis post refectionem. Scio, Athenæum ducere εὐωχίαν ἀπὸ τῆς ὀχῆς, id est, *à cibo.* Sed inclino in ea, quæ prius dixi. nam ex Eustathio, Clemente, Xenophonte, aliisque εὐωχίαν referendam esse ad lætitiam, jam alii satis indicarunt, ducentes à vocibus εὖ, & ἔχειν, ut sit εὐωχία, quasi εὐεχία. *Cerda.*

Fusi.] Polysemus sermo est. significat autem discumbentes, ut hoc loco, & fugatos & occisos. Sane juxta temporis sui morem hoc loco discumbentes inducit. Nam olim sedentes vesci consueverant, ut ipse meminit: *Gramineoque viros locat ipse sedili.* Et, *Perpetuis soliti patres considere mensis.* Serv.

Fusi-

Inplentur veteris Bacchi pinguiſque ferinæ.
Poſtquam exemta fames epulis, menſæque remotæ,
Amiſ-

Fuſique per herbam.] Adeo adverſariorum obliti erant, ut fuſi per herbam, plus ſibi ingererent, quam refectio poſtulabat. Hoc autem præſtitit perſuaſio conſulti regis. *Donatus.*

215. *Inplentur.*] *Impleor* duos caſus regit, genitivum: dicimus enim *impleor illius rei*, ut Cicero, *Squaloris plenus ac pulveris.* Et Terentius, *Plenus rimarum ſum.* Et *implcor illa re*, ut hoc loco. & alibi, *Plenamque ſagittis Threiciis.* Et Juvenalis, *Lectica Mathonis Plena ipſo.* Servius.

Inplentur veteris Bacchi.] De hac ſtructura fuſius agunt Non. Marcell. c. 9. Vechnerus l. 1. Hellenolex. c. 3. & Sanctius in Minerva p. 69. & quidem *veteris Bacchi*, nam Plaut. in prol. Caſinæ ſapientes putat, qui utuntur vino vetere. Ab eo diſcedit Cic. de clar. orat. c. 83. qui non probat natum proximis conſulibus, & tam vetus reſpüit, quod Opimium, aut Anicium conſulem quærat. rationes expedit, quas vide. *Emmeneſſ.*

Ferinæ.] *Feras* dicimus, aut quod omni corpore feruntur; aut quod naturali utuntur libertate, & pro deſiderio ſuo feruntur. Sane veteres prope omnes quadrupedes *feras* dicebant, ut, *Inque feri curvam compagibus alvum Contorſit.* Et, *Armentalis equæ mammis & lacte ferino.* Servius.

Ferina.] Per ſe ſuavis caro eſt hæc: ſed additur pinguedo, ut ſuavior animos appetentium irritet. Vino autem acceſſerat gratia à tempore, qualitate, & quantitate. Nam & vetus, & optimum, & abundans fuerat; hinc dixit: *Inplentur veteris Bacchi.* Donatus.

216. *Poſtquam exemta fames.*] Caute in mœſtitia, cibis famem exemptam dicit, id eſt, fugatam, non ad affluentiam quæſitam. Homerus *αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.* *Servius.*

Poſtquam exemta fames.] Fame & laſſitudine oppreſſos, nullius cura tangebat; refectis vero venit in mentem recordatio ſociorum, quorum cum de morte incerti eſſent, erant inter ſpem vitæ, & metum mortis. Æneæ autem major ponitur virtus, qui nec cibum ſumpſit, nec diſſimulare à perditis potuit, nec eorum curam poſuit, qui nec ſupereſſe poterant. *Donatus.*

Poſtquam exemta fames.] Scaliger *exemta* rectius dici quam *extructa* contendit l. 4. c. 16. hujus convivii pudicitiam, & elegantiam proſequitur Macrob. l. 2. Saturn. c. 1. ſimilis verſus occurrit l. 1.

Poſtquam exemta fames & amor compreſſus edendi.

pro eo Lucan. l. 10. verſ. 172.

Poſtquam epulis, Bacchoque modum laſſata voluptas
Impoſuit.

Emmeneſſ.

Menſæque remotæ.] Quia apud majores, ipſas apponebant menſas pro diſcis. unde eſt, *Et menſæ grata ſecundæ.* Duas enim habebant menſas: unam carnis, alteram pomorum. Sane aliquando inducit luxurioſas epulas: *Poſtquam prima quies epulis, menſæque remotæ.* Servius.

Menſæque remotæ.] Virgilius bis dixit in hoc libro *menſas removere.* Ovidio placuit *ponere*, Plinio *tollere*, Plauto *auferre*. Primus 3. Art.

Nec ſomno tutum eſt poſita ſuccumbere menſa.

Alter lib. 28. *bibente conviva, menſam vel repoſitorium tolli, inauſpicatiſſimum judicatur.* Tertius in Trucul. *auferre menſam amabo.* & Amph. *menſa ablata eſt.* Pergo ad Græcos: Iſti *ἄιρεσθαι, βαστάζεσθαι, αἰρεῖσθαι, ἀναιρεῖσθαι, ἀφερεῖσθαι.* *Cerda.*

Menſæque remotæ.] Per menſas Turneb. l. 21. c. 22. fercula intelligit, quæ

ſata.

Amiſſos longo ſocios ſermone requirunt;
Spemque metumque inter dubii: ſeu vivere credant,
Sive extrema pati, nec jam exaudire vocatos.

ſaturis convivis removentur. Apulejus, qui in plurimis ſequitur Maronem, in Servii ſententiam deſcendere videtur, cum in numero plurali amat dicere in initio l. 9. *menſas etiam impetu meo collido & diſturbo.* Corradi ſententia à vero propius abeſt, *menſas* hic *dapes* ſignificare; in toris enim & herbis diſcubuerunt. *Emmeneſſ.*

217. *Amiſſos.*] Non re vera, ſed ut illo tempore putabant. *Servius.*

218. *Spemque metumque.*] Spes bonorum, metus malorum; & ideo ſubjunxit, *ſeu vivere credant, Sive extrema pati.* Et hoc loco *ſeu*, pro *utrumne.* Et quidam commodius diſtingui putant, *ſpemque metumque inter*, & ſic ſubjungunt, *Dubii ſeu vivere credant.* Idem.

Spemque metumque inter.] *Spes* pertinet ad vitam; *Metus* ad mortem. Et notat Donat. ad Terent. duos futurarum rerum eſſe carnifices, *Spem* & *Metum: Dolorem* vero & *Gaudium*, præſentium eſſe. Propert. l. 3.

Speſque Timorque animos verſat utroque modo.

Cum ſpe igitur timebant, & cum timore ſperabant. Servius in Schedis Fuld. notat, eſſe qui putent commodius diſtingui: — *ſocios ſ. requirunt Spemque metumque inter*; *dubii ſeu v.* Item *ſeu* poſitum pro *utrumne.* Taubmannus.

219. *Exaudire vocatos.*] Aut ſubaudimus *deos*, & quaſi conqueſtio eſt, quod non flectuntur precibus. Aut quod illi mortui ſint. aut à pereuntibus vocatos, non exaudire. Aut certe hoc dicit, Non ſolum periſſe eos, ſed nec ſepulturam habere, ad quam vocentur. Novimus enim quod mortuorum umbræ ad ſepulchra vocabantur; ut eſt, *Maneſque vocabat Hectoreum ad tumulum*, Et eſt figura, ab eo quod præcedit, id quod ſequitur, quia poſt facta ſepulchra Manes vocantur. ut in tertio, *Animamque ſepulcro condimus, & magna ſupremum voce ciemus.* Poſt nomen enim defuncti tertio vocatum, dicebatur vale, vale, vale: Aut certe in ea parte ſitos, ut nec vocati exaudiant, quia fuit & alius mos, ut eos qui in aliena terra periſſent vocarent, ut eſt, *Et magna Manes ter voce vocavi.* Servius.

Nec jam exaudire v.] Homer. οὐδ' ἄρα μοι ποτέρω νῆες κίον ἀμφιέλισσαι, πρίν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀῦσαι. Tzetzes in Hiſt. τὸ πρότερον τοὺς θνήσκοντας ἐς γῆν τὴν ἀλλοτρίαν ἀποδημοῦντες οἱ αὐτῶν τρισσάκις ἀνεκάλουν, ὡς ὅμηρος ἐδίδαξε βίβλῳ τῆς ὀδυσσείας, τοῦτο δὲ ἔδρων, ὡς μνήμονες τυγχάνοντες φιλίας, καὶ ὡς εἰ ἀπελείφθη τις, πρὸς τὴν φωνὴν συνδράμοι φιλίας. Unde & lib. 3. *magna ter voce vocavi.* Alludit autem ad morem antiquum, quo ſupremis exequiis mortui conclamabatur. Propert. lib. 1. *Illa meum extremo clamaſſit pulvere nomen:* & Maro de Miſeno 6. *dixitque noviſſima verba:* & Terent. *Deſine: jam conclamatum eſt.* Germ.

Exaudire vocatos.] Expolitio. Nam, *pati extrema*; & *non exaudire vocatum*, eſt mortuum eſſe: vivis enim ſenſus audiendi eſt, non mortuis. Sumptum ex antiquorum conſuetudine, quâ quos deſiderabant & amiſerant, antequam diſcederent, ſæpius vocare ſoliti erant. de quo accuratius in 3. Æn. dicetur. Vide Adag. *Hylam inclamare*, & Interpret. ad id Terent. *Deſine: jam conclamatum eſt.* Quin & *Vocare* habebatur pro ſepulturâ in mortuis. Auſon. Epig. 13. de Deiphobo:

Nec tumulum ipſe habeo, niſi quem mihi voce vocantis
Et pius Æneas & Maro compoſuit.

Atque hæc ſententia eſt hujus loci, teſte

Præcipue pius Æneas, nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit, & crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et jam finis erat: cum Juppiter æthere summo
De-

Corrado & Turnebo, lib. 18. cap. 32. & lib. 26. c. 23. posthabito Servii commento, atque eorum etiam, qui hîc interitum corporis & animi significari putant. *Taubm.*

Exaudire voc.] Idem quod simplex *audire*, hoc compositum significat, quod pluribus probat Hadr. Card. de serm. Latin. *Emmeness.*

220. *Præcipue pius.*] Præter omnes quasi pius. *Servius.*

Præcipue pius Æneas.] Ex hoc loco lineas suas Val. 5. Arg.

Præcipue Æsonidem varios interta per æstus
Mens rapit, undantem curis, ac multa novantem.

Cerda.

Præcipue pius Æneas.] In heroïcis enim naturis στοργαὶ sunt expressiores. *Secum* autem gemit, propter socios, ne animis frangerentur Principe perterrito. itaque prius dixit, *premit altum corde dolorem.* Usque adeo autem hoc epitheto insignivit suum Æneam Virgilius, ut *Pietatis* verbum in hoc Opere ad solum prope Æneam & ejus consanguineos spectet. Servius Mss. Fuldensis: *Præcipue pius Æneas*, id est, præter omnes quasi prius. *Taubm.*

Acris.] Fortis, alias velocis. Quidam *acrem*, in unam quamque rem vegetum ac nimium tradunt. *Servius.*

Oronti.] Pro *Orontis*. *Immitis Achilli.* vitavit ὁμοιοτέλευτον. *Idem.*

Oronti.] Servius pro *Orontis* positum ait: nempe ad cacophoniam declinandam, *Orontis* tamen habetur in antiquis aliquot exemplaribus: Sed omnino suavior est lectio Serviana. Sosipater Carisius declinat *Orontes Orontæ*, ut *Achates Achatæ*. Apud Græcos enim Ορόντε, ut ἀχάτε. cujus nominis incusativum ait in *am* desinere, si rectus *Oronta*. Latine reformetur: nisi vero reformetur, *Orontem* posse nos dicere, ut Virgilius, *Fidumque vehebat Orontem*, ut etiam, *Præmittit Achatem.* Pier.

221. *Nunc Amyci.*] In quinto hujus meminit: nam Amycus & Lycus cum Oronte videntur periisse. *Servius.*

Secum.] Propter socios, ut supra: *Spem vultu simulat.* Idem.

Secum.] Nam apud alios, *spem vultu simulat.* Donatus.

222. *Fata Lyci.*] Auget ex nimio Æneæ erga Lycium amore. Nam cum Amyci *casum* dixisset, amore victus, quasi cum exclamatione, subdit:

— *Et crudelia secum Fata LycI.*

Et quanquam Poëta ipse loquitur: ita tamen loquitur; ut Æneæ personam indutus esse videatur. *LycI* autem pro *Lycii*, auctore Prisc. *Taubm.*

Fortemque Gyan, fort. &c.] Ut merito requirantur ac desiderentur. *Servius.*

223. *Et jam finis erat.*] Vel epularum, vel famis, vel malorum. Ex quo Jupiter in cælo ita constitit, ut Lybiam respiceret; vel certe finis fabularum. vel diei. sequitur namque paulo post, *Æneas per noctem plurima volvens.* Et sciendum est Virgilium non semper dicere ortum vel occasum diei, sed aut intellectui relinquere, ut hoc loco: aut negotiis tempora significare. est autem poëtica καλλωπισμία, non omnia exprimere. unde ait Horatius in arte poëtica, *Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.* Quamvis plerique de translatione Græcitatis hoc asserant dictum. Homerus sane ista contemnens, tempora universa describit. *Idem.*

Finis.] Epularum, vel fabularum, vel lucis. *Donatus.*

Et

Despiciens mare velivolum terrasque jacentis,

Lito-

Et jam finis erat.] Alienum autem διήγημα de cura Jovis κατ' ἐπεισόδιον interserit Poëta: ut commodius ad Cæsarum, populique Romani laudes, ac historiam possit exspatiari. *Taubm.*

Juppiter æthere summo.] Oeconomiam istam secundum mathesin videtur ordinasse Virgilius. Nam Jupiter in altitudine sua, positus cum Venere, significatur, quod per mulierem aliquam fœlicitas possit evenire. Ergo quoniam Æneas in partem regni admittetur à Didone per occasionem conjugii; idcirco hæc Poëta præmisit. Sane & illud animadvertendum, quod peritissime dixit, tristiorem Venerem fuisse cum Jove; ex quo significat, exitum uxoris infelicem futurum: nam se utique Dido interemit. Quod autem Mercurium facit, à Jove defluentem, ad occasum descendere, id est, ad ima terrarum: ostendit amicitias quidem fore, sed minime diuturno tempore permanere. Illud etiam Mathematici dicunt, Venere, in Virgine positâ, misericordem fœminam nasci; atque ideo Virgilius fingit in habitu virginis venatricis, Venerem occurrisse filio: quod & misericordem postea reginam probavit Æneas, & in venatione cum ea permistus est. *Summo* qui summus; & proprium & perpetuum ætheri Epitheton dedit, quia omnibus superior est. *Servius.*

Cum Juppiter æthere summo.] Locum hunc illustrabis his, quæ dicam lib. 10. ad illud,

— *terras unde arduus omnes, &c.*

Notanda consecutio verborum, *jam, cum.* Sallust. Jugurt. *Jamque paulum à fuga aberant, cum, &c.* Cæsar. 6. Gall. *jamque — bidui via aberant, cum, &c.* Cerda.

224. *Despiciens.*] Deorsum aspiciens, sicut *suspiciens*, sursum aspiciens. Notandum sane quia si *despiciens* dixerimus, diligenter inquirens significamus, sicut *deduco* & *diduco*. Nam *deduco* est prosequor: *diduco* vero, divido. *Servius.*

Despiciens.] Juppiter ex alto actus hominum considerabat, Venus autem, arrepta occasione, eum alloquitur. *Don.*

Velivolum.] Duas res significat, & quod velis volatur, ut hoc loco: & quod velis volat, ut Ennius, *Naves velivolas.* qui & proprie dixit. Et est reciproca metaphora navium & avium. Legimus enim, *Et velorum pandimus alas:* & contra de apibus, *Nare per æstatem liquidam:* quum natatus navium sit, alæ vero avium. Et sciendum est, esse reciprocas translationes & partis unius. *Servius.*

Velivolum mare.] Lucret. l. 5.

Tum mare velivolum florebat navibu' pandis.

Ita ibidem 3. Æn.

— *pelagoque volamus.*

Ita *Remigium alarum*, Mercurii volantis & Dædali dixit, l. 1. & 6. Lucret. l. 6. utrumque conjunxit,

— *cum advenere volantes*
Remigii oblitæ pennarum vela remittunt.

Vide Notas 10. Æn. ℣. 265. *Taubmannus.*

Velivolum.] Non novum est Epitheton, sed vetustioribus quoque in usu fuit *velivolum* Livio, Ennio & aliis, ut Macrob. l. 6. c. 5. Saturn. *Emmeness.*

Jacentis.] Aut in longum expositas, aut proprium epitheton est terrarum. nam cum cætera elementa mobilia sunt, sola terra stabilis est, unde & bruta dicitur. alibi, *tantum campo jacet.* Servius.

Terrasque jacentis.] Porrectas, patentes, vel, quod equidem probo, infra positos, non ut, *cubantis Ustica*, apud Horat. 1. od. 17. id enim supinum, acclivem, depressum significat. Nec temere huc refertur illud Venusini, quod est l. 3. od. 4.

Qui

Litoraque, & latos populos, ſic vertice cæli
Conſtitit, & Libyæ defixit lumina regnis.
Atque illum talis jactantem pectore curas

Tri-

Qui terram inertem, qui mare temperat.

ad quem locum veteres interpretes terram volunt dici jacentem. Sed idem fere notavit Servius. *Emmeneſſ.*

225. *Latos populos.*] Quum *populos* numero plurali dicimus, urbes ſignificamus: quum vero *populum*, unius multitudinem civitatis intelligimus. *Servius.*

Sic.] Quid eſt ſic? id eſt, ut iſta conſpiceret. *Idem.*

Vertice cœli.] Simpliciter videtur mihi capiendus Poëta, & ad Homerum contendiſſe, qui aliquoties, ἐν κορυφῇ Οὐλύμποιο. & Iliad. 1. ἀπὸ κρατὸς Οὐλύμποιο. Si placet tamen, vide Cœlium lib. 1. c. 12. *Cerda.*

Vertice cœli.] Hujus verticis (qui eſt eminentiſſimus cœli locus) deſcriptionem vide apud Ovid. lib. 2. Metam. ℣ſ. 306.

—*ſummam petit arduus arcem;*
Unde ſolet latis nubes inducere terris,
Unde movet tonitrus, vibrataque fulmina jactat.

Græci appellant ῥίον ὀλύμποιο, quod male de ſummitate vel ἀπὸ τῆς ἀκρωτηρείου τῆς ὄρους dictum in Homero, docet Chriſtoph. Rufus. *Emmeneſſ.*

226. *Et Libyæ defixit lumina regnis.*] Procœconomia, id eſt, diſpoſitio carminis. Vituperabile enim fuerat, ſi ex abrupto tranſitum faceret, quod in nono fecit: *Atque ea diverſa penitus dum parte geruntur.* quæ res tamen excuſatur uno ſermone. *Atque ea*, id eſt, eo tempore, quod ſolum eſt interpoſitum. Nunc vero bene tranſiit, quod inducit Jovem, de rebus humanis cogitantem, & Africam reſpicientem, ad quam venere Trojani. Unde honeſtus color eſt, ut Venus adeat Jovem, timens, ne Romana fata Carthagini concedat: felix enim eventus ſequitur loca, quæ reſpexerit Juppiter: unde in ſecundo ait, *Aſpice nos hoc tantum.* Et alibi, *Atque oculos Rutulorum rejicit arvis.* ubi erat futura victoria. *Servius.*

227. *Talis.*] De rebus humanis. *Idem.*

Jactantem pectore curas.] Nunc ſecundum Stoicos loquitur, qui deos dicunt humana curare. interdum ſecundum Epicureos, poëtica utens licentia. *Idem.*

Pectore.] Bene, nam hic curarum locus. Ita de Didone,

— *tacitum vivit ſub pectore vulnus.*

& de Junone ſupra,

— *æternum ſervans ſub pectore vulnus.*

Noti illi verſus,

— *curamve levaſſo*
Quæ nunc te coquit, & verſat ſub pectore fixa.

Catullus:

Spinoſas Erycina ſerens in pectore curas.

Plautus Captiv.

Quanto in pectore hanc rem meo magis voluto.

Lucanus lib. 1.

Utque ducem varias volventem pectore curas
Conſpexit.

Iterum in eodem libro,

— *& tacito multos volvunt in pectore queſtus.*

Senecæ in Oedip. animus placuit,

Curas revolvit animus, & repetit metus.

Jovem ita cogitantem Seneca deſcribit epiſt. 9. loquens de ipſo Jove, *acquieſcit ſibi, cogitationibus ſuis traditus*, utpote ſapiens, nam de hoc ſtatim, *in ſe reconditur, ſecum eſt.* Cerda.

228. *Tri-*

Tristior, & lacrimis oculos suffusa nitentis,
Adloquitur Venus: O qui res hominumque deûmque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres,

Quid

228. *Tristior.*] Comparativum posuit pro positivo. Sic Sallust. *Ipsum mare Ponticum dulcius, quam cætera.* An modo tristior cum & ante, propter Æneam soleret tristis esse, tristior nunc Venus diceretur. *Servius.*

Tristior.] Quam antea. *Donatus.*

Tristior] Ne puta poni hic nomen comparans pro positivo, quod bene advertunt Nasc. Corr. & Jul. Scal. de caus. ling. Latin. sed indicat affectum Veneris, quæ tristior esset, quam alias soleret. Observant quoque Corr. & Germ. illam Deam tristem induci, quæ passim ab Homero dicitur φιλομειδὴς, ut, quod vult, impetret. Sic 5. Æn.

Tutatur favor Euryalum, lacrimæque decoræ.

hic enim habitus pulchritudinem conciliat. inde in 12. Lavinia inducitur,

flagrantes perfusa genas.

Cerda.

Tristior & lacrimis.] Affectus habitu prodire solet. Vide apud Macrob. lib.4. cap.1. *Hartung.*

Lacrimis.] Ille est maximus dolor, qui ante vocis exortum, lachrimis præcedentibus, nunciatur. *Donatus.*

Oculos suffusa nitentis.] Nitidos oculos lachrimis perfusos habens. Et est figura, quæ fit, quotiens participio præteriti temporis à passivo, jungimus casum accusativum; ut, *Dejectus animum, mœsta vultum.* Dicendo autem *Nitentis*, expressit etiam nimiam in lachrimis pulchritudinem; sicut de Euryalo, *Lachrimæque decoræ.* Servius.

229. *O qui res hominumque, &c.*] Graviter cœpit. Non enim ait, ô genitor, & est tota orationis intentio, injuste vexari à Junone Trojanos. *Idem.*

O qui res hominumque, &c.] Res plena subtili arte, ubi non personarum solum, sed rerum habetur ratio. Loquitur Venus ad Jovem: si privata filia, ad patrem: si publica, inferior dea apud summum deorum. Vicit autem, quod publicum fuit. Concitat subtilem invidiam: quod Juppiter, cujus sit juste curare, quid dii, quid homines agant, omiserit verum in Æneam judicium, & innoxium tot tormentis dissimulans vexari sinat. Præponitur ergo publica persona & subnectitur privata. Apud enim patrem non potuit conqueri de diis, sed apud deorum regem. Diis autem applicavit: *æternis regis imperiis.* Et hominibus *fulmine terres.* Donatus.

O qui res hominumque.] De hac oratione Veneris, Macrob. lib 6. cap. 2. Sumpta autem illi videtur ex Nævii primo lib. belli Punici. *Hart.*

230. *Æternis regis imp.*] Hæc commemoratio potentiæ Iovis, quasi ad invidiam posita est; hoc est, qui omne potes, contra te flecteris, & superflue volunt quidam *Regis* ad deos referri, *Terres* ad homines: nescientes majoris esse potestatis; idem posse circa deos, quod circa homines. *Servius.*

Æternis.] Ergo non sunt contemnenda, veluti ea, quæ ad tempus sunt, quasi dicat, non veniunt dii contra fata. *Donatus.*

Et fulmine terres.] Non sine causa adjecit *Terres.* Est enim fulmen quod terreat, est quod afflet, est quod puniat, cujus rei late patet significatio. Poëtarum autem consuetudo est, proprie semper, cum Jovem nominarunt & fulmen adjungere: ut, *Audiat hæc genitor qui fœdera fulmine sancit.* Et ante, *Genitor cum fulmine torques.* Servius.

Fulmine terres.] Dicam de hoc 8. Æn. ad illud, *fulgores nunc terrificos.* Cerda.

231. *Quid.*]

Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troës potuere? quibus tot funera passis,
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc

231. *Quid.*] Freta innocentia Trojanorum, quærit nomen delicti, quo non invento, constet eos immeritos pati. *Donatus.*

Meus.] Subaudi *filius*, quasi per me tibi conjunctus, & sic subaudis filium, ut *Ajacis Oilei.* Servius.

Æneas.] Speciale ponit nomen, atque inde transit ad genus. *Donatus.*

Quid meus Æneas.] Similis locus Tullii pro Milone: *Quodnam concepi tantum scelus? aut quod in me tantum facinus admisi, judices, cum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, extinxi?* Similis Fabii declamatione 279. *Quid igitur hæc ætas committere potuit, tanta animadversione dignum?* Cerda.

In te.] Modo contra te: alibi *pro* significat: ut, *quietum Accipit in Teucros animum*, id est, pro Teucris. *Servius.*

In te.] Regem deorum & hominum, qui omnia habes in potestate, & avum suum promissorem novi imperii: quem omnes dii suspiciunt, & homines, fulmine territi, venerantur. *Donatus.*

Tantum.] Bis repete: quid tantum Æneas, & quid tantum Troës? Tam magnum, tam immane. *Idem.*

232. *Quid Troës potuere?*] Hoc est, qui Grajis pares non fuerunt, in te aliquid possunt? Et est Argumentum ab impossibili. ut alibi, *Non ea vis animo.* & est validius, quam à voluntate. plus enim est, non posse, quam nolle. *Serv.*

Troës.] Nominativus erit *Tros.* Et hæc breviter scienda regula est, quia omnia monosyllaba Græca, quæ in Latinum sermonem transeunt, tertiæ declinationis sunt, & tam Latine, quam Græce declinari possunt. ut *Tros Trois* & *Troos*, *Pan Panis* & *Panos.* ut, *Arcadici dictum Panos de more Lycæi.* Servius.

233. *Cunctus.*] Ad id redigitur, ut nec alibi stare, nec in Italiam venire possit. Ergo restat, ut in fluctibus semper exagitetur. *Donatus.*

Ob Italiam.] Ne ad Italiam perveniant, toto orbe pelluntur. Atqui in Africa sunt. sed si diligenter requiras, etiam inde pelluntur: ait namque, *Hospitio prohibemur arenæ.* Sane multi, *Ob Italiam*, juxta Italiam antiquo more dictum accipiunt. ut sit, pars orbis clauditur, quæ circa Italiam est, *ob* enim veteres pro *juxta* ponebant. Plautus in Milite: *Nunc scio mihi ob oculos caliginem obstitisse*; potest etiam *ob*, ante intelligi, aut *ob*, propter. Terentius: *Quodnam ob factum*: aut *ob*, circum, ut *Turni se pestis ob ora*, quasi circa Italiam errent, & in eam pervenire non possint, significat *ob* & contra, ut, *obstat* & *obloquitur.* Servius.

234. *Certe hinc Romanos.*] Atqui nusquam hoc legimus, sed per silentium intelligimus, ut superius de *Iunone* audierat. *Idem.*

Olim fore.] Aut *olim fore*, & futuri temporis est, aut olim pollicitus. *Idem.*

Volventibus.] Volubilibus. Et est participium pro nomine. *Volvens* enim est, qui volvit: *volubilis* autem qui volvitur habiliter. Anni autem volvuntur, non volvunt: ut est, *Atque in se sua per vestigia volvitur annus.* Alii quod deficit lingua Latina participio præsenti passivo, præsens activum positum volunt; ut, *volventia plaustra*, & *siliqua quassante legumen:* quæ quassetur. *Idem.*

Volventibus annis.] Ut Hom. Iliad. β. ἔνατός ἐστι περιτροπέων ἐνιαυτὸς· item in Catal. περιτελλομένων ἐνιαυτῶν. Lucret. lib. 5. *Multaque per cælum solis volventia lustra*: & Hom. περιπλομένων ἐνιαυτῶν. Arat. παρερχομένων ἐνιαυτῶν, & ἀνυομένων. *Germanus.*

Volventibus annis.] Id est, annis e-

Hinc fore ductores, revocato à ſanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent

Polli-

volutis, ἐνηλλαγμένως. Anni enim non ſunt volventes, ſed volubiles: volvuntur, non volvunt: ut, *Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.* Turnebus lib. 30. c. 19. *Volvens*, inquit, Perpeſſionis ſignificatu poſitum eſt, non ineleganter. Hom. περιπλομένων ἐνιαυτῶν: & Aratus παρερχομένων ἐνιαυτῶν. Ita 1. Georg.

Tardaque Eleuſinæ matris volventia plauſtra.

valet enim, quæ volvuntur: vel, quæ ſe volvunt. Sic & *Volvendus*, quod Grammaticis Futuri eſt Temporis, in Præterito uſurpatum reperitur 9. Æn. verſ. 7.

— volvenda dies en attulit ultro,

id eſt, voluta. Lucret. lib. 6.

Glans etiam longo curſu volvenda liqueſcit.

Quanquam hæc præſentis temporis & Paſſivæ indolis dicat Linacer. *Taubm.*

Volventibus annis.] Diligentiſſime congeſſit hujus ſtructuræ exempla, Activa nempe paſſive ſumta, Vechnerus l. 1. Hellenol. c. 12. *Volventibus annis*, Sanct. in Minerv. p. 53. pro *venturis annis* interpretatur. *Emmeneſſ.*

235. *Fore.*] Futuros eſſe. Et eſt de verbis defectivis. *Servius.*

Revocato.] Dicendo *Revocato*, oſtendit Italiam, unde Dardanus fuerat. *Idem.*

A ſanguine Teucri.] Teucrum pro Dardano poſuit. Dardanus enim de Italia profectus eſt; Teucer de Creta: Et hic uſurpavit. ſolent poëtæ nomina de vicinis provinciis, vel perſonis uſurpare. ut, *Domitus Pollucis habenis Cyllarus*, quum Caſtor equorum domitor fuerit. Item, *Et manibus Progne pectus ſignata cruentum*, pro Philomela. Item Didonem dicit Sidoniam, quum ſit Tyria, à loci vicinitate. Item, *Quid loquar aut Scillam Niſi?* quum Phorci fuerit. Et ſciendum inter fabulam & argumentum, hoc eſt, hiſtoriam, hoc intereſſe: quod fabula eſt dicta res contra naturam, ſive facta, ſive non facta, ut de Paſiphaë. Hiſtoria eſt Argumentum quicquid ſecundum naturam dicitur, ſive factum, ſive non factum; ut de Phædra. *Idem.*

Revocato à ſanguine Teucri.] In Mediceo codice, & aliquot aliis antiquis abſque præpoſitiva particula legitur, *revocato ſanguine.* Pierius.

Revocato à ſanguine Teucri.] Locum hunc præclare excuſſit Corradus. *Revocatus ſanguis* eſt, renovatus, inſtauratus, ad eum modum, quo Cicero diceret, à morte ad vitam, à deſperatione ad ſpem revocare. Pergit Corradus. (adduco enim quia neceſſaria) Poëta cum de Teucro, & Dardano loquitur, ita ſolet diſtinguere, ut Teucrum generis Trojani, Dardanum urbis Trojanæ auctorem nominet. In 8.

Dardanus Iliacæ primus pater urbis, & auctor. In 6.

Hic genus antiquum Teucri pulcherrima proles.

Mox ſubjicit, Ilum, Aſſaracum, & abſolvit

— & Trojæ Dardanus auctor.

Ad hunc modum & alii. Lycophronis interpres: βασίλευσε Τεῦκρος, ἀφ' οὗ καὶ Τεῦκροι οἱ ἥρωες: *Regnavit Teucrus, à quo Teucri heroës.* De Dardano verò Homer. 20. Il. κτίσσε Δαρδανίην: *ædificavit Dardaniam.* Hinc eſt ut toties Poëta dicat ſanguinem Teucri, nunquam Dardani. Priùs enim Teucrus in ea loca venit, ubi deinde fuit Troja: mox Dardanus, qui Teucri vel ſororem, vel filiam (diverſe ſentiunt auctores) duxit, & Trojam condidit: cum ante illum Teucri habitarent vallibus imis. Quæ hic dicimus, neceſſaria ſunt ad librum 3. ſed hic omitti non debuerunt, ne cui imponat Servius, qui ait poſitum hoc loco *Teucrum* pro Dardano. *Cerda.*

236. *Omni ditione.*] Melius *Omni*, quam

Pollicitus. quæ te, genitor, ſententia vertit?
Hoc equidem occaſum Trojæ triſtiſque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.

Nunc

quam *Omnis:* ut ſignificet omni poteſtate, pace, legibus, bello. *Servius.*

237. *Pollicitus.*] Pollicemur ſponte, rogati promittimus. *Idem.*

Pollicitus.] Convenit ex veteris promiſſi, imo pollicitationis fide. Turpe enim eſt decedere de fide, turpiſſimum cuivis mutare ſententiam. Quid ergo tanto deo, præſertim ubi filiæ nepotisque vertatur incommodum? *Donatus.*

Quæ te genitor ſententia vertit.] *Quæ Pro cujus** aut qualis, & verecunde agit Venus. Nec enim conveniebat, ut aperte contra uxorem ageret apud maritum. unde & ſimiliter reſpondet Iupiter, *Neque me ſententia vertit.* Serv.

Quæ ſententia.] Quaſi dicat, quis te potior eſt, qui te poſſit vertere? Hoc equidem diſſimulandum eſt damnum, ſi quid amiſſum eſt, alterius commodi ratione penſatur. Unde *compenſatio* dicitur, veluti ſi in altera lance damno poſito, in altera commodum par aut majus ponatur. *Donatus.*

Quæ te genitor ſententia vertit.] Aliquid habet hæc oratio conjunctum cum oratione Agamemnonis, lib. 2. ubi hic dux Jovem inconſtantiæ arguit. Adi. *Cerda.*

Quæ te genitor.] Venus, Jovis filia, poſt Regis nomen, ponit jam *Patris:* ut ſignificet, illum publicam privatamque perſonam retinentem, non debere aliqua perfidiæ permutatione tranſduci. Admodum verecunde tamen patrem arguit inconſtantiæ. nec conveniebat, ut aperte contra uxorem ageret apud maritum. Æn. 10.

Cælicolæ magni, quianam ſententia vobis.
Verſa retro?

Taubm.

138. *Hoc.*] Hac re, propter hoc quod ſciret Æneæ ſocios imperaturos. *Servius.*

Occaſum Trojæ.] Oſtendit rem maximam periiſſe. *Caſus* enim parvæ rei eſt, vel perſonæ inferioris: *Occaſus* divinæ rei, vel perſonæ ſuperioris. Nam ſolem lunamque occidere, & viros præclaros occidiſſe dicimus. *Donatus.*

239. *Fatis contraria fata.*] Utrum fatis bonis in præſentibus. *Servius.*

Rependens.] Compenſans. Et eſt tranſlatio à pecunia. *Idem.*

Rependens.] Comparans & exæquans mala fata bonis. *Donatus.*

Rependens.] Tractum volunt à veteri ſeculo, in quo cum pecunia ſignata non eſſet, quæ numeraretur ſolvereturque, rude aurum appendi ſolebat. Ovidius in epiſt. inde etiam traxit ſermonem,

Ingenio formæ damna rependo meæ.

Cerda.

Fatis contraria fata rependens.] Id eſt, comparans & exæquans mala fata contrariis: *Contrariis* vero non quaſi adverſis dixit, ſed contra mala profuturis, hoc eſt, bonis. Ut enim ex priori fato, Trojæ nimirum excidio, dolorem capiebat Venus; ita viciſſim lætabatur, in fatis quoque eſſe, ut Trojanorum reliquiæ in Italiâ regnum inſtaurent, totique Orbi terrarum dominentur. Metaphora ſumpta eſt à lance momentaneâ, in quâ æs appendebatur. ubi quod præponderabat, id *contra eſſe*, id eſt, ἀντιῤῥέπειν, dicebant veteres. Inde *æs contrarium*, vocabant æs grave: ſcilicet ἀντίῤῥοπον. Et hinc etiam formula illa loquendi, *vænire contra aurum*, id eſt, magno: &, *contra aurum*, vel, *auro contrà non carum eſſe:* ut, *Amicus auro contrà non carus eſt, &c.* De quo Scalig. in Conjectan. *Taubm.*

Fatis contraria fata rependens.] Eadem videtur locutio l. 4. Æn. ỹſ. 628.

Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis.

Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. quem das finem, rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyri-

Lucan. l. 1. ✝ſ. 8.

—— *pila minantia pilis.*

sic Sil. Ital. l. 12. *Ætnæ fatis certantia saxa.* ubi Dausquius legit,

—— *Saxis certantia saxa.*

Vel

—— *fatis certantia fata.*

Emmeness.

240. *Eadem.*] Similis qualis ab initio fuit: ut ostendat nec longitudinem temporis prodesse Trojanis. *Servius.*

Nunc eadem.] Id est, non solum non inveniunt bona, sed manent mala. *Donatus.*

Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos Ins.] *Aliud ex alio malum*, ut Comicus E. 5. 5. 17. nam P. Syro teste, *fortuna obesse nulli contenta est semel.* Quod in Ænea discere est, *quem plurimis ærumnis edomitum* (verbis utor Apuleji l. 7. Metam.) *fortuna sæva novis cruciatibus tradit. quam sævissimam fortunam, per tot regiones fugiens, effugere non potuit vir sanctissimus.* Justissimis ergo querelis indulget mater; sed excurrit oratio. *Emmeness.*

241. *Finem.*] Ac si diceret, non regnum requirimus, sed finem laborum. *Servius.*

Quem das finem.] Qui Juppiter potest postulata complere, & potuit efficere, ne aliquando occiderent. Potest & sic intelligi. Quem das finem, id est, quando Trojani venient in Italiam, aut quando carebunt his malis? *Donatus.*

Quem das finem, rex magne, laborum.] Expressus fortasse Euripides in Alcestid.

Ἰὼ Ζεῦ, τίς ἂν πῶς πόρος κακῶν
Γένοιτο, καὶ λύσις τύχας;

Io Juppiter, quæ ratio erit avertendi mali,
Quæ repulsio fortunæ?

Cerda.

Quem das finem, rex magne, laborum.] Pro eo Horat. Epod. od. 17.

Quæ finis? aut quod me manet Stipendium.

Ad quem locum videndus Turneb. libro 30. c. 27. Quamvis Horat. *quæ finis*, Maroni placuit *quem finem* dicere, quod suavius sonat teste Gellio l. 13. c. 19. *laborum*, id est, miseriarum. l. 1. noster ✝ſ. 601.

O sola infandos Trojæ miserata labores!

Sil. Italicus *tormentis finem metamque orare laborum.* Ovid. lib. 4. Metam.

—— *dum prima retractant*
Fata domus, releguntque suos sermone labores.

Apulejus l. 11. Metam. *sit satis laborum.* ubi plura Pricæus. *Emmeness.*

242. *Antenor potuit.*] Capto Ilio Menelaus memor se & Ulyxen, beneficio Antenoris servatos, cum repetentes Helenam ab eo essent suscepti, ac pene à Paride aliisque juvenibus interempti essent; parem gratiam reddens inviolatum dimisit; qui cum uxore Theano & filiis Helicaone & Polidamante, ceterisque sociis in Illyricum pervenit, & bello exceptus ab *Euganeis & rege Veleso*, victor urbem Patavium condidit: id enim responsi acceperat, eo loco condere urbem, quo sagittis avem petisset, ideo ex avis petitæ auspicio, *Patavium* nominatum. Hi autem duo Trojam prodidisse dicuntur secundum Livium: quod & Virgilius per transitum tangit, *Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.* Non sine causa Antenoris posuit exemplum, quum multi evaserint Trojanorum periculum: ut Capys, qui Campaniam tenuit; Helenus, qui Macedoniam: ut alii, qui Sardiniam secundum Salustium. sed propter hoc ne forte illud occurreret, jure hunc vexat, tanquam proditorem patriæ. Elegit ergo similem personam: Et excusat Horat. dicens, *Ardentem sine*

Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna

sine fraude Trojam. hoc est, sine proditione, quæ quidem excusatio non vacat. nemo enim excusat nisi rem plenam suspicionis. Sisenna tamen dicit solum Antenorem prodidisse: quem si velimus sequi, augemus exemplum: Si regnat proditor, cur pius vagatur? Antenor autem ob hoc creditur Græcis patriam prodidisse, quia sicut superius dictum est, & auctor reddendæ Helenæ, & legatos ob hoc venientes suscipiebat, & Ulyxem mendici habitu agnitum, non prodidit. *Servius.*

Antenor.] Sunt qui Antenorem faciant proditorem Trojanæ urbis. In his Dictys lib. 5. qui ait, jussu Priami ivisse ad Græcos cum mandato belli deponendi, illum tamen de prodenda patria cum illis consilium iniisse: & enarrator Lycophronis: nam huic dat accensam lucernam ad vocandos Danaos, & reclusionem equi lignei. Enarratoris verba: Ἀντήνωρ δὲ φανὸν ἀνάπτων τοῖς Ἕλλησι, καὶ τὰ ἀπογάστρια τοῦ ἵππου ἀνοίγει. Sunt qui illum liberent ab hoc crimine, dicantque fuisse virum vitæ sanctitate, & morum gravitate notum. Inclinat in hanc partem Virgilius, qui *elapsum* ait, quo fuga innuitur, non pactum. Livius tantum ait, fuisse illum una cum Ænea auctorem pacis & reddendæ Helenæ. *Cerda.*

Potuit.] Plus est quod dixit *potuit*, non *meruit*. Servius.

Potuit.] G. Canterus, Nov. Lect. l. 2. c. 2. notat, veteres eleganti periphrasi dixisse, *Potuisse* quem *dicere*, vel *facere* aliquid; pro *dixisse*, vel *fecisse*: ut hîc, *Antenor potuit* sinûs *penetrare*, pro, penetravit. Ita 7. Æn.

——— *nil linquere inausum*
Quæ potui infelix,

id est, nihil inausum reliqui. Æn. 12. Turnus,

——— *miseri te si qua parentis*
Tangere cura potest,

id est, tangit. Propert. l. 3.

Et de me poterat quilibet esse loquax,

id est, loquebatur. Horat. in Arte:

Quid superat? poteras dixisse, &c.

Omnes Poëtæ, & inprimis Ovidius plenus est talium. *Taubm.*

Antenor potuit.] Comparatione à minore ad majus, exaggerat mœrorem: Antenor ergo alienus à necessitudine tua, homo humilis & depressus, manus hostium potuit effugere. *Donatus.*

Elapsus.] Invidiose noluit dicere *dimissus*, sed *Elapsus*. Servius.

Achivis.] Ab Achæo & Pithiæ. * *Idem.*

243. *Illyricos penetrare sinus.*] Antenor non Illyricum, non Liburniam, sed Venetiam tenuit. ideo autem Virgilius dicit, *Illyricos sinus*, quod inde venit quidam Henetus rex, qui Venetiam tenuit; à cujus nomine Henetiam dictam, posteri *Venetiam* nominaverunt. *Idem.*

Illyricos penetrare.] Voluit demonstrare difficultatem perveniendi, & ad hostiles partes penetrandi, quæ omnia facit, dictis posterius annexis. *Penetrare* enim est penitus intrare, & *sinus* sunt recessus terrarum penitus remotarum, quibus clausis non potuisset evadere, si pericula extitissent. Et miro verbo usa est, *transire*, quod est sine molestia vel impedimento quovis pervenire. Et quia fontem superare, difficultatem non demonstrat, addit: *Unde per ora novem, &c.* ut commemoret tantæ illum fontem virtutis non esse, ut per novem illius ora tutus transierit. *Donatus.*

Illyricos penetrare sinus.] Mare Adriaticum, unum est mare: sed ob diversa promontoria, in plures distribuitur sinûs. Unde liquet, cur Poëta *sinûs* dixerit, non *sinum*. Hodie ea loca Dalmatiam, Croatiam & Carinthiam indigitant. Hos, inquit, sinûs, & hæc regna penitus intravit, & quidem tutus, nec tantillum mali perpessus à populis, longè ferocissimis. Quin & immanem illum Timavum, unde per novem ostia,

 ingenti

Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi:
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare

ingenti cum murmure vicini montis mare it proruptum atque effusum, sine molestiâ & impedimento transmisit: hoc enim est *superare*. Hunc autem Timavum alii septem, alii octo, alii novem ostiis in pelagus effundi tradiderunt. Quidam putant, *Novem* hîc non numerum, sed vehementiam significare, & usu prisco, pro quâvis multitudine usurpari, ut in 6. Æn.

—— *novies Styx interfusa coërcet:*

& apud Horat.

—— *nonumque prematur in annum.*

Martial. l. 8. epigr. 28. *Timavum* dixit *multifidum.* Joach. Vadianus, testis oculatus, adfirmat, nusquam ullum *Timavum* extare hodie prætet obscurum rivulum, & eum quidem pedibus pervium. Videatur & Gabr. Fallopius, de Therm aq. & Metall. & Cæl. Rhodig. l. 12. c. 8. & Jo. Candidus Utinens. in Comment. rerum Forojuliensium, &c. *Taubm.*

Antenor potuit, &c. Illyricos penetrare sinus, &c.] De Antenore, qui Venetorum conditor est, & Patavii, ut ✠s. 247. Justinus l. 20. c. 1. *Venetos, quos incolas superi maris videmus, capta & expugnata Troja, Antenore duce, misit.* Hunc Ovid. l. 4. Fast. ✠s. 75. suasorem pacis appellat,

Adjice Trojanæ suasorem Antenora pacis.

& Epist. Heroid. 5. ✠s. 95.

Quid gravis Antenor, Priamus quid suadeat ipse.

De hoc Homer. l. γ. Iliad. ✠s. 203. quod fuerit πεπνυμένος, qui hospitio Ulyssem recepit legatum, & Trojanis auctor fuit reddendæ Helenæ, eodem teste l. *n.* Iliad. ✠s. 348. *Emmeness.*

Tutus.] Ideo tutus, quia Rhetii Vindelici ipsi sunt Liburni, sævissimi admodum populi, contra quos missus est Drusus. Hi autem ab Amazonibus originem ducunt, ut etiam Horatius dicit, *Quibus mos unde ductus, per omne tempus Amazonia securi dextras obarmet, quærere distuli.* hoc ergo nunc ad augmentum pertinet, quod tutus est, etiam inter sævos populos erat. *Servius.*

244. *Liburnorum.*] Sunt hi inter Istriam & Dalmatiam. Vide Plinium lib. 3. cap. 22. Strabonem lib. 7. alios. *Cerda.*

Fontem Timavi.] Amant poëtæ rem unius sermonis, circumlocutionibus dicere, ut pro Troja, dicant *urbem Trojanam*, pro Buthrotio, *arcem Buthroti*, sic & modo pro Timavo, ait *fontem Timavi.* Et paulo post, *urbem Patavi*, id est, Patavium. *Servius.*

Superare.] Nauticus sermo, Lucilius: *Promontorium remis superamus Minervæ.* Idem.

245. *Unde per ora novem.*] Multi septem esse dicunt. quod si incerta fides est, finitus est numerus pro infinito. *Idem.*

Unde per ora novem vasto cum mur. mont. It mare.] Docuit Turnebus hic poëtam fluvium mare nominasse, ut Nicand. in Theriac. τὸν ὑπὸ Θρηικίου νομέες ποταμοῖο φέρουσιν, ὃν πόντον καλέουσι. Alibi Virgilius mare stagnum vocat, nimirum quod, ut Aristoteles docet, τὸ τῆς θαλάττης ὕδωρ οὐ ῥυτὸν, ἀλλὰ στάσιμον sit, nec ullum mare moveatur per se & proprio motu, sed aut lunæ motu, aut terrarum angustia, aut fluviorum concursu, interventu & confluxu. Vide lib. Meteor. 2. Cæterum Græce locutus est Maro, qui *ora*, *ostia* dixit, ut & Aristoteles lib. Meteor. α. τοῦ Νείλου στόματα, his verbis: φαίνεται δ᾽ οὖν καὶ τὰ στόματα πάντα, πλὴν ἑνὸς τοῦ Κανωβικοῦ χειροποίητα, καὶ οὐ τοῦ ποταμοῦ ὄντα. Timavus autem fluvius est juxta Aquilejam, novem nascens capitibus, teste Pomponio, unoque ostio sese in mare evolvens. Causam ejus incrementi & decrementi, fluxui & refluxui maris vicini Gabr. Falopius tribuit illudentis ad montem Timavo ipsi proximum,

It mare proruptum, & pelago premit arva ſonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi, ſedeſque locavit
Teu-

mum, lib. De therm. aq. & metall. *Germanus.*

Vaſto cum murmure montis.] Tanta vi exit in mare, ut etiam vicinus mons perſonet. ſuperius, *Illi indignantes magno cum murmure montis Circum clauſtra fremunt.* Servius.

Vaſto cum murmure montis.] Ut fons ſolo vocabulo, revera ſui abundantia in terris pelagi faciem oſtenderet. Repete ergo, potuit hoſtis evadere, potuit penetrare: ſi ille potuit ſuperare fontes Timavi. Hic, ſcilicet in regionibus hoſtilibus & per omnes difficultates. Ergo unum adverbium & pronomen grave pondus dolori adjecit. Ille minoris dignitatis, cur tantum felicitatis adeptus eſt, ut tutus tranſierit, tutus pervenerit, tutus urbem ſuis condiderit, tutus nomine Trojano vocitari indigenas fecerit, tutus arma Trojana, id eſt, victa, in eorum partibus fixerit? quos non conſtat victores fuiſſe. *Donatus.*

Per ora.] Uſque ad initium fontis, hoc eſt, uſque ad montem: Timavus autem in Hiſtria eſt, inter Aquileiam & Tergiſtum. *Servius.*

246. *Mare.*] It quaſi proruptum mare. Amat poëta rem hiſtoriæ carmini ſuo conjungere. Varro autem dicit hunc fluvium *mare* ab incolis nominari. *Idem.*

Proruptum.] Aut idem effuſum fluens. Et melius *proruptum*, quam præruptum. Bene autem definit, quid eſt largus fons, ſolutum mare. *Idem.*

Proruptum.] Notat Turnebus lib. 30. c. 19. *Prorumpit & Erumpit*, ſæpe Neutrorum verborum ſignificatione trita uſurpari: Maronem tamen, *It mare proruptum* dixiſſe: ut Lucret.

—— *hinc prorumpitur in mare venti*
Vis ——

Et Cic. l. 16. ep. ad Atticum 3. *Ne in me ſtomachum erumpant, cum ſint tibi irati.* & Lucan. *Exagitata foras erumpitur.* Taubm.

Pelago.] Aquarum abundantia. *Servius.*

Premit.] Populatur, vaſtat. Sane multi, *It mare proruptum*, Et, *Pelago premit arva ſonanti*, hoc intelligi volunt: quod tanta eſt in illis locis acceſſa, quæ dicitur mare, ut per ora Timavi, id eſt, uſque ad initium fontis, mare aſcendat. unde ait, *It mare proruptum & pelago premit arva*, id eſt, aqua maris premat arva, hoc eſt, litora vicina cooperiat. Conſtat autem & in illo loco acceſſa maris uſque ad montem pervenire, & per omne litus Venetiarum mare certis horis & accedere per infinitum, & recedere. Timavus autem in Hiſtria eſt, inter Aquilejam & Tergeſtum. *Idem.*

247. *Hic.*] Pro illic. *Idem.*

Tamen.] Id eſt, etiam in loco difficili. *Idem.*

Urbem Patavi.] Hoc eſt Patavium. a. d. u. à poſt vocem. quaſi Patavium, vel ἀπὸ τῆ πέτεσϑαι, quod, captato augurio, dicitur condita, vel quod avem telo petiſſe dicitur, & eo loco condidiſſe civitatem. Alii à palude Patina, quæ vicina civitati fuiſſe dicitur, Patavium dictam putant. Sane Patavi minorem nominativo genitivum fecit, cum genitivus nunquam pauciores ſyllabas nominativo ſuo habere debeat, *Patavium* enim *Patavii* facit. *Idem.*

Patavi.] Variæ quidem fuere olim Grammaticorum ſententiæ ſuper ejus genitivi ſcriptione, qui declinationis ſecundæ ratione, in *ii* geminatum enuntiari debet. Neque ipſos tantum Grammaticos diverſa in hoc ſentire: ſed alias atque alias ætates modo ſimplici, modo geminato ſcriptitaſſe comperio. Sane Priſcianus ait veteres in hujuſmodi genitivis, geminantibus *ii*, frequenter ſolitos alterum ex iis ſubtrahere, Virgiliano hinc exemplo citato, *Hic tamen ille urbem Patavi.* perinde ac illa etiam, *Nec cura peculi*,

Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troïa. nunc placida compostus pace quiescit.
Nos tua progenies, cæli quibus adnuis arcem,
Navibus

neque non, *Pauperis & tuguri.* Citat idem alibi per Synæresin, *Fata Lyci,* pro Lycii, & *urbem Patavi,* pro Patavii. Sed enim quod Priscianus Poëtarum tantum innititur exemplis, multa veterum inscriptionum exempla commemorare possem, quibus appareat Oratores etiam eandem scriptionis rationem secutos esse. *Pierius.*

Hic tamen ille urbem.] In loco etiam difficili ille inferioris meriti homo, tutus civitatem Teucris condidit, & nomine Trojano indigenas vocitari fecit. Atque hoc est, quod Livius scribit in exordio lib. 1. *In quem locum Antenor cum multitudine Venetum primum egreßi sunt, Troja vocatur: pagoque inde Trojano nomen est: gens universa Veneti appellati.* De suo autem nomine ipsam urbem *Antenoriam* vocavit, cives *Antenoridas.* Eaque mox *Patavium*, postremo & *Padua* fuit appellata: quæ patria Livii est, & hodie Venetorum Academia. Porro notetur Poëtica circumlocutio, *Urbs Patavi*, id est, Patavium: ut alibi, *urbs Trojæ*, pro Troja: & *arx Buthroti*, pro Buthroto. Sic paulo ante, *Fons Timavi*, pro Timavo. Ita & Cic. *Urbem Lampsaci:* &, *oppidum Antiochiæ* dixit. V. N. 5. Æn. v. 52. *Taubm.*

Sedesque locavit.] Ex votis suis facit invidiam, dicens, id concessum Antenori, quod ipsa desiderat. *Servius.*

248. *Et genti nomen dedit.*] Hoc est, quod ne victori quidem concederetur Æneæ: quod scimus à Junone esse profectum. Sicut in xii. ait, *Nunc Troas fieri jubeas Teucrosque vocari:* Et Iupiter ait: *Commixti corpore tantum:* contra quæ oblique loquitur, propter considerationem mariti. Hi autem primis temporibus ab Antenore dicti sunt Antenoridæ. ipsum vero quidam dicunt Hectora se appellasse, aut certe *nomen* nobilitatem, vel dignitatem, ut, *Et nos aliquod nomenque decusque.* Idem.

Armaque fixit.] Quasi non necessaria consecravit. *Figere* enim consecrare hic debemus accipere; ut, *Postibus adversis figo*, & hoc significat, securus est; quia solent missi militia sive gladiatura, quibuslibet templis arma suspendere. ut Horatius, *Vejanius armis Herculis ad postem fixis.* Idem.

Armaq; fixit.] Sic in Lycophr. Cassandra τήλικα κόρζῃ κίονος προσαρμόσας. ad quem locum consule Meursium p. 251. 252. de dedicandis armis plura ad ℣s. 286. l. 3. Æn. *Emmeness.*

249. *Compostus.*] Pro compositus. Syncope est. detraxit enim de medio syllabam, ut *Et pocula porgite dextris.* Servius.

Placida compostus pace.] Recte *placida*, pro quo non nulli legunt *placita.* sed prius epitheton non displicet, quo etiam usus est Silius Italicus l. 1.

Ter placidam suasit temerando rumpere pacem.

Cic. Tusculan. quæst. l. 5. c. 16. *semper in animo sapientis esse placidißimam pacem.* Emmeness.

Compostus.] Συγκοπὴ non inelegans, qualis apud Stat. l. 7. Theb. *sic expostus ego.* Verbum *componere* in funeribus notum, ubi Cineres, Ossa, &c. urna conduntur. Horat. l. 1. Sat. 6. *omnes composui felices. Nunc ego resto.* Vide Kirchmann. de Funer. Roman. l. 3. c. 8. de verbo *quiescere* actum Ecl. 10. ℣s. 33. inde *acquiescere* pro mori. Corn. Nep. V. 23. c. 13. *anno acquievit septuagesimo.* Idem.

250. *Nos tua progenies.*] Sic loquitur quasi una sit de Trojanis. Nam aliter sensus non procedit, aut quasi patiatur & ipsa, quod & filius, & bene. *Tua progenies*, propter Antenorem. Est autem

Navibus (infandum) amiſſis, unius ob iram
Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.
Hic pietatis honos? ſic nos in ſceptra reponis?
Olli

tem Epexegeſis. ut, *Aſt ego quæ divûm incedo regina.* Servius.

Nos.] Tranſit ad comparationem. *Donatus.*

Tua progenies.] Interpretatio eſt. *Tua*, qui deos & homines in poteſtate habes, apud quem privilegium primi gradus habere debemus: dum ſpe promiſſorum ducimur, naves amiſimus, & promiſſam Italiam tenere non poſſumus. *Idem.*

Nos tua progenies.] Applicatio exempli habens πάθος, præter ſpem. *Nos* autem dixit, ut Jovem magis moveret, cum audiret etiam filiam laborare. vel, quia matres, laborantibus filiis, revera laborant: vel, quia cauſſas agunt clientum, ut ſuas. *Nos tua progenies*, id eſt, ego filia, & Æneas nepos. Simile eſt illud Ovidii 3. Faſt.

Illa ego ſum, cui tu ſolitus promittere cœlum.
Hei mihi, pro cælo qualia dona fero!

Taubm.

Adnuis.] Licet ipſa dea ſit, tamen ſub perſona Æneæ ſe poſuit: bene autem *Adnuis.* Quia nutu ſemper promittit aliquid Juppiter. ut, *Adnuit & totum nutu tremefecit Olympum.* Servius.

Adnuis.] Sanctiſſime fidem præſtiturum Jovem credebant veteres, ſi adnuiſſet, ſi nutu confirmaſſet promiſſa. Homer. Iliad. α. ψſ. 514.

Νημερτὲς μὲν δή μοι ὑπόσχεο καὶ κατάνευσον, ἢ ἀπόειπ'.

Verum quidem jam mihi promitte, & adnue, Vel abnue.

Apulejus l. 6. Metam. *nec renuit Jovis cærulum ſupercilium.* Emmeneſſ.

251. *Navibus amiſſis.*] Cur cum una navis perierit, ait *navibus:* aut invidioſe dixit & exaggerat, aut quia adhuc aliæ deſunt, aut quia eas periſſe non ignorat Æneas. *Servius.*

Infandum.] Pro *infande* poſuit, ut in VI. *Miſerum ſeptena quotannis.* Item, *Torvumque repente Clamat.* pro torve. Eſt eſt figura, quæ fit quotiens nomen pro adverbio ponitur, magis autem poëtica eſt: in proſa aut rara, aut nunquam. tamen hoc loco *Infandum*, poteſt eſſe etiam interjectio dolentis. *Id.*

Unius.] Cautius, quam ſi dixiſſet Junonis, & hic *unius* produxit penultimam. *Idem.*

Unius ob iram.] Optime ad finem orationis reſervavit, ne ſi inter initia dixiſſet, offenſus Juppiter ſororis & conjugis injuria alienaretur: nec etiam nomen Junonis poſuit, ut ſine offenſa ad injuriarum numerum perveniret. *Donatus.*

252. *Prodimur.*] Multa quidem hic ſermo ſignificat, ſed modo porro damur: ſcilicet ab Italia prohibemur. Et ſciendum eſt, omnium auctorum eſſe conſuetudinem, ut res dubie poſitas planius in ſequentibus dicant. ut hoc loco ſequitur. *Servius.*

Prodimur.] Cum contemptu & ſtomacho dictum *Prodimur*; & habet vim concitandi Jovem adverſus Junonem, quo nihil eſt optatius Veneri. Et aſtute id ſervavit ad finem, ne ſi forte hoc ægre tuliſſet Jupiter, illius animum initio orationis à ſe alienaret. *Naſcimbæn.*

Atque Italis longe, &c.] *Longe*, maxime: non enim longe erant ab Italia cum tempeſtate disjecti ſunt. *Servius.*

Italis longe disjungimur oris.] Sic & Hom. Ἀλλ' ἐν γὰρ Τρώων πεδίῳ πύκα θωρηκτάων πόντῳ κεκλιμένοι, ἑκὰς ἥμεθα πατρίδος αἴης. Semper autem πολύπλαγκτον Æneam ſignificat, ut Hom. Ulyſſem. *Germ.*

253. *Hic.*] Id eſt, talis, ut, *Hunc ego Euryale aſpicio*, id eſt, talem. *Servius.*

Pietatis.] Superius in te committere ait, ut peccato Æneam & Trojanos excuſet.

Olli subridens hominum sator atque deorum,
Vultu, quo cælum tempestatesque serenat,
Oscula libavit natæ. dehinc talia fatur.

Parce

cuset. Hic plus addit, non solum eos non esse malos, sed etiam pios esse. *Serv.*

Honos.] Cum secundum artem dicamus *honor*, *arbor*, *lepor*: plerunque poëtæ *r* in *s* mutant caussa metri. *Os* enim longa est. *Or* brevis. hoc quidem habet ratio: sed hic sine metri necessitate *honos* dixit. Item Salustius pene ubique *labos* posuit, quem nulla necessitas coëgit. Melius tamen est servire regulæ. *Idem.*

Hic pietatis honos.] Similis conquestio apud Ovidium 2. Met.

—— *hunc fertilitatis honorem*
Officiique refers?

Et apud Plautum Rudent. *Hanccine ego partem capio ob pietatem præcipuam.* Cerda.

Sic nos in sceptra r.] Reponis in sceptra, aut ad imperia reservas. *Servius.*

Sic.] Hoc est per naufragia. Aut certe antiqua licentia communium præpositionum. *Idem.*

Reponis.] Id est, restituis in regna, quæ amisimus. *Idem.*

Hic pietatis honos? Sic nos, &c.] Occupato gravissimis argumentis Jovis animo, Venus apertis, quod ajunt, tibiis, in querelam prorumpit, & ita vehementer exæstuans, nimis indulgenter loquitur, & omne prorsus iracundiæ atque odii virus effundit. *Nascimbæn.*

Olli.] Modo tunc, propter sequentia, pronomen enim cum nomine, non debet poni, sed pro ipso nomine & nullius dicit, illi natæ. * Alias tamen, *Olli*, illi significat. ut, *Olli dura quies oculos, & ferreus urget somnus.* Servius.

Olli.] Vetustatem sapit, à qua in non nullis minime abhorret Maro, ut Quintil. l. 8. c. 3. *i* in *o* mutato ut Priscian. l. 1. quod in aliis haud ita occurrit: pro eo Stat. l. 4. Achill. *Illi subridens, &c.* Emmeness.

Subridens.] Lætum ostendit Jovem, & talem, qualis esse solet, quum facit serenum. Risus enim ex lætitia oritur. Poëtarum enim est, elementorum habitum dare numinibus; ut supra de Neptuno dictum est. *Servius.*

Olli subridens.] Ut Venus lachrymis, antequam loqueretur, significavit dolorem internum, & quid dictura esset: sic Jupiter statim debuit hilaritate vultus & osculo, & prima parte orationis demere angorem filiæ, nec oportuit eam circuitione deferri. *Donatus.*

255. *Vultu, quo cælum.*] Ostendit, sicut dictum est, cur subriserit Jupiter. Hoc verbum de his est, quæ carent prima positione: quod fit in his, quæ in nostra non sunt potestate, ut *tono, fulmino, pluo.* hæc enim non possumus dicere, nisi forte persona inducatur ejus, qui potest. ut sit, tale aliquod Jupiter dicat. *Servius.*

Vultu, quo cœlum.] Tali qualem habet cum elementa tranquillat. *Donat.*

Vultu, quo cælum.] Exhibens talem vultum filiæ, qualem habet, cum omnia elementa tranquillat. *Ridente deo, omnia rident*; ut contra. Ita Sophocles in Ajace, πᾶς σὺν θεῷ γελᾷ τε κ᾽ ὀδύρεται. *Taubm.*

Serenat.] Ennius, *Jupiter hic risit, tempestatesque serenæ Riserunt omnes risu Jovis omnipotentis.* Aut cæteri sit intelligens * Junonis dolor oblique accusari à Venere; ut est, *Quæ te genitor sententia vertit.* Et, *Unius ob iram prodimur*; sicut alibi, *Atque dolis risit Cytherea repertis.* Servius.

Serenat.] Serenari dicitur æther, axis. Sil. Ital. l. 12.

Ecce serenato clarum jubar emicat axe.

& paulo post:

Læta serenati facies aperitur Olympi.

Emmeness.

256. *Oscula libavit natæ.*] Leviter tetigit. Et sciendum osculum, religionis esse; suavium voluptatis. quamvis quidam

Parce metu, Cytherea. manent inmota tuorum
Fata

quidam osculum filiis dari, uxori basium, scorto suavium dicant. Sane multi nolunt ita intelligi, ut summum osculum filiæ dederit, id est, non pressum, sed summa labella contingens: Sed ita ajunt, *Tum hilarus Jupiter vultus natæ libavit*, id est, contigit; scilicet ut nos solemus cum blandimentis quibusdam sinistram maxillam contingere liberorum, ac deinde ad os nostrum dextram referre. Ergo *libavit* merito; quia partem vultus, non totos contigerat; ut *oscula* dixerit quasi minora & teneriora filiæ ora; ut *ora* diminutive *oscula*, nam ora vultus dici: ut, *intentique ora tenebant*; & *Sic ora ferebat*: Ipse diminutive *oscula* dixit minores & teneros vultus: *Summaque per galeam delibans oscula fatur.* Servius.

Oscula libavit natæ.] Id est, Parva ora leviter tetigit: *Corradus, & H. Stephanus.* Osculum enim hîc στόμα est, non φίλημα: & significatum tenet primitivi. Ita & Ovid. 1. Met. Fab. 13.

—— videt igne micantes
Sideribus similes oculos: videt oscula.

Mart. l. 11. Epigr. 92.

Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi.

Æneid. 12. ℣s. 434. *Delibans oscula.* Taubm.

Oscula libavit natæ.] Ex veterum consuetudine Servii sententiam confirmat Salmas. Hist. Aug. apud Hackios p. 687. sed nihil propius ad Maronem, quam illud Statii Thebaid. l. 7.

Invidiam risit pater, & jam poplite flexum
Sternentemque manus tranquillus ad oscula tollit. Emmeness.

257. *Parce metu.*] Quotiens in caussis arguimur, ante nos purgare debemus; & sic ad actionem descendere, quod & hoc loco Jupiter facit. ante enim objecta purgat, & sic venit ad promissionem. Et est *Parce metu* elocutio usualis, id est, dimitte metum: quomodo dicimus *parce verbis*, *parce injuriis.* alii *metu* pro metui accipiunt, ablativum pro dativo; aut certe ideo metum aufert, ut animo securiore possit audire: ut alibi, *Solvite corde metum Teucri.* Omnia autem, quæ dicit Jupiter, ad solutionem pertinent antedictorum. Ideo autem nunc dicit, *Parce metu*: quia superius dixerat *Tristior. Manent inmota.* Quia dixerat, *Quæ te genitor sententia vertit?* Et simul per transitum dogma Stoicorum ostendit, nulla ratione posse fata mutari. Sane servat & hic ordinem sicut in templi oratione, ut statim promittat, quod præstaturus est, ne auditor sit expectatione suspensus. *Servius.*

Parce.] Si solum hoc dixisset, abunde suffecerat ad demulcendum animum. Reddit enim securam, & nihil immutatum esse demonstrat. Dat autem huic poëta personam regis, non patris. De futuris enim non nisi deus loquitur. Ergo *Cytherea* dixit & non *filia*: & *tuorum*, & non nostrorum. *Donatus.*

Cytherea.] Omnia, quæ apud Græcos ει diphthongum habent, apud Latinos in E productum convertuntur. Κυθέρεια, *Cytherea.* Αἰνείας, *Æneas.* Μήδεια, *Medea.* Servius.

Cytherea.] A Κύθηρα originem habet, quæ, docente Stephano, νῆσος καὶ πόλις est πρὸς τῇ Κρήτῃ. in *Myrtoo mari*, ponit Mela l. 2. c. 7. *contra Maleam.* Veneri consecrata, ut noster testatur l. 10. ℣s. 51.

Est Amathus, & celsa mihi Paphos, atque Cythera.

Sed hoc non prætereundum puto, secundam corripi contra Grammaticorum doctrinas, qui *η* Græcum in Latinis longum volunt. Quod tamen non perpetuum, ut jam recte observavit Schottus l. 2. obs. poët. c. 39. *Emmeness.*

Tuorum.] Trojanorum, vel Romanorum. *Servius.*

258. *Fata*

Fata tibi. cernes urbem & promiſſa Lavini
Mœnia, ſublimemque feres ad ſidera cæli
Magnanimum Æneam: neque me ſententia vertit.
Hic tibi (fabor enim, quando hæc te cura remordet:

Longius

258. *Fata tibi.*] Non propter te. Fati enim immobilis ratio eſt. ſed aut vacat *Tibi.* ut, *Qui mihi accubantes in conviviis.* Aut certe tuta ſunt tibi fata, non tamen propter te. *Serv.*

Manent fata tibi.] Hoc ſat erat, ſed ut ſatiaret quod aſſerebat, addidit *inmota.* Deinde enumerat ſpecialiter quod generalitate clauſerat. Reſpondet etiam querimoniis Veneris. Nam cum illa dixiſſet: *Cunctus ob Italiam,* &c. hic dicit, *Cernes urbem.* Et ad id: *Cæli quibus adnuis arcem,* ponitur, *Magnanimum Æneam ſublimem feres ad ſidera cæli.* Ut autem apertiorem faceret generalitatem, addit fatorum diſpoſitionem. Tangit autem geſta, ab Ænea ad Cæſarem uſque, & tempora Cæſaris: quæ ſcribenda cum propoſuiſſet, morte præventus, non implevit: brevi igitur oratione ſecuram facit Venerem, longo deinde ordine futura explicat. Non enim ocioſe audiſſet Venus, quæ pertinerent ad gaudium, niſi prius amotus eſſet metus. Sic Terentius: *Ubi inveniam Pamphilum, ut metum, in quo nunc eſt, adimam. atque expleam animum gaudio.* Donatus.

Manent inmota tuorum fata tibi.] Inſignis fati deſcriptio occurrit apud Apulejum l. 9. Metam. in princ. *Nec conſilio prudentis, vel remedio ſagacis, divinæ providentiæ fatalis diſpoſitio ſubverti vel reformari poteſt.* Luculentiorem diſputationem huic loco ſubnectit Pricæus. Quem vide, ſi ſit tanti. *Emmeneſſ.*

Cernes urbem.] Aut Romam ſignificat, quia cum proprietatem detrahimus, quod magnum eſt ſignificamus, ut ſi dicas legi Oratorem, nec addas quem, intelligo Ciceronem: Et ne longa ſit expectatio, adjecit: *Et promiſſa Lavini Mœnia,* aut certe detrahe *&* ſicut multi, & Epexegeſim facis. *Servius.*

Cernes urbem.] Id eſt, promiſſa Lavini mœnia. Videtur autem figurate dictum *urbem* & *mœnia*, quia diverſis idem ſignificavit. *Idem.*

259. *Sublimemque feres ad ſidera cæli.*] Æneas enim poſt errores VII. annorum, cum ad Italiam perveniſſet, & ſicut hiſtoria habet, cognito, quod Veneris filius, Troja profugus, fatis juvantibus, ad Italiam veniſſet, & ab Latino ſuſceptus eſſet, filiam ejus Laviniam duxit uxorem, quo dolore Turnus rex Rutulorum, qui ante Laviniam ſperabat uxorem, & Latino & Æneæ bellum indixit; ſed primo prælio Latinus eſt interemptus; ſecundo vero Æneas Turnum occidit. Ipſe vero, ut quidam dicunt, cum Mezentium; ut quidam vero Meſapum fugeret, in Numicum fluvium cecidit; ut vero Livius refert, in cœlum raptus eſt, cujus corpus cum victis à ſe Rutulis & Mezentio, Aſcanius requiſitum non inveniſſet, in Deorum numerum credidit relatum. Itaque ei templum condidit & Jovem indigetem appellavit. Bene autem addidit *Feres*, ut gratius eſſet, quod per ipſam fieret. *Idem.*

Sublimemque feres.] Ex Ennio I. *Unus erit, quem tu tolles in cærula cœli Templa.* Verſumque hunc Ennii imitatus eſt Ovidius 2. Faſt. *Cerda.*

260. *Magnanimum.*] Magnus & parvus, quoniam menſuræ ſunt, ad animum, non niſi καταχρηστικῶς adhibentur. Et bene hoc addidit, quaſi dicat, quem tu miſerum dicis, nos magnanimum, ſummum. *Servius.*

Neque me ſententia vertit.] Ad illud, *Quæ te genitor ſententia vertit.* Idem.

261. *Hic.*] Id eſt, Æneas, & eſt ordo, Hic bellum ingens geret Italia. Alii *Hic* pro poſt hæc quæ dixi accipiunt; ut ſit loci adverbium, pro temporis. *Idem.*

Tibi

Longius & volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italia, populosque feroces
Contundet; moresque viris & mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Terna-

Tibi fabor enim.] Hoc loco excusat quæstionem futuram, quasi Veneri dolenti, quæ vera sunt dicat. Et ideo *Tibi*, quod multi alii, id est, tibi soli. Nam aliter loquitur cunctis præsentibus Diis: dicet enim in decimo, *Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.* Idem.

Tibi.] Quia filia es, quia sollicita, nolo te vexari angoribus, tu docta tuorum fata lætaberis. *Donat.*

Fabor.] Arcana fatorum, quæ nulli fas est nosse, commendat sensibus filiæ, & se illicite facere demonstrat, ut cognoscat illi benevolum studium patris. *Idem.*

Quando.] Siquidem, quoniam. *Servius.*

Remordet.] Sollicitat. Terentius, *Par pari referto, quod eam remordeat.* Idem.

Cura remordet.] Hac forma Horatius od. 18. lib. 1. *mordaces sollicitudines.* Symmachus lib. 6. epist. 52. *hoc mordet animum.* quam locutionem usurpat etiam lib. 8. epistolis 6. & 69. & lib. 10. epig. 47. Terentius Adelph. *si id te mordet.* Aristophanes, Acharnensibus: ὅσα δὴ δέδηγμαι τὴν ἐμαυτοῦ καρδίαν. *Quam multa animum meum mordent.* Quæ verba Scholiast. explicat per ἠνίαμαι, & λελύπημαι. Homerus, μῦθος θυμοδακής, *verbum mordens animum.* Synesius epist. δέδηγμαι τὴν καρδίαν, *mordetur mihi cor.* Huc pertinet verba *edendi* traduci ad curas. Catul.

—— *exedit cura medullas.*

Lucretius lib. 3. *exest angor.* Valer Flaccus lib. 2. Arg. *exesam curis.* Homerus etiam dixit, γυοβόρους μελεδῶνας. Vide verò, ut alii hoc dixerint. Ennius *coquit.* Terent. Phorm. *absumit.* Seneca in Hipp. *sollicitat, populatur.* Lucret. lib. 3. *scindunt curæ.* Cicero de clar. orat. *angit.* Obvia sunt: *conficit, perstringit, lacerat, demolitur, enecat, pungit, stimulat.* Cerda.

262. *Arcana.*] Secreta. Unde & *arca* & *arx* dicta; quasi res secreta, à qua omnes arceantur. *Servius.*

Arcana movebo.] Non *Monebo* docti legunt: ut Oedipus ad Tiresiam vatem in Tyr. Sophocl. οὕτως ἀναιδῶς ἐξεκίνησας τόδε ῥῆμα. *Germ.*

Movebo.] Dixi hoc verbo innui magna molimina. Firmat Cicero, qui ad Q. Fr. *magnæ mihi res moveri videbantur.* Livius in Pun. synonomicè conjunxit *movere ac moliri.* Græci, pari vi. nam, στράτευμα κινεῖν. apud Polybium κινητικὸς, est qui seditionibus magna commovet. *Cerda.*

263. *Bellum.*] Proponit curam belli, sed bona ventura promittit, mortem autem Æneæ, quod erat triste, subticet. *Donatus.*

Italia.] In Italia, & detraxit præpositionem more suo. ut alibi, *Non Lybiæ, non ante Tyro despectus Hiarbas.* Id est, in Tyro. nam si adverbialiter vellet, Tyri diceret. *Servius.*

Populosque feroces Contundet.] Incongruum fuerat in consolatione, dolenti bella prædicere: ob hoc ergo etiam victoriam pollicetur. *Idem.*

264. *Moresque viris & mœnia ponet.*] Hysteroproteron in sensu. ante enim civitas, post jura conduntur. Leges autem, etiam mores dici non dubium est. *Idem.*

Moresque viris.] Ὕστερον πρότερον in sensu. Ante enim civitas, deinde *mores*, id est, Leges & Jura conduntur. Respexit autem ad illud de Antenore; *Hic tamen ille urbem Patavi &c.* Taubm.

265. *Tertia dum Latio.*] Rhetorice, ne breve esset, si triennium diceret, tempora divisit in species. Ordo autem lon-

Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iülo
Additur (Ilus arat, dum res stetit Ilia regno)

Tri-

longissimus, nam aliter non procedit, *sublimemque feres ad sidera cæli Magnanimum Ænean.* Et, *Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.* Ergo videtur sic tacite mortem Æneæ significasse. *Servius.*

Dum.] Pro donec, ut, *dum conderet urbem*, id est, donec. quidam ideo bis annos ternos memorasse tradunt, ut tres annos solum Æneam regnaturum significaret; quod cum Latino, alios tres annos regnasse dicitur. *Idem.*

267. *At puer Ascanius.*] Prudenter exitum Æneæ & ostendit, & tacuit, dicendo filium postea regnaturum. Aut quia major cura Veneri de nepote: ut in x. *Liceat superesse nepotem.* Et iterum ibi: *Hunc tegere.* Idem.

At puer.] Ostendit, quod optabile est Æneæ, non externum, sed filium successurum, eo feliciorem, quod non triennio, ut ipse, sed triginta annos sit regnaturus. *Donatus.*

Cui nunc cognomen Iülo.] Licet superius historia sit narrata, tamen etiam secundum Catonis historiam hoc habet fides, Æneam cum patre ad Italiam venisse, & propter invasos agros, contra Latinum Turnumque pugnasse; in quo prælio periit Latinus. Turnum postea ad Mezentium confugisse, ejusque fretum auxilio bella renovasse, quibus Æneas Turnusque pariter rapti sunt. Migrasse postea in Ascanium & Mezentium bella, sed eos singulari certamine dimicasse. Et occiso Mezentio, Ascanium, sicut I. Cæsar scribit, Julum coeptum vocari, vel quasi Juloni, id est, sagittandi peritum, vel à prima barbæ lanugine, quam ἴȣλον Græci dicunt, quæ tempore victoriæ nascebatur. Sciendum est autem hunc primo Ascanium dictum à Phrygiæ flumine Ascanio. ut, *Transque sonantem Ascanium.* Deinde Ilum dictum à rege Ilo; unde & Ilium. Postea Iulum, occiso Mezentio. de quibus nominibus hoc loco dicit. num ideo ait, *At puer Ascanius cui nunc cognomen Iülo Additur, Ilus erat.* Ab hac autem historia ita discedit Virgilius, ut aliquibus locis ostendat, non se per ignorantiam, sed per artem poëticam hoc fecisse. ut illo loco, *Quo magis Italia mecum latere reperta.* ecce ἀμφιβολικῶς dixit; ostendit tamen Anchisem ad Italiam pervenisse.

Sic autem omnia contra hanc historiam ficta sunt, ut illud ubi dicitur Æneam vidisse Carthaginem; cum constet eam LXX. annos ante urbem Romam conditam. Inter excidium vero Trojæ & ortum urbis Romæ, anni inveniuntur CCCLX. *Servius.*

Cognomen Iülo.] Si proprie loqueretur, *agnomen* diceret, non *cognomen*, sed magis ad familiam respexit: quia omnis gens Julia inde originem ducit. Dicimus autem & nomen mihi est Cicero: ut, *Hecyra est huic nomen fabulæ.* &, Ciceronis, ut Salust. *Cui nomen oblivionis condiderant.* & Ciceroni: ut, *cui Romulo cognomen erat.* & Ciceronem: ut, *Æneadasque meo nomen de nomine fingo.* Melius tamen est dativo uti. *Idem.*

Cui nunc cognomen Iülo.] An cognomen, an prænomen hic fusius disputat Cerda. Gentilitii hujus nominis notatio petenda à tenera lanugine, quæ in genis adolescentium efflorescit. Plin. l. 16. c. 29. Avellanæ tribuit *iulos compactili callo, ad nihil utiles*, quos Virgilius appellat Ecl. 2. ℣s. 51. *lanuginem*, in malis quæ conspicitur præcipue cydoneis. De hoc nomine consulendus Onuph. Panvinius. *Emmeness.*

268. *Ilus erat.*] Deest *qui*: debuit autem dicere *qui Ilus erat.* Servius.

Ilus erat.] Nempe & ab *Ilo* Ilios dicta: de quo Hom. Il. κ. βȣλὰς βȣλεύ{ θείȣ παρὰ σήματι ἴλȣ. ἴλλȣ autem duplici λ meminit & Hom. Il. υ. ἶλλος δ᾽ αὖ τέκεθ᾽ υἱὸν ἀμύμονα λαομέδοντα·

quod

Triginta magnos volvendis mensibus orbis
Imperio explebit, regnumque ab sede Lavini
Transferet, & longam multa vi muniet Albam.

Hic

quod ibi vocabulum sæpius iteratur. *Germanus.*

Ilia.] Pro Iliensibus, ut Plautus: *Hector Ilius*, pro Iliensis. Et Amphytruo; *Natus Argis ex Argo patre*, id est, Argivo. *Servius.*

Ilia.] Sic Horat. Epod. *Matres Iliæ*; & in Carm. seculari, *Iliæ turmæ*. Emmeneſſ.

269. *Triginta.*] Quod XXX tantum annos regnavit. Vel quod Cato ait, *XXX annis expletis eum Albam condidiſſe.* *Servius.*

Magnos orbis.] Tria ſunt genera annorum: aut enim lunaris annus eſt XXX dierum, aut ſolſtitialis, XII menſium: aut ſecundum Tullium magnus, qui tenet XII millia nongentos quinquaginta quatuor annos, ut in Hortenſio, *Et horum annorum, quos in Faſtis habemus, magnus XII millia nongentos LIV annos complectitur.* Hoc ergo loco *Magnum* dicit comparatione lunaris anni, qui eſt XXX dierum. ut alibi, *Interea magnum Sol circumvolvitur annum.* *Annus* autem dictus, quaſi anus, unde *anulus*, quod in ſe redeat; ut eſt, *Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.* Vel ἀπὸ ἀνανεῶσθαι, id eſt ab innovatione. *Idem.*

Volvendis.] Volubilibus, vel quia volvuntur, ut ſupra. *Idem.*

Magnos volvendis menſibus orbis.] In codice Longobardico non *orbis*, ſed *annos* ſcriptum inveni, quam puto fuiſſe paraphraſin. Niſi quis magnum annum Solarem velit appellare, Lunaris anni ratione habita: eaque de cauſſa interjectum eſſe, *volvendis menſibus*, ut diſtinctio appareret. *orbis* tamen docti omnes, ut caſtiorem lectionem admittunt. *Pierius.*

Magnos volvendis menſibus orbis.] Ad hunc locum videndus Macrob. l. 2. in Somn. Scip. c. 11. & Saturn. l. 1. c. 14. ubi de anno Solari & Lunari; & annum à circuitu temporis putat dictum, quia veteres, *an*, pro, *circum*, ponere conſueverunt. Græca magis arridet etymologia. Ab ἔννος Feſtus derivat. ſed alia ἐνιαυτὸς ἀπὸ τοῦ ἐν ἑαυτῷ ἰέναι. inde Homerus Iliad. β. ꝟſ. 295. περιτροπέων ἐνιαυτὸς, quod idem noſter expedit l. 2. Georg. ꝟſ. 402.

Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.

Illic, quæ dicta, conſulito. *Emmeneſſ.*

270. *Ab ſede Lavini transferet.*] Verum eſt: vitans enim novercalem invidiam, quod timore Aſcanii Lavinia poſt Æneæ mortem ad Tyrum paternum paſtorem, gravida confugit ad ſilvas: Nam ibi etiam Silvium peperiſſe dicitur, deſeruit Lavinium & Albam condidit: ab omine porcæ albæ, vel prolixitate collis, ad quam cum de Lavinio Dii penates tranſlati, nocte proxima Lavinium rediſſent, atque eos denuo Albam Aſcanius tranſtuliſſet, & illi iterum rediſſent, Lavinium eos manere paſſus eſt, datis qui ſacris præeſſent, agroque eis adſignato, quo ſe alerent. *Servius.*

Regnumque ab ſede Lavini.] *Ab ſede* in Rom. Cod. ſcriptum teſtatur Pierius. Quæ lectio eruditis auribus non ingrata eſt. Hanc Stephanus ſecutus eſt. alii *à ſede*, inter quos Scaliger, qui l. 4. c. 47. plus ſonare *a* quam *ab* aſſerit. *Emmeneſſ.*

271. *Vi.*] Modo virtute τὴν δύναμιν, alibi τὴν βίαν, ut eſt, *Auro vi potitur*, alias pro magna copia. Cicero in Deorum natura, *Infinitamque vim marmoris.* Salluſt. *Magna vis hominum convenerat agris pulſa, aut civitate ejecta:* & eſt ſermo diverſa ſignificans, prout ſe locus obtulerit. *Servius.*

Et longam multa vi muniet Albam.] Variat numerus in his codicibus antiquis, quatuor ultimis pedibus ſolutis, in hunc modum, *& longam vi multa muniet*

Hic jam tercentum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea; donec regina sacerdos

Marte

niet Albam. Sed enim tetrametri tome venustior est. *Pierius.*

Longam multa vi muniet Albam.]Græcis λδυκὴ μακρά. Conditor narratur fuisse Ascanius Æneæ & Creusæ filius, cui, hanc urbem excitanti, mira obstiterunt prodigia, penatibus aliquoties Lavinium remigrantibus. Hæc accurate Dionys. Halicarn. l. 1. c. 41. *Emmeness.*

272. *Hic jam.*] Si autem *hic jam*, in hoc scilicet loco, præterea. *Servius.*

Tercentum.] Quomodo CCC annos dicit, cum eam quadringentis constet sub Albanis regibus regnasse? sed cum præscriptione hoc dicit, tercentum enim usque ad ortum urbis Romæ accipiamus: Ait enim, *Donec regina sacerdos Marte gravis.* Et constat in regno Romuli & Numæ, & Tulli Ostilii, qui evertit Albam, centum annos, quibus pariter Roma & Alba regnaverunt, esse consumptos. *Idem.*

Hic jam tercentum.] Post triennium Æneæ, XXX Ascanio, & CCC Hectoreæ genti dantur. *Donatus.*

Hic jam tercentum.] Huic subscribit Justinus l. 43. c. 1. *Alba trecentenis annis caput regni fuit.* Stetit ultra quadringentos, ut ex Strabone l. 5. & Arnob. l. 2. *Emmeness.*

Totos.] Id est, sine fine, sine intermissione. *Servius.*

Regnabitur.] Impersonalibus usus est, quia de multis dicit: Ut, *usque adeo turbatur agris.* Idem.

273. *Gente sub Hectorea.*]Id est, Trojana. Sed quidam reprehendunt, quod *Hectorea* & non Æneia; mos est poëtis nomina ex vicinis usurpare, quia conjunctus genere Hectori Ascanius, ut est, & *Et pater Æneas & avunculus excitat Hector.* Alii tradunt cum Hectoris progenies nulla in Italia fuerit, ideo *Sub Hectorea* positum, ut significaret sub forti; ut in Quinto; *Hectorei socii.* Sed & aliis rebus alia dant nomina, ut pios Æneadas appellari, ut timidos Phrygas, ut nobiles Dardanidas, ut perjuros Laomedontiadas. Cæterum ubi veram originem significat domus Assaraci ponit: Ex quo Capys, ex Capy Anchises, ex Anchise Æneas. *Idem.*

Donec regina sacerdos.] Historia hoc habet: Amulius & Numitor fratres fuerunt, filii Procæ. Amulius autem fratrem pepulit regno, & filium ejus necavit: filiam quoque ejus Iliam, Vestæ sacerdotem fecit, ut spem sobolis auferret, à qua se puniri posse cognoverat. Hæc cum peteret aquas ad sacra, repentino occursu lupi turbata, refugit in speluncam; in qua à Marte compressa est, unde nati sunt Remus & Romulus. Sed Amulius timens ne de stirpe fratris Numitoris aliquid procreatum adolevisset avum forsitan vindicaret, pueros cum matre præcipitari jussit in Tyberim: hanc, ut quidam dicunt, Iliam sibi Anien fecit uxorem: ut alii, inter quos Horatius, Tyberis, unde ait, *Uxorius amnis.* Pueri vero expositi ad vicinam ripam delati sunt, ad quos vagientes lupa de vicinis montibus venit & ubera præstitit; sed cum eos Faustus pastor ejus loci animadvertisset nutriri à fera: & picum parramque circumvolitare; suspicatus divinæ originis sobolem, ad Accam Laurentiam uxorem, quæ ante meretrix fuerat, pueros detulit, quæ susceptos aluit. Hi postea avum suum Numitorem, occiso Amulio, revocarunt in regna: quibus dum cum alio angustum Albæ videretur imperium, recesserunt: &, captatis auguriis, urbem condiderunt. Sed Remus prior sex vultures vidit; Romus postea XII. quæ res bellum creavit, in quo extinctus est *Remus*, & à Romi nomine Romani appellati. Ut autem pro Romo, Romulus diceretur, blandimenti genere factum est, quod gaudet diminutione. Sed quod à lupa alti dicuntur; fabulæ hoc ad celandam auctorum Romani generis turpitudi-

Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia,

pitudinem fingunt. nec incongrue: nam meretrices lupas vocamus: unde & lupanaria. Et constat hoc animal in tutela esse Martis. Sed de origine & conditore urbis, diversa à diversis traduntur. Clinias refert Telemachi filiam Romen nomine, Æneæ nuptam fuisse, ex cujus vocabulo Romam appellatam *** dicit Latinum ex Ulixe & Circe editum de nomine sororis suæ mortuæ Romen civitatem appellasse. Adejus adserit Romam ante adventum Evandri diu Valentiam vocitatam. Sed post Græco nomine Romen vocitatam. Alii à filia Evandri ita dictam; alii à fatidica, quæ prædixisset Evandro, his eum locis oportere consīdere. Heraclides ait Romen nobilem captivam Trojanam huc appulisse, & tædio maris suasisse sedem, ex cujus nomine urbem vocatam. Eratosthenes, Ascanii Æneæ filii Romulum parentem urbis refert. Nævius & Ennius, Æneæ ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt. Sibylla ita dicit, *Ρωμαῖοι Ρώμȣ παῖδες. Serv.*

Regina.] Regis filia abusive dicit more poëtico. ut alibi, *Magnum reginæ sed enim miseratus amorem*, id est, regis filiæ Pasiphaes. *Idem.*

Regina.] Quæ quamvis geminos pariat: ad unum Romulum imperium perventurum ostendit, & parricidium occultat, & Romanos à Romo appellatum iri: qui tanta sint felicitate regnaturi, ut nullis alterorum regum terminis claudantur. *Donatus.*

Sacerdos.] Quia ab Amulio Vestæ virgo esse jussa est, ne ei propter edendam sobolem facultas esset viro jungi. *Servius.*

274. *Marte gravis.*] Gravida. ut, *Non insueta graveis tentabunt pabula fœtas.* Idem.

Ilia.] Hoc verum nomen esse, docuit jam pridem Nobiliss. Heinsius in notis ad Ovid. Fast. l. 2. ✻ſ. 383. Quæ apud Just. l. 43. c. 2. *Rhæa.* Ab aliis *Silvia.* Male ab Æliano l. 7. c. 16. *Σερβία* appellatur. *Emmeness.*

275. *Inde.*] Post, vel deinde, vel tunc, adverbium loci pro temporis. *Servius.*

Lupæ nutricis.] Feram fuisse, credat Judæus Apella. Recte Ovid. l. 2. Fastor. ✻ſ. 412.

Venit ad expositos (mirum!) lupa fœta Gemellos.
Quis credat pueris non nocuisse feram?

Prostibulum fuit, Faustuli, regii pastoris uxor, Laurentia dicta, & impudicitiæ ergo male inter pastores audiens *lupa* appellata est. Inde *lupanar* pro stabulo meretricio. Pro hac stant sententia veterum optimi. Pro utraque quinam faciant, notavit Freinshemius ad Flor. lib. 1. c. 1. *Emmeness.*

Fulvo tegmine.] Id est, pelle lupæ; qua utebatur more pastorum. sed hoc multi reprehendunt, cur nutricis tegmine usus sit, qui gemina ratione refutantur: vel falsitate fabulæ, vel exemplo Jovis, qui capræ nutricis utitur pelle. unde Græce *αἰγιαλὸς* appellatur. Sane *tegmine* multi antique dictum asserunt, quia *tegumentum* dici debere affirmant. *Servius.*

Lætus.] Virtute alacer. vel quia avo regnum reddiderat; vel quia ipse novam urbem & novum condebat imperium. *Idem.*

276. *Romulus.*] Bene Romulum solum ait, dissimulans de parricidio. *Idem.*

Excipiet gentem.] Remo scilicet interempto, post cujus mortem natam constat pestilentiam. unde consulta oracula dixerunt, placandos esse manes fratris extincti; ob quam rem sella curulis cum sceptro & corona, & ceteris

Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. quin aspera Juno,

Quæ

teris regni insignibus semper juxta sancientem aliquid Romulum ponebatur, ut pariter imperare videretur. unde est, *Remo cum fratre Quirinus Iura dabunt.* Serv.

Romulus excipiet gentem.] *Excipiet*, ut quasi rursus excitet gentem Hectoream, tunc pæne cadentem & deficientem, Numitore jam sene & orbo: quippe cujus filium Lausum Amulius interfecerat. *Corrad.*

277. *Romanosque suo de nomine.*] Perite: non ait *Romam*, sed *Romanos*. Urbis enim illius verum nomen, nemo vel in sacris enuntiat. Denique tribunus plebis quidam Valerius Soranus, ut ait Varro & multi alii, quia hoc nomen ausus enuntiare, ut quidam dicunt, raptus à Senatu, & in crucem levatus est: ut alii, metu supplicii fugit, & in Sicilia comprehensus à Prætore, præcepto Senatus occisus est. Hoc autem urbis nomen, ne Hyginus quoque, quum de situ urbis loqueretur, expressit. *Servius.*

Mavortia c. Mœnia Romanosque &c.] Perite, inquit Servius: Non ait *Romam*, sed *Romanos*. Urbis enim illius verum Nomen nemo vel in Sacris enunciare audebat. Hinc Trib. Pleb. Val. Soranus, quia hoc nomen ausus enunciare, cruci affixus est. Immo nec Hyginus quidem, cum de situ Urbis loqueretur, expressit. Hinc & *Angeronæ* (sive ut Scalig. scribit, *Angenoræ*) simulacrum Romæ cultum volunt, quod ore obligato, de Nomine Urbis silentium imperaret. Vide Plutarchum, Plin. lib. 28. cap. 2. & lib. 3. cap. 5. Brisson. in Formulis Soll. lib. 1. etiam J. C. Scaligerum Poetices lib. 5. cap. 3. Nominis autem Romæ duplicem interpretationem aptam reddit D. Hieronymus, lib. 2. Adverſ. Jovin. *urbs* (inquit) *potens, urbs domina, urbs Apostoli voce laudata; interpretare vocabulum tuum. Roma aut Fortitudinis nomen apud Græcos est, aut Sublimitatis apud Ebræos.* Quibus, inquit Lipsius, addo ego tertiam, quam dederit lingua nostra: quia *Roem*, gloriæ & famæ nomen est Germanis. Quin, quod apud Orientales Indos *Rumes* appellantur milites boni & fortes, &c. lib. 1. cap. 2. Admirandorum. *Taubm.*

278. *Nec metas rerum, nec tempora pono.*] *Metas*, ad terras retulit: *Tempora*, ad annos. Lavinio enim triennium, Albæ trecentos statuit, Romanis tribuit æternitatem, quia subjunxit *Imperium sine fine dedi.* Servius.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.] Sic Sil. Italicus l. 7. ubi de Ænea, jactato undis, agit:

Hic regna & nulla regnis per secula metæ.

De auspicatissimo hoc Æneæ posterorumque imperio est, quod vaticinatur noster l. 3. Æn. ℣ſ. 97.

Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Quem locum deberi Homero, notum ex Macrob. l. 5. c. 3. Qui Græcis jugum imposuerit, Mummius plerisque videtur fuisse, de quo Flor. l. 2. c. 16. Turnebus tamen Paulum Æmilium intelligendum putat, l. 10. c. 11. quia Thessaliam, Achillis patriam in Romanorum potestatem redegit. *Emmeneſſ.*

279. *Quin.*] Quinetiam. Minus enim est *Etiam*. Nam plenum est, *quinetiam.* ut, *Quinetiam hiberno moliris sidere classem.* Servius.

Aspera Juno.] Vel quam tu *asperam* dicis, vel certe ut & ego fateor & tolerabilius hoc Jupiter dicit. *Idem.*

Aspera Juno.] Aperte ponit, quod Venus, *unius ob iram*, dixit. Ergo tantam

Quæ mare nunc terrasque metu cælumque fatigat,
Consilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
Sic

tam felicitatem pollicetur, ut acerrima inimica, posito odio, amica futura sit. *Donatus.*

Quin aspera Juno.] Respondet illi, quod Venus oblique posuerat; *Unius ob iram Prodimur.* Junonemque Trojanis benignam fore pollicetur: quod & factum bello Punico Secundo. Allusum vero ad Proverb. *Cælum terra miscere:* vel *Mare cælo:* de his, qui omnia tentant, ac perturbant, ut quod cupiunt, perficiant. Ita 7. Æn. eadem Juno:

Absumptæ in Teucros vires cælique marisque.

Metu autem, quia futurum Juno præsciebat, ut dilecta sibi Carthago à posteritate Trojana deleretur. De quo supra, *Id metuens &c.* Taubm.

280. *Quæ mare nunc terr. q.m.c.q.f.*] Metum scilicet, quem de Carthagine habet; ut supra, *Id metuens*; vel metu quo Trojanos ferret *& Venerem.* Nam dicit, *Parce metu Cytherea.* Servius.

Mare terras c. q.f.] Alibi ostendit dicendo dicendo, *Absumptæ in Teucros vires cœlique marisque.* Servius.

Quæ mare nunc terrasque metu.] Vetera quædam exemplaria legunt, *Quæ mare, quæ terrasque metu.* Multi vulgatam lectionem magis approbant. *Pier.*

Quæ mare nunc terrasque, &c.] Imitatio Aristophanis in Equitib.

Ὅ μου ταράττων τε τὴν γῆν, καὶ τὴν
θάλατταν εἰκῆ.

Terram simul & mare frustra conturbans.

Connumerat tria Poëta, mare, terras, cœlum: infernos nondum, has enim furias hactenus intentatas reservat Poëta ad 7. *Cerda.*

Fatigat.] Pro exercet, sollicitat, commovet. *Servius.*

Fatigat.] Id est, commovet, perturbat, ut Non. Marc. c. 14. Sic Stat. l. 5. Silv.

Dum nocte dieque fatigas
Numina. ——

Phædr. l. 4. fab. 19. *cœlum fatigas perjurio sordido.* Flor. l. 1. c. 7. *fatigare sævitiam.* Justinus l. 6. c. 2. *fatigato rege per epistolas.* Non. Marc. *Emmeness.*

281. *Consilia in melius r.*] Εἰς τὸ κρεῖττον. Et est Latinior elocutio. Salluft. * *Ad mutandum modo in melius servitium:* quia bello Punico secundo, ut ait Ennius, placata Juno cœperit favere Romanis. *Servius.*

Consilia in melius referet.] Facto comprobatum est. Testis est Sil. Ital. l. 12. cum Annibal extrema minaretur Romæ.

—— *Quum Jupiter ægram*
Junonem alloquitur curis, mulcetque monendo, &c.

Paulo post:

—— *& prensa juvenis Saturnia dextra*
Quo ruis ô vecors? &c.

Emmeness.

Mecumque fovebit.] Id est, eadem quæ ego sentiens, eadem quæ ego volens; vel ut quidam volunt, metum in Capitolio constituta. *Servius.*

282. *Romanos rerum dominos.*] Generosus numerus ex alternis trissyllabis; ad generositatem gentis Romanæ exprimendam, de industria conquisitus. Et usus fuit aliquando hoc versu indignabundus Augustus Cæsar in Conc. ad Populum Romanum. Et, *Dominus* nobile nomen est, ut apud Græcos κύριος. Martial. l. 3. 1.

—— *domina qui natus in urbe est.*

lib. 14. 1.

Synthesibus dum gaudet eques dominusque Senatus.

lib. 1. 4.

—— *nescis dominæ fastidia Romæ.*

Bene autem dixit, *Gentem togatam:* quia & sexus omnis & conditio (verbis Servii) toga utebatur: & fœminas quidem togatas fuisse, docet etiam Asconius. Sed servi nec *colobia*, id est, tunicas manicis defectas, nec calceos habebant.

Sic placitum. veniet lustris labentibus ætas,
Cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Ser-

bebant. Usque adeò vero *Toga* fuit Romanis propria (ceu *Pallium* Græcis) ut qui Jure civitatis donarentur *Togati* esse inciperent. Per *Togam* siquidem Romanus civis indicabatur. Ita contra *deportatis*, & quibus Aqua & Igni interdictum erat, *Togam* fuisse ademptam, ex Plinio colligitur, Epist. l. 4. &c. De *Toga Rom.* ex professo tractavit Car. Sigonius l. 3. De Judiciis, cap. 18. Porro de vestitu Romano, Togæ præsertim, quam albam fuisse, æque ac tunicam & calceos, docet copiose Lipsius Elect. l. 1.13. *Taubm.*

Gentemque togatam.] Bene *gentem*, quia & sexus omnis & conditio toga utebatur: sed servi nec colobia, nec calceos habebant. Togas etiam fœminas habuisse, cycladum & recini usus ostendit. *Recinus* autem dicitur, quod post tergum rejicitur, quod vulgo *Mavorte* dicunt. *Servius.*

Gentemque togatam.] Laberius etiam *gentem togatam*, & *stirpem togatam* vocat Romanos, citante Macrobio. & Propertius lib. 4. eleg. dixit, *turba togata*, de Romana. Scripsere multi notas varias de Romana toga. De colore ejus docte Lipsius, lib. 1. Elect. cap. 13. In Sigonio & Baysio non pauca sunt, multa in Tertulliano lib. de Pall. *Cerda.*

283. *Sic placitum.*] Vel fatis, vel mihi. nam impersonale est. *Servius.*

Sic placitum.] Vetustissimi quidam codices, *placitum est*, habent: quæ pars mihi videtur à Paraphraste adjecta: Nam absque substantivo verbo hic oratio omnino gravior & augustior quodammodo videtur. *Pierius.*

Lustris.] Quinquenniis. Et bene Olympiadibus computat tempora; quod magis ad Jovem pertinet; quia nondum erant vel Roma, vel consules. *Lustrum* autem dictum, quod post quinquennium unaquæque civitas lustrabatur. Unde Romæ *ambilustrum*, quod non licebat, nisi ambos Censores post quinquennium lustrare civitatem. *Serv.*

Lustris.] Non quinque annos integros complectitur lustrum, sed quadriennium notat exactum & quintum annum auspicatum. Idem continet spatium quod Græcorum Olympias Solin. c. 2. perspicuum hoc ex Plinio l. 2. c. 47. *Omnium quidem* (*si libeat observare minimos ambitus*) *redire easdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat, non ventorum modò, verùm & reliquarum tempestatum magna ex parte. Et est principium lustri ejus semper intercalari anno Caniculæ ortu.* illustrat hanc sententiam Censorinus de die Nat. cap. 18. vide etiam Scalig. de emendat. temp. lib. 5. nec obstat quod Festus *quinquennale tempus* appellet. Annus inceptus pro completo non raro sumitur. Poëtis tamen quinquennium aliquando significare nemo ibit inficias. Quod ex Ovid.

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta, &c.

Sic obsessam fuisse per *duo lustra*, id est, decennium Trojam. & similia sexcenta. *Emmeness.*

Ætas.] Juxta veteres *ætas*, hic pro tempore posita est; alibi pro modo annorum; ut, *Est, ubi jam firmata virum te fecerit ætas*; & *Ætas Lucinam justosque pati hymenæos.* Servius.

284. *Domus Assaraci.*] Trojani, id est, familia Trojana. id est, à parte totum. Nam Assaracus Capyn genuit, Capys Anchisem: unde Æneas auctor Romani generis: ex quibus Mummius qui Achajam vicit. *Idem.*

Cum domus Assaraci.] Extremus cumulus lætitiæ, ut qui ad tempus victores erant, iis, quos vicerant, servituri essent: quod plus est, quam Antenorem inter victores populos consedisse: & per medios Achivos prolapsum esse. Verum quia hæc in honorem Cæsaris scribebat, aperuit, quod in posterioribus fuisset scripturus, nisi mors prævenisset.

Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pluchra Trojanus origine Cæsar,
(Imperium Oceano, famam qui terminet astris;)
Julius,

nisset. Nam post mortem Turni sequebantur triginta ac tercentum annorum gesta, ac deinceps usque ad Cæsaris tempora facta. Et Cæsarem ita amplificaturum Romanum imperium, ut nihil relinqueret, quod non se ab illo subactum fateretur. *Donatus.*

Phthiam.] Achillis patriam. ut, *ipse Mycenæus magnorum ductor Achivum.* Servius.

Mycenas.] Agamemnonis patriam, ut, *Agamemnoniasque Mycenas.* Idem.

Phthiam clarasque Mycenas.] Signate dicit *Phthiam clarasque Mycenas:* propter duos Græcorum Principes, Trojanisque præter cæteros infestos, Achillem & Agamemnonem: quorum ille *Phthius*, hic *Mycenæus* fuit. Sed per has duas Urbes tota Græcia intelligitur subigenda. Id autem Servius de Mummio victore Achajæ interpretatur: Turnebus de Paulo Æmilio; lib. 10. cap. 11. Nascimbænius verò de Tib. Nerone, & Druso August. Cæsaris privigno, qui totam Græciam (ut Florus l. 136. testatur) domuerint. ut ita magis blanditus Augusto videatur Poëta. *Taubm.*

285. *Ac victis dominabitur Argis.*] In antiquis aliquot exemplaribus *cunctis*, pro *victis* est: quod mihi ridiculum videtur. *Pierius.*

Ac.] Notat J. C. Scalig. lib. 4. c. 16. Poët. Conjunctionem *ac* magniloquentiæ accommodari. *Taubm.*

286. *Nascetur.*] Ad illud respondet, *Certe hinc Romanos.* Et omnis poëtæ intentio, ut in qualitate carminis diximus, ad laudem tendit Augusti: sicut & in Sexti catalogo, & in clypei descriptione. Hæc autem Jovis allocutio, partim objecta purgat; partim aliqua pollicetur. *Servius.*

Pulchra.] Allusit propter Venerem. *Idem.*

Pulchra.] Optima & honesta, ut non corporis sit, sed originis. *Donatus.*

Pulchra.] Retuli ad Venerem, nec muto. Victorinus explicat *pulchra, id est, forti.* nam in distorta membra virtus non cadit. Ita Suetonius de Augusto: *forma eximia, & per omnes gradus venustissima, vultu tranquillo, oculis claris, & nitidis.* & Florus de Pseudo-Philippo, *regiam formam, & regium nomen animo regio implevit.* Sed locum hunc communem ego alibi. *Cerda.*

Trojanus.] Ac si diceret, etiam Cæsar Trojanus est. *Servius.*

Cæsar.] Hic est, qui dicitur Gajus Julius Cæsar: & Gajus prænomen est, Julius ab Iulo: *Cæsar*, vel quod, cæso matris ventre, natus est, vel quod avus ejus in Africa manu propria occidit elephantem, qui *Cæsar* dicitur Pœnorum lingua. Hic sane Gajus Julius Cæsar, quatuor & sexaginta victis Galliarum civitatibus, cùm à Senatu petisset Consulatum & triumphum, nec impetrasset, adversante Gn. Pompejo Magno, ejusque amicis, qui Cæsaris processibus invidebant, bellum civile gessit in Farsalia. quo Pompejus victus Alexandriæ occiditur. Cæsar, Romam compositis rebus, & Alexandria debellata, reversus, in Curia Pompejana à Cassio & Bruto, aliisque Pompejanis occisus est. Cujus heres Augustus, cum intrasset urbem, coëgit à Senatu interfectores Cæsaris, parricidas & hostes judicari, eumque in Deorum numerum referri, & *Divum* appellari. *Idem.*

287. *Imperium Oceano, famam qui terminet astris.*] Aut ad laudem dictum est, aut certe est secundum historiam. Re vera enim & Britannos qui in Oceano sunt, vicit: & post mortem ejus, cum ludi funebres ab Augusto, ejus adoptivo filio, darentur, ejus stella medio die visa est. unde est, *Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.* Idem.

Imperium Oceano.] Cum hoc loco com-

Julius, à magno demissum nomen Iülo.
Hunc tu olim cælo, spoliis Orientis onustum,

Acci-

componit Gifanius illum Livii lib. 36. *Quid deinde aberit, quin à Gadibus ad mare rubrum Oceano fines terminemus, qui Orbem terrarum amplexu finit?* Taubm.

Famam qui terminet astris.] Il. η. τοῦδ' ἤτοι κλέος ἔσται ὅσον τ' ἐπικίδναται ἠώς. *Germ.*

288. *A magno.*] Sicut Alexander, sicut Pompejus. Græci enim omne magnificum *Magnum*, ut, *Mater magna*, & *Dii magni.* Servius.

Julius.] Cæsar trahens nomen demissum, in tantum autem domiturum omnes gentes, ut existentibus triumphis ejus, pax dehinc & fides perpetua permaneat. *Donatus.*

Julius.] Turnebus hoc refert ad Augustum, non ad Julium Cæsarem. Firmari posset hæc pars his, quæ ego adduco lib. 2. Georg. de Augusto, qui dictus est Julius. Sed hîc tamen volo accipi Julium Cæsarem, nullatenus Augustum. Cæterum sententiam Poëtæ derivantis ab Iulo Julium illustrat locus Dionysii lib. 1. Antiq. iste: *Iulo pro regno sacra quædam potestas, & honor attributus est, qui regia dignitate præstantior est. Hoc honore vel ad meum usque tempus ipsius progenies fruebatur, quæ ab illius nomine* gens Iulia *vocatur. Hæc familia omnium, quas scimus, maxima & illustrißima fuit. Tulit enim duces longè præstantißimos, qui virtutibus nobilitatem suam omnibus probarunt.* Et Velleius libro altero, ita ait: *Hic* (præcessit Cæsar) *nobilißima Iuliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquißimos constabat, ab Anchise ac Venere deducens genus.* Appianus quoque lib. 2. ἐμφυλ. loquens de Julio Cæsare: θυόμενός τε νυκτὸς μέσης, τῷ Ἄρη κατεκάλει, καὶ τὴν ἑαυτοῦ προγόνον Ἀφροδίτην. ἐκ γὰρ Αἰνείου καὶ Ἰούλου τοῦ Αἰνείου τὸ τῶν Ἰουλίων γένος, παρενεχθέντος τοῦ ὀνόματος ἡγεῖτο εἶναι. *nocte media sacrificans Martem & Venerem invocavit. Ex Ænea quippe & Iulo ejus filio Iuliorum genus, ut ex nomine intueri licet, videtur emanasse.* & ad finem ejusdem libri loquens de Iulio, Ὁ δ' ἀπὸ Ἀγχίσου τε καὶ Ἀφροδίτης. *Cerda.*

Iülo.] An hic sit Iulus ille, qui susceptus est Æneæ ex Creusa, Troja incolumi, an ex Lavinia in Italia, multi dubitant. Titius lib. 6. locorum in posteriorem inclinat sententiam, adductis Livii, & Clementis locis. Sed certè Poëta semper illum canit, qui ex Creusa, neque agnoscit alium. *Idem.*

Julius à magno d. nomen Iülo.] De Augusto, quam de Julio Cæsare Dictatore accipere mavult Turnebus: præsertim cum sequatur: *Hunc tu olim, &c.* Quòd si historiæ fidem habemus, Julio non potest convenire, Augusto potest. lib. 10. cap. 11. Interpretes tamen plerique omnes contra sentiunt. Notetur autem, quod cum plures victorias Cæsar adeptus sit, Juppiter illius tantum meminit, quam in Oriente victo Pharnace, Mithridatis filio, gloriosissime reportavit. *Taubm.*

289. *Olim.*] Modo futuri est temporis. *Cælo.*] In cœlum. *Servius.*

Olim.] Posthac, ut in Horatii l. 2. sat. 5. *Magna minorve foro si res certabitur olim.* Emmeness.

Spoliis orientis.] Victo Pharnace, Mithridatis filio, qui re vera fuit in oriente. Cæterum Ægyptus, in qua Ptolemæum vicit, in australi est plaga. *Serv.*

Onustum.] Inter *honustum* & *oneratum* hoc interest; quod *Oneratus* est qualicunque pressus pondere: *Honustus* vero cui onus ipsum honori est, ut si quis spolia hostium ferat. Sed *oneratus* aspirationem non habet, quia ab onero venit: *honustus* vero quia ab honore venit, retinet aspirationem. alii *honestum* legunt. Veteres enim *honestum* pro specioso ponebant; ut, *Dardanius caput ecce puer detectus honestum.* Idem.

290. *Acci-*

Accipies ſecura. vocabitur hic quoque votis.
Aſpera tum poſitis miteſcent ſæcula bellis.
Cana Fides, & Veſta, Remo cum fratre Quirinus
Jura

290. *Accipies ſecura.*] Quare *ſecura*, aut quia nunc ſollicita; Aut quia Cæſar poſt mortem meruit aram, faſtigium, Flaminem, ut Cicero in Philippicis. *Idem.*

Accipies ſecura.] Quia poſt mortem Cæſar meruit *aram* ſive *pulvinar*, *ſimulacrum*, *faſtigium*, *flaminem*: ut ait Cicero, Philipp. 2. ſub finem. vide & Sueton. & Plutarch. *Taubm.*

Hic quoque.] Poteſt intelligi ſicut ego, ſicut tu, ſicut Romulus: ſed melius ſicut Æneas, de quo ſuperius ait, *Sublimemque feres ad ſidera cœli Magnanimum Æneam.* Servius.

Quoque.] Semper ad ſimilitudinem ponitur: ut, *Tu quoque litoribus noſtris.* Idem.

Votis.] Vel ad vota, vel, *votis vocabitur.* Idem.

Vocabitur hic quoque votis.] Suetonius in Julio cap. 25. *Plebs Romana ſolidam columnam prope viginti pedum lapidis Numidici in foro ſtatuit, ſcripſitque*, PARENTI PATRIÆ. *Apud eam longo tempore ſacrificare, vota ſuſcipere, controverſias quaſdam, interpoſito per Cæſarem jurejurando, diſtrahere perſeveravit.* Cicero quoque in Philipp. & Plutarchus, divinitatis Cæſaris meminêre. Verba ipſa continent formam Latii. Nam *votis vocare* pro formula divinitatis habitum in eo populo. Ita in Georg.

& votis jam nunc aſſueſce vocari.

Huc alluſum à Propertio, etiamſi in re alia, lib. 1. el. 10.

ô quoties votis illa vocanda meis.

& ab Horatio lib. 4. od. 5.

Votis omnibus, & precibus vocat.

Cerda.

291. *Aſpera tum.*] Id eſt, Cæſare conſecrato, quum Auguſtus regnare cœperit, clauſo Jani templo, pax erit per orbem, qui quoniam * claudebatur. Conſtat autem templum hoc ter eſſe clauſum. Primum regnante Numa: item, poſt bellum Punicum ſecundum: tertio poſt bella Actiaca, quæ confecit Auguſtus; quo tempore pax quidem fuit, quantum ad exteras pertinet gentes: ſed bella flagravere civilia, quod & ipſe per tranſitum tangit; dicens, *Furor impius intus.* Hujus autem aperiendi vel claudendi templi ratio varia eſt: alii dicunt, Romulo contra Sabinos pugnante, quum in eo eſſet, ut vinceretur, calidam aquam ex eodem loco erupiſſe, quæ fugavit exercitum Sabinorum. Hinc ergo tractum morem, ut pugnaturi aperirent templum, quod in eo loco fuerat conſtitutum, ad ſpem priſtini auxilii. Alii dicunt Tatium & Romulum, facto fœdere, hoc templum ædificaſſe; unde & Janus ipſe duas facies habet, quaſi ut oſtendat duorum regum coitionem: vel quod ad bellum ituri debent de pace cogitare. Eſt alia melior ratio, quod ad prælium ituri, optent reverſionem. *Servius.*

292. *Cana fides & Veſta.*] Subaudi, erit. *Canam* autem *fidem* dixit, vel quod in canis hominibus invenitur: vel quod ei, albo panno involuta manu, ſacrificabatur, per quod oſtenditur fidem debere eſſe ſecretam. unde Horatius, *Et albo rara fides colitur velataque panno.* Veſtam vero Religionem: quia nullum ſacrificium ſine igne eſt, ut & ipſa, & Janus in omnibus ſacrificiis invocantur. *Idem.*

Cana fides.] Quod alba lana involutis manibus coleretur. Sunt & qui hoc Fidei epitheton referant ad vetuſtatem templi à Numa Romæ primo conditi & conſecrati Fidei: qui item collegium Veſtalium inſtituit; ut non abs re poëta Fidem cum Veſta conjunxerit. Vide Plutarch. in Numa. *Germanus.*

Veſta.] Dicta vel ἀπὸ τῆς ἑστίας: ut digammos ſit adjecta. ſicut *er*, *ver*: *enetus*, *Venetus*. vel quod variis veſtita ſit rebus. Ipſa enim eſſe dicitur terra, quam

 ignem

Jura dabunt: diræ ferro & compagibus artis
Claudentur belli portæ. Furor impius intus

Sæva

ignem habere non dubium est: ut ex Ætna, Vulcanoque & aliis locis ardentibus, datur intelligi. *Servius.*

Remo cum fratre Quirinus jura dabunt.] Hic dissimulat de parricidio, quod & jungit eos, & quia non Romulum, sed Quirinum appellat, ut non potuerit parricidium facere, qui meruit Deus fieri. an sicut multi intelligere volunt, ut superius dictum est, quia post pestilentiam ad placandos fratris manes, geminis omnibus usus est Romulus. unde ait, *Jura dabunt*, Et *Viden' ut geminæ stent vertice cristæ?* Sed hoc esse non potest, quia aut iteratio est antedictorum, aut ordo præposterus, si post dictum Cæsarem, Romulum repetit. Constat præterea Jani templum sit non fuit, * si tamen fuerit, patuisse sub Romulo: quia bellis nunquam vacavit. Alii volunt per hoc Romanos intelligi. Verumtamen hoc habet ratio; Quirinum Augustum esse, Remum vero pro Agrippa positum, qui filiam Augusti, duxit uxorem; & cum eo pariter bellum tractavit. unde est, *Parte alia diis & ventis Agrippa secundis.* Nam adulans populus Romanus Octaviano, tria ei obtulit nomina: utrum vellet Quirinus, an Cæsar, an Augustus vocari. Ille ne unum eligendo partem læderet, quæ aliud offerre cupiebat, diverso tempore, omnibus usus est. Et primo Quirinus dictus est, inde Cæsar, postea quod & obtinuit Augustus, sicut Suetonius probat, & in Georgicis ostendit Virgilius. Nam cum de Gangaridum victoria diceret, qui juxta Gangem sunt, quique ab Augusto victi sunt: ait, *Victorisque arma Quirini.* Ut autem pro Agrippa Remum poneret, poëtico usus est more. nam nomen ex vicino sumsit. Hoc ergo dicit, Cum cœperit Julius Cæsar cœlum tenere, patratis omnibus bellis, jura dabunt Augustus & Agrippa. Romulus autem *Quirinus* ideo dictus, vel quod hasta utebatur, quæ Sabinorum lingua *curis* dicitur; Hasta enim, id est, curis, telum est cum longiore ferro: unde & securis quasi semicuris. vel à κοίρανος, qui Græce rex dicitur: Constat autem Græcos fuisse Romanos, vel certe propter generis nobilitatem. Mars enim cum sævit, *Gradivus* dicitur: cum tranquillus est, *Quirinus.* Denique in urbe duo ejus templa sunt: unum Quirini intra urbem, quasi custodis & tranquilli: aliud in Appia via extra urbem prope portam, quasi bellatoris vel Gradivi. *Idem.*

Jura dabunt.] Id est, leges Romuli perdurabunt. Et denique cessura omnia mala, felicitate Cæsaris dixit, furorem scilicet & bellandi necessitatem. *Donatus.*

293. *Diræ.*] Cum apertæ sunt, hoc est abominandæ, alias *Diræ*, magnæ. *An sua cuique Deus fit dira cupido.* Et, *Jam tum relligio pavidos terrebat agrestes Dira loci*; Et, *dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ.* Servius.

Compagibus.] *Ambages* & *compages* antiqui tantum dicebant: posteritas admisit ut dicatur etiam *compago*: sed non quia varius esse potest nominativus, debet etiam declinatio mutari. quemadmodum nec in istis nominibus, *arbor arbos*, *vomer vomis*: nam & *vomeris* & *arboris* tantum facit. Ergo *compages compagis*, quoniam *compago* usurpatum est: *compaginis* autem nemo penitus dicit. *Idem.*

Compagibus arctis.] In veteribus pene omnibus codicibus non Virgilianis tantum, sed aliorum etiam auctorum plerunque invenias *artis* adjectivum nomen absque *c* scribi. Sane vero Valerius Probus, *Artus* pro *angusto*, & *artus* pro *membris* sola internoscit declinatione. Juniores tamen in altero, *c* additum voluere, ut appareret originatio ab *arcendo*. Pierius.

294. *Belli portæ.*] Jani gemini, quæ bello aperiebantur, pace claudebantur.

Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus aënis
Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Hæc

tur. Ideo autem Janus belli tempore patefiebat, ut ejuſdem conſpectus per bellum pateret, in cujus poteſtate eſſet exitus reditusque; id enim ipſa ſignificat ejus effigies præbentis ſequentibus & redeuntibus ducem: Hunc autem olim Numa Pompilius fecit, cujus portas regni tempore clauſit. *Servius.*

Claudentur belli portæ.] Plutarch. in Numa: ἔστι δὲ καὶ αὐτοῦ ναὸς ἐν ῥώμῃ δίθυρος, ὃν πολέμου πύλην καλοῦσι. *Germ.*

Claudentur belli portæ.] An ſemel an ter clauſerit Jani portas, fuſius diſputat Cerda, & Caſaub. ad Suet. in Aug. c. 22. *& belli portas claudere* idem eſt, *quod Janum Quirinum, Janum Geminum claudere*, apud Suet. dicto loco & in Ner. c. 14. Horatius l. 4. od. 15. in laudibus Augusti: *vacuum duellis*

Janum Quirini clauſit.

& l. 1. Sat. 4.

Non, ut ſi ſolvas, poſtquam diſcordia tetra
Belli ferratos poſteis, portaſque refregit.

alludit & Stat. Thebaid. l. 5.

——— *ubi arma*
Indulget pater, & ſævi movet oſtia belli.

Homerus appellat ςόμα πολέμου αἱματόεντος Iliad. l. τ. ѰΓ. 313. Hunc Maronis locum interpretatur Turneb. l. 5. c. 3. cur pateant tempore belli, unde *Janus* dicitur *Patulcius*, quare claudantur pace, unde *Cluſivius*, à Sabinis profectum narrat Macrobius l. 1. Saturn. c. 9. & Liv. l. 1. c. 19. *Emmeneſſ.*

Furor impius intus.] Ut ſuperius diximus, propter bella civilia, quæ geſta ſunt contra Brutum & Caſſium ab Auguſto in Philippicis: contra Sextum Pompejum in Sicilia. aut ſicut quidam tradunt, *Furor impius intus*, non in æde Jani, ſed in alia. In foro Auguſti introëuntibus ad ſiniſtram fuit bellum pictum & furor ſedens ſuper arma devinctus eo habitu, quo poëta dixit. *Servius.*

Furor impius intus.] Pathos ab imagine factâ, ut moveat δείνωσιν, quæ gravior quædam affirmatio eſt, & pars epilogi fere propria, ad concitandos affectus, & fidem in dicendo faciendum accommodata. Turneb. l. 10. c. 11. Videtur, *inquit*, his verſibus Maro adumbraſſe Belli imaginem, ab Apelle pictam, reſtrictis à tergo manibus, Alexandro in curru triumphante: quam tabulam Auguſtus in ſuo foro dicavit. De quo Plinius lib. 35. cap. 10. Germ. Valens alluſum putat ad ſimulacrum à Pauſania memoratum, Martis in Sparta vincti, & catenis hinc inde conſtricti, manubiiſque & ſpoliis inſidentis. Eo ſymbolo innuente, ne Lacedæmone cederet, aut ad hoſtes transfugeret. Contrario autem modo extulit Propert. lib. 3. el. 3.

Et ſubter captos arma ſedere duces.

Porro, uti *Furor* hic vinctus; ita vinculis ſolutus elegantiſſime deſcribitur à Petronio. Notetur autem quanta aſperitate verborum litterarumque rem aſperam Poeta expreſſerit: quam item pathetice, abrupto epilogo, Narrationem concluſerit. *Taubm.*

295. *Sæva ſedens ſuper arma.*] Secundum antiquam licentiam. Sciendum tamen hodie *In*, & *Sub*, tantum communes eſſe præpoſitiones. cæterum *Super* & *Subter* jam accuſativæ ſunt, ſicut *Clam* & *Poſt*, quæ antea communes fuerunt: nunc in his mutata natura eſt. Ergo *ſuper* pro ſupra, & nunc hæc præpoſitio accuſativo ſervit, ubi vero *de* ſignificat, ablativo. *Servius.*

296. *Aënis nodis.*] Non centum nodis, ſed catenis, quas circumlocutione ſignificavit; quia ſunt catenæ nodi plures. Quidam *Æneis* pro ferreis tradunt, ut 7. Æn. *micat æreus enſis:* & 5. Æn. *Ærea quem obliquum rota tranſiit.* Servius.

Vinctus aënis poſt tergum nodis.] Sic & Epigr. Græc. χαλκείῃ σφιγκτὸς ἀλυκτοπέδῃ· Unde & σιδηρόδετος, & σιδη-

Hæc ait: & Maja genitum demittit ab alto;
Ut terræ, utque novæ pateant Carthaginis arces
Hospi-

εὐδεσμοι ἀνάγκαι. Propert. 3. *Vinctus eram versas in mea terga manus.* Græca autem & ipse forma Maro lib. 2. *Ecce manus juvenem interea post terga revinctum.* Germ.

Fremet horridus ore cruento.] Figuram hic δυσφωνίαν notant docti, schema gratiam & magnificentiam poëmati concilians, quale est illud apud Hom. αἴας δ' ὁ μέγας αἰὲν ἐφ' ἕκτορι χαλκοκορυστῇ. *Germ.*

297. *Et Maja genitum.*] Mercurium. Et est Periphrasis. Cicero in libro de deorum natura, plures esse dicit Mercurios: sed in deorum ratione, fabulæ sequendæ sunt. nam veritas ignoratur. Simul allusit poëta, quia per caduceatores, id est, internuntios, pax solet fieri. vel quod Deo opus erat: ut hostes Pœni auctori Romani nominis placarentur Æneæ. Quidam sane quatuor Mercurios dicunt: Unum Jovis & Majæ filium; Alterum Cœti & Diei: Tertium Liberi & Proserpinæ: Quartum Cyllenis, à quo Argus occisus est, quem ipsum ob hanc causam Græcia profugum, Ægyptiis literas demonstrasse perhibent. *Servius.*

Hæc ait, & Maja.] Exposita futurorum promissione, provideri securitas debuit, ne naufragi in terris alienis, & in quibus inimica regnabat Juno, aliquam violentiam paterentur. Procuratur autem Trojanis securitas per duos; quorum alter affinis est. Nam Maja, Mercurii mater, Trojanorum generi nectebatur. Debuit ergo ad effectus implendos, talis mitti persona, quæ præceptorum auctoritate, duplici ratione deducta, celerius maturaret, alarum juvante subsidio. *Donatus.*

Maja genitum.] Id est, Mercurium

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maja
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.
At Majam (auditis si quicquam credimus) Atlas,
Idem Atlas generat, cœli qui sidera tollit.

Unde Martianus Capella in nuptiis Philologiæ, & Mercurii, *Majugenam* vocabulum composuit. *Erythræus.*

Maja genitum.] Pro eo *Maja natum.* Horat. l. 2. Sat. 6. tertium oportet esse ex quinque Mercuriis, quorum meminit Cicero de Nat. Deor. c. 22. *Emmeness.*

Et Maja genitum demittit ab alto, Ut terræ, utque novæ.] In Romano codice, *Majæ* legitur: quare nonnulli *Gnatum*, non *Genitum* legere volebant. eam ego lectionem nusquam in antiquis codicibus observavi. *Dimittit* vero per *di* fere passim: quod verbum est nuntios delegantium, ut ibi, *Equidem per litora certos Dimittam.* In quo forte diligentiam interpretum desideres, qui *di* vacare dicunt. *Pierius.*

298. *Ut terræ.*] Propter illud, quod sequitur, *Hospitio prohibemur arenæ.* Servius.

Novæ.] Quia novitas regni cuncta habet suspecta: ut ipse, *Res dura & regni novitas, me talia cogunt moliri.* Vel lege: ut, Terræ Carthaginis, & novitas ædificiorum pateat Teucris. Solus autem Juppiter ministro Mercurio potuit præstare, ut inimicos suos Carthago susciperet. Sed quia omnia cum celeritate erant agenda, quam brevi sermone est amplexus. *Terras* autem dixit, ne in regionibus Carthaginis, aut in litoribus à gentibus vexarentur. *Donat.*

Novæ.] Allusum ad etymon. Nam lingua Phœnicum *Carthago* sonat *civitatem novam.* auctor Solinus c. 40. idem observat ex Livio Servius. Stephanus etiam novam civitatem interpretatur, etiamsi ducat à *Carchedone* Phœnice homine. Scias (ἐν παρέργῳ) Carthaginem novam Hispaniæ, quæ à copia sparti, dicta Græcis σπαρταγένη, non dictam novam, cum respectu ad Afri-

Hoſpitio Teucris: ne fati neſcia Dido
Finibus arceret. volat ille per aëra magnum
Remigio alarum: ac Libyæ citus adſtitit oris.
Et jam juſſa facit: ponuntque ferocia Pœni
Corda,

Africanam, ut aliqui etiam ex noſtris Scriptoribus; ſed reſpectu alterius Carthaginis, quæ etiam in Hiſpania, quam condiderat Aſdrubal: novam quippe Amilcar condidit. Vide Joan. Marianam lib. 2. cap. 8. de Rebus Hiſpaniæ, & Abrahamum in Indice, ubi adjungit auctores. Novam Urbem *καινὴν*, *νεόκτιστον*, *νεοποίητον*, *νεουργὸν*, *νεοκατάστατον* vocant Græci. Vide Pollucem lib. 9. cap. 4. Urbis hujus civem *νεοπολίτην*. *Cerda.*

Pateant.] Propter illud, *Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.* Serv.

Pateant arces.] Propter illud,

Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.

Bene Servius admonet verbo *pateant* innui habitum & formam pacis: hac enim regnante, omnia patent. Vide 2. Æn. ad illud *Panduntur portæ.* Vide vero (apparet quippe in minimis diligentia Poëtæ) uti voces contrarias conjunxerit *pateant arces.* Dictæ ſunt *arces* ab arcendo. Pateant ergo arces. neque arceant, inde poſtea, *finibus arceret.* Cerda.

299. *Hoſpitio.*] Ad hoſpitium. Nonnulli ſane *pateant*, pacatæ ſint accipiunt: ut Salluſt. *Simul immanis hominum vis multis è locis, invaſere patentes tum, & pacis modo effuſas.* Hic enim habitus pacis; Et in Catilina, *Cuncta maria terræque patebant.* Sic enim contra, cum dicitur, *Clauſa omnia*; bellum ſignificatur: ut ipſe, *Quæ mœnia clauſis Ferrum acuant portis.* Servius.

Ne fati neſcia Dido.] Non ſui, nam ſi ſciret exitum ſuum, multo magis vetaret. ſed *Fati* dixit, voluntatis Jovis. ut eſt, *Fatis Junonis iniquæ.* Aut certe fati Trojanorum, qui non ſponte, ſed neceſſario ad Africam venerant: quod utique ignorabat Dido. Illo enim tempore invadendarum terrarum cauſſa fuerat navigatio, ut Saluſtius meminit: facili tum mutatione ſedium: quod etiam excuſant Trojani, *Non nos aut ferro Libycos populare penates Venimus.* Ergo hoc agitur, ut diſcat Dido eos ad Italiam tendere. Quomodo ergo ſe jungit Æneæ? Sed furoris illud eſt, non conſilii. Nam nec ſacerdotibus hæc dicentibus credidit. Unde eſt, *Quid vota furentem, Quid delubra juvant?* Idem.

300. *Volat ille per aëra.*] Similis hic feſtinatio Mercurii eſt, ut ſupra Neptuni, in Quarto; *Et talaria nectit, Et virgam capit,* & plus moratur. *Idem.*

Volat ille per aëra magnum.] In codice Mediceo, *per æthera* legitur: ſed *aëra*, magis receptum. *Pierius.*

Volat ille.] Notetur numerorum celeritas. Quippe in obeundis legationibus laudatur maturitas. Aut etiam Planetæ velocitatis rationem habuit. *Taubm.*

Aëra magnum.] Homer. Odyſſ. 9. *ἀέρα βαθεῖαν* dixit. *Hartung.*

301. *Remigio alarum.*] Tranſlatio reciproca, nam alibi, *velorum pandimus alas.* Servius.

Remigio alarum.] Aliter enim volare non potuiſſet. *Donatus.*

Citus.] Pro *cito*, adverbium temporis, in nomen deflexum. Et bene hoc de Mercurio. Cum enim alia ſigna tarde ad ortus ſuos recurrant, Mercurius decimo octavo die in ortu ſuo invenitur. *Servius.*

302. *Et jam juſſa.*] Fructum executionis impletæ poſuit. *Donatus.*

Ponunt ferocia corda.] Natura ferox in lenitatem mutatur. *Idem.*

Ferocia.] Nam Afri, *genus intractabile bello.* Cerda.

Pœni.] Ἀντίστοιχον eſt quaſi Phœni. *Servius.*

303. *Vo-*

Corda, volente deo. in primis regina quietum
Accipit in Teucros animum, mentemque benignam.
At pius Æneas per noctem plurima volvens,

Ut

303. *Volente Deo.*] Mercurio, vel Jove. *Serv.*

Volente Deo.] Nam nisi dei, id est, Jovis, vel Mercurii jussus intercessisset, natura ferox immutari non potuisset. Et quia reginæ partes in secundo loco posuit, correxit dicendo, *In primis.* Nam ipsa fuit lenienda, quæ vel incitare illos posset, vel violentia comprimere. Et quoniam fieri non poterat, ut eodem temporis puncto ferocitatem ponerent, & amarent, libravit verba, & non dixit *amant*, sed *ponunt corda ferocia.* Donatus.

Volente Deo.] Est hoc, quod Græci sæpissime dicunt, σὺν θεῷ. frigidi sunt Grammatici in fingendis ablativis, quos & ipsi dicunt absolutos. Everterem hîc illos, nisi hoc jam alii ante fecissent. Mutationem hanc Pœnorum, ab Mercurio factam, derivant interpretes ad vim eloquentiæ, cujus præses Mercurius. *Cerda.*

Volente Deo.] De hac boni ominis formula Scott. nod. Cicer. l. 2. c. 14. Mercurium Punicæ genti præesse disce ex Scalig. l. 3. c. 25. *Emmeness.*

In primis.] Præcipue. *Servius.*

304. *In Teucros.*] Pro in Teucris. alibi *in Teucros*, adversum Teucros. ut, *Absumptæ in Teucros vires.* Servius.

Mentemque benignam.] Eurip. εὐμενῆ γνώμην ἔχειν dixit, & Orpheus, εὐμενὲς ἦτορ. Quid si Poëta habuit ante oculos locum Aristophanis in Vespis hunc,

Παῦσον τ' αὐτοῦ τουτὶ λίαν στρυφνὸν καὶ πρίνινον ἦθος,
Ἀντὶ σιραίου μέλιτος σμικρὸν τῷ θυμιδίῳ παραμίξας,
Ἤδη δ' εἶναι τοῖς ἀνθρώποις ἠπιον αὐτόν.

Fac desinat istos iliceos mores, duros, & acerbos,
Mellisque parum vice defruti in hujus miscens injice pectus,
Accipiatque erga homines mitem animum, atque benignum.

Adduxi interpretationem Floren. Christian. Robortellus lib. 1. Annotat. c. 19. per *mentem benignam*, accipit, pronam propensamque ad beneficia. nam *benignitas* sæpe ad beneficia, & liberalitatem refertur. *Cerda.*

305. *At pius Æneas.*] . . . . * filium Æneas sacrorum omnium docetur; ex cujus persona latenter, quæ ad ceremonias veteres pertinent, sæpe monstrantur. Hic ergo Deus, apicis, quod insigne flaminum fuit, de quo loco suo in Quarto libro dictum est. Vult ostendere igitur flamini extra medium pomerium post Solis occasum apicem ponere non licere. Æneas ergo hic ad Carthaginis litus adpulsus, ostenditur sine apice fuisse, id est, nudo capite. Nam cum ait, *At pius Æneas per noctem plurima volvens, ut primum: &c.* Manifeste longius ab urbe intelligitur; unde animadvertendum est, extra pomerium fuisse. Nam in subsequentibus ostenditur, eum extra pomerium fuisse, cum ait Venus, *Et qua te ducit via dirige gressum:* nam & augurium ei in finibus pomerii ostensum est, quod & ipsum Æneam respondentē signatius declarat sine apice fuisse, timentem enim ne piaculum incurreret, si cum Solis occasum nudo capite, id est, sine apice, inveniret; ita loquentem fecit; *Et vacet annales nostrorum audire laborum, Ante diem clauso componet vesper Olympo;* Verebatur enim Solis occasum. Nudo autem capite ibi fuisse ostenditur; ubi ait, *Restitit Æneas claraque in luce refulsit.* * *Os humerosque deo similis. namque ipsa decoram cæsariem, &c.* Neque enim *Cæsariem* dicere debuisset, nisi quia nudo capite incedebat Æneas. Sed hæc Virgilio, & his similia sufficiunt ad indicandum omnium disciplinarum scientiam

Ut primum lux alma data est, exire; locosque
Explorare novos, quas vento accesserit oras:
Qui

tiam narrantem aliud ponere, neque propositum habet talia plenius exequi. *Servius.*

At pius Æneas.] Interposita narrationi fuerant verba Veneris & Jovis in luctu Trojanorum. nunc ad narrationem redit eo, unde digressus fuerat scilicet, *Et jam finis erat.* Donat.

Per noctem.] Decet enim pro cunctis regem esse sollicitum. Et bene *per noctem*, ne à sociis, quos ipse consolatus erat, videretur per diem mærens. *Servius.*

Per noctem plurima volvens.] Repræsentat in suo Ænea mores principum. Notus Homericus versus 2. Il.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα:
Non decet virum principem dormire noctem totam.

Et βουληφόρος, cujus consilio res administratur. Ab nobili hac sententia inchoat idem vates librum decimum Il. adducam integram: quia inde sumpta Virgiliana.

Ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες Παναχαιῶν
Εὗδον παννύχιοι, μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ,
Ἀλλ' οὐκ Ἀτρεΐδην Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν
Ὕπνος ἔχε γλυκερὸς, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα.

Ceteri quidem apud naves principes omnium Achivorum
Dormiebant per noctem molli domiti somno:
Verùm non Atriden Agamemnonem pastorem populorum
Somnus tenebat dulcis, multa animo volventem.

Græci (in his Hesiodus, Euripides, Plutarchus, Clemens) noctem vocant εὐφρόνην, ut aptam capiendis consiliis. Pindarus od. 4. Nem. γνώμαν σκότῳ κυλίνδει: *consilium volvit in tenebris.* Græci signate, οὐδὲ καθεύδειν αὐτὸν ἀξιοῖ δι' ὅλης τῆς νυκτός. Silius ita,

Turpe duci totam somno consumere noctem
O Rector Libyæ; vigili stant bella magistro.

Huc refer parœmiam, ἐν νυκτὶ βουλή. & sententiam Platonis lib. 7. Leg. ἐγρηγορότες δὲ ἄρχοντες ἐν πόλεσι νύκτωρ, φοβεροὶ μὲν κακοῖς πολεμίοις τε ἅμα, καὶ πολίταις: *Magistratus nocte in urbibus vigilantes, terrori sunt tum hostibus, tum civibus.* Adducit Philostratus lib. 1. de vitis Sophistarum hanc sententiam, & cuidam illorum attribuit, ὦ νὺξ σὺ γὰρ δὴ πλεῖστον σοφίας μετέχεις μέρος θεῶν: *ô nox tu plurimum particeps es divinæ sapientiæ.* Cerda.

306. *Alma.*] *Lux alma* dicta quod alat universa: unde *alma Ceres*, quod nos alat. Nam Physici dicunt omnia per diem crescere. quomodo igitur Virgilius ait, *Exigua tantum gelidus ros nocte reponet?* sed hoc pro miraculo positum est: & amplius sentit. *Servius.*

Ut primum lux, &c.] Est hoc quod Polyp. ἅμα τῷ φωτί. quod Plautus, *cum luce simul.* quod Apuleius lib. 2. *ut primum nocte discussa, sol novus diem fecit, & somno simul emersus & lectulo.* & lib. 7. *ut primum, tenebris abjectis, dies inalbebat, & candidum solis curriculum cuncta collustrabat.* & lib. 9. *Sed cum primum rota solis lucida diem peperit.* In Xenoph. etiam vidi lib. 2. ἀναβ. ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι. & 7. ἅμα καὶ τῇ ἡμέρᾳ. *Cerda.*

Ut primum lux alma data est.] Hunc locum deberi Homero de primo Odysseæ docet Macrob. lib. 5. Saturn. c. 4. *Emmeness.*

Locos.] Et *locos* & *loca* dicimus, cum in numero singulari *locus* tantum dicamus. Simile est & *jocus*, nam & *joca* & *jocos.* ut Salustius in Jugurth. *Joca atque seria cum humillimis exercere.* Et, Cic. *Quam multa joca solent esse in epistolis.* Et, *Tum juvenes agitare jocos.* Servius.

307. *Locosque explorare novos.*] Od. ζ. & ν. ὤ μοι ἐγὼ τέων αὖτε βροτῶν ἐς γαῖαν

Qui teneant (nam inculta videt) hominesne feræne,
Quærere constituit, sociisque exacta referre.
Classem in convexo nemorum, sub rupe cavata,
Arbo-

γαῖαν ἱκάνω ἦρ' οἵγ' ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι, οὐδὲ δίκαιοι, ἠὲ φιλόξεινοι, καὶ σφὶ νόος ἐστὶ θεουδής. Ut autem hîc *loca inculta* dixit, sic Od. κ. *ἔνθα μὲν οὔτε βοῶν, οὔτ' ἀνδρῶν φαίνετο ἔργα.* Tale autem consilium Jasonis describit Orpheus, cum ad Circæum litus appulisset: *ἐκ δ' ἄρ' Ἰήσων νηὸς ἀποπροέηκε μολεῖν ἐρίηρας ἑταίρους, διζόμενος τίς ἄρ' ἀνθρώπων ἀν' ἀπείρονα γαῖαν ναιετάει, γνῶσεν δὲ πόλιν καὶ ἤθεα λαῶν. German.*

Locosque explorare novos.] Id est, cum cura inspicere, ut recte notavit Scefferus ad Phædr. l. 1. fab. 3. *explorato rege.* Emmeness.

Quas vento access. Oras.] Sine præpositione, Sallust. *Genua patrum advolvuntur.* Superius dictum figuram fieri, cum præpositio detracta nomini, verbo copulatur, & plerunque eam suam retinere naturam, plerunque convertere. Hoc igitur sciendum est, quod cum casum suum retinet, Hysterologia est, ut hoc loco: quum autem mutat, figura est, ut, *Cumarum adlabitur oris. Oris* enim pro *oras* posuit. Plerunque etiam superfluas ponunt præpositiones. *Serv.*

308. *Qui teneant.*] Jure dubitat, cum omnia cernat inculta: Ordo est, *Qui teneant, hominesne feræne.* Media per parenthesin dicta sunt. *Idem.*

309. *Exacta.*] Exquisita. Et ostendit providum regem per se curantem commoda sociorum. *Idem.*

Exacta.] Proposuerat plura in masculino & feminino, hæc autem ut complecteretur, posuit neutrum. *Donatus.*

Sociisque exacta referre.] Non placet quod in Longobardico, & aliquot aliis legitur: *sociis exacta*, absque copulativa particula, quæ necessario hic expetitur. Membra enim hæc ita colligata sunt, ut particula copulativa sit pro redditione caussæ. Ideo enim exit, ut exploret: Ideo quærit quas vento accesserit oras, & qui teneant, ut sociis exacta referat. *Pier.*

Exacta.] Id est, exquisita, & exacte cognita. H. Stephanus *exacta*, *κατ' ἀντιμέρειαν* Adverbialiter pro *exacte* positum opinatur: & Hortensius recta fronte id affirmat. *Taubm.*

Exacta.] Noster lib. 4. Æn. vs. 475. *Tempus secum ipsa, modumque exigit.* & Horat. l. 2. Sat. 4. *exacta ratione*, id est, exquisita, explorata. *Emmeness.*

310. *In convexo nemorum.*] Prooeconomia est ad caussam pertinens. Non enim tenebitur ab Afris, ut Ilionei, & qui cum ipso supervenerant. *Servius.*

Classem in convexo.] Exiturus cum solo Achate, nec omnino inermis fuit, ut temerarius: nec omnino armatus, ut timidus: cum solis igitur inquit hastilibus, & uno socio. In solitudinem enim iturus, debebat esse expeditus, propter requisitionem celerem & maturum reditum: ac omnia circumspectus, socios omni cautela occultat. Cui rei inseruit descriptionem portus: *Classem in convexo nemorum, &c.* Quanta ergo diligentia fuit, qui non antea profectus, quam sociorum saluti consuluisset: & cum uno ad incertum pergit. Additur aliud ad laudem à loco, tempore, & persona. Nam cum sese fæmina, ad fallendum composita, sola in silva obtulisset, motus libidine non est, quamvis virginitas, pulchritudo, & vestitus accenderent. Accedebat ad castitatem, congeries calamitatum, quæ etiam libidinosos coërcet. Unde Terentius, *Nulla adeò ex re istud fit, nisi ex nimio ocio.* Debuit Venus offerre loquendi fiduciam, ne improbum videretur, quod cum virgine, quum sola tunc esse putaretur, misceret colloquium. Sed & ad fallendum quoque pertinebat, ut non solum specie, sed etiam sermone imprudentes traduceret, & ad interrogandi necessitatem venire posset. *Donatus.*

Convexo.] Curvo: unde etiam *convexum cœlum* dicitur. Sane subaudimus

Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris,
Occulit. ipse uno graditur comitatus Achate;
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia silva,
Virginis os habitumque gerens, & virginis arma
Spartanæ: vel qualis equos Threïssa fatigat
Har-

dimus *Loco*, ut alibi, *Castrorum & campi medio*, id est, spatio. Nemorum autem modo silva: Interest autem inter *nemus* & *silvam* & *lucum*; *lucus* enim est arborum multitudo cum religione, *nemus* vero composita multitudo arborum, *silva* diffusa & inculta. *Servius.*

Sub rupe cavata.] Periphrasis est speluncæ. *Idem.*

311. *Arboribus atque horrentibus umbris.*] Umbris arborum, quo modo, *Molemque & montes.* aut certe arboribus & umbris speluncæ. & bene ostendit omnia curvis adlata navibus non ... quæ venerant cum Ænea, Classem autem occulit & clausit. *Idem.*

312. *Occulit.*] Pro occuluit, id est, abscondit & clausit. *Idem.*

Comitatus Achate.] Bene ostendit Æneam esse fortissimum, nec quidquam timere; dicendo, *uno graditur comitatus Achate*, & dictum est quæri cur Achates Æneæ sit comes. varia quidem dicuntur, melius tamen hoc fingitur, ut tractum nomen sit à Græca etymologia, ἄχος enim dicitur solicitudo, quæ regum semper est comes. *Idem.*

313. *Bina.*] Si ad utrunque referas, bene dixit *bina*: si ad Æneam tantum, antiquus mos est, ut supra diximus, *bina* pro duobus posuit: sicut interdum duplices. *Idem.*

Lato ferro.] Id est, lati ferri: ut, *Pulchra prole.* Idem.

Bina manu lato crispans.] Eurip. in Rhes. δίβολον δ' ἀκοντα πάλλων. Et Il. μ. δύο δοῦρε τινάσσων· Græcis item δίπαλος vibrans bina tela. *German.*

Bina manu.] Ita Hom. Iliad. μ. δύο δοῦρε τινάσσων, item: πάλλων δύο δοῦρε. Apud Sophoclem δίπαλος, vibrans bina tela, ambidexter, &c. Vide Cæl. Rhodig. l. 1. c. 5. & l. 25. c. 5. Repetitur idem versus 12. Æn. de Turn. ubi Not. vide ℣s. 165. *Taubm.*

Crispans hastilia ferro.] *Crispare* Maroni est, quod Homero πάλλειν. Alio loco *coruscare* dixit, *oditque moras, hastamque coruscat.* lib. 23. cap. 14. *Turnebus.*

314. *Media sese tulit obvia.*] Quam Græci ὕλην vocant; poëtæ nominant silvam, id est, elementorum congeriem, unde cuncta procreantur. Et multi volunt Æneam horoscopum in Virgine, ibi etiam Venerem habuisse. Bene ergo in media silva virginis habitu ei Venerem poëta facit occurrere: quia, ut supra diximus, Venere in Virgine constituta, & misericordes procreantur fœminæ, & viri per mulieres felices sunt futuri, ut probamus in Ænea, quoniam Misericordia Didonis servatur. *Servius.*

315. *Virginis os habitumque gerens.*] Vultum & amictum. Habitus apud veteres dicebatur, tam corporis, quam eorum, quæ præter corpus sunt: & bene *gerens*, non habens, quod geri putantur aliena. *Idem.*

Spartanæ.] Lacænæ. Sparta enim civitas est Laconiæ, ubi sunt puellæ venatrices. Redditur autem causa cur virgo sit in silvis, scilicet propter venatum. *Idem.*

Spartanæ.] Alludit ad Lycurgi institutum apud Lacedæmonios, quo sancitum erat, ut virgines virilibus officiis, musicâ, cursu, palæstrâ, disco, jaculis, agitatione equorum, itemque venatu exercerentur: unde & mons in Laconiâ dictus est *Parthenius*, quod in eo virgines

Harpalyce, volucremque fuga prævertitur Hebrum.
Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Vena-

virgines venari consueverint. Vide Plutarch. in Lycurgo. *Taubm.*

Threïssa.] Thracia, & est solutio: nam *Thressa* facit, sicut, *Cressa genus Pholoë.* Veniunt autem ab eo, quod est *Cres*, *Thres.* Ut autem *Creïssa* non faciat, illud est, quia *Cressa* per *n* simpliciter scribitur, nec potest recipere solutionem. *Threïssa* autem *ei* diphthongon habet, unde & resolvitur. *Servius.*

Fatigat.] Suo scilicet cursu. Sane quidam *fatigat* pro fatigavit accipiunt, præsens pro præterito, sicut & *prævertitur* pro præversa est. *Idem.*

Threïssa fatigat.] Quæ patrem à Getis (quos diuturno bello vexasse scribitur) captum manu coactâ celerrime recepit. Fuit & *Harpalyce*, quæ Iphiclum ardentissimo amore cum deperiret, spreta dolore animi interiit; à quo canticum quoddam *Harpalyce* dicebatur: ut notat Turneb. l. 10. c. 11. qui & hoc nomen per *y* scribendum censet. *Taubm.*

Fatigat.] Hoc verbum idem quod *sæpe exercere*, & *delassare.* l. 1. sat. 2.

—— *vel si Romana fatigat*
Militia assuetus Græcari.

sic & *exercere* pro fatigare ✝ſ. 431. *Emmeneſſ.*

317. *Harpalyce.*] Quidam à patre Arpalico, qui rex Amymoniorum Thraciæ gentis fuit, ita nutritam dicunt, ut ipse Camillam à Metabo facit. Hæc, patre propter ferociam à civibus pulso, ac postea occiso, fugit in silvas, & venatibus latrociniisque vivendo ita efferata est; & hujus velocitatis & exercitii facta est, ut subito ad vicina stabula, coacta inopia, decurreret, & rapto pecorum fætu, insequentes etiam equites in celeritate vitaret; sed quodam tempore, positis ad insidias cervorum plagis, capta & occisa est; cujus mortem nobilitavit eorum exitus, qui eam occiderunt: statim enim in vicinia orta contentio est, cujus fuisset hædus, quem Harpalyce rapuerat, ita ut gravi certamine non sine plurimis mortibus dimicaretur. Postea consuetudo servata est, ut ad tumulum virginis populi convenirent, & propter expiationem per imaginem pugnæ concurrerent. Quidam hujus patrem à Getis, ut alii volunt à Mirmidonibus captum, collecta multitudine asserunt liberasse celerius, quam de fœminis credi potest. Unde & flumina dicitur celeritate transire. *Servius.*

Volucrem Hebrum.] Multum quidem laudis flumini epitheto addidit, sed falsum est; nam est quietissimus etiam cum per hiemem crescit. Est autem in Thracia ante muros Cypsalæ * satis de locis superis Thraciæ veniens, dictus autem ab Hebro, Hemi & Rhodopes filio. *Idem.*

Fuga prævertitur.] Id est, cito cursu prævenit, ut Non. Marc. cap. 4. noster active habet l. 7. Æn. ✝ſ. 807.

Cursuque pedum prævertere ventos.

& l. 12. ✝ſ. 345.

—— *vel equo prævertere ventos.*

Vide, quæ Lambinus notavit ad Hor. lib. 1. Sat. *Emmeneſſ.*

Prævertitur.] Id est, transit. Dicimus autem & *prævertit* & *prævertitur*, nova ratione. Nam passiva declinatione utimur in activa significatione, ut hoc loco: *Cum ipsi praimus enim tunc prævertimur.* Cum autem activa declinatio est, passivam habet significationem, ut, *ille me prævertit.* Alii *prævertitur* sic positum volunt, ut *Bellantur Amazones armis*, pro *prævertit* & bellant. *Servius.*

Prævertitur Hebrum.] Servius, *transit*, interpretatur: alii, *velocitate superat.* Ita Catullus:

Flammea prævertens celeris vestigia cervæ.

Hebrus autem fluvius Thraciæ: in quem caput Orphei à Bacchis projectum fuit. *Taubm.*

318. *Namque.*] Ut ostendatur esse venatrix. *Servius.*

De

Venatrix, dederatque comam diffundere ventis;
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentis.
Ac prior, Heus, inquit, juvenes, monstrate mearum
Vidi-

De more.] Venantum. *Serv.*

Habilem.] Aptum sexui. Unusquisque enim arcum habet pro viribus suis. *Idem.*

Namque humeris.] Expressit personam venatricis: de qua re Scaliger l. 3. c. 2. *Habilem* autem aptum illi sexui *arcum* dicit. Ita Euripid. φαρέτραν εὐτρεπῆ. & Sophocles Apollinem εὐφαρέτραν nominat. Mirum vero, inquit idem Scaliger, quantum afferat vel affectus vel ornamenti vox, quæ in principio carminis ponitur post expletam sententiam: quæ vox illi tamen apposita apponit & sensum: ut hic, & 11. Æn. *Venatrix*, *&c.* Quam figuram *Expressionem* appellat. Exempla videas lib. 4. c. 48. Quod sequitur

—— *dederatq; comam diffundere ventis.*

Græca dictum figura. (ἔδωκε τοῖς ἀνέμοις τὰ διαχέειν.) Sic in 5. Æn.

—— *dat ferre talentum.*

Taubm.

319. *Venatrix.*] Similis venatrici, id est, quasi venatrix, ut, *At medias inter cædes exultat Amazon.* Servius.

Comam diffundere.] Ut diffunderetur. Græca autem figura est. Sic alibi, *Argenti magnum dat ferre talentum.* Et, *Tu das epulis accumbere Divûm:* unde, *Da bibere* usus invenit, quod facere non debemus, ne duo verba jungamus, nisi in poëmate. *Idem.*

Dederatque comam diffundere ventis.] In veteribus omnibus exemplaribus, quotquot habere potui, *comam* unitatis numero scriptum animadverti: in multis *comas*. In plerisque etiam *defundere*. Sed id vitio temporum. Porro *suspendere arcum, & comam ventis dare*, virginum esse speciem, Donatus ait: Siquis quod sit virginis os, qui habitus, quæsierit. *Pierius.*

Comam diffundere ventis.] Quales habuerunt vaticinantes, sparsos nempe: Ovid. Epist. 5. Heroïd. ℣. 114.

Sic mihi diffusis vaticinata comis.

Græci *diffundere* διαχέειν. vid. Salmas. Plin. exerc. p. 468. qui talem comam nominabant ἀπόχυλον & ἔκχυλον. eundem Adi. p. 764. *Emmeness.*

320. *Nuda genu.*] Nudum genu habens. ut si dicas; *bonus animum.* & est Græca figura: sed non ea, quam diximus fieri per participium præteriti temporis, & casum accusativum. hæc enim per nomen fit, quamvis ad unam significationem recurrant. *Servius.*

Sinus collecta.] Ut, *Oculos suffusa nitentes.* Idem.

Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentis.] Similis Synecdoche apud Ovid. l. x. Metam. ℣. 535. de Venatricis habitu:

Per juga, per silvas, dumosaque saxa vagatur
Nuda genu, vestem ritu succincta Dianæ.

Et l. 1. Fast. ℣. 407.

Illa super suras tunicam collecta.

Pro quo legitur *succincta.* ut in priori loco. quod Stat. l. 2. Achill. vocat *sinus innectere.* contrarium est, quod paulo post sequitur —— *vestesque latentes*
Diducit; sparsosque studet componere crines.

Huc faciunt illa Callimachi in hymno Dianæ, describentis vestitum venaticum ℣. 11. ἐς γόνυ μέχρι χιτῶνα ζώννυσθαι. Vide illic annot. B. Vulcani & de venatricis habitu Scal. l. 3. c. 2. *Emmeness.*

321. *Ac prior.*] Paulo post sequitur. *Servius.*

Heus, inquit.] Heus adverbium vocantis est; alias interjectio dolentis est. ut, *Heus etiam mensas consumimus, Inquit Iülus.* Servius.

Juvenes.] Explicationibus præmissis adjice aliam, quæ fortasse verior. Magni illi Heroes *Juvenes* dicebantur elogii

Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Succinctam pharetra & maculosæ tegmine lyncis,

Aut

gii & laudis loco. Propertius l.2. el.22. de Ulysse, *Sic à Dulichio juvene est elusa Calypso.* De Argonautis Catullus:

Cum lecti juvenes.

Ovidius in Epist.

Excipit hospitio juvenes Æata Pelasgos.

De Hercule Propertius lib. 1. eleg. 20.

At comes invicti juvenis:

Id est, Hylas comes Herculis. Ita Ovidius 5. Fast. ut dicat Herculem susceptum hospitio à Chirone, ita concipit:

Excipit hospitio juvenem Philyreïus heros.

Ita fortasse Augustus dictus Horatio od. 2. lib. 1. & Virgilio 1. Georg. *juvenis* adulatione magna. *Cerda.*

Ac prior, heus, inquit Juvenes.] Non imperitè poëta Venerem priorem loqui fecit, sed ut fiduciam Æneæ det loquendi. Idem observat Donatus ad Ter. A. 2. 1. 18. *Emmenest.*

Monstrate.] Inrerrogatio est brevissima, quæ tamen necessaria ad fallendum continet. dixitque & signa vestitus, & habitum expressit. Brevius autem respondet Æneas, nec tamen à propositis aberrat. *Donatus.*

322. *Vidistis.*] Plerumque duo diversa in unum exitum cadunt, licet contraria significent, ut hoc loco; *Vidistis* enim, etiam ad vocem pertinet, quod etiam ex Æneæ responsione colligitur. *Servius.*

Errantem.] Investigantem; quia venatores cum vestigant, quasi videntur errare. *Idem.*

Sororum.] Non tanquam nota sit illis soror, sed ut est in consuetudine. *Idem.*

323. *Succinctam.*] Instructam. vel, ut alii dicunt, in cingulo habentem pharetram. *Idem.*

Succinctam pharetra &c.] Inveniebam quidem codices aliquot antiquos, in quibus *pharetram* loco hoc, accusandi casu scriptum esset. Sed vulgatorum pene omnium turba oppressus, ut me temporibus accommodarem, ne verbum quidem ulterius facturus eram. Sed quum Prisciani, Grammatici multorum opinione non indiligentis, neque imperiti, sententia memoriæ succurrisset: ne cuipiam eum auctorem neglexisse viderer, quid ille super hoc sensisset, adnotare visum est. Ubi enim copulativarum esse ait, casus eosdem sociare, quædam tamen apud auctores his constructionibus contraria, tradit inveniri: Cujus exempli Virgilianum hinc citat carmen, *succinctam pharetram & maculosæ tegmine lyncis.* Neque tamen inficiatur, melius in quibusdam codicibus absque *m Pharetra* ablativo casu inveniri. Alibi enim ab eodem Virgilio dictum, *Palla succincta cruenta.* Quo vero accusativum alii tueantur exemplum esse, *Magicas invitam accingier artis:* eam vero esse varietatis in constructione caussam ait, quod *succingor hanc rem*, & *hac rè succingor* dicimus: Sæpeque hoc de industria fieri ab auctoribus, ubi anceps sit constructio dictionum. Addit etiam, quosdam Lyncis cursum à communi accipere: ut sit, *prementem Lyncis cursum, aut spumantis Apri.* Sed hæc nos indicare nunc instituimus, non judicare. *Pier.*

Maculosæ lyncis.] Epitheta tribus modis ponuntur, aut laudandi, aut vituperandi, hic *maculosæ* demonstrandi est. Lyncus rex Scythiæ fuit, qui missum à Cerere Triptolemum, ut hominibus frumenta monstraret; susceptum hospitio, ut in se inventi frumenti gloria tanta migraret, interimere cogitavit. ob quam rem irata Ceres, eum convertit in lyncem, feram varii coloris, ut ipse variæ mentis extiterat. Erit autem nominativus hæc *lynx.* ut *Pan*, *Tros*, quæ in genitivo una syllaba crescunt. *Servius.*

Maculosæ tegmine lyncis.] Mos autem venatoribus erat antiquitus, spoliis animantum, quas ipsi confecerant, se

Aut ſpumantis apri curſum clamore prementem.
Sic Venus; & Veneris contra ſic filius orſus:
Nulla tuarum audita mihi neque viſa ſororum,
O (quam te memorem?) virgo. namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem ſonat. ô dea, certe;

An

ſe veſtire. Et apparet, lyncis tergus, ob levitatem, priſcis in uſu fuiſſe; perinde ut noſtris hodie lupina. Catullus etiam *maculoſa terga* lyncum, dixit; quas noſter 2. G. *varias*. Taubm.

324. *Spumantis.*] Id eſt, ſpumoſi, participium loco nominis poſitum. *Servius.*

Curſum clamore prementem.] Inſequentem. Ut ipſe alibi, *Ingentem clamore premes ad retia cervum.* Idem.

Spumantis apri.] Præ ardore & ira. *Premere* autem, ut & *Agitare*, itemquem *Excitare*, verba eſſe venatoria, Turnebus notavit lib. 12. c. 12. ita 3. G.

Ingentem clamore premes ad retia cervum:

Iſidorus lib 10. *Quattuor ſunt Venatorum officia: Veſtigatores, Indagatores, Alatores; Preſſores*, pro quo alii *Prenſores*; ſed male. Ibidem: *Venator, quaſi Venabulator, à venatione qua beſtias premit.* Taubm.

325. *Et.*] Antiqui ſane omnes codices quos inſpeximus, *& Veneris*, non *at* habent. *Pierius.*

Orſus.] Incœpit. alias finit. ut, *Sic Juppiter orſus.* Sed illic proprie poſuit, & hic uſurpatum eſt. Præteritum enim eſt participium. *Servius.*

Et Veneris contra, &c.] Hæc, inquit J. C. Scaliger, ex Ulyſſeæ 5. eſſe, obſervavit etiam Macrobius, ſed peſſimo judicio lancinavit. Quanto enim cum majore decore noſter? Cum eâ primum dubitatione,

O quam te memorem, Virgo!

eſt ἠθικὴ oratio. Etiam dubitationis cauſſam affert, *namque haud tibi vultus Mortalis:* hoc ex adſpectu. Illud efficacius,

—— *nec vox hominem ſonat.*

Tum aſſertio per repetitionem, *ô dea certe!* Adjungit etiam religionem: ne offendat Numina; & cum modeſtiâ diſtribuendo dubitationem;

An Phœbi ſoror, an Nympharum ſanguinis una?

Nefas enim erat, deum, deamve alio, quam ſuo nomine, appellare; neque obtinebat vota. Itaque evocata legas Numina apud Livium. Et eâ de cauſſa Numinis illius, cujus in tutela Roma eſſet, nomen tacitum & arcanum. Poſtremo, Dianæ ſimilem, dixit Homerus; hic expreſſe *ſororem Phœbi.* Hæc ille l. 5. c. 3. *Taubm.*

326. *Audita neque viſa.*] Hinc probatur, quia ſuperius hoc interrogaverat *Venus.* Sane quidam *Audita*, ad illud reſponſum, *Clamore prementem:* ad viſtis *ſi quam*; Neque viſa reſponderit. *Servius.*

327. *O quam te.*] Quæ dea ſit dubitat, nam deam eſſe confidit: ô, *dubitativa*, alias *optativa*, ut *adſis ô Tegeæe favens.* Idem.

O quam te.] Completo reſponſo, explicat ſeriem æſtimationis, quam de ea habuit. *Donatus.*

328. *Nec vox hominem ſonat.*] Græca figura eſt. *Servius.*

Nec vox hominem ſonat.] De utroque ſexu *homo.* Falſo verbis neutris adnumeratur *ſonare* noſter Ecl. 1. ℣ſ. 5.

Formoſam reſonare doces Amaryllida ſilvas.

Ecl. 5. ℣ſ. 63.

—— *ipſæ jam carmina rupes*
Ipſa ſonant arbuſta.

Tibull. l. 1. Eleg. 3.

Dulce ſonant tenui gutture carmen aves.

alia Sanct. in Minerva p. 187. *Emmeneſſ.*

O dea certe.] Hic ô diſtinguendum, uti poſt inferat, *dea certe:* confirmans

An Phœbi ſoror, an Nympharum ſanguinis una?
Sis felix, noſtrumque leves quæcumque laborem:
Et quo ſub cælo tandem, quibus orbis in oris
Jactemur, doceas. ignari hominumque locorumque
Erramus,

opinionem ſuam, & eſt concluſio ſyllogiſmi, qui conſtat ex propoſitione, adſumptione, concluſione. nam ſi nec vox, nec vultus mortales ſunt, reſtat, ut dea ſit. *Servius.*

O dea.] Cum hoc pronunciatum ſit, ſequatur *Certe, an Phœbi ſoror.* Donatus.

329. *An Phœbi ſoror.*] Diana: quæ eſt venatrix. Bene autem ſuſpicatur pro loco & qualitate habitus perſonæque. perite autem Poëta dicendo, *An Phœbi ſoror*, videtur de nomine Apollinis dubitare. Conſtat enim hunc Deum à diverſis gentibus vel civitatibus, diverſis nominibus appellari, ſecundum genera beneficiorum, quæ vario divinitatis genere præſtare conſuevit: Cui Deo ſagittas datas volunt, quia, ut vis morbi, ita hoc telum ſit occultum. Hunc tamen Deum & ad *liberum* cuſtodiam, & ad divinitatem, & ad medicinam, & ad res urbanas, quæ placidæ ſunt, & ad bella pertinere longinqua, cui laurum ideo conſecratam, quia hæc arbor ſuffimentis purgationibusque adhibeatur; ut oſtendatur nullum, templum ejus niſi purum ingredi debere. Cautum enim eſt, ne Sacerdos, ejus domum ingrediatur, in qua ante quintam diem funus fuerit. Quidam tamen *an* pro *ſive* antique dictum volunt: nonnulli conjunctionem mutatam adſerunt, pro *Aut Phœbi, aut Nympharum ſanguinis una.* Alii autem conjunctionem disjunctivam volunt, ut Salluſt. *Perrexere in Hiſpaniam an Sardiniam.* Servius.

An Phœbi ſoror, an &c.] Vetera quædam exemplaria legunt, *aut Phœbi ſoror aut Nympharum.* Sed *an* interpretes agnoſcunt. Inſuper Donatus ait, *ô Dea* clauſulam eſſe ſuperioris membri. Nam quum pronuntiatum fuerit *ô Dea*, ſic debet dici: ut ille tradit, *certe an Phœbi ſoror, an Nympharum ſanguinis una, Sis felix.* Pierius.

An Nympharum ſanguinis.] Id eſt, Generis. *Servius.*

330. *Sis felix.*] Propitia. hoc eſt, felicitatem præſtes, vel felix mihi. *Felix* enim dicitur & qui habet felicitatem, & qui facit eſſe felicem. ut in Bucolicis, *Sis bonus ô felixque tuis.* Unde & contra Juno in VII. dicit, *Quæ potui infelix*, id eſt, adverſa Trojanis. *Idem.*

Sis felix.] Sic Stat. Achill. l. 2. *Sis felix, taceasque precor*, id eſt, propitia. Taubmannum adi Ecl. 5. ℣ſ. 65. contrarium apud Perſ. Sat. ℣ſ. 12. *auſter infelix* pro inimico. *Emmeneſſ.*

Leves.] Levem facias. ut, *Levat ipſe tridenti.* Servius.

Quæcumque.] Seu Diana, ſeu Nympha. *Idem.*

Quæcunque.] Sive Diana ſive Nympha. Hic autem Æneæ datur ſcientia religionum, non enim poſſet aliquid divinum intelligere in hominis forma, niſi quia pollebat omni ſcientia ſacrorum. *Donatus.*

331. *Quo ſub cœlo.*] Aut ſub qua parte cœli, aut ſecundum Epicureos, qui plures eſſe volunt cœlos, ut Cicero in Hortenſio. *Servius.*

Tandem.] Hoc loco vacat *Tandem* enim, dum, gentium, locorum, terrarum ſignificatio poſita, ad ornatum pertinet; Aut *tandem* doceas quia vix hoc quoque contigit: aut *tandem* pro expletiva particula eſt. *Idem.*

332. *Hominumque locorumque.*] Hypermetrus verſus: unam enim plus habet ſyllabam. qui quotiens fit, debet ſequens verſus à vocali incipere: ut hoc loco. item, *Omnia Mercurio ſimilis vocemque coloremque, Et crines flavos.* Niſi fortaſſis fiat in fine vocalium colliſio. ut eſt,

Erramus, vento huc & vaſtis fluctibus acti.
Multa tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextra.

Tum

ut eſt, *Nec cura peculi.* Hic enim non eſt neceſſe, ut ſequens verſus à vocali incipiat. *Servius.*

333. *Erramus, vento huc & vaſtis fluctibus acti.*] Hic quoque numerus in Romano codice, atque etiam in aliquot aliis antiquis trimetro clauditur, *erramus vento huc &c.* Altero inde trimetro ſoluto, *vaſtis fluctibus acti.* Quod majorem præ ſe fert contationem, in rei magnæ relatione percommodam: dum ſingulis dictionibus, quæ una pedem claudant, ea interjicitur mora. in *aliis vaſtis & fluctibus acti.* Pierius.

334. *Multa hoſtia.*] Cogebat non ad interrogata reſpondere, quia & ipſa ignorantes cupiebat inſtruere. Sed primo, non primis, ſed noviſſimis occurrit. nam ſi oblationem ſacrificii in extremo poſitam, tacendo acceptaſſet, confirmaſſet ſe deam, quod confutare feſtinat. *Donatus.*

Cadet hoſtia.] Sic Græci πίπτειν & πεσεῖν dicunt. Eurip. in Iphig. μόσχοι τε περὶ γάμων ἃς θεᾷ πεσεῖν χρεὼν ἀρτέμιδι· & Iph. in Taur. de mactando Oreſte & Pylade: ὁποτέρον γοῦν τῇ θεῷ πέσοιεν ἄν. & Æſch. in Suppl. δεῖ κάρτα θύειν, καὶ πεσεῖν χρηστήρια θεοῖσι πολλοῖς, πολλὰ πημονῆς ἄκη. Sic Tibull. lib. 2. *Vota cadunt, utinam ſtrepitantibus advolet alis, Flavaque conjugio vincula portet Amor.* ubi *vota*, ἱερεῖα accipio, hoſtias votivas: neque enim caducis votis res, argumentumque convenire poteſt: quandoquidem, præcedentibus verſibus, exaudita Cherinthi vota deſcripſit, eo conſilio, ut jam poëta gratus, Diis in gratiam Cherinthi vota reddere, & ſolvere immolatis victimis videatur, eadem pene phraſi, qua Æſchylus πεσεῖν χρηστήρια dixit, hoc eſt, ἱερεῖα, καὶ σφάγια. Non in eam partem fortaſſe accepiſſe videri poteſt Tibull. quam Propert. lib. 1. *Omniaque ingrato littore vota cadunt:* quamvis & ad non litantes victimas trahi poſſit Propertii ſententia, quod fruſtra ob deſertam Cynthiam, ſacra & vota in ingrato littore, à ſe fieri queratur, per eam quam ſuſceperat navigationem. Idem Propert. 4. *Et cadat ante meos icta juvenca focos.* German.

Hoſtia dextra.] *Hoſtiæ* dicuntur ſacrificia, quæ ab his fiunt, qui in hoſtem pergunt. *Victimæ* vero, ſacrificia quæ poſt victoriam fiunt. Sed hæc licenter confundit auctoritas. *Servius.*

Multa tibi, &c.] Artificioſe epilogum abſolvit à remuneratione & gratiarum actione. Huic autem loco non valde abſimilis eſt ille Ovid. 14. Metamorph. Fab. 4. ſub perſona Æneæ ad Sibyllam: *Seu dea tu præſens, ſeu diis gratiſſima, &c.* Notetur item Voti formula; & præterea *Cadendi* verbum: quomodo & Græci uſurpant ſuum πίπτειν & πεσεῖν. Sic Tibull. lib. 2. el. 2.

Vota cadunt: utinam ſtrepitantibus advolet alis,
Flavaq; conjugio vincula portet Amor!

Ubi *vota*, ἱερεῖα, accipit Germ. Valens, hoſtias votivas; non caduca vota: ut jam Poëta gratus, diis vota reddere & ſolvere immolatis victimis, ob Cerinthum exauditum, videatur; eadem pæne phraſi, quam Æſchylus πεσεῖν χρηστήρια dixit, hoc eſt, ἱερεῖα καὶ σφάγια. Propert. l. 4.

Et cadat ante meos icta juvenca focos.

Ita ibidem el. 10.

Juppiter, hæc hodie tibi victima corruet Acron.
Voverat: & ſpolium corruit ille Jovi.

Taubm.

Multa tibi, &c.] Fere eadem locutio apud Stat. invenitur l. 2. Achill. *te longus honos æternaque cingent templa.* ubi per *longum honorem* intellige ſacrificium multarum hoſtiarum. *Emmeneſſ.*

 335. Equi-

Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore:
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno,

335. *Equidem.*] Nunc, *ego quidem* significat, alias expletiva particula est. *Servius.*

Tali me dignor honore.] Id est, sacrificio. Et aut vult se probare non numen, sed virginem Tyriam: aut ideo non amplectitur sacrificium, ut diutius lateat: aut certe quia Paphiæ Veneri, quæ Cypri colitur, thure tantum sacrificatur & floribus. qui ait, *Ubi templum illi centumque Sabæo Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.* Idem.

Tali.] Nam si honorificentiam mereor, talis erit, quæ homini præstanda, non deo exhibenda sit. *Donatus.*

Dignor.] Dignam me judico. ut, *Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo,* id est, digne habite. *Servius.*

Haud equidem tali me dignor honore.] Respuens Venus hostiam, alludit obiter ad morem veterem, quo huic Deæ sacra fiebant, non sanguine & carnificina, sed thure ac floribus. Sic putat vir doctus Nannius, advocatque Horatium, qui I. Carm. od. 19. destinans sacrum Veneri, ita ait:

Hîc vivum mihi cespitem, hîc
Verbenas pueri ponit thuraque
Bimi cum patera meri
Mactata veniet lenior hostia.

Et verba Acronis ex codice Blandinio hæc: *bene verbenas, cespitem & thus Veneri promittit, quæ non placatur sanguine.* Virgilius,

Haud equidem tali me dignor honore.

Item:

—— centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.

Cerda.

336. *Virginibus Tyriis.*] Quia Venus suspicari poterat, quibus signis illi deam se putarent. Idcirco illa conatur avertere. Habitus enim, quo me deam suspicamini, non meus est, inquit, sed omnium Tyriarum virginum, quæ in his regionibus sunt. Ergo patrius mos pharetram & cothurnos præbet. Hoc autem facile poterat illa persuadere, quia Æneas se regiones ac homines ignorare dixerat. *Donatus.*

337. *Purpureo.*] Aut pulchro, aut russati, aut rosei coloris. *Servius.*

Purpureo alte suras.] Supra Ecl. 7. *Puniceo stabis suras evincta cothurno.* Hunc locum, & superiorem, *Namque humeris de more habilem, &c.* admonuit me acri judicio vir Giphanius, ut conferrem cum illo Livii Andronici Ione apud Terentianum:

Et jam purpureo suras include cothurno,
Baltheus & revocet volucres in pectore sinus,
Pressaque jam gravida crepitent tibi tela pharetra,
Dirige & odorisequos ad certa cubilia canes.

Subjecit item ex Arnob. lib. 6. quæ ad rem locumque hunc faciunt hæc verba: *Semitectis femoribus Diana, aut ad libidinem concitans Venus nuda, Anubis cum canina facie.* Sed & idem observavit Giphanius, Dianæ purpurea attributa calceamenta, quod Laconico cultu se gereret, Spartæ præcipuo honore culta, Laconumque calceamenta ἐρυθρὰ testetur Pollux lib. 7. ut & 5. venatorum ὑποδήματα, κοῖλα εἰς μέσην κνήμην ἀνήκοντα, δεσμῷ ἀκριβεῖ περιεσταλμένα, ut & *suras vinctas alte* hîc Maro dixit. Ego quoque apud Plutarch. in Numa observavi Spartanas virgines φαινομηρίδας dictas. Certe apud Eurip. in Androm. Peleus Menelao objicit in invidiam Helenes hunc Spartanarum virginum cultum, ut inhonestum & intemperantem, οὐδ' ἂν εἰ βούλοιτό τις σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη αἳ ξὺν νέοισιν ἐξερημοῦσαι δόμοις γυμνοῖσι μηροῖς καὶ πέπλοις ἀνειμένοις δρόμους, παλαίστρας

τ' ἐκ

Punica regna vides, Tyrios & Agenoris urbem:
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.

Impe-

τ' οὐκ ἀναχεῖλοὺς ἐμοὶ κοινὰς ἔχουσι, κᾆτα θαυμάζειν χρεὼν εἰ μὴ γυναῖκας σώφρονας παιδεύετε. Calaber lib. 1. sententiam Maronis reddidisse videtur uno epitheto, quo Penthesileam βαθυκνήμιδα vocat. *German.*

Suras vincire cothurno.] *Cothurni* sunt calceamenta etiam venatoria, crura quoque vincientia: quorum quivis utrique aptus est pedi. Ideo & numero usus est singulari. *Serv.*

Vincire.] Nam vinculis cothurni illigabantur. Ovid. 3. Amor. eleg. 1.

Lydius apta pedum vincla cothurnus habet.

Pollux lib. 7.

ὑποδήματα δεσμῷ περισταλμένα:
Calceamenta illigata vinculo.

Cerda.

338. *Punica regna vides.*] Ad illud *Et quo sub cælo tandem.* Et quidam *Vides*, pro *visurus es* accipiunt. Nam quemadmodum in media silva urbem videt & Tyrios? Hic attentum facit Æneam. *Servius.*

Punica regna vides.] Brevis & concinna narratio. non enim debuit Æneas sub incerto diutius teneri. & ipsa idem volebat. Respondet autem eo ordine, quo interrogatur. Ille enim, *quo sub cælo, &c.* Hæc *Punica regna*, & designato loco dicit personas, *Tyrios* inquit, & addit superioris conditoris nomen. *Donatus.*

Agenoris urbem.] Quam fecerunt Agenoridæ. Agenor autem, Neptuni filius, rex Libyæ & Phœnicis: de cujus genere Dido originem duxit. Et sic dictum est ut, *Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris*; id est, ad Cumas quas fecerunt hi, qui de Chalcide venerant, civitate Eubœæ. *Servius.*

Agenoris urbem.] Antonomasia, pro *Didonis urbem.* Quippe ex Jove natus est Epaphys: hinc Belus priscus: hinc Agenor: hinc Phœnix: hinc Belus secundus, pater Didonis, Pygmalionis, & Annæ. Itaque *Agenor* auctor istius urbis, proavus Didonis, & Rex Phœniciæ fuit. Ne autem Æneas opinaretur, se in Phœniciam tempestate appulsum, cum hæc dicentem audiret, apertè regionem nominans, addit: *sed fines Libyci*: nam & alibi potuerunt esse Tyrii. Et quidem fines Libyci, non *Libya* dicit; quia illîc, occurrente pelago, Africæ termini clauduntur. Videtur autem hic locus emphasin habere ex persona Poëtæ, quod indicant illa

—— *genus intractabile bello:*

quæ non ad laudem, sed ad vituperium dicta apparent. Nec poterat nisi cum stomacho, de Afris, Romanorum hostibus, loqui Poëta. *Taubm.*

339. *Sed fines Libyci.*] Antedictam terram nunc aperte regionem ostendit, dicendo, *Libycos fines.* Tyrii enim & alibi esse potuerunt. *Servius.*

Fines Libyci.] Illic enim, occurrente pelago, Africæ termini clauduntur. *Donatus.*

Intractabile.] Insuperabile, asperum, sævum. Ergo amovit suspicionem, ne putaret se in Tyrum venisse. *Servius.*

Intractabile.] Meminerat enim poëta ex persona sua dixisse: *Studiisque asperrima belli.* Nec est hic repetitio ejusdem rei: quoniam & dici necesse fuit, & ex alterius persona dictum est. *Don.*

Genus intractabile bello.] In codicibus aliquot antiquis *insuperabile* legitur. Id apud Servium Paraphrasis est. Apud Donatum contextus. Sed quia subjungit. Meminerat enim Virgil. se ex persona sua dixisse, *Studiisque asperrima belli.* Hic autem non est repetitio ejusdem rei: quoniam & dici necesse fuit, & ex alterius persona nunc dictum est. Quod si Donatus eandem rem utroque loco agnoscit, nempe *asperrimum* & *intractabile*: magis erunt similia, quam insuperabile. *Pierius.*

Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
Germanum fugiens. longa est injuria, longæ
Ambages. sed summa sequar fastigia rerum.
Huic conjux Sichæus erat, ditissimus agri
Phœ-

340. *Imperium Dido.*] Mira brevitas, sed quæ multa complectatur. Præteritum enim & præsens ponit, & quæ vocaretur, & quid ageret, quæ illis imperabat. Compendii vero causa fuit, ne interrogando, respondendoque longum fieret, quod mature debuit fieri. *Donat.*

Dido.] Dido vero, nomine Elissa ante dicta est, sed post interitum à Pœnis Dido appellata, id est, *virago* Punica lingua, quod cum à suis civibus cogeretur, cuidam de Afris regibus nubere, & prioris mariti amore teneretur; forti se animo, & interfecerit, & in pyram injecerit, quam se, ad expiandos prioris mariti manes, extruxisse fingebat. *Serv.*

341. *Germanum fugiens.*] Hoc loco quasi stupuit Æneas. de Germani enim appellatione fuerat facta major invidia, unde auditoris aviditati præscribit Venus; dicens *longam esse injuriam*, id est, caussam: ab eo quod sequitur, id quod præcedit; ut supra, *Spem vultu simulat.* Idem.

Germanum fugiens.] Potuit enim quæri, qua causa impulsa fuerit, ut relicta patria mulier, quod difficile est, longinqua sectaretur. *Donatus.*

Germanum fugiens.] Hoc loco quasi stupuit Æneas: unde auditoris aviditati præscribit Venus; dicens, *longam esse injuriam*, id est, caussam: ab eo quod sequitur, id quod præcedit. Ac si dicat: Narratio istius alte repetenda esset: Sed —— *summa sequar fastigia rerum*, id est, summa sequar capita: Turneb. lib. 10. cap. 11. Hujus autem rei historiam exactiorem habet Justinus lib. 18. item Hortensius. *Taubm.*

Longa est injuria.] Longa narratio injuriæ. *Servius.*

Longa est injuria.] Hoc addit: quia incredibile fuerat, tantam intervenisse caussam, quæ cogeret germanam dura sectari, relinquentem eum, quem amare debebat. *Donatus.*

Longæ ambages.] Id est, circuitus. Hoc est, ambages narrationis. *Servius.*

342. *Fastigia.*] Summæ partes ædificiorum dicuntur, sed modo Primordia. Quia scit longam esse historiam Carthaginis, ut Salustius, *Sed de Carthagine silere melius puto, quam parum dicere.* Id.

Sed summa sequar.] Artificiosa narratio. Nam multa prætermissuram simulat, ut spe brevitatis attentius audiretur. *Donatus.*

Sed summa sequar fastigia rerum.] Est hoc, quod dixit Orosius lib. 3. c. 11. *magna parvis colligam.* quod Ammianus lib. 17. *propositum meum in pauca conferam.* Plautus multis variat, ut solet, lepide. Asinar. *verba in pauca conferam.* Casin. *in pauca refer.* Menæch. *Loquere paucis, non longos logos.* Mostell. *orationis operam compendio face.* Milit. *verba confer maxime ad compendium.* Cerda.

343. *Huic conjux Sichæus erat.*] Quoties poëta aspera invenit nomina, vel in metro non stantia, aut mutat ea, aut de his aliquid mutilat. Nam Sichæus, Sicharbas dictus est. Belus Didonis pater Methres. Carthago à *Cartha*, ut lectum est, quod invenitur in historia Pœnorum, & in Livio. Sane Sichæus, *Si* brevis est per naturam: sed hoc loco Ectasin fecit, ea licentia, quæ est in propriis nominibus. licet enim in quavis proprii nominis parte syllabæ mutare naturam: quod & in appellativis evenit, si tamen de propriis originem ducant, ut, *Sicanio prætenta sinu:* quia venit à Sicano rege Siciliæ. *Servius.*

Huic conjux.] Amoris inter conjuges honestas inserit causas. Amabat, inquit, hominem, secuta judicium patris, & divitem, & probum. *Donat.*

Sichæus.] Admonent aliqui hunc *Si-*
carbam

Phœnicum, & magno miseræ dilectus amore:
Cui pater intactam dederat, primisque jugarat
Ominibus. sed regna Tyri germanus habebat
Pyg-

carbam dictum, & Poëtam commutasse in Sichæum leniore voce. Sed certe Justinus, non Poëta, Sichæum nominat, & Eustathius Σιχαῖον. Cedren. Συχαῖον. *Cerda.*

Huic conjux Sichæus.] Narratio. *J. C. Scaliger* l. 3. c. 3. Poëtices, ubi de *Expressione Personarum* agit, hoc quoque pro exemplo adducit. Nam habes, *inquit*, statum à conjugio, Fortunam à divitiis, Genus à Phœnicia. Addit etiam affectum:

—— & magno miseræ dilectus amore.

Tum autem fortuna & habitus vitiosi:

—— sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, &c. Taubm.

Ditissimus agri.] Veteres addebant, cujus rei dives. *Servius.*

Ditissimus agri.] Imitatur pessima naturæ opulentia. *Donatus.*

Ditissimus agri.] Justinus: *Sichæo magnæ, sed dissimulatæ, opes erant, aurumque metu regis, non tectis, sed terræ crediderat: quam rem, etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur.* Cerda.

344. *Miseræ.*] Dativus est, non adverbium. *Servius.*

Et magno miseræ dilectus amore.] Hic gravatur factum, ut carissimum sorori virum necarit. *Donatus.*

345. *Cui pater i. d.*] Argumentum amoris. *Servius.*

Cui pater.] Ut contra judicium patris fecerit. *Donatus.*

Pater.] Belus. nam inf. *genitor tum Belus.* Eustathius tamen dubitans, Ἀγήνορος θυγάτηρ, ἢ Βήλου. *Cerda.*

Intactam.] Multum enim differt inter affectum virginis, & ejus, quæ secundo nupsit. *Donatus.*

Cui pater intactam.] Ita Eurip. in Hel. ἄθικτον εὐνῇ, dixit adhuc virginem, atque, ut antiqui vocabant, *signatam* sive *obsignatam*, quæ Homero κουριδίη ἄλοχος, id est, παρθενικὴ γυνή. *Prima* autem *omina* dicit primas nuptias. Nam superstitiosa illa priscorum natio, cum in aliis, tum in conjugiis vel maxime, omina observabat, itaque & nuptiis auspices adhibebantur. Turneb lib. 3. c. 14. & lib. 10. c. 11. Ita Propertius lib. 3. el. 18.

Contineant nobis omina prima fidem.

Habent autem primæ nuptiæ vinculum nescio quod majoris conjunctionis. Vide Val. Max. lib. 2. cap. 1. *de Auspiciis nuptiarum.* Taubm.

Intactam.] Sic Pallas virginitatis custos sanctissima *intacta* dicitur apud Horat. l. 1. od. 7. *Emmeness.*

Primis.] Nullis aliis, sed solis. *Donat.*

Primisque jugarat ominibus.] Hoc est, primis nuptiis: auspicato siquidem fiebant antiquis nuptiæ: unde & Proper. *Contineant nobis omina prima fidem:* ubi omnino *omina*, non *omnia*, contra omnium codicum lectionem repono, vel ex sententia ipsius loci, quo poëta cogitans de mutandis caloribus negat, in novum amorem sibi temere demigrandum, sed auspicato religioseque ineundam esse secundam amicitiam, quo perenniore & magis diuturno vinculo constringantur & sanciantur fœdera, quę, inconsulto & inauspicato contracta, parvo negotio solvi quoque soleant. *Germanus.*

Primisque jugarat ominibus.] Pro eo Stat. Theb. l. 2. *primisque Hymenæis egregiam Argiam, &c. jugari.* & l. 4. Silv. *prima lampade.* Emmeness.

Jugarat.] Fortasse ab Catullo:

Cum Tethidi pater ipse jugandum Pelea
sensit.

Cerda.

346. *Ominibus.*] Vel prosperis & secundis auguriis, vel primariis, ut aliis verbis repetierit, *Cui pater intactam dederat.* *Ominibus* autem secundum Romanos locutus est, qui nil nisi captatis faciebant auguriis, & præcipue nuptias. Lucanus, *Contentique auspice Bruto.* Juvenalis,

Pygmalion, ſcelere ante alios inmanior omnis.
Quos inter medius venit furor. ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore,

Clam

venalis, *Veniet cum ſignatoribus auſpex.* Servius.

Tyri.] Adverbium eſt. *Idem.*

Sed regna Tyri.] Ex quo intelligitur habuiſſe ſpem faciendi, & factum defendendi, quia rex. *Donatus.*

347. *Pygmalion.*] *Pygmalioni* autem admodum puero regnum tradidit populus: regnavitque annos quadraginta ſeptem: fuitque decimus ab *Hiram* ſive *Iromo*, qui ligna cedrina Salomoni ad templum ſuppeditavit. Nam ab illo Hiram ad Carthaginis conditum fuerunt anni CIII. ut numerat Scaliger in Proleg. de Emendat. Temp. *Taubm.*

Scelere ante alios immanior omnis.] Junge totum: nam aliter non procedit, ſi ſegreges, Quos inter medius venit furor: quia multi *Immanior* ad furorem, non ad Pygmalionem referunt, cum ipſe dicat, Licet ſimulatas, fuiſſe tamen amicitias: ſimul namque ſacrificabant: ac ſi diceret, Sceleratior Atreo & Thyeſte, vel Eteocle, & Polynice. Ordo eſt: Inter quos medios. *Servius.*

Inmanior ſcelere.] Non eſt intelligendum, quod furor medius inter Sichæum & Pygmalionem venit. Nam ſic defendi poſſet Pygmalionis factum, ſi non voluntate, ſed furore peccavit, & furens fuiſſet Sichæus, ergo pares. Quapropter ita pronunciandum: ut Sichæus fuerit innoxius, Pygmalion vero omnibus aliis ſceleratior, quos in facinus impulit furor. Ergo alii, ſi in crimina inciderunt, furor in cauſa fuit aut inſania, aut animi dolor, & poſſunt habere veniam facti. Pygmalion vero aliorum comparatione ſceleratior oſtenditur: quia voluntate, non caſu, aut neceſſitate ſcelus admiſit. *Donatus.*

Inmanior.] Id eſt, pejor & nocentior. *Nonius.* vel, crudelis & terribilis. *Iſidorus.* A *manum*, quod priſcis *bonum*: unde contra, *Inmane.* Vide Feſt. & in illum Scalig. & Not. 4. Georg. *Taubm.*

Scelere ante alios inmanior.] Sic noſter l. 7. Æn. ỽſ. 55.

Petit ante alios pulcherrimus omnis Turnus.

C. Nep. in V. Attici *& unus ante alios fuit cariſſimus.* Apulejus l. 9. Metam. *Peſſimam & ante cunctas mulieres longe deterrimam, &c.* de comparatione, quæ virtute præpoſitionis apparet, Sanct. in Minerva p. 369. *Emmeneſſ.*

348. *Ille Sichæum.*] *Si*, hoc loco ſecundum naturam poſuit. *Servius.*

Ille.] De quo nihil tale ſperabatur. *Ille*, quem nulla urgebat inopia, qui germanam viro privare non debebat, qui affinem ſervare debuit, qui contra naturæ religionem faceret, contra judicium patris, rupto humanitatis & affinitatis vinculo, ante aras etiam, ut ſceleri ſacrilegium adderet. *Donatus.*

349. *Impius ante aras.*] Probavit impium, quia ante aras. Singula pronuntiant. *Servius.*

Ante aras.] Occidit propter ſolam avaritiam. Cum res nulla inopia urgeretur, occidit innoxium: incautum ſororis virum. Ergo virtute oratoria unum admiſſum, quantis poteſt criminum generibus aggravat poëta, & partes communis loci ingreſſus, quam late diſcuſſit, non omiſſa brevitate, quæ Æneæ neceſſaria erat, propter tot calamitates feſtinanti. *Donatus.*

Ante aras.] Id eſt, diis ſpectantibus, quos humana cæde funeſtare non debuit. *Idem.*

Cæcus amore.] Unam cauſſam ponit, à vitio naturæ profectam: ſed cui alia crimina adnectuntur. Nam Saluſt. ait: *Avaritia fidem, probitatem, cæteraſque bonas artes ſubvertit: pro iis ſuperbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit.* Avaritiæ ergo comes crudelitas, perfidiaque conjuncta. Non enim poteſt voto potiri, niſi ad id per ſcelus venerit. Habemus exempla apud

poëtam;

Clam ferro incautum ſuperat, ſecurus amorum
Germanæ: factumque diu celavit, & ægram,
Multa malus ſimulans, vana ſpe luſit amantem.

poëtam; hic Pygmalionis. In 3. Polymneſtoris. In 6. qui auro patriam prodiderat. Nihil autem in prima narrationis parte fruſtra poſitum eſt. *Donatus.*

Cæcus auri.] A cupiditate enim impeditus non conſideravit, ubi, quid, cur, & in quem faceret. *Idem.*

Atque auri cæcus amore.] Cæcitas de hoc malo, crebrum. Ovid. 3. Metam. *prædæ tam cæca cupido eſt.* Cic. 2. Philip. *at quam cæca avaritia eſt.* & pro Quint. *cæcus cupiditate, & avaritia.* Diphilus apud Stob. ſerm. 8. de animo ſpirante ad lucrum ait, *ἀλλ' οὐκ ὁρᾷ alia non videt.* Itaque Pygmalion, cæcus auri amore, jura omnia confregit, quia *nullum eſt officium tam ſanctum atque ſolenne, quod non avaritia comminuere atque violare ſoleat.* Verba Tullii agnoſcis pro Quintio. & ejuſdem in Vatinium, quæ ſequuntur: *nemo tam firmum habuit præſidium, quod avaritia non infregerit, atque debilitaverit.* Hanc peſtem *vitiorum Reginam* vocat Caſſiod. lib. 12. var. epiſt. 1. Bio *μητρόπολιν πάσης κακίας.* & Phocylides *μητέρα κακότητος ἁπάσης, metropolin, & matrem totius improbitatis.* Illi maleficia omnia attribuit Auctor ad Heren. lib. 2. & Cato apud Livium lib. 44. everſa imperia. *Cerda.*

350. *Clam.*] Quidam ad ſororem referri putant. *Servius.*

Clam.] Gravat factum. Nullus enim clam facit, niſi illicitum eſſe ſciat. Vel *Clam*, ne ſi palam, innocens defendi poſſet. Ergo *clam*, ut lateret auctor. Quis enim crederet ſororis virum, innoxium, amabilem, nullis intervenientibus inimicitiis ab eo cæſum? *Donatus.*

Securus amorum Germanæ.] Aut contemnens, id eſt, negligens, non curans amorem ſororis. ut, *Securi pelagi atque mei*, id eſt, contemptores. Aut certe ſecurus erat de amore germanæ, circa maritum nimio; ob quem ſe poſt mortem Sichæi interimere poſſe credebatur. nec enim ſequitur, ut, occiſo Sichæo, ipſe ſtatim potiretur auri; niſi etiam Dido periret. *Amores* autem plurali numero ad voluptatem pertinent. ut x. Æn. *Securus amorum, Qui juvenum tibi ſemper erant.* Singulari etiam ad religionem. *Servius.*

Securus amorum.] Horat. l. 2. epiſt. 2. *pœnæ ſecurus.* Similia congeſſit Vechner. Hellenol. l. 1. c. 2. *Emmeneſſ.*

351. *Factum celavit.*] Duplici de cauſa. Prima, ne, manifeſta cæde, ad auctorem aliqua via iretur. Secunda, ne, re patefacta, potiendi auri occaſione privaretur. *Donatus.*

Ægram.] Mœſtam, anxiam. *Servius.*

352. *Multa malus ſimulans, vana ſpe luſit amantem.*] Quia dicebat abſentem, quem conſtabat occiſum. Atqui, hic nimia Pygmalionis oſtenditur malitia, quæ etiam amantem fefellit. *Idem.*

Malus.] Quia *ſimulans.* Eodem plane ſenſu Catullus in nuptiis Pelei:

Nec malus hic, quia, *celans duci crudelia forma*
Conſilia.

Itaque ſimulator & celator malus. Inde etiam Plauto in Amphitr. aſtutus & callidus dicitur *malus.* Cerda.

Vana ſpe.] Quia dicebat, eum reverti. *Servius.*

Luſit.] Decepit. *Idem.*

Vana ſpe luſit amantem.] In antiquiſſimo quodam exemplari *una ſpe luſit* ſcriptum eſt, quæ lectio forſan acutioribus ingeniis non diſpliceat, ubi conſideratum fuerit Pygmalionem, quum tam diu factum occultaſſet, multaque ſimulaſſet, amantem ſola tantum ſpe deludere potuiſſe. Nam quæ cupimus, facile credimus. Poterat vero Dido fratris ingenium & perfidiam à teneris unguiculis exploraſſe: ac perinde figmentis, quæ multa ille comminiſceba-

Ipſa ſed in ſomnis inhumati venit imago
Conjugis, ora modis attollens pallida miris:
Crudelis aras, trajectaque pectora ferro
Nudavit; cæcumque domûs ſcelus omne retexit.

Tum

tur, dum ea de conjuge, ubi nam eſſet, percontaretur, nullam adhibuiſſe fidem. Dum verò Pygmalion eum, & vivere, & venturum brevi polliceretur, idque unum præcipue Dido concupiſceret: hac una ſpe decepta eſt. Si vero *vana* cuipiam magis placeat, integrum unicuique ſit, quam malit lectionem ſequi. *Pierius.*

353. *In ſomnis.*] Si ab eo, quod eſt ſomnium, Synæreſis eſt: ut *peculi* pro *peculii.* Si autem à ſomno venit, *in ſomnis*, id eſt, dum ſomnos caperet. *Servius.*

Ipſa ſed in ſomnis.] Quoniam neque ſuſpicio in Pygmalionem duci propter affinitatem poterat, nec teſtis extabat, poſita eſt imago. *Donatus.*

Ipſa ſed in ſomnis.] Frivola plerique dicunt, quæ de geminandis aut ſimpliciter ſcribendis litteris diſputentur. Veteres tamen Grammatici non incurioſam in hujuſmodi vel levibus obſervationibus operam inſumpſere. quodque ad hunc locum attinet: Soſipater Cariſius *Armaria Armariis* duplici *ii* ſcribendum obſervat. Quæri vero ait de *inſomniis*, quoniam apud Virgilium non geminatur, *inſomnis*, ut ex hoc neſcio quid, quod Servius etiam ambigit, videtis. *Pierius.*

Ipſa ſed in ſomnis.] Pathos à circumſtantiis. *Inhumati* autem dictum, pro honore ſepulturæ carentis; ad augendam Pygmalionis immanitatem. Neque enim veriſimile eſt, cadaver non humatum eſſe, quod voluerit occultari. *Taubm.*

Imago] Τὸ εἴδωλον. *Servius.*

354. *Pallentia*] Ut jam illum cæſum intelligat, additur: *Crudeles aras*, hoc per verba. *Trajecta*, hoc per viſum nudatur. *Donatus.*

Modis pallentia miris.] Lucretio deberi docet Macrobius l. 6. Saturn. c. 1.

Sed quædam ſimulacra modis pallentia miris.

Emmeneſſ.

355. *Crudelis aras.*] Epitheton hoc de cauſſa eſt, nam aræ piæ ſunt. *Serv.*

356. *Nudavit.*] Indicavit. unde è contra in ſexto habemus, *Et vulnera dira tegentem*, hoc eſt, celantem. Quid enim tegeret undique truncatus? *Idem.*

Nudavit.] Auget indignationis affectum, quem non quidem verbis, ſed geſtu exprimit, quaſique tragœdiam excitat. *Taubm.*

Cæcumque domus.] Strictim ponit, quæ ſupra diffuſius dicta fuerant. Suadet autem fugam, quoniam neque ulciſci valet, neque apud ſceleratum tuta eſſe poteſt. *Donatus.*

Cæcum.] Ita Lucretius lib. 3. *cæcas cauſſas* dixit, id eſt, incertas, incognitas. Cæterum fictioni poëticæ adſimilis illa Apuleii lib. 9. *Et per quietem obtulit ſeſe flebilis patris ſui facies adhuc nodo devincta cervice, eique totum novercæ ſcelus aperuit de adulterio, de maleficio, &c.* Cerda.

Retexit.] Ecce hic planius quid ſit *nudavit* oſtendit. Et utrum ad præteritum hoc refertur, an, ut quibuſdam videtur, quod ipſam Didonem putabat occidere, ſed incertum; nam & ideo fugam ſuadere viſus eſt. *Servius.*

Retexit.] Ita Horat. l. 3. od. 23.

Curas, & arcanum jocoſo
Conſilium retegis Lyæo.

& noſter l. 4. vſ. 119.

—— ubi primos craſtinus ortus
Extulerit Titan, radiiſque retexerit orbem.

Sic l. 5. vſ. 65. pro quo Apul. l. 8. Met. *Omnem ſcenam ſceleris illuminare* dixit. & lib. 9. *totum ſcelus aperire.* Emmeneſſ.

357. Tum

Tum celerare fugam patriaque excedere suadet,
Auxiliumque viæ veteres tellure recludit

The-

357. *Tum celerare fugam.*] Celeriter abire, ut dicimus *cursum celero*. Serv.

Tum celerare fugam.] Eustathius, Κελεύει φεύγειν. Cedrenus: καὶ εἶπεν αὐτῇ, φεῦγε· μὴ καί σε φονεύσῃ. Cerda.

Patriaque excedere suadet.] In antiquissimis aliquot exemplaribus *patriam* incusandi casu legere est. Verba enim motum significantia, ubi præpositionem de loco sibi vendicaverint: sui quasi cujusdam juris facta, solent sibi adjungere accusativum: ut quum dicimus *ex domo eo*, mox *exeo domum*. quanquam *&* *domo*. Ita illud comicum, *Cave ex istoc excessis loco*, non ineleganter dixeris, *Cave hunc excedas locum*. Sic apud Virgilium *est exire tela*. Pierius.

Suadet.] Secundum naturam duæ sunt syllabæ, sed multi trisyllabum putant: quod etiam si inveniatur, solutio dicenda est: quo modo dicimus *æna* & *ahena*. Hoc autem solum *hujuscemodi* verbum in Latino invenitur. *Servius.*

358. *Auxiliumque.*] In Mediceo cod. *auxilio* legitur, acquisitivo casu: ut sit sententia, Recludit thesauros, qui futuri essent auxilio viæ. *Pierius.*

Auxiliumque viæ.] Proposita fuga, addit facilitatem in tanta thesaurorum copia. *Donatus.*

Auxiliumque viæ.] Viaticum, ἐφόδιον, τὰ πορεῖα. Alii l. *Auxilioque v.* Taubmann.

Recludit.] Ad opinionem somni recludere videtur, ut, *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.* Servius.

Veteres tell. recl. thesaur.] Hinc & Jurisconsulti thesaurum defossum & reconditum extra hominum memoriam vocant. Quia verò poëtæ sæpe inter fabulosa commenta partem aliquam ad historica eventa referunt, ducerer auctoritate virorum doctorum in eam persuasionem, ut crederem, Maronem allusisse ad thesaurum, cujus vana expectatione & promissione Cesellius Bassus, homo Pœnus, apud Tacit. l. 16. Neroni illuserat, ficta conjectura testatus, opes illas Didonem Phœnissam, Tyro profugam, condita Carthagine, abdidisse, ne novus populus nimia pecunia lasciviret, aut reges Numidarum, & aliàs infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur: in eam, inquam, sententiam discederem, nisi sæculi diversa tempora me ab ea credulitate revocarent: tum quod nondum eo, quo scripsit Maro, tempore tale commentum emerserat, edita tantum & acta fabula sub finem Neronis imperii: tum quod Bassus pro thesauro carbones, ut dicunt, thesaurusque ille extiterit nunquam, sed per quietem turbido homini & Pœno visus & repertus tantum, non exhibitus revera Neroni ex fide data fuerit, exitium vano pollicitatori & auctori allaturus, nisi morte voluntaria principis immanitatem prævenisset: ut probabile magis sit, Tacitum potius, aliosque historiographos (si qui ejusdem commenti meminerint) ad hunc Virgilii locum respecturos fuisse, quam contra. *Germanus.*

Thesauros.] Hoc nomen, *n* non habet sicut *Atlas*, *Toas*, *Abas*, *Pallas*: licet in obliquis casibus inveniatur. sicut nec *formosus*, quia derivativum est à *forma*: ut à *specie speciosus*, ab *odio odiosus*, velut à *genere generosus*, ut à *scelere scelerosus*. Servius.

Thesauros.] Plerique non Virgiliani tantum codices antiqui, verum etiam Terentiani *thensauros* per *n*, scriptum ostendunt: fuitque Servius super ea scriptione sollicitus, & ex veteribus quidam alii. Quo enim modo hic *thensauros* legitur, ita & in antiquo Terentii codice Vaticanæ bibliothecæ scriptum est, *atq. in thensauro* scripsit caussam dicere unde esset *thensaurus* sibi. Clamat Servius nomen hoc *n* litteram non habere, sicut nec *Atlas*, *Gigas*, *Abas*, *Pallas*. Licet in obliquis casibus inveniatur Atlantis, Gigantis, Abantis, Pallantis.

Thesauros, ignotum argenti pondus & auri.
His commota fugam Dido sociosque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat: navis, quæ forte paratæ,
Corripiunt, onerantque auro. portantur avari
Pygma-

tis. Sicut nec formosus, quia derivativum est à forma, ut à specie speciosus. Sed enim quæ plurima de hujuscemodi scriptionis ratione dicere hic instituеramus, explicata sunt in Alexi, versu primo. Hic id tantum monere voluimus, si *thensauros* per *n* scriptum invenias, id olim eruditis etiam viris negotium facessere solitum. *Pierius.*

359. *Ignotum argenti pondus & auri.*] Aut quod ignorabat Dido; vel ad magnitudinem pertinet, id est, tantum quantum nullus unquam novit. *Serv.*

Argenti pondus & auri.] Eurip. in Hippol. ἢ σιδήρου ἢ χρυσοῦ βάρος. *Germ.*

Ignotum pondus & auri.] De his divitiis Justinus l. 18. c. 4. *Hinc magnæ, sed dissimulatæ opes erant: aurumque metu regis non tectis, sed terræ crediderat: quam rem etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur.* Emmeness.

360. *His commota.*] Id est, Supradictis. *Servius.*

Sociosque parabat.] Justinus, *Assumptis quibusdam principibus in societatem, quibus par odium in regem esse, eandemque fugiendi cupiditatem arbitrabatur.* Cerda.

Sociosque parabat.] Quos socios? duum nempe generum: qui & oderant tyrannum læsi, & metuebant lædendi. Ita præclare ista duo conjunxit, *Odium* & *Metus.* nam ex timore odium nascitur. Et tyrannus cum sciat, se non amari, vult timeri: hinc illud; *Oderint, dum metuant.* Aristoteles in Rhet. οὐδεὶς γὰρ φιλεῖ, ὃν φοβεῖται. *Odium* autem *crudele,* per enallagen: pro, odium crudelis tyranni. Et notetur fœminæ sapiens consilium in re difficili ac periculosa. *Taubmannus.*

361. *Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni Aut metus acer erat.*] Oderant læsi; Metuebant lædendi, hoc est, qui timebant, ne læderentur. unde est illud in IIII. *Quos Sidonia vix urbe revelli.* quia non voluntate, sed aut odio, aut timore convenerant. *Servius.*

Odium crudele Tyranni.] Id est, crudelis tyranni, & figura est Hypallage: nam in tyrannum, justum odium est. *Idem.*

Odium.] Eorum, qui nonnullis viribus potuissent resistere. *Donat.*

Metus.] Eorum, qui aliquid crudelitatis expectarent. Ergo alii favebant Didoni, ne ille, occupato auro, fieret fortior: alii propter metum, quibus ferebat occasio, ut carerent sævissimi hominis dominatione. *Idem.*

362. *Paratæ.*] Id est, erant: Sed sciendum, quod clam tangit historiam. Moris enim erat, ut de pecunia publica Phœnices misso, à rege auro, de peregrinis frumenta coëmerent. Dido autem à Pygmalione ad hunc usum paratas naves abstulerat; quam cum fugientem à fratre missi sequerentur, aurum illa præcipitavit in mare, qua re visa, sequentes reversi sunt. licet alio ordine etiam historia ista narretur. *Servius.*

Paratæ.] Si enim aliquid innovassent, in navigiis data esset aperta suspicio. *Donatus.*

Paratæ.] Ita etiam in re nautica Propertius lib. I. eleg. 17.

Ah pereat quicunque rates, & vela paravit
Primus.

Uterque à Plauto, qui in Milit.

Ego, quantum unus possum, mihi navem paro.

Cerda.

363. *Onerantque auro.*] Aurum omne & argentum jusserat tolli Sichæus: Sed isti, quia major navium copia ad omne tollen-

Pygmalionis opes pelago. dux femina facti.
Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Mœnia,

tollendum opus fuisset, id tulerunt, quod naves capere possent. Ergo *auro*, quod pretiosius est, & non argento. *Onerant*, ut plus etiam, quam naves ferre possent, impositum esse videatur. Quanta ergo fuit thesaurorum copia, cum, relicto argento, ne totum quidem aurum naves ferre possent? *Donatus.*

Portantur.] Vox significantissima ad rem maris. Ita lib. 4.

—— en dextra fidesque,
Quem secum patrios ajunt portare Penates.

Propert. lib. 3. eleg. 7.

Portabat Sanctos alveus ille viros.

& lib. 2. eleg. 28.

Una ratis fati nostros portabit amores.

Inde *deportati* dicebantur exules illi, qui classe relegabantur. Terentii verba illa in Phorm. Act. scen. 3. *Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi.* Explica de portatione per maria. Sicut & Tullium pro lege Manil. qui de Pompeio *victorem exercitum deportavit.* Loquitur enim de Pompeio, redeunte ex Africa in Italiam. Inde significantissime Charon dicitur Virgilio *portitor.* Et de eodem Propertius lib. 3. eleg. 18.

At tibi nauta pias hominum qui trajicis umbras,
Huc animæ portent corpus inane tuæ.

Hoc Græci negligunt, neque enim in relegatis classe usurpant κομίζειν, aut ἐκκομίζειν, sed obvium quoque. In Cedreno vidi, ἐξώρισεν. In eodem κατενεχθῆναι, & ἐν νήσῳ περιορισθῆναι. Et iterum post multa, αὐτὰς πλοίοις ἐμβιβάσας. *Cerda.*

364. *Portantur avari Pygmal. &c.*] Quas Pygmalion jam suas putabat, unde est in IV. *Ulta virum.* Quæ enim avaro major pœna, quam pecuniam, propter quam deliquerat, perdere. Remove hoc, & falsum est, *Ulta virum.* Servius.

Avari Pygmalionis.] Omne illuc tendit, ut probetur, quod dictum est. Sed quo modo Pygmalionis? Quia illas suas futuras animo conceperat, propter quod sibi ereptas, inique ferret. *Donatus.*

Pygmalionis opes.] Tyrus opulentissima civitas fuit, cujus opes omnibus in scriptoribus decantantur, inde Stat. l. 1. Thebaid.

—— Quid si Tyriæ Phrygiæve sub unum
Convertuntur opes.

Pro maximis. *Emmeness.*

Dux fœmina.] Ad insultationem Pygmalionis dictum, ut ea, duce fœmina, perdiderit, quæ assecuturum se putabat. *Donatus.*

Dux fœmina facti.] Νόημα. Et occulta est Didûs prudentiæ commendatio, non absque admiratione. *Taubm.*

365. *Devenere locos.*] Minus est *ad.* Servius.

Devenere locos.] Ordina sic, *Devenere locos, mercatique solum ubi nunc ingentia cernes mœnia.* Nam ædificium institui non potuit, nisi prius emto solo. *Donatus.*

Devenere locos.] Ex hoc loco Silius I. Pun.

Pygmalionæis quondam per cærula terris
Pollutum fugiens fraterno crimine regnum,
Fatali Dido Libyes appellitur oræ.

Hunc Phœnicum in Africam adventum Tertullian. lib. de Pall. *eructandi* verbo expressit: *Scythæ exuberant in Persas, Phœnices in Africam eructant, Romanos Phryges pariunt.* Cerda.

Ubi.] Peculiaris elegantiæ fuit apud veteres, adjungere post nomina adverbium aliquod loci, idque loco *quis*, vel *qui.* Unde Poëta *locos, ubi:* non, *locos, in quibus.* Cæsar 3. Gall. *collis, ubi castra posita.* Terent. Eunuch. *digna res, ubi nervos intendas.* Cicero 2. orat *porticus, ubi inambulamus.* Plaut. Pseud. *occasionem reperisti, ubi percunteris.* Plura Godoscal. *Idem.*

366. *Sur-*

Mœnia, ſurgentemque novæ Carthaginis arcem:
Mercatique ſolum, facti de nomine Byrſam,

Tau-

366. *Surgentem.*] Erigentem ſc. ut, *Surgentem in cornua cervum.* Servius.

Novæ Carthaginis.] Carthago eſt lingua Pœnorum *nova civitas*, ut docet Livius. *Idem.*

367. *Mercatique ſolum, facti de nomine Byrſam.*] Dido appulſa ad Libyam, cum ab Hiarba pelleretur, petiit callide, ut emeret tantum terræ, quantum poſſet corium bovis tenere. tum corium, in fila propemodum ſectum, tetendit, occupavitque modum ſtadia xx. quam rem leniter tangit Virgilius. & non *tegere*, ſed *circundare*. Idem.

Mercatique ſolum, &c.] Silius lib. I. de Didone,

Sum pretio mercata locum, nova mœnia ponit,
Cingere qua ſecto permiſſum littora tauro.

Et Appianus in Λιβυκ. ἐδέοντο δὲ χωρίον ἐς συνοικισμὸν λαβεῖν, ὅσον ἂν βύρσα ταύρου περιλάβῃ: *Tantum ſoli deprecati ſunt ad habitandum, quantum circumdaret taurinum corium.* Cerda.

Facti de nomine Byrſam.] Conjunxit Virgilius hæc duo nomina, Carthaginem & Byrſam, ut res vicinas. Βύρσα enim Græce corium, Carthago à cartha deduci videtur, utrobique vocabulo ex taurino tergo derivato: poſtea tamen diverſa ſignificata accepere, Byrſa enim, teſte Strabone lib. 17. Carthaginis arx eſt, ut Athenis Acropolis, Thebis Cadmeia. Carthago autem univerſa urbs eſt, quæ à Stephano & καινὴ πόλις, & Cadmeia & Onuſſa dicitur. *Nannius.*

Byrſam.] Hic te admonitum lector velim, Didonis hiſtoriam, quam Poëta late recenſuit, non incidiſſe in Æneæ tempora: ſed placitum hoc fingere ſummo Vati. Quæ res illum moverit, dicent alii, nam ignoraſſe illum, ne crede. Didonem Æneas præceſſit annis 228. & eo amplius, ſi Juſtinum ſequaris. Supputatio clara eſt. Ait ille lib. 43. *Aſcanius longam Albam condidit, quæ trecentis annis regni caput fuit.* At qui lib. 18. idem loquens de Carthagine: *Condita eſt urbs hæc 72. annis antequam Roma.* Eadem ſcribit Oroſius libro 4. cap. 6. Deme hunc numerum ab annis 300. & ſupererunt anni 228. Adjice inſuper Æneæ vitam. Ab extremo numero demit Velleius lib. 1. annos ſeptem, ait enim conditam Carthaginem annos quinque & ſexaginta ante urbem Romam. *Cerda.*

Byrſam.] An ex corio, in tenuiſſimas partes diſſecto, facta ſit, ut Juſtinus l. 11. c. 5. relinquimus in medio. Byrſa tantum à Didone Tyria exſtructa eſt. *Acropolis* fuit appellata hæc arx, & ὀχυρώτατον τῆς πόλεως munitiſſimus urbis locus, ut Appian. cap. 79. de bell. Pun. Pro *Boſra* dici volunt eruditi, quod *arcem* vel munimentum ſignificat. Huic arci, ubi creverunt coloni, Tyro cum Didone advecti, ampliora mœnia circumdata ſunt. Inſtaurandæ urbis auctorem Jarbam fuiſſe docet Salmaſ. Plin. exercit. p. 322. de Byrſa & Carthagine Appian. l. de Bell. Pun. in principio: Οἱ δὲ, τὸ δέρμα (de hac voce conſule P. Victor. l. 35. c. 18.) περιτεμόντες ἐς ἱμάντα ἕνα στενότατον, περιέθηκαν ἔνθα νῦν ἐστὶν ἡ Καρχηδονίων ἀκρόπολις· καὶ ἀπὸ τοῦδε Βύρσα ὀνομάζεται. χρόνῳ δὲ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι, καὶ τῶν περιοίκων ἀμείνους ὄντες ἐς χεῖρας ἐλθεῖν, ναυσί τε χρώμενοι, καὶ τὴν θάλασσαν οἷα Φοίνικες ἐργαζόμενοι, τὴν πόλιν τὴν ἔξω τῇ Βύρσῃ περιέθηκαν. Arcem, quam in medio collocat Strabo lib. 17. nonnulli diſtinguunt ab ipſa urbe, in quibus Livius l. 34. c. 62. in ſumma arcis parte templum fuit Æſculapii, quod incendio conſumtum, cum à Scipione non tantum urbs ſed & ara expugnaretur. De magnitudine Byrſæ hoc habe, cum illius potiretur Scipio, exiviſſe ex ea μυριάδες πέντε ἀνδρῶν ἅμα καὶ γυναικῶν quinquaginta millia virorum & mulierum. Dictum vide Appian. l. de Pun. bell. c. 79. & 80. *Emmeneſſ.*

368. *Ter-*

Taurino quantum possent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris,
Quove tenetis iter? Quærenti talibus ille
Suspirans, imoque trahens à pectore vocem:
O dea, si prima repetens ab origine pergam,

Et

368. *Tergo.*] Pro *tergore*. Servius.

Taurino quantum.] Alii dicunt pecuniam tunc ex corio bubulo fuisse, & pecuniam dictam, quod ex pecore originem duceret: tantumque fuisse in precio loci, quantum bovis corium conficere potuisset. Alii fraudem emptoris ponunt, qui tantum mercatus sit, quantum corio bovis possit circundari. At venditor nihil tale suspicans, arbitratus est tantum dedisse, quantum integrum corium posset occupare. Emptores vero in tenuem corrigiam illud secantes, plus quam deberent occupantes, sed fabulosa sunt omnia. nam si attendatur magnitudo urbis, & quanta à Virgilio describatur, non poterat nisi latioribus locis condi: licet poëta hoc credibile faciat dicendo, *facti de nomine Byrsa:* quod & lingua Græca, unde fuit Dido, & Punica, id est, ipsius regionis, in qua res est gesta, corium significat. *Donatus.*

Tergo.] Pro tergore. Ita Tacitus lib. 15. loquens de cruciatibus Christianorum, *pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contriti, laniata carne, interirent.* Ita contra 9. Æneid. *tergus* ponit pro *tergo*, cum ait:

— *raptas fugientibus ingerit hastas*
In tergus.

Est enim *tergum*, *dorsum*; *tergus*, *pellis*. Verba sunt Charisii, vel, ut ait Servius: *tergum*, *dorsum*; *tergus*, *corium*. Cerda.

369. *Sed vos qui tandem.*] Vacat hoc loco *tandem*. Velut ante videtur expletiva conjunctio; ut est, *Et quos sub cœlo tandem.* alii *tandem* pro *tamen* accipiunt. *Servius.*

Sed vos.] Mira brevitas interrogantis, nec fraude caret. Nam conatur ostendere, se non esse deam, sed non fallit Æneam. Nam cum magna animi laceratione respondet. *Donatus.*

370. *Quove tenetis iter.*] Naturalis interrogatio, *qui estis? unde? vel quo itur?* Sicut ipse in VIII. licet mutato ordine, *Quo tenditis inquit? Qui genus? unde domo?* Servius.

371. *Imoque trahens à pectore vocem.*] Deest *dixit*. Quotiens longe respondet, Parenthesis est. quotiens nusquam, Ellipsis est, ut hoc loco. *Idem.*

Suspirans, imoque trahens.] Sermonem Achillis præcedit I. Il. versus

Τὴν δὲ βαρυστενάχων προσέφη πόδας
ὠκὺς Ἀχιλλεύς.

Hanc autem graviter suspirans alloquutus est celer Achilles.

Calaber lib. I. μέγα στονάχησεν, *altè duxit suspirium.* Prudentius in περὶ στεφάν.

Romanus alto corde suspirans diu,
Gemitu querelam traxit, & sic orsus est.

Apulejus libro I. *imo de pectore cruciabile suspirium ducens.* Plautus Cistell. *petivit suspirium alte.* Seneca de Ira lib. 2, cap. 3. *altum suspirium.* & Rhetor Controv. II. *repetitos alte gemitus.* Cerda.

372. *O dea.*] Perseverat in opinione sua: ita tamen, ut & illius orationi aliquando concedat. Nam paulo post ait, *Si vestras forte per aures Trojæ nomen iit.* Aut certe illud est, quod superius dixerat, *An Nympharum sanguinis una?* quæ non omnia sciunt: nam & moriuntur secundum Aristotelem, ut Fauni, Panesque. *Servius.*

O dea.] Duo dicit impedire. Unum, quia non vacat. Alterum, quia brevitas temporis narrationem expleri non patitur. Properat redire ad suos, à quibus in locis desertis noctu separari non debuit. Benevolam autem facit & honorificam, cum *deam* appellat: & attentam, quum multitudinem calamitatum

Et vacet annalis nostrorum audire laborum;

Ante

tatum suarum proponit: & non tamen omnes se dicturum. Respondet ad omnia, sed non ordine. Primo enim respondet secundæ: *Quibus aut venistis ab oris.* Et quamvis, narratione totius diei non posse expleri calamitates, dixerit, tamen brevitate miranda, labores omnium conclusit annorum. Nam dicendo: *nos Troja antiqua*, primam temporis partem posuit. Dum autem *diversa per æquora vectos*, mediam: &, *forte sua Lybicis*, ponit postremam, & simul ostendit, quod violentia fluctuum illuc appulerit. & quia cum dea putabat se loqui, commendat personam suam, dicendo, *Raptos qui ex hoste penates*, &c. *Donatus.*

Ab origine.] A raptu Helenæ. *Servius.*

Ab origine.] Ab ultimo initio, id est, à raptu Helenæ. Propert. l.3. el.4.

Nunc mihi, si qua tenes, ab origine dicere prima
Incipe: suspensis auribus ista bibam.

Annales autem *laborum* festiva tralatione dixit; notans labores magnos, & qui digne in annales à Pontifice Max. referantur. Et sunt, qui putent pontificiam dignitatem hic Æneæ tribui. De quo Macrobius, Nascimbænus; itemque de *Annalibus* Cic. 2. De Orat. *Taubm.*

Pergam.] Perseverem, hoc est, universa dicam. *Servius.*

373. *Annales.*] Inter historiam & annales hoc interest; *Historia* est eorum temporum, quæ vel videmus, vel videre potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, id est, videre. *Annales* vero sunt eorum annorum, quos ætas nostra non novit, unde Livius ex annalibus & historia constat. Sed confunduntur licenter, ut hoc loco pro historia dixit annales. Ita autem annales conficiebantur, tabulam dealbatam quotannis Pontifex Maximus habuit, in qua, præscriptis Consulum nominibus & aliorum magistratuum, digna memoratu notare consueverat, domi militiæque, terra marique, gesta per singulos dies. Cujus diligentiæ annuos commentarios in octoginta libros veteres retulerunt; eosque à Pontificibus Maximis, à quibus fiebant, Annales maximos appellarunt; unde quidam ideo dictum ab Ænea annales ajunt, quod & ipse religiosus sit, & à Poëta tum Pontifex inducatur. *Idem.*

Et vacet annalis nostrorum audire laborum.] In perveteri codice, manu scripto, *Annalis nostrorum audire parentum* legitur: quod forte non displiceat, si quantum interrogationi congruat, responsum perpenderimus. Tria enim percontata fuerat Venus: Quinam essent, Unde degressi in Lybiam advenissent, Et quo demum essent profecturi. Cujus interrogationis pars prima, *sed vos quinam estis*, duplicem requirebat responsionem: à genere, vel à specie. Nam quo quis celebris habeatur, aut majorum nobilitas, aut virtus propria debet efficere. Æneas vero, qui se hujusmodi distinctioni obligatum intelligit, angustia temporis circunseptus videt longum & importunum esse, majorum suorum gloriam recensere, festinandumque esse ad speciem, & ad individuum, ut quod nunc instat, interrogantem sibi conciliet. Itaque prudenter ea, quæ ad Majores suos pertinent, nolle se recitare per occupationem dicit: fuisse vero nobiles, eo comprobat argumento, quod tot & tam magnæ sint à majoribus suis gestæ res (id enim significant Annales) ut vix dies narranti sit suffectura. Reliqua vero responsa, quum manifesta sint, prætereo, ut minime ad commemorandum necessaria. Donatus tamen cum aliis codicibus, *laborum* non *parentum* videtur agnoscere, dum ita exponit, Quia narrationem malorum unius anni, diei tempus expleri non patitur. Ita enim Annales videtur interpretari, & malorum paraphrastice pro *laborum* posuisse.

Ante diem clauſo conponet veſper Olympo.
Nos Troja antiqua, ſi veſtras forte per auris
Trojæ nomen iit, diverſa per æquora vectos
Forte ſua Libycis tempeſtas adpulit oris.

Sum

ſe. ea tamen curta ſunt in vulgatis exemplaribus. *Pierius.*

Annalis.] Cum res geſtæ plurium annorum componuntur, obſervato cujuſque anni ordine, *annales* fieri dicuntur, ut Gell l. 5. c. 18. ubi quid differant annales ab hiſtoria & ephemeride cognoſces. inde Juvenal. ſat. 2. ỷſ. 102.

Res memoranda novis annalibus, atque recente
Hiſtoria.

Emmeneſſ.

374. *Clauſo.*] More poëtico, qui dicunt cœlum per noctem claudi, per diem aperiri. unde eſt, *Porta tonat cœli.* & *Conſidunt tectis bipatentibus.* Servius.

Conponet.] Finiet. ut, *Oblato gaudens conponi fœdere bellum.* Et, *Non noſtrum inter vos tantas conponere lites*: Alibi pro diſponere, *Nec conponere opes norant:* Alibi pro conjungere, ut, *Conponens manibuſque manus*: Alibi pro comparare: ut, *Sic parvis conponere magna ſolebam.* Alibi pro fundare: ut, *Nunc placida conpoſtus pace quieſcit.* Idem.

Conponet.] In codicibus aliquot antiquis, non invenuſte, *Conponat* habetur. *Pier.*

Conponet.] Mortui proprie dicuntur componi. Quam tranſlationem non inelegantur diei, quæ occidit, accommodatam eſſe aſſerit Turn. l. 10. c. 11. & de moriente die. l. 18. c. 14. verſum habes ex Papiniano l. 4. Silv.

Jam moriente die rapuit me cœna benigni
Vindicis.

Plaut. Menechm. 1. 2. 45. *dies quidem jam ad umbilicum dimidiatus eſt mortuus.* Plura de verbo *conponere* dicta ad verſ. hujuſce libri 249. Aliis verbis profert Maronis ſententiam Stat. Thebaid. l. 1.

— *vix lucis ſpatio, vix noctis abactæ,*
Enumerare queam mores, &c.

Emmeneſſ.

Veſper.] Proprie eſt ſtella. cum autem *veſperi* dicimus, adverbium temporis eſt. Modo ſane utrumvis accipe. Sciendum tamen eſt, quod omnia nomina, quæ de Græcis in *os* exeunt & ad nos tranſeunt, apud nos aut in *us* tantum exeunt, ut *Delos Delus*: aut in *er*, ut *ἀγρὸς ager*: aut in utrumque, ut *Evandros, Evandrus, Evander.* Servius.

375. *Troja antiqua.*] Nobili, venerabili. more ſuo alibi, *Terra antiqua*, id eſt, nobilis: aut certe cara, & hoc ideo, quia dixit, *quibus aut veniſtis ab oris.* Idem.

Si veſtras forte per a.] Cum apud Deam ſciat ſe loqui, cur ait, *Si veſtras per aures*: & *Forte* hic, aliqua ratione. *Idem.*

376. *Trojæ nomen iit.*] Notat J. C. Scaliger lib. 4. cap. 16. verbum *it*, & *iit*, mirum quantum placuiſſe Virgilio: quemadmodum & Conjunctionem *Ut.* Exempla ibidem videas. *Taubm.*

Vectos.] In perveteri quodam codice, *Jactos* legi: quod pro *jactatos* intelligi oporteret. Ut illud, *Quo primum jactati undis.* Sed major pars veterum codicum *vectos* habet: idque omnino melius. *Pierius.*

377. *Forte ſua.*] Caſu ſuo, id eſt, quo ſolet. *Forte* autem nomen eſt, à nominativo *Fors*, ut Terentius, *Fors fuat pol.* ipſe alibi: *Quoniam fors omnia verſat.* Servius.

Forte ſua.] Caſu ſuo, id eſt, quo ſolet. Ita & Livius lib. 1. *Forte quadam invenit* &c. *Taubm.*

Libycis.] Jam ſcivit, audivit enim, Sed fines Libyci. *Servius.*

Sum pius Æneas, raptos qui ex hoſte Penates
Claſſe veho mecum, fama ſuper æthera notus.
Italiam quæro patriam; & genus ab Jove ſummo.

Bis

Appulit oris.]Figura ſupra dicta. *Servius.*

Tempeſtas appulit oris.] Eurip. in Oreſt. Μαλέᾳ περιστίχον πρώραν. Homerus 5. Odyſſ. ita, δεῦρο κῦμα πέλασεν. Totus vero hic locus compoſitus eſt ad umbram ejuſdem Homeri, atque Euripidis. Ulyſſes quidem odyſſ. 9. inducitur reſpondens Polyphemo paria Virgilianis ab eo verſu, ἡμεῖς τοι Τροίηθεν, &c. & paria idem Vlyſſes eidem Cyclopi apud Euripidem ab eo, Ἰθακήσιοι μὲν τὸ γένος. indicaſſe ſit ſatis. *Cerda.*

378. *Sum pius Æneas.*] Non eſt hoc loco arrogantia, ſed indicium. Nam ſcientibus aliquid de ſe dicere, arrogantiæ eſt: ignotis, indicium. Aut certe heroum ſecutus eſt morem, quibus quam mentiri turpe fuerat, tam vera reticere. Denique Vlyſſes in Homero ait, ſuam famam uſque ad cœlum veniſſe: unde & iſte, *Fama ſuper æthera notus.* Aut certe vetuſte *pietatem* pro religione poſuit. Saluſt. in Catil. *Verum illi delubra Deum pietate, domus ſuas gloria decorabant.* Plautus in Pſeudolo, *Non poteſt pietate obſiſti, ſive ut res ſunt cæteræ; Deos quidem quos maxime eſt æquum metuere, eos minime facit.* Sane *pius* poteſt eſſe & purus, & innocens, & omni carens ſcelere. *Piare* enim antiqui purgare dicebant; inde etiam *piamina*, quibus expurgant homines, & qui purgati non ſunt impii. *Servius.*

Sum pius Æneas.] Non temere ſuas laudes effudit: eſt enim & pietas & fortitudo. *Ex hoſte rapuiſſe* virtutis eſt: *vehere*, conſtantiæ: *claſſe*, prudentiæ militaris. Putidi vero Grammatici, cum accuſant Virgilium illius laudis: *Fama ſuper æthera notus:* damnare prius Homerum debuere: καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει. *Taubm.*

Raptos qui ex hoſt. p.] Hoc eſt, ſum pius. Optima autem elocutio eſt, pluſque ſignificat de pluralitate ad ſingularitatem tranſire: ut *venor multis canibus*, & *multo cane*, ut Horatius, *Aut trudit hinc acris & hinc multo cane apros in obſtantis plagas.* Sane de diis penatibus licet varias opiniones ſecutus ſit Virgilius; omnes tamen diverſis locis complexus eſt. Nam alii, ut Nigidius & Labeo, Deos penates Æneæ Neptunum & Apollinem tradunt, quorum mentio fit, *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.* Varro Deos Penates quædam ſigilla lignea, vel marmorea, ab Ænea in Italiam dicit eſſe advecta, cujus rei Virgilius meminit: *Effigies ſacræ divum, Phrygiique Penates, Quos mecum à Troja mediiſque ex ignibus Urbis Extuleram.* Idem Varro hos deos Dardanum ex Samo Thracia in Phrygiam, de Phrygia Æneam in Italiam memorat portaviſſe. Alii autem, ut Caſſius Hemina, dicunt deos Penates ex Samo Thracia appellatos, θεοὺς μεγάλους, θεοὺς δυνατοὺς, θεοὺς χρηστούς. Quorum diverſis in locis ita meminit, *Natoque, penatibus & magnis Diis:* hoc eſt θεοὺς μεγάλους. Et iterum, *Junonis magnæ primumdominamque potentem*, τοὺς δυνατούς. Et *bona Juno*, τοὺς χρηστούς. Ecce ergo diverſis locis omnia tria complexus, quæ omnia locis ſuis dicentur. *Servius.*

379. *Fama.*] Medie poſuit: nec dixit, *qua fama.* Nam & multi mala fama noti ſunt: ſed qua fama intelligat, ponit; quum ſe religione in deos fama ſuper æthera notum dicit. Cum enim laboribus meis eſſem notus toti orbi, fama nominis mei, ſine fine decurrens, ad cœlum venit. *Donatus.*

380. *Italiam quæro.*]Hoc loco diſtinguendum eſt: nam ſi ad hoc junxeris *Patriam* non procedit. Patria enim civitas in provincia eſſe poteſt: non tamen ut ipſa provincia patria ſit. licet in Saluſtio legitur, *Hiſpaniam ſibi antiquam patriam eſſe:* ſed illic ad laudem pertinet, non

ad

Bis denis Phrygium conſcendi navibus æquor;
Matre dea monſtrante viam, data fata ſecutus:

Vix

ad veritatem. Tria ergo dicit, Provinciam quæro, hoc eſt, Italiam: patriam, hoc eſt, Corytum Thuſciæ civitatem, unde Dardanus fuit. alibi de ipſa Italia Æneas, *Hic domus, hæc patria eſt.* vel ſic diſtinguitur, *Italiam quæro patriam & genus ab Iove ſummo*; ut mihi ſit Italia patria, Jovis genus efficit propter Dardanum, id eſt, *genus ab Iove:* Ideo quia ex Electra & Jove Dardanus Jaſiuſque nati ſunt. Dardanus autem auctor eſt Trojæ. Bene ad tria interrogata reſpondet; qui eſſet, unde veniſſet, quo tenderet. *Servius.*

Italiam quæro patriam, & genus ab Jove ſummo.] Hic diſtinguendum eſt, inquit Servius. Tria enim quærit Æneas; provinciam, id eſt, Italiam; patriam, id eſt, Corytum Thuſciæ civitatem, unde Dardanus fuit: genus, quia ex Electra & Jove Dardanus eſt natus, qui auctor Trojæ. Bene igitur ad tria interrogata reſpondet. Qui eſſet, unde veniret, quo tenderet. Ita quidem & Fabric. diſtinguit: ſed duplicem agnoſcit appoſitionem. *Patriam ab Jove*, propter oraculum: *genus ab Jove*, propter Dardanum. ita 3. Æn.

— *da mœnia feſſis Et genus.*

Con. Fanen. verſum hunc ita legit:

Italiam quæro: patriam & genus ab Jove ſumo:

ut ſenſus talis ſit: Quæro Italiam; patriam & genus ab Jove ſumo, id eſt, accipio, traho. hoc eſt, Jovis conterraneus & conſanguineus ſum. ut *ſumo* non ἐπίθετον ſit, ſed verbum. Cur autem Poëta nunc Phrygiam, nunc Cretam Jovi patriam adſignet, ibidem docetur. *Taubm.*

Italiam quæro.] Ad id, *Quove tenetis iter?* & ornaturus genus addit, quod non quæſitum fuerat. *Donatus.*

Et genus à Jove ſummo & Matre dea.] Libenter auditur, quod gratias agat matri, quaſi abſenti. *Idem.*

Summo.] In Romano codice, *ab Jove magno* legitur. Utrunque epitheton Jovis eſt, ſive Olympus, ſive Æther pro Jove intelligatur. *Pierius.*

381. *Bis denis.*] Oſtendit magnum numerum. Sunt autem, ſi dolentis animum excutere volumus, ſeparatim ſingula cogitanda. *Donatus.*

Phrygium æquor.] Id eſt, Helleſpontum. *Servius.*

Conſcendi.] Bene *conſcendi* ſecundum phyſicos, qui dicunt terram inferiorem eſſe aqua, quia omne, quod continetur, ſupra illud eſt, quod continet. *Servius.*

Conſcendi.] Proprie navigantium eſt *conſcendere*, quod Græce ἐπιβαίνειν, ut ex Cicerone liquidum facit Hadr. Card. de Serm. Lat. noſter *claſſem conſcendere* l. 10. utitur Cic. præpoſitione l. 14. ad famil. epiſt. 7. *navem ſpero nos valde bonam habere, in eam ſimulatque conſcendi.* Abſolutè idem l. 2. ad Q. Fratr. ep. 6. *Piſis conſcenderet.* Emmeneſ.

382. *Matre Dea monſtrante viam.*] Hoc loco per tranſitum tangit hiſtoriam, quam per legem artis poëticæ aperte non poteſt ponere. Nam Varro in ſecundo rerum divinarum dicit, *Ex quo de Troja eſt egreſſus Æneas, Veneris eum per diem quotidie ſtellam vidiſſe, donec ad agrum Laurentum veniret, in quo eam non vidit ulterius: qua re cognovit terras eſſe fatales.* Unde Virgilius hoc loco, *Matre dea monſtrante viam.* Et, *Eripe nate fugam*; Et, *Nuſquam abero & tutum patrio te limine ſiſtam*: Et, *Deſcendo ac ducente deo*: Et, *Jamque jugis ſummæ ſurgebat lucifer Idæ.* quam ſtellam Veneris eſſe, ipſe Virgilius latenter oſtendit: *Qualis ubi Oceani perfuſus Lucifer unda, Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes.* Quod autem diximus eum poëtica arte prohiberi, ne aperte ponat hiſtoriam, certum eſt. Lucanus namque ideo in numero poëtarum eſſe non meruit, quia videtur hiſtoriam compoſuiſſe, non poëma. *Servius.*

Matre Dea monſtrante viam.] Varro

 lib. 2.

Vix ſeptem convolſæ undis euroque ſuperſunt.
Ipſe ignotus, egens, Libyæ deſerta peragro,
Europa atque Aſia pulſus. Nec plura querentem

Paſſa

lib. 2. Rerum divin. ita ſcribit: *Ex quo de Troja eſt egreſſus Æneas, Veneris eum per diem quotidie ſtellam vidiſſe, donec ad agrum Laurentum veniret, in quo eam non vidit ulterius, qua re cognovit terras eſſe fatales.* Ad hanc hiſtoriam & verba alluſiſſe hîc Poëtam ſcribunt Servius, & Pomponius Sabinus. Eodem aliqui putant pertinere illud, 2. Æneid. Veneris ad filium,

Nuſquam abero, & tutum patrio te limine ſiſtam.

Dicuntque legendum *lumine* cum reſpectu ad hanc ſtellam. *Cerda.*

Data fata ſecutus.] Scilicet à Jove. *Servius.*

Data fata.] Ergo non voluntario à patria diſceſſerat. Sic præteritum ſtrictim tangit, & in præſenti immoratur, ut majorem moveat miſericordiam. *Donatus.*

383. *Convolſæ.*] Aut convolſæ undis. *Servius.*

Vix.] Oſtendit quanta difficultate evaſerit. *Donatus.*

Vix ſeptem convolſæ undis.] In Romano codice, & aliquot aliis pervetuſtis, *convolſæ* per *o* ſyllaba media. ita *revolſus*: ita *avolſumque humeris caput*, & ſimilia, Præterea Victorinus *comvulſus*, per *m* litteram ſcribi præcipit, qui *v* digammon eandem habere vim cenſeat, quam habeat *b* muta; parique ratione, ſi præcedat *n* ex aliqua compoſitione, in *m* mutari. Sed hæc viderint alii. Illud ego potius referam, notari ab Donato, *vix ſeptem*, quaſi prò nihilo poſitum: & quum numerum navium diceret, ambitioſum fuiſſe dicere *bis denis*, longe magis quam ſi *viginti* dixiſſet. Verſus enim nihilo ſecius ſtetiſſet, ſi *viginti Phrygium con. navibus æquor*, poſuiſſet. *Pierius.*

Euroque.] Aut convolſæque undis Euroque. *Convolſæ* autem ideo quia habes ſupra, *Laxis laterum compagibus.* Serv.

Euroque.] Eurus inter Orientis ſtationem & Septentrionem verſatur. Recte igitur hîc *Euri* meminit, quem ſecundum ventum habuerunt in Africam; contrarium in Italiam navigaturi. *Taubm.*

384. *Ignotus.*] Deeſt, *Quaſi.* Nam contrarium eſt quod dixit, *Fama ſuper æthera notus.* Facit autem hoc frequenter Virgilius, ut hanc particulam ſubtrahat: ut, *Medias inter cædes exultat Amazon*, quaſi Amazon. nam Volſca fuit. *Servius.*

Ignotus.] Summa in humanis miſeria, in alienis terris nullius habere notitiam; augetur etiam ſi ſit egens. Nam ſi non egeret, non eſſet cujuſquam ei notitia neceſſaria. Ad hæc duo mala, ignotus & egens: additur tertium, ſolitudo, ut nihil ad victum ſuppeteret, nec inveniretur, qui daret. *Donatus.*

Ipſe ignotus, egens, &c.] Similem conqueſtionem ab florenti rerum ſtatu ad infimam miſeriam dolent Hecuba apud Euripidem, Atherbal apud Salluſtium, Platæenſes apud Iſocratem, quæ loca omitto, quippe aliis libata. & advoco Livium lib. 45. de Perſeo jam victo: *Æmilius lacrymaſſe dicitur ſorti humanæ, quod, qui paulo ante non contentus regno Macedoniæ, Dardanos Illyrioſque oppugnaſſet, Baſtarnarum civiſſet auxilia; is tum, amiſſo exercitu, extorris regno, in parvam inſulam compulſus, ſupplex, fani religione, non viribus ſuis tutus eſſet.* Cerd.

Peragro.] *Per* habet accentum. nam *a* longa eſt, ſed non ſolida poſitione. muta enim & liquida quotiens ponuntur, metrum levant, non accentum. *Servius.*

385. *Europa atque Aſia pulſus.*] Aut orbem in tres partes diviſit, & abſolutum eſt, quia in Africa poſitus, quæ orbis pars tertia eſt, aut ſi Europam tantum & Aſiam intelligamus, ut Africa in Europa ſit. Invidioſe locutus eſt; ut

ſupra

Passa Venus medio sic interfata dolore est:
Quisquis es, haud (credo) invisus cælestibus auras
Vitalis carpis, Tyriam qui adveneris urbem.

Perge

supra Venus, *Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.* quasi cum indignatione dicat, per Trojam Asia careo: per Italiam Europa. Denique non passa Venus, ejus interrupit querelas. Sane Europa, Agenoris filia, à qua pars orbis nominata est. *Idem.*

Europa atque Asia.] Tacuit de Africa, quia in ipsa erat. Venus autem sermonem interrupit, vel quia nôrat cuncta, vel quia non libenter audiebat, vel quia maturandum, quoniam ante noctem via monstranda erat. *Donatus.*

386. *Dolore est.*] Aut narrantis Æneæ, aut certe suo dolore. Æquum enim est, malis filii etiam ipsam moveri. *Servius.*

Interfata dolore est.] *Dolore* aut Æneæ narrantis, aut matris auscultantis. Servius tamen illud mavult. Jam *interfari* Accusandi casui etiam alii junxere. Val. Max. l. 9. c. 5. *quia interfari concionantem ausus fuerat, obtorta gula, in carcerem præcipitem egit.* Livius lib. 36. *dicere exorsos consul interfatus est.* Plin. Ep. 23. *Et quem interfari nefas esset*, id est, interpellare loquentem, ἀνακοπτόμενον. *Taubmannus.*

Interfata dolore est.] Sic Micio paternum affectum exserebat, cum Æschynum queritantem interpellaret. Vide quæ Donatus observaverit ad Ter. Ad. 4. 5. 45. *Emmeness.*

387. *Quisquis es.*] Pleraque per concessionem sic tradit poëta, ut augmentum faciat: sicut hoc loco, *Audierat Venus, Sum pius Æneas fama super æthera notus.* dicit tamen *Quisquis es*: hoc est, etiamsi hæc in te non sint, hinc tamen constat, te esse fœlicem, quod venisti Carthaginem. Item in secundo, *Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Grajos:* hoc est, qualibet ratione contra nos bella susceperis. *Servius.*

Quisquis es.] Adhuc veluti cum ignoto loquitur. *Donat.*

Quisquis es.] Veteres, quando ignorabant, cum quo loquerentur, vel quum ignotum compellarent, tali utebantur formula. Ter Ph. 1. 4. 19. *Satis pro imperio quisquis es.* Noster crebro. lib. 2. Æn. ℣s. 148.

Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Grajos,
Noster eris. ——

& l. 6. Æn. ℣s. 388.

Quisquis es armatus qui nostra ad limina tendis.

De hac locutione plura Brissonius de Form. l. 7. *Emmeness.*

Haud (credo) invisus cælestibus.] Liptotes figura, per contrarium significans, id est, credo te esse carissimum superis: ut alibi, *Munera nec sperno.* supra, *Mihi jussa capessere fas est.* Serv.

Cælestibus.] *secundum Pythagoram & Platonem dixit, qui confirmant vivos esse superis charos, mortuos vero inferis. Unde & Virgilius de Pallante, *Et nil jam cœlestibus ullis Debentem.* Item contra: *Vos ô mihi manes Este boni, quoniam superis aversa voluntas.* Idem.

Haud.] Equidem oportet te diis charum esse, quoniam Carthaginem veneris. Hæc verba omnium spondebant effectum, de quibus conquestus erat. Nam & noticiam sui & celebritatem & humanitatem pollicetur. *Donatus.*

Invisus cœlestibus.] Est hoc, quod Horatius *iratis Diis:* quod Plautus *genio adverso.* quod Homer. 3. Odyss.

—— ὐ γὰρ ὀίω
Οὔτε θεῶν ἀέκητι γενέσθαι, τετράφεμέν τε.
—— *non enim puto*
Te Diis invitis natumque nutritumque.
Cerda.

388. *Auras vitalis carpis.*] Quibus vivimus. Nil est enim aliud vita, quam reciprocus spiritus: unde & Jupiter, quo constant omnia, ζεὺς vocatur, ἀπὸ τῆς ζωῆς, id est, vita. *Servius.*

Auras vitalis carpis.] Est hoc, quod

Perge modo, atque hinc te reginæ ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios classemque relatam
Nuntio, & in tutum versis aquilonibus actam:
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Aspice bis senos lætantis agmine cycnos,
Ætheria

inf. *vesci aura ætheria.* Ut hîc *auras Vitales.* Ita Plaut. Pœnul. *vitale ævum.* & Lucret. lib. 3. *ventus vitalis.* Ibidem *vitales auras.* Cerda.

Vitalis.] *Vitale* dicitur quicquid vitæ usui est, ad vitam quicquid pertinet vel eam adjutet. Vide Lambinum, fusius hoc vocabulum interpretantem ad Hor. l. 2. Sat. 1.

Quisquis erit vitæ, scribam, color, ô puer, ut sis
Vitalis metuo.

Emmeness.

Carpis.] Accipis modo. ut, *Et placidam carpebant membra quietem.* Serv.

Tyriam.] Carthaginem à Colonis. *Idem.*

Adveneris urbem.] Hysterologia, hoc est, ad urbem veneris. *Idem.*

389. *Perge modo.*] Tantummodo: hoc est, hæc tibi sola sit cura; nam liberatæ sunt naves. *Idem.*

Perge.] Hortatur, ne redeat ad suos, ut proposuerat, sed eat Carthaginem. *Donatus.*

Perfer.] Imperativus modus, ut, *Fer cineres Amarylli foras.* Servius.

390. *Namque tibi.*] Demit sollicitudinem de sociis, salutem illorum augurio nuncians. *Donat.*

Reduces.] *Reduces* proprie dicuntur, qui pericula evadunt: sicut infra, *Ut reduces illi ludunt:* scilicet post periculum, inlatum ab aquila. *Servius.*

Reduces socios.] Qui periculis erepti sunt, *reduces* dicuntur. Sic de Græcis, expugnata Troja, Stat. l. 1. Achill.

—— *dabo tollere fluctus*
Cum reduces Danai, &c. Ter. H. 2. 4. 18. de Clinia adolescente, qui ex militia ad amicam revertebatur, *Tu nunc sola reducem me in patriam facis.* Emmeness.

391. *Versis aquilonibus.*] Aut speciem pro genere posuit, hoc est, mutatis ventis; aut quia postquam ad Africam iter verterunt; adversus ante Aquilo, cœpit esse prosperior. *Servius.*

392. *Ni frustra augurium vani docuere parentes.*] Hoc ad confirmandum errorem Æneæ dixisse crederetur, & est argumentum ad fallaciam, ne intelligat Deam. Quod autem dicit *Vani parentes*, aut hypallage est, id est, vanum augurium: ut, *Dare classibus austros*, & *Ibant obscuri sola sub nocte*; pro, ipsi soli per obscuram noctem. Aut certe vani parentes, qui res falsas & inanes docent. Et per hoc plerunque decipere ostendit auguria. Multi volunt ad nimium hoc amorem parentum referri; qui teneritudine *affectus*, etiam superflua liberos docent. Quidam *vani*, mendaces tradunt. Sallust. in Jugurtha, *Ego quidem vellem & hæc quæ scribo, & illa, quæ antea in Senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret.* Terentius in Phormione, ubi adolescens Lenonem mendacii arguit, *Non te pudet vanitatis.* Idem.

Ni frustra, &c.] Ordina sic: ni vani fuere parentes, id est, majores nostri, & frustra nos docuerunt. *Donat.*

393. *Bis senos cycnos.*] Cygnos navibus comparat, aquilam tempestati. In auguriis autem consideranda sunt non solum aves, sed etiam volatus, ut in præpetibus: & cantus, ut in oscinibus: quia nec omnes, nec omnibus dant auguria. ut columbæ non nisi regibus dant; quia nunquam singulæ volant, sicut rex nunquam solus incedit. Unde est in sexto, *Maternas agnovit aves*, per transitum ostendit regis augurium. Item cycni nullis dant, nisi nautis: sicut lectum est in ὀρνιθογονίᾳ, *Cycnus in auguriis nautis gratissimus augur, Hunc optant*

Ætheria quos lapsa plaga Jovis ales aperto

Tur-

optant semper, quia nunquam mergitur undis. Cygnos autem habere divinationem etiam Cic. in Tusculan. lib. I. docet: *Ut Cygni, qui non sine causa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo divinationem habere videantur.* Servius.

Bis senos.] Numero navium coæquantur, quas Æneas putabat oppressas. *Donatus.*

Lætantis.] Post periculum. *Servius.*

Agmine.] Volatu, impetu. *Agmen* autem apud Virgilium, cujuslibet rei impetus: ut, *Illi agmine certo.* Et, *Vocat agmina sæva sororum.* Idem.

Aspice bis senos lætantis, &c.] Ideo *bissenos:* quia in auguriis par numerus, & maxime duodenarius, habebatur absolutus. Sic Romulus sex vultures, Remus duodecim observasse dicitur. *Lætantes*, defuncto scilicet periculo: & quidem *agmine*; id est, volatu, impetu; sive etiam ἀγεληδὸν & gregatim volantes. Est autem odium inter aquilas & cygnos intestinum: ita tamen, ut cygni aquilas nunquam aggrediantur; tantum invadentes repellant. De quo Aristoteles lib. Hist. Animal. & Ælianus lib. I. Jam Servius *Cygnos* navibus, *Aquilam* tempestati comparat. Et recte: quia cygni nautis augurium faciunt; juxta Poëtam:

Cygnus in auguriis nautis gratissimus ales,
Hunc optant semper, quia nunquam mergitur undis.

Vel etiam, quia Juppiter in Cygnum versus, ex Læda Castorem & Pollucem, auspicata nautis signa atque numina, procreavit. Cur denique *Aquila ales Jovis* sit, quæ & alibi: *Nuncia fulva Jovis: Jovis pinnata satelles: Jovis famula: Jovis armiger* indigitatur, à multis varie disputatur. Physici ideo dicunt fieri; quod Aquila fulmine non tangatur: quemadmodum *Laurus* & *vitulus marinus.* Taubm.

394. *Ætheria.*] Æther altior est aëre, vicinus cœlo: ἀπὸ τοῦ αἴθειν, id est, ardere. *Servius.*

Ætheria quos.] Ut cygni post perturbationem, illatam ab aquila, liberati, suo ordine læti volantes, terram captam petunt: sic tui à tempestate erepti, tuti sunt. *Donat.*

Jovis a.] Aquila, quæ in tutela Jovis est: quia dicitur dimicanti ei contra Gigantes fulmina ministrasse: quod ideo fingitur, quia per naturam nimii est caloris; adeo ut etiam ova, quibus supersidit, possit coquere, nisi admoveat Aetiten lapidem frigidissimum, ut testatur Lucanus, *Fœta tepefacta sub alite saxa.* Aut quia nec aquila, nec laurus dicitur fulminari. ideo Jovis ales aquila; Jovis coronam lauream accepimus, & qui triumphant, lauro coronantur. Sane aliter proprie dicuntur aves, quæ volatu auspicia faciunt, Buteo, Sanqualis, Immusculus, Aquila, Vulturius. Sane de aquila est & alia fabula. apud Græcos legitur puerum quendam, terra editum, admodum pulchrum membris omnibus fuisse, qui ἀετὸς sit vocatus, hic cum Iupiter propter patrem Saturnum, qui suos filios devorabat, in Creta insula, in Idæo antro nutriretur; primo in obsequium Iovis se dedit, post vero cum adolevisset Iupiter & patrem regno pepulisset, Iuno permota forma pueri, velut pellicatus dolore, eum in avem vertit, quæ ab ipso ἀετὸς Græce dicitur, à nobis Aquila, propter aquilum colorem, qui ater est; quam avem Iupiter sibi inhærere præcepit & fulmina gestare: per hanc etiam Ganymedes, cum amaretur à Iove, dicitur raptus, quos Iuppiter inter sidera collocavit. Et quia aquilæ hæc est natura, ut Solem recto lumine spectet, signum quoque aquilæ, quod in cælo est, orientem semper Solem videtur adtendere. Alii dicunt ab hac avi Iovem raptum & ad latebras Cretenses perlatum, cum à Saturno ubique quæreretur. Ipsum etiam Iovi, cum adversus Titanas bellum gereret, obvolasse in augurium, ac statim victoriam consecutum, & ideo inter sidera collocatam. *Servius.*

Turbabat cœlo: nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam deſpectare videntur.
Ut reduces illi ludunt ſtridentibus alis,
Et cœtu cinxere polum, cantuſque dedere;
Haud aliter puppeſque tuæ pubeſque tuorum

Aut

Aperto.] Id eſt, ſereno. nam augurio vitium additur, ſi tonet tantum; vitium & calamitas, ſi tonet, grandinet & fulminet ſimul, teſte Donato ad Terent. *Taubm.*

395. *Turbabat.*] In antiquis aliquot codicibus, *turbarat* exacta ſpecie legitur. Sed *turbabat* imperfecto præterito magis placet, ut res jam tum oculis ſubjecta videatur. *Pierius.*

Ordine.] Nonnulli pro *ſerie* accipiunt. Nam *Et cœtu cinxere polum*, ad ordinem retuliſſe, quamvis quidam quærant, quomodo ordine, cum mox, cœtu, dicat. *Servius.*

396. *Capere.*] Eligere: ut, *Ante locum capies oculis.* Idem.

Deſpectare.] Id eſt, electas jam intentius deſpicere. *Idem.*

Aut captas jam deſpectare.] *Captas*, id eſt, *capiendas*, ut ſuperius *ſubmerſas obrue puppes*, id eſt, *ſubmergendas.* Vide Sanct. Minerv. p. 55. quod aves ex alto deſpiciunt, quas metentur terras, notavit Salmaſ. Plin. exercit. p. 164. *Emmeneſſ.*

397. *Stridentibus alis.*] Signum augurii eſt. *Servius.*

398. *Cœtu.*] Dicit Plinius Secundus in naturali hiſtoria, omnes aves colli longioris, aut recto ordine volare, ut pondus capitis præcedentis cauda ſuſtineat: unde & prima plerumque deficiens, relicto loco incipit eſſe poſtrema: aut in cœtu, ut ſe omnes invicem portent. neque enim hujuſmodi aves* ſemel ad inferiora deſcendunt, ſed paulatim per reflexos in gyrum volatus. Hoc autem volatu imitantur literas quaſdam: unde Lucanus. *Et turbata perit diſperſis littera pennis.* Idem.

Cantuſque dedere.] Alluſit ad nautas. multi tamen afferunt, cygnos inter augurales aves non inveniri, neque auguralibus commentariis eorum nomen illatum. Sed in libris reconditis lectum eſſe, poſſe quamlibet avem auſpicium atteſtari, maxime quia non poſcatur. Hoc enim intereſt inter *augurium* & *auſpicium*, quod *augurium* & petitur & certis avibus oſtenditur; *auſpicium* qualibet avi demonſtratur & non petitur: Quod ipſum tamen ſpecies augurii eſt. Sed Virgilius amat ſecretiora dicere, nam totum nomen augurum executus eſt proprietate verborum. Alites enim oſtendit cum ait, *ſtridentibus alis*: Oſcines cum dicit, *Et cœtu cinxere polum cantuſque dedere.* Hoc idem & de columbis fecit: Nam & hæ inter augurales aves dicuntur non inveniri, & tamen ex his augurium & poſtulari facit & oſtendit, ut, *Eſte duces ô ſi qua via eſt: curſumque per auras Dirigite in lucos.* Idem.

399. *Puppeſque tuæ pubeſque tuorum.*] Tropus ſynecdoche, à parte totum ſignificat. ut Terentius, *O lepidum caput*, id eſt, *lepidus homo. Pubes* autem flos juventutis. *Idem.*

Pubeſque tuorum.] *Pubes* & *Puber*, qui generare poteſt. Catullus:

Ego puber, ego adoleſcens, ego ephebus.

Idem & veſticeps vocatur: cui contrarium *Inveſtis*, id eſt, imberbis. Notat Feſtus, *Pube* συνεκδοχικῶς, ab iis, qui puberes ſunt, omnem populum ſignificari. Ad quod Scaliger; Doctiſſimus, inquit, Romanorum Virgilius inter alia reconditæ antiquitatis arcana, & hoc poſuit, cum ait:

——*puppeſque tuæ pubeſque tuorum.*

ex eâ enim conſuetudine dixit; cum exprimeret Homericum, σὺν νηΐ τε σῇ καὶ σοῖς ἑτάροισι. *Taubm.*

400. *Oſtia.*]

Aut portum tenet aut pleno ſubit oſtia velo.
Perge modo, & qua te ducit via, dirige greſſum.
Dixit, & avertens roſea cervice refulſit,
Ambroſiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere: pedes veſtis defluxit ad imos,

Et

400. *Oſtia.*] Proprie dicuntur exitus fluviorum: ſed modo abuſus eſt: quia plerunque oſtia ipſa pro portu ſunt. *Servius.*

Oſtia.] Proprie aditus fluviorum, ſed hîc pro portu. Ut & Tullius 7. in Verrem, & alii non ſemel. Illud de *pleno velo* ad alia tranſit proverbialiter. Philoſtratus lib. 1. de vitis Sophiſtar. πλήρεσιν ἱςίοις ἐς φιλοσοφίαν ἀφῆκεν, *contulit ſe ad philoſophiam plenis velis.* Eſt *ſubit oſtia*, ingreditur oſtia. ita Catull. in epithal. Iuliæ: *ſubi forum*, id eſt, ingredere. *Cerda.*

401. *Perge.*] Exportatum ad facilitatem rei ducit. *Servius.*

Via.] Pro hæc via & videtur demonſtrare. *Idem.*

Et qua te via.] Ne ille diceret, non novi iter. *Donat.*

Et qua te via.] In codice Longobardico legere eſt, *quo te ducet*, per verbum futuri temporis, & adverbium ad locum: vulgata tamen lectio caſtior habetur. *Pierius.*

Qua te ducit via.] Præoccupat, ne quærat Æneas locorum ignarus, qua via iter facere debeat. *Taubm.*

402. *Avertens.*] *Se* ſubaudi, hoc eſt, cum averteretur: ut, *Tum proram avertit.* Servius.

Roſea.] Id eſt, pulchra. *Idem.*

Roſea.] Auroræ proprium eſt epitheton, quod ex Homero diſcas, l. α. Iliados 477. ῥοδοδάκτυλος ἠώς. ſed veteres omnia *pulchra* dicebant *roſea*. Inde apud noſtrum *roſeo ore*, *roſeas genas*. Horat. l. 1. od. 13. *roſeam cervicem*, ad quem locum Torrentium adhibeto. A Græcis fluit hoc loquendi genus. Muſæus ℣ſ. 114. ῥοδοειδέα δάκτυλα κούρης. Operæ feret pretium, qui legit Anacreontem & ejus præcipue Carm. 53. ubi hæc inter alia de Roſa:

ῥοδοδάκτυλος μὲν ἠώς,
ῥοδοπήχεες δὲ νύμφαι,
ῥοδόχρους δὲ Ἀφροδίτη, &c.

Emmeneſſ.

403. *Ambroſiæq; comæ.*] Aut ambroſia, unguento deorum oblitæ, divinum odorem ſpiravere: & eſt hypallage, ut ſit divinæ comæ ambroſiæ odore ſpiravere: aut certe abuſive dixit, divinæ comæ. *Servius.*

Ambroſiæque comæ.] Sic ejus comæ ſe effuderant, ut putarentur Ambroſia: qua mulieres in unguentis admiſcent perfuſæ. *Donat.*

Ambroſiæque comæ.] Ambroſia non tantum Deorum cibum, ſed & unguentum ſignificat teſte Servio l. 12. Æneid. ℣ſ. 419. —*ſpargitque ſalubris*
Ambroſiæ ſuccos.

Ergo comæ ambroſiâ delibutæ ſpirant odorem. Noſter imitatus videtur Homerum l. 12. Iliad. ℣ſ. 529. Ἀμβροσίας χαῖτας. Imo omnia eximia & divina *Ambroſia* appellantur. Claud. nupt. Honor.

Ambroſioque ſinu puerum complexa.

Apulejus in laudatione Veneris l. 8. Metam. *Ambroſium corpus*, & l. 9. *Ambroſii pedes.* Opinionem veterum de Diis attingit Turneb. l. 30. c. 39. qui eos credebant Deos, qui ſuaviſſimum ſpirabant odorem. Ovid. l. 5. Faſt.

Manſit odor, poſſes ſcire fuiſſe Deam.

Emmeneſſ.

404. *Spiravere.*] Exhalavere. *Serv.*

Spiravere.] Plutarch. in lib. de Iſid. τοῦ χρωτὸς ἀμβροσίαν πνέοντος: *corpore ambroſiam ſpirante.* Cerda.

Spiravere.] Sil. Ital. l. 7.

—— *Antra*
Spirantem ſacro traxerunt vertice odorem. Emmeneſſ.

Veſtis.

Et vera inceſſu patuit dea. ille, ubi matrem
Agnovit, tali fugientem eſt voce ſecutus:
Quid natum toties crudelis tu quoque falſis
Ludis

Veſtis defluxit.] Quia dixit ſupra, *Sinus collecta fluentis.* Servius.

Pedes veſtis defluxis ad imos.] Hanc divinitatis notam ut diſſimularet, prius fuerat,

Nuda genu, nodoque ſinus collecta fluentis.

Et quidem hanc fuiſſe notam divinitatis ſatis indicant Statius, Tibullus, & Propertius, qui illam dant Baccho. Primus lib. 1. Achill.

Si decet aurata Bacchum veſtigia palla
Verrere.

Alter lib. 1. eleg. 7. loquens de hoc Deo:

Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes.

Tertius lib. 3. eleg. 17. loquens de eodem,

Et feriens nudos veſte fluente pedes.

Cerda.

405. *Vera.*] Bene *vera*, de qua ante dubitabatur. *Servius.*

Inceſſu.] Hoc verbum apud Virgil. ſæpe pro honore ponitur; ut, *Aſt ego quæ divûm incedo regina.* & *Forma pulcherrima Dido inceſſit.* Idem.

Et vera inceſſu patuit d.] Completis quæ voluit, dimiſit lætum & inſtructum. & plurimis ſignis ſe manifeſtavit, & ſplendore, & odore, & defluxu veſtis. *Donat.*

Et vera inceſſu patuit dea.] Quare Virgilius dixerit, Venerem veram inceſſu patuiſſe Deam, non omnibus notum eſt. Antiquiſſima quæque deorum ſimulachra, quod obſervarunt viri magni, erant τοὺς πόδας συμβεβηκότα. Diique ipſi non gradiuntur, ſed fluunt: ut docet Calaſiris ſacrorum Ægyptiorum Antiſtes apud Heliodorum lib. 3. Ex hac doctrina hauſit Virgilius, qui Deam agnoſci facit τῷ βαδίσματι, inceſſu, ὁρμὴν ἀπαραπόδιστον τεμνοῦσαν μᾶλλον τὸ περιέχον, ἢ διαπορευομένην. *Petitus.*

Et vera inceſſu patuit dea.] Ut Juno ex inceſſu cognoſci poteſt, de qua ſupra ✠ſ. 46. ſic hoc loco Venus, & apud Sil. Ital. l. 7.

Dumque hæc aligeris inſtat Cytheræa, ſonabat
Omne nemus gradiente Dea.

Ejus quippe greſſus fuit ſublimior, ut infra ✠ſ. 415. *Emmeneſſ.*

Matrem agnovit.] Nunc matrem cognoſcit: Nam deam eſſe, ſuperius dixerat. *Servius.*

406. *Fugientem.*] Celeriter abſcedentem. ut alibi, *Ad terram fugit.* Idem.

Voce.] Pro oratione. *Idem.*

Voce.] Quando gradiendo, vel currendo non potuit. *Donat.*

Tali fugientem eſt voce ſecutus.] In Longobardico exemplari mutato numero legitur, *fugientem tali eſt voce ſecutus.* Sed prior numerus ex tetrametro longè magis placet, quia non ita languidus. *Pierius.*

Tali fugientem eſt voce ſecutus.] Ut hoc loco abeuntem matrem voce proſequitur Æneas. Sic ſimile exemplum apud Stat. l. 10. Thebaid.

Ut vero averſæ greſſumque habitumque notavit,
Et ſubitam à terris in nubila creſcere Manto,
Obſtupuit, ſequimur, divûm quicunque vocaſti,
Nec tarde paremus ait.

Emmeneſſ.

407. *Quid totiens.*] Sæpe: & aut κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus, ſæpe eum eſſe deluſum. aut certe ſecundum ipſum Virgilium, qui ait in ſecundo; *Cum mihi ſe non ante oculis tam clara videndam Obtulit.* Multi tamen volunt in hoc ipſo loco ſæpe eum eſſe deceptum: ut in habitu, quia virginem, quia venatricem, quia Tyriam, in interrogatione, in reſpon-

Ludis imaginibus? cur dextræ jungere dextram
Non datur, ac veras audire & reddere voces?
Talibus incuſat, greſſumque ad mœnia tendit.

At

ſponſione, in auguriis, vel totiens crudelis, quotiens fallis & diſſimulas. *Servius.*

Quid.] Incuſatio non contumelioſa, ſed ex affectu & religione procedens: Ergo mater nomen tuum confiteri noluiſti, & quaſi aliena locuta mecum maternis verbis, miſerias meas non levaſti, nec ſemel hoc feciſti, ſed ſæpe. Conſtat enim inter ipſos multa & varia fuiſſe colloquia, in quibus ille vultu, habitu, & colloquio matris, falſus eſt. Debuit autem incuſatio ad abeuntem non eſſe longior, quam ut celeriter ad fugientis aures pervenire poſſet. *Donat.*

Quid natum toties, &c.] Eſt hoc quod Helena ad Venerem l. γ. Iliad. ℣ſ. 399.

—— *τί με ταῦτα λιλαίεαι ἠπεροπεύειν;*
—— *cur me his cupis decipere?*

Quod Ulyſſes ad matrem Odyſſ. 11.

—— *τί νύ μ' οὐ γίγνεις ἑλέειν μεμαῶτα;*
—— *cur me non ſpectas amplecti cupidum?*

Cerda.

Tu quoque.] Sicut Juno, cæterique dei, qui Trojanis inimici, quos & in ſecundo libro oſtendit; ubi ait, *Inimicaque Trojæ Numina magna deûm.* Serv.

408. *Cur dextræ jungere dextram.*] Majorum enim hæc fuerat ſalutatio: cujus rei τὸ αἴτιον, id eſt, cauſſam Varro, Callimachum ſecutus, expoſuit: afferens omnem eorum honorem dexterarum conſtitiſſe virtute: ob quam rem, hac ſe venerabantur corporis parte. *Idem.*

Cur dextræ jungere dextram non datur.] Hunc ſalutationis morem, innexis nempe manibus, in argumentum amicitiæ, Græci nominant δεξιοῦσθαι: quod in Pluto Ariſtoph. interpres exponit ταῖς δεξίαις ἀσπάζεσθαι. præterquam enim, quod dextra fidei pignus ſit, etiam in amicis gratulationibus ſuis fungitur partibus. inde Noſter l. 8. Æn. ℣ſ. 122. ubi Pallas Æneæ adventum gratulatur:

Egredere ô quicunque es, ait &c.
Accepitque manu, dextramque amplexus inhæſit.

Emmeneſſ.

409. *Veras audire & reddere voces?*] Ideo quia virginem ſe dixerat. Sunt multæ reciprocæ elocutiones: ut hoc loco. ſunt multæ unius partis, utrique ſufficientes: ut, tenemur amicitiis: ridiculum enim eſt, ſi addas, *mutuis*: cum *Amicitiis* utrumque ſignificet, ſicut Fronto teſtatur. Item ſunt elocutiones, quarum una pars plena eſt: quæ ſi convertantur, habent aliquid ſuperfluum: ut in Saluſtio, *In tugurio mulieris ancillæ.* bene addidit *ancillæ*. At ſi dicas, *in tugurio ancillæ mulieris*; erit ſuperfluum *mulieris*. Ancilla enim & conditionem oſtendit, & ſexum. Item, *Res erat prætoribus nota ſolis.* hoc ſuffecerat. male ergo addidit: *Ignorabatur à cæteris.* Quod ſi convertas, nil eſſe ſuperfluum invenitur. *Servius.*

Reddere.] In codicibus aliquot vetuſtioribus, *redere* unico *d* ſcribitur. Sed enim geminatum *d* in eo verbo Velius Longus aſſerit: non ita autem in *reducere*. Quod ideo fuit adnotandum: quia ſunt hodie qui clamitent ex publicis cathedris *redo* ſimplici *d* ſcribendum. *Pierius.*

Audire & reddere voces.] Eſt hoc, quod Terentius, Plautus, Cicero, *viciſſim loqui*. Catullus ante Noſtrum:

—— *nec miſſas audire, & reddere voces.*

Cerda.

410. *Talibus incuſat.*] Redarguit. *Incuſare* proprie eſt, ſuperiorem arguere: ut in Terentio pater ad filium, *Quid me incuſas Clitipho?* *Accuſare* vero, vel parem vel inferiorem: ut in eodem ad maritum uxor, *Me miſeram, quæ nunc quam ob cauſſam accuſer neſcio.* Et hoc proprietatis eſt: licet uſus male iſta

cor-

At Venus obscuro gradientis aëre sepsit;
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu:
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Molirive moram, aut veniendi poscere caussas.

Ipsa

corrumpat. Sciendum tamen est Terentium, propter solam proprietatem omnibus comicis esse præpositum: quibus est, quantum ad cætera spectat, inferior. *Servius.*

411. *At Venus.*] Ordo est, At Venus dea. *Idem.*

Obscuro aëre.] Id est, nebula, cujus definitio est. *Idem.*

Obscuro aëre.] Non satis fuit verbis instruxisse filium, licet sciret omnia eadem composuisse Mercurium: sed quatuor de causis texit, ne viderentur, ne tangerentur, ne interrogationibus variis detinerentur: vel veniendi causas quærentes, eos, qui ante noctem venire debebant, detinerent. *Donat.*

At Venus obscuro, &c.] Imitatio Homerica. sic enim à Pallade Ulysses bis tegitur Odyss. 7. & 13. ἀμφὶ φολλὼ ἠέρα χεῦε. Et, περὶ θεὸς ἠέρα χεῦεν. itaque & ἀμφὶ & περὶ, Noster per *circum.* Quod ille, πολλὼ ἠέρα. Noster *multo nebulæ amictu.* Ab Homero Apollonius 3. Arg. mutans verbum, πολλὼ ἠέρα ἐφῆκε. ubi videlicet Argonautæ teguntur ab Junone simili commento. Calaber lib. 1. ita, ἀμοὶ δέ μιν ζόφος ἔκρυφε: *circumtexit illam nebula.* Ad loca ista Poëtarum alludit Plutarchus de solertia animal. loquens ita de commento sepiæ ad captandam prædam, ἀπομιμουμένη τοὺς ὁμήρου θεοὺς, κυανέη νεφέλη πολλάκις οὓς ἂν σῶσαι θέλωσιν ὑφαιρουμένους, καὶ διακλέπτοντας: *Imitans deos Homericos, qui quos salvos volunt, cærulea sæpe numero nube objecta eripiunt, atque suffurantur.* Cerda.

412. *Circum dea fudit.*] Figura est Tmesis: quæ fit, cum, secto sermone, aliquid interponimus: ut alibi, *Septem subjecta trioni.* Sed hoc tolerabile in sermone composito: cæterum in simplici, nimis est: quod tamen faciebat antiquitas: ut, *Saxo cere comminuit brum.* Servius.

Circum dea fudit.] Tmesis est. pari sectione usus est & Homerus ἀμφὶ πολλὼ ἠέρα χεῦε θεός. Hoc autem ab Homero sumptum: qui fingit Ulyssem regiam Alcinoi & urbem ingressum circundari nebula à Minerva, &c. Odyss. 7. de his vere vide Scalig. l. 5. c. 3. *Taubmannus.*

413. *Cernere.*] Causa cur fecerit. Ex hoc enim pendent cætera, quæ sequuntur. *Servius.*

Cernere ne quis eos.] Hæc ratio est Odyss. 13.

—— ὄφρα μιν αὐτὸν
Ἄγνωστον τεύξειεν:
Ut illum ipsum ignotum faceret.

Et in Apollonio lib. 3. ὄφρα λάθοιεν Κόλχων ἔθνος, *ut laterent turbam Colchorum.* Cæterum sententiam istam, *faciam, ne te aliquis cernat,* ita extulit Sophocl. in Ajace,

—— ἐγὼ γὰρ ὀμμάτων ἀποστρόφους
Αὐγὰς ἀπείρξω σὴν πρόσοψιν εἰσιδεῖν:
—— *ego enim oculorum aversos*
Radios repellam à tui vultus contemplatione.

Est hoc quod Poëta inf. *neque cernitur ulli,* & quod Aristides orat. 5. sacror. serm. οὔτε ὁρώμενοι. *Cerda.*

414. *Moliri.*] Hic pro struere & per hoc facere, ut infra, *Molirique arcem.* Servius.

Aut veniendi poscere caussas.] Scilicet ne sæpe narrando crebrum patiatur dolorem. Unde melius ad Æneam refertur, *Medio sic interfata dolore est. Poscere* autem nunc inquirere, alias petere, & præponitur magis accusativo casui; dicimus enim *posco magistrum lectionem,* non *à magistro posco.* Idem.

Poscere.] In aliquibus antiquis codicibus, *exquirere* & *exposcere* legitur, quod majori

Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Læta suas: ubi templum illi, centumque Sabæo
Ture calent aræ, sertisque recentibus halant.

Corri-

majori diligentia quærere significat. In Longobardico, & aliquot aliis, *discere*. In Romano, in Mediceo, & antiquioribus plerisque, *poscere* habetur: quod magis placet. Porro qui *exquirere* fecerunt, id ex Donatiana paraphrasi desumpsere. Ubi est, Vel certe veniendi caussas exquirens properantibus moras afferret. *Pierius.*

415. *Ipsa Paphum.*] Civitatem Cypri, & non sine ratione est, quod in decimo libro plura sibi loca grata, vel sacrata commemoret, hic ad Paphum solam abiisse dicatur; quia Varro & plures referunt, in hoc tantum templo Veneris quibusve maximis in circuitu pluviis, nunquam impluere. Ibi enim adorabatur. *Servius.*

Ipsa Paphum sublimis abit.] Vetera quædam exemplaria, & *Paphon* & *adit*, scribunt, ut *Paphon* non rejecerim, ita *adit* nunquam scripserim. *Pierius.*

Paphum.] *Paphus*, sive *Palæpaphus*, urbs Cypri in littore Orientali; in qua templum habuit centum aris per indigenas advenasque (ut Tacit. ait) inclytum. Quem quidem numerum non ex amplificationis licentia, sed historiæ fide, certoque & pleno numero Statius accepisse videtur, lib. 5. Thebaid.

Illa Paphon veterem centumque altaria linquens.

Hom. tamen unam tantum aram memorat. Videatur Turnebus lib. 26. c. 30. & præcipue Tacitus lib. 2. Historiar. statim in principio. ubi inter alia: *Sanguinem aræ* (Veneris) *offundere vetitum.* Ad aras autem Paphiæ incruentas allusit & Catullus Carm. 62.

—— *divam*
Placabis festis luminibus Venerem
Sanguinis expertem, ——

Si tamen hæc sententia sit loci: quod Jos. Scaligero non videtur, quem tu ibi vide. *Læta* autem φιλομειδὴς, proprium Veneris epitheton. ita Horat. 1. Carm.

Sive tu mavis Ericyna ridens. Taubm.

Paphum.] Cujus regina Venus est. ut Horat. l. 1. od. 30. dilectæ Cypri oppidum est, πόλις κύπρου ut Stephanus. de signo Veneris, quod in illa insula colitur, Macrob. l. 3. c. 8. *Emmeness.*

Sublimis.] Divino incessu. Id est, sublimiter, nomen pro adverbio. *Serv.*

416. *Læta.*] Vel proprium Veneris epitheton, vel *læta*, quia tectum nebula filium in tuto habebat: vel quod insulam suam repetat; vel ideo Paphum revisit læta, quia serenis læta congruunt, & necesse est, ut læta sit Venus, ubi semper serenum est; quippe ubi pluere nunquam dicatur. *Idem.*

Sabæo.] Arabico. Arabiæ autem tres sunt, Inferior, Petrodes, Eudemon: in qua sunt populi Sabæi; sed hi montes, inter quos sunt *Libanum* & *Antelibanum*, dicuntur: Apud hos igitur Sabæos nascitur thus. Dicti autem Sabæi ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, id est, venerari; quod deos per ipsorum thura veneramur. *Idem.*

Centumque Sabæo.] De centum aris Sil. Ital. l. 7.

—— *Paphos centum mihi fumet in aris.*

de *ture Sabæo* actum l. 1. G. vs. 57. & l. 2. vs. 117. pro *Sabæo* Stat. l. 1. Theb. *Eoum* dicit. *Emmeness.*

417. *Ture calent aræ, sertisq; recentibus halant.*] Ecce unde supra dixit, *Haud equidem tali me dignor honore.* quia Æneas hostias obtulerat, quarum hic mentio non fuit. *Servius.*

Ture calent aræ, sertisque recentibus halant.] *Thus* multi nunc cum adspiratione scribunt. Sed Fl. Sosipater *tus* à tundendo dictum vult, ideoque adspirationem non admittere: quamvis Iulius Modestus ἀπὸ τοῦ θύειν: quod est rem sacram facere, nomen deduci velit. Habent præterea plerique codices manu scripti *alant*, absque adspiratione: sed

hoc

Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
Jamque adscendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet, adversasque adspectat desuper arces.
Miratur molem Æneas, magalia quondam:

Mira-

hoc imperite: quum natura ei verbo insit adspiratio. *Pierius.*

Sertisque recentibus.] *Sertum* & *serta*, cum nihil adjicitur, dicimus: ut hoc loco: Item alibi expressius. ut, *Serta procul tantum capiti delapsa jacebant.* Si autem *sertos* dixero, addo *Flores.* Si *sertas*: addo *coronas*: ut Lucanus, *Accipiunt sertas nardo florente coronas.* Et hoc in multis nominibus observandum est; ut genus ex adjectione formetur: qua detracta, in neutrum cadat, necesse est; ut *piscinalis locus*, *piscinalis cella*, *piscinale. Sagmarius mulus*, *sagmaria mula*, *sagmarium.* Servius.

Sertisque.] Servio accedunt Dausq. Orthogr. p. 90. & Lips. ant. lect. l. 3. *Emmeness.*

Recentibus.] Quod autem dicit *recentibus* laus est loci, qui semper flore vestitur. Ut omni tempore Veneris flores præsto esse videantur. *Servius.*

Recentibus.] Laus loci, qui semper flore vestitur. Notat autem Servius, ut & Charisius lib. 1. Veteres & *Serta* & *Sertos*, & *Sertas*, promiscue dixisse: sic tamen, ut cum *Sertos* dicerent, flores intelligerent; cum *Sertas*, coronas. Ita Propert.

— *demissæ in pocula sertæ.*

Vide & Lips. Antiq. Lect. l. 3. *Taubm.*

Halant.] Pro olent. *Servius.*

Halant.] Subaudi, odorem. Apud Columellam, Plinium, aliosque scriptores rei rusticæ hæc sunt verba ad idem pertinentia: *flores halant, exhalant, spirant, respirant, emittunt, efflant, fundunt suavem ex se halitum, dulcem flatum, amœnum spiritum, gratum odorem.* Lucretius lib. 4. *odorem exspirant.* Philo in lib. de Mundo ita extulit: τὰς ἀπὸ τῶν ἀνθῶν ἀναφερομένας εὐωδεστέρας αὔρας: *suaves è floribus auras relatas.* Cerda.

418. *Corripuere viam.*] Deest, *At illi corripuere viam.* Officium eundi celeriter arripuerunt. Nec enim corripitur via. *Servius.*

Corripuere v.] *Corripere gradum*, est, gradum raptim facere & carpere. Turneb. lib. 9. c. 27. Ita Plinius ep. 66. *Tanto celerius viam ipsam corripiemus.* Taubm.

419. *Qui plurimus.*] Ex maxima parte urbi imminens, vel, *qui plurimus*, id est, longus: ut ipse alio loco, *Cui plurima cervix.* Item, *Cum se nux plurima*, id est, amygdala: longa namque est. *Servius.*

Plurimus.] Vox plena est, inquit Scaliger l. 4. c. 16. *Plurimus* autem, id est, longus: nimirum MMM. passus: ut patet ex Polybio & Appiano. Ita 1. Georg. *nux plurima*, id est, amygdala, sive Græca nux: longa enim est. Ita 2. Georg. *plurima cervix*, id est, longa. In hoc monte postea Scipio Africanus, cum Carthaginem obsideret, castra posuit: ibique clarissimi viri sepulchra habuere. Eam obsidionem Lipsius l. 2. Poliorcetικῶν cap. 1. scriptam pictamque exhibuit. *Taubm.*

420. *Adspectat.*] Est ornatus cum animantur res, id est, cum rei insensibili datur sensus. Unde est illud in quarto de Atlante. Item Salustius, *Lyciæ Pisidiæque agros despectantem.* Serv.

Arces.] Civitates, à parte totum. *Idem.*

Adspectat arces.] Rei insensili dat sensum. *Arces* autem, scilicet in medio urbis positas, inprimis Byrsam. *Taubm.*

421. *Miratur molem Æneas.*] Hoc ad ipsum refertur. *Servius.*

Miratur.] Ponit generaliter, quod omnes viæ & portæ fervebant, & strepitus agentium personabant. *Donatus.*

Magalia quondam.] Ad poëtam. Nec enim

Miratur portas, strepitumque, & strata viarum.
Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros,

Moliri-

enim hec novit Æneas. Magalia vero antistœchon est. Nam debuit *magaria* dicere: quia *magar*, non *magal*, Pœnorum lingua, villam significat. Cato originum primo, *Magalia ædificia quasi coortes rotundas dicunt.* alii magalia casas Pœnorum pastorales dicunt. de his Sallust. *quæ magalia sunt circumjecta civitati suburbana ædificia magalia.* Et alibi Cassius Hemina docet, ita Sinvegiæ * magalia addenda, murumque circumeant. *Servius.*

Magalia quondam.] Hoc ad Poëtæ personam referatur. Est autem ἀντίστοιχον, pro *magaria*: nam *magar* villam significat, non *magal*: de quo P. Vict. l. 35. cap. 6. Charisius: *Magalia*, καλύβαι ἄφρων: *Mapalia*, καλύβαι ἀγρῶν: *gurgustia* Ciceroni: *attegiæ* Juvenali. Salustius De bello Jugurthino: *Ædificia Numidarum agrestium, quæ* mapalia *illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinæ sunt.* Taubm.

422. *Miratur portas &c.*] Miratur non simpliciter dictum volunt, quoniam prudentes Etruscæ disciplinæ, ajunt, apud conditores Etruscarum urbium non putatas justas urbes fuisse, in quibus non tres portæ essent dedicatæ & votivæ, & tot templa Jovis, Junonis, Minervæ: Bene ergo miratur Æneas, ubi fuerunt magalia, illic esse legitimam civitatem, nam portas & vias videbat, & mox Templum Junoni ingens. *Servius.*

Et strata viarum.] Primi enim Pœni vias lapidibus stravisse dicuntur. *Idem.*

Strata viarum.] Figurata locutio, pro, stratas vias. Ita Horat. od. 12. lib. 4. *eluere amara curarum.* In Moreto, *singula capitum.* Fabius declam. 260. *incensa operum.* Justinus, lib. 41. *profunda camporum, prærupta collium, montium ardua*, 2. Æneid. *opaca locorum.* & Cassiodorus 1. Var. epist. 4. *amœnissima Brutiorum.* Institit vero Virgilius Lucretio, lib. 1.

Strataque jam vulgi pedibus detrita viarum.

Idem *vera viai.* Græci delectati figura hac. Aristophanes Pluto, τούτων μῶρα: *horum stulta*, pro stultitias. Ibidem, τοὺς χρηστοὺς ἀνθρώπων: *bonos hominum.* Philostratus in Heroicis, πολλοὺς τῶν νέων· *multos juvenum.* & lib. 2. de Vitis Sophist. ἡδίους τῶν ἀμπέλων: *suaviores vitium.* ita κακοδαιμονεστάτους ἀνθρώπων, *miserrimos hominum*, & sexcenta alia. Thucydides, στενόπορα τῶν χωρίων. imo Thucydideum hoc vertisse Virgilium, lib. sequenti in illis *angusta viarum*, Germanus notat. *Cerda.*

Strata viarum.] Hoc loquendi genus, quod plenum dicit Scal. l. 4. Poët. c. 16. crebro apud Lucretium, quem in multis imitatus est Maro. Vide Vechnerum lib. 1. Hellenol. p. 43. 44. *Emmeness.*

423. *Instant ardentes Tyrii.*] Multum festinantes. Ut, *Juvenum manus emicat ardens*; & *Ardet abire fuga*, & *Laocoon ardens.* Sic enim dicit, quotiens properantem vult ostendere. Alii *ardentes* ingeniosos dicunt. Nam per contrarium *segnem*, id est, sine igni, carentem ingenio, dicimus: unde & à Græco venit *catus*, id est, ingeniosus, ἀπὸ τοῦ καίεσθαι. *Servius.*

Instant.] Itur jam per species, laudantur autem, quod non inviti agebant. *Donatus.*

Instant ardentes Tyrii.] Ex hoc loco Silius lib. 2.

Condebat primo Dido Carthaginis arces,
Instabatque operi subducta classe juventus.
Molibus hi claudunt portus, his tecta domusque
Partiris justa Bitia venerande senecta.

Cerda.

Ducere muros.] Exædificare, hoc est, construere, in longitudinem producere, proprie enim cum ædificantur muri, *duci* dicuntur. Sallust. hist. 2. *Murum* ab

Molirique arcem, & manibus ſubvolvere ſaxa:
Pars optare locum tecto, & concludere ſulco.
Jura, magiſtratuſque legunt, ſanctumque ſenatum.
Hic

ab angulo dextri lateris, ad paludem, haud procul remotam, duxit. Servius.

Pars ducere.] Primo curabant, quæ adverſus hoſtes fuerant neceſſaria. *Donatus.*

Pars ducere muros.] Eandem locutionem invenias apud Livium l. 7. c. 23. *vallum ducere cœpit.* Horatio etiam in uſu l. 4. od. 6. *potiore ductos alite muros.* Vocem compoſitam habet Tibullus l. 4. Eleg. 1. *Qua deceat tutam caſtris præducere foſſam.* ſic Græcis eſt τεῖχος βάλλειν vel τειχοβολεῖν & παρεμβολεῖν. de quibus conſule Salmaſ. Plin. exerc. p. 309. *Emmeneſſ.*

424. *Molirique arcem.*]Molibus factis extollere: quod eſt, extruere; huic contrarium eſt *demoliri.* Servius.

Molirique arcem.] Id eſt, extruere; à *molibus* dictum, ut Non. Marc. ex Acc. Philoctete: *gelidas molitur nives.* Horat. de art. p. *oppida moliri.* in aliis hoc quoque verbum uſum habet, quem notavit Scalig. l. 4. poët. c. 16. *Emmeneſſ.*

Et manibus ſubvolvere ſaxa.] Cur manibus, an quia adhuc machinæ non erant, feſtinationem referre voluit. *Servius.*

425. *Optare.*] Eligere: ut, *Tuus ô regina quid optes, Explorare labor.* Et 3. Æn. *Optavitque locum regno.* Idem.

Pars optare locum tecto.] In veteribus fere omnibus exemplaribus legi, *aptare locum.* τουτ᾽ ἔστι τὸ ἁρμόζειν, tametſi Servius agnoſcit *optare.* Pierius.

Optare.] Qui hic *aptare*, id eſt, ἁρμόζειν, male. Veteres *optare*, pro eligere, dixerunt. Ita 3. Æneid. *Optavitque locum regno*, id eſt, elegit, ab Græco ὄπτω, video, conſidero. Ab hoc ſignificato *coopto*, *adopto* vide Nonium, Joſephum Scaligerum in Conjectaneis, & Julium, lib. 4. Poët. cap. 16. & in Terent. And. Donatum. Hi omnes & in Virgilio agnoſcunt *optare*, & firmant exemplis veterum, quæ ego hic omitto, & à me addo Arbitrum, qui ſic:

Hæc ubi calcavit Cæſar juga milite læto,
Optavitque locum.

& Livium, qui lib. 6. *Introductis in ſenatum captivis, cum bello perſequendos Tuſculanos Patres cenſuiſſent, Camilloque id bellum mandaſſent: adjutorem ſibi ad eam rem unum petit: permiſſoque, ut ex Collegis optaret, quem vellet; contra ſpem omnium Lucium Furium optavit.* id eſt, permiſſo, ut eligeret, quem vellet, elegit L. Furium. In Declamationibus Fabii ita frequens eſt hoc verbum in hac ſignificatione, ut neſciam, an aliud ibi frequentius. *Cerda.*

Tecto.] Ad tectum, nota figura. *Servius.*

Locum tecto.] Tecto privata ædificia curabantur. *Donatus.*

Sulco.] Foſſa. Civitas enim, non domus, circundatur ſulco: Ergo ſulco, foſſa fundamentorum: Alibi, *Auſim vel tenui vitem committere ſulco.* Servius.

Concludere ſulco.] Id eſt, foſſa. Alludit ad morem veterum, quo futuræ urbis ſpatium ſulco deſignabatur: vel etiam ad Romanorum conſuetudinem, apud quos inſulæ invicem diſtinguebantur. De quibus Spartian. & Lipſius in Admirand. *Taubm.*

426. *Jura legunt.*] Eligunt; vel loca, ubi jura dicantur, aut magiſtratus creentur. Et bene poſt conditam civitatem addidit jura, & magiſtratus ſanctumque ſenatum. Legitur apud quoſdam, Brutum eos, qui ſe in ejiciendis regibus juviſſent, lectos in conſilium, eum ordinem *ſenatum* appellatum, quod una ſenſiſſent: quod patritii eſſent, Patres conſcriptos; alii patres à plebe in conſilium ſenatus ſeparatos tradunt, ac conſcriptos, qui poſt à Servio Tullio è plebe electi ſunt. Alii *ſenatum* à ſenectute hominum, quibus* allecti erant, dictum volunt, quia apud Græcos γερουσία appellatur. *Sanctum*
autem

Hic portus alii effodiunt: hic alta theatris
Funda-

autem ideo, quia Senatus, Sanctissimus ordo dicitur. *Servius.*

Jura.] Disponit leges & honores curiales. *Donat.*

Jura.] Ascensius *Jura* interpretatur *Juridicos*: Conveniet tamen melius sententiæ, si *Jura* pro Auditoriis & locis, ubi Jus diceretur, quæ *δικαστήρια* Græcis, acciperentur. Sunt, qui *δίκην* & *δίκας* in ea esse significatione contendant. Sic & Horat. *In jura rapere* dixit. & noster infra 3. Æn. *Jura domosque dabam.* Necdum enim Æneæ, recens advecto, satis otii fuerat ad Leges condendas, si quis forsan *jura* pro Legibus acciperet. Pimpontius *Jura* simpliciter Auditoria, non Leges hîc accipit: ut Propert. l. 3. el. 7.

Cum tibi Romano dominas in honore secures
Et liceat medio ponere jura foro.

Non dicit, *jura dicere*, sed *ponere*: quod locum notat. Immo & Paulus JC. *Jus* vocat etiam locum, in quo jus redditur. Atque idem Donatus quoque ad Terentium annotat. Hinc illa, *Aliquem in jus vocare. In jus ambulare, &c.* Taubm.

Sanctumque senatum.] Sic Horat. l. 4. od. 5. concilium patrum *sanctum* vocat. Quint. Declam. 329. *sanctissimum ordinem.* Emmeness.

427. *Portus effodiunt.*] Ut portus scilicet faciant. Et vere ait, nam Carthaginienses cotthona fossa utuntur, non naturali portu. *Servius.*

Portus.] Et hoc ad salutis subsidium. *Donatus.*

Hic portus alii effodiunt.] In Longobardico, & aliquot aliis codicibus antiquis legere est, *hic portas alii effodiunt.* Sed enim *Portus* magis placet: quod ad salutem salutisque subsidium pertinere Donatus ait. Seu quia Virgilius alludat ad Portum: quem effodere Carthaginienses intra muros obsessi ab Romanis, divisoque repente muro, subitaria eruptione Romanos fugavere. *Pierius.*

Portus effodiunt.] Portus, non naturales, sed manu factos *cothones* appellat Festus, sed parvam insulam Carthaginis, quæ vicem portus præbebat, ita ex Strabone & Appiano nominatam putat Salmas. exerc. Plin. p. 1128. cui *Cothon* sive *Cothonum* pro portu fossitio vix Latinum videtur. *Emmeness.*

Hic alta theatris Fundamenta.] Hinc futura magnitudo cognoscitur. quod alta fundamenta ait, bene autem post res publicas privatasque necessarias, mentionem fecit theatri, aut quia Græcis urbs conditur, qui sæpe spectaculis gaudent, aut ut apud quosdam fuit in genere musicæ scientiæ. *Servius.*

Alta theatris.] Post ea, quæ ad salutem & honorem pertinent, prospicit voluptatibus propter scenas, quod non fit, nisi in ociosa civitate: quod Æneæ erat necessarium. *Donatus.*

Hic alta theatris fundamenta locant.] Non displicet quod in Romano codice, & in quibusdam aliis pervetustis legitur, *hic alta theatris,* eo modo, quo inferius posuit, *scænis decora alta futuris.* Sed & pro *locant*, codices nonnulli *petunt* habent: quod non æque placet. *Pierius.*

Locant.] Id est, constituunt. Non. Mar. ex Lucil. l. 30. *virtutis monimenta locantur.* Emmeness.

Theatris.] Fortasse alludit ad theatrum, quod Romæ struxit M. Scaurus ædilis. Id fiet probabile audienti verba hæc Plinii, lib. 36. cap. 15. *Hic fecit ædilitate sua opus maximum, quæ unquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam æternitatis destinatione. Scena ei triplex in altitudinem* CCCLX. *columnarum, in ea civitate, quæ sex Hymettias non tulerat sine probro civis amplissimi. Ima pars scenæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ.* In quibus verbis multa sunt affinia Virgilianæ sententiæ. Nam magnum numerum columnarum, Poëta exhibet per numerum multitudinis *columnas.* Illarum altitudinem per vo-

Fundamenta locant alii; immanisque columnas
Rupibus excidunt, scænis decora alta futuris.
Qualis apes æstate nova per florea rura
Exer-

cem *immanes*. Triplicem scenam per *scenis* in plurali. Decus & luxuriam operis per *decora alta*. Cerda.

428. *Columnas decora alta.*] Figurate columnas *decora alta*: diversis enim significationibus, idem dixit, & ab eo, quod est *decus* corripitur *decoris*. Servius.

Columnas.] Ut non solum theatri gesta, verum aspectus operis juvaret. Ponit apum comparationem, quæ & industria, & labore, & æquitate operis, & concordia excellentes sunt: & quæ fucos, animal non solum iners, verumetiam vorax, à sedibus pellant. *Donatus.*

Inmanisque columnas.] Id est, magnas. Non. Marc. ex 6. Æn. *posuitque inmania templa.* exempla plura Torrent. ad Horat. lib. 1. od. 27. *Emmeness.*

429. *Scænis decora alta futuris.*] Indicanda hic est prudentia Maronis in toto hoc opere describendo, qui cum semper sit admirabilis, nusquam admirabilior, quam cum attingit rem civilem. Ad rem. Nihil prætermittit earum rerum, quæ necessariæ ad unius civitatis conservationem, & statum. Mentem Poëtæ mire complexus est Julius Scaliger. In primis tribus, *Instant ardentes Tyrii*, &c. est quasi corpus civitatis, cui corpori animum addit, cum ait,

Jura magistratusque legunt, sanctumque Senatum:

sunt enim leges, jura, magistratus, & religio, quasi animus urbium. Tum addit ornamenta, columnas, theatrum, scænas. Itaque posuit Virgilius in excitanda hac urbe, bonum utile, necessarium, delectabile: utile in muris, ac domibus, necessarium, in legibus: delectabile in ludis. Inter res enim, quas habere urbs debet, ut verè dici urbs queat, nominat Pausanias lib. ultim. *prætorium, gymnasium, theatrum, forum, perennis aquæ conceptaculum.* Artemidorus lib. 1. cap. 2. numerat λιμένας, τείχη, ἀγορὰς, γυμνάσια: *portus, muros, fora, gymnasia.* & addit, κοινὰ πόλεως ἀναθήματα: *communia urbis donaria.* Ab eodem lib. 3. cap. 63. ponuntur communes urbium partes, θέατρα, προάστεια, πλατεῖαι, τεμένη, περίπατοι: *theatra, suburbia, plateæ, delubra, deambulacra.* Hæc omnia ait, ita debere esse urbibus communia, ut est forum. Plato lib. 6. Leg. has partes communes assignat, λιμένων, ἀγορᾶς, κρηνῶν, τεμενῶν, ἱερῶν: *portus, forum, fontes, lucos, templa.* Aristides loquens de Roma, istas γυμνασίων, κρηνῶν, προπυλαίων, νεῶν, δημιουργῶν, διδασκαλείων: *gymnasia, fontes, porticus, templa, officinas, scholas.* Easdem fere numerat loquens de Smyrna. Philo de opificio mundi istas, ἱερὰ, γυμνάσια, πρυτανεῖα, ἀγορὰς, λιμένας, νεωσοίκους, στενωποὺς, τειχῶν κατασκευάς. Consentiunt ista omnia cum partibus, quas suæ urbi dat Virgilius. Plutarchus in comparatione ignis & aquæ laudat eam urbem, quæ non egeat τῶν ἔξωθεν συμμάχων, *externis auxiliis.* Cerda.

Scænis decora alt.] *Scænis*, id est, ludis. Et observentur hiatus, rebus mire accommodati,

—*locant alii, immanesque col.*
&, — *decora alta futuris.*

Taubm.

430. *Qualis apes.*] Ordo est: Qualis labor æstate nova, id est, incipiente jam vere novo. Tertiæ declinationis genitivus pluralis & in *ium* & in *um* exit: sed tunc pro nostro arbitrio cum nominativus singularis fuerit *n* & *s* terminatus: ut *amans* & *amantum*, & *amantium* dicimus. Cum autem nominativus singularis *er* & *ur* fuerit terminatus, tantum in *um* exit. ut pater patrum, murmur murmurum. Reliqua vero nomina auctoritate firmamus: ut *apis apum*, vel

Exercet sub sole labor; cum gentis adultos
Educunt fœtus, aut cum liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas:
Aut

vel *apium.* Sane fabula de apibus talis est. Apud Isthmum anus quædam, nomine Melissa fuit: Hanc Ceres sacrorum suorum cum secreta docuisset, interminata est, ne cui ea, quæ didicisset, aperiret; Sed cum ad eam mulieres accessissent, ut ab ea primo blandimentis, post precibus & præmiis elicerent, ut sibi à Cerere commissa patefaceret, atque in silentio perduraret, ab eisdem iratis mulieribus discerpta est: quam rem Ceres, immissa tam supra dictis fœminis, quam populo ejus regionis, pestilentia ulta est; de corpore vero Melissæ apes nasci fecit. Latine autem melissa apis dicitur. *Servius.*

Qualis apes.] Comparationis genus, quæ ἐπαγωγὴ dicitur; & mire quadrans huic negotio. Sunt autem versus prope omnes huc translati è 4. Georg. *Taubm.*

Qualis apes &c.] Hoc in loco Homero superior est Virgilius. Vide Macrobii judicium l. 5. Saturn. c. 11. *Emmeneß.*

Æstate nova.] Incipiente, ut, *Vere novo.* Et bene *nova*, quia est æstas & adulta & præceps secundum Salustium. *Servius.*

Æstate nova.] Bene, *nova*: vere scil. jam pleno. Nam anni temporum quodlibet tria habet discrimina: ut *ver primum*, sive *novum*, sive *iniens*: *ver medium* sive *adultum*: & *ver extremum*, sive *præceps*, *præcipitans*, & *senescens.* de quo in Georg. *Taubm.*

Florea.] Florida: ut, *Nemora inter frondea*; aut florentia, nec non de flore erant facta, ut *floream coronam* dicimus. *Servius.*

Rura.] Græce ἄρουρα dicuntur. Aphæresis ergo sermonem facit Latinum. *Idem.*

Rura.] Aphæresis à voce Græca ἄρουρα. Ita Servius, & alii. Pari cum Poëta modulo Claudian. 2. Rapt.

Huc elapsa cohors gaudet per florea rura. Cerda.

431. *Exercet.*] Fatigat: ut, *Nate Iliacis exercite fatis.* Et subjecit quibus rebus exercitæ fatigentur. Hoc autem participium ab exercitu, id est, militum multitudine, declinatione discernimus. Nam nomen quartæ, participium secundæ declinationis est; ut *visus* hujus *visi* vel *visus*, *passus passi* vel *passus*, *auditus auditi* vel *auditus.* Servius.

Sub sole.] In Sole: ut, *Namque sub ingenti lustrat dum singula templo.* vel quamdiu Sol est. *Idem.*

Cum gentis adultos fœtus.] Ad laudem apum hoc pertinet. Et bene *gentis fœtus*, quia non singulæ de singulis nascuntur, sed omnes ex omnibus: Et per hoc melius in Georgicis intelligitur. *Idem.*

Gentis.] Homerus sæpe ἔθνεα χηνῶν, γεράνων, κύκνων, μελισσῶν: *Gentes anserum, gruum, cycnorum, apum.* Cerda.

432. *Educunt.*] Producunt, quod adhuc adolescant, & adulti fiant, non adoleverint. ut *adultos* dicimus minores, & hoc sic dixit, ut *Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.* Servius.

Liquentia.] Defæcata, sine sordibus: ut, *Nec tantum dulcia, quantum & liquida*, id est, pura: nam dura mella constat esse meliora. *Idem.*

433. *Stipant.*] Densant: translatio est à navibus, in quibus stipula interponitur vasis, quam *stupam* dicunt. *Idem.*

Stipant.] Nam quo densius & stipatius mel, eo laudabilius; imo hæc ultima mellis perfectio, ad quam veluti per gradus venit. Plinius lib. 11. cap. 13. *Est autem initio mel, ut aqua, dilutum, & primis diebus fervet, ut mustum, seque purgat. Vicesimo die crassescit, mox obducitur tenui membrana, quæ fervoris ipsius*

Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum jam mœnia surgunt!

Æneas

ipsius spuma concrescit. Bene ergo, stipant & densant mella liquentia, id est, liquida. Alii *liquentia* accipiunt, id est, pura. Possunt, nam 4. G.

—— *aliæ purissima mella*
Stipant. Cerda.

Distendunt.] Implent: ut; *Et denso distendere pingui.* Servius.

Nectare. Melle: abusus propter suavitatis similitudinem. *Idem.*

Cellas.] Et hic abusus est, ut favorum cavernas *cellas* vocaret, vel alvearia, ut alibi thesauros. Traxit autem à reponendi similitudine: vel à celando, unde *cellam* appellaverunt. *Idem.*

434. *Onera accipiunt venientum.*] Quod apum seniorum munus est, quæ ternæ aut quaternæ gerulas juvenes seu βαρωνομβρας, id est, florum sarcina onustas, excipiunt atque exonerant. *Taubm.*

Agmine.] Nunc impetu. *Servius.*

Agmine facto.] Facto quodam impetu, & acie quasi militari, *fucos*, id est, fures καὶ κακοὺς ξυνήονας ἔργων, ac Reipublicæ noxios proturbant ab alveariis. Jam de *Fucis* multa Aristot. & Plinius tradidere: sed quid ii sint; an proprium genus, & à furibus distinctum; an apum filii inermes; an fucus & fur idem sint, quod Varroni & Philæ placet: nondum ita plane constitutum est, ut non sit, quod ulterius possis quærere. *Taubm.*

435. *Ignavum.*] Inutile, non aptum industriæ. Nam industrios *navos* dicimus. *Servius.*

Fucos.] Secundum Plinium apium multa sunt genera. Proprie tamen apes dicuntur de bobus ortæ: fuci, de equis: crabrones, de mulis: vespæ, de asinis. Fucus autem est secundum Æmilium Macrum, major ape, crabrone minor. *Idem.*

Pecus.] *Pecus* dicimus, omne quod humana lingua & effigie caret, id est, à pascendo. Unde Horatius: *Omne cum Proteus pecus egit altos visere montes.* Plautus, *Clurinum pecus simiam dixit.* Idem.

Præsepibus.] Alveariis. Et est translatio: quæ fit quoties, vel deest verborum proprietas, vel vitatur iteratio. *Id.*

436. *Fervet.*] Concelebratur: ut contra, *Friget*, cessat dicimus. Terentius, *Nimirum hic homines frigent.* Idem.

Fervet opus.] Vide Scalig. lib. 4. 16. Poët. & lib. 5. 3. Ubi, Si velim, *inquit*, partes hujus comparationis recensere, opera me deficiat. Rei naturam, varietatem, figuras, carminis rotunditatem, nervos suaviloquentiæ. *Taubm.*

Redolent.] Quidam olere res, vel malas vel bonas; redolere tantum bonas tradunt. *Servius.*

Fragrantia.] Quotiens incendium significatur: quod flatu alitur, per *l* dicimus, quotiens odor, qui fracta specie major est, per *r* dicimus. Sciendum sane nil in hac vacare comparatione. Nam Pœnorum operi, apum labor: custodiæ litorum adversus alienigenas, fucorum comparatur expulsio. *Idem.*

Fragrantia.] In Ro. codice, & aliquot aliis antiquis *flagrantia* legitur: & in Georgicis eodem modo. Grammatici tamen utriusque verbi significata distinguunt. *Pierius.*

437. *O Fortunati.*] Expressit Æneæ desiderium, hoc est, qui jam faciunt, quod & ipse desiderat. *Servius.*

O Fortunati.] Non invidet alienæ felicitati, sed prosequitur laude, & quando scilicet ego ad hanc felicitatem perveniam. *Donatus.*

Quorum jam mœnia s.] Laus vel ab ipsa re sumitur, quæ laudatur. *Servius.*

Surgunt.] Celeberrimum in ædificiis.

Æneas ait, & faſtigia ſuſpicit urbis.
Infert ſe ſeptus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miſcetque viris; neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, lætiſſimus umbræ,
Quo primum jactati undis & turbine Pœni
Effodere loco ſignum, quod regia Juno
Mon-

ciis. Exempla in uno Virgilio multa. In quo ſunt: *aſſurgunt turres*, *ſurgentem arcem Carthaginis*, *ſurgent mœnia*. Neque abit, *ſurgere regna*. Ita Propertius, *conſurgit murus*. Et Tibullus *Exſurgunt oppida muris*. Cerda.

438. *Faſtigia.*] Nunc operis ſummitates; alibi ima ſignificant: ut, *Forſitan & ſcrobibus, quæ ſint faſtigia quæras.* Servius.

Suſpicit.] Miratur: ut, è contrario, *deſpicit*, contemnit ſignificat. *Idem.*

Faſtigia ſuſpicit.] Summitates miratur. Atque è verbo *ſuſpicit*, colligitur, Æneam jam colle deſcendiſſe. *Taubmann.*

439. *Mirabile dictu.*] Ob hoc, quod ſequitur, quia mixtus cunctis latebat. poteſt tamen & hoc ſuperiori & inferiori ſenſu addi. *Servius.*

440. *Per medios.*] Figura eſt: nam plenum fuerat, *mediis ſe infert*. Idem.

Miſcetque.] Deeſt *ſe*. Idem.

Per medios, miſcetque viris.] Sunt qui legant unico membro, *Per medios miſcetque viros*, quæ tamen lectio, neque à veteribus, neque à junioribus, quod ſciam, recepta. *Pierius.*

Neque cernitur ulli.] Id eſt, neque ab ullo cernitur. Ut eſt Græcum οὐδενὶ ὁρώμενος, ut eſt illud, *Scriberis Vario*. id eſt, ſcribet te Varius. *Servius.*

441. *Lucus.*] Ubicunque Virgilius lucum ponit, ſequitur etiam conſecratio; ut, *Luco tum forte parentis Pilumni Turnus ſacrata valle ſedebat.* Unde in ſexto, *Nulli certa domus: lucis habitamus opacis.* Dicuntur enim heroum animæ lucos tenere. & mox ſequitur, *Hic templum Junoni ingens.* *Lucus* autem dicitur, quod non luceat: non quod ſint ibi lumina, cauſſa religionis, ut quidam volunt. *Idem.*

In urbe fuit media.] Nunc jam in media. *Idem.*

Lucus in urbe fuit media, &c.] Loci deſcriptio eſt, non ſimplex, ſed cum ſuperficie, id eſt, cum deſcriptione muri, aræ, nemoris, &c. ut hoc exponit Scal. c. 3. Poët. l. 5. *Emmeneſſ.*

Lætiſſimus umbræ.] Aut ſeptimus caſus eſt: aut, ſecundum Probum, genitivus; ut ſit *lætiſſimus umbræ*: ſicut Saluſtius, *Frugum pabulique lætus ager.* Serv.

Lætiſſimus umbræ.] Particip. paſſivum, id eſt, amœniſſimus. Probus, & P. Sabinus l. *umbræ*. ita Salluſt. *Frugum pabulique lætus ager.* Silius lib. I. *vitæ laudandus opacæ.* Et hæc eſt luci propria commendatio. *Taubm.*

442. *Quo primum.*] Hoc eſt, ſimul ac venerunt. nec enim ſecundo ad Africam ventum eſt. vel ordo eſt, quo primum loco. *Servius.*

Quo primum.] Ut ſupra per cygnos demonſtrata fuerat felicitas, ſic nunc per Pœnos, qui tempeſtate vexati, huc incolumes venerunt, & fundamenta fodientes, caput equi cum inveniſſent, ſignum habuerunt, quod in bellicis copiis eſſent futuri copioſi. *Donatus.*

443. *Effodere loco ſignum.*] Hiſtoria hoc habet, quam more ſuo Virgilius per tranſitum hic tangit. Dido fratrem fugiens, cum tranſiret per quandam inſulam Junonis, accepit oraculum, & ſacerdotem ejus ſecum abſtulit: cum ei parum crederet promittenti Carthaginis ſedes: quo cum veniſſent, ſacerdos elegit locum faciendæ urbis; quo effoſſo, inventum eſt caput bovis, quod

Monstrarat, caput acris equi. sic nam fore bello

Egre-

cum displicuisset (quia bos semper subjugatus) alio loco effosso, caput equi inventum placuit: quia hoc animal licet subjugetur, bellicosum tamen est, & vincit, & plerunque concordat; ut ipse ostendit plenissime in illo loco, *Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur: Sed tamen iidem olim curru succedere sueti Quadrupedes, & frena jugo concordia ferre: Spes est pacis, ait.* Illic ergo Junoni templa fecerunt. Unde & bellicosa est Carthago per equi nomen; & fertilis per bovis. Sane *fodere* est tantum sollicitare terram, *effodere* hoc ipsum faciendo aliquid eruere & invenire, cui contrarium est *infodere:* Ordo autem est: *Lucus in urbe media lætissimus umbra*, quo loco jactati Poeni undis & turbine effodere caput acris equi, quia regia Juno signum monstraverat. *Servius.*

Effodere loco sign.] More suo, per transitum tangit historiam Poëta: quam habet Justinus, Cælius Rhod. l. 18. c. 38. & alii. Atque ut *signum*, sive portentum illud, quod, indicio Junonis, è loco faciendæ urbis effoderat Dido, explicet, addit, *caput acris equi.* Equum vero belli omen habere, docetur etiam 3. Æn. *Bello armantur equi, &c.* Et videtur Cælio alludi ad nomen vetus Carthaginis, quo dicta est *Caccabe:* quod illarum gentium lingua *equinum caput* indicat. *Taubm.*

Quod regia.] Regina. *Servius.*

444. *Monstrarat.*] Ut dictum est, tangit historiam. Monstro dederat. *Idem.*

Monstrarat.] Ut quæ urbem illam tuendam, totoque pectore fovendam statuerat, ut dictum antea. *Monstrarat* autem, non monstro dederat, ut interpretes, sed simpliciter accipe, pro docuerat. Cic. ad Tyron. *Tu istic si quid librarii mea manu non intelligent, monstrabis.* Nascimbæn.

Caput.] Ne levis adeo cuipiam observatio videatur, in vetustis pene omnibus exemplaribus *capud* per *d* scriptum esse: sciendum eam esse inter *d* & *t* cognationem, ut plerunque sibi invicem succedant. Et Carisius ubi *ad* nonnunquam pro *at* positum citat in hujusmodi nominibus, aut dictionibus vocali sequente suavius per *d* proferri putat. Est & *quot* relativum per *t* sæpissime tam in libris, quam in marmoribus notatum, *quot regia Juno.* & in venustula quadam inscriptione Romæ in ædicula Divi Basilii, quæ ad Horologium Augusti sita est, *quot* ita scriptum inspexi,

APVSVLENA GERIA VIXI
ANN. XXII.
QVOT QVISQVE VESTRVM
OPTAVERIT MIHI
ILLI SEMPER EVENIAT
VIVO ET MORTVO.

Pierius.

Acris equi.] Epithetum magis aptum equis; ut canibus blandis, qui natura blandi sunt. *Servius.*

Caput acris equi.] Justin. l. 18. c. 5. inventum primo testatur caput bubulum, post alio loco equinum. Superstitiose satis in condendis urbibus & templis observabant auspicia. De Roma loquitur Livius l. 1. c. 55. *caput humanum integra facie aperientibus fundamenta templi apparuisse.* Emmeness.

Sic nam fore bello.] Quod nonnulli legunt, *signum fore.* Dictionem ego illam in abrasis tantum codicibus suppositam animadverti. In integris autem, *sic nam.* Quam lectionem ut castiorem Pontanus etiam agnoscit, ubi ait, in poëticis numeris dictiones monosyllabas binas simul, maxime post dactylicam aliquam properationem numerosas esse in medio collocatas, ut Virg. *Monstrarat caput acris equi. Sic nam fore bello.* Pierius.

Sic nam fore bello.] Scalig. lib. 4. c. 48. Varietas, *inquit*, Poëticarum omnium virtutum maxima est. Quamobrem incompta illa (diffita enim sunt) condimenti

Egregiam & facilem victu per sæcula gentem.
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido

Con-

menti atque intinctus loco habenda erunt, —*omnium egenos. Sic nam fore bello: Hector ubi ingens: Junonis ob iram, &c.* Taubm.

445. *Et facilem victu.*] Propter bovem: ſicut dictum eſt. *Facilem* autem, copioſam, divitem. Terentius, *Quam vos facillime agitis.* Servius.

Facilem victu.] Locus difficilis, cujus triplex explicatio. Sunt qui ex hiſtoria Juſtini, quam attuli, explicent, Carthaginem fore bello egregiam, ſed tandem vincendam. & in primo ajunt alluſum ad caput equi, in altero ad caput bovis. Nequit vera eſſe hæc explicatio. Nam quî egregia bello, ſi vincenda? Deinde, quî Juno tutelaris Dea animos illis faceret? imo injiceret deſperationem. Tertio, cum Virgilius nihil de bove meminerit, tantum de equo, nonne injuſte traducitur ad bovis ſignificata? Quarto, Silius lib. 2. Poëtam imitans, nihil tale commeminit: ait enim,

Oſtentant caput effoſa tellure repertum
Bellatoris equi, atque omen clamore ſalutant.

Progredior ad alteram illorum explicationem, qui ajunt capiendum Poëtam de victus ratione, ut dicat, Carthaginem fore bello egregiam, & frugum fertilitate abundantem, ad eum modum, quo Homerus dixit Odyſſ. 4.

— ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν,
— *Facilimus victus eſt hominibus.*

Dii etiam eodem lib. elogio quodam dicuntur ῥεῖα ζώοντες *facile viventes.* In hanc multi inclinant: Interque illos Donatus, & Servius, cujus hæc ſunt: *Facilem autem, copioſam, divitem: Terentius, quam vos facilime agitis.* Erit ergo juxta hos, facilis victu, id eſt, facilis alimonia, cibo, victitandi ratione. Diſplicet admodum iſta explicatio, nam cum bello, victoriis, armis, quî cibus, alimonia, victus? Atque, ut ego puto, hæc explicatio tantum ſuſcepta eſt à videntibus non poſſe ſe hærere primæ. Nec me movet, dici à Seneca epiſt. 90. *Sapiens facilis victu fuit.* Id eſt, alimonia. Nam non ideo ſequitur, ſumi eam ita à Virgilio. Itaque his relictis hæreo tertiæ explicationi ſequutus Hortenſium, & Germanum, viros doctiſſimos, quorum prior ita ait: *victu ad vincendum, ſignificato activo.* poſterior, *Neſcio, an cum interpretibus hîc ad εὐπορίαν referri oporteat, vivendi, & commeatus commoditatem: nam ſi, victu, accipiamus active, ſententia præcedenti clauſula defenditur, ſic nam fore bello egregiam, ut Carthaginem victoriis inſignem, & νικητικὴν, & νικηφόρον intelligamus.* Sed hæc explicatio præcipue nititur his auctoribus (ſunt hi non pauci, nec levis auctoritatis) qui excludunt hæc, quæ vulgo dicuntur ſupina ultima. & qui admittunt, dant illis ſæpiſſime actionem. Sed de hac re, ne repetam, quæ alii, vide diligentem vere operam docti viri lib. 3. Minerva. cap. 9. ubi multa exemplorum varietate, & vi rationum efficit, has voces tantum eſſe nomina, non ſupina, & illarum plurimas habere veram actionem. *Cerda.*

Facilem victu.] Id eſt, fertilem. Alludit ad alterum prodigium. Nam initio caput bubulum reperiebatur: quod auſpicium quidem fructuoſæ terræ, ſed laborioſæ & ſubjugatæ fuit: itaque illud alterum quæſitum & inventum præ iſto placuit. Ut ita Carthago fertilis ſit per omen *Bovis*: bellicoſa, per *Equi*. Atque ita quidem Servius, & Donatus, & qui cum eis faciunt. Alii, *facilem victu*, active capiunt, pro, ad vincendum: quaſi fortem & multis victoriis pollentem. Vict. Strigelius cruciculam hîc Grammaticis fixam dixit. *Taubm.*

Per ſecula.] Pari forma Quintilian. decl. 268. *Pugnant inter ſe, atque diſſentiunt, & perpetuam hanc per ſecula litem trahunt.* Cerda.

246. *Hic templum Junoni.*] Superius dictum eſt, quod Virgilius ubique lucos

con-

Condebat, donis opulentum & numine divæ:
Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque
Ære

consecratos velit accipi, unde tanquam in luco sacro inducit Didonem Junoni templum construere, morem autem Romanum veterem tangit: Antiqui enim ædes sacras ita * templa faciebant, ut prius per Augures lucus liberaretur, effareturque: tum demum à Pontificibus consecraretur, ac post ibidem sacra edicerentur. Erant autem templa, in quibus auspicato & publice res administraretur & Senatus haberi possit, erant * tantum sacra. Hic ergo & sacrum templum, quod in luco, id est, in loco sacro, conditur docet. Et in templo administrari Rempub. subsequentibus versibus indicat: *Jura dabat legesque viris, operumque laborem Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat.* Alibi tantum sacra esse templa, alia omnia ubi agi * posse locis suis monstrabitur. *Servius.*

Hic.] Oportuit enim deam in eo loco habere honestissimam sedem, in quo virtutem suæ majestatis ostenderat. Et cum nondum perfectum esset, tanta reverentia colebatur, ut donis copiosum esset, & dea ipsa præsens esse crederetur. *Donatus.*

Sidonia.] Licet *Sidon* civitas sit Phoeniciæ, tamen hic pro Tyria posuit. Sane quidam oportune hic *Sidoniam* volunt positam, ut ostenderet locupletem, *Sidonii* enim locupletes habiti sunt; ut, *Sidoniasque ostentat opes.* Servius.

347. *Donis opulentum & numine divæ.*] Aut simulacrum quoque aureum fuit, & *numen* pro simulacro posuit. Ut, *Media inter numina divûm.* Hinc Cicero, *Sese jam ne deos quidem, ad quos confugerent, habere.* Hic ostendere vult plenum esse præsentia numinis templum, aut certe venerabile numine. *Idem.*

448. *Ærea.*] *Ærea* ideo, vel quod æs magis in usu veteres habebant: vel quod religioni magis apta est hæc materies. Denique flamen Dialis æreis cultris tondebatur, aut quia vocalius cæteris metallis, aut quia Medici quædam vulnera curant, aut dicit, quia veteres magis ære usi sunt: aut ærea secula significantur. Nam, ut Hesiodus dicit, Tempore, quo hæc gesta sunt, æreum seculum fuit. *Idem.*

Gradibus surgebant limina.] Ex more vetere, quo magnificentissima templa gradus habuere, quibus ad illa ascenderetur. Vitruvius lib. 3. cap. 2. *Matres enim familiarum, cum ad supplicationem gradibus ascendunt, &c.* Facit enim ad majestatem templi, ut à cætero urbis solo exstet. Lege Philandrum in adductum locum Vitruvii. Apuleius lib. 11. *Exosculatis vestigiis Deæ, quæ gradibus templi hærebat argento formata.* Idem mos servatus in domibus privatis. Virgilius lib. 3. Georg.

—— *gravido superant vix ubere limen.*

Hunc morem agnoscit Passeratius ex illo Propertii lib. 1. eleg. 16. ubi loquens cum janua:

At tibi sæpe novo deduxi carmina versu,
Osculaq; impressis nixa dedi gradibus.

& ex illo ejusdem eleg. 14.

Illa neque Arabium meruit conscendere limen.

Cerda.

Ærea cui gradibus surgebant limina, &c.] Hoc Plinius testatur antiquis familiare fuisse l. 34. c. 3. *prisci limina etiam ac valvas ex ære factitavere, &c. Quin etiam privata opulentia eo modo usurpata est. Camillo inter crimina objecit Sp. Carvilius quæstor, quod ærata ostia haberet in domo.* Eo processit Romanorum luxus, & superbia, ut non minori cura muniverint & ornaverint simul ædes, ac urbium portas. Quod Juvenalis arguit Sat. 7. ℣s. 41.

Hæc longe ferrata domus servire jubetur,
In qua sollicitas imitatur janua portas.

Emmeness.

Nexæque ære trabes.] Multi *nixæ* legunt, non *nexæ*, juxta Varronem, qui ait,

Tri-

Ære trabes: foribus cardo ſtridebat aënis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem
Leniit.

Triſulcæ fores, peſſulis libratæ dehiſcunt, graves atque innixæ in cardinum tardos turbines. Quidam trabes æneas putant ipſum templum χαλκοςὲν ſignificari. Verſus ſane ipſe ypermetros eſt. *Valvæ* autem ſunt (ut dicit Varro) *quæ revolvuntur & ſe velant. Janua* autem eſt primus domus ingreſſus: dicta, quia Jano conſecratum eſt omne principium. Cæterum intra januam, *oſtia* vocantur generaliter; ſive valvæ ſint, ſive fores: quamvis uſus iſta corruperit. *Servius.*

Ære trabes.] Pro ex ære, ut Propert.
Auro Solis erat ſupra faſtigia curſus.
Sic Græci omiſſa particula, ἐξ. Ælian. l. 2. var. Hiſt. c. 33. ἄγαλμα ἐλέφαντος: *Emmeneſſ.*

449. *Foribus.*] *Fores* proprie dicuntur, quæ foras aperiuntur, ſicut apud veteres fuit. *Servius.*

Cardo.] Dictus eſt, quaſi cor januæ, quo movetur. *Idem.*

Stridebat aënis.] Ad ſua retulit tempora Virgilius. Cautum enim fuerat, poſt proditum hoſtibus à Tarpeja virgine Capitolium; ut ærei cardines fierent, quo ſtridor poſſit aperta oſtia omnibus indicare. *Idem.*

Foribus cardo ſtridebat aënis.] Ait Servius, retuliſſe hoc Virgilium ad ſuum tempus, quo cautum erat poſt proditum à Tarpeia Virgine Capitolium, ut ærei cardines fierent, quo ſtridor ſonantius audiretur, neque eſſet locus inſidiis. Firmari hæc poſſunt verſibus Virgilii in Cic.

Quam ſimul Ogygii Phœnicis filia Charme
Surgere ſenſit anus (ſonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus ſtridens in limine cardo)
Corripit extemplo feſſam languore puellam.

Proſerpina quoque apud Claudianum 1. Rapt. hoc ſigno excitatur ab opere, cui incumbebat:

——— *ſed cardine verſo*
Senſit adeſſe Deas, imperfectumque laborem Deſerit.

Servii quoque ſententiam juvant, quæ Euſtathius, quæ ex illo Spondanus, inter metalla æs ſoni eſſe maximi. & ideo ab Homero 5. Il. vocem æream dari Junoni, quo longe lateque audiretur. Calpurnius declam. 4. dixit *ferrati poſtis ſtridor excitat.* Traduci iſti omnes ad morem alium poſſunt. Obſervat enim Servius, alii etiam, januas domorum foras, non intro aperiri ſolitas, & inde dictas fores. Tum itaque, qui foras prodibant, prius crepitu quodam ſignificabant, ſe velle exire, ne, cum fores aperirentur, læderentur ii, qui forte viam præteribant. Inde itaque hic ſtridor Virgilii, & aliorum. & quidem in Terentio, cum quis domo exit, aut ingreditur, fores crepant, in quibus non ſemper æs. Et Propertius lib. 4. eleg. 9. nulla facta æris mentione, tamen ait:

Cum ſubito rauci ſonuerunt cardine poſtes,
Et levia ad primos murmura facta lares.

Ubi videtur abeſſe æs. nam ſi illud, non certe eſſet murmur leve. *Cerda.*

Foribus cardo ſtridebat aënis.] Lucret. l. 2. *æra reſtantia:* dicuntur *vociferari:*
Æraque quæ clauſtris reſtantia vociferantur.

Ad hunc locum conſulendus Giſanius. pro *vociferari*, Turnebo teſte l. 5. c. 27. Maroni *ſtridere* in uſu. l. 6. Æn. ℣ſ. 573.

Tum demum horriſono ſtridentes cardine ſacræ
Panduntur portæ.

Et lib. 7. ℣ſ. 613.

——*reſerat ſtridentia limina conſul.*

Et fores, quæ poëtæ *ſtridere*, Terentio gravius *crepare* dicuntur. H. 3. 3. 52. *Emmeneſſ.*

450. *Hoc primum in luco.*] Secuta ſunt enim

Leniit. hic primum Æneas sperare salutem
Ausus, & afflictis melius confidere rebus.
Namque, sub ingenti lustrat dum singula templo
Reginam opperiens, dum quæ fortuna sit urbi,

Arti-

enim & alia quæ detraxere formidinem. *Servius.*

Hoc primum.] Propositionis genus est. dicturus est enim, quid viderit, unde aliquid sperarit, unde sit lenitus metus. nam totus eradi non potuit. *Donatus.*

Nova.] Vel contra spem, cum paulo ante vidisset omnia deserta: vel, *nova*: quia videbat Trojana certamina depicta. *Idem.*

Timorem.] Multi quærunt, cur post visam matrem quicquam timuerit. Quod tamen alii sic abusive solvunt; ut dicant, ne tum quidem Æneam, Venerem, quam viderat, esse credidisse: cujus, ut ipse putabat, agnitæ nulla verba perceperat. Sed vera solutio hæc est, Venus nil de Afrorum moribus, unde nunc formidat Æneas: sed de classe liberata dixerat filio, vel quia non in totum Æneas matris fiducia confirmandus est, ne quid superesit magnanimitati & laudibus viri fortis. Sciendum tamen est, in Virgilio, interdum validiora esse objecta purgatis: vel contra, ut hoc loco. *Servius.*

451. *Leniit.*] Quartæ conjugationis tempus præteritum perfectum vel in *vi* junctum exit; vel sublata digammo, in *ii* pro nostro arbitrio: ut *lenivi, lenii: audivi, audii.* Sane cum in *vi* exit, penultima longa est: & ipsa accentum retinet; cum vero in *ii*, penultima brevis est, & perdit accentum: quia, ut supra dictum est, *Unius ob noxam*: quotiens vocalis vocalem sequitur, detrahit longitudinem præcedenti: sed hoc in metro, ubi necessitas cogit. Nam in prosa & naturam suam & accentum retentat. Nunc ergo *Leniit*, tertia à fine habet accentum: quia penultima brevis est. Sane plerunque accentum suum retinet sermo corruptus: ut *Mercuri, Domiti, Ovidi*: tertia à fine debuit habere accentum, quia penultima brevis est: sed constat hæc nomina apocopen pertulisse: nam apud majores erat idem vocativus qui, & nominativus; ut hic *Mercurius*, ô *Mercurius*. unde *cu* licet brevis sit, etiam post apocopen, suum servat accentum. *Idem.*

Leniit.] Pro minuit. Ut Horatius Od. 77. lib. 1. *lenire clamorem.* & Terent. Heaut. *lenire miseriam.* & Ovidius, *tempus lenit odium*, eo versu:

Leniat aut odium tempus & hora meum. Ita Mich. Brutus. *Cerda.*

Hic primum Æneas.] In Longobardico legitur *Hoc*: ut sit repetitio illius pronominis demonstrativi, *Hoc primum in luco*, *Hoc primum Æneas.* Magis tamen placet *hic* adverbium. *Pierius.*

452. *Ausus.*] Bene *ausus*: quia inter incerta satis audacter salus speratur. *Servius.*

Afflictis.] De afflictis, nec enim esse septimus casus potest. *Idem.*

Confidere.] *Fido* & *confido* dativum regit: ut, *Et fidere nocti.* Sane optima figura est, quæ nunquam à principalitate discedit: ut, *Atque humiles habitare casas*: accusativo junxit, quia *habeo domum* dicimus, unde est *habito* frequentativum. *Idem.*

453. *Namque.*] Reddit rationem, quid sit, quod leniebat metum, & spem inopinatam promittebat. *Donatus.*

Sub templo.] Hoc est, in templo: ut supra, *Exercet sub Sole labor*, id est, in Sole. *Servius.*

Sub ingenti templo.] Pro *in.* Ovid. l. 1. Trist. Eleg. 3.

Nata procul Lybicis aberat diversa sub oris.

Sic ὑπὸ Græcis sæpe idem, quod ἐν, ut ὑπὸ τὸ ἄντρε κόλπε. *Emmeness.*

454. *Regina opperiens.*] Expectans, aut

Artificumque manus inter se operumque laborem
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,

Bella-

aut quam intelligebat esse venturam ex artificum festinatione: aut certe videndæ reginæ occasionem requirens. *Serv.*

Reginam opperiens.] Non levibus picturis tenebatur, sed quod necessarium erat, reginam operiebatur. ergo ad sui excusationem hoc dixit. Circumspectabat etiam, veluti & ipse novam urbem conditurus, ut adverteret, quanto id labore constaret. *Donatus.*

Quæ fortuna sit urbi.] Fœlicitas. *Quæ*, hic admirandi significatus est. *Servius.*

455. *Artificumque manus inter se.*] Hoc est, habebat artificum comparationes. *Idem.*

Artificumque manus.] Ita omnes pariter una gratia & una subtilitate certabant, ut intuens nullum aliis præferre potuisset. Descripta autem magnitudine, transit ad ornatum picturæ. *Donat.*

Artificumque manus.] Hic *manus* pro pictura accipitur, ad eundem modum, quo laudantes imaginem aliquam factam penicillo, & bonis coloribus, solemus dicere, illam esse egregiam manum. Itaque apage, ut putes hic, *manus artificum* esse manus illas, quibus saxa cæduntur, aptantur, poliuntur. Id senseram, prius quam vidissem notam Robertelli in verba hæc, *artificum manus*, qua ait: *Plane voluit significare Virgilius antiquitatem picturæ.* Nollem diceret *antiquitatem*. Redeo. Propertius quoque lib. 3. ita accepit hanc vocem, cum scripsit:

Me certe tabulæ capient mea lumina pictæ,
Sive ebore exactæ, seu magis ære manus.

Pro me quoque est Germanus, adducens locum hunc Propertii ad hunc locum, frustra facturus, nisi manus in Virgilio de pictura caperetur. Passeratius illud Propertii lib. 1. Eleg. 15.

Externos manibus componere crines,

explicat: *manibus, arte, & cura.* & id probandum subjicit versum Virgilii, in quo sum. Ausonius etiam *artificis manus* dixit eodem sensu, quo Virgilius. Antiquus ille Aristeas in historia de 72. interpretibus, describens mensam, ita ait: *Pedes in liliorum figuras expolierat artificis manus.* ita ille picturam expressit. *Cerda.*

Inter se.] Certantium, aut aliquid tale. *Servius.*

Operumque laborem.] Opus de pictura dicitur. Plinius lib. 35. c. 10. de Apelle loquens: *Invidit mors peracta parte, nec qui succederet operi, inventus est.* & de Zeuxi, superiore capite: *donare opera sua instituit, quod ea nullo satis digna pretio permutari posse diceret.* Transiit & vox ad statuarios. Strabo lib. 6. Herculem ex ære Λυσίππου ἔργον vocat. *Cerda.*

Operumque labores.] Verbum, *labores*, notat Prisc. lib. 7. De partibus, & lib. 2. De Construct. Dicta autem hæc sunt κατὰ πρόληψιν: cum Iliacis temporibus, auctore Plinio lib. 35. cap. 3. pictura nondum fuerit. *Taubm.*

456. *Ex ordine.*] Prout fuerunt. hoc loco ostendit omnem pugnam esse depictam: sed hæc tantum dicit, quæ aut Diomedes gessit, aut Achilles: per quod excusatur Æneas, si est à fortibus victus. Sane *pugna* est temporale certamen, idem & *prælium* significat; *bellum* autem universi temporis dicitur, ut *Punicum*, *Mithridaticum*. Sallustius, *Ita sperat pugnam illam pro omni bello futuram.* Livius: *ni Pyrrhus unicus pugnandi artifex, magisque in prælio quam bello bonus.* Servius.

Iliacas pugnas.] Pausanias in Attic. longam picturam, & vetustam exhibet in templo, ubi cum multa alia, tum etiam res Trojanæ celebrantur, videlicet Græci exscindentes Ilium, Ajax, Cassandra, agmen mulierum Trojanarum. Vitruvius quoque lib. 7. cap. 4. inter celeberrimas picturas, quæ olim solerent efformari, Trojanas pugnas comme-

Bellaque jam fama totum vulgata per orbem;
Atridas, Priamumque, & ſævum ambobus Achillem.
Conſtitit, & lacrimans, Quis jam locus, inquit, Achate,
Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?

En

commemorat. Philoſtratus in Heroicis ait: τὰς Τρωϊκὰς μάχας μεγίςας· Trojana prœlia fuiſſe omnium maxima: & adjicit, digna eſſe, quæ omnium laudibus celebrentur. *Cerda.*

457. *Fama totum vulgata per orbem.*] Quia Europa intulit, Aſia paſſa eſt, Africa jam depingit. *Servius.*

458. *Atridas.*] Atrei filios, Agamemnonem, & Menelaum: ſed uſurpatum eſt: nam Pliſthenis filii fuerunt. *Idem.*

Sævum ambobus Achillem.] Atqui tres dixit; ſed Atridas pro uno accipe, quos unius partis conſtat fuiſſe. An *ambobus*, Agamemnoni tantum & Priamo; an ambobus exercitibus Græcis, propter ſuam de Briſeïde injuriam, Trojanis propter Helenam, & *ambobus* pro utriſque arte tunc *. *Idem.*

Atridas, Priamumque, & ſævum ambobus Achillem.] Scribendum eſt *Achillen* per *n* finalem: ut Probus in arte monet. Diſſimulabo nunc *ſævom* per *o*. *Ambobus* hic pro utriſque poſitum ait Aruſianus. Donatus vero ſpeciem eſſe comparationis putat: ut ſit, *ſævior fuit Achilles Agamenone, & Menelao.* Pier.

Atridem, &c.] Placuit hæc lectio, quam & agnoviſſe videtur Seneca epiſt. 104. & firmare verborum ſtructio, demum hiſtoria: nam & Agamemnoni, & Priamo pariter pernicioſus fuit Achilles, ut jam explicui. Si quis legat *Atridas*, placebit explicatio alia, quam jam propono. Poſitiva apud Latinos aperte comparant, ſi illis adjungatur præpoſitio aliqua ſignificans excellentiam. verbi gratia: *Formoſus præ aliis.* Ita Virgilius 3. Æneid.

O felix una ante alias Priameïa virgo!

id eſt, feliciot aliis. Faciunt hoc Latini imitatione Græcorum, qui dicunt, σοφὸς ὑπὲρ ἄλλες, pro, σοφώτερ☉ ἄλλων. Pergo. Huic poſitivo ſolent Græci demere præpoſitionem, & illam ſubaudire, ut ἔξοχ☉ πάντων, eſt, ἔξοχ☉ ἐκ πάντων. Ergo Poëta Græcos imitatus dixit, *ſævum ambobus*, pro, *ſævum præ ambobus*, ut intelligat, Achillem ſæviorem fuiſſe in Trojanos, Agamemnone & Menelao. Græcos imitatus eſt Lucretius, cum dixit; δῖα θεάων, pro, δῖα ἐκ θεάων. *Cerda.*

459. *Conſtitit.*] Mente dolebat de adverſis ſuis, imperiique Trojani calamitatibus: & de ſuorum interitu factas eſſe fabulas, quas loquerentur, & oblectationis cauſa pingerent. Sic tamen ea dolenda protulit, ut partes etiam conſolationis inferret: *Feret hæc aliquam tibi fama ſalutem.* Nam calamitas citat commiſerationem. *Donatus.*

Conſtitit & lacrimans.] *Conſtitit*, ea ſignificatione, qua ſupra Georg. 4. *Ixionei vento rota conſtitit orbis*, hoc eſt, ſtetit, & conquievit: ut fere etiam reſtitit: eod. Georg. *Reſtitit, Eurydicenque ſuam jam luce ſub ipſa*, &c. & *ſubſtitit*, libro ſequente. Ut autem ex memoria lacrimantem inducit poëta Æneam, ſic in poëtic. Ariſt. ἰδὼν τὴν γραφὴν ἔκλαυσε. Nempe & Hom. ἱμερόεις ὑπὸ γό☉. Hujuſmodi vero lacrimationes continere videntur lætitiã dolore mixtam, quam multis Odyſſ. locis Homerus repræſentat talibus ſubinde: ὑφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο. & γόῳ φρένα τέρπομαι. Ad quem affectum & Comicus alluſiſſe videtur, cum *lacrimari gaudia* dixit: ad quod δακρυγελᾶν accedit: & illud Ciceronis: *habet præteriti doloris ſecura recordatio delectationem.* Germanus.

460. *Plena laboris.*] *Plenus* genitivo melius jungitur: ut Terentius, *Plenus rimarum ſum.* Plautus, *dedecoris pleniorem.* Servius.

461. En

En Priamus. ſunt hic etiam ſua præmia laudi:
Sunt lacrimæ rerum: & mentem mortalia tangunt.
Solve metus. feret hæc aliquam tibi fama ſalutem.
Sic

461. *En Priamus.*] Laus picturæ eſt, per quam non imago, ſed ipſe prope oſtenditur Priamus. *Serv.*

En.] Non tantum demonſtrantis eſt, verum etiam dolentis; quaſi dicat, ecce, ad quam infelicitatem perductus eſt Priamus? exponit jam ſuos dolores, quos ex perſona potentiſſimi regis, ſenis, & ſoceri ſumebat. *Donat.*

Sunt hic etiam ſua præmia.] Et ſupra diximus, Omnis Æneæ ſollicitudo de moribus Afrorum erat: quam nunc picturæ contemplatione deponit. Qui enim depingunt bella, & virtutem diligunt, & miſeratione tanguntur. *Servius.*

Sunt hic etiam ſua præmia laudi.] Et hæc propoſitio; dicturus eſt enim, quæ laudanda & quæ dolenda. *Donatus.*

Sua.] Id eſt, congrua. ut, *Strueremque ſuis altaria donis.* Servius.

Laudi.] Virtuti: ut, *Primam merui qui laude coronam.* Idem.

Laudi.] Accipe hîc *laudem* pro rebus geſtis, & virtute bellica: ut in Propert. lib. 3. eleg. 14.

Quod non infames exercet corpore laudes
Inter luctantes nuda puella viros.

& lib. 1. eleg. 6.

Non ego ſum laudi, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata ſubire volunt.

Cerda.

Sunt hic etiam ſua præmia laudi.] Etiam in finibus Libyæ *ſua*, id eſt, debita & congrua *laudi*, id eſt, Virtuti & factis laudabilibus ſunt præmia: atque etiam *lacrimæ rerum*: quæ ſcil. rerum adverſarum cauſſa ab aliis ex commiſeratione mittuntur. Et ſolamen miſerorum eſt mœror commiſerantium, ut ait Scalig. lib. 4. cap. 16. Dicit igitur, in iſta pictura eſſe, & quod dolorem moveat, & quod malorum ſolatium ferat. *Taubmannus.*

462. *Sunt lacrimæ rerum.*] Rerum adverſarum, & calamitatum, ut Turneb. *German.*

Sunt lacrimæ rerum.] Locutiones iſtæ familiares ſunt Latinis: *Lacrimæ rerum, miſeria rerum, voluptates rerum*, id eſt, res, quæ afferunt lacrimas, miſeriam, voluptates. Græci è contrario efferunt, & mutant locutionem. Ariſtophanes dixit: χρῆμα τῶν νύκτων, pro νύκτες· *res noctium*, id eſt, noctes. Euripides, χρῆμα θηλειῶν, *res fœminarum*, id eſt, *fœminæ*. Interdum & Latini ad horum imitationem. Plaut. Amph. *res voluptatum*, pro voluptatibus. & Phædrus, *res cibi*, pro cibo. obſervavit Rittershuſius. *Cerda.*

Mortalia.] Adverſa: quibus conſtat ſubjacere mortales. Alii mortales caſus accipiunt, ut abſolute τὰ ἀναντιώτατα. *Servius.*

Mortalia.] Quæcunque adverſa mortalibus acciderint. *Donat.*

463. *Solve metus.*] Collectio eſt. Nam ubi virtus, præmia, adverſa, miſerationem merentur: rite formido deponitur. *Servius.*

Solve metus.] Id eſt, ne timeas: *Scalig. lib.* 4. *cap.* 16. Nam ubi Virtus, præmia; adverſa, miſerationem merentur; rite formido deponitur. Notat item Scalig. lib. 3. c. 11. Æneam tanquam Pontificem, vel augurem, conjecturam facere, atque ex pictura quaſi omen capere. *Taubm.*

Feret.] Pro *adferet*. Et hic reddidit, *Hoc primum in luco, nova res oblata, timorem Leniit.* Servius.

Feret hæc aliquam tibi fama ſalutem.] Non diſſimile ab hoc illud Ariſtippi Socratici, qui, cum fracto naufragio ejectus eſſet in littus Rhodienſium, ibique figuras geometricas animadvertiſſet, exclamaſſe ad comites dicitur: Viri, adeſte animo; atque optime ſperate, nam hîc hominum veſtigia adeſſe video. Notavit Naſcimb. *Cerda.*

464. *Pictu-*

Sic ait, atque animum pictura pascit inani
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graii, premeret Trojana juventus:
Hac

464. *Pictura pascit inani.*] Epitheton est picturæ: aut quia caret corporum, quæ imitatur, similitudine: aut quia nullius est utilitatis, sed tantum delectat; nam apud veteres ματαιοτεχνία seu ψευδοτεχνία dicta est. *Serv.*

Pascit.] Delectat, ut non animum modo * uti pascat prospectus inanem; vel, ut quidam volunt, ad stupentis animum retulit, qui vel inanibus commovebatur. *Idem.*

Animum pictura pascit.] Ab hac forma non abit Terent. Phorm. *oculos pascere.* qua usi Cicer. 7. Verr. Symmachus lib. 2. epist. 72. & lib. 5. epist. 76. Ovid. 3. Amor. eleg. 2. Lucretius lib. 1. His auctoribus, & aliis, *pasco*, est delecto. Plautus forma alia in Pœn. *oculis epulas dare.* Ammianus Doctrinam & Philosophiam vocat lib. 16. *pabula.* Hanc formam ad animum, uti etiam Virgilius, transtulit Cicero ad Trebat. *sed quoniam avidum hominem ad has discendi epulas recepi, sic accipiam, &c.* & 1. de Divinat. de anima, *saturata bonarum cogitationum epulis.* Plautus Aulul. *libenter edi sermonem tuum.* In hac forma plurimi sunt Græci. Plato 9. Reip. ἑστιάσας λόγων καλῶν, καὶ σκέψεων· *reficiens animum disputationibus honestis, commentationibusque.* & in Phædro: τῶν λόγων ὑμᾶς Λυσίας ἑστία. Synesius, ἑστία Κυρηναίους τῷ λόγῳ. Nazianzenus oration. 5. τοῖς ματαίοις πλασμοῖς ἑστιᾶν διάνοιαν. Neque solum ἑστιᾶν, sed multa alia. Nam Eurip. Phœniss. ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας· *spes pascunt exules.* sic, εὐωχῶ σε, pro, *delecto te.* Plato lib. 1. de Repub. εὐωχοῦ τοῦ λόγου· *satia te sermonis epulo.* atqui εὐωχῶ vox est epularum. sic καρποῦσθαι τὸ διανόημα. Hinc illustrabis locum 2. Georg.

—— *animum pascat prospectus.*

Non abit forma illa Martialis lib. 9. epigr. 60. *oculisque comedit.* nec illa Accii in Athamante: *Facinus oculi vescuntur tui.* Cerda.

465. *Multa gemens.*] Πολλὰ στενάζων. *Servius.*

Multa gemens.] Propositio. monstrat, quæ res in pictura animum reficiat, & quæ dolorem afferat: utrumque tamen animum considerantis ducebat ad lachrymas. *Donatus.*

Largoque humectat flumine vultum.] Tapinosis est, quod dixit *Humectat. largo* nam *flumine*, est fluore, id est, fluxu ipso. *Servius.*

Largoque humectat flumine vultum.] Necessario tibi placebit Statius 4. Theb. nam ab hac Musa,

—— *largisque humectant imbribus ora.*

Est etiam tacita Catulli imitatio. Hic enim ad explicandum vultum madentem fletu, dixit, *ore udo.* Noster mutavit, ut vides. *Cerda.*

466. *Namque videbat.*] Ostendit unde lætitiam caperet, scilicet, hac fugerent Graji; & unde dolorem, scilicet hac Phryges. *Donat.*

Pergama circum.] Abusive. non enim circa Pergama, hoc est, arcem: sed circa Ilium bella gerebantur. *Servius.*

467. *Hac fugerent Graji.*] Infinita sunt Homeri loca, ad quæ potuit alludere in hac Græcorum fuga; duo tantum adducam, unum ex Il. 15. alterum ex Il. 18.

Στῆ δὲ ἄρ' ἀναΐξας, ἴδε δὲ Τρῶας, καὶ Ἀχαιούς,
Τοὺς μὲν ὀρινομένους, τοὺς δὲ κλονέοντας ὄπισθεν
Ἀργείους.
Stetit autem exsurgens, viditque Trojanos & Achivos,
Hos quidem turbatos, illos autem turbantes à tergo
Argivos.

—— Αὐτὰρ

Hac Phryges; instaret curru cristatus Achilles.

Nec

—— Αὐτὰρ Ἀχαιοὶ
Θεσπεσίῳ ἀλαλητῷ ὑφ᾽ Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο
Φεύγοντες, νῆάς τε, καὶ Ἑλλήσποντον ἵκοντο.

—— *Sed Achivi*
Ingenti tumultu ab Hectore homicida
Fugientes, ad navesque & Hellespontum venerunt.

Propertius etiam de hac fuga Græcorum lib. 2. eleg. 8.

Viderat ille fuga tractos in littore Achivos,
Fervere & Hectorea Dorica castra face.

Cerda.

Trojana juventus.] Definitio est Hectoris: ut, *Catillusque, acerque Coras, Argiva juventus.* Et revera sic pene ubique Homerus ponit; ut Hectori tantum vel Achilli totus cedat exercitus. *Servius.*

Premeret Trojana juventus.] Ego hic miror Poëtam, & laudo. Superius Achillem in pictura intulit, *& sævum ambobus Achillem.* & iterum statim, *instaret curru cristatus Achilles.* Nonne ergo oportuisset illi aliquando Hectorem opponere? sicut enim in hac pictura Phrygas Achilles agit, cur non Hector Græcos? consuluit, credo, Virgil. Poëta honori & decori Æneæ, picturam contemplantis. Si enim Hectorem adhiberet, indicaret, hunc Ænea fortiorem, iccirco facit juventutem Trojanam in communi (nam Servium non audio, qui ait, juventute Trojana definiri Hectorem) prementem Græcos, fugantemque ad naves. Adde in fuga nobili, qua absolvitur lib. 17. Il. Illius victoriæ Duces Æneam & Hectorem fuisse cum reliqua juventute Trojana. Cur ergo præferretur Æneæ Hector in pictura? Homericos versus ita reddebam:

Ajaces pugnam, & fulgentes ære catervas
Sustinuere diu. Trojanus at ingruit horror,
Æneasque Anchisiades, & maximus Hector
Infestant, vertere fugam tota agmina Grajûm, &c.

Cerda.

468. *Hac Phryges.*] Bene ubique Virgilius, pro negotii qualitate dat Trojanis & nomina. nam timidos Phrygas vocat: ut hoc loco. Item, *O veræ Phrygiæ: neque enim Phryges.* Dardanidas generosos: ut, *Dardanidæ magni genus alto à sanguine divûm.* Laomedontiadas perfidos: ut, *Nondum Laomedonteæ sentis perjuria gentis.* Troas fortes: ut, *Troës agunt, princeps turmas inducit Asylas.* Hectores quoque fortes: ut, *Nunc nunc insurgite remis Hectorei socii.* Servius.

Hac Phryges.] Potuit hic item respicere ad multa Homeri loca, ubi inducuntur Trojani fugientes ab Achille. Lege in primis fugam illam, qua absolvitur lib. 20. Il. & inchoatur lib. 21. Philostratus lib. 2. Icon. ait, solo Achillis clamore versos in fugam Trojanos, ὁ κλίνας τοὺς Τρῶας ἐκ μόνου τοῦ βοῆσαι. Reprehendit Dio Chrysost. oration. 26. eos, qui tam diu attenderent saltationibus Achillis, cum ille ἔτρεψε τοὺς Τρῶας· in fugam vertit Trojanos. *Cerda.*

Cristatus Achilles.] Secundum Homerum, qui dicit in Achillis cristis, terribile quiddam fuisse. *Cristatus* autem participium est, derivatur à genere feminino. *Servius.*

Instaret curru cristatus Achilles.] Sic potius legendum quam *stabat curru.* ut recte emendatus videtur locus Ovidii lib. 12. Metam. ☩ſ. 72. qui simul, quas strages ediderit Achilles, docet:

—— *Jam curru instabat Achilles*
Troaque Peliacæ sternebat cuspidis ictu
Agmina.

Cristæ, quæ gestantur in vertice Galeæ, inter militantium supellectilia numerantur apud Juvenal. Sat. 6. ☩ſ. 254.

—— *si conjugis auctio fiat*
Balteus & manicæ & cristæ, &c.

De λόφοις, seu setis equinis, in apice exsurgen

Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
Agnoscit lacrimans: primo quæ prodita somno
Tydides multa vastabat cæde cruentus:

Arden-

surgentibus, vide Feithium antiq. Homer. l. 4. c. 8. galeas & cristas aliquot è monumentis collegit Lips. l. 3. Dial. 5. & ideo Achilles *cristatus*, quippe horrorem incutiebat: inde Homero teste, Iliad. lib. τ. vs. 381. ἡ δ᾽ ἀστὴρ ὣς ἀπέλαμπεν ἵππουρις τρυφάλεια, Lucret. l. 2. *terrificas cristas.* Emmeness.

469. *Nec procul hinc Rhesi.*] Rhesus rex Thraciæ, Martis, ut alii Hebii, vel Strymonis & Euterpes, Musæ filius fuit: qui cum ad Trojæ venisset auxilia, clausisque jam portis tentoria locavisset in litore, Dolone prodente, qui missus fuerat speculatum, à Diomede & Ulyxe est interfectus, qui & ipsi speculatum venerant: abductique sunt equi, quibus pendebant fata Trojana, ut si pabulo Trojano usi essent, vel è Xantho, Trojæ fluvio, bibissent, Troja perire non posset. *Servius.*

Tentoria.] Ut ostendat plures fuisse mactatos. Non enim solus in tentoriis fuisset. *Donatus.*

470. *Primo somno.*] Prima parte noctis: ut, *Libra die somnique pares ubi fecerit horas.* aut primo somno, ut graviorem ostenderet somnum. Aut prima nocte, quia in Troja Rhesus non fuerat. *Servius.*

Prodita somno.] De hoc tempore insidiarum signate Homerus 10. Il.

Οἱ δ᾽ εὗδον καμάτῳ ἀδδηκότες·

Dormiebant illi defatigati labore.

Loquitur de Thracibus, & Tryphiodorus ait, Rhesum defletum à Thracibus, qui occisus fuerat κακῷ ὕπνῳ, *malo somno, &* δολίην ὑπὸ νύκτα, *dolosa in nocte.* Dictys etiam l. 2. de hac historia loquens: *Fatigatis ex itineribus, & ob id somno pressis, iique* (scilicet Diomedes & Ulysses) *interius progressi, in ipsis tentoriis Regem interficiunt.* Poëta, ut altissimum & arctissimum somnum signaret, *primo* dixit, nam primus somnus profundissimus. inde in 2. summam quietem signaturus, ait:

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono Divûm gratissima serpit.

Ita etiam Propertius lib. 1. eleg. 3.

Qualis & accubuit primo Cepheïa somno.

Cerda.

Primo somno.] Id est, prima noctis parte cum multis suorum interfectus est: abductique sunt equi, à quibus pendebant fata Trojanorum. De quibus Fatis sive Oraculis dictum in Comment. Plaut. Bacchid. act. 4. sc. 9. aliquid etiam 2. Æn. *Taubm.*

471. *Tydides.*] Id est, Diomedes. Et bene Ulyssem celat propter Æneam, ut supra diximus: aut quia secundum Homerum, occidente Diomede, cadavera Ulysses trahebat. *Servius.*

Multa vastabat cæde cruentus.] Versus, quibus Homerus 10. Il. hanc cædem Diomedis extulit, hi sunt:

Ὣς δὲ λέων μήλοισιν ἀσημάντοισιν ἐπελθὼν
Αἴγεσιν, ἢ οἴεσσι κακὰ φρονέων ἐνορούσῃ.
Ὣς μὲν Θρήϊκας ἄνδρας ἐπῴχετο Τυδέος υἱός.

Sicut autem leo pecudibus incustoditis superveniens,
Capris vel ovibus mala machinans irruit:
Sic quidem Thraces viros aggrediebatur Tydei filius. Cerda.

Vastabat cæde.] Id est, hominibus exhauriebat: vacua faciebat. Infra:

—— Belus opimam
Vastabat Cyprum ——

Sic Nisus, Æn. 9. *Hæc ego vasta dabo.* Scalig. l. 4. 16. *Taubm.*

Multa cæde cruentus.] Id est, pollutus. sic apud Horat. l. 2. Sat. 5. *cruentus sanguine fraterno.* Cic. 4. Philipp. cap. 2. *cruentus sanguine civium.* Emmeness.

472. *Ar-*

Ardentiſque avertit equos in caſtra, prius quam
Pabula guſtaſſent Trojæ Xanthumque bibiſſent.
Parte alia fugiens amiſſis Troïlus armis,

Inſe-

472. *Ardentis.*] Et candidos ſignificat, & veloces: ut, *Pernicibus ignea plantis.* ſi ignea, velox eſt, ſine dubio & ardens. *Servius.*

Ardentis avertit equos.] Candidos & veloces Servius interpretatur, ut ab Hom. λεὐκότεροι χιόνος· ſed potius ad generoſitatem, & θυμὸν referri debere videtur, ipſo ſuffragante Poëta Georg. 3. de equis:

—— æque juvenemque magiſtri
Exquirunt, calidumque animis, & curſibus acrem:

ut & 8. Æneid. *Pernicibus ignea plantis* Camilla dicta eſt: & Catull. *flammea celeris veſtigia cervæ.* Quod autem hic *pabula guſtaſſent* dixit, reſpicere videtur illud oraculum, teſtatum ab Homeri interprete lib. κ. Il. in hæc verba: χρησμὸς γὰρ ἐδέδοτο αὐτῷ φασὶν, ὅτι εἰ αὐτὸς γεύσηται τοῦ ὕδατος, καὶ οἱ ἵπποι αὐτοῦ τοῦ σκαμάνδρου πίωσι, καὶ τῆς αὐτόθι νομῆς, ἀκαταμάχητος ἔσται εἰς τὸ παντελές. *Germanus.*

Prius quam pabula, &c.] Voluit oſtendere celerem exitum & finem ejus. *Donatus.*

473. *Xanthum.*] Fluvium Trojæ. *Serv.*

Prius quam pabula guſtaſſent, &c.] Fluit hoc loco pathos à tempore, quod vix pedem intulerit in ſuburbana Trojæ loca, quin fuerit ſublatus è medio. Vide Macrob. l. 4. c. 3. ibi plura exempla. quemadmodum ℣ſ. 475. Pathos ſumptum eſt ab ætate: *infelix puer, &c.* Emmeneſſ.

474. *Parte alia fugiens amiſſis Troïlus armis.*] *Parte alia* ſcilicet templi, & veritas quidem hoc habet: Troïli amore Achillem ductum, palumbes ei, quibus ille delectabatur, objeciſſe: quas cum vellet tenere, captus ab Achille, in ejus amplexibus periit. Sed hoc quaſi indignum heroo carmine, mutavit poëta. *Servius.*

Fugiens.] Fugere volens, accepto jam vulnere. *Idem.*

Troïlus.] De hoc ſatis multa Hortenſius in hunc locum. Nonnulli impudicos quoſdam amores cum Troïlo celebrant. Adi Tzetzen in Lycophron. Gulielmum Cant. lib. 2. Nov. Lect. c. 9. Servium hîc, atque Hortenſium, Cælium lib. 15. lect. Antiq. cap. 9. Sed hoc quidem Tzetzes ipſe non credit, quod Troïlus μελάγχρους eſſet, δασυγένειος, καὶ Ἀχιλλέως ἐρώτων ἀνάξιος. Itaque Troïlum multi jam grandem virum deſcribunt, & barbitio plurimo horrentem, quin Cedrenus ducem facit exercitus, una cum Deiphobo, Paride, Lycaone. Alii juvenem, ac pene puerum. In his eſt Dio Chryſoſt. orat. 11. loquens enim de Achille, ita ait, καὶ Τρωΐλός τε οὕτως ἀποθνήσκει παῖς ὢν ἔτι· *atque ita interfectus eſt Troïlus adhuc puer.* & Horat. Od. 9. lib. 2. *impubem Troïlon.* Maro quoque hîc, fortaſſe quia ad excitandos affectus ætas hæc viſa eſt commodior. & hærere potuit verbis Dictyis lib. 4. de bello Trojano, qui ait, illius ætatem fuiſſe admodum immaturam, & in ipſis pueritiæ annis interceptam, cum jam adoleſceret. illud certum, Troïli mortem, unum fuiſſe ex fatis Trojæ, ſcribente ſic Plauto Bacchid.

Ilio tria audivi fuiſſe fata, quæ illi exitio forent:
Signum ex arce, ſi periiſſet: alterum eſt etiam Troïli mors:
Tertium cum portæ Scææ limen ſuperum ſcinderetur.

Hinc nota mentem Maronis, qui una Troïlum & Rheſum conjunxit: nam ex Rheſo quoque pendere fata Trojana Servius monuit. *Cerda.*

Amiſſis armis.] Aut ætatis imbecillitate, vel vulneris dolore. *Servius.*

 475. *Inſe-*

Infelix puer, atque inpar congressus Achilli,
Fertur equis, curruque hæret resupinus inani,
Lora tenens tamen. huic cervixque comæque trahuntur
Per

475. *Infelix.*] Multi hoc loco distinguunt, & subjungunt *puer,* atque *impar congressus Achilli,* ut ex eo imparem ostendat, quod puer, sed tamen etiam si jungas *Puer,* unus est sensus. *Idem.*

Infelix.] Quia puer, & impar ei congressus est, quem juvenis superare non potuisset. Est autem descriptio ejus, qui supinus ferebatur. *Donat.*

Infelix puer.] Hunc Horat. l. 2. od. 9. *impubem Troilon* vocat. *Emmeness.*

Atque inpar.] Ac si diceret, etiam si puer non esset. *Servius.*

Congressus Achilli.] *Congredior tibi,* antiqui dicebant: sicut *pugno tibi, dimico tibi.* Hodie dicimus *congredior tecum, dimico tecum.* Idem.

Atque inpar congressus Achilli.] Signat pueri audaciam. Ad hunc locum respexit Sen. Agamemn. ubi Cassandra:

—— te sequar nimium cito
Congresse Achilli Troile.

Ausonius quoque:

Hectore prostrato, nec Diis, nec viribus æquis,
Congressus perii Troïlus Æacidæ:
Raptatus bigis, fratris conjungor honori:
Cujus ob exemplum nec mihi pœna gravis.

Dio tamen Chrysostom. orat. 11. non ait Troïlum congressum, imo factas illi insidias ab Achille, qui erat ad struendas insidias, nocturnasque incursiones callidissimus. *Cerda.*

476. *Fertur.*] Trahitur. *Servius.*

Fertur equis.] Corradus putat dici de Troïlo, vel quod ἱπποχάρμης equis delectaretur, vel quod ab equo pugnaret. Videtur tamen hic locus explicandus per illum superiorem lib. 1. Georg.

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

quod, ut Phaëthon & Hippolytus, ab equis, magistro & rectore destitutis, ferretur, ageretur, καὶ οἷον εἰ ᾤχετο βίᾳ φερόμενος. *Germanus.*

Curru.] Curribus falcatis usos esse majores, & Livius & Salustius docent, potuerunt ergo & simplicibus. *Servius.*

Resupinus.] Quia hastam trahebat. Sed intelligitur Achillis hasta transisse per pectus, & à parte, qua ferrum est, à tergo trahi. *Idem.*

Resupinus.] Videtur vox posita pro simplici *supinus.* Ita Attius Antigona: *Quid agis? perturbas rem omnem, ac resupinas soror.* & Propertius l. 4. eleg. 9.

Nec mora cum totas resupinat Cynthia valvas. Cerda.

Inani.] Sine rectore: nam corpus hærebat. *Servius.*

Fertur equis, curruque hæret, &c.] Equis delectabatur, ut Stat. 5. Silvar.

Troïlus haud aliter gyro leviore minantes
Eludebat equos. Emmeness.

477. *Lora tenens tamen.*] Quamquam mortuus. *Servius.*

Lora tenens.] Contra Calab. lib. 6. θάνατος δέ μιν αἰνὸς ἐδάμνα ἐσσυμένως, μάστιγα καὶ ἡνία νόσφι λιπόντα· de auriga Hippaside: ut & de Camilla: *simul his dictis linquebat habenas Ad terram non sponte fluens.* Germanus.

Lora tenens tamen.] Vide pueri virtutem indigni, qui moreretur, nam post mortem præbet virtutis documenta, quæ potest. Non alienum ab hac Troïli historia proverbiale illud, μὴ θίγῃς ἡνίων παιδίον ἄπειρος ὤν: *Ne fræna tractes inscius, cum sis puer.* Cum quo quadrat historia Phaëthontis, apud Ovidium, apud quem Sol daturus lora puero, *Magna petis Phaëthon,* &c. Monet Junius cent. 5. proverb. 49. Græcam parœmiam, quam attuli, sumptam è tragœdia aliqua, ubi pater deprecatur filium Phaëthontem abstineat ab curru Solis, adducitque quæpiam ex Clemente lib. 3. Pædag. ad hanc rem. Lege illum, & Hervetum in Collect. ad Clementem. *Cerda.*

Lora tenens.] Sic Apulejus l. 6. Metam.

Per terram, & versa pulvis inscribitur hasta.
Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crini-

tam. de anu quadam: *at illa, quamvis humi prostrata, tamen tenaciter loro inhærebat.* Emmeness.

Cervixque comæque trahuntur per terram.] Est hoc, quod de gigantibus victis Pindarus od. 1. Nem. φαιδίμαν γαίᾳ πεφύρσεσθαι· *Illustrem comam pulvere commiscentes.* Quod Homerus de Euphorbo occiso à Menelao, lib. 17. Il. αἵματί οἱ δεύοντο κόμαι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι. Quod de Patroclo Propertius lib. 2. eleg. 8.

Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum, & sparsas cæde jacere comas.

Est etiam in Philone, lib. de agricultura locus simillimus Virgiliano, πολλάκις δὲ καὶ τὰς βάσεις, &c. adducam tantum Latina; *Sæpe autem pedibus in curru hærens raptatur supinus, & tractum in orbita caput, cervicemque & humeros sauciatur: Deinde huc illucque distractus, & illisus omnibus passim objacentibus miserrimo genere mortis extinguitur.* Cerda.

Comæque trah.] Vel, quia pilosus erat; scribit enim Tzetzes, Troïlum fuisse juvenem forma eleganti, colore fusco, & barba hirsuta, sive prolixa. Vel, quia Phryges comam nutriebant. *Taubm.*

478. *Versa.*] Tracta, ut Plautus, *Inveniam omnia versa*, strata aut unctaque * omnia. Venit autem ab eo, quod est *vertor.* Servius.

Inscribitur.] Dilaceratur: ut Plautus, *Corpus tuum virgis ulmeis inscribam.* Id.

Inscribitur.] Explica, sulcatur. est hæc vera interpretatio, non alia, quantumvis Robortellus Servium sequatur explicantem, *inscribitur*, id est, *dilaceratur*, nam Plautus dixit, *corpus tuum virgis ulmeis inscribam.* & Catullus,

Nec laneum latusculum, manusque mollicellas
Injusta turpiter tibi flagella conscribillent.

Nam tametsi in Plauto & Catullo ita accipias: sed pulverem lacerari quis vidit? Lege Scaligerum contra Servium, lib. 4. Poët. cap. 16. Et cur obsecro Plautus & Catullus non possunt trahi ad sulcos in illa laceratione? *Cerda.*

Versa pulvis inscribitur.] Id est, cuspide hastæ, retro conversa, vestigium pulveri imprimitur. At Servius *versam* interpretatur tractam, sparsam: à *verror.* *Inscribitur* autem est *exaratur, scalpitur, sulcatur.* Ferreo namque stylo ceratas tabulas elementorum notis sulcabant. quod patet in Nub. Aristoph. ut annotavit Scaliger l. 4. c. 16. *Taubm.*

Hasta.] Hostili scilicet, quam transfixus trahebat. *Servius.*

Hasta.] Scil. hostili. Nam intelligitur Achillis hasta transisse per pectus, & à parte, qua ferrum est, à tergo trahi. *Taubm.*

479. *Interea.*] Cum Diomedes auxilio Minervæ plurimos Trojanorum fudisset, Elenus, Priami filius, vates, monuit, ut Minervæ numen exoraretur: & cum precibus deæ ponerent vestem, quam regina speciosissimam habebat, id est, peplum, (unde post Minervæ palla, *peplum* appellata est:) Dea tamen memor judicii Paridis, Trojanis infesta permansit. Interea autem & satis opportune à matribus festinatur ad templum: ut alibi, *Nec non ad templum summasque ad Palladis arces.* & mire in * pectore temporali adverbio usus est, quamvis non possit. *Servius.*

Non æquæ.] Iniquæ, infestæ. Litotes figura est; ut alibi, *Et vacuis Clanius non æquus acerris.* Idem.

Non æquæ Palladis.] Ita hic *non æquam* vocat Palladem, ut in 8. Junonem *iniquam.* Sed cur ibant ad preces Deæ iniquæ & adversantis? Attingo alibi morem gentium in placandis numinibus, non modo propitiis, sed etiam infestis, ab omnibus enim metuebant. Colebant propitia numina, ne illa infensa redderentur: colebant infesta, tum ut placarentur, tum ne malum aggererent. *Cerda.*

 480. *Paf-*

Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant

Sup-

480. *Passis.*] Participium est ab eo, quod est *pandor.* ideo autem non facit *pansus*: quia plerunque *n*, quod in prima verbi positione invenitur, in præteriti participio non est: de qua re euphonia judicat. ut ab eo, quod est *tundor* & *tunsus* facit: ut, *Tunsæ pectora palmis.* Et *tusus*: ut, *Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni.* Sciendum tamen est, licet alia euphoniæ causa varientur, vel in generibus, vel in numeris, nactus tamen & *passus*, *n* penitus nunquam accipere. *Servius.*

Crinibus Iliades passis.] Vetusti aliquot codices, *sparsis* habent: sed ea forte paraphrasis fuit: quum *passis* in emendatioribus habeatur. Quanquam etiam in Liviano codice veteri lib. VII. pr. Decad. *crinibus sparsis* legitur, pro *passis*: ut in vulgatis habetur. *Pierius.*

Crinibus Iliades passis.] Alludit ad morem Romanum, quo constat in luctu fœminas solutis fuisse comis, ut apud Græcos tonsis. Vide Plutarch. *ἐν ῥωμαϊκ. Διὰ τί τοὺς γονεῖς ἐκκομίζουσι οἱ μὲν υἱοὶ συγκεκαλυμμένοις, αἱ δὲ θυγατέρες γυμναῖς ταῖς κεφαλαῖς, καὶ ταῖς κόμαις λελυμέναις. German.*

Crinibus Iliades passis.] Attingit morem duplicem. Fœminæ passis erant crinibus, & in luctu, & in precibus: hic autem Iliadas & luctuosas, & precantes, vides. Morem primum firmat Plutarchus ἐν Ῥωμ. quærens, cur filii, cum parentes efferunt, sint rectis capitibus, filiæ vero *γυμναῖς ταῖς κεφαλαῖς, καὶ ταῖς κόμαις λελυμέναις*, *nudis capitibus, & solutis comis?* Ennius apud Nonium; *Ægro corde, comis passis.* Propertius lib 2. eleg. 14.

Diceris effusa tu Venus ipse coma.

Alterum Ovid. 4. Fast. ubi de Claudia:

—— vultus in imagine Divæ
Figit, & hos edit crine jacente sonos.

Cerda.

Crinibus Iliades passis.] Ovid.

—— passis sedet ipsa capillis
Ut solet ad gnati mater itura rogum.

Stat. Thebaid. lib. 9. *crine dato passim*, pro quo legunt, *passum.* Hunc ritum in luctu & re divina solemnem attingit Feithius l. 1. Homer. antiq. c. 7. Haud dubie ut squallidiores & sordide magis prodeant hæ mulieres, passos capillos habent, qui ab ornatricibus compositi adjumentum sunt ad pulchritudinem, passi autem formam extinguunt, ut Ter. Phorm. 1. 2. & hæc negligentia commendat supplices. *Emmeness.*

Peplumque ferebant.] *Peplum* proprie est palla picta fœminea, Minervæ consecrata: ut Plautus, *Nunquam ad civitatem venio, nisi cum infertur peplum.* Hodie multi abutuntur hoc nomine. *Servius.*

Peplum.] Genus vestis, pertinentis ad ritum secretorum Minervæ. Alii scutum modicum dicunt. *Donatus.*

Peplumque ferebant.] Dum res Trojanis ita infeliciter extra muros cedebant; heroinæ Trojanæ, ut Hecuba, Polyxena, Cassandra, & cæteræ nobilium fæminarum, demissis sparsisque crinibus, ac more supplicantium tristes, pectusque plangentes ad templum iniquæ Minervæ, jussu, non Heleni, sed Hectoris, qui hanc vestem ipsi voverat, adscendebant. Magnis enim in periculis deorum fidem opemque implorantes, non modo simulacra ipsorum amplectebantur, sed & vestibus eos induebant: illo cultu favorem Numinis emere se credentes: quod notat Turneb. lib. 14 c. 15. Est autem *peplum*, auctore Servio, proprie palla fæminea acu picta, Minervæ consecrata, Hom. *ποικίλον* vocat. De qua re Cælius R. l. 14. c. 18. Hom. Il. 6. ℣s. 302. Ipse Poëta in *Ciri*, & Scaliger ad illam: Nosque in Notis Plaut. Merc. act. 1. sc. 1. Ita Statius:

Peplum etiam dono, cujus mirabile textum, &c.

Taubm.

Peplumque ferebant.] Similis locus apud Stat. l. 10. Thebaid.

Peplum

Suppliciter triſtes, & tunſæ pectora palmis.
Diva ſolo fixos oculos averſa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,

Ex

Peplum etiam dono, cujus mirabile textum
Nulla manus ſterilis, nec diſſociata marito
Verſarat calathis, caſtæ velamina Divæ
Haud ſpernenda ferunt.

Suidas deſcribit πέπλον ἱμάτιον γυναικεῖον. proprie autem τὸ ἀρρηφόρον τῆς παναθηναικῆς νεὼς, &c. Qualis ſit veſtis optime omnium Scholiaſt. ad Statii ſupra laudatum locum. *peplum eſt veſtis candida, aureis clavis picta, ſine manicis, quod ſimulacris fiebat, &c.* à picturis ποικίλον nominat Homer. l. 8. Iliad. ✝ſ. 386. nec offendat, quod aurora κροκόπεπλος appelletur in princ. ejuſdem libri, is enim illi color proprius. Intextas habuit peplum res geſtas Palladis, & virorum fortium, qui inde ἄξιοι πέπλε dicebantur. ſed nihil dictum voles de peplo, quod non obſervaverit diligentiſſimus ille antiquitatis indagator J. Meurſius in Panathenæa. c. 17. 18. & ſeqq. *Emmeneſſ.*

481. *Suppliciter triſtes.*] Ut decet rogantes, hoc eſt, rogantes cum triſtitia. Et bene addidit *Suppliciter:* quia & per iracundiam, & per gravitatem, & per religionem, & per dolorem triſtes ſumus. *Servius.*

Tunſæ pectora.] Ut *oculis ſuffuſa.* Idem.

Tunſæ pectora palmis.] Habitus lugentium, quem ex Ovidio in epiſtolis, ex Seneca in Troadibus, poſſis latè illuſtrare, ex mille aliis. Conſtructio ipſa Græca eſt. *Cerda.*

482. *Averſa.*] Irata ſignificat. nec enim poterat ſe convertere ſimulachrum, ſic alibi, *Talia dicentem jam dudum averſa tuetur.* Si tuetur, quomodo averſa; niſi iratam intelligas? Ergo ad animum refertur. *Servius.*

Oculos averſa tenebat.] Quod faciunt irati, ne videant, quod oderunt: Achillis autem actio non ſolum dolorem conſiderantis, ſed etiam crudelitatem agentis exprimit, & avaritiam. Non enim odium ultra mortem procedere debet. *Donatus.*

Averſa.] Explicui, renuens & aſpernans; nam Horatius Od. 10. Epod.

Et illa non virilis ejulatio,
Preces & averſum ad Jovem.

& Homerus de abnuente Pallade, 6. Il. ἀνένευε δ' Παλλὰς Ἀθήνη. ſed poteſt eſſe explicatio alia, ut dicat ſimulacrum Palladis ſeſe in partem aliam convertiſſe, quod ſignum iratæ Deæ. Nam Suetonius Veſpaſiano, cap. 5. *Comitia ſecundi conſulatus ineunte Galba, ſtatua Divi Julii ad Orientem ſponte converſa.* inde oſtentum inauſpicatum Galbæ, quod quæ converſa erat ad Orientem ſtatua, ubi erat Veſpaſianus, eo ipſo averſa ab eodemmet Galba. ſane cum avertimus ab aliquo vultum, eo ipſo indignationem indicamus. In Pſal. 103. legas, *Avertente autem te faciem, turbabuntur.* De intuitu autem Palladis, cum irata eſt, dicam lib. 8. ad illud, *turbatæ Palladis arma.* unde hic locus illuſtrari poteſt. Cæterum verbis iſtis, *tenebat oculos fixos ſolo*, reſpondent illa Horatii Od. 5. lib. 3.

Torvus humi poſuiſſe vultum.

Et Plinius lib. 8. cap. 16. *oculorum aciem defigere in terram.* & Euripidis in Iphig. εἰς γῆν ἐρείσασ' ὄμμα. & Coluthi, ἐπὶ χθονὶ πῆξεν ὀπωπήν. Ariſtophanes in Veſpis ad idem explicandum ἀτενὴς dixit. eſt enim ἀτενίζειν, immobili obtutu tenere fixos oculos: & Philoſtratus in Icon. ἐς γῆν ἀτενὲς ὁρᾷν. Quæ res locum etiam habet in iracundia, ideo ſynonymicῶς Ariſtophanes addidit, ἀτεράμων, hoc eſt, σκληρός, interprete Scholiaſte. *Cerda.*

483. *Ter circum Iliacos.*] Hoc ad Æneam referendum eſt, qui ſciebat. Sed apud auctores multa ad ſenſum, non ad aſpectum poſſunt referri. Tertio enim

nim tractum intelligere possumus, non in pictura conspicere. unde est & illud, *Mulcere alternos & corpora fingere lingua.* Tale erat in pictura corpus, ut in eo appareret frequentis raptationis injuria. Sane hujus rei ordo est talis; Patroclus cum iratum Achillen, propter Breseiden sublatam, ut adversum Trojanos pugnaret, exorare non posset; petit ab eo arma, quæ Peleo Vulcanus fecerat, quibus indutus dum Achilles crederetur: fugatis Trojanis, plurimos interemit, ipse vero ab Hectore occisus est; quo dolore Achilles compulsus, impetratis per matrem à Vulcano armis, Hectorem, prælio superatum, peremit, ejusque corpus ad currum religatum, circa muros Ilii traxit, quod post placatus auro... *repensum* Priamo reddidit. *Servius.*

Ter.] Augetur crudelitas, quod non semel, & quod circa eos muros, quos defenderat. Gemuit ergo primo fortunam tanti viri, deinde, quod de eo triumphus actus est, & quod pejus erat, sub ipsis mœnibus, ut civitas defensorem suum in ea calamitate cerneret. Trahebatur ergo extinctus, ante eos muros, quos tanta fortitudine defenderat, & totiens circum ducebatur, ne quis ab ea cognitione subtraheretur: tantaque fuit immanitas, ut patri orbitatem suam venderet: Est autem pro dolore in pronunciando extollendum Hectoris nomen, & Achillis deprimendum. Quis enim mortuum vendidit nisi impius? Quis in regno positus, ideoque dives, aurum desiderat, nisi avarus? Ergo impius & avarus Achilles. *Donatus.*

Iliacos.] Noster circum muros: Homer. Iliad. ω. vs. 16. Τρὶς δ' ἐρύσας περὶ σῆμα Μενοιτιάδαο θανόντος. *Circum Patrocli sepulchrum.* Si de muris intelligas, Pathos est à loco, fortiter enim per decennium pugnaverat pro laribus, & mœnibus patriis. vide Macrob. l. 4. c. 3. & quia Homerus Iliadi finem imposuit, fato Hectoris enarrato, ideo videtur Stat. eum pungere l. 1. Achill. cum canit in principio libri, *nec in Hectore tracti sistere, &c.* Emmeness.

Raptaverat.] Frequentativa bene usus est: per quam ostendit, quod per numerum dixerat. *Servius.*

Raptaverat.] Quis hic Achilles Thessalus. Ad rem sunt ergo ista commentatoris Homeri ex Callimacho, in 22. Il. ὁ δὲ Καλλίμαχος φησὶν, ὅτι πάτριόν ἐστι Θετταλοῖς τοὺς τῶν φιλτάτων φονέας σύρειν περὶ τοὺς τῶν φονευθέντων τάφους. Mox rem exemplo firmat Simonis cujusdam Thessali, qui Eurydamantem, fratris sui percussorem, raptavit, & addit, ideo Achillem Thessalum patria consuetudine idem factitasse. Inde signate Propertius lib. 2. eleg. 8. loquens de successu Hectoris, ita ait:

Fortem illum Æmoniis Hectora traxit equis.

Nam Æmonia, Thessalia est. Ovidius etiam lib. 2. Am. eleg. 1.

Raptus & Æmoniis flebilis Hector equis.

Vide eundem lib. 3. Trist. eleg. 11. Certe Thessalorum ἀγερωχίας, ἄκρατον, καὶ τυραννικὰ, *fastus, intemperantiam, tyrannica* omnia, etiam inter pocula, Philostratus meminit, in vita Critiæ. Achillem in hoc facto imitatus est Alexander apud Curtium lib. 4. in simili supplicio sumendo. Audiendus Scaliger lib. 3. Poët. cap. 4. Poëtam explicans: *Ea, quæ oculis subjici nequeunt, arte quadam occupantur. Hectoris enim raptationem non poterat pingere pictor in 1. Æn. namque ter eum raptavit Achilles, itaque per tempus declaravit,* raptaverat. Servius quoque ait, Poëtam usum verbo frequentativo, ad explicandam multiplicem raptationem. Quod autem Poëta *raptaverat*, Homerus 23. Il. ἑλκυστάζειν, *trahendo raptare*, & Euripides Androm.

—— τὰ περὶ τείχη

Εἵλκυσε διφρεύων παῖς ἁλίας Θέτιδος.

Dio Chrysost. orat. 11. τὸν νεκρὸν αὐτοῦ (Ἕκτορος) καὶ συρῆναι μέχρι τῶν τειχῶν: *cadaver ipsius* (Hectoris) *tractum usque ad muros.* in Græco diversum est, ut vides, Dionis verbum ab Euripideo. Vetus Poëta apud Tullium lib. 1. Tuscul. cui omnino videtur hæsisse Maro;

Vidi,

Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo;

Ut

Vidi, videre quod me passa ægerrime
Hectorem curru quadrijugo raptarier.

Ne abeat inobservatum, ab Hectoris raptatione fluxisse Græcis ἁρμάτιον νόμον, id est, *curule melos*, quod contineret argumentum Hectoris, bigis tracti. Scias hic etiam Dionis Chrysost. sententiam, orat. 11. qui ait, non interfectum Hectorem ab Achille, sed contra Achillem ab Hectore, ac proinde Homerum enormiter mentitum. *Cerda.*

484. *Exanimum.*] *Exanimus* & *exanimis* dicimus, sicut *unianimus* & *unianimis*, *inermus* & *inermis*. Ergo pro nostro arbitrio, aut secundæ declinationis erunt, aut tertiæ. sed tertiæ, ablativum singularem in *i* mittunt: quia communis sunt generis. *Exanimis* autem est mortuus, ut hic indicat locus: *exanimatus* vero, timens: ut, *Exanimata sequens impingeret agmina muris.* Serv.

Vendebat.] Ingenti arte utitur verbis. Nam hoc loco quia pingi potuit, præsens tempus posuit: superius, quia pingi non potuit, sed referri, perfecto executus est tempore; dicendo *raptaverat*, non *raptabat*. Idem.

Auro vendebat.] Historia hæc nota ex 24. Il. Priamus enim magno pretio redemit ab Achille cadaver Hectoris. Magno (inquam) nam ibi Homerus ἀπερείσι' ἄποινα. *infinita dona.* Cedrenus ait, portata ab Priamo ad redimendum Hectorem, χρυσόν τε, καὶ ἄργυρον, καὶ ἐσθῆτα πολυτελῆ: *aurum, argentum, pretiosam vestem.* Inde Horatius Od. 10. lib. 1. de hac re loquens, *dives Priamus*, inique ab Scaligero laceratus. Cassiodor. *Priamus quanto pretio sepeliendum Hectorem redemit.* Dissidet tamen Plutarchus, nam orat. 2. de fortuna Alexandri, ὁ μὲν γὰρ (loquitur de Achille) χρημάτων ὀλίγων τὸν Ἕκτορος νεκρὸν ἀπελύτρωσεν. *hic autem parvo pretio cadaver Hectoris redemptum reddidit.* Notat vero Hieronym. Columna, Virgilium hoc versu allusisse ad titulum tragœdiæ Ennianæ, quæ inscribitur, *Hectoris lustra*, aut, *Hectoris lytra.* Quæ sic dicta à *luendo*, id est, solvendo pretio. Cujus rei argumentum tractasse adolescentem Lucanum, ex Statio in silvis apparet:

Ac primum teneris adhuc in annis
Ludes Hectora, Thessalosque currus,
Et supplex Priami potentis aurum.

Cerda.

Corpus vendebat Achilles.] In istiusmodi venditores quadrat proverbium, cujus meminit Arist. l. 2. Rhetor. ἀπὸ νεκροῦ φέρειν. Vide Kirchm. de Funer. Rom. l. 3. c. 25. obiter hoc indignum facinus attingit Lactant. l. 3. c. 25. *Scilicet aurum appendere debuit tanquam pro mortuo Hectore.* Homerus passim dona, pro repetito Hectoris cadavere allata in tentorium Achillis l. Iliad. ω. nominat ἀπερείσια ἄποινα. *infinita dona.* Ordine autem recenset ℣. 229. & seqq. *Emmeness.*

485. *Tum vero ingentem gemitum.*] Jam enim superius eum lachrymasse dixerat: hoc ergo addidit visum Hectoris corpus, ut etiam graviter gemeret, non ergo tum primum, sed tum maxime. *Servius.*

Tum vero.] Ex hoc ostendit, aliquot animi doloribus progressis, hunc majorem esse. Nam dixerat: *Constitit & lacrimans.* Item, *multa gemens.* Item, *agnoscit lacrimans.* Hic autem addit: *Ingentem gemitum dat pectore ab imo*, multiplici acerbitate percussus. Vidit enim spolia, erepta viro forti, & civi optimo. Amici etiam corpus. *Donatus.*

Tum vero ingentem gemitum, &c.] Luctum ingentem ipsius Priami, Hecubæ, Andromachæ & totius denique civitatis Homerus exponit l. χ. Iliad. in fine, & præcipue l. ω. quo Priamum cadaver filii redempturum supplicem vides. Nec non l. 3. Dictys Cretensis. Non est igitur, quod mireris, Æneam non tantum lacrimasse, ut antea, sed

Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermis.

Se ab imo pectore ingemuisse, cum per picturam in memoriam revocaretur rei mirum in modum deplorandæ. Vide Scalig. l. 3. c. 11. *Emmeness.*

486. *Ut currus.*] Quo tractus est. *Servius.*

Ut currus.] Hic *currus* pro *currum* posuisse Poeta videtur. Eustathius in eum locum Od. γ. καρπαλίμως δ' ἔζευξαν ὑφ' ἅρμασιν ὠκέας ἵππους, animadvertit etiam Homerum sæpe numero multitudinis pro singulari ἅρματα efferre, his verbis: ὡς ἐν ἰλιάδι, οὕτω καὶ ἐνταῦθα τὸ ἅρμα πληθυντικῶς σεμνότερον καὶ ἡρωϊκώτερον, εἰπὼν, ἔζευξαν ὑφ' ἅρμασιν. τὸ δὲ ἀνωτέρω τούτου, ζεύξατ' ὑφ' ἅρματ' ἄγοντες, οὐ πάνυ δῆλον, εἴτε ζεύξατε ὑφ' ἅρματα, εἴτε καὶ ἑνικῶς ὑπὸ τῷ ἅρματι, ὃ καὶ κρεῖττον δοκεῖ· εὑρίσκεται γὰρ καὶ ἑνικῶς παρὰ τῷ ποιητῇ τὸ ἅρμα, εἰ καὶ σπανίως. *Germanus.*

Ut spolia, ut currus.] *Spolia*, quæ Hectori erant detracta: *currus*, seu potius *currum* vel Hectoris, ut inter spolia haberetur; vel Achillis, quo tractus est Hector. *Corpus amici*, plus est, quam si *Hectoris* diceret: ut 2. Æn.

——*parvumque patri tendebat Iulum:*

cum potuerit dicere, *mihi.* Et observetur pulcherrima αὔξησις. Dolet enim visis spoliis; magis, curru; maxime, cadavere. Quam autem acrimoniam addat orationi τὸ *Ut*, superius dictum est. Jam illud,

Tendentemque manus Priamum conspexit inermes,

latissimum dedit intelligendi tractum. *Priamum*, scil. senem, regem, tanta felicitate nuper florentem, tot filiorum fortissimorum patrem, tot nepotum avum, tot generum socerum; eo miseriæ redactum esse, ut hostem se multo inferiorem supplex sine armis, aut sine Regni insignibus, rogare cogatur. *Taubm.*

Amici.] Plus est, quam si Hectoris diceret; ut alibi, *Parvumque patri tendebat Iulum:* cum potuerit dicere *mihi.* Servius.

487. *Manus inermis.*] Aut sine insignibus regiis, sceptro. aut supplices: ut, *Dextras tendamus inermes.* Quod tractum est de historia. qui enim victi se dedunt, inermes supplicant. Aut re vera inermes tunc. Contra Pyrrhum enim processit armatus. Sane per transitum historiam tetigit: quia constat Priamum, cum ad supplicandum tentorium Achillis fuisset ingressus, dormientem Achillem excitavisse: ut pro filii corpore rogaret eum, cum eum potuisset occidere: licet hoc Homerus propter Achillis turpitudinem supprimat. *Idem.*

Priamus.] In ejus nomine latissimum dedit intelligendi tractum, scilicet, qui fuerit gravioris ætatis, potestatis regiæ, & diu felix. Dolebat in eo, socerum suum, & tot perditorum patrem atque avum eo redactum, ut in summa orbitate hostem rogare cogeretur, sine regiis insignibus. Nam qui rogatum venerat omnibus inferiorem se monstrare debebat: *Donatus.*

Tendentemque, &c.] Cassiodorus l. 2. Var. epist. 22. *Priamus quanto pretio sepeliendum Hectorem redemit? rogavit furentem, supplicavit armato.* Ab Homero Priamus inducitur λισσόμενος, *supplicans* ad Achillem. & προπάροιθε ποδῶν Ἀχιλλῆος ἐλυσθεὶς, *provolutus ante pedes Achillis.* iterum:

Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γοῦνατα, καὶ κύσε χεῖρας
Δεινὰς, ἀνδροφόνους, αἵ οἱ πολέας κτάνον υἷας,
Manibus Achillis accepit genua, & osculatus est manus
Graves, homicidas, quæ ei multos interfecerunt filios.

Horatius od. 17. Epod. Homeri aura,

Luxere matres Iliæ adductum feris
Alitibus, atque canibus homicidam
Hectorem,

Post-

Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,
Eoasque acies, & nigri Memnonis arma.

Ducit

Postquam relictis mœnibus Rex procidit,
Heu pervicacis ad pedes Achillëi.

Seneca 2. de Ir. cap. 33. *Quid ille Priamus? non dissimulavit iram, & regis genua complexus est? funestam perfusamque cruore filii manum ad os suum retulit.* Cerda.

Inermis.] Attingit morem veterum, qui, cum supplicabant, arma abjiciebant, & nudas atque inermes dexteras offerebant victoribus. De quo lib. 11. ad illud:

Oremus pacem, & dextras tendamus inermes.

Idem.

488. *Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.*] Aut latenter proditionem tangit, ut supra dictum est, licet excusetur ab ipso in 2. *Iliaci cineres & flamma extrema meorum, &c.* aut virtutem ejus vult ostendere. nimiæ enim fortitudinis est, inter hostium tela versari: ut Salustius, *Catilina longe à suis inter hostilia cadavera repertus est.* Cornutus tament dicit versu isto, *Vadimus immisti Danais*, hoc esse solvendum. *Servius.*

Se quoque.] Honorificum fuerat confertos hostes non timuisse. *Donatus.*

Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.] Invaluit jampridem usus, ut *mistus* per *st* scribatur: quum tamen in codicibus omnibus antiquis uno consensu per *xt* scriptum inveniatur *permixtum*. Præterea in Rom. codice, *agnoscit* est præsenti tempore: quod non displicet, quia spectaculum est in actu. Quod vero Servius proditionem ex hoc latenter tangi putat, omnes naris emunctioris viri eam rejiciunt opinionem. Quippe quod honestius & magnificentius est intelligere, Æneam se quoque agnoscere permixtum, in acie vel in pugna, in conflictu procul à suis in medio Græcorum globo. Quam sententiam Ti. Donatus sequi videtur, dum ait, versum hunc ad illam propositionem pertinere, qua dixit: *Sunt hic etiam sua præmia laudi.* Nam qui ita se pictum advertit, ut principibus Græcis mixtum esse constaret, utique gloriosum fuit catervas hostium, & confertos primorum cuneos non timuisse. Verum hæc in vulgatis codicibus improbe detruncata sunt. *Pierius.*

Agnovit.] In Rom. legitur, *agnoscit:* quod picturæ convenientius; est enim spectaculum hic in actu. Quod autem Æneam Principibus Græcis permixtum, hoc est, à suis remotum in cuneos hostium altius immersum scribit Poëta, fortem eum ac strenuum manuque promptum significat: ut qui non tantum hostibus se objiciat, sed confertissimos etiam ordines hostium penetret: ut notat Turneb. lib. 18. c. 32. & P. Nannius, Miscellan. Ita Sallustius: *Catilina longè à suis inter hostium cadavera raptus est.* Vide etiam quæ notabimus 2. Æn. ad illud:

Vadimus immixti Danais haud Numine nostro.

Quidam tamen ad monomachias Æneæ cum Diomede, Achille & aliis referunt. *Taubm.*

489. *Eoas.*] *E* naturaliter longa est: fit tamen brevis interdum, quod eam vocalis sequitur: ut, *Primo surgebat Eoo.* Servius.

Nigri Memnonis arma.] Quia Tithonus, frater Laomedontis, raptus ab Aurora filium suum Memnonem, ex ipsa progenitum, inlectus dono votis aureæ, Priamo ad Trojæ misit auxilium, qui congressus cum Achille, ab eo est interemptus, cujus mortem mater Aurora hodieque matutino rore flere dicitur. *Idem.*

Nigri.] Dixit Æthiopis: unde, *prima consurgit Aurora.* Idem.

Arma.] Vulcania. ut ille indicat versus, *Te potuit lachrymis Tithonia flectere conjux.* Idem.

Nigri

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis

Pen-

Nigri Memnonis arma.] Nempe ut Quintus Calaber, κυανέοισι μετ' αἰθιόπεσιν ἄνασσεν, de Memnone. Vide hujus cum Achille congressum singularem apud eundem Calab. lib. 2. Ejus quoque statuam pro miraculo visam & habitam à Germanico Ægyptum peragrante, his verbis perhibet Tacit. lib. 2. Ann. *Cæterum Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum, quorum præcipua fuere, Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens.* Germanus.

Nigri Memnonis arma.] Ea radiis Solis icta, circiter horam primam diei, vocalem sonum reddere scribitur etiam à Strabone, egregio Scriptore, quique pleraque referat oculata fide. Hinc Juv.

Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ.

Videatur & Pausanias in Atticis. Multa etiam de Memnone collegit L. Hortensius. Porro triplici ratione arma Memnonis agnoscere hic potuit Æneas: vel è forma: vel è notis litterarum in armis scriptarum: vel ex picto Numine: nam in clypeis deos suos quisque pingebat. *Taubm.*

490. *Ducit Amazonidum.*] Hoc est, quod supra dicit, *Videt Iliacas ex ordine pugnas.* Homerus enim hæc omnia tacuit, quæ facta sunt post Hectoris mortem. Amazonidum autem derivatio est pro principalitate: sicut, *Scipiadas duros bello*, pro Scipionibus. Sane Amazones dictæ sunt, quasi ἅμα ζῶσαι, quod simul vivant sine viris: vel quod unam mammam exustam habent, quasi ἄνευ μαζοῦ. Has autem jam non esse constat, utpote extinctas, partim ab Hercule, partim ab Achille. *Serv.*

Lunatis peltis.] Scutis brevissimis, in modum Lunæ, jam mediæ. *Lunatis* autem primitivum à fœminino genere derivatur. *Idem.*

Lunatis peltis.] Peltas esse scuta Amazonum, docent Statius 5. Sylv.

—— *Amazonia latus intercludere pelta.*

& Claudian. 2. Rapt.

Qualis Amazonidum peltis exultat ademptis
Pulchra cohors.

& Plinius lib. 12. cap. 5. scribens de ficu Indica, *foliorum latitudo peltæ effigiem Amazoniæ habet.* Inde Seneca tanquam proprio epitheto in Agamemn. act. 2. *peltata Amazon* dixit, ut & Martialis lib. 9. epigr. 104. *peltatam Amazona*, & Statius 5. Theb. ab scuto Amazonas intelligit, scribens:

—— *Lunatumque putes agmen descendere.*

Notavit tamen Aldus in libris quæsitorum, usos pelta, præter Amazonas, etiam Macedonas, Afros, Hispanos, Cretenses. De Macedonibus testes affert Livium, Plutarchum, Ælianum: de Afris, Servium: de Hispanis, Cæsarem, Livium: de Cretensibus, Plutarchum in Æmilio. Cum autem Poëta attingat peltarum formam, vocans *lunatas*; reservo hoc ad lib. 11. Æn. ubi repetitur hoc hemistichion. *Cerda.*

Lunatis peltis.] Πέλτη, teste Hesychio, ἀσπὶς ἴτυν οὐκ ἔχουσα: Alex. ab Alex. l. 6. 22. *pelta breve scutum instar lunæ.* in usu fuit Amazonibus, quæ inde l. 5. Thebaid. *lunatum agmen* appellantur.

—— *Amazonio Schytiam fervere tumultu,*
Lunatumque putes agmen descendere.

ab hoc lunato scuto Martial. l. 9. Epigr. 104. Menalippen vocat *peltatam Amazona.* parma figuræ latioris fuit, & circularis, quod ex Corn. Nep. vit. 11. c. 1. discere est, ubi Iphicrates pro clypeis maximis vel pro parma *peltam* dedit, qui postea *peltati pedites* appellati sunt. apud Liv. lib. 31. cap. 36. habes: *nocte cetratos, quos peltastas vocant.* ex his liquidum peltas non tantum *scuta Amazonica*, ut male Non. Marcell. cap. 18. de genere arm. sed & aliarum gentium arma esse. De discrimine inter parmam, scutum, peltam, ancile, videndus Aldus Manutius de reb. per epist. quæsitis l. 1. c. 6. *Emmeness.*

491. *Pen-*

Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,
Aurea subnectens exsertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

Hæc

491. *Penthesilea furens.*] Martis & Otreres filia fuit, quam Achilles, cum adversum se pugnantem peremisset, post mortem ejus adamavit, eamque honorifice sepelivit. *Ducit* autem & *ardet*, ad laudem picturæ pertinet. Furentem ideo dixit, quia sororem suam in venatione confixit, simulans se cervam ferire. Sed hoc per transitum tangit: nam hic furor bellicus intelligitur: aut *furens*, quia majora viribus audebat. *Servius.*

Penthesilea.] Hanc venisse in auxilium Trojanorum, expresse scribunt Thryphiod. ἐν ἀλ. & Dictys lib. 3. De illa lege Justinum lib. 2. & Orosium lib. 1. cap. 15. *Cerda.*

Furens.] Est furore bellico percita & præliandi cupiditate quasi ardens. Quod hîc quidam in laudem Penthesileæ Amazonum Reginæ dicitur. *Taubm.*

492. *Aurea*] Amphibolon est hoc loco, utrum ipsa *aurea*, an *aurea cingula.* Sciendum tamen, plerunque amphiboliam metri ratione dissolvi: ut, *aurea composuit sponda Dido*: *Aurea* enim si ad spondam referas, non stat versus. *Servius.*

Subnectens.] Subnexa habens. *Idem.*

Exsertæ.] Nudatæ: nudant enim, quam adusserint mammam. *Idem.*

Aurea subnectens exsertæ cingula mammæ.] Vidi ego codices antiquos, in quibus non *exertæ*, sed *exsectæ* scriptum sit: aliena vero manu *Exertæ* factum. Sed enim vulgatam lectionem agnoscit Servius, & exponit *nudatæ*. Eandem sententiam Ti. Donatus latius interpretatur: quæ, quoniam in impressis codicibus curta sunt, recitare non pigeat. ait enim, Tanta autem fiducia venire videbatur, tantumque ardere in bellum, ut, quod secretum esse virginibus solet, illa offerret videntibus. scilicet, Quum exerta papilla pugnaret. pertinet hoc etiam ad præliantis audaciam, ut pugnaret fœmina, nec munimine tegeretur armorum. *Pierius.*

Exsertæ.] Id est, nudatæ. Nudabant enim, quam exusserant, mammam. Ita 11. Æn. de Camilla, quam & *Amazonem* vocat:

Hasta sub exsertam donec perlata papillam
Hæsit.

& paulo ante:

Unum exserta latus pugnæ pharetrata Camilla.

Interpretatur Propert. lib. 3. el. 12.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis,
Turba &c.

Descriptiones Amazonum Poëticas vide plures apud J. C. Scaligerum, lib. 5. c. 14. Poët. *Aurea* autem *cingula*, periphrasis est balthei. Jam, quid affectus vel ornamenti afferat vocabulum *Bellatrix* in principio Carminis post expletam sententiam positum, diximus supra. *Taubm.*

493. *Audetque viris concurrere virgo.*] Scias allusum hîc ad epithetum Amazonum, quas Hom. 3. Il. vocat ἀντιανείρας, quod sint vel contrariæ viris, vel cum illis virtute conferendæ. Adnecto versum Aristophanis in Lysist. ἃς Μύκων ἔγραψεν ἐφ' ἵππων μαχομένας τοῖς ἀνδράσι: *quas* (Amazonas) *Mycon depinxit in equis pugnantes contra viros.* Quæ hîc attingit Aristophanes, invenies apud Pausaniam in Atticis. De virtute Amazonum audi verba Hippocrat. l. de Aër. Loc. & Aq. ἱππάζονταί τε, καὶ τοξεύουσιν, καὶ ἀκοντίζουσιν ἀπὸ τῶν ἵππων, καὶ μάχονται τοῖς πολεμίοις, ἕως ἂν παρθένοι ὦσιν, οὐκ ἀποπαρθενεύονται δὲ μέχρις ἂν τῶν πολεμίων τρεῖς ἀποκτείνωσι· Philostratus quoque in Heroicis, cum dixerit, Mysas fœminas pugnare ex equis, τοῖς ἀνδράσι, adjicit explicans, ὥσπερ Ἀμάζονες. Inde signate Orosius lib. 1. cap. 19. lo-

quens

Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
Dum ſtupet, obtutuque hæret defixus in uno;
Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Inceſſit, magna juvenum ſtipante caterva.

Qualis

quens de Pentheſilea, ait, dediſſe illam *clariſſima inter viros documenta virtutis*, in Trojano bello. De eadem Propertius lib. 3. eleg. 11.

Auſa ferox ab equo quondam oppugnare ſagittis
Mæotis Danaûm Pentheſilea rates.

Non multum abhorret ſententia Xerxis apud Herodotum, lib. 8. qui audita virili virtute Artemiſiæ, ſubjicit, *οἱ μὲν ἄνδρες γεγόνασί μοι γυναῖκες, αἱ δὲ γυναῖκες, ἄνδρες· viri quidem extiterunt mihi fœminæ, fœminæ autem viri.* Dictam Andromachen παρὰ τῷ ἀνδρὶ μάχεσθαι, ſcribit in Andromacha Euripides. De Roſſorum fœminis narrat Cedrenus, virili habitu armatas pugnaſſe contra hoſtes. *Cerda.*

Audetque viris concurrere virgo.] Exaggerat ejuſdem audaciam, quæ non tantum pectore nudato prælietur, ſed & cum fœmina ſit, & virgo quidem (ut Q. Calaber teſtatur) pulcherrima, audeat tamen cum viris,iiſque fortiſſimis, præliari. Sunt, qui jocoſe hoc dici, atque ad Veneris prælium referri putent. quod tamen mihi non videtur. *Taubm.*

Virgo.] Et ſexum oſtendit & ætatem, plus enim dixit, quam ſi fæminam diceret: figuram tamen Græcam facit. *Servius.*

494. *Hæc dum.*] Non ſola hæc fuerant picta, ſed adventus reginæ interrupit, ne reliqua conſiderare poſſet. Eſt autem una res, quadripartito poſita, breviſſime dicta. Nam, ut eſt ſummi oratoris, res breves late differere, ita & latitudinem coërcere. *Donatus.*

495. *Dum ſtupet.*] Abſolute, aut dum hoc ſtupet. *Servius.*

Obtutu.] Aſpectu. *Idem.*

In uno.] In unoquoque: hoc eſt, ſingula mirabatur. *Idem.*

Defixus in uno.] Ab hoc verſu Apulejus lib. 11. *Aſt ego ſtupore nimio defixus tacitus hærebam.* Noſter alibi: *oculos horrenda in Virgine fixus.* Propertius lib. 1. eleg. 3.

—— *intentis hærebam fixus ocellis.*

Horatius in epiſtolis:

Defixis oculis animoque & corpore torpet.

Cicero, *in cogitatione defixum.* Videtur vero mihi hoc ſtupore, & hac unum in locum defixione exprimi illud Xenoph. in Symp. *ὥσπερ οἱ τὰς γοργόνας θεώμενοι λιθίνως ἔβλεπε πρὸς αὐτὸν, καὶ λιθίνως οὐδαμοῦ ἀπῄει ἀπ' αὐτοῦ: Quaſi qui Gorgonas ſpectant, ſaxeum in morem illum* (Cliniam) *inſpectabat, & quaſi eſſet ſaxeus, nunquam ab illo diſcedebat,* Ita etiam Andromacha in 3.

Diriguit viſu in medio.

Cerda.

Defixus in uno.]Id eſt,dum has res pictas tam diligenter ſpeculatur, ut oculos ab iis non avertat. Noſter l. 6. vſ. 469. *illa ſolo fixos oculos*,&c. & l.7. *defixa Latinus obtutu tenet ora.* Perſ. Sat.3. *figentes lumine terram.* hoc eſt, luminibus continuo in terram fixis. *Obtutus* Gloſſar. ἔντασις ὀμμάτων vel ἀτενισμός. utitur hoc vocabulo Apulejus l. 2. Metam. *obtutum acerrimum, &c.* Emmen.

496. *Regina ad templum.*] Et quia regina, id eſt, procuratrix negotii publici, & quia ad templum accedebat, meretur excuſationem, quod publice mulier juvenis ſe viris admiſceret. Religio ergo & neceſſitas impulit, ut templi opera inſpiceret, & ad maturandum artifices cogeret. *Donatus.*

Forma pulcherrima.] Ut, *Pulchra prole.* Servius.

497. *Inceſſit.*] Ut, *Incedunt pueri,* ſed hic ſupervenit. *Idem.*

Stipante caterva.] Ad hoc tantum

ſequens

Qualis in Eurotæ ripis aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros; quam mille ſecutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero, gradienſque deas ſupereminet omnis:
Latonæ

ſequens pertinet comparatio. quam multi vituperant comparationem hanc, neſcientes exempla, vel parabolas, vel comparationes adſumptas, non ſemper uſquequaque congruere, ſed interdum omni parte, interdum aliqua convenire. *Idem.*

Stipante.] In Romano codice legitur, *comitante:* non ita in aliis. Plus tamen eſt *Stipante*, quia majorem indicat comitum frequentiam. *Pier.*

498. *Eurotæ ripis.*] Fluvii Laconiæ. *Servius.*

Cynthi.] Cynthus mons Deli, in quo natam Dianam conſtat. Sane Dianam veteres ideo melius producebant, quia ſub divo Dea ſit venandi gratia. *Idem.*

Qualis in Eurotæ.] Comparatione explicat formam Didonis, imitatione Homeri, Ulyſſeæ 6. Quem locum Critici lancinant atque exagitant, quaſi improſpere hoſce verſus tranſtulerit Virgilius: ut eſt videre apud Agell. l. 9. c. 9. Contra vero J. C. Scaliger lib. 5. c. 3. Poët. accuratiſſime per omnes partes eosdem examinat, atque argumentis convincit, hos quidem à magiſtro, Homericos vero à diſcipulo eſſe confectos. Rationes quas ibidem affert, dignæ ſunt, quæ à doctis etiam legantur, & cum cura attendantur. Sub finem ſtius diſputationis ait: Quemadmodum igitur Diana in montibus; ita Dido in urbe. Illa inter Nymphas; hæc inter matronas. Illa inſtans venatibus: hæc operi. Quæ iſti argotiphli ſcire noluerunt. Jam, *Pharetræ*, quas carpunt hic, ſunt epitheti loco: qualia apud Homerum multa ſunt: à quo Achilles vel dormiens, πόδας ὠκὺς dicitur Nec temere appendit humeris pharetram: ſoli enim Dianæ & Apollini id licebat: Nymphæ ad latus gerebant: ſicut ſoli Dii ἀμφηρεφέα, (id eſt, circumquaque tectam) alii vero detectam eam habebant. Vide & P. Victor. lib. 7. c. 15. *Taubm.*

499. *Exercet Diana choros.*]Hoc non ad comparationem pertinet: ſed eſt poëticæ deſcriptionis evagatio; quod chori nec perſonis hic, nec locis congruunt. Saltantium enim & cantantium dicuntur. *Servius.*

Exercet Diana choros.] Sequitur (admonente Turneb.) veterum religionem, qui putabant, Dianam, niſi venaretur, ſemper in montibus tripudiare, & ſaltare ſolitam. Argumento eſt proverbium, πότε Ἄρτεμις οὐκ ἐχόρευσε; *Quando Diana non ſaltavit?* apud Callimachum eadem Dea ſexaginta comimites ſaltatriculas ab Jove poſcit Oceanitidas, δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορήτιδας ὠκεανίνας. *Cerda.*

Mille.] Finitus numerus pro infinito: nam de Nympharum numero varia eſt opinio. *Servius.*

500. *Oreades.*] Nymphæ montium *Oreades* dicuntur: ſylvarum, *Dryades:* quæ cum ſylvis naſcuntur, *Amadryades:* fontium, *Napeæ*, vel *Najades:* maris vero *Nereïdes.* *Idem.*

Oreades.] Sic dictæ Nymphæ montium, ἀπὸ τῶν ὄρους. Calpur. 4. ecl.

Per juga ſiccato velox pede currit Oreas.

Ab Homero dicuntur Νύμφαι Ὀρεστιάδες, (monente Lilio) ab Heſychio ὀρεοδεμνιάδες, καὶ ἀγρωστῖναι, ἀπὸ τῶν ὀρῶν, καὶ δεμνίων, à cubilibus montium, in quibus quieſcunt; vel ἀπὸ τῶν ὀρεοδάμνων, à ramis & germinibus ſtirpium. Idem ſcribit Phavorinus. De his Homer. 6. Il. & Strabo l. 10. *Cerda.*

501. *Pharetram fert humero.*] Homerus & Orpheus Dianam appellant *gaudentem pharetris*, ἰοχέαιραν. Eadem à Diphilo apud Athen. lib. 6. dicitur παρ-

Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

Talis

παρθένος τοξόδαμνος, *virgo domans arcu.* Neque vero temere, sed ex summa doctrina appendit Poëta pharetram humeris Dianæ. Soli enim huic Deæ, & Apollini id licebat, nymphæ ad latus gerebant. Notavit hoc Jul. Scaliger. Inde illud suprà, *succinctam pharetra.* Notam hanc Scaligeri firmo ex Livio Andronico, qui apud Terentianum de Diana:

Pressaque jam gravida crepitent tibi terga pharetra.

De eadem Claudianus 2. Rapt.

—— *pendent post terga sagittæ.*

Sed videndum, ô Scaliger, an perpetuum hoc sit, dicente eadem Diana, 11. Æn. de Camilla:

Nec tibi desertæ in dumis coluisse Dianam

Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras.

De Atalanta etiam Ovidius 8. Met.

Ex humero pendens resonabat eburnea lævo

Telorum custos.

Ab Heliodoro etiam lib. 1. hist. Æth. inducitur Chariclia cum pharetra, pendente ab humeris. Porro de habitu venatricis Dianæ, nam ad hunc respicit Poëta, vide, quæ dicta sunt in libro hoc, ubi sermo est de Venere, & adjice Græcum epigramma hoc initio, Ἄρτεμι, σοὶ τόξα, &c. cujus epigrammatis versio hæc apud Natalem lib. 3. Mythol. cap. 18. *Cerda.*

Gradiens.] Incessus plane militaris, atque ideo ferarum jaculatrici conveniens. Sic & Phœbus frater, qui in feras sævit, in 4. Æn. *jugis Cynthi graditur.* Idem.

Deas supereminet omnes.] Retuli hoc ad cothurnos. possum. sed vide, an alia sit mens. Diana veteribus credita est fuisse staturæ proceræ. De illa Homer.

Πασάων δ᾽ ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει, ἠδὲ μέτωπα·

Omnes vero ipsa capite supereminet, atque fronte.

Neque vero solum ipsa magna fuisse credita est, sed aliis quoque fœminis dare corporis proceritatem. Homerus Odyss. 20.

Ἥρη δ᾽ αὐτῇσιν περὶ πασάων δῶκε γυναικῶν

Εἶδος καὶ πινυτήν, μῆκος δ᾽ ἔπορ᾽ Ἄρτεμις ἁγνή.

Juno autem ipsis præ omnibus dedit mulieribus

Speciem & prudentiam: magnitudinem autem præbuit

Diana casta.

Sententiam Poëtæ sic extulit Ovid. 3. Met.

—— *colloque tenus supereminet omnes.*

Porro de præstantia & magnitudine formæ, quæ posita est in laude fœminarum, vide, quæ ego supra ad illud, *præstanti corpore nymphæ.* Idem.

Deas supereminet.] In Rom. codice, & nonnullis aliis antiquis, legere est, *dea supereminet omnes:* ut *dea* sit κατ᾽ ἐξοχήν. Nam ipse locus syllabam omnino communem reddit: cæterum hoc in medio sit. *Pierius.*

502. *Tacitum.*] Pro *tacite:* Major enim est taciturnitatis affectus: ut supra, *Hæc secum.* Sic Terentius, *Ut mecum tacita gaudeam.* Ergo *tacitum*, pro *tacite;* ut, *Tacitumque obsedit limen amata*, aut tacita gaudet. *Servius.*

Latonæ tacitum.] Occasione comparationis expressit poëta, quam læti sint parentes successibus filiorum. *Donat.*

Latonæ tacitum.] Epiphonema, quod plerunque Comparationibus solet addi. Nec est necesse, id omni ex parte comparatæ rei convenire. Interim tamen significare Poëta voluit, quam gaudeant parentes successu & re læta subolis. *Tacitum*, dicit: quia major (ut ait Serv.) taciturnitatis est affectus. Sic Terent. *ut mecum tacita gaudeam.* Illud vero, *pertentant gaudia pectus*, non de levi & pigro atque in superficie natanti gaudio, ut Grammatici nugantur, intelligendum est: sed de genuino ac solido gaudio,

Talis erat Dido: talem se læta ferebat
Per medios, instans operi regnisque futuris.

Tum

gaudio, quo omnes partes occupantur. Hanc enim vim habet frequentativum *Tento:* quæ & augetur in compositione *Pertento:* qua ultima perfectio designatur. Etiam Servius notat, *Pertentant* hic esse, vehementer tentant. Quam emphasin quoque habet in 3. Georg.

Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantum notas odor attulit auras?

Neque adeo gaudium modo intimum, sed & vicissitudines illas ac titillationes gaudii, quæ momento in animis intenduntur & remittuntur, Poëta significavit. Igitur voluptas & gaudium valide crebroque Latonam titillabant, cum filiam forma ac majestate Nymphis superiorem videret. *Taubm.*

Pertentant.] Modo vehementer tentant. Alibi, leviter: ut, *Blanda vicissim Gaudia pertentant mentem.* Sunt enim multa, quæ pro locis intelliguntur, ut *impotens,* & satis & minus, & nihil potens significat. *Servius.*

Pertentant gaudia.] Efficacius Poëta dixit, pectus *pertentari gaudio* (metaphora sumpta à citharœdis) quam simpliciter, gaudere. Omnes enim partes occupantur gaudio, non minus atque omnes chordæ percurruntur à citharœdo. Ad hæc, frequentativum est verbum, & *per* significat perfectionem, quo fit, ut voluptas & gaudium sæpius Latonam titillet. Sic explicant & defendunt Virgilium interpretes contra calumniam Probi. Germanus quoque emphasin agnoscit in verbo *pertentant.* His adjunge, eodem verbo significari titillationem istam amoris blandam, quo in Georgicis titillatio equi appetentis coitum:

Nonne vides ut tota tremor pertentet equorum Corpora?

Quo satis apparet, huic verbo hanc esse amoris & blanditiarum potestatem. *Cerda.*

Pertentant gaudia.] Dubito, an P. Victorii subscribendum sit sententiæ, judicantis minus poëtice hic locutum Maronem lib. 7. var. lect. c. 15. quam Lucretium, cujus sit ingenio adjutus, & imitatus verba: *tacita pectus dulcedine tangunt.* qui hunc locum Homero debet l. Iliad. 6. γέγηθε τε φρένα λητώ. De gaudio Latonæ, admirantis prolem, reliquâm Dearum cohortem superantem, vide Juvenal. Sat. 10. ℣. 290.

Formam optat modico pueris, majore puellis Murmure, &c. & ℣. 292.

——*pulchrâ gaudet Latona Diana.*

Emmeness.

503. *Talis erat Dido.*] Applicatio rei comparatæ. *Læta* autem est ex successu eorum, qui diversarum fabricarum moles urgebant. *Taubm.*

Se læta ferebat.] Pro, *ibat*. Scalig. l. 4. c. 16. *Idem.*

504. *Instans operi.*] Zeugma est, ad sequentia pertinens. *Servius.*

Instans.] Una cura testabatur religionem perficiendi templi, altera imperantis justitiam ostendebat. *Donatus.*

Instans operi.] Ἐπιστατοῦσα, urgens operarios, regnumque Carthagini maturans. Sic enim Græci *Operum curatores* ἐπιστάτας & ἐργοδιώκτας vocant. Et noti illi JCtorum *Servi institores.* Quomodo & Plin. lib. 7. *dixit institisse fratris funeri,* hoc est, hereditatis prendendæ cupidine curasse, ut rapidissime efferretur, ignique cõmmitteretur. Æneid. 8. ℣. 434. Accusandi casu dixit, *Instabant currum Marti.* Quem locum illustravit Joseph. Scaliger ad versum in Phallicis:

Institi Homeriacas edidicique notas.

Ita alio sensu, *Instare merces,* dicitur. Nonius: *Instat mercaturam: credo, rem faciet.* inde *Institores.* Taubm.

Regnisque futuris.] Regnaturæ Carthagini, urbe ergo jam ipsa * nam regnabat. *Servius.*

505 Tum foribus divæ, media testudine templi,

Septa

505. *Tum foribus divæ.*] Instans præcipue foribus: & hoc loco distinguendum est. Magno enim studio & labore templorum fores fiebant, quas quibusdam insignibant historiis: ut, *In foribus lethum Androgeo.* Item, *in foribus pugnam ex auro solidoque elephanto.* quamvis quidam jungant, *Tum foribus divæ media testudine templi*: Ut unum intelligas tectum templi, & fores. quod si est, sub medio tecto sunt fores. Sed prima melior expositio est. *Servius.*

Tum foribus divæ.] Nisi ordinato sensu quæratur intellectus, non poterit comprehendi. Erit satis incertum, quid poëta descripserit. Nesciret quippe lector, ubi sederit Dido, & ubi armis septa sit. Ordinamus ergo sic: Tum foribus divæ septa armis media testudine templi, solioque alte subnixa resedit: quomodo est judiciorum omnium consuetudo. Ducuntur judices usque ad fores secretarii, ibidemque officium remanet. Illi vero ingressi solium ascendunt, & sedent. Omnes igitur, qui progredientem comitabantur reginam, inermes erant, & armati ante fores remanserunt. Illa ingressa, ubi ad mediam testudinem, id est, ad mediam aram pervenit, ascendit solium, & alte sedit. *Donatus.*

Tum foribus Divæ media testudine templi.] Vir doctissimus Turneb. lib. 10. Adv. c. 11. capit has fores, non de templo ipso, sed de templi adyto, & sacrario, ubi erat Junonis simulacrum. In media enim templi parte (quam vocat mediam testudinem) erat adytum augustius, cui adyto suæ fores, ad quas Dido sedit: atque adeo stare potest, ut sedeat ad fores, & in media templi testudine. In hoc adyto erat simulacrum illius Numinis, cui sacrum templum, ac perinde erat in medio templo. Firmat hoc Turneb. ex Poëta, qui 3. Georg.

In medio mihi Cæsar erit, templumque tenebit.

Ex istis Apuleii: *Namque in ipso ædis sacræ meditullio ante Deæ simulacrum constitutum ligneum jussus superstiti.* Ex Sedulio canente:

Dumque sui residens media testudine templi.

Hæc ille, quæ omitti non debuerunt. Ad eundem morem mihi videtur allusisse Catullus de Nupt. Pelei:

Pulvinar vero Divæ geniale locatur
Ædibus in mediis.

Et Propertius lib. 2. eleg. 31. si quis bene expendat, nam loquens de templo Phœbi, post descriptas columnas, & alia, quæ in templo erant, subjicit: *Tum medium claro surgebat marmore templum*: quæ accipi commodissime possunt de meditullio templi, nam frustra columnas & alia præmisisset. De testudine, quæ in templis, adi Vitruvium, lib. 6. cap. 3. *Cerda.*

Testudine.] Camera incurva, vel fornicata, quæ secundum eos, qui scripserunt de ratione templorum, ideo sic fit, ut simulacro cœli imaginem reddat, quod constat esse convexum. Quidam tradunt, apud veteres omnia templa in modum testudinis facta. At vero sequenti ætate divinis simulacris positis nihilominus in templis factas esse testudines, quod Varro ait, ut separatum esset, ubi religio administraretur. Bene ergo cum de templo loqueretur, addidit ei *testudinem.* Item Varro de Lingua Latina ad Ciceronem, *In ædibus locus patulus relinquebatur sub divo, qui erat relictus, & contectus erat, appellabatur testudo.* Cicer. in Bruto. *Commentantem in * quidam testudinem locum in parte atrii volunt adversum venientibus.* Alii hunc ordinem volunt. Tum foribus divæ templi resedit, media scutorum testudine, quod septa armis erat. hoc genus fabricæ ab animalis similitudine, quæ testudo vocatur, captum est: de qua fabula talis est. Virgo quædam nomine Chelone, linguæ impotens fuit; verum cum Jupiter Junonem sibi nuptiis jungeret, præcepit Mercurio, ut omnes Deos vel homines, atque omnia animalia ad nuptias convocaret: sed

Septa armis, solioque alte subnixa resedit.
Jura dabat legesque viris: operumque laborem
Parti-

sed omnibus, quos Mercurius monuerat, convenientibus, sola Chelone inridens & derogans nuptiis, nectens moras, adesse contempsit. Quam cum Mercurius non venisse notavisset, denuo descendit ad terras, & ædes Chelonis, supra fluvium positas, præcipitavit in fluvium, ipsamque Chelonem in animal sui nominis vertit, quam nos Latine testudinem dicimus. Fecitque ut pro pœna dorso tectum, velut damnum suum, prona portaret; unde incurvatis ædificiis hoc nomen impositum est. *Servius.*

Testudine templi.] Ex ritu hoc loco poëta locutus videtur, quod ex Gellio discere est l. 14. c. 7. *tum adscripsit de locis, in quibus senatusconsultum fieri jure posset; docuitque confirmavitque, nisi in loco, per augures constituto, quod templum appellaretur:* quid testudines sint, docet Non. Marcell. cap. 1. *sunt loca in ædificiis camerata ad similitudinem aquatilium testudinum, quæ duris tergoribus sunt & incurvis.* Emmeneff.

506. *Septa armis.*] Satellitum scilicet, vel ut quidam volunt pro armatis, ut, *Fœta armis.* Servius.

Solio.] *Solium* proprie est armarium, uno ligno factum, in quo uno reges sedebant, propter tutelam corporis sui: dictum quasi *solidum*. Modo jam abusive *sellam regalem* dicimus. *Idem.*

Alte.] Alto fulta suggestu. Ac si diceret, in tribunali. *Idem.*

Alte.] Alto fulta suggestu. τὸ πρέπον Reginæ, quasi dicat, In tribunali, omnibus conspicua sedit. Eadem de caussa 9. Æneid. *Turnus sacrata valle sedebat.* Taubm.

Subnixa.] Pro subnisa: ut supra dictum est. alii pro *innixam* accipiunt. *Servius.*

Solioque alte subnixa resedit.] Vetera quædam exemplaria, *alto* legunt. Ut in undecimo, *Solio Rex infit ab alto.* In codicibus tamen probatioribus, Mediceo, & aliquot aliis *alte* adverbium est: quam lectionem interpretes agnoscunt: præcipueque Donatus, qui ait: ubi ad mediam testudinem templi, hoc est, ad mediam aream, pervenit, ascendit solium, quod ipsius caussa fuerat collocatum, & primum alte consurgens, sedit. *Pierius.*

507. *Jura dabat legesque.*] Jus generale est: nam Lex, juris est species. Non est ergo iteratio: & bene *dabat*; primi enim Locri scriptis usi sunt legibus; nam superior ætas contenta fuit moribus * autem ad Didonis pertinet laudem, & separatim enuntiandum est, ut sit major admiratio. *Servius.*

Jura dabat.] Meritum reginæ. Non enim tot viri fœminæ paruissent, nisi quia egregiæ in ea virtutes essent. Sed specialiter ponit: *Jura dabat, legesque viris.* Quod non est exponendum, imperabat; sed constituebat jura. Præcipua ergo laus cum scriberet leges & jura: quia acquiescebant viri jussis fœminæ. Cum autem a publicis consultis ad operam veniebat, ostendebat æquitatem suam, & in consulendo prudentiam. *Donatus.*

Jura dabat.] Repetit locutionem in 8.
— *his dantem jura Catonem.*
Æmulatur Statius 2. Theb.
Jura ferus populo trans legem ac tempora regni
Jam fratris de parte dabas.
Ait Servius: *Bene, dabat: primi enim Locri scriptis usi sunt legibus, nam superior ætas contenta fuit moribus.* Observa etiam, hæc jura dari in templo, ex more veterum, quem firmo in 7. ad illud:
— *tali intus templo patriaque Latinus*
Sede sedens.
Jura enim in templis olim, & alia negotia expediebantur. *Cerda.*

Jura dabat.] Locutio satis trita. Horat. l. de Art. p. ✠s. 398.
Concubitu prohibere vago: dare jura maritis.

Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat:
Cum subito Æneas concursu accedere magno
Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios: ater quos æquore turbo
Dispulerat, penitusque alias avexerat oras.
Obstupuit simul ipse, simul perculsus Achates
Lætitiaque metuque, avidi conjungere dextras

Arde-

Quo loco adeundus Lambinus. Quod non *dixerit*, ut judex, sed *dederit* jura, nimis subtilis distinctio Stephano videtur. *Emmeness.*

508. *Partibus æquabat justis, &c.*] Quæ æstimatione justitiæ æquari poterant, distribuebat. Quæ autem natura sua ad plenum æquari non poterant, sortis judicio dabat, ut qui gravius onus subiret, fortunam suam, non reginam accusaret. *Donatus.*

Sorte trahebat.] Proprie locutus est. trahuntur enim sortes, hoc est, educuntur. Et bene tam regnantis, quam ædificantis urbem, implere ostendit officium. *Servius.*

Sorte trahebat.] Videtur hæc forma locutionis ducta ex Callimacho in Hymno Jovis: τίς δὲ κ' ἐπ' οὐλύμπῳ τε καὶ ἄϊδι κλῆρον ἐρύσαι, ὃς μάλα μὴ νενίηλος; &c. *Germanus.*

509. *Concursu accedere magno.*] Cum magna Afrorum multitudine. & hoc est, quod formidat Æneas, incertus, qua eos mente comitentur. *Servius.*

510. *Anthea Sergestumque.*] Est adimpletum, quod mater de salvis sociis dixerat. *Donatus.*

512. *Dispulerat.*] Segregaverat. Et magna est inter *di* & *dis* differentia, ut supra dictum est. *Servius.*

Penitus.] Longe à regina remotos: quæ res etiam insolentes custodes litorum fecit. *Idem.*

Alias avexerat oras.] Ut missum faciam *adduxerat*, quod in uno tantum codice repertum minime placet. Mediceus, & reliqua fere omnia exemplaria, quæ tractavi *abvexerat* aut *avexerat*, uno consensu legunt: erant enim XI. Trojani, qui fuerant in diversum abacti. *Pierius.*

513. *Obstupuit.*] Et ad admirationem, & ad timorem hic pertinet sermo, quod dicendo præoccupat. *Serv.*

Percussis.] Ad utrumque pertinet. *Idem.*

Obstupuit simul ipse, simul perculsus Achates.] In Oblongo codice & quibusdam aliis, *obstipuit* habetur: ita superius *dum stipet*, & passim eodem modo: quod verbum à *stipite* nonnulli deductum volunt, mutato tamen tempore, usu vero cessisse *i* in *u*, ut ex *contimaci contumax* factum: & hujusmodi pleraque: sed & *percussus* in Romano, in Mediceo, & plerisque aliis codicibus antiquis, & hic, & alibi semper habetur: quamvis Grammatici differentiam inter *perculsum*, & *percussum* statuant. *Pierius.*

514. *Lætitiaque metuque.*] *Lætitia*, propter socios liberatos: *metu*, propter concursum. vel quod incerti erant de voluntate Didonis. *Servius.*

Lætitiaque metuque.] Non conjungo cum sequentibus, sed cum præcedentibus. Ut dicat, utrumque perculsum lætitia ac metu, non, lætitia ac metu animos ardere, &c. *Cerda.*

Lætitiaque metuque.] Solet Poëta in re nova ac dubia conjungere hos duos affectus. Ita 11. Æn.

—— *exterritus Aruns*
Lætitia mistoque metu ——

Taubm.

Avidi conjungere.] Ut conjungerent, vel ad conjungendum avidi. *Servius.*

515. *Arde-*

Ardebant: ſed res animos incognita turbat.
Diſſimulant; & nube cava ſpeculantur amicti,
Quæ fortuna viris; claſſem quo litore linquant;
Quid veniant. cunctis nam lecti navibus ibant,
Orantes veniam, & templum clamore petebant.

515. *Ardebant.*] Cupiebant: ut, *Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin.* *Ardeo* autem & accuſativum regit & ablativum. *Idem.*

Res incognita.] Id eſt, qua affectione populus conveniret. *Idem.*

Res incognita.] Cauſſa adventus ſociorum. vel etiam, qua affectione Pœni concurrerent. *Taubm.*

516. *Diſſimulant.*] Diſſimulamus nota: Simulamus ignota: ut Saluſtius, *Simulator ac diſſimulator.* Servius.

Diſſimulant.] Conſilium prudentiæ, ut eventum rei ſpectarent. *Donatus.*

Nube cava.] Quod ſupra *obſcuro aëre*, nunc clarius *nube.* Vide etiam flexum orationis. Hîc *nube cava amicti*, ſupra, *circumfudit illos multo amictu nebulæ.* Cerda.

517. *Quæ fortuna.*] Utrum proſpera, an adverſa. & ſic oſtenditur unde ſit metus. *Servius.*

Quæ fortuna.] Quam evaſerant & quam eſſent accepturi. *Donatus.*

Quæ fortuna v.] Quam fortunam vocet, ipſe explicat: Ubi naves reliquerint: quæ ſit cauſa legationis. Nam ſelecti è ſingulis navibus Duces ad Reginam veniebant, oratum veniam, propter incendium navium. Servius *veniam* interpretatur *pacem*: & proprie verbum eſſe Pontificale, ait. Dicta autem, inquit, *venia*, ad eliciendam miſericordiam. meretur enim benevolentiam Numinum, qui licet innocens ſit, veniam petit, tanquam peccaverit. Livius l. 1. *Unam opem ægris corporibus relictam, ſi pax & venia ab diis immortalibus impetrata eſſet.* Ovid. 1. Amor. el. 2.

—— *veniam pacemque rogamus.*

Cicero pro Fonteio: *Illi in bellis gerendis à diis immortalibus pacem ac veniam petunt.* Solebat autem *venia* & *pax* non poſtmodo conjunctim, ſed & ſeparatim poni, ut 3. Æn.

Sed votis precibuſque jubent expoſcere pacem.

Vide ibid. Notas. Et:

Exorat pacem divûm.

Quo loci Nonius *Pacis* nomine *propitiationem*; ſuperiori verſu *veniam* ſignificari notat. Ita 4. Æneid.

—— *delubra adeunt, pacemque per aras*
Exquirunt ——

Vide B. Briſſon. Formulis lib. 1. *Taubmannus.*

518. *Cunctis nam lecti navibus ibant.*] Bene addidit *lecti*, ne penitus omnes intelligeres. Sane *cuncti*, non idem ſignificat, quod *omnes*; Cicero ſæpe ait, *Cuncti atque omnes*, quia *omnes* non ſtatim ſunt *cuncti*, niſi iidem ſimul ſint juncti. Nonnulli tamen *lectis navibus* legunt. Quod ſi ſit, hypallage eſt: & illuc ſenſus recurrit. Et ſciendum plerumque, ut hoc loco, addi aliquid generalitati, & fieri ſpecialitatem: ut eſt, ſi dicas, *Omnes ſcholaſtici laborant*, generalitas eſt. Si addas *iſti*, fit ſpecialitas: ut Saluſtius, *Tranſgreſſos omnes recepit mons Balleia.* prudenter addidit *tranſgreſſos.* Servius.

Cuncti.] Non abſolute. Nam cum veniſſent, lecti non omnes venerant, ſed cuncti, qui venerant. *Donatus.*

Cunctis.] In Romano codice, & in Mediceo, *cuncti* nominativo caſu legitur: eamque lectionem interpretes agnoſcunt Servius & Donatus. *Pierius.*

Lecti navibus.] Similis eſt & vox Græcis, qui ita quoque λεκτοὺς vocant. Eurip. in Supp. λεκτοὺς ἀθροίσας δεῦρ' ἀθηναίων κόρους· & paſſim. *German.*

519. *Orantes veniam.*] *Venia* pro culpa petitur, ſed nunc aut pacem, aut beneficium propter incendium navium: aliqui

Postquam introgressi, & coram data copia fandi;
Maximus Ilioneus placido sic pectore cœpit:
O re-

aliqui tamen *veniam* pro impunitate accipiunt; nam mox addit, *Prohibe infandos à navibus ignes.* Et proprie verbum pontificale est; unde est, *Tu modo posce deos veniam.* Et paulo post: *Pacemque per aras Exquirunt.* Dicta autem venia, ad eliciendam misericordiam. Meretur enim benevolentiam numinum, qui licet innocens sit, veniam tanquam peccaverit, petit. unde est confessio illa in Terentio, *Quid meritus es? crucem.* Servius.

Orantes veniam.] Non conveniunt. Nam *orare* est precibus petere. *Clamare* est inverecundo strepitu vocem majorem emittere. Conjiciebant igitur clamoribus, magna illos urgeri necessitate: hos effundebant antea, quam Didonem orare possent. Ergo justa causa, non seditione clamabant. Nam cum nullus nunciaret Didoni, quæ intus erat, non poterat, nisi clamore, rem percipere Dido, sed postquam intus fuere. Sed servatum est decorum in verbis, cum facta sit copia Didonis. *Donatus.*

Orantes veniam.] Veniam pacemque orare, exorare, poscere, exquirere, petere, rogare, ad formulas sacrorum pertinere, jam alius monuit. Servius quoque hoc loci: *venia proprie verbum pontificale est.* & firmat illo: *posce Deos veniam.* & paulo post: *pacemque per aras Exquirunt.* Utrumque est 4. Æneid. Quas voces sæpe auctores abjungunt. Nam Livius lib. 3. *veniam irarum cœlestium exposcunt.* & Virgilius:

Exorant pacem Divûm.

Jam conjungunt, ut Livius lib. 1. *si pax & venia à Diis immortalibus impetrata esset.* Exemplorum seges est in Briss. *Cerda.*

520. *Introgreßi, fandi.*] J. C. Scaliger lib. 4. c. 16. *Introgreßi, interfata, fas, fandi, fando,* voces ait frequentes esse Virgilio, & graveis ac plenas. *Taubmannus.*

Coram.] Est vir doctus, qui vocem *coram* deducat à *κόρη*, quæ vox signat oculi pupillam. ea enim *esse coram* dicuntur, quæ oculis cernimus. *Cerda.*

521. *Maximus Ilioneus.*] Rebus omnibus maximus. Neque enim aliquid addidit, ergo & ætate, & genere, & facundia & omni virtute maximus: & non sine caussa ipsum ubique inducit loquentem. ut enim Homerus dicit, *Phorbas pater Ilionei semper Mercurio deo eloquentiæ favente pugnavit:* ut Horatius, *Mercuri facunde nepos Atlantis.* Merito ergo huic datur eloquentia. *Servius.*

Maximus Ilioneus.] Dicerem scribendum *maxumus* ex antiquis codicibus, & Augusti Octaviani consuetudine: nisi nunc mos adeo invaluisset, ut jam omnes malint hujusmodi nominum pene ultimam enuntiare per *i* vocalem tertiam. Hic vero animadvertendum est, quod Servius ait, Mercurium, eloquentiæ deum, Phorbanti Ilionei patri plurimum favisse: non intelligas tamen hunc eundem esse Ilionea, qui Phorbantis filius ab Homero celebratur, sed ab ea eloquentiæ commendatione fictam hic esse personam à Virgilio: quum satis constet Ilionea Phorbantis à Peneleo peremptum in bello Trojano, ut apud Homerum legere est, Iliad. ζ. *Pierius.*

Maximus Ilioneus.] Non aliter Ilioneus natu maximus, ac perinde sapientia valens, orator à Virgilio eligitur, quam dictum ab Homero est, Odyss. 7.

Ὃς δὴ Φαιήκων ἀνδρῶν προγενέστερος ἦεν,
Καὶ μύθοισι κέκαστο, παλαιά τε πολλά τε εἰδώς,
Ὅς σφιν ἐϋφρονέων ἀγορήσατο, καὶ μετέειπεν.

Prudentius quoque l. 2. contra Symm. ita ad hanc rem:

Ultima consiliis melior, sed viribus ægra
Corpore succumbit, mentem purgata senectus.

Inde

O regina, novam cui condere Juppiter urbem,

Justi-

Inde apud Aristophanem in Pluto seni cuipiam objicitur:

Γέρων ἀνὴρ ὢν, ὐκ ὑγιαίνειν μοι δοκεῖς·
Senex cum sis, non videris mihi satis sapere.

Cerda.

Placido sic pectore cœpit.] More suo uno sermone habitum futuræ orationis expressit. Bene ergo *placidus*, ne timore consternatus videretur, quem ideo ætate maximum & patientem ostendit, ut ei auctoritas, & de ætate, & de moribus crescat. Ergo *placido*, ad placandum apto; & definitio est oratoris, qui talem se debet componere, qualem curat judicem reddere. *Servius.*

Placido sic pectore cœpit.] His verbis signat, hunc vere oratorem, neque timore aliquo consternatum. Quod mirum in tanto hominum concursu, coram potentissima regina, & magno satellitio stipata, præsertim advenam ac supplicem, & nullis meritis hominem. Quotus enim quisque cum his circumstantiis eam animi placiditatem afferret, quam in Ilioneo repræsentat Vates? Notat etiam Servius indicari his verbis habitum futuræ orationis, quæ tota destinatur ad placandam Didonem. Ergo *placido pectore*, est, ad placandum apto. Orator enim talem se debet componere, qualem vult judicem reddere. Audi verba aurea Dionysii in prooemio: *Oratio, animi cujusque imago esse existimatur.* Ex hoc præcepto Ammianus lib. 20. *Suadebat placido sermone discedere Persas ad sua.* & lib. 23. *Talia ore sereno disseruit.* Cerda.

522. *O regina.*] Secundum artem rhetoricam, id ei dat, quod impetrare desiderat. Nam eam per laudem, benevolam reddidit. quæ benevolentia in principiis controversiarum secundum præcepta rhetorica quatuor modis conciliatur, à Judicum persona, à nostra, ab adversariorum, à re ipsa, quod hic invenitur: à Judicum persona, *O Regina, novam cui condere Juppiter urbem:* à sua persona, *Troës te miseri:* etiam ab adversariorum, *Quod genus hoc hominum.* à re ipsa, *Hospitio prohibemur arenæ.* Post præparatam igitur benevolentiam, & ex sua persona, miseratione commota, adhibet preces, *Prohibe infandos à navibus ignes, Parce pio generi, & propius res aspice nostras.* An possint, *Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.* Quo ergo ibatis? *Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt.* Et cur huc venistis? *Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.* Ne autem possint timeri, ait, *Pauci vestris adnavimus oris.* An gratiam referant, *Officio nec te certasse priorem Pœniteat.* Quod autem Æneam laudat, occulte etiam timorem injicit dicendo, *Nec bello major & armis.* Dicit etiam esse, qui vindicent, si fiat injuria. *Sunt & Siculis regionibus urbes, Armaque Trojanoque à sanguine clarus Acestes.* An recessuri sint, *Quassatam ventis liceat subducere classem.* Et subjunxit, etiam si regem amisimus & Italiam non petierimus, tamen ad Siciliam necessario descendemus: *Si datur Italiam sociis & rege recepto Tendere*, ut *Italiam læti Latiumque petamus. Sin absumpta salus, & te, pater optime Teucrum, Pontus habet Libyæ, nec spes jam restat Iuli: At freta Sicaniæ saltem.* Servius.

O regina.] Magna omnino arte scribit. Primo principia summa brevitate subjungit, quæ tamen plurima necessaria continent. Primo vero personam Didonis laudat: subtilem objurgationem non omittit, & in ipsa objurgatione benevolam reddit, inhumanitatem & superbiam rejicit in alios. Ipsam justam dicit, ne eam lædat, à qua auxilium postulat. Veniebat igitur incognitus ad incognitam, unde ignarus omnium conjectura rimatur, quomodo aliqua laude illam sibi benevolam faciat. Suspicione autem debuit duci, cum homines impii essent, ipsam quoque, quæ imperaret, iisdem moribus esse, sed de illis aperte dixit: Partem

Justitiaque dedit gentis frenare superbas;
Troës te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos à navibus ignis;

Parce

vero hujus meliore ratione argumentandi correxit, tamen illam oblique tangit ex aliena, id est, suorum reprehensione confusam. Collectis igitur contrariis omnibus, componitur duobus versibus plena laudatio. *O regina.*] A difficultate laus. Difficile est enim foeminam regnare. *Donatus.*

O regina novam, &c.] Moneo in hoc initio, orationem hanc habere maximam affinitatem cum oratione illa Dionysii lib. 1. qua inducit orantem coram Latino Rege Æneam, cum is recens ad Italiam advenisset. *Cerda.*

Novam urbem.] Juxta Pœnorum opinionem dixit, qui novam civitatem *Carthaginem* dicunt. *Servius.*

Novam cui condere.] Alia magna laus, quod foemina faciat, quod difficulter viris evenire solet. Duo ergo miracula: Primum, regnat mulier. Secundum, condit urbem. Additur tertium, ut regat homines, quibus natura parendi studium denegavit, & sic ostendit plenam Afrorum feritatem. Mali autem homines non paribus, sed contrariis superantur, humanitate scilicet regnantis & voluntate: quas in Didone fuisse colligit Ilioneus, qui vituperando incolas immanitatis, laudat eam, quam ostendit humanitate compellere ad id, ad quod alii, impositis frenis, impelluntur. *Donatus.*

523. *Justitia.*] Bene consideravit sexum. Nec enim virtute dicere poterat. *Servius.*

Frenare.] Non Carthaginensium, sed circumjacentium barbarorum; & bene *Frenare*, quia contra, *Et Numidæ infreni cingunt.* Idem.

Frenare.] Alludit ad illud 4. Æneid. *Et Numidæ infreni.* Quæ magna Reginæ laus est: ut quæ possit etiam frenare & subjugare populos feroces & jugi impatientes. *Taubm.*

524. *Troës te miseri.*] Tacitis occurrit quæstionibus: ne ad populationem venisse videantur, & videtur aliud ad dignitatem, aliud ad miserationem protulisse. *Servius.*

Troës te miseri.] Collecta ratione principiorum, quibus mores incolarum vituperat, & reginam laudat, purgat Trojanos, ne violentiam juste passi esse videantur. Ergo quam cito, & quam evidenter expressit personam & fortunam. *Donatus.*

Miseri.] Per hoc ostendit, miseros nihil audere posse, vel potuisse contra Didonem. *Idem.*

Ventis vecti.] Ergo non sponte venerant. *Idem.*

Troës te miseri, &c.] Habet cum oratione Ilionei ejecti maximam affinitatem oratio ejectarum mulierum, apud Plautum in Rudent. quæ oratio habita ad sacerdotem. ita enim illæ,

Nunc tibi amplectimur genua, egentes opum,
Quæ in locis nesciis nescia spe sumus,
Ut tuo recipias tecto, servesque nos,
Miserarumque ambarum uti misereat,
Quibus nec locus ullus, nec spes parata est.
Neque hoc amplius, quam quod vides, nobis quicquam est.

Cerda.

Ventis maria omnia vecti.] Per maria; & est contra illud, sicut dictum est, cur ad Africam venerint. *Servius.*

Ventis maria omnia vecti.] Alibi flexu isto, *acti fatis maria omnia circum.* Cerda.

525. *Prohibe.*] Simili brevitate summam petitionis ponit justam, & sine præstantis detrimento, quibus vel durissimus flectatur. Posita autem sunt tria, ne incenderentur naves: voluntatem, & necessitatem abeundi; & casu venisse. *Donatus.*

526. *Parce*

Parce pio generi, & propius res aspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere prædas.
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra

526. *Parce pio generi.*] Quotiens invidiosæ sunt præsentes personæ, rhetoricum est, ad alias confugere: ut hoc loco confugit ad *genus*. Servius.

Pio generi.] Reus erit, qui pio nocebit: & major nostra est pietas, quod illam natura sanguinis ducti, non constricti lege, servamus. *Donatus.*

Et propius.] Id est, vicinius, ut tanquam victi accipiantur: nec tales omnes credantur, qualis Paris fuit in Spartæ expugnatione, raptuque Helenæ. nam hoc veritas rei habet: non voluntate Helenam secutam, sed raptam, expugnata urbe: unde & recipi meruit à marito. Tangit autem hoc latenter Virgilius illo loco: *Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter.* Ergo bene non *nos*, sed *res nostras* dixit. *Servius.*

Propius res aspice.] Tertia petitio generalis: ut quicquid ad commodum nostrum spectat præstes. Quam rem honestius non ponendo, per species amplexus est. *Donatus.*

Propius.] Id est, vicinius & amicius, tanquam dea nos respice ac defende. Nam & in Ecl. 1. *præsentes deos*, intelligit propitios. Et *Respicere*, interdum opem ferre significat: ex quo Romanis culta est *Fortuna-Respiciens*. ut supra dictum. *Taubm.*

527. *Populare.*] Quia apud Veteres hæc erat maxime causa navigandi. Sane antiqui & *populo* & *populor* dicebant: unde est *populare*: &, *Populatque ingentem farris acervum Curculio.* Nunc tamen passiva tantum utimur declinatione. quidam *populare*, pro ad populandum vel populatum accipiunt. *Servius.*

Populare venimus.] Eadem locutione utitur Ter. Phorm. 1. 2. 52. *voltisne eamus visere.* sic Hec. 1. 2. 114. *it visere.* consulendus de Hellenol. Vechner. l. 1. c. 7. *Emmeness.*

Non nos aut ferro.] Præmitti interdum refutatio solet ante confirmationem, & adhuc ante narrationem, ut hoc loco, in Miloniana, in aliis. Huic etiam loco similis ille lib. 6. *Nullæ hic insidiæ.* & Ovidii 10. Met. apud quem Orpheus:

—— *non hic ut opaca viderem*
Tartara descendi, nec uti villosa colubris
Terna Medusæi vincirem guttura monstri.

Quibus præmissis, causam aggreditur, *Causa viæ est conjux.* Similis quoque locus Petronii:

—— *non sanguine tristi*
Perfusus venio, non templis impius hostis
Admovi dextram, sed inops, & rebus egenis,
Attritus. Cerda.

528. *Ad litora.*] In antiquis aliquot codicibus, *à litore* legitur: hoc est ab ora litorali in naves. Sed minime displicet *ad litora*: quia per continentem fieri solent excursiones: indeque prædam ad litus vertunt. *Pierius.*

Vertere.] Pro avertere. *Servius.*

529. *Non ea vis animo.*] Argumentum ab impossibili; sicut dictum est.ut, *Quid Troes potuere? vis* autem est possibilitas, hoc est, nec volumus, nec possumus. *Idem.*

Victis.] Voluntatem & facultatem ipsis detrahit uno verbo, *victis*. His enim utrumque deest. *Taubm.*

530. *Est locus.*] Comparatione orbis totius, Italia locus est. Nam provincia, locus non potest dici, & deest *quem*, vel quem locum, sicut ibi, *Urbs antiqua fuit.* Aut ideo locus, ut ostendat parvo posse esse contentos. *Servius.*

Est locus.] Et locorum & hominum Carthaginis plena deformatio, sed non

Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ:
Oenotri coluere viri: nunc fama, minores

Italiam

aperta. Dicit ergo, tendebamus in Italiam fertilem terram, & potentem fortibus viris, & bonis. Itaque non venissemus ad solitudines has, & ad feros homines, nisi tempestate coacti. Ergo non est studium in nobis violentiæ inferendæ. Descriptio autem naufragii movet misericordiam. Et cum omnia violentiæ, quæ objici possent, purgarit, retorquet invidiam in calumniantes, usus anticategoria. Dicit enim non nos fecimus, sed tui in innoxios violenti fuerunt. *Donatus.*

Est locus.] Versus ex illo Ennii factus:

Est locus, Hesperiam quam mortales perhibebant.

Et repetuntur hi quattuor Æn.3. Comparatione autem Orbis totius (inquit Servius) Italia locus est: nam Provincia *locus* non potest dici. Minus autem est, quam ut; *Urbs antiqua fuit.* Vel ideo, *locus:* ut ostendat, parvo posse esse contentus. Porro docet *Sulpitius Victor,* Narrationem fieri apertam magis, si à recto casu incipiat. cujusmodi multæ sunt Ciceronis narrationes, ut pro Milone: *P. Clodius cum statuisset, &c.* Pro Quinctio: *C. Quinctius fuit, &c.* Pro Cluentio: *A. Cluentius habitus fuit pater, &c.* Quod & Poëta noster observavit. *Taubm.*

Hesperiam.] Hesperiæ sunt duæ: una, quæ Hispania dicitur, altera, quæ est in Italia. quæ hac ratione discernuntur: aut enim Hesperiam solam dicis, & significas Italiam: aut addis ultimam, & significas Hispaniam, quæ in occidentis est fine: ut Horatius, *Qui nunc Hesperia sospes ab ultima.* Et hæc est vera Hesperia, ab Hespero dicta, stella occidentali. Cæterum Italia, *Hesperia* dicitur à fratre Atlantis, qui pulsus à germano, Italiam tenuit: eique nomen pristinæ regionis imposuit, ut Hyginus docet. *Servius.*

Graji cognomine dicunt.] Bene Graji ut & ipsa cognoscat, sicut in octavo, *Electra (ut Graji perhibent) Atlantide cretus.* Idem.

531. *Antiqua.*] Nobilis: nec enim nova esse potest, licet primam terram suam esse dicant Athenienses. *Idem.*

Antiqua.] Nam à Saturno & Jano fuit habitata. vel, *Antiqua,* id est, nobilis est Italia: quia (ut addit)

——*potens armis, atque ubere glebæ.*

Uber autem proprie est fœcunditas: ut & Hom. οὖθαρ ἀρούρης dixit, ἀντὶ τῆς μαθώδος γῆς. Eustath. interpretatur τὸ πιότατον καὶ τροφιμώτατον μέρος τῆς γῆς. Et recte laudat Italiam: ne Africam de industria petiisse videantur. Quis enim pro fertili sterilem eligat terram? *Taubmannus.*

Potens armis.] Dicendo *potens armis,* Trojanos laudavit, ut ostenderet, non se bellicorum timere provinciam. *Servius.*

Ubere glebæ.] *Uber* proprie est fœcunditas. Et bene Italiæ virtutem fœcunditatemque collaudat: ne Africam petisse videantur. *Idem.*

532. *Oenotri.*] Deest *Quam.* OEnotria autem dicta est, vel à vino optimo, quod in Italia nascitur: vel, ut Varro dicit, ab *OEnotro, rege Sabinorum.* Alii partem Italiæ: OEnotrium tradunt, ex Arcadia in Italiam venisse cum Pelasgis, & eam sibi cognominem fecisse. *Idem.*

Oenotri coluere viri.] In antiquis codicibus fere omnibus, *Oenotri* per synæresim, non *OEnotrii,* scribitur: quia syllaba media est ω μέγα, οἰνώτριος. hujusmodi vero Synæreses soluta etiam oratione fieri sæpius in antiquis inscriptionibus observavi: ut illud Romæ juxta ædem D. Basilii, VINICIA PRIMIGENIA MATER FILIS SVIS. *Pierius.*

Oenotri.] Ab Oenotro, Sabinorum rege, dicti, qui in ea Italiæ parte regnavit septendecim ætatibus ante bellum Trojanum. De quo Plinius, Cato, Dion. Halicarnassæus, Lycophronis Interpres, Aristot.

Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
Huc cursus fuit.
Cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion
In

Aristot. lib. 7. Polit. (unde Virgilius totum hunc locum interpretatus notatur à Nannio) aliique varia tradiderunt. Recte autem è MSS. (ejusdem Nannii sententia) *Oenotri* legitur, non *Oenotrii:* cum & Græcis Οἰνωτροὶ dicantur. *Taubmannus.*

Fama.] Subaudimus, *est.* Servius.

Minores.] Majores & minores, quotiens de genere dicimus, numeri sunt tantum pluralis. *Idem.*

533. *Italiam.*] *Italus* rex Siciliæ ad eam partem venit, in qua regnavit Turnus; quam à suo nomine appellavit *Italiam.* Unde est, *Fines super usque Sicanos.* Non usque ad Siciliam (nec enim poterat fieri) sed usque ad ea loca, quæ tenuerunt Sicani, id est, Siculi à Sicano, Itali fratre. Alii *Italiam* à bubus, quibus est Italia fertilis, quia Græci boves *Italos*, nos *vitulos* dicimus: Alii à rege Ligurum Italo; alii à Corcyreo; alii à Veneris filio, rege Lucanorum; alii à quodam Augure, qui cum Siculis in hæc loca venerit, quamque his regionem inauguraverit * plures alare tenar in pote desatura. Minois regis Cretensium filiam Italiam dictam. *Idem.*

Ducis de nomine gentem.] *Italus*, Rex Siciliæ ad eam partem venit, in qua regnavit Turnus: quam à suo nomine Italiam appellavit: ut quidem vult Servius: sed alii aliter. Videatur Hadr. Junius, lib. 1. cap. ult. & Plinius lib. 3. cap. 5. ubi etiam de ubertate Italiæ pertractat, ut & Livius lib. 2. Belli Pun. J. Scoppa legit,

—— *nunc fama minorum Italiam, &c.*

Taubm.

534. *Huc cursus fuit.*] Vel iste cursus, vel pro illuc; Et *cursus* verbum nauticum est, ut alibi, *Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.* Servius.

Huc cursus fuit.] Nequaquam placet, quod in codicibus aliquot legitur, *hic cursus fuit*: hoc est, hæc navigatio: nam finis desideraretur, ad quem locum. *Pierius.*

Huc cursus fuit.] Hoc est primum hemistichium, & imperfectus versus, qui occurrit in Virgilio. Sunt qui putent, versus istos detruncatos, qui in hoc vate visuntur, factos ita ex studio ad sui gloriam, ut qui sciret, fore neminem, qui posset implere. Alii rursus putant, eos non suppletos, Vate morte intercepto, & argumento est, nullum tale reperiri in Bucolicis & Georgicis, quibus imposita extrema manus, quod beneficium Æneidi non accidit. Nannius l. 6. Miscell. plures hujusmodi versus ex scripto codice replet, quos omitto, ut qui putem meras esse assutelas, & ociosi alicujus impendium. *Cerda.*

535. *Cum subito.*] Si *subito fluctu*, nomen est; si per se *subito*, adverbium. *Servius.*

Adsurgens fluct. nimb.] Orion rex, cum filios non haberet, à Jove, Neptuno & Mercurio, vel, ut quidam tradunt, non à Neptuno, sed Marte, quos hospitio susceperat, hortantibus, petit ut sibi filios darent: illi, intra corium immolati sibi bovis urina facta, præceperunt, ut, completis maternis mensibus solveretur. Quo facto, inventus est puer: cui nomen ab urina impositum, ut οὐρίων diceretur. Quod Dorica lingua commutatum est: ut *ου* diphthongus in *ο* verteretur. Quod autem plerumque prima syllaba brevis invenitur & hoc loco, cum sit natura longa, Græcæ rationis est. Nam detractio fit *υ* literæ, & *ο* remanet brevis: quo modo ὄρεα τε σκιόεντα, pro ὄρεα: & πόνσον, pro ποίνσον. Et hoc quia aut *ω* est naturaliter longa, aut *ȣ* diphthongus. Cæterum si sit in proprio nomine dichtonos, ut omnes Latinæ sunt: propriorum nominum abutemur licentia, ut in artibus lectum est. Hic vero *Orion* postea

In vada cæca tulit, penitusque procacibus austris,
Perque undas, superante salo, perque invia saxa
Dispu-

postea venator factus, velut trium parentum viribus fisus, cum Dianæ vim vellet inferre, ut Horatius dicit, ejus sagittis; ut Lucanus, immisso scorpione, occisus est; sed deorum miseratione inter sidera relatus, signum, famosum tempestatibus, fecerunt. Verisimilius autem est, à scorpione interemptum: oriente enim uno, alter occidit. Hoc signum ibi est, ubi hyades circa frontem tauri. Sane ipse Orion magnitudine sua multis oritur diebus, & ideo ejus etiam apud peritos est incerta tempestas. unde dictum est, *Adsurgens*, ad excusationem non prævisæ tempestatis. Et multi superfluo quærunt, cur ortus commemoretur Orionis; cum sit à Junone immissa tempestas. Sed Ilioneus ista non novit, quæ à poëta supra dicta sunt, per Musam, ut diximus, cognita. Et constat numina, nisi inventa occasione, nocere non posse. Quod in omni suo opere Virgilius diligenter observat. Bene autem *nimbosus*, quia & ortu suo & occasu tempestates commovet; sicut ait Horatius, *Quæ tristis Orion cadit.* & quia hoc signum ibi est ubi * sicles circa frontem tauri. *Servius.*

Cum subito, &c.] Id est, ex improviso oriens. Nam Orion sua magnitudine multis oritur diebus: atque ob id apud peritos rei nauticæ incerta est ejus tempestas. Hoc autem modo excusat Ilioneus suos naucleros, qui eam tempestatem non ptoviderint. Manilius in Sphæra barbarica:

—— *Orion magni pars maxima cæli.*

Utrumque enim hemisphærium obsidens secundum longitudinem obtinet partes XVII. secundum latitudinem partes XXX. De quo & Jos. Scaliger in Commentario Maniliano. De tempestatibus autem, grandine & procellis, quæ ab horridis sideribus, Arcturo, Orione & Hœdis exeunt, tractat Plin. lib. 18. cap. 28. & alibi. Porro multi quærunt, cur ortus commemoretur Orionis, cum sit à Junone immissa tempestas. Sed Ilioneus ista non novit, quæ à Poëta superius dicta sunt, per Musam cognita. *Taubm.*

536. *In vada cæca.*] Incognita, latentia. *Servius.*

In vada cæca.] Syrtes intelligit. supra:
In brevia & Syrtes urget (miserabile visu)
Illiditque vadis —— Taubm.

Cæca.] Ἀπρόοπτα. Lucr. *Corpora cæca*, quæ cerni nequeant. ita Strabo fluvios multos τυφλοςόμους appellat. *Taubmannus.*

Procacibus austris.] Perseverantibus. Et *procax* proprie *petax* est. Nam *procare* est *petere*. Unde & *proci* petitores dicuntur. Alii *procacibus*, impudentibus tradunt. *Servius.*

Procacibus austris.] Id est, obstinate urgentibus ac perseverantibus, & subinde suum in nos flatum repetentibus. *vel*, (ut Scaliger lib. 4. 16.) impudentibus atque immisericordibus. Petaces enim auferunt sua importunitate. Lucret. l. 6. translatione gemina dixit:
—— *perscissa furit petulantibus Euris.*
Et Horat. 1. Od. 26. *protervos ventos.* Quæ à Græco fonte cadunt. Nam & Eupolis, apud Pollucem, ventum impotentem & furiosum vocat ἀσελγῆ. *Taubm.*

537. *Perque undas, superante salo.*] Elevato mari, & in undas diviso, ut solet in tempestate. *Servius.*

Salo.] Venit ab eo, quod est *salum, sali.* Nam sale tabentes, ab eo quod est, hic *sal salis.* Idem.

Salo.] Quid sit *salum* proprie, apparet ex vetere Poëta, apud Tullium in Tusc. *Nec tam ærumnose navigassem salo.* Cicero ipse in Verr. *Quadriremem in salo fluctuantem reliquerat.* Itaque *salum* est, ubi naves fluctuant, nec tutæ sunt. Probe itaque Lambinus: *in salo, id est, in alto mari, undarum ac fluctuum pleno, minimeque à ventis tuto.* Cerda.

Salo.]

Diſpulit. huc pauci veſtris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenæ.
Bella cient, primaque vetant conſiſtere terra.

Si

Salo.] Eſt mare altum. ut hoc ex Corn. Nep. videas. V. 2. c. 8. *at ille clariſsimi viri captus miſericordia, diem noctemque procul ab inſula in ſalo navem tenuit, &c.* Emmeneſſ.

Perque invia ſaxa.] *Invia*, id eſt, aſpera, immania. Unde & paulo poſt Dido, *Quæ vis immanibus applicat oris?* Non enim ſuos vituperat: ſed naturam litoris culpat. *Servius.*

538. *Diſpulit.*] Diſperſit. *Idem.*

Diſpulit.] Non multum diſtat locus Pindari, od. 11. Pyth. μή τις ἄνεμος ἔξω πλȣ ἔβαλεν· *me ventus quiſpiam extulit extra curſum navigationis.* Nec contextus Philoſtrati lib. 7. de vita Apollonii, cap. 17. ubi ait, quaſdam navium demerſas in tempeſtate, quaſdam depulſas ad fretum Siculum. *Cerda.*

Huc pauci.] Vult intelligi, ut quidam tradunt ſupereſſe & alios qui ſunt ... futuri vindices, ſi iſti fuerint læſi; nam hoc eſt, quod ait. *Servius.*

Pauci.] Et miſericordiam captat, & ſuſpicionem violentiæ removet. *Donat.*

Adnavimus oris.] Elegit verbum aptum naufragio, ad eliciendam miſericordiam: quamvis & de navibus *natat* lectum ſit: ut, *Natat uncta carina.* *Adnavimus*, adnatavimus, per ſyncopen. Quotiens ſyllaba de medio ſubtrahitur; & bene *adnavimus*, quaſi vix & oportune. *Servius.*

Adnavimus.] Frigidum & exile eſt, quod in pleriſque codicibus antiquis *advenimus* legitur: ſed in verbo *adnavimus* difficultas, calamitas, & clades apparent, quæ miſeratione commoveant. *Pierius.*

539. *Quod genus hoc hominum.*] Rhetorice vituperaturus mores, non ad Didonem loquitur, ſed ad tertiam ſe confert perſonam. *Servius.*

Quod genus.] Sub querelis & accuſatione Tyriorum, ſuam tenet laudem: nam qui alienos mores graviter reprehendit, ab iis ſe alienum demonſtrat. Adeo autem diſplicent mores, ut nomen non inveniat. Omnes enim feros immanitate vicerunt Tyrii. *Donatus.*

Quod genus hoc hominum.] Fortaſſe ab Furio, qui Annal. 6.

Quod genus hoc hominum Saturno Sancte create?

Cerda.

Quod genus hoc.] Rhetorice, vituperaturus mores, non ad Didonem loquitur, ſed ad tertiam ſe confert perſonam. Figuratur autem Oratio admiratione pathetica, quam & Interrogatio vehementer exauget. *Taubm.*

Quæve hunc tam barbara m. P.p.] Bene mores accuſat terræ, ut inhumanitas patris potius eſſe videatur. *Servius.*

Quæve hunc tam barbara.] Cujus regionis eſt tam ſæva barbaries, quam eſt tua. Nomen ergo, quo eos appellaret, non invenit. Exemplum non reperit, quod erat gravius. Potuiſſent enim defendi ſimilitudine alterius gentis. *Donatus.*

540. *Hoſpitio prohibemur arenæ.*] Ut alibi, *Litusque rogamus innocuum.* Litus enim jure gentium commune omnibus fuit, & occupantis ſolebat ejus eſſe poſſeſſio. Cic. in Roſciana: *Nam quid eſt tam commune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis,* unde oſtenduntur crudeles, qui etiam à communibus prohibeant. *Servius.*

Hoſpitio arenæ.] Quid ergo facerent, ſi humano more tectorum peteremus hoſpitium? *Donatus.*

541. *Cient.*] Id eſt, movent. Et bene *cient* & *vetant*, permanet in certa perſona, ne eos in hoc barbaros & immites

Si genus humanum & mortalia temnitis arma;
At sperate deos memores fandi atque nefandi.
Rex

mites appellare videatur. Sane in principio modestius, hic jam commotius. *Servius.*

Bella cient.] Non patiuntur, sed inferunt: nec leviter prohibent, sed bellantium more utuntur armis. *Donat.*

Bella cient.] J.C. Scaliger lib. 4, 16. docet, *Ciere*, verbum grave esse: ut & *Moliri.* Taubm.

Prima terra.] Litore. ut alibi: *Tuque ô cui prima frementem Fudit equum magno tellus percussa tridenti.* Servius.

Prima terra.] Vel, quæ prima naufragos ceperat post naufragium, & captat misericordiam. Vel, *prima*, id est, litus, quæ terra prima est è mari egressis: ut societ illud, *hospitio prohibemur harenæ.* Cum autem de Tyriis, conqueritur etiam de Didone, quæ illos regit. Deinde, relicta hac subtilitate, aperte Didonem taxat, cum dixit: *Temnitis & sperate.* Et non, *temnunt & sperant.* Donatus.

542. *Si genus humanum, &c.*] Similis Catulli gnome ad Alphenum, epigramm. 31.

Si tu oblitus es, at Dii meminerunt, meminit Fides,
Quæ te, ut pœniteat postmodo facti, faciet, tui.

Sententias duas Sophoclis, ad idem spectantes, jam Germanus conjunxit. Neque abludit ista Pindari, od. 1. Olymp.

—— εἰ δὲ θεὸν
Ἀνήρ τις ἔλπεταί τι λαθέ-
μεν ἔρδων, ἁμαρτάνει·

Si quis hominum sperat Deum latere quidpiam faciens, fallitur.

Cerda.

Mortalia arma.] Mortalem possibilitatem. Sane per *arma*, etiam consilia significantur: ut, *Quærere conscius arma.* Servius.

Si genus humanum & mortalia.] Vetera quædam exemplaria legunt absque copulativa particula, *Si genus humanum, mortalia*, per appositionem, venustate tamen haud quaquam pari cum priori lectione. *Pierius.*

Temnitis.] Pro *contemnitis*, per aphæresin dictum, quæ est cum prima verbi syllaba detrahitur. Alii *mortalia arma* pro humanitate accipiunt. Sed terret hoc loco latenter, propter Siciliam. Nam & paulo post ait, *Sunt & Siculis regionibus urbes.* cum unam habeant, in qua Acestes regnat: sed ad terrorem, *urbes* dixit. *Servius.*

543. *At sperate Deos.*] Abusive, timete: ut alibi, *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.* Cum speremus bona, timeamus adversa. veteres tamen *sperare* dicebant Deorum auxilio co.... Plautus in Milite, *Deos sperabo, teque postremo tamen.* In Casina, *Diis sum fretus, Deos speravimus.* Sane oportune post blanda principia ista ponuntur. prodest enim nonnunquam subtiliter objurgare, quem roges. *Idem.*

At sperate Deos.] Id est, Metuite ac timete deos justi injustique memores. Jam, *sperare*, hac ἀκυρολογία (quanquam Jac. Nic. Loensis Miscell. l. 2, 23. Atticismum esse multis probat) ter usus est Poëta. Æneid. 11.

Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt
Tempore, cum ferro, &c.

Et 4. Æneid.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Cum bona speremus; timeamus adversa. Statius Theb.

—— hunc retro conversum ac tela petentem
Dum spes nulla necis, crinito à vertice figit.

Ubi *spes* pro metu ponitur. Observatum est, Ciceronem pro Sex. Roscio, quam Orationem juvenis habuit, *sperare* etiam ad hunc modum usurpasse: & Platonem lib. 6. de Legibus, ἐλπίζειν, *Timendum* dixisse. Notavit & P. Manutius lib. 5. Epist. Famil. 1. verbum *sperare,*

Rex erat Æneas nobis, quo juſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello major & armis.
Quem ſi fata virum ſervant, ſi veſcitur aura
Æthe-

ſperare, in rebus, quas minime volumus, nonnunquam uſurpari. Ita Ter. Andr. act. 2, 2. *Nam quod tu ſperas, propulſabo facile*, id eſt, times. Quanquam hoc alii aliter explicare conantur. Porro, bene dixit Poëta, *memores:* nam dii etſi non ſtatim puniunt crimina; ſunt tamen memores. Horat. 3. Od. 2.

— Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Taubm.

Sperate.] Hunc me locum citare memini Ecl. 8. ꝟſ. 26. Thucydidis Scholiaſt. ἐλπίζειν non ſolum de bona re dici, ſcribit, ſed de cujusvis rei exitu & eventu. Sic Suidas, Thomas magiſter & Moſchopulus pro προσδοκᾷ Attice poni notant. *Emmeneſſ.*

Memores fandi atque nefandi.] Id eſt, juſtitiæ & injuſtitiæ. Et bene *memores:* quia etiam ſi non ſtatim puniant crimina, ſunt tamen memores. ut Horatius, *Raro antecedentem ſceleſtum Deſeruit pede pœna claudo:* & dicendo *fandi atque nefandi*, ſignificat, pro ut meriti fueritis. *Servius.*

544. *Rex erat Æneas.*] Bene medio verbo uſus eſt *Erat*; nam ſi *fuit* dixiſſet, fiduciam habuiſſe videretur. *Idem.*

Rex.] In hoc virtutes animi laudat, ſcilicet juſtitiam & pietatem: & corporis, ſcilicet fortitudinem, quæ eſt in exercitatione bellandi. Vult enim pro benefactis conſimilem vicem promittere, quæ eſt à juſtitia & pietate: & pro injuria ultionem, quæ eſt à fortitudine. *Donatus.*

Rex erat, &c.] Cum laudes Æneæ prædicet, poſito Æneæ ipſius nomine, videtur ad ejus etymon alludere, dictus enim ἀπὸ τοῦ αἴνου, καὶ αἰνεῖν. ita monet Julius Scal. additque, non audiendum Homerum, qui ait, Æneam ſic dictum, quaſi αἰνὸν, triſtiore vocabulo. Calaber laudes Æneæ has attingit, κρατερόφρονος Αἰνείαο. & θρασὺ σθένος Αἰνείαο. & Αἰνείας ἐρίθυμος. quibus illum commendat ut fortem, ut validum, ut magnanimum. Sed præſertim alluſum ad Homeri verſum, quem omnibus Iliados anteferendum eſſe, judicabat Alexander,

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς,
κρατερός τ' αἰχμητής.

ubi una cum bonitate adjungitur militaris virtus. *Cerda.*

Quo juſtior alter Nec pietate fuit.] Multum intereſt inter juſtitiam & pietatem. Nam pietas pars juſtitiæ eſt; ſicut ſeveritas. Nunc ergo hoc dicit, qua parte ſit juſtus, id eſt, pietate. Et bene duo laudat in Ænea: pietatem, quam à Didone impetrare contendit: & virtutem, qua vult eum timeri. & certe quoniam & beneficium referre poteſt & vindicare. *Servius.*

545. *Bello major & a.*] Non eſt iteratio: nam bellum & conſilium habet. Hoc eſt, ſcientia rei militaris. Arma autem tantum in ipſo actu ſunt, id eſt, viribus dimicandi, ut aliud animi, aliud corporis ſit. *Idem.*

Nec bello major & armis.] Non eſt iteratio. Nam *Bellum* & conſilium habet; *Arma* tantum in actu ipſo ſunt. ut intelligat eum & Sapientem Imperatorem, & Fortem eſſe militem: ut de Agamemnone Hom.

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.

Taubm.

546. *Quem ſi fata virum.*] Unum ſenſum in tres partes diviſit; & potuit reprehendi, idem dixiſſe, niſi oſtenderet eum libenter voto ſuo immorari, tale eſt illud, *Si numina veſtra Incolumem Pallanta mihi ſi fata reſervant.* Servius.

Quem ſi fata virum.] Quam pulchre variando (idem ſi vivit) tripliciter profert.

Ætheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris;
Non metus, officio nec te certasse priorem
Pœni-

fert. Magna autem arte parva petit, & magnam remunerationem promittit, & audientem terret. Nam cum demonstramus, posse multum prodesse, intelligitur asserere, posse & multum nocere, si res exigat: hoc modo, si Æneas vivit, nihil nobis est metuendum: sin contra, habemus Acestem regem, magnum, & opulentum viris, armis, divitiis. His ergo proponit spem, & ingerit metum. *Donatus.*

Si vescitur aura.] *Vescor* verbum inchoativum est, sine præterito tempore, & quod à se nascitur: *Vescor illa re* dicimus, ut alibi, *Vescitur Æneas simul & Trojana juventus Perpetui tergo bovis & lustralibus extis.* Nec nos decipiat quod dicit Plinius, ut elocutiones ex similibus formemus. Nam ecce, *comedo illam rem* dicimus: nec tamen *vescor illam rem.* Et ipse dicit, non usquequaque hoc esse servandum. Sane hic *vescitur*, pro *fruitur* posuit. *Servius.*

Si vescitur aura.] Apulejus libro de Mundo: *sinceriore interdum luce vescitur.* Accium in Athamante: *Priusquam infans esset, facinus oculi vescuntur tui.* Pub. Syrum Mimorum scriptorem: *malevolus semper sua natura vescitur.* Senecam in Oedip. qui pari metaphora dixit, *haustus puri ætheris.* Cerda.

Vescitur aura.] Est, quod supra dicebat, *Carpere vitales auras.* Scalig. lib. 4. cap. 16. *Vesci* verbum vetus est. Sic Cicero, *vesci voluptatibus.* Lucret. lib. 5.

Nam quæcunque vides vesci vitalibus auris.

Etiam Græci dicunt: βόσκεται πνεύματι. Jam dignitatem phraseos, *crudelibus occubat umbris*; pro mori, & seorsim verbi, *occubat*, notavit idem Scaliger. *Taubm.*

Vescitur aura.] Frequenter apud Homerum ἀρούρης καρπὸν ἔδοντες. sic Horat. l. 2. od. 14.

Vesci munere terræ.

Emmeness.

547. *Ætheria aura.*] Quia animam aëre, corpus cibo, potione & cæteris diligenter nutrimus. *Servius.*

Neque adhuc.] In bona codicum antiquorum parte, *neque adhuc* legitur: quod nescio quid mollius & suavius sonat, quam *nec adhuc.* Pierius.

548. *Non metus.*] Hoc loco distinguendum est. Cujus autem rei, ex sequentibus probat. Nam vult eam non timere: ne inaniter præstet. Alii non metus officio legunt, & hunc sensum dicunt; non metuo pro officio nostro, id est, non timeo, ne non sit unde satisfaciam officio, ac parem gratiam reddam. *Servius.*

Non metus.] Mediceus codex, & aliquot alii *nec metus* legunt: Sed omnino *non* acceptius. *Pierius.*

Officio nec te certassè priorem Pœniteat.] Nec tibi parum videatur prima beneficia præstitisse: quum possis majora recipere. Nam *Pœniteat*, parum videatur est: ut Terentius in Heautontimorum. *At enim quantum hic operis fiat pœnitet.* Hoc est, parum videtur. Sane, *Certasse*, provocasse accipiunt. ut Terentius, *Beneficiis si certasset.* Beneficium autem est, quod Græci τὸ καθῆκον appellant. Cicero de Marcello, *Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate præsertim aliqua, aut pravitate lapsis, sed opinione officii falsa fortasse, certe non improba.* Serv.

Officio nec te certasse priorem pœniteat.] Id est, non est metuendum: *Charisius.* Ita Græci, οὐ φόβος. & Demosth. οὐ δέος ἐστί: pro, οὐ φοβητέον ἐστί. Variè autem legitur hîc versus:

Non metus: officio nec te c. Item:
Non metus officio: nec te cert. pr.
Item:
Non metus, officio ne te certasse priorem Pœniteat.

Ut

Pœniteat. ſunt & Siculis regionibus urbes,
Armaque, Trojanoque à ſanguine clarus Aceſtes.
Quaſſatam ventis liceat ſubducere claſſem,
Et ſilvis aptare trabes, & ſtringere remos.

Si

Ut dicat: Haud equidem vereor, ne te pigeat pœniteatque in nos officia aliqua contuliſſe, aut potius, beneficiis Æneam provocaſſe. Atque ita legit & explicat cum Serv. Fuld. Turnebus lib. 10. cap. 11. & lib. 26, 23. Ita Terentius: *Benè dictis ſi certâſſet, &c.* *Officium* autem eſt quod Græci τὸ καθῆκον appellant. *Taubm.*

Nec te pœniteat.] Maroniani genii locutio, qui Ecl. 2. ℣ſ. 34.

Nec te pœniteat calamo triviſſe labellum.

non, *ne te.* Emmeneſſ.

549. *Sunt & Siculis region. urb.*] Id eſt, gratiam reddere poſſumus, arma latenter minatur. *Servius.*

Sunt & Siculis.] Præoccupatio ad id, quod dici potuiſſet: ſi autem periit Æneas, quis referet gratiam? ideo ſubdit: In Sicilia Trojanos eſſe, qui gratiam poſſint referre. De Aceſte Rege Siciliæ videatur Servius, & Virgil. 5. Æneid. *Taubm.*

550. *Trojanoque à ſanguine c. A.*] Bene *Trojano*, ut neceſſe habeat; ſi paſſi fuerint injuriam vindicare, quod in principio bene tacuit. De Aceſte autem fabula talis eſt: Cum Laomedon promiſſam murorum mercedem Neptuno & Apollini denegaſſet: Neptunus iratus, Trojæ immiſit cetos, per quos vicina litoris vaſtabantur. Unde Apollo conſultus, cum & ipſe iraſceretur; contraria reſpondit, dicens, Objiciendas puellas nobiles belluæ. Quod cum ſæpe fieret, & Laomedontis Heſiona jam eſſet ad ſcopulum, orta ſeditione, religata; nonnulli parentes peregre mittere filias, quam domi perdere maluerunt, nam alii avehendas mercatoribus tradiderunt, timens Ippoteus vel Ipſoſtratus filiam Egeſtam, impoſitam navi miſit, quo fors tuliſſet. Et hæc ad Siciliam delata à Crimiſo fluvio, quem Crinifum Virgilius, Poëticâ licentia, vocat, converſo in urſum, ut alii in canem, compreſſa edidit Egeſtum, quem Virgilius Aceſtem vocat, qui ex matris nomine civitatem Trojanis condidit: quæ ante *Egeſta*, poſt *Segeſta* dicta eſt. *Servius.*

551. *Quaſſatam ventis.*] Quamvis ſit juſta petitio, tamen prope invidioſe oſtendit, quam ſit res, quam petit, exigua. *Idem.*

Quaſſatam ventis.] Ingerit ſummam petitionis, non oneroſam danti ſcilicet, ut liceat in ſilvis reſarcire convulſas naves: ut poſſint, ſi vivat Æneas, in Italiam tendere: ſin autem non vivat, in Siciliam. *Donatus.*

Subducere.] In terram ducere, hoc eſt, ſubductam curare. *Deducere* autem, in mari ducere: ut, *Deducunt naves ſocii.* Servius.

Subducere.] *Subducere*, eſt quod Cæſar, *ad terram detrahere* dixit. *Deducere*, eſt in mare mittere: ut 3. Æn. *deducunt ſocii naves.* Ita etiam à Græcis ἀνέλκειν & καθέλκειν, item κατάγειν & ἀνάγειν uſurpatur. *Taubmannus.*

552. *Aptare.*] Aptas eligere: legitur & *optare*; ſed utrumque eligere ſignificat, vel *aptare*, adjungere, vel affigere, ut, *Stellis ardentibus aptum.* Servius.

Stringere remos.] Aut defrondare: ut agricolæ ſtringunt frondes: aut *Fractos ſtringere remos*, id eſt, religare, quia ſupra dixerat, *Franguntur remi.* Idem.

Aptare trabes.] Id eſt, trabes navibus aptas legere. *Stringere* autem *remos*, eſt ligna defrondare ad remos faciendos: aut ligna incidere, ex quibus remi fiant: aut fractos ſtringere

Si datur Italiam, ſociis & rege recepto,
Tendere, ut Italiam læti Latiumque petamus,
Sin abſumta ſalus, & te, pater optime Teucrûm,
Pontus habet Libyæ, nec ſpes jam reſtat Iuli;
At freta Sicaniæ ſaltem, ſedeſque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Aceſten.
Talibus Ilioneus. cuncti ſimul ore fremebant

Dar-

remos, id eſt, ligare. Æn. 4.

Frondenteſque ferunt remos & robora ſilvis
Infabricata, fugæ ſtudio —
Taubm.

553. *Sociis & rege recepto.*] Syllepſis eſt per numeros: ut, *Hic illius arma, Hic currus fuit.* Servius.

555. *Sin abſumta ſalus.*] Hoc eſt, ſi periit Æneas, qui vel Trojanorum ſalus eſt. *Idem.*

Pater optime.] Mira laus, cum & patrem & optimum dicit. *Idem.*

Si te pater.] Ex apoſtrophe captat commiſerationem Didonis. *Donatus.*

Sin abſumta ſalus, &c.] Mirus eſt ubique Poëta. Sicut ſupra Æneæ vitam triplici modo concepit, ſic nunc tres alios modos adducit ad exitium explicandum: *Si abſumpta eſt ſalus, ſi pontus Æneam habet, ſi nulla eſt ſpes Iuli*; involvit quippe filii fata cum paternis. Phraſin arripuit Ammianus lib. 31. *Spem omnem abſumptam*, uterque fortaſſe à Plauto, qui Moſtell. *abſumpta res, abſumpti ſumus.* Cerda.

556. *Nec ſpes jam reſtat Iuli.*] Bene de Aſcanio ſpem dicit, propter ætatem. ut, *Aſcanium ſurgentem*, &, *Spes ſurgentis Iuli.* Sane & hic tribus immoratur, quæ metuit, ut ſupra in voto. *Servius.*

Spes jam reſtat.] *Spes Iuli*, id eſt, Iulus, Poëticâ circuitione. Et bene de Aſcanio *ſpem* dicit; propter ætatem. Etiam Caſaubon. ad Perſium notat, Sat. 2. *Spes* Latinis familiare eſſe, pro pueritiâ aut juventute: item pro puero ac juvene. Ita Seneca apud Tacitum: *Quartus decimus annus eſt, Cæſar, ex quo ſpei tuæ ſum admotus.* Ita Perſius *ſpem macram*, infantem vocat tenellum. *Taubm.*

557. *At freta Sicaniæ.*] Bene receſſuros ſe dicunt. *Servius.*

Freta.] Quia freto à Sicilia dividitur Italia. Sane quidam à *Fervore* dici putant, & Sicanos quidam αὐτοχθόνες tradunt, quia ex Hiberia profugos de nomine fluminis Sicoris, quem reliquerant Sicani, nominaſſe. *Idem.*

Sedeſque paratas.] Propter Aceſtis cognationem. *Idem.*

558. *Regem.*] Aut qui nunc rex eſt: aut qui etiam noſter futurus eſt. *Idem.*

559. *Talibus Ilioneus.*] Aut ſubaudis *loquebatur:* aut ex poſterioribus *fremebat* intelligis. *Idem.*

Ore fremebant.] Hoc eſt, conſentiebant, aut probantes Ilionei dicta, aut rogantes Didonem. & bene *Ore.* quia & armis poſſumus fremere. *Idem.*

Cuncti ſimul.] Solvit Græcum ξύμπαντες, redditque verſum è lib. 1. Il.

Ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν
Ἀχαιοί.

Poëta conjungens duo hæc, *cuncti ſimul*, explicuit, qui ſint propriè *cuncti*, ut vero Noſter, *fremebant*, in exitu ſermonis, ad indicandum aſſenſum. ita Livius lib. 39. *Cum fremitus poſt eam vocem ortus, & tandem ſedatus eſſet.* & lib. 4. *Fremitus ortus cum aſſenſu.* Philoſtratus lib. 2. Sophiſt. βόμβον inducit ad aſſenſum, & laudem. At Tacitus de Germanorum moribus ſcribit, illos fremitu indicare, quid diſpliceat & aſpernentur: quid probent, concuſſio-
ne

Dardanidæ.
Tum breviter Dido, vultum demiſſa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri: ſecludite curas.
Res dura, & regni novitas me talia cogunt
Moliri,

ne framearum: longe alii, quos jam dedi, & Græci etiam, de quibus Xenoph. 5. ἀναβ. ταῦτα ἀκούσαντες οἱ στρατιῶται, ἀνεθορύβησαν, ὡς εὖ λέγοι. ubi milites excitato ſtrepitu indicant, rectè dictum. *Cerda.*

Fremebant.] Teſtatur hoc verbum aſſenſum. Eo utitur noſter l. 10. ỳſ. 96.

Talibus orabat Juno, cunctique fremebant
Cælicolæ aſſenſu vario.

Pro eo Ovid. in indignatione lib. 1. ỳſ. 199.

Confremuere omnes.

Emmeneſſ.

561. *Tum breviter Dido.*] Atqui non breviter loquitur: ſed breve & longum, parvum & magnum, perfectum nihil habent: ſed per comparationem intelliguntur: ut ſupra de provincia. Eſt locus, orbis (ut diximus) comparatione. Item hoc loco *Breviter*, id eſt, minus quam Ilioneus. Et notandum regum eſſe breviloquium, accedit etiam fœminarum verecundia, unde utrumque dedit Didoni. *Servius.*

Breviter.] Poteſt intelligi propter perſonam locuturæ mulieris, & ſermonem facturæ ad viros incognitos. *Donat.*

Vultum demiſſa.] Nota figura eſt, ut, *Oculos ſuffuſa nitentes.* dicendo autem *Vultum demiſſa*, aliud genus officii adjecit. *Servius.*

Vultum demiſſa.] Non ſolum propter verecundiam muliebrem, verum etiam propter objecta: & eo magis erubeſcebat, quod nec barbara fuit. Artificioſe autem non negat, quæ manifeſta ſunt, ſed purgat. *Donatus.*

Vultum demiſſa.] Erubeſcentis indicium, quod probatur in pudica. Sic de Thetide Stat. Achill. l. 1.

Dixerat. Illa gravi vultum demiſſa repulſa.

Quod Græci κατωπιᾷν, κατηφεῖν. in impudicis hæc nota certiſſima, quæ amant *loqui recta facie*, ut Juvenal. Sat. 6. ỳſ. 400. *Emmeneſſ.*

562. *Solvite corde metum, Teucri.*] Sicut ſupra Jovis oratio, partim objecta purgat: partim petita promittit. nam in Æoli oratione ſtatim promittit. Sciendum ſane, quia cum petuntur, vel promittuntur aliqua, à validiſſimis inchoandum eſt: ut hoc loco. Præcipue qui pollicetur, ſtatim debet promittere, deinde ſi qua vult ſubjungere, ne exſpectatione ſuſpenſus detineatur auditor. Et eſt genus argumenti à neceſſario. *Servius.*

Solvite.] Paucis ſecuros reddit, ut cætera libentius audiant. *Donatus.*

Solvite corde metum, Teucri: ſecludite curas.] In antiquis pleriſque codicibus *metus* legitur, numero multitudinis: & in longe pluribus, *ſeducite curas*: tamen *ſecludite* agnoſcit Servius. *Pierius.*

Secludite curas.] Iteratio eſt ad augmentum benevolentiæ. hoc eſt, ad confirmandum ſupplicium animum. *Servius.*

Secludite.] Pro *excludite*: quod fit, aut propter hiatum, aut propter ſuavitatem: ut, *Ah ſilice in nuda connixa reliquit.* pro, *enixa.* Idem.

563. *Res dura.*] Ac ſi diceret, hoc eſt, quiddam metuo: formidabat vicinos barbaros, & fratris adventum. quæ propter novitatem perſonarum, adventum generaliter dicens reliquum, oportebat ex aliqua parte enuntiari domus calamitatem, vel ideo *res dura*, quod fœmina eſt. *Idem.*

Et regni novitas.] Quæ ſemper habet timorem. *Idem.*

Regni novitas.] Errant, qui rem duram, & novitatem regni unum putant.

Moliri, & late finis custode tueri.
Quis genus Æneadûm, quis Trojæ nesciat urbem,
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni:
Nec

Nam rem duram, interitum mariti, & metum fratris intelligit, ne regnum adhuc infirmum invaderet; sed nec expressit, ne narrando, quod Teucros latebat, vulnus antiquum refricaret, & scelus domus suæ detegeret. Consuluit etiam Poëta negocio suo, ne quod per Venerem narraverat, iterum ponat. *Donatus.*

Regni novitas.] Et regni novitas semper habet timorem & difficultates. Ita Æschylus: ἅπας δὲ τραχὺς ὅς τις ἂν νέον κρατῇ. Pertinet autem ad illud:

Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbara, &c.

Taubm.

Cogunt.] Exprimit, quæ fecisset, esse à sua natura aliena, ut custodia litorum non ad inferendam injuriam, quod conqueritur Ilioneus, sed ad propulsandam posita videatur. *Donatus.*

564. *Moliri.*] Bene non facere, sed moliri: ut terroris sit, non crudelitatis. *Servius.*

565. *Quis genus Æneadum.*] Satis propere dixit *Æneadas*: quanquam ab Ilioneo audierit, *Rex erat Æneas nobis.* Nec hæc in opere inemendato, miranda sunt. Quamvis alii prolepsim velint esse. *Idem.*

Quis genus.] Ostendit benevolentiam, ut credatur vera dixisse. Ut turbatos, congruæ honorificentiæ ratione componeret: Novimus, inquit, virtutes vestras, & adversam Trojæ fortunam: quæ cum dicit, humanitatis spem præbet. Facile enim his succurritur, quorum adversa nota sunt. *Donatus.*

Quis Trojæ nesciat urbem.] Aut Ilium dicit, quod in Troja, aut *Trojæ urbem*; ut *urbem Patavi, urbem Buthroti.* Servius.

566. *Virtutesque virosque.*] Pro, *virtutes virorum*: ut superius; *Molemque & montes*, id est, molestos montes: ἓν δὶς. *Taubm.*

Incendia belli.] Aut vocat ardorem simpliciter belli, quia semper diluvio & incendio comparatur bellum: ut, *In segetem veluti cum flamma furentibus austris Incidit: aut rapidus montano flumine Torrens.* & alibi, *Sævis effusa Mycenis Tempestas ierit.* Aut potest subtilius dictum accipi, quod Ilium conflagravit incendio. *Servius.*

Aut tanti.] Antiqui plerique codices, *aut tanti*, legunt, pro, *&c.* *Pierius.*

567. *Non obtusa adeo.*] Multum, vel valde, ut in Terentio, *Adolescentem adeo nobilem.* Et, *Si adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.* Aut enim *adeo*, ut tu dicis, ut Trojanorum famam ignoremus. *Obtusa* non stulta, id est, crudelia, ut merito Sol equos suos ab ista urbe divertat. *Servius.*

Non obtusa adeo.] Non sunt corda nostra ab humanitate aliena, nec sic vivimus, ut Solis æquitas à nobis avertat cursus suos, propter facinus, quod videat. *Donatus.*

Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni: nec tam aversus equos Tyria sol jungit ab urbe.] Ut id prætercam, quod in Romano codice, *obtunsa* scriptum est, more suo *n*, littera superflua: quodque in Longobardico, & aliquot aliis, *adversus*, non *aversus* legitur, contra peritiorum omnium sententiam: Id me magis movet, quod ad explicationem sententiæ, hæc mihi videntur consideranda. Quæ gerantur in aliqua orbis parte, triplici potissimum de caussa solemus ignorare. Aut quia res ipsæ, vel earum auctores, ob humilitatem, non satis digni sint, de quibus aliquis solicitus esse debeat: Aut quia tam stupido

Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit ab urbe.
Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaque arva,

Sive

pido & obtuso ingenio simus, ut nos mortalia non tangant: & res gestas, magna quantumlibet admiratione dignas, negligamus: Aut propter locorum longinquitatem: unde fiat, ut ad nos fama nondum pervenire potuerit. His omnibus occurrit Dido, quum dicat neminem jam esse, *qui genus Æneadum, qui Trojæ nesciat urbem:* quantaque virtute viri illi præditi fuerint, & quam late belli ejus incendium se diffuderit. Mox subjungit, se corde præstare, & eo valere ingenio, ut res mortalium perpendere potuerit: idque illud est, *Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni.* Quod vero tertio loco expetitur, de locorum intercapedine, addit Tyrum, ubi se postea de Trojanis audisse dicet, Teucro narrante: non esse ita in extremis terræ partibus sitam, nec tam à circulo, quem sol ambit, vel à Trojano parallello sepositam, ut propter immensa locorum intervalla fama tantarum rerum eo pervenire nequiverit: eoque spectat versus ille, *Nec tam aversus equos Tyria sol jungit ab urbe.* Hæc memini M. Antonium Sabellicum, præceptorem meum, ex Veneta cathedra docuisse: Ne tamen, etsi ea placeant, Servii sententiam rejiciamus: Ovidii monet Parodia, qui in eandem sententiam dixerit in amoribus, *Aversumque diem mensis furialibus Atrei.* Quem enim *diem* posuit Ovidius, Maro *solem* apertius nominavit. *Pierius.*

Non obtusa adeo, &c.] Non ita crassa nobis sunt ingenia: nec adeo obtusi & hebetes ignarique sumus. Obtusiores enim putantur esse, qui longius ab aurâ Solis & tepore incolunt: ut populi septentrionales. Quod annotârunt Corradus, & Turneb. lib. 18. cap. 32. Quibus assentiuntur hodie docti fere omnes. Philosophi certe gentium mores & studia ubique temperie plagarum & Sole metiuntur. Ita & Lucanus:

Quicquid ad Eoos tractûs mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia cæli.

Quamvis hæc Philosophorum sententia possit vellicari. Servius vero cum Donato, *obtusa pectora*, interpretantur non *stupida*; sed *crudelia*: referuntque ad fabulam de Atreo & Thyestâ: quorum hic filios fratri epulandos apposuit. quod facinus Sol abominatus, ne pollueretur, aufugit. Quam sententiam, quia ad confutationem objectorum faciat, tolerari posse, Nascimbænius censet: alteram tamen illam meliorem esse. Jacob. etiam Pontanus Jesuita, præfert Servii sententiam: ne Poëta binis versibus idem dicat. Denique J. C. Scaliger lib. 3, 26. illum versum,

Non obtusa adeo, &c.

quasi sententiam laudat. Et lib. 5, 16. alterum;

Nec tam aversus equos, &c.

imaginem quandam esse ait illorum Statii 1. Thebaid.

—— quid nota recondis?
Scimus ait. nec sic aversum fama Mycenis
Volvit iter.

Taubm.

568. *Nec tam aversus equos Tyria sol jungit ab urbe.*] Hoc est, non in alio orbe habitamus. Sed fabula hoc habet: Atreum & Thyestem germanos, cum in dissensione sibi nocere non possent, in simulatam gratiam rediisse: qua occasione, Thyestes cum fratris uxore concubuit; ob quam causam Atreus fratris filium adposuit epulandum: quæ Sol ne videndo pollueretur, radios suos ab ea civitate detorsit. Sed veritatis hoc est: Atreum apud Mycenas primum Solis eclipsim invenisse, cui invidens frater, ab urbe discessit tempore, quo ejus probata sunt dicta. *Servius.*

569. *Seu vos Hesperiam magnam.*] Μεγάλη enim ἑλλὰς appellata est Italia,

Sive Erycis finis, regemque optatis Acesten;
Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo.
Vultis & his mecum pariter considere regnis?

Urbem

lia, quia à Tarento usque ad Cumas, omnes civitates Græci condiderunt. *Serv.*

Seu vos Hesperiam.] Prosequitur summam beneficiorum suorum: propositis respondet, ut, quocunque ire voluerint, auxilio prosequatur. *Donatus.*

570. *Sive Erycis fines.*] *Eryx* Veneris & Butæ filius, ut quidam Neptuni, fuit: qui præpotens viribus, advenas cestibus provocabat, victosque perimebat; hic ab Hercule occisus est, monti ex sepultura sua nomen imposuit. In quo matri fecerat templum: quod Æneæ adscribit Poëta, dicens, *Tum vicina astris Erycino in vertice sedes Fundatur Veneri.* In hoc autem monte dicitur etiam Anchises sepultus: licet secundum Catonem ad Italiam venerit. Ergo *Erycis fines*, id est, Siciliam. *Servius.*

Sive Erycis fines.] *Eryx*, Veneris & Butæ filius; qui occisus ab Hercule monti ex sepulturâ nomen imposuit: in quo matri ingens templum condiderat: quod Poëta Æneæ adscribit 5. Æn. Unde & Venus dicitur *Erycina.* Atque in hoc Siciliæ monte Anchises etiam sepultus traditur. Hodie ab incolis *Mons S. Juliani* appellatur. *Taubm.*

571. *Auxilio Tutos d.*] Non sine ordine Poëta inducit Didonem, & credentem ignotis, & tam facile tanta promittentem; si enim bene advertatur, de illo loco pendet, *Inprimis regina quietum Accipit in Teucros animum mentemque benignam.* Servius.

Auxilio tutos.] Benignitate suâ Trojanorum petitum atque adeo omnem spem superat. Nam cum illi hospitium extremi tantum litoris petiissent, & materiam sarciendæ classis: Dido ad summam usque liberalitatis quasi lineam excurrens, & auxilium hominum & opes ultrò ipsis pollicetur; si velint abire: sin manere, usum ditionis suæ communem, immo ipsius urbis, quam sibi ædificabat, possidendæ facultatem offert. Cave autem putes, Trojanos in regni societatem à Didone vocatos: quod vult Donatus. Namque hoc nec verisimile est, nec fieri solet: cum regnum duos non capiat. Quanquam id in Æneâ, lib. 4. legatur fecisse:

Æneam regni demens in parte locavi.

Sed locavit ibi, ut maritum. Nunc vero non est tam demens, ut multos, eosque non plane cognitos, in regni portionem vocet. *Taubm.*

572. *Vultis & his mecum.*] Deest, *vel si.* Servius.

Vultis.] Ecce plena benevolentia, ut in societatem regni eos vocet, qui omnia desperarint. *Donatus.*

Mecum pariter.] Ita Cic. Verr. septimâ: *Siculi mecum pariter molestè ferunt.* Taubm.

Considere.] Ita in 4.

Nec venit in mentem, quorum consederis arvis.

Propertius lib. 1. eleg. 8.

Athraciis considat in oris.

Cerda.

Vultis & his mecum pariter considere regnis.] Missum facio *consistere* in codicibus aliquot antiquis scriptum, quod parum est in tantis pollicitationibus. Nam *considere* omnino quid longe majus pollicetur. Id potius adnotandum, quod in Romano codice, non *regnis*, sed *terris* legitur. Nempe quod nonnulli pertinacius defendunt, ad asperitatem evitandam, quæ est in concursu *re*, syllabæ geminatæ. Sed hoc etiam parum esset: quia potius viderentur in servitutem addicti: neque ille concursus uniformium syllabarum in *re* præsertim litteris duobus ultimis pedibus declinatur à Poëtis: ut, *Avertere Regem. Toto certatum est corpore regni. Loricamque manu valida lacerare revolsam.*

Neque

Urbem quam ſtatuo, veſtra eſt. ſubducite naves.
Tros Tyriuſque mihi nullo diſcrimine agetur.
Atque utinam rex ipſe noto compulſus eodem
Adforet

Neque enim numero comprendere refert, & ſexcenta hujuſmodi. Dicendo vero *regnis*, ſocietatem pollicetur, ut proclivius eos alliciat promiſſorum magnitudine: Nam & Iarbas inferius lamentabitur ſua connubia repudiata, ac dominum Æneam in regna receptum. & ipſa etiam objiciet Dido, *ejectum, Litore egentem ſuſcepi, & regni demens in parte locavi.* Quare omnino *conſidere regnis*, legendum. *Pierius.*

573. *Urbem quam ſtatuo, veſtra eſt.*] Multi Antiptoſin volunt, accuſativum pro nominativo, ut ſit *urbs quam ſtatuo*, quæ ſi ſic intelligamus, *Quam* nihilominus ſequitur: & ſylepſis fit, per caſus mutationem. Debuit enim dicere, *urbs, quæ ſtatuitur, veſtra eſt.* Melius ergo eſt *Vultis* bis intelligere, ut ſit, *vultis regnis conſidere? vultis Urbem quam ſtatuo? veſtra eſt.* ut eſt, *Eruet ille Argos Agamemnoniaſque Mycenas, Ipſumque Æacidem:* ſubaudis *ille*. Alter enim Pyrrhum vicit: alter Mycenas. Quamvis hoc Schema de antiquioribus ſumptum poſſimus accipere; ait enim Cato in legem Voconiam, *Agrum quem vir habet tollitur.* Et Terent. *Eunuchum quem dediſti nobis, quas turbas dedit.* Servius.

Veſtra eſt.] Auget ſtudium benevolentiæ, offerens plenam facultatem poſſidendæ urbis. Lege autem, ne ſit error: *Quam ſtatuo urbem veſtra eſt.* Donatus.

Urbem quam ſtatuo, veſtra eſt.] Quidam corruptas editiones & Diomedis opinionem ſecuti, afferunt hoc tanquam certiſſimum Antiptoſis exemplum: ut ſit, *Urbem* pro *Urbs* poſitam. Cum tamen doctiores quique per interrogationis notam hæc ita conforment:

Urbem, quam ſtatuo? veſtra eſt.

ut ſit ζεῦγμα, à ſuperiori verſu connectens ſequentem: &, *Vultis*, bis repetatur, hoc modo interrogans: *Vultis mecum regnis his conſidere?* immo, *Vultis urbem, quam ſtatuo?* Deinde reſpondeat; *veſtra eſt.* Proinde ac ſi diceret: ſi vultis conſidere in illâ ipsâ urbe, quam ædifico, veſtra eſt. Atque ita legit hæc & explicat, præter cæteros, eruditiſſimus Donatus, in Phorm. Ter. act. 5. ſc. 8. Atque ipſe adeo Servius. Videatur & G. Fabricius, & Diſputatio H. Stephani in Schediaſm. Virgiliano. Facit autem Poëta Didonem hîc vaticinantem; Carthaginem Romanis ceſſuram: quod à Trojanis originem duxerunt. *Taubm.*

Quam ſtatuo.] Eodem verbo utitur Ovid. l. 7. Metam. ℣ſ. 240.

Statuoque aras è ceſpite binas.

Emmeneſſ.

574. *Tros Tyriuſque.*] Mire temperavit, dicens, Trojanos cum incolis uno futuros affectu, ut honorifica juxta hoſpites, non illos poſtponeret. Neve rurſus dejiciens ſuos, qui ex Tyro illam ſecuti erant, inter populos inimicitias excitaret. *Donatus.*

Agetur.] Regetur. *Servius.*

Agetur.] Id eſt, regetur: ita Servius, Corradus, H. Stephan. aliique. Vult igitur ipſa eſſe illorum Regina, non eis regni partem tradere. Etiam Græci τὸ ἄγειν ſic accipiunt. Plato: ἄγειν ἐν ἴσῃ τιμῇ. ἄγω σεμνότερον ὑμᾶς, *vos præ aliis honoro.* &, διὰ τιμῆς ἄγω: Pimpontius. Æneid. 10.

Tros Rutuluſve fuat, nullo diſcrimine habebo.

Taubm.

575. *Atque utinam.*] Dicendo *utinam* & humanitatem ſuam oſtendit, & Æneæ ſe cupidam. *Servius.*

Atque utinam.] Quia viderat Trojanos anxios de rege, optat adventum, & offert inquiſitionis auxilium, & ut

Adforet Æneas! equidem per litora certos
Dimittam, & Libyæ lustrare extrema jubebo;
Si quibus ejectus silvis, aut urbibus errat.
His animum arrecti dictis, & fortis Achates,
Et pater Æneas, jamdudum erumpere nubem
Arde-

satiaret oblati beneficii gratiam, addit: *Libyæ lustrare extrema jubebo.* Et in hoc loco ostendit Virgil. non solum Carthaginem, sed multas alias civitates esse sub Didone. *Donatus.*

Noto compulsus eodem.] Aut quovis vento: aut revera Noto, qui de Syrtibus Carthaginem ducit. Supra enim Ilioneus; *In vada cæca tulit, penitusque procacibus austris.* Servius.

Eodem.] O naturaliter longa est: sed si corripiatur, metri est, ut, *Steteruntque comæ.* Idem.

Compulsus.] Notat hoc verbum vim tempestatis. adpelluntur, qui ad loca destinata perveniunt, impelluntur, vel compelluntur, qui non voluntate sua ac sponte adpelluntur, sed tempestate deferuntur, ut *compulsi* greges, id est, in unum coacti. Vide Salmas. Exercit. Plinian. p. 1117. *Emmeness.*

576. *Adforet.*] Adveniat, temporis est futuri. *Servius.*

Equidem.] In Virgilio, *ego quidem* ubique significat, sed in aliis & pro *quidem* tantum ponitur: ut Tullius, *Ego quidem cæteras tempestates.* Item Persius, *Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo Consentire dies.* Idem.

Certos.] Veloces: qui cito inveniant, aut fideles. Utrumque enim hoc loco significat. Contrario, *incertos* pro *tardis.* Salustius, *Et onere turrium incertis navibus.* Aliquando & firmos: ut idem, *Apud latera certos locaverat.* ut Virgilius, *Tam certa tulistis Pectora.* Et aliquando deliberati judicii, ut, *Certus iter.* Idem.

Certos.] Quibus unum tantum incumbebat negotium investigandi Æneæ. Videndus Hadrianus Cardinal. de Lat. serm. qui Ciceroni familiare probat hoc vocabulum esse. *Emmeness.*

577. *Libyæ lustrare.*] Καταχρηστικῶς. Nam Dido Libyæ regna non retinet, sed ut ostendat voluntatem, ait, libenter se misisse, qui Æneam quærerent. *Servius.*

578. *Ejectus.*] Naufragus: ut, *Ejectum litore egentem.* Idem.

Urbibus.] Vicinis, non autem Didonis. Neque enim regna Libyæ tenebat Dido: quod ei exprobrat Hiarbas, 4. Æn.

Fœmina, quæ nostris errans in finibus urbem
Exiguam pretio posuit.

Taubm.

579. *His animum.*] Cum jam omnia tuta esse explorassent, statuunt se offerre, ne illa inquirendi negotium assumat. *Donatus.*

Animum arrecti.] Nota figura est. *Servius.*

His animum arrecti.] J. C. Scaliger: *Arrecti* potius dixit, quam *Erecti.* Tantum valet tum Vocalis illa, tum geminatio Consonantis. Ita supra,

—— *arrectis auribus adstant.*

& 2. Æn.

Arrecta pectora serpentum.

Taubm.

Et fortis Achates.] Venuste geminatur Copula *Et.* Idem.

580. *Pater Æneas.*] J. C. Scaliger lib. 5. c. 3. Quod Virgilius *patrem* vocat Æneam multis in locis: id eo modo faciat, quo dictum est cognomen Jovi: quippe *Jovem Patrem*, sunt venerati: propterea quod (ut ait Porphyrius) ad eum omnes familiæ referentur: sic *Æneam patrem* vocat, qui Romanorum principium esset: quod & manifestius 12. Æn. *At pater Æneas Romanæ stirpis origo.* Præterea cum in Augusti gratiam conderet Opus istud; voluit

Ardebant. prior Ænean compellat Achates:
Nate dea, quæ nunc animo ſententia ſurgit?
Omnia tuta vides: claſſem, ſocioſque receptos.
Unus abeſt, medio in fluctu quem vidimus ipſi
Submerſum: dictis reſpondent cetera matris.
Vix ea fatus erat, cum circumfuſa repente
Scindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum.

Reſtitit

voluit ejus quoque acta attingere. Idcirco in *Clypeo* multa: & in 1. & in 6. & in 3. illud,

Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.

Et ſcimus, ejuſmodi cognomen adſciviſſe ſibi. Legimus etiam in numiſmate, quod habemus, AUGUSTUS PATER. Ita vides, nullum epitheton in noſtro Poëta otioſum: cum Homeri ſæpe ſint frigida, aut puerilia, aut locis inepta. quid enim convenit Achilli flenti, πόδας ὠκύς? *Hæc ille.* Xenophon: *Bone Cyri, bonus Princeps nihil differt à bono Patre.* Idem.

Jamdudum.] Et cito, vel quamprimum ſignificat, ut, *Jamdudum ſumite pœnas.* & *olim:* ut hoc loco. *Servius.*

Jam dudum erumpere nubem.] In codicibus aliquot antiquis, *abrumpere* legitur. Sed quia conſilium eſt ex obſcuro, clauſoque loco in apertum, & clarum prodire, magis placet *erumpere*, ut in Mediceo, & pleriſque aliis. Signant vero Grammatici elocutionis genus, quum accuſativus jungitur verbo, cui ſit coalita præpoſitio, quæ ablativum ſejuncta ſibi depoſcebat. *Pier.*

Erumpere nubem ard.] Erumpere è nube: ruptâ nube exire ardentiſſimè cupiebant. Ita active & Tibullus:

Fontibus ut dulces erumpat terra liquores.

Et Cic. ad Attic. *Ne in me ſtomachum erumpant.* Alii l. *abrumpere.* Taubm.

581. *Prior Æneam.*] Τὸ πρῶτον. Minor majoris ſententiam quærit. *Idem.*

582. *Nate dea.*] Quia inferior, non proprio nomine appellat, ſed honorifico. Et quamvis prior loquatur, nihil jubet, aut conſulit. Sic enim Æneæ prudentia inferior fuiſſet, & ille arrogans, ſed interrogat tanquam prudentiorem. *Donatus.*

Nate dea.] Periphraſtice *Æneas* dicitur. Sed neſcio quid majus concipi videtur! inquit Scal. lib. 3. cap. 77. *Taubm.*

Surgit.] Oritur. Eſt tranſlatio corporis ad animum: ut alibi, *Stat conferre manum Æneæ.* Servius.

583. *Omnia, claſſem ſocioſque receptos.*] Sylepſis per numeros. *Idem.*

Receptos.] De maris periculo liberatos; ut, *Frugeſque receptas.* vel à Didone, nam & ab ea timuerant, ut ſupra ait, *Lætitiaque metuque.* Idem.

Omnia tuta vides.] Ne prolixitate moram afferret, quam breviter omnia tranſit. *Donatus.*

584. *Unus abeſt.*] Orontem ſignificat. *Servius.*

Unus abeſt.] Orontes ductor claſſis Lyciæ, ſupra; *Unam, quæ Lycios, &c.* Taubm.

Quem vidimus ipſi Submerſum.] Quod ante doloris fuerat: ut, *Ipſius ante oculos:* nunc conſolationis eſt, cum cernit omnes incolumes. *Servius.*

585. *Dictis reſpondent cetera matris.*] Modo congruunt: quia dixerat ſupra, *Namque tibi reduces ſocios.* Alibi *reſpondet*, reſpicit: ut, *Reſpondet Gnoſia tellus.* Idem.

587. *Scindit ſe nubes.*] *Nubes* tantum dicimus, non *nubis:* licet dicamus *trabs trabes: ſtirps* & *ſtirpes, prex* & *preces, plebs plebes.* Sed de his tan-

Restitit Æneas, claraque in luce refulsit,
Os humerosque deo similis: namque ipsa decoram
Cæsa-

tum quæ legibus sunt ponenda. Non enim sunt artis ista, sed usurpationis: qua metri causa utuntur Poëtæ, ut vel minuant, vel augeant nominativum. Inde & *supellex supellectilis*. Serv.

Scindit se nubes.] Non ipsi ex nube progressi sunt, sed nubes discessit: ut ostendatur rerum natura commodis Æneæ inservire. Ergo tam diu fuit tectus, quamdiu opus fuit, deinde discessit nubes. *Donatus.*

Scindit se nubes.] Od. η. καὶ τότε δή ῥ' αὐτοῖο πάλιν λύτο θέσφατος ἀήρ. Videtur autem Poëta ὁμίχλην potius quam νέφος describere, si rata est differentia, quam inter *nubem* & *nebulam* lib. Meteor. I. constituit Aristot. nebula serenitatem, eodem auctore, portendente, his verbis: ἔστι δ' ἡ μὲν ἐξ ὕδατος ἀναθυμίασις, ἀτμὶς, ἡ δ' ἐξ ἀέρος εἰς ὕδωρ, νέφος· ὁμίχλη δὲ νεφέλης περίττωμα τῆς εἰς ὕδωρ συγκρίσεως, διόπερ σημεῖον μᾶλλόν ἐστιν εὐδίας, ἢ ὑδάτων. ἔστι γὰρ ἡ ὁμίχλη οἷον νεφέλη ἄγονος. *Germ.*

Et in æthera purgat a.] Quia aër collectus nubes fecit. ut, *Atque in nubem cogitur aër*, quæ puriore vento dissolvitur in aërem. *Servius.*

Et in æthera purgat apertum.] J. C. Scaliger hoc additamentum appellat divinum, lib. 5. c. 3. ubi totum hunc locum cum altero Ulyssex 7. & 23. componit, atque adeò præponit. ut & illum præcedentem, ubi Venus Æneam à Punicâ perfidia tegit:

At Venus obscuro gradientes, &c.

Jam, *apertum.* Nonius interpretatur *purum serenumque.* Taubm.

588. *Restitit Æneas.*] Abscedente scilicet nube. *Servius.*

Restitit.] Ut dictum est, sed pulchrior quam fuit. Nam hoc curavit mater propter Junonia auspicia. Comparat auro & argento, quæ cum per se splendeant, arte tamen meliora fiunt. Comparat deo, quia nepos Jovis est & Veneris filius, & Cæsaris perinde affinis, quem omni occasione Poëta laudat. Virorum autem forma & splendor corporis junguntur fortitudini. Pulchritudo enim sola plurimorum obfuit famæ. *Donatus.*

Restitit.] Idem quod simplex. Phædrus l. 1. Fab. 14. *cervus cum bibisset restitit.* Scefferum adi. *Emmeness.*

Claraque in luce refulsit.] Laus est nimiæ pulchritudinis, cui nec lucis claritas derogavit. *Servius.*

Claraque.] Dicit Æneam splendore suo, lucem diei fecisse meliorem. *Donatus.*

589. *Os humerosque Deo similis.*] Similes humeros habens deo. Et est Græca figura: ut diximus supra. *Servius.*

Humeros.] Ad fortitudinem. *Donatus.*

Os humerosque Deo similis.] Lubet hîc adnectere verba Isidori, è cap. 10. *Pulcher à specie cutis dictus, quod est rubens pellis* (quam hoc verum, non quæro) *postea transiit hoc nomen in genus. Nam pulchritudo hominis aut in vultu est, ut:* Os humerosque Deo similis: *aut in capillis, ut:* Namque ipsa decoram cæsariem: *aut in oculis, ut:* Lætos oculis adflarat honores: *aut in candore, ut:* Quale manus addunt ebori decus. Subjicit alia. *Cerda.*

Os humerosque Deo similis.] Id est, oris venustate, & humerorum latitudine: ut 2. Æn. Et hæc similitudo illius est generis, quod Græcis εἰκὼν dicitur. *Taubm.*

Os humerosque, &c.] *Os* pro *facie*, hoc loco, ut Non. Marcell. cap. 15. quantum humeri ad formam conferant docet Junius de pictura veterum lib. 3. p. 278. *Emmeness.*

Ipsa.] Aut quod sequitur, *Nato genitrix.* aut certe ipsa, id est, pulchritudinis dea. *Servius.*

Namque ipsa decoram.] Ad pulchritudinem pertinet. *Donatus.*

590. *Deco-*

Cæsariem nato genetrix, lumenque juventæ

Pur-

590. *Decoram Cæsariem.*] A cædendo dicta *cæsaries*. Ergo tantum virorum est. Quod autem dicit *decoram*, vult etiam in Ænea naturalem fuisse pulchritudinem: ne si totum tribuat Veneri, nihil Æneæ sit reliquum. vel contra, nihil relinquatur matris favori: quod sequens melius indicat comparatio. ut Horatius, *Fortes creantur fortibus*. Magna arte, nec eruditioni aliquid, nec natalibus derogat. *Servius.*

Cæsariem.] Volunt aliqui (in his Turneb. & Jul. Scalig.) repræsentatum à Poëta morem veterum Romanorum, quibus promissa coma. Morem istum firmabis ex Ovid. 2. Fast. qui *avos intonsos*, ex Horat. od. 15. lib. 2. qui, *intonsi Catonis*. De eodem Catone Lucanus lib. 2.

Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore
Cæsariem, duroque admisit gaudia vultu.
Ut primum tolli feralia viderat arma,
Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mœstamque genis increscere barbam.

Audis in Lucano, promissam quoque solitam barbam. Cui adnecte Livium lib. 5. *M. Papyrius dicitur Gallo barbam suam, ut tum omnibus promissa erat, permulcenti, scipione eburneo in caput incusso, iram movisse*. Eadem scribit Valer. Max. lib. 3. Sed redeo ad comas, quæ promissæ decori olim fuerunt. ad quam rem facit Apuleji locus, lib. 2. As. quem advocarem, nisi esset longissimus. Ex Artemidoro lib. 1. c. 19. clare colligas, id regibus & principibus ornatui fuisse: sicut ex Philosophis, ex Dione Chrysost. orat. 36. Nam prior ait, bonum esse regi ac principi, si somniet, habere se τρίχας μεγάλας. A posteriore inducuntur Philosophi, κομῶντες, καὶ τὰ γένεια ἀφήκοντες. Quando primum Romani desierint esse intonsi, lege in Plinio, lib. 7. c. 59. Sed cum dicat Scaliger, *cæsariem* esse rem militarem, firmabis hoc his, quæ dicam lib. 8. hic tantum accipe verba Livii, lib. 28. in descriptione P. Scipionis: *& præterquam, quod suapte natura multa majestas inerat, adornabat promissa cæsaries, habitusque corporis, non cultus munditiis, sed virilis vere, ac militaris.* Sed quid, si etiam repræsentatus mos ipsorummet Trojanorum, cum scribat Herodotus lib. 4. Maxyas (sunt hi populi Libyæ) solitos nutrire comam, saltem ad partem dextram capitis, nam sinistram radebant, & addit moris hujus rationem, quia prædicabant, esse se à Trojanis oriundos. *Cerda.*

Genetrix.] In Romano codice, *genetrix* media syllaba per *e* passim scriptum invenias. Eandem scribendi rationem in titulis antiquorum, marmoreisque monumentis non semel observavi, quin etiam in nummis, qui fuerint eruditis adhuc sæculis cussi, utpote *Juliæ Piæ*. ubi Venus est levæ hastæ innixa, dextera exporrecta cum inscriptione *Venus genetrix*. Romani enim genus à Venere propter Æneam, ejus filium, se ducere asseverabant: & Julia gens condente, dicanteque Julio Cæs. templum erexit *Veneri genetrici*: quod Plinius & Tranquillus tradidere. Vidimus autem Romæ scriptum, *genetrix* per *e*, non uno loco, in eo vero monumento maxime placuit, quod in hortis Caroli Stallæ habetur undecunque mutilatum: cujus quidem eam partem tantum, quæ ad rem, qua de loquimur, facit, hic inseruisse sufficiat:

PATER MEI ET GENETRIX GERMANA ORO ATQUO
DES IN ITE LVCTV QUESTV LACRVMAS FUNDERE
SEI IN VITA JVCVNDA VOBEIS VOLVPTATEI FVEI
VIRO ATQVE AMEICEIS NOTEISQVE OMNIBVS

Ne

Purpureum, & lætos oculis adflarat honores.

Quale

Ne verò quis hujuſmodi ſcriptiones, ut jam obſoletas, exigat, animadvertendum eſt Probum Grammaticum non temere obſervaſſe, *genitor* per *i*, & *genetrix* per *e* ſcribi: non ita autem in *Monitor* & *Monitrix*, quorum utrunque per *i* ſcribi conſtet. *Pier.*

Juventæ.] *Juventus* eſt multitudo juvenum. *Juventas* dea ipſa: ſicut Libertas. *Juventa* vero, ætas. ſed hæc à Poëtis confunduntur plerunque. *Servius.*

Juventæ.] Omnis venuſtas à Venere proficiſcitur, ſine qua nec *Juventas* nec *Mercurius ſatis comis*, teſte Horatio l. 1. od. 30. ſed non pro Dea, quæ *Hebe* etiam nominatur, & expreſſa numiſmate Auguſtin. tab. 45. at hic pro *ætatis flore* poſitum arbitror, de qua notione adeundus Torrent. ad Horat. loco citato. *Emmeneſſ.*

591. *Purpureum.*] Pulchrum, ut Horatius, *Purpureis ales oloribus.* Servius.

Lumenque juventæ purpureum.] Nempe & Pind. Nem. od. ζ. ἀγλαόγυιον ἥβαν vocat. Quod autem hîc Servius *lumen juventæ purpureum* pulchrum ſimpliciter interpretatur ex illo Horatii, quo olores purpurei dicuntur: certe ſpecialius accipiendum videtur: cum color & juventæ lumen fere pulchrum ſit; quod rubens & rubicundum ſubluceat: unde & ἥβη & ἀφροδίτη paſſim ἐρυθροπάρηος & φοινικοπάρηος vocitatur: & in Epigr. puella μιλτοπάρηος· & Anacreon pictorem admonet Bathylli genam & faciem referre & depingere his verbis: ῥοδίνην δ᾽ ὁποῖα μῆλον χνοίην ποίει παρειήν, ἐρύθημα δ᾽ ὡς ἂν αἰδῶς δυνάσαι βαλεῖν ποίησον. *Germ.*

Purpureum.] *Pulchrum.* locum Horatii illuſtrat Torrentius lib. 1. od. 1. à Servio monſtratum, & Erythræus in indice. in eo ſignificatu habuimus l. 1. G. ỷſ. 405.

Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.

Albinovanus: *brachia purpurea candidiora nive.* quam notionem probat Turneb. l. 15. c. 22. & l. 27. c. 10. *Emmeneſſ.*

Lætos honores.] Non terribiles, ut eſſe in viris fortibus ſolent. *Servius.*

Lætos oculis affl. honores.] Oculos ſedem amoris Poëtæ faciunt: & ob id *Cupidinis fores* appellant: deque iis fluere dicunt ἵμερον. Eſt autem ἵμερος deſiderium amatorium: item illud in oculis, quo intuentium amor conciliatur; quod *amoris illicium*, & *oculorum philtrum* dicitur. Docet autem Philoſtratus in Heroïc. Æneam talem adſpectum habuiſſe; ut eo milites, qui locum d
ſererent, retineret. Ita Sueton. de Auguſto c. 79. *Oculos habuit, claros & nitidos: quibus etiam volebat exiſtimari ineſſe quiddam divini vigoris.* Denique notatur à Servio, Reges ſemper formoſos deſcribi; ut dignitas & auctoritas magis ad ſui contemplationem obſervantiamque alliciat. Videatur & Jovian. Pontanus lib. *de rebus Cæleſtibus*: ubi hos verſus laudat, & inter cætera ait, Jovem in formâ efficere *dignitatem*, Venerem autem *venuſtatem*: quarum hanc pulchritudinis ſpeciem Cic. 1. Offic. *muliebrem* ducit, illam *virilem*. Taubm.

Lætos honores.] *Lætos*, id eſt, gratia plenos, interprete Non. Marcell. qui ἔνθεον διεμφαίνοντα, vel ut de Scipione Sil. Ital.

—— *flagrabant lumina miti*
Aſpectu, gratusque inerat viſentibus honor.

Sæpe *honor* pro nitore & pulchritudine, ut paſſim *florum, ruris, ſilvarum honores.* ſic Horat. de art. v. 243.

Tantum de medio ſumtis accedit honoris.

Sic Stat. Thebaid. l. 2. *Quantus honos*, id eſt, pulchritudo. & l. 2. Silv. *gentis optatus honos.* Emmeneſſ.

592. Ma-

Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam adloquitur, cunctisque repente
Inprovisus ait: Coram, quem quæritis, adsum
Troïus Æneas, Libycis ereptus ab undis.

O sola

592. *Manus.*] Vel artificis: vel ars ipsa. *Servius.*

Quale manus.] Egregie *manus* pro artifice, & exquisite. Homerus simpliciter χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνήρ· obvium ἀνήρ, non *manus.* obvium περιχεύεται, non, *addunt decus.* Ita censuit jam Scalig. Posuisse vero Virgilium *manum* pro artifice illustrari potest versu Martialis lib. 9. epig 60.

Pocula Mentorea nobilitata manu.

Cerda.

Addunt.] Bene *addunt,* quia & ipsa materies habet naturalem pulchritudinem. *Servius.*

Ebori decus.] *Ebur*, à *barro* dictum, id est, elephanto. ut Horatius, *Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris?* Sane naturam hujus nominis, nec derivatio, nec obliqui casus reservant. Et *eboris* enim & *eburneus* facit, non *eburis*: sicut *murmuris.* Idem.

593. *Pariusve lapis.*] Lapis Lydius nomine, qui apud Parum nascitur, & candidissimus est, ut in seq. x. *Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum.* Idem.

Parius lapis.] Fuit in pretio hic lapis ad res similes. Pausanias in Attic. simulacrum Veneris exhibet ex hoc lapide, opus Phidiæ. Apulejus Dianæ l. 2. as. *Lapis Parius in Dianam factus*, &c. Omitto loca alia, observata in Cedreno, Philostrato, Libanio. *Cerda.*

594. *Tum sic.*] Quid est *sic?* Et sui gratia præpotens, & matris auxilio. *Servius.*

Tum sic.] Debuit loqui prior, ut & se indicaret, & ageret gratias, & ut ostenderet se affuisse. *Donatus.*

595. *Inprovisus.*] Bene, quia majora nobis, & pulchriora solent videri, non paulatim aliqua, sed subito stupenda conspicere. *Servius.*

Inprovisus.] Ἀπροόπτος. *Germanus.*

Coram, quem quæritis adsum.] Hoc loco distinguendum. Nam si unum esset, *Adest* diceret, non *adsum.* Nonnulli ad personam, ut *coram viro: Palam* ad omnes referri volunt; ut, *palam omnibus.* Varro, *Coram, de præsentibus nobis, palam de absentibus dicit.* Sane *coram*, quidam adverbium putant, quia non subsequitur casus: quidam præpositionem loquentis, non casibus servientem. *Servius.*

Coram.] Uno versu omnibus respondet, ut properaret ad gratias agendas. *Donatus.*

Coram, quem quæritis, adsum.] Sic & Ulysses ex improviso se subulcis prodit Od. φ. ἔνδον μὲν δὴ ὅδ' αὐτὸς ἐγὼ κακὰ πολλὰ μογήσας, ἤλυθον εἰκοστῷ ἔτεϊ ἐς πατρίδα γαῖαν. *Germ.*

Coram, quem quæritis, adsum.] Silius lib. 2. non satis Poëtam expressit, cum cecinit,

Has inter species orbatum classe, suisque,
Æneam pulsum pelago, dextraque precantem
Cernere erat: fronte hunc avide Regina serena
Infelix, ac jam vultu spectabat amico.

Cerda.

596. *Ereptus.*] Liberatus, & utitur Poëta familiarius hoc verbo: *Eripe me his invicte malis.* Et, *Eripui fateor letho me.* Servius.

597. O so-

O sola infandos Trojæ miserata labores,
Quæ nos, relliquias Danaûm, terræque marisque
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo, socias. grates persolvere dignas
Non

597. *O sola.*] Propter Polymnestoris factum: qui fide violata, defecit ad Græcos. *Serv.*

Sola.] Laudat factum, quod sit sine exemplo, & occulte miratur inventam ibi requiem, unde periculum fuisset timendum: causas adventus, quia Ilioneus dixerat, præterit. *Donatus.*

O sola infandos.] Summa arte loquitur, & habet rationem loci, temporis, & personæ. Loquebatur Carthagine, urbe inimica, propter Junonem, & in templo ipsius, apud eam, quæ summam teneret imperii: & eo tempore, quo post naufragium terras cupiebat. Ergo nihil de Junonis factione conquestus est, gratias agit, nullum culpans. *Idem.*

Miserata.] Et *miseror* & *misereor* unum significant: sed *miseror* accusativum regit, ut hoc loco. Item; *Nec miseratus amantem est.* *Misereor* genitivum. Unde est, *Miserere animi non digna ferentis.* & facit participium *miseritus.* Servius.

O sola infandos.] Oratio generis Demonstrativi. Cujus artificium disce ex Rudolpho Agricolâ. Meminit & J. C. Scalig. lib. 11. Poët. Sed cur, *sola?* Cum τρωικὰς πόνους, ut eos etiam Euripides vocat, Venus passim, Apollo 6. Æn. Helenus 3. Æn. item Acestes, atque alii miserati sint. Respondetur: Illi fuerunt aut dii, aut propinqui. Dido autem *sola*, scilicet & inter mortales, & alienos. Seb. Corradus plures affert rationes: sed hæc mihi pollentior visa est. *Taubm.*

598. *Quæ nos relliquias Danaûm.*] Pro *Danaorum.* Si Trojanos significat, simpliciter intelligit: si ad se refert: quod Achillem evasit favore Neptuni. *Servius.*

Quæ nos relliquias Danaûm.] Reliquias terræ, reliquias maris. Danaum, quia infiniti perierant & urbs ceciderat. *Donatus.*

Terræque marisque.] *Terræ*; propter Cretensem pestilentiam. *Maris*; propter Orontis interitum. *Servius.*

Terræ.] Propter pestem Cretensem, qua multi perierant. *Donatus.*

Marisque.] Quia naufragio Orontes perierat. *Idem.*

Terræque marisque.] Ita supra; *Multum ille & terris jactatus & alto.* Taubmannus.

599. *Omnibus exhaustos.*] Sic Veteres dicebant *clade hausi*, id est, pertuli. *Servius.*

Casibus exhaustos.] Ostendit inopiam non esse originalem, quasi abjectæ personæ, sed fortunæ violentia provenisse. Docet, quæ sint curanda in laudibus. Nam imparem se in reciprocis beneficiis, ut debuit, demonstrat. Invenit tamen in hoc occasionem, à laudis officio non alienam. Qua multitudinem quoque Trojanorum laudaret, qui per orbem sparsi, exigui in numero Carthagine erant. *Donatus.*

Casibus.] Supra:

—— *tot casibus actos.*

Taubm.

Omnium egenos.] *Eget*, honestius genitivo jungitur, quam ablativo; cui jungit Cicero, ut, *Eget ille senatu.* Item contra Virgilius, *Quorum indiget usus.* Quidem autem *egenos* pro *egentes* dictum tradunt, nomen pro participio. *Servius.*

Omnium egenos.] Vide supra:

—— *sic nam fore bello, &c.*

Taubm.

600. *Urbe, domo, socias.*] Hoc est, publico & privato dignaris hospitio. *Servius.*

Urbe, domo.] Currit per amplificationem,

Non opis est nostræ, Dido: nec quicquid ubique est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.
Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitiæ est, & mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant. quæ te tam læta tulerunt
Sæcu-

nem, extollens præstitum in majus, ut non solum in hospitium suscepti sint, sed etiam in societatis fœdera vocati. *Donatus.*

Grates persolv.] Beneficia Didonis artificiose exaggerans, suas vires facultatesque, & cunctorum adeo Trojanorum, extenuat; statimque κατ' ἀντονομίαν, deos δωτῆρας ἐάων precatur, ut ipsi eadem velint compensare. *Taubmannus.*

601. *Non opis est nostræ Dido.*] *Opis*, id est, possibilitatis. Et secundum Atejum Philologum, *Opes* numero tantum plurali, *divitias* significant. ut, *Trojanas ut opes.* Numero vero tantum singulari, *auxilium.* Terentius, *Juno Lucina fer opem: serva me obsecro.* Ab utroque possibilitatem. *Servius.*

Non opis est nostræ.] *Res* vel *negotium* subaudito. Cæs. l. 1. de b. civ. *docent sui judicii rem non esse.* auctorem habes Sanctium in Minerva pag. 335. Cic. 4. Catil. c. 4. *non putet esse suæ dignitatis.* Emmeneß.

Nec quicquid ubique est.] Meminit historiæ. multi enim post excidium Trojæ, orbis diversa tenuerunt: ut Helenus Epirum: Antenor Venetiam: alii Sardiniam secundum Salustium: alii vicina Syrtibus loca, secundum Lucanum: *Portusque quietos Ostendit Libyæ Phrygio placuisse magistro.* Serv.

602. *Gentis Dardaniæ.*] Signate, Quoties Virgilius mentionem inducit errorum, & transmigrationum Trojanorum, ad Dardanum; ut plurimum confugit, qui ex Italia in Asiam migravit. Sic in 4. *colonos Dardanios* dixit, sunt enim coloni, qui è domibus suis egressi, alias sedes quærunt. & in 3. errones Trojanos oraculum alloquens, *Dardanidæ duri, &c.* Cerda.

603. *Di tibi.*] Quoniam beneficiis tuis singularibus, & in æternum præferendis, humana vox respondere non potest, Dii pro nobis, quæ mereris, exolvant. Ne omnem reciprocam vicem referendæ gratiæ omittat, deos rogat, ut quod ipse non potest, illi præstent. quod autem ipse potest, non tacebit. *Donatus.*

Si qua pios respectant numina.] Si quidem: Ut Horatius, *Si tamen impiæ non tangenda rates transiliunt vada.* Nec enim congruit optare dubitantem. Aut certe ad se retulit: qui cum pius esset, tot laborabat incommodis. aut certe *qua*, aut *quid* addidit; erat enim integrum, Si pios numina respiciunt, & justitia usquam est. *Servius.*

Di tibi &c.] Homerus 23. Il.

Σοὶ δ' θεοὶ τῶνδ' ἀντὶ χάριν μενοεικέα δοῖεν.

Tibi autem Dii pro his gratiam plurimam referant. Idem,

θεοὶ δέ τοι ὄλβια δοῖεν.

Dii tibi dent gloriosa.

Alibi:

Ζεύς τοι δοίη ξεῖνε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι
Ὅττι μάλιστ' ἐθέλεις.

Juppiter tibi det hospes, & dii alii immortales,
Quod cupis maxime. Cerda.

Si quid usquam justitiæ est.] Si valet apud homines justitia. *Servius.*

604. *Et mens sibi conscia recti.*] Secundum Stoicos, qui dicunt ipsam virtutem esse pro præmio: etiam si nulla sint præmia. *Idem.*

605. *Ferant.*] Adferant vel tribuant. *Idem.*

Quæ te tam læta tulerunt sæcula.] Alibi, *Nati melioribus annis.* Fœlicitas enim temporum, ex nascentium meritis com-

Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustra-

comprobatur. ut è contrario Terent. *Hoccine seculum, ô scelera, ô genera sacrilega!* Et digna laus regibus, ut bono tempore nati esse dicantur. *Serv.*

Quæ te tam læta, &c.] Quasi dicat, cur tu sola talis, & non alii similes his sæculis nati sunt? ut supra: *O sola infandos.* & occulte innuit sæculorum esse, ut aut boni, aut mali nascantur. Quærit igitur sæcula, quibus Dido talis potuit nasci, quia per totum orbem jactati Trojani, solam benevolam & liberalem illam invenerunt. *Donatus.*

Quæ te tam læta.] Ita 6. Æn.

—— *nati melioribus annis.*

Felicitas enim temporum è nascentium meritis comprobatur. Et quidem parentes ignotos secundum artem laudat à liberis. *Taubm.*

606. *Qui tanti talem genuere parentes.*] Secundum artem rhetoricam, parentes quos ignorat, laudat ex liberis. Simul sciendum, omnia hoc loco laudis præcepta servata. Nam & à parentibus laudat: ut, *Qui tanti talem genuere parentes.* Et ab ipsa: ut, *Urbe, domo socias.* Et à futuro: ut, *Nomenque tuum, laudesque manebunt. Talem* autem, tam justam, tam piam. *Servius.*

Qui tanti.] Quia nascendi ratio per parentes provenit. Horum est felicitas, si præcipuos suscipiant liberos. Quærunt sæcula, quærunt parentes, Dido sola in toto orbe justissima memoratur: ut quod summum est, etiam totum suum sit, nec habeat parem. *Donatus.*

607. *In freta.*] Abusive modo maria. Nam proprie *fretum*, mare naturaliter mobile: ab undarum fervore dictum. *Servius.*

In freta.] Ostendit omnium rerum finem futurum, cum illius honos non stabit. Simile illud: *Dum domus Æneæ Capitolii immobile saxum Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.* Donat.

Dum montibus umbræ Lustrabunt convexa.] Alii hoc loco distinguunt: & dicunt, quandiu inclinata in montibus latera umbræ pro Solis flexu circumibunt; ut, *Lustrat Aventini montem.* Aut *lustrabunt*, inumbrabunt. Unde *lustra* & ferarum cubilia, & lupanaria per contrarium dicimus: quia parum illustrantur.

Alii autem *convexa sydera* volunt, id est, pendentia: ut, *Et cœli convexa per auras*, id est, suspensa. Planetasque intelligunt: quia non sunt fixi, sed in aëre feruntur. Alii *sydera convexa* nobis imminentia, vel quæ per convexum polum pascuntur; vel quæ per convexum disposita exhalatione terræ ali credantur. Quamvis Physici, pasci aquis marinis sidera, id est, ignes cælestes dicant, secundum quos Lucanus ait, *Atque undæ plusquam quod disgregat aër.* Quidam radios Solis pasci asserunt humore terreno. *Servius.*

Dum montibus umbræ Lustrabunt convexa, Polus dum sidera pascet.] Sæpe etiam accidit, ut & commæ, & puncta alia, sententiam non parum immutent huc vel illuc translata: quare siquando circa hæc quoque, ubi usu veniat, immoremur: nihil ab instituto alienum fecisse videamur. In Oblongo itaque codice, & in aliquot aliis antiquis, post dictionem *convexa*, punctus est: ut legas, Dum umbræ lustrabunt ea, quæ sunt convexa montibus, montium quippe ambitus: tuberositas enim illa convexa in montibus umbræ efficit. Quare ita separatim membrum alterum accipiendum, *Polus dum sidera pascet:* quæ lectio quadrat cum Ti. Donati sententia, dicentis: Quam diu fluvii currendo miscebuntur fluctibus maris, quam diu stabit cum sideribus cœlum, quam diu Solis umbra vel Lunæ convexa lustraverit montium. Jam & *comvexa* per *m* ante *v* digammon scribendum esset, ex Victorini præceptione, nisi obstaret consuetudo. *Pier.*

In freta dum fluvii current, &c.] Non dissi-

Luſtrabunt convexa, polus dum ſidera paſcet;
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt:
Quæ me cunque vocant terræ. ſic fatus, amicum
Ilio-

diſſimili modo locutus eſt Homerus apud Herodotum, ſi modo Homero verſus illi tribuendi ſunt,

— μίδα δ' ἐπὶ σήματι κεῖμαι
Εὖτ' ἂν ὕδωρ τε νάῃ, καὶ δένδρεα μακρὰ
τεθήλῃ,
Ἠέλιός τ' ἀνιὼν λάμπῃ, λαμπρά τε
σελήνη.

& quidam epigramm. ſcriptor lib. IV.

Κοίρανοι, ὑμετέρην ἀρετὴν, κάρτος τε
καὶ ἔργα
Αὐδήσει χρόνος αἰὲν, ἕως πόλος ἀστέ-
ρας ἕλκῃ.

è quibus verſibus expreſſa ſunt illa Tibulli in lib. IV.

Quem referent Muſæ, vivet, dum robora
tellus,
Dum cælum ſtellas, dum vehet amnis
aquas.

Urſinus.

In freta dum fluvii current, dum montibus &c.] Æternam Didonis memoriam futuram his verbis deſignat poëta. Sic Ecl. 5. ℣ſ. 76.

Dum juga montis aper, fluvios dum piſ-
cis amabit,
Dumque thymo paſcentur apes, dum
rore cicadæ,
Semper honos, nomenque tuum, laudeſ-
que manebunt.

Similis locutio apud Horat. Epod. l. od. 15.

Dum pecori lupus & nautis infeſtus
Orion, &c.

Stat. Thebaid. in fin. l. 5.

Dum Lernæa palus, & dum pater Ina-
chus ibit,
Dum Nemee tremulas campis jaculabi-
tur umbras.

Emmeneſſ.

608. *Polus.*] Cælum dixit. *Servius.*

Polus dum ſidera paſcet.] Cenſent Stoici, ſidera, cum igneæ ſint & ferventis naturæ, paſci humore. Quare aliqui *palus* legunt, non *polus*. Sed nihil cenſeo eſſe cauſæ, cur hic novitatis ſtudioſi ſimus. Nam cum cælum verſet aſtra tanquam palantia & errantia, & tanquam alimentum ſequentia, dum volvuntur; fit perinde, ut tanquam paſtor ea paſcere videatur. Cælius lib. 2. cap. 23. & Cic. Tuſcul. 1. Turneb. lib. 5. cap. 5. *Taubm.*

Polus.] Brodæus l. 2. Miſcell. c. 17. legit *palus*, quia non circuitus cœli paſcit ſidera, ſed aquarum vapores. plura ille. *Emmeneſſ.*

Honos.] *Honor* & *honos* quæritur quia nominativus pluralis, *res*, terminatus, ſingularem in *or* mittit, ut *amores amor*, *honores honor*, exceptis monoſyllabis, at *flos*, *mos*, *ros*. Servius.

Nomen.] Pro fama creberrimum. Ovid. 1. Am. Eleg. 17.

Et multæ per me nomen habere volunt.

Et 3. Faſt.

Et pudet in parvis nomen habere caſis.

Propert. lib. 3. eleg. 13.

Non juvat in media nomen habere via.

Cerda.

610. *Quæ me cunque vocant terræ.*] Id eſt, ubicunque terrarum habitavero. Eſt autem Tmeſis, *Quæcunque.* Servius.

Quæ me.] Subtiliter ſe, nec ceſſaturum dixit, nec eſt pollicitus habiturum, ne Didonem læderet urbis ſocietatem offerendo. Ingenium enim mulierum ſemper variat: ut, cum velis, nolint: cum nolis, velint: ergo temperavit utrunque. *Donatus.*

Quæ me cunque.] Hæc tmeſis eſt in vetere cippi inſcriptione,

Quæ tibi cumque mei potuerunt pignora
amoris
Nata dari, populo ſunt lacrumante data.

Cerda.

Quæ me cunque.] Sic Ter. A. 1. 1. 36.

Cum quibus erat cunque una. Emmeneſſ.

Amicum.] Quod probavit amici abſentis cauſam defendendo. *Donatus.*

Ilionea petit dextra, lævaque Sereſtum:
Poſt alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Obſtupuit primo aſpectu Sidonia Dido;

Caſu

611. *Ilionea.*] Penultimam natura brevem, licentia, qua in nominibus propriis, omnis ſyllabæ poſtremæ communes, produxit. *Servius.*

Ilionea petit dextra lævaque Sereſtum.] In Longobardico codice, pro *Sereſtum*, *Sergeſtum* ſcriptum eſt. Nam ſuperius, *Antea, Sergeſtum, fortemque Cloanthum* viderat. Quod ſi admittas, vel erit verſus Scazontis hemiſtichius, qui varios interdum numeros, alienique generis verſus Heroicis immiſcebant: vel Creticus ſede quinta ſtatuetur: Neque quidem exempla deſunt, præſertim ex Lucretio, qui pedem hujuſmodi quinto loco poſuerit, ut lib. III. *Prater enim quam quod morbis quom corpus ægrotat.* Peritiores enim nonnulli *ægrotare*, eadem analogia, eodemque modo cum nomine *æger*, primam producere ſyllabam ajunt: quam alii quidam communem ſtatuunt in verbo *ægroto*, eodem hoc ipſo citato carmine. Poteram & ex VI. ejuſdem exemplum proferre: *An cœlum nobis intra natura corruptum.* quod in antiquis habetur exemplaribus. Sed obſtabunt aliqui, vel detritam unam ex geminatis conſonantibus, & *corruptum* factum, vel adhuc non conſtare, dicent: quia vulgatis in exemplaribus verſus ſex ſpondeorum dimenſione legatur: *An cœlum nobis natura ultro corruptum.* Non ſecus ac Ennianum illud, quod circumfertur, *Cives Romani, tunc facti ſunt Campani.* Quæ fuit rudis adhuc ſæculi licentia. Sed ut ad Virgilium revertamur, poſſet quidem legi ſpondaico verſu: *Ilionea petit dextra, læva Sergeſtum*, quum in eo codice Longobardico, *que* particula ſæpe ſuperflua reperiatur. Quam lectionem ne quis ſuperſtitioſam nimis arbitretur, in Ti. Donati commentariis, *Sergeſtum*, non *Sereſtum* ſcriptum animadverti. Sed enim aliorum codicum auctoritas facit, ut vulgata ſequamur exemplaria, in quibus *lævaque Sereſtum* habetur; qui & ipſe primores inter enumeratur: ut lib. IX. *Conveniunt Teucri Mneſtheus acerque Sereſtus.* & eodem libro ſuperius, *Inſtant Mneſtheus acerque Sereſtus: Quos pater Æneas, ſiquando adverſa vocarent, Rectores juvenum, & rerum dedit eſſe magiſtros.* Ad reginam enim cuncti delecti navibus adcurrerant. *Pierius.*

Ilionea petit dextra, lævaque, &c.] Vide ſtudium. Sic fieri ſolet in adventu. Sidonius lib. 2. epiſt. 3. *irruentium tumultuoſo diriperis amplexu.* & libro 2. epiſt. 11. *Protinus cuncti non modeſte, neque ſinguli, ſed propere ac catervatim oſcula ac dexteras mihi dederant.* Sed Æneas, qui tam avidus in amplexandis amicis, vide, ut nunquam Didonem attingat, hoc jam expendi, ſed revocavi notans Homerum, apud quem parum caute Ulyſſes tetigit genua Aretæ reginæ.

Ἀμφὶ δ᾽ ἄρ᾽ Ἀρήτης βάλε γούνασι χεῖρας Ὀδυσσεύς.

Si quis defendat ex more ſupplicum, neſcio, an poſſit, præſertim præſente Alcinoo. *Cerda.*

Ilionea petit dextra, lævaque, &c.] Hoc effuſum gaudium attingit Sil. Ital. l. 2.

Has inter ſpecies orbatum claſſe ſuiſque,
Æneam pulſum pelago, dextraque precantem
Cernere erat: fronte hunc avide regina ſerena
Inſelix, ac jam vultu ſpectabat amico, &c. Emmeneſſ.

613. *Obſtupuit.*] Animo perculſa eſt: quod jam futuri amoris eſt ſignum. *Servius.*

Obſtupuit.] Viſa ejus forma, & cum caſum ejus vehementer miraretur, quomodo liberari potuerit, & ad ipſam, nulli viſus, pervenire. *Donatus.*

Primo aſpectu.] Id eſt, pulchritudine. *Servius.*

Sido-

Casu deinde viri tanto. & sic ore locuta est:
Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quæ vis inmanibus applicat oris?
Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ

Alma

Sidonia.] Pro *Tyria*, à vicinitate. *Idem.*

Obstupit primo, &c.] Piget dicere, pendere ista ex imitatione Homeri, imo superant Homerum longissime, apud quem, cum è nube Vlysses prodiit, qui aderant, θαύμαζον *admirabantur.* Noster *stuporem* maluit. Sed præcipua victoria posita in his, quæ sequuntur. Nam post stuporem Dido, magnis affectibus omnia interserit, ab illo versu,

Quis te nate Dea, per t. &c.

Non sic Alcinous, primum enim hujus verbum post casum illum admirabilem, hoc est, Ποντόνοε κρητῆρα, &c. ubi jubet Pontonoum craterem miscere, & distribuere omnibus, ut fiat libatio Jovi. (nescias cur hic τερπικεραύνῳ) qui supplices benigne prosequitur. Lege quæ sequuntur, & frigus merum invenies, nihil fervens affectibus. Pari frigore rem eandem exsequitur Apollonius, lib. 3. Arg. Hic volo scias, Asperum explicantem Salustii locum hunc, *rumore primo*, sentire, *primo* poni adverbialiter, quod firmat Virgiliano hoc *primo aspectu*, ubi etiam *primo* adverbialiter ponitur. Defendi potest, inest enim concinnitas inter *primo*, & *deinde.* Cerda.

614. *Casu deinde.*] Id est, miseratione. *Servius.*

Et sic ore locuta est.] Pleonasmos. Ut, *Vocemque his auribus hausi.* Idem.

615. *Quis te, nate dea.*] *Quis*, *qualis.* Admirantis enim est, non interrogantis. ut, *Quis globus ô cives?* Non enim interrogat ille, qui nuntiat: Hoc autem Dido, ut post indicat, ex Teucri narratione cognovit. *Idem.*

Quis te, nate dea.] Ex his verbis ostendit, aliquam sui generis notitiam habere, & quamvis hoc apud Æneam possit esse mirabile: ait indigne illum pati, ut dea genitus, tempestate ad regiones sævas delatus sit. *Donatus.*

Per tanta pericula.] Miratur pericula in eo, quem potentia numinis tueri debuit. *Idem.*

Quis te, nate dea, per tanta pericula c. Insequitur.] Quæ, vel quanta fortuna te exercet! θαυμαστικῶς. Nova locutio, ait Scaliger lib. 4. cap. 16. *Taubmannus.*

616. *Quæ vis.*] Qualis. *Serv.*

Inmanibus oris.] Ut Salustius, *Mare sævum, id est, importuosum.* Non ergo de suo regno ait, sed illas oras significat, quas Ilioneus ait, *per invia saxa dispulit.* Idem.

Applicat.] Secundum præsentem usum, per *d* prima syllaba: secundum antiquam autem orthographiam, quæ præpositionum literam consonam, in vicinam mutabat, per *p*: secundum vero euphoniam, per *a* tantum. Præpositio enim, cum ad compositionem transierit, aut vim suam retinet, ut *Indico*: aut mutat ultimam literam, ut *Sufficio*: aut perdit, ut *Coëmo.* Idem.

617. *Tune ille Æneas.*] Et hoc admirativum, non interrogativum. Ille autem honoris est; ut, *sic Jupiter ille monebat*: vel tunc ille videtur beneficium Veneris admirari in eo, quem adamatura est. *Idem.*

Dardanio Anchisæ.] Bene *Anchisæ*, cum multis enim Venus concubuit. Sed sciendum Anchisem, ut fabula loquitur, pastorem fuisse, & cum eo amato Venerem concubuisse. Unde Æneas circa Simoin fluvium natus est. Deæ enim vel Nymphæ enituntur circa fluvios, vel nemora: quod cum jactaret Anchises, afflatus est fulmine, oculoque privatus est. *Idem.*

Anchisæ.] Sunt qui *Anchise* casu septimo legant: verum antiqua exemplaria,

Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,

Fini-

plaria, *Anchisæ* ſcriptum habent acquiſitivo caſu. *Pier.*

Anchiſæ.] Æneæ ortus à Venere, & Anchiſa, notior, quam ut hic debeat firmari, ex Ovid. in Faſt. ex Homero ſæpe, ex Ennio, 1. Annal. ex infinitis. *Cerda.*

618. *Genuit Simoëntis ad undam.*] Ripas multas fluviorum ortus heroici non pauci inſignes fecerunt; ſicut & Homeri natales Meletis ripam, unde Meleſigenes Poëta dictus fuit, quemadmodum Heroum multorum incerta origo ad auctores fluvios paſſim à Poëtis & hiſtoriographis relata eſt. *Gignere* autem proprie patris, ut *parere* matris. ut tamen γεννᾶν & τίκτειν Græcis confunduntur; ita & Latinis, cum utrique parentes τοκεῖς & γονεῖς dicantur promiſcue. *German.*

Genuit Simoëntis ad undam.] Simois ab Idæo monte demittitur, fama quam natura majus flumen, de quo Mela l. 1. c. 18. Æneam filium eſſe Anchiſæ & Veneris annuit Heſiod. in Theog. vſ. 1008. ſed ἴδης ἐν κορυφῇσι, enixam Venerem. De iis, qui ex diis concepti ſunt, vel proveniſſe dicuntur ad ripas fluminum, Poëtarum teſtimonia quam plurima ſunt, ut facilior eſſet ablutio. Stat. Thebaid. lib. 1.

Namque ut paſſa Deum Nemeæi ad
fluminis undam,
Bis quinos plena cum fronte reſumeret
orbes,
Cynthia, ſidereum Latonæ feta, nepotem
Edidit.

Sic Homerus ad Meleſis fluminis ripas, ut Valer. lib. 6. Argonaut. editus fertur:

—— Scythicis quem Juppiter oris
Progenuit, viridem Maracen, Tibiſenaque juxta
Oſtia. Emmeneſſ.

619. *Atque equidem.*] Exponit quomodo hæc ſcierit. *Donatus.*

Teucrum Sidona venire.] Quidam *memini venire*, pro *memini veniſſe* accipiunt. Hiſtoria tamen hoc habet, Herculem cum Colchos iret, perdito Hyla, qui aquatum profectus, ut fabula loquitur, à Nymphis adamatus, raptus eſt; ut veritas habet, lapſus in fontem altiſſimum necatus, & poſt peragratam Myſiam, navibus Trojam venit. A cujus portu, cum eum Laomedon arceret, occiſus eſt: & ejus filia Heſiona, belli jure ſublata, comiti Telamoni tradita eſt: qui primus aſcenderat murum, unde Teucer natus eſt. Nam Ajacem, ex alia conſtat eſſe procreatum. Tunc Hercules, Priamum quoque redemptum à vicinis hoſtibus, in paterno regno locavit. Unde & Priamus dictus eſt, ἀπὸ τοῦ πρίαμαι, emo.

Cæterum quæ de liberata dicunt Heſiona, conſtat eſſe fabuloſa. Sed Teucer, cum, Troja everſa, ſine fratre eſſet reverſus, qui ſe furore, propter perdita Achillis arma, interemerat; vel, ut alii, quia non defenderat Ajacis fratris interitum, vel quia oſſa fratris non retuliſſet, ut nonnulli, quod Theomiſſam concubinam, vel ejus fratris filium Turiſacen à cœna * ad avum Telamona de Troja ſecum non reduxerit, quia ille alia navi vectus, felicius navigaverat, Salamina pulſus à patre, Sidonam venit: ex quo Dido cuncta cognovit. *Servius.*

Atque equidem Teucrum, &c.] Præoccupatio, quomodo illa ſciat genus Æneæ. De Teucri autem exilio, & cur Salamine urbe & inſulâ pulſus ſit à patre, & quomodo item Sidonem venerit, & Beli minoris, qui pater erat Didonis, auxilio urbem patriæ cognominem in Cypro condiderit, deque aliis multi multa paſſim tradidêre. Horat. 1. Od. 7. Cicero lib. 1. & 2. De Orat. Lactant. lib. 1. c. 21. Euripides de Helenâ. Plutarchus, Hyginus, Sophocles in Ajace. Dictys Cretenſis, &

quis

Finibus expulſum patriis, nova regna petentem,
Auxilio Beli. genitor tum Belus opimam
Vaſtabat Cyprum, & victor ditione tenebat.
Tempore jam ex illo caſus mihi cognitus urbis
Trojanæ, nomenque tuum, regeſque Pelaſgi.
Ipſe hoſtis Teucros inſigni laude ferebat,

quis non? *Petentem* autem dicit: quod certa erant illa regna & oraculo promiſſa. De incertis enim dixiſſet, *Quærentem.* Bene Horat.

Nil deſperandum Teucro duce & auſpice Teucro:
Certus enim promiſit Apollo
Ambiguam tellure nová Salamine futurum.

Et bene Cyprum *opimam* dixit: ut enim inſularum maxima, quippe novem olim regnorum ſedes; ita dives erat & miræ fertilitatis: unde & *μακάριος* Græcis dicebatur. Erat & luxui dedita; & proinde Veneri ſacra, quæ etiam à potiſſimâ ipſius urbe Cytherâ, nomen eſt ſortita. Dicebatur & *Deliciarum mater.* Quam & Romani, ob gravem rerum opulentiam, poſtea ceperunt. *Taubm.*

Sidona.] Urbem eſſe Phœniciæ, inque Aſſyrii maris littore poſitam ſcribit Achilles Alexandrin. l. 1. conſentit Strabo l. 16. *Σιδὼν ἐπὶ εὐφυεῖ λιμένι τῆς ἠπείρου τὴν ἵδρυσιν ἔχει. Sidon ſitum habet in pulcherrimo continentis portu.* Eadem Ptolomæus ſcribit, & eſſe urbem Palæſtinæ. Congruit nomen. *Sidon* enim Phœnicum lingua piſcem ſignificat, inde hoc nomen urbi datum, quæ juxta mare. Nulla in Vate eſt contradictio, ſi expendatur. Venit Teucer Sidonem, ad Belum pro auxilio, ſed, ibi Belo non invento, ivit ad Cyprum, ubi tunc Belus: vel quod potius duco, venit Teucer Sidonem, ubi vere erat Belus, qui cum tunc per ſuos duces, & exercitum Cyprum vaſtaret, eo Teucrum miſit, ut urbem conderet. *Cerda.*

Sidona.] Πόλις φοινίκης Stephano. Pomponio Melæ l. 2. c. 12. *opulenta Sidon, antequam à Perſis caperetur, maritimarum urbium maxima.* Emmeneſſ.

621. *Genitor tum Belus.*] Quidam alium patrem Meliſſæ dicunt. *Servius.*

Opimam.] Pro *opulentam* nonnulli accipiunt. *Idem.*

622. *Vaſtabat Cyprum.*] Quam ſubactam, conceſſit Teucro: ex reſponſo Apollinis illuc perrexerat, ut in ea collocaret imperium, qui eam civitatem Salaminam ex nomine patriæ ibi condidit; licet alii dicant, ab ipſo Teucro Cypri ſuperatos incolas, & ſic conditam civitatem: unde *Auxilio Beli* accipi poteſt, etiam Teucro auxilium, à Belo ad occupationem Inſulæ præſtitum. *Idem.*

Vaſtabat Cyprum & vict. &c.] Errorem Servii arguit P. Victor. var. lect. l. 12. c. 12. non enim conceſſit Teucro hanc inſulam, ſed filio Pygmalioni poſſidendam reliquit. Teucer autem oppidum tantum illius inſulæ tenuit, cujus deſcriptionem tradit Mela l. 2. c. 7. *Cyprus ad ortum occaſumque ſe immittens, recto jugo inter Ciliciam, Syriaſque porrigitur ingens, ut quæ aliquando novem regna ceperit, & nunc aliquot urbes ferat, &c.* Emmeneſſ.

Ditione.] Poteſtate; omnis enim poteſtas dictis conſtat, id eſt, imperio, & quærendus nominativus hujus nominis, ſed de hac re hiſtoria longe aliud continet. *Servius.*

623. *Caſus.*] Hoc loco, ruinæ. ut, *Ceciditque ſuperbum Ilium.* non fortunæ intelligendus eſt caſus. *Idem.*

624. *Pelaſgi.*] A Pelaſgo Jovis & Lariſſæ filio. *Idem.*

625. *Ipſe hoſtis Teucros.*] Trojanorum laudis exaggeratio: qui etiam ab

Seque ortum antiqua Teucrorum ab ſtripe volebat.
Quare agite ô tectis, juvenes, ſuccedite noſtris,
Me quoque per multos ſimilis fortuna labores
Jactatam hac demum voluit conſiſtere terra.
Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.
Sic memorat. ſimul Ænean in regia ducit
Tecta: ſimul divûm templis indicit honorem.

Nec

hoſte laudantur, & quidam *hoſtis* ſingularem, quidam pluralem legunt. *Serv.*

Laude.] Pro *virtute* accipiunt; ut, *Primam merui qui laude coronam.* Idem.

Ferebat.] Laudabat, præferebat. *Idem.*

626. *Teucrorum à ſtirpe volebat.*] Propter genus maternum: ut ſupra dictum eſt. Et plus eſt, quod dixit *volebat*, quaſi materno gaudens, refutaret genus paternum. Sane *ſtirpe*, cum de origine dicimus, generis feminini eſt; ut, *Heu ſtirpem inviſam:* cum de ligno maſculini, *Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum.* Idem.

627. *Quare.*] Scilicet, cum videatis vos non eſſe incognitos, & morem eſſe familiæ meæ, ut venientes excipiat, ut Teucer à patre ſuſceptus eſt. *Donatus.*

Tectis ſuccedite noſtris.] Ad convivium vocat. Nam jam ſupra dixit, *Urbe, domo ſocias.* dicitur autem & tecta ſuccedere; ut, *Succeditque gemens ſtabulis*; &, *Tecto adſuetus coluber ſuccedere.* Servius.

Tectis ſucc.] Pro eo Apulejus *tectum & larem noſtrum lætæ ſuccedite.* Vtrique jungitur caſui, ut ex Servio, ecl. 5. ℣ſ. 6.

Sive antro potius ſuccedimus.

Emmeneſſ.

628. *Me quoque.*] Quemadmodum vos. *Servius.*

Me quoque.] Quam nunc videtis felicem, aliquando fortuna depreſſit, ut non pudeat calamitatum, quæ ſunt æquo animo ferendæ. Et quoniam non præſentibus ſolum conſulendum erat, mittit ad abſentes munera. Laudat à magnitudine, quod tauri: & à numero, quod viginti. Si enim boves dixiſſet, imminuiſſet gratiam. *Donatus.*

Me quoque per multos.] Proverb. *Conciliant homines mala.* Cælius lib. 25, cap. 2. Cic. pro Mur. *Hoc natura affert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediuntur.* Hartung.

Similis fortuna.] Scilicet adverſa. *Servius.*

629. *Demum.*] Poſtea. *Idem.*

630. *Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.*] Quare non diſco? Quia non ſum ignara. Bis enim intelligimus *non*, ut ſupra diximus: ſic Saluſtius, *Segnior, neque minus gravis & multiplex cura.* Idem.

Non ignara mali.] In meipsâ experta, quid ſit malis conflictari, diſco miſeris ſuccurrere. At Servius τὸ *Non* bis intelligendum ait. Q. d. Ideo non diſco; quia non ſum ignara: quomodo & ſupra: *Vultis his mecum conſidere regnis? Vultis urbem, quam ſtatuo?* At Donatus; Non diſco, inquit Dido, nunc primum, quantos ſuſtineant labores, quos adverſa fortuna perſequitur. Didici enim jam pridem malis meis, quemadmodum miſeris ſuccurrere debeam. Vide & Scalig. lib. 3. cap. 49. *Taubm.*

631. *Simul Æneam in regia ducit Tecta.*] Et hoc, quod ſequitur, videtur auſpicium nuptiarum. *Servius.*

632. *Simul divûm templis indicit honorem.*] Apud majores noſtros mos fuit,

Nec minus interea ſociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga ſuum, pinguis centum cum matribus agnos
Munera, lætitiamque dei.

At

fuit, ut magiſtratus poſt res ſerias, quæ conſulto peragebantur, in fine actus adderent, *Diis honorem dico*, vel alio modo, *hinc ad Deos.* quod Poëta, amator antiquitatis, ſubtiliter docet; infert enim Didonem, poſt habitum cum Ænea colloquium, & junctam hoſpitalitatem: *Quare agite ô tectis Juvenes ſuccedite noſtris.* ut ſupra, *urbem quam ſtatui, veſtra eſt*: Et, *Tros Tyriusque mihi nullo diſcrimine agetur*; poſt actum publicum Diis ſacra juſſiſſe: nam ſubjungit, *ſimul Æneam in regia ducit Tecta: ſimul Divûm templis indicit honorem*: Id eſt, juſſit fieri ſupplicationes. Et bene *Indicit*, quia Trojani inopinato venerant. *Feriæ* aut *legitimæ* ſunt, aut *indictæ*. *Indici* autem dicuntur, quia paupertas majorum ex collatione ſacrificabat. Et iterum *Indictiva ſacrificia* dicebantur, quæ ſubito ad præſens tempus indicebantur. aut certe de bonis damnatorum. Unde & *ſupplicia*, dicuntur *ſupplicationes*, quæ ſunt de bonis ſupplicia paſſorum. Saluſtius, *In ſuppliciis deorum magnifici.* Hinc etiam *ſacrum* & venerabile & execrandum intelligimus; quia ſacræ res de bonis execrandorum fiebant, dicebantur *ſacra* & *honoraria*, quod utrumque hoc loco complexus videtur. *Idem.*

Templis indicit honorem] Id eſt, ferias; ut eſſet publica congratulatio, & deorum favor accederet: Corradus. Servius ita: Juſſit fieri ſupplicationes. Nam feriæ aut ſunt *Legitimæ*, aut *Indictivæ*. Ita *Indictiva ſacrificia* vel *ſupplicia* erant, quæ ſubitò ad præſens tempus indicebantur. Val. Flaccus l. 3.

— *lætoſque rapit: ſimul hoſpita pandi*
Tecta jubet, templisque ſacros largitur honores.

Taubm.

633. *Ad litora.*] Scilicet ad illos, quos reliquerat Æneas: & ad illos quos Ilioneus. *Donatus.*

634. *Magnorum horrentia centum Terga ſuum, pinguis cent. &c.*] Ἑκατόμβαια ἐθύετο. quæ facere ſolebant qui navigarant, vel qui navigaturi erant. Quæ hecatombæa ſacra à Laconibus profecta ſunt, quia λακωνικὴ τὸ παλαιὸν ἑκατόμπολις ἦν. ut Meurſius Miſcell. Lacon. l. 2. c. 14. duplicia fuere, vel centum animalium, quod ſacrificium majus, vel tot pedum, quod minus appellabatur. vide Scholiaſten Homer. Iliad. l. α. vſ. 65. nec ἑκατόμβη tantum boum fuit, nam apud Diodorum καμήλων ἑκατόμβη, apud Homerum ἄγνων, apud veterem Scholiaſt. ὄνων. Sic hoc loco, *ſuum* & *agnorum*. *Horrentia*, id eſt, ingentia, aſpectu horrorem incutientia. *Emmeneſſ.*

635. *Terga ſuum.*] Non declinatio, *u*, litteram hoc loco geminat: ſed ratio nominis, in quo eſt *u*; ſicut & *rum* mittit genitivum pluralem, non per declinationem, ſed quia eſt in nomine *r*, ut *patrum*. *Alituum* vero ubi legimus, epentheſis eſt: ſicut *Mavortis*, vel *induperatoris*. Nam *alitum* facit, vel *Martis*, aut *imperatoris*. Serv.

Pinguis.] Et ergo pingues erant, & ducenta oſtendit capita. *Donatus.*

636. *Munera, lætitiamque Dei.*] Id eſt, Liberi patris: ac per hoc vinum: aut certe, ut multi legunt, *Lætitiamque die*, id eſt, diei. Nonnulli *Dii* legunt, ſicut veteres *famis fami*. Plautus in Mercatore, *Quia aut nocti, aut dii, aut Soli, aut Lunæ.* Sane quidam hunc verſum intelligi non putant poſſe, ut eſt ille, *Quem tibi jam Troja.* Servius.

Munera, lætitiamque Dei.] Vinum, quod ſufficeret omnibus. *Donatus.*

Munera, lætitiamque Dei.] Scil. Bacchi,

At domus interior regali ſplendida luxu
Inſtruitur, mediiſque parant convivia tectis.

chi, hoc eſt, vinum: ut vult Servius. At Corradus, Mittit, inquit, hæc omnia, ut Neptuno ſacrificent: quæ res munera lætitiamque *Deo*, id eſt, Neptuno afferat. Quid hîc ſint *munera*, V. N. 4. Georg. ℣ſ. 534. Alii leg. *die*: alii, *dii*, pro *diei*: quaſi reliqua miſſa ſint ad uſum noctis! De quo copioſe Agell. lib. 9. c. 14. Janus tamen Parrhaſius, Epiſt. 33. contra Agellium cæteroſque clariſſimis docet argumentis, per *Munera lætitiamque Dei*, περιφραστικῶς intelligendum eſſe vinum, quod Liber invenit, & quo Trojanorum animi in hilaritatem lætitiamque diffunderentur. Silius:

Bacchi dona volunt.

Virgilius infra:

Adſis lætitiæ Bacchus dator, &c.

Vide ibidem plura. *Taubm.*

637. *At domus.*] Oſtendit, quod cum hoſpites recepimus, domus pro eorum meritis eſt componenda. Ergo cum accipiendus eſſet Æneas, tantus vir, domum regali luxu per ſe ſplendidam, tamen additis multis repentinis ornavit: ergo legendum, *Domus ſplendida regali luxu*: & interjecta mora dicamus, *Inſtruitur.* Donatus.

Interior.] Quia interim in exteriorem partem Trojanos induxerat: interior melius ſolito ornabatur. *Idem.*

At domus interior.] Dum ſuperiora fierent, pars domus interior, non ea, in quam Æneas cum ſociis ductus fuerat, regalibus ornamentis inſtruitur, & fit ſplendida. Vel dic: quantumvis ſit ſplendida, tamen inſtruitur: *Corradus.* Conſtat autem hic locus imitatione illius Catulli, in nuptiis Pelei:

Ipſius ac ſedes, quâcunque opulenta receſſit
Regia, fulgenti ſplendent auro atque argento,
Candet ebur ſoliis: collucent pocula menſæ.
Tota domus gaudet regali ſplendida gaza, &c.

ſed cur, *Interior*? Quia cœnæ luxurioſiores ſecreto parabantur & in intimâ domûs parte. Sueton. in Auguſt. c. 70. *Cœna quoque ejus ſecretior in fabulis fuit, quæ vulgo δωδεκάθεος vocabatur, &c.* unde Juven. Sat. 2. ℣ſ. 95.

—— *quis fercula ſeptem*
Secretò cœnavit avus?

De quo loco vide Laur. Ramiretz ad Martial. lib. 1, 6. Taubm.

Splendida inſtruitur.] Pro *inſtruitur, ut ſplendida ſit.* Serv.

Splendida.] Apte & ſignate, nam *Splendor* de conviviis ſæpe. Apud Athen. lib. 1. Antiphanes λαμπροῖσι δείπνοις. & Athenæus ipſe lib. 3. λαμπροτάτην δείπνου παρασκευὴν, *Splendidiſſimum apparatum convivii.* Bacchylides Hymnos amatorios in conviviis dixit φλεγυρὰς. Demum magnificæ epulæ dictæ ſunt θαλίαι, inde & θαλλίαι παρὰ τὸ θάλλειν, à floribus, quibus convivia florida, opipara, feſtiva. *Cerda.*

Luxu.] Modo abundantia: alibi luxuria. Et notandum, quia affluentiam ubique exteris gentibus dat; Romanis frugalitatem, qui & duobus cibis tantum utebantur, & in atriis edebant ſedentes. Unde Juvenalis, *Quis fercula ſeptem Secreto cœnavit avus?* Et Virgilius, *Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.* Servius.

638. *Mediis tectis.*] Juxta cottidianam conſuetudinem, ait, *mediis*, & ſi dicamus in media domo ſua ſedens, turbatus eſt. *Idem.*

Mediis tectis.] Nam cum multa turba eſſet accipienda, alibi tot triclinia ſterni non poterant. *Donatus.*

Mediiſque parant conviv.] Triclinia enim in mediâ cœnatione ſtrata erant, ut miniſtris liberrimus locus relinqueretur. Ita 3. Æn. *Aulai in medio, &c.* Corradus. *Taubm.*

Arte laboratæ veſtes, oſtroque ſuperbo:
Ingens argentum menſis, cælataque in auro
For-

639. *Laboratæ veſtes.*] Labore perfectæ, ut *Laboratasque premunt ad pectora ceras.* Et eſt ſermo in compendium coactus: ſicut, *Rapuitque in fomite flammam*, id eſt, raptim fecit. Et ſane veſtes non illas dicit, quibus induimur, ſed ſtragulas, ſupra quas diſcumbitur; Sic enim dicebantur veſtes ſtragulæ. *Servius.*

Arte laboratæ.] Diſſolvit Græca vocabula τεχνουργήματα & τεχνήματα. *Cerda.*

Laboratæ veſtes.]i.e. labore perfectæ. Ita Græci, εἵματα τ' εὐποίητα: τεχνήματα χειροπόνητα φάρη. Ciceroni, *veſtes ſtragulæ*: noſtro inferius *aulæa* dicuntur. *Oſtrum* autem *ſuperbum* vocat, purpuram nobilem: *Oſtro* enim, id eſt, ſanie illâ, ſive liquore muricis aut conchilii, purpura tingebatur. Laudat igitur veſtes ab artificio, & materiâ. *Taubmannus.*

Oſtroque ſuperbo.] Claro, pretioſo: id eſt, per ſe ſuperbo, aut quia ſuperbos faciat. *Servius.*

Laboratæ veſtes, oſtroque ſuperbo.] Non. Marc. has ſtragulas vocat *toral* & *toralium ſtragulum.* potentiores utebantur periſtromatis, acu pictis. de his conſulendus Ciacconius de tricliniis p. 18. *Emmeneſſ.*

640. *Ingens argentum menſis.*] Aut ſubaudis *exponunt*: aut menſas argenteas accipe. *Servius.*

Argentum menſis.] Adjecit *menſis*, ut oſtenderet eſcarium argentum, ne putaretur in ea ſpecie eſſe, quæ longe eſſet ab uſu menſarum. Eſt multiplex argenti laudatio. Nam fuit magnum, inſignitum auro, & miro artificio, ut ars cum ipſius precio certaret. Sculptura autem geſta majorum continebat, quorum contemplatione meruit longiſſimum tempus conſervari. *Donatus.*

Ingens argentum menſis.] Hîc *argentum*, & ſtatim *auro* dicit doctiſſimus Poëta, cum tamen argentea, & aurea pocula intelligat. Nota Pet. Ciaconii huic loco utilis erit. Admonet ille, argentea aureaque vaſa menſarum à veteribus ſimpliciter *aurum* & *argentum* nominata. Scævola in L. qui uxori. ff. de auro & argent. leg. *auro legato vaſa aurea continentur, & gemmis gemmea.* Plinius lib. 34. cap. 11. *hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum æmula, quod nunc in menſarum eſt apparatu.* Hactenus ille. Adjungo Senecam de vita beat. cap. 17. *Quare ars eſt apud te miniſtrare? nec temere, & ut libet, collocatur argentum, ſed perite ſervitur, & eſt aliquis ſcindendi obſonii magiſter?* Tullium 4. in Verr. *Cœnabat apud Eupolemum, argentum ille appoſuerat.* Integra Tullii de ſequenti Nota. & Fabium declamat. 301. *apud vos illi greges miniſtrorum, apud vos aurum & argentum.* Loquitur in re conviviali. Plinium lib. 3. epiſt. *Apponi hoc cœna non minus nitida, quam frugi in argento puro & antiquo.* Poëta ipſe in 3. *impoſitis auro dapibus.* Catull. de Nupt. Pel.

—— *fulgenti ſplendent auro atque argento.*

Ubi ſermo eſt de convivio. Demoſthenes de falſ. leg. clare dixit, ἐκπώματα ἀργυρᾶ, καὶ χρυσᾶ. Porro morem alium, quem Poëta attingit, obſervavi jam lib. 4. Georg. Exemplis ibi adductis adjice verſum, in quo ſum, immenſis enim argentum ponit Virgilius, & per argentum intelligit pocula, hæc ergo in menſis apud veteres, non in abacis. Sed & de hoc more poſtea etiam in hoc libro. *Cerda.*

Cælataque in auro.] Inſculpta, tamen hoc nomen in principali aliam habet naturam: in derivatione mutat. Nam *Cœlum* eſt, unde operantur argentarii: quod producitur naturaliter. Sed in derivatione mutatur: diphthongus namque eſt, *cælataque in auro.* Servius.

Fortia facta patrum, series longissima rerum,
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.
Æneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad navis præmittit Achatem,
Ascanio ferat hæc; ipsumque ad mœnia ducat.

Omnis

641. *Fortia facta.*] Veteres enim in conviviis solebant fortia parentum facta narrare, quæ hic etiam insculpta dicit. Et hic resolvit Poëta illud, quod reprehenditur, cur in templo Junonis, non Pœnorum & Græcorum facta depinxerit; scilicet quod suorum res pretiosiore materia signatas habuerit: quæ ibi etiam sculpta erant, mos enim erat veterum. *Serv.*

Cælataq; in auro fortia facta patr.] Mos hic fabricandorum in vasis emblematum notior est, quam ut multis egeat. Tantum itaque subjiciam è Latinis Tullium, qui in 4. Verr. *Cœnabat apud Eupolemum, argentum ille, ceterum purum apposuerat, ne purus ipse relinqueretur: duo pocula non magna, verumtamen cum emblematis: iste, quasi festivum acroama ne sine corollario de convivio discederet, ibidem, convivis spectantibus, emblemata evellenda curavit.* Cerda.

642. *Series.*] Ordo connexus. *Servius.*

Per tot ducta viros.] A Belo, primo rege Assyriorum: ut, *Ab antiquo durantia cinnama Belo.* A Belo usque ad Belum, patrem Didonis: qui & ipse Assyrius fuit, quamvis alio nomine pater Didonis fuisse dicatur; sed hic ait, *Quam Belus, & omnes à Belo soliti*: cum inter patrem & filiam medius nullus existat: & regis nomen ratione non caret. Nam omnes in illis partibus Solem colunt, qui ipsorum lingua *Hel* dicitur. Unde & *Helois.* Ergo addita digammo, & in fine facta derivatione, à Sole regi nomen imposuit. *Idem.*

Antiqua.] In Longobardico exemplari, & in Mediceo, *antiqua* legitur: quod & in aliis aliquot animadverti: idque forsitan non inepte. Malunt tamen multi, *antiquæ gentis* legere: neque id indecenter. *Pierius.*

643. *Æneas.*] Sequitur, *Rapidum ad naves.* Cætera per parenthesim dicta sunt. *Servius.*

Consistere mentem.] Ab nonnullis legi *mente* Germanus notat, quoniam Cicero *mente consistere*, & in Ant. & ad Q. Frat. dicit, loca sunt obvia. Sed certe vulgaris lectio defendi potest. *Cerda.*

Æneas neque enim patrius, &c.] Amor non sinit patrem mente esse quieta. Alii l. *mente.* Ita Cicero in Anton. *Te neque vigilantem, neque in somniis, credo, mente posse consistere.* Item, *consistere ejus animum, non sinunt.* Notetur φιλοστοργία Æneæ. *Taubm.*

644. *Rapidum ad naves præmittit Achatem.*] Non *præmittit* (nec enim ipse sequitur) sed *prærapidum*: quod ex affectu patris, id est, ejus qui mittit intelligendum est, non ex Achatis velocitate. Et sic *prærapidum* dixit, quomodo Terentius, *Perpol quam paucos.* Hoc est *perquam paucos volo. Pol* enim, per se plenum est jurantis adverbium: cui præpositio separatim nunquam cohæret. *Servius.*

Præmittit.] Non quia esset secuturus: nec intelligitur, *prærapidum mittit*, sed *præmittit*, id est, ante prandium mittit, ut maturius videret filium, & ut afferrentur munera, quæ Didoni dare volens inter epulandum commodissime dabantur. Major enim erat futura convivii voluptas, & præsentia Ascanii, & oblatione munerum. *Donatus.*

645. *Ferat.*] Afferat, nuntiet: ut, *Feret hæc aliquam tibi fama salutem.* Servius.

646. *Stat.*]

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.
Munera præterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre jubet; pallam signis auroque rigentem,

Et

646. *Stat.*] Modo est. ut, *Grajo stant nomine dictæ.* alias horret; ut, *stant lumina flamma.* &, *Stabat acuta silex.* Item plenum est: ut, *Jam pulvere cœlum Stare vident.* Item positum est: ut, *Stant manibus aræ.* Item placet: ut, *Stat, conferre manum.* Pro loco ergo hic intelligendus est sermo. *Serv.*

Omnis in Ascanio.] Nam reliquæ curæ jam semotæ erant. *Donatus.*

647. *Munera.*] Hæc convivium gratius factura erant, & poterant ostendere, quanta urbis fuisset felicitas. *Idem.*

Iliacis erepta ruinis.] Commendat ex loci difficultate: ut, *Nec tuta mihi valle reperti.* Item ex longinquitate, ut, *Iliacis erepta ruinis*; ut Terentius, *Ex Æthiopia est usque ancilla hæc.* Serv.

Erepta.] Ostendit valde pretiosa, quæ meruerunt ex ruinis civitatis eripi. Laborat autem Poëta hoc sermone probare, ab Ænea non esse proditam patriam, si ornatus Helenæ ex incendio eripuit, bellorum casu, quam cum Antenore Trojam prodidisse manifestum est, non pro præmio proditionis accipit. *Idem.*

648. *Pallam rigentem.*] Duram propter aurum, sicut & novas vestes videmus. Significat autem tunicæ pallium: quod secundum Varronem *palla* dicta est, ab irrugatione, & mobilitate: quæ est circa finem hujusmodi vestium, ἀπὸ τοῦ πάλλειν. *Idem.*

Pallam.] Fuit hæc promissa ad pedes. Tibullus lib. 1. eleg. 7.

Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.

Inde credo ab Horatio *honesta* dicta, facit enim ad honestatem promissio, in epist. ad Pison.

Post hunc personæ, pallæque repertor honestæ
Æschylus.

De forma ejus notat Junius, eam divisam fuisse antrorsum, & nodis, ac plurimis fibulis astringi solitam. Fuit fœminarum, ut apparet ex Virgilio hic: fuit aliquando virorum, ut ex Statio 2. Achill.

Si decet aurata Bacchum vestigia palla
Verrere.

Eadem induit Mercurium lib. 7. Theb.

—— crepat aurea grandine multa
Palla, nec Arcadii bene protegit umbra
galeri.

Cerda.

Signis auroque.] Signis aureis, ut, *Molemque & monteis.* Servius.

Signis auroque.] Id est, explicante Servio, signis aureis, ut illud, *pateris libamus, & auro.* Ab auro, quo palla intertexta, dicta est Statio *aurata*, Tibullo *lutea.* Loca jam attuli. Huc pertinet nota Lilii dictam, φλογοειδῆ. est color aureus flammeus. *Cerda.*

Rigentem.] Propter duritiem auri. Vel alludit fortasse (ait Germ.) ad rectam tunicam, quæ ὀρθὴ ἐσθὴς, quæ ita erat contexta, ut veluti rigens staret, qua novæ nuptæ induebantur, quamque liberis parentes ominis causa conficiendam curabant. Rectæ tunicæ elegans testimonium est in Plinio l. 8. cap. 48. ut Virgilius *rigentem auro*, ad verbum Pindarus φιάλαν χρυσῷ πεφρικυῖαν. *Idem.*

Pallam signis auroque rigentem.]Id est, signis aureis asperam. Palla vestitus mulieribus proprius, & quidem honestis, ut Non. Marcell. post ad citharœdos, Tragœdos, Saltatores translatus. describitur accurate à Ferrario de re vestiaria l. 3. c. 18. figuram esse docet Salmasius in *signis auroque* ἓν διὰ δυοῖν, pro signis aureis. notatur Darii luxus à Curtio l. 3. c. 3. *pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabant.* pro eo Maro *signa* & *aurum* ponit. illas notas sive signa Latini *clavos* nominant (ut Quintil. l. 8. c. 5.) *plumas*, Gr. σημεῖα, ποικίλματα. plura, quē unum in his

Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivæ Helenæ: quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret, inconceſſoſque Hymenæos,
Extu-

in his recte conſulis, Salmaſius ad Scriptor. Hiſt. Aug. vol.2. p. 85. apud Hackios. *Emmeneſſ.*

649. *Et circumtextum velamen.*] Cycladem ſignificat. *Servius.*

Acantho.] Herba, *Acantho*, id eſt, flexibili virgulto; In cujus imitationem arte veſtis ornatur. Varro ita refert, *Cteſias ait in India eſſe arbores, quæ lanam ferant, Item Epicadus in Sicilia, quarum floribus cum dempti ſunt aculei ex his implicitis mulieres multiplicem conficere veſtem:* hinc *veſtimenta acanthina* appellata. *Idem.*

Et circumtextum croceo velamen Acantho.] Erroris inſimulat Salmaſius in Plinian. Exercit. p. 300. Servium male interpretantem de *veſtimentis Acanthinis*, quæ tota ex lanugine florum texta fuerunt, cum hic croceo Acantho velamen circumtextum, vel ut ℣ſ. 711. *pictum*, tunica ſit per extremitatem oræ infimæ limbum habens croceum, ad inſtar acanthi flexibilis virgulti. Immo ἄκανθον Græci etiam vocavere hujuſmodi limbos veſtium, teſte Heſychio, apud quem ἄκανθος περίγραμμα ὑφασμάτιον. *Emmeneſſ.*

650. *Ornatus Argivæ Helenæ; quos illa Mycenis.*] Hic quoque commendatio mnneris à perſona, quæ & in fuga magnifecerit. *Servius.*

Argivæ.] A vicinitate dixit *Argivæ.* Et paulo poſt *Mycenis*: cum Spartana fuerit, quæ civitas eſt in Laconia. Nam legimus, *Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter.* Et vide jam omen infœlicitatis futuræ: cum adulteræ ſuſcipit munera. *Idem.*

Argivæ Helenæ.] Hanc adeo formoſam fuiſſe dicunt, ut ejus forma, redacto maximo petitiſſimorum pictorum in unum numero, propoſitis etiam formoſiſſimarum mulierum nudis corporibus, pingi nequiverit: ergo quæcunque erat formoſa, ab ea appellabatur *Helena.* Sed Virgil. *Argivæ* dixit, ut de illa ſola intelligeretur. *Donatus.*

Argivæ Helenæ.] Lycophr. ἀργείαν κινάδα, τριάνορον κόρην eandem vocat. Argivam autem Helenen vocat, non quod Argis nata ſit, oppido, non ita longe Mycenis diſtante, in Peloponeſo, ſed quod Argos non ſolum pro urbe, ſed pro Peloponeſi tota regione uſurpatum ſit, ut docet lib.8. Strabo, Helena autem filia Tyndari regis Laconiæ fuerit, Lacedæmonem autem Peloponeſo contineri non dubium ſit, ſed non ſolum Peloponeſiacos, ſed Græcos omnes Argivos dictos ex æquo, eſt auctor Plutarch. ἐν ῥωμαϊ. in cap. διὰ τί τοῦ μαΐου μηνὸς ἀπὸ τῆς ξυλίνης γεφύρας εἴδωλα ῥιπτοῦντες ἀνθρώπων εἰς τὸν ποταμὸν ἀργείους τὰ ῥιπτούμενα καλοῦσι. Hom. Il. β. ἀργείην ἑλένην, ἧς εἵνεκα πολλοὶ ἀχαιῶν ἐν τροίῃ ἀπόλοντο· ubi Euſtathius: ἐνταῦθα δὲ καὶ ἀργείαν τὴν λακωνικὴν ἑλένην λέγει, ὡς καὶ τῆς λακεδαίμονος ἄργους καλουμένης, καθάπερ καὶ ὅλη ποτὲ ἡ πελοπόννησος. Et idem in eum locum Od. β. καί κεν οἱ ἀργεῖ νάσσα πόλιν, ἰστέον δὲ ὅτι ἄργος κἀνταῦθα φησὶν, ἢ τὴν πελοπόννησον, ἢ καὶ τὴν ὑπὸ τῷ μενελάῳ χώραν, ὅθεν καὶ ἑλένη ἀργεία ἔν τε ἰλιάδι, καὶ μετ' ὀλίγα δὲ, ἢ ἄλλως μὲν λάκαινα, κατὰ δὲ τὸ ὅλον πελοποννησία. Notat inſuper idem Euſtathius Peloponeſum & Spartam à dignitate partis dictas, Argos autem Achaicum, Pelaſgicum, Iaſon, Hippion, & Hippoboton, ad differentiam Amphilochici, Theſſalici, Cilicii, Macedonici, Niſyrici, Troezenii, & aliorum nonnullorum. *Germ.*

651. *Pergama cum peteret.*] Eo tempore, quo à Paride ſollicitata eſt Helena, Venere faciente, quæ ei in præmium pro victoria, quam de malo aureo acceperat, alienum matrimonium concilians, ſicut nota fabula omnibus traditum eſt, quamvis vera hiſtoria hoc habere dicatur, non ſollicitatam à Paride

Extulerat, matris Ledæ mirabile donum.
Præterea ſceptrum, Ilione quod geſſerat olim,
Maxi-

ride Helenam, ſed cum non ei conſentiret, ut, abſente eo tempore Menelao, ſponte eum ſequeretur ad Trojam, expugnata civitate, vi à Paride ſublatam: Unde factum eſt, ut Paris, timore, ne, qui eum ſequerentur, non recto itinere properaret ad patriam, ſed diverteret ad Ægyptum, & ad regem Proteum veniret; qui cum eſſet ſacrificus, & agnoviſſet alienam uxorem, à Paride raptam, duci eam dicitur ſubtraxiſſe, & neſcio quibus diſciplinis phantaſma, in ſimilitudinem Helenæ formatum, Paridi dediſſe, quod in 2. plenius invenies. *Servius.*

Inconceſſoſque Hymenæos.] Et fato & legibus. Hymenæus autem, ut alii dicunt, deus eſt nuptiarum. Ut alii, quidam juvenis fuit, qui die nuptiarum oppreſſus ruina eſt. Unde expiationis cauſſa nominatur in nuptiis, ſed falſum eſt. Nam vitari debuit magis nomen extincti. Sed hoc habet veritas: Hymenæus quidam apud Athenas, inter bella ſæviſſima virgines liberavit: quam ob cauſſam nubentes ejus invocant numen, quaſi liberatoris virginitatis. Hinc etiam apud Romanos Talaſio invocatur. Cum enim in raptu Sabinarum, plebejus quidam raptam pulcherrimam duceret: ne ei auferretur ab aliis, Talaſionis eam ducis nobilis eſſe ſimulavit: cujus nomine fuit puellæ tuta virginitas. *Idem.*

Inconceſſoſque Hymenæos.] Hiſtoria de Hymeneo, adoleſcente Athenienſe: qui raptas à piratis virgines in libertatem vindicaverit: in antiquis pleriſque Servii codicibus manu ſcriptis non reperitur: quare vereor, ne illa ſint adulterina. *Pierius.*

Inconceſſos.] Hac forma Arnob. lib. 1. *inconceßi amoris flammas, & furiales immittere cupiditates.* Cerda.

652. *Extulerat.*] Secum exportaverat. *Servius.*

Extulerat.] Nam cum eſſet regis uxor & locupletiſſima, & iret ad Trojam, has, ut præcipuas, ſecum abſtulit, non redituram ſe ſperans, propter admiſſum adulterium, propterea addidit *inconceſſos Hymenæos.* Donatus.

Extulerat.] Ita & Græci ἐκφέρειν dicunt. Alii l. *Abſtulerat.* Taubm.

Matris Ledæ mirabile donum.] Vel quod ipſa filiæ; Vel quod ei Jupiter dederat. *Servius.*

Ledæ mirabile.] Ut tam pulchra, niſi à matre, donari non potuiſſent: & cum donarentur, miratos eſſe, qui viderent. Adduxit autem, ut his uteretur, quotiens adultera formoſior videri volebat. Ergo ſuperabant formam, quæ pingi non potuit, pulchrioremque reddebant. *Donatus.*

Ledæ mirabile donum.] Vel, quod ipſa filiæ; vel, quod ei Juppiter dederat. Leda à Jove in cygnum converſo, imprægnata ovum peperit: unde prognati ſunt Caſtor, Pollux & Helena. Dum dicit, *mirabile*; notat artificii excellentiam: videturque innuere, manibus Ledæ textum fuiſſe. Et ſolet Poëta in ejuſmodi muneribus plerunque artificum meminiſſe. Ita 3. Æn. Andromache chlamydem Aſcanio donans ait,

Accipe, & hæc manuum tibi quæ monumenta mearum
Sint, puer, &c.

& 4. Æn.

—— Tyrioque ardebat murice læna
Demiſſa ex humeris; dives quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreverat auro.

Taubm.

653. *Præterea ſceptrum, Ilione.*] Bene offert munera, apta perſonis: ſicut etiam Latino, in ſeptimo. *Servius.*

Ilione quod geſſerat olim.] Quia etiam feminæ ſceptro utebantur. Geſſerat autem, ut, *hoc Priami geſtamen erat:* & quæritur utrum hoc ſceptrum de Thracia, an de Troja ſublatum: quidam Æneæ ab Iliona datum dicunt; ſed quamvis

Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronam.

Hæc

vis apta nupturæ reginæ ſint munera, tamen futurorum malorum continere omen videntur. *Serv.*

654. *Maxima natarum Priami.*]Quia ante etiam fœminæ regnabant: præſertim primogenitæ, unde eſt, *Maxima.* Hæc autem uxor Polymneſtoris fuit, quæ poſt captum Ilium, ejecta à viro, manu ſua interiit. *Idem.*

Maxima.] Solent enim religioſi parentes, quæ habent optima, filiis deferre majoribus. *Donatus.*

Maxima natarum.] Sic Hom. Il. ζ. de Hecuba: λαοδίκην ἐσάγουσα θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην. Idem Il. λ. πρεσβυτάτην δ' θύγατρ' εἶχε ξανθὴν ἀγαμήδην. Ut autem hîc ſceptrum dat Ilionæ; ſic & Hom. Od. ζ. Nauſicaam vivo utroque parente reginam vocat: σφαῖραν ἔπειτ' ἔρριψε μετ' ἀμφιπόλων βασίλεια. Vide eum locum lib. 9. *Tumidusque novo præcordia regno*: & illum: *regina ſacerdos, regis filia.* Germanus.

Maxima natarum Pr.] Quia antiquitus etiam fœminæ regnabant, præſertim primogenitæ: unde ait; *maxima.* Erat autem *Ilione* filia Priami, uxor Polymneſtoris Thracum Regis. De quâ Pacuvius fabulam ſcripſit. Vide Hyginum, c. 109. *Geſſerat olim*, dicit: ut intelligatur vel jam nupta; vel, antequam nuberet. Ferebant enim ea & inferiores perſonæ, teſte Homero. *Taubm.*

Colloque monile.] Ornamentum gutturis: quod & *ſegmentum* dicunt: ut Juvenalis, *Segmenta & longos habitus.* Licet *ſegmentatas veſtes* dicamus: ut ipſe, *Et ſegmentatis dormiſſet parvula cunis.* Servius.

655. *Baccatum.*] Ornatum margaritis. Dicimus autem & hæc *margarita*, & hoc *margaritum*, & hæc *margaris*, quod Græcum eſt; quo modo Nais. Sane multi ſeparant gemmam & margaritam: ut Cicero, *Nullam gemmam aut margaritam.* & *gemmas* volunt dici diverſi coloris: *margaritas* vero albas: vel gemmas integras, margaritas pertuſas. *Idem.*

Baccatum.] Neque hæc diſſimilia eſſe debebant, quæ optimus pater & ditiſſimus, maximæ filiæ dederat. *Donat.*

Monile baccatum.] Perſpectum habuit Æneas feminarum ingenium, quæ ſolent eſſe φιλόκοσμοι. una Eriphyle, Talai filia, exemplo eſt, & inſtar omnium, quæ maritum, latentem, ne ad bellum proficiſceretur Thebanum, prodidit, corrupta monili, quod Veneris olim fuerat, cujus impotentiam perſtringit Ovid. in Ibin. vſ. 354. & legendus Cic. l. 1. de invent. c. 50. & l. 4. in Verr. c. 18. *Baccatum* eſt *gemmoſum*, ut Apulej. l. 5. vel ut Suet. in Galba c. 18. *monile margaritis gemmiſque conſertum*, Gr. λιθοκόλλητος, ὅρμος, & appoſite admodum Ælian. var. hiſt. l. 12. c. 1. tale monile, quale hoc loco deſcribitur ἄξιον eſſe dicit ἢ θυγατρὸς βασιλέως ἢ μητρὸς, vel filia vel matre regis dignum eſſe. *baccatum* à *bacca* dicitur, id eſt, margaritis, ut Salmaſ. Plin. exerc. p. 531. & 1124. *Emmeneſſ.*

Duplicem gemmis auroque coronam.] Duplicem, aut latam: ut, *Duplici aptantur dentalia dorſo.* Item, *aut duplex agitur per lumbos ſpina.* Aut re vera, duplicem gemmis & auro: Sane immiſcet Romanam conſuetudinem, coronis enim fœminæ utebantur. *Servius.*

Duplicem gemmis auroque coronam.] Hîc videtur Maro alludere ad gemmis contextas coronas, quæ Chryſoſtomo λιθοκόλλητοι στέφανοι. Scilicet præcipuum inter hoſpitalia dona coronam veteres habuerunt: unde Tacit. lib. 14. Ann. *Nec multo poſt legati Tygranocerta miſſi patere mœnia afferunt, intentos populares ad juſſa, ſimul hoſpitale donum coronam auream tradebant.* Germ.

Duplicem gemmis auroque coronam.] Notat

Hæc celerans, iter ad navis tendebat Achates.
At Cytherea novas artis, nova pectore versat
Consilia: ut faciem mutatus & ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem
Incen-

Notat Passchalius de coronis l. 9. c. 7. reges regibus talia dona misisse. Cyaxates inter alia munera, Cyro missa, voluit esse coronam regiam, auream, distinctam pretiosissimis lapillis. in hac autem corona, Didoni dono data, auro etiam intertextæ fuerunt gemmæ. Duplex ejus fuit contextus, unus aureus, alter gemmeus, sed uterque ita mixtus & compactus, ut unus esset. Turneb. autem duplicem coronam ab antiquis nuptialem dici suspicatur l. 29. c. 4. ad differentiam virginalis, quæ simplex forte fuit. *Emmeness.*

656. *Hæc celerans.*] Celeriter facere cupiens. *Servius.*

Hæc celerans.] Laudat hominis diligentiam. *Donatus.*

Hæc celerans.] Ut supra active sæpe *properare*, exemplo Græcorum, qui σπεύδειν & ταχύνειν ita usurpant. *Germanus.*

Hæc celerans.] Ubi Grammaticorum neutra? ex Vechner. Hellen. p. 79. expromo Maronis ℣ſ. 90. l. 8. Æn.

Ergo iter inceptum celerant, &c.

Cui adjunge hoc, quod l. 5. ℣ſ. 609.

Illa viam celerans, &c.

sic *accelerare sibi aliquid* apud Corn. Nepotem vita 25. c. 22. *Emmeness.*

657. *At Cytherea.*] Ab insula, quæ numero tantum plurali dicitur: ut, *Sunt alta Cythera.* Servius.

At Cytherea.] Id est, dum hæc gererentur. Necessaria metuentis Veneris deliberatione, cujus æstus augebat consideratio loci, temporis, & personæ, erant ab Achate perficienda jussa. Et periculosum erat credere, nepotem eidem periculo, in quo erat Æneas: ne tota simul progenies interiret. Nam quamvis Trojani essent humane suscepti, metuebatur tamen, fallax natura Tyriorum & stimulus Junonis: ne ipsa opportunitatem loci, & occasionem temporis nacta, terra opprimeret, quos mari extinguere non poterat. Artes ergo novæ, id est, consilia elaborata exquiruntur, ut Ascanius non pergeret, & tamen Achates jussa faceret. Fallit ergo omnes, & profert Æneæ amorem, sibi concilians Didonem: Nam neque Æneas iratæ resistere potuisset exigua substantia, neque convulsis navibus & in hieme effugere. *Donatus.*

Novas artis.] *Ars* τῶ μέσων est: unde sine epitheto male ponitur. Veteres autem *artes* pro dolis ponebant. Et Terent. in Heautont. *Quendam offendi ibi militem, Ejus noctem orantem: hac arte tractabat virum.* Item in Phormione, *Artificem probum*: nam & Græci dolos, technas dicunt, ut in 2. *Perjurique arte Sinonis.* ut bonas *artes*, malasque *artes* dicamus. *Servius.*

Versat.] Pectus esse sedem sapientiæ & consilii, efficiunt verba Valer. Max. lib. 7. cap. 2. ubi loquens de Biante, qui fugiens portabat secum omnia sua bona, id est, sapientiam; signate ait: *pectore enim illa gestabat, non humeris.* Plauti Epid. act. scen. 2. *sapit hic pleno ore.* in Milit. *cui sapiat pectus.* in Mostell. *mihi in pectore consilii quod est.* & Bacchid. *versipellem frugi convenit esse hominem, pectus cui sapit.* Idem jam cor, jam animum usurpat ad eandem rem. Nam in Mostell. *Dum mihi senatum consilii in cor convoco.* & in Milit. *Dum ego mihi consilia in animum convoco:* Cerda.

658. *Faciem mutatus.*] Non figura est. Quod autem addidit & *ora*, perissologia est. *Servius.*

659. *Donisque furentem incendat reginam.*] Incendat & furere faciat; ut, *Animumque labantem Impulit. Implicet*

pro

Incendat reginam, atque ossibus inplicet ignem.
Quippe domum timet ambiguam, Tyriosque bilinguis.
Urit atrox Juno, & sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis adfatur Amorem:
Nate,

proprie ait: *Impliciti* enim morbo dicuntur, nam & amor morbus. *Serv.*

660. *Ossibus inplicet ignem.*] Scalig. lib. 4. c. 16. Multa alia verba sunt, *ingerat*, *induat*: sed illud plenius. Ita paullo post, & *cingere flammâ*. Taubmannus.

661. *Quippe domum timet ambiguam*] Modo incertam. In qua habitat mutabilis fœmina: ut, *Varium & mutabile semper Fœmina.* Item Juno in quarto, *Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ.* Alias, *ambiguam*, pro gemina duplicique accipitur: ut, *Agnovit prolem ambiguam.* Servius.

Ambiguam.] Παλίμβολον καὶ ἄπιστον: de quâ ambigas, Græcisne an Trojanis faveat. Atque hanc suspicionem egregie Veneri exprobrat Iuno 4. Æn.

Nec me adeo fallit, veritam te mœnia nostra
Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ.

Et sane Plato monet 4. de Legibus, Vicinitatem etiam maris officere morum integritati. *Taubm.*

Tyriosque bilinguis.] Fallaces. Nec enim ad linguam retulit, sed ad mentem. *Servius.*

Tyriosque bilinguis.] Διγλώττους, διχομύθους, διπλοῦς, fallaces & subdolos. Et potest allusum videri ad duplicem linguam, quâ Pœni utebantur, Tyriam & Libycam. Inde & Plautus in Pœnulo, act. 5. 2. Hanonem ut bilinguem, dicit esse, *bisulcâ linguâ, quasi proserpentem bestiam.* Et tales qui sunt, plerunque habentur veteratores. Jam, *Punica fides*, & *Phœnicum pacta*, Proverbio locum fecêre. Vide Turneb. l. 10. c. 24. *Taubm.*

Tyriosque bilinguis.] Sic *homo bilinguis* apud Phædr. l. 2. fab. 5. non ea notione, qua Ennius dixit *bilingues brutates*, qui & Osce & Græce loqui erant soliti. vide Sext. Pomp. de sign. verb. *Emmeness.*

662. *Atrox.*] Primo quantum ad Venerem pertinet, sæva; non quia ita de ea Poëta judicet. *Servius.*

Sub noctem cura recursat.] Circa noctem. Et sciendum, quia cum tempus significatur, *Sub*, præpositio accusativo cohæret: ut, *Aut ubi sub lucem, densa inter nubila sese Diversi rumpunt radii.* Et bene *Sub noctem cura rec.* Quia vehementiores curæ, vel circa noctem, vel per noctem sunt. *Recursat*, recurrit & revertitur, quasi semper in mentem venit. *Idem.*

Cura recursat.] Cura illa, quæ propter Iunonis odia nata erat, recursat quotidie sub noctem: *Corradus.* Poëta παλιμπετεῖς μελεδῶνας, q. d. *retrolapsas curas* vocat. Ita δυσκηδὴς νὺξ ἢ δύσφροντις καὶ δυσφύλακτος, καὶ μὴ ἀναπαύσιμος dicitur. Propert. lib. 4.

At mihi cum noctes induxit vesper amaras.

Jam vox *recursat*, inquit Scaliger, & frequentiam recurrendi notat, & sonum dat. *Taubm.*

663. *Ergo his aligerum dictis affatur amorem.*] *Aligerum*, compositum à Poëta nomen: Sane Latini deum ipsum *Cupidinem* vocant: eo quod facit amorem. Sed hic imitatus est Græcos: qui uno nomine utrumque significant. Nam Amorem dixit deum: sed discrevit epitheto. Sane nomen hoc, ratione non caret. Nam & quia turpitudinis est stulta cupiditas, puer pingitur: ut, *Inter quas curam Clymene narrabat inanem*, id est, amorem. Item, quia imperfectus est in amantibus sermo, sicut in puero: ut, *Incipit effari, mediaque in voce resistit.* Alatus autem ideo, quia amantibus nec levius aliquid, nec muta-

Nate, meæ vires, mea magna potentia solus,
665 Nate, patris summi qui tela Typhoëa temnis;

Ad te

mutabilius invenitur; ut in ipsa probatur Didone. Nam de ejus interitu cogitat, cujus paulo ante amore deperibat; ut, *Non potui arreptum divellere corpus.* Sagittas vero ideo gestare dicitur, quia & ipsæ incertæ velocesque sunt. Et hæc ratio pene in omnibus aliis numinibus, pro potestatum qualitate formatur. *Servius.*

664. *Nate, meæ vires.*] Aut quia Veneria voluptas exerceri sine amore non potest: aut, secundum Simonidem, qui dicit Cupidinem ex Venere tantum esse progenitum. Quamquam alii dicant, ex ipsa & Marte: alii ex ipsa & Vulcano: alii vero Chai & primæ rerum naturæ eum esse filium velint. Sane & hic persuasoriam agit, sicut superius, ubi Juno ad Æolum loquitur, *Æole namque tibi:* sed ibi, quia dea cum homine loquebatur, principio opus non fuit: hic vero principio usus est, quia Dea cum Deo loquitur, ad benevolentiam comparandam. *Nate*, ab indulgentissimo nomine causa amoris, *Mea magna potent.* Quid possit facere. *Qui tela Typh. temn.* Pro quo, *Frater ut Æn. Pelago Tuus.* contra quem, *odiis Jun. iniq.* Nam quod dicit Frater tuus, non filius meus, ostendit ei etiam profuturum, qui rogatur. Nam ex eo genere est illud, *Et nostro doluisti sæpe dolore.* Quæritur causa, *Hunc Phœnissa tenet d.* Timor ipsius, *Et vereor quo se jun. v.* Rem ipsam, *Quocirca cap. a. d.* Modus. *Qua facere id. p.* Quamdiu, *Noctem non ampl. v.* An difficile sit, *& notos pueri p. i. v.* Quomodo, *ut cum te gremio a. l. d.* Subito amabit, *Occultum inspires ig. f. o. v.* Nihil promisit, quid enim promitteret Deo? *Servius.*

Nate.] Id est, solus, qui Jovis contemnis fulmina, quæ diis cæteris solent esse terrori. *Idem.*

Nate.] Breviter omnia consilia sua exprimit, &, quomodo fieri possit, ostendit: & honestum facile, & necessarium demonstrat. *Donatus.*

Meæ vires.] Vindicat sibi necessitudo parentum, quicquid liberi possunt. Et docet inter filios & parentes tale debere esse volendi & nolendi studium, ut, in multis licet corporibus voluntas una & necessitudinis vinculum indistinctum, integrumque perduret. *Donatus.*

Nate.] Scribendum hic *gnate*, non *nate*, Pierius notat, & Achilles Statius c. 18. observationum. juvat Catullus, ad quem in geminatione allusit procul dubio Noster. Ille de Nup. Pel.

Gnate mihi longa jucundior unice vita,
Gnate.

Atqui in Catullo docti omnes legunt *gnate.* Cerda.

Nate, meæ vires, mea sola potentia.] Haud dissimilem legas locutionem apud Stat. Silv. l. 1. *Sed dabitur juveni, cui tu, mea summa potestas Nate, cupis.* & sic Venus amorem appellare introducitur ab Ovidio l. 5. Metam. vs. 363.

—— *videt hunc Erycina vagantem*
Monte suo residens, natumque amplexa volucrem,
Arma, manusque meæ, mea, nate, potentia, dixit.

Emmeness.

Solus, Nate, patris.] Hic locus contra vulgum ita distinguendus est, cum Servio, Donato, Fabricio, aliisque: ut dictio *Solus* ad posteriora referatur: *Solus Nate, &c.* Taubm.

Solis nate patris.] Hic vocativus cum recto, ejus structuræ exempla dabit Sanct. in Minerva p. 82. *Emmeness.*

665. *Patris summi.*] Nunc quidem de Jove proprie dixit. Sciendum tamen pro qualitate rerum, vel personarum, summum deum dici, vel patrem. Nam summum unusquisque putat esse eum, quem colit: ut, *Summe deum sancti custos Soractis Apollo.* Servius.

Typhoëa.] Multi *Tuphoja* legunt: ut *Cerealia,*

Ad te confugio, & supplex tua numina posco.
Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum
Litora jactetur, odiis Junonis iniquæ,

Nota

Cerealia, & *Cerealea*. *Typhœa* autem dixit, non quibus Typhoeus usus, sed quibus Jupiter in Typhœum: epitheton, ab spoliis, id est, virtute & victoria posuit, ut Scipio Africanus & Metellus Creticus. *Idem.*

Tela Typhoëa.] Facile ostendit esse, quod petit. Qui enim potuit Jovis fulmen contemnere, facilius poterit fœminæ mentem possidere. Ergo ita dixit, ne ille excusaret propter Junonem. Fecit autem benevolum filium dicendo, *nate*. Item, quod potior esset Jove, & esset potentia sua. *Donatus.*

Temnis.] Aphæresis, pro *contemnis*. Hac autem laude hoc dicit, facile eum posse Junonem contemnere, qui Jovem contemnit. *Servius.*

666. *Ad te confugio.*] Personarum ratio facit laudis augmentum. *Idem.*

Ad te.] Quasi dicat: Non est, qui tantum aut debeat, aut possit. *Donatus.*

Supplex.] Admonuit pietatis, ut filium: rogavit, ut Deum. Quid igitur accessit oneris, cum est rogatus ab ea, quæ auctoritate parentis jubere poterat? *Idem.*

Tua numina.] Possibilitatem. & notandum est, unum deum plura habere numina; ut supra dictum est de Junone. *Servius.*

667. *Frater ut Æneas.*] Conciliatio à qualitate personæ. *Idem.*

Ut.] Est *quemadmodum*: quod in pronuntiatione extenditur, quando temporis non est. *Idem.*

Frater ut Æneas.] Fecit benevolum & attentum: nunc facit docilem, subjuncta narratione totius negotii. Dixit *frater tuus*, ut appareat operam non in extraneo ponendam, sed in fratre esse necessariam. Ergo honestum & pium: ut frater pro fratre laboret, præsertim in caussa salutis. Adjungit labores, ut moveat commiserationem: & ostendit injuste pati, & deformat personam adversariæ, quæ prosequatur innoxium. *Donatus.*

Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum Litora jactetur odiis Junonis iniquæ.] Omnia prorsus exemplaria manu scripta, quæ hactenus legerim, scriptum ostendunt, *jacteturque odiis*, particula *que* tantum ad sustinendum versum interjecta, ut plerunque alias. Nam quod ajunt quidam ita, ordinem explicandum, ut dicamus: *nota tibi ut tuus frater Æneas jactetur pelago, jacteturque circum omnia litora*, nimium tortuosa mihi videtur oratio: Quare omnia circum litora, ampliationem potius esse dixerim, quod parum erat, pelago dixisse. *Jactetur* vero absque particula *que* libenter legerim. Nam pentimemereos locus omnino communis est, cui tamen isti passim ita consultum voluere, ut nullam pene reliquerint, cui non particulam eam obtruderent: Nisi dicamus figuram esse brevitatis per detractionem, quam alio loco Quintilianus adnotavit ab aposiopesi diversam, quum scilicet unum tantum siletur verbum, idque manifestum, ita hic detractum sit, *Erret*, quippe, *pelago, circum omnia litora, jacteturque odiis Junonis*: quod codicum antiquorum reverentiæ concedamus. Demum quod in aliis legitur *Junonis iniquæ*, in Longobardico legere est, *Junonis acerbæ*. quasi dicat implacabilis, quæ nulla possit ratione mitescere. Sed enim id admittendum, quod in pluribus & minus corruptis exemplaribus habetur, *iniquæ*. cui lectioni Ovidii etiam congruit parodia, *Dira lues populis ira Junonis iniquæ*. Pierius.

668. *Jacteturque.*] Vacat *que*. Serv.

Odiis Junonis iniquæ.] Justa caussa petitionis ostenditur. Odium autem, *o* in nomine breve est, in verbo vero longum, ut *Odit*. Quemadmodum *liquor*, *li* brevis est: *liquitur* longa. *Servius.*

669. Nota

Nota tibi: & nostro doluisti sæpe dolore.
Hunc Phœnissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus: & vereor, quo se Junonia vertant
Hospitia. haud tanto cessabit cardine rerum.

Quo-

669. *Nota tibi.*] Græca figura est: ut Terentius, *Mira vero militi quæ placeant.* Idem.

Nota tibi.] Hoc ad laudem Cupidinis pertinet. Maximum enim crimen esset ejus, si fratris periculum nesciret. *Donatus.*

Et nostra doluisti sæpe dolore.] Nostro autem, eo quo & ego: aut doluisti, ideo, quia me dolentem vidisti; ut *doleo illa re.* Servius.

Doluisti.] Si præterea doluit, debet cavere ne rursus dolenda succedant. *Donatus.*

670. *Hunc.*] In codicibus plerisque antiquioribus, *hunc* legitur: quod minime displicet: præsertim quum Ti. Donatus exponat, *jam* tenet. *Pierius.*

Phœnissa.] De Phœnice. *Servius.*

Dido tenet.] Ostendit facilitatem petitionis. Nam si amore jam Æneæ affecta est, non est opus initio amoris, in quo magna est difficultas, sed augmento. Desideratur autem augmentum, quia timetur Juno: à qua amor talis posset abrumpi. ergo opus erat tali amore, qui non posset abrumpi à Junone. *Donat.*

Tenet.] Moratur. *Servius.*

Tenet.] Julius Scal. *verbum clarius, ac minus plebejum hoc loco, quam si, ut in Bucolicis dixisset:* Postquam nos Amaryllis habet. *Cerda.*

Blandis vocibus.] Ideo dixit *blandis,* ut ostenderet Didonem facile amore incendi posse, quæ ante jam blanda est, quam amet. *Servius.*

671. *Quo se Junonia vertant Hospitia.*] *Quo:* in quam partem. *Junonia* autem *hospitia* Carthaginem dicit: ubi habitabat Juno; ut, *Hic illius arma.* Aut certe hoc ipsum vereor, quod Æneæ Carthago in hospitium patuit; ut est, *Timeo Danaos & dona ferentes.* Servius.

Junonia vertant Hospitia.] Id est, Punica, ideoque omnia suspecta. Junoni enim Carthago dicata erat: quæ ob id *Junonia* quoque vocata est. *Turneb.* l. 18. 32. *Taubm.*

672. *Haud tanto cessabit cardine rerum.*] Aut δεικτικῶς dixit, ne in tantum quidem: hoc est, *brevi occasione cessabit.* Aut simpliciter intelligendum, Non poterit in tanta rerum opportunitate cessare: ut sit de proverbio tractum, quod dicitur; *Res in cardine est,* hoc est, in articulo. Quidam sic intelligunt; cum in incerto statu res sunt, *in cardine* esse dicuntur, & translationem verbi à janua tractam volunt, quę motu cardinis hac atque illac impelli potest. *Servius.*

Cardine.] Hic fidem facit, cum fores clauduntur: & tribuit firmitatem. ergo dixit: *Tanto cessabit cardine rerum.* Erat enim in potestate absolvere amorem, quem voluntate susceperat: sed divinitus impactus, non potuit humano arbitrio summoveri. Asserit ergo necessarium remedium, quo omnis illa factio succumbat. *Donat.*

Haud tanto cessabit cardine rerum.] Servius *cardinem* hic pro opportunitate accipit: ut sit ἀκμὴ, καιρὸς, εὐκαιρία, quod proverbium jactetur, *res in cardine est.* Nec multum possum ab ea ego sententia deflectere: cum videatur mihi Maro ab ostiorum cardinibus, hoc est, στροφεῦσι, vel στρόφιγξι, metaphoram duxisse; vel cæli duas illas sibi oppositas partes respexisse, quæ immotæ immobilesque Astronomis dicuntur, & Græcis πόλοι; ut res Trojanorum prosperas & secundas significaret, ac velut in vado, & tuto esse, & ea constitutione compositas, ut Junoni iniquæ suspectæ esse deberent. *German.*

Cardine rerum.] Cardo ipsum punctum est ac momentum occasionis & opor-

Quocirca capere ante dolis, & cingere flamma
Reginam meditor; ne quo se numine mutet:
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
Regius accitu cari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat; mea maxima cura;

Dona

oportunitatis, quæ nisi rapiatur, effluit statim. Hoc loco: *in tanta occasione rei faciendum non cessabit.* Vide Salmas. Plin. exerc. p. 1249. *Emmeness.*

673. *Quocirca.*] Quapropter. *Serv.*

Capere ante dolis.] Ostendit melius esse, ventura propulsare, quam iis, quæ venerunt, remedia quærere. *Donat.*

Quocirca capere ante dolis.] Quapropter meditor præoccupare & implicare Didonem amore doloso: ne ad nutum alicujus Numinis animum suum mutet. Servius pro adverbio habet *quo*, id est, aliquam in partem. *Cingere* autem *flamma*, φλογὶ ἀμφιβάλλειν, vox militaris est, & metaphorica, ab obsessis igne ferroque urbibus. Ita 6. Æn.

Mœnia lata videt, &c.

Et 10. —— *& mœnia cingere flamma.* Taubm.

Cingere flamma.] Ducitur Metaphora à militaribus urbium obsidionibus: ipse in 10.

Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere cæde viros, & mœnia cingere flamma.

Totus Poëtæ locus desumptus apparet ex Apollonio 3. Arg. Ubi Venus Cupidinem sollicitat, ut Medeam incendat in amorem Jasonis. *Cerda.*

674. *Meditor.*] Mente pertracto. *Servius.*

Ne quo se numine mutet.] *Quo*, vel vacat, vel pronomen est. Et bene supprimit numen Junonis, ne ejus frequenti commemoratione, Cupidinem terreat: Magis enim vult, eum intelligere, quam audire Junonem: aut certe adverbium est: ut sit, Timeo ne se numine Dido aliquam commutet in partem. *Idem.*

675. *Mecum.*] Id est, cum officio Venerio; vel *mecum* per meos amores, me adnitente. Nec potest intelligi, quemadmodum ego. Aliter enim à matre Æneas, aliter amatur à Didone. *Idem.*

Mecum.] Tanto amore amet, quanto mater amat filium: cujus amor nullius violentia numinis valet abrumpi. *Donatus.*

676. *Qua.*] Id est, quomodo. *Servius.*

Quo.] Servius legit *qua*, id est, quo modo. In veteribus tamen exemplaribus plerisque *quo* habetur. In Mediceo, *qua*: ut agnitum à Servio. Quod vero *posses*, in Romano codice est, vitium id familiare. *Pierius.*

Accipe.] Audi: ut, *Accipe nunc Danaûm*; ut contra, *Da*, dic: ut, *Da Tityre nobis. Da, non indebita posco?* Servius.

Mentem.] Dispositionem, consilium. *Idem.*

677. *Accitu.*] Evocatione, & est quartæ declinationis. *Idem.*

678. *Urbem Sidoniam.*] Quam tenent Sidonii. *Idem.*

Puer ire parat.] Ostendit in commutatione formæ, ætatis commutationem non fore difficilem. *Donatus.*

Mea maxima cura.] Et Æneas cura est: sed Ascanius maxima: *Cui regnum Italiæ, Romanaque tellus Debentur:* & ubique Ascanius maxima cura Veneris introducitur: ut, *Veneris justissima cura.* Item, *Hunc tegere, & diræ valeam subducere pugnæ.* Servius.

Maxima cura.] Nolebat mittere Ascanium, ne duorum sollicitudine frangeretur: vel, ne is mitteretur, qui,

exo-

Dona ferens pelago, & flammis restantia Trojæ.
Hunc ego sopitum somno, super alta Cythera,
Aut super Idalium sacrata sede recondam:
Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit.
Tu faciem illius noctem non amplius unam

Falle

exoriente tumultu, sibi per ætatem cavere non posset. *Donatus.*

Mea maxima cura.] Quod ei regnum Italiæ & Romana tellus deberetur. Vel, quia ultra liberorum affectum nepotes haberi dicuntur. Sed & alioqui cura pro liberis omnium est maxima. *Taubmannus.*

679. *Dona restantia.*] Quia restiterunt, superfueruntque, & *Pelago* posuit, cum post Trojæ eversionem navigaverit Æneas. *Servius.*

Flammis restantia Trojæ.] Quod alibi:

—— relliquias Danaûm terraque marisque:

Scalig. lib. 4. cap. 16. Intelligit autem Pallam illam, Cycladem, Sceptrum, Monile & Coronam. Atque hoc ideo, ut viderentur interiisse meliora. *Taubmannus.*

680. *Hunc ego.*] Ne diceret Cupido, quid fiet de Ascanio, si ibo. *Donatus.*

Sopitum somno.] Unum quidem est *sopor* & *somnus*: sed modo *sopitum*, irrigatum intelligimus. *Servius.*

Sopitum.] Nam illa ætas multum profundeque dormit. Ergo erit sat temporis ad capiendos mulieris animos. Designat etiam tempus & locum amoribus aptum. *Donatus.*

Cythera.] Sicut dictum est genere neutro pluraliter, ut alibi, *Est alta Cythera.* Serv.

681. *Idalium.*] Cypri nemus est, in quo oppidum breve; ut paulo post, *Idaliæ lucos.* Item, *Idaliumque nemus.* Idem.

Sacrata sede.] Vel templi, vel oppidi. *Idem.*

682. *Ne qua scire dolos.*] *Qua* vacat, ut frequenter diximus. *Idem.*

Ne qua scire d.] Ne qua ratione Ascanius dolos præsentire possit, aut *Medius*, hoc est, intempestivus, ac negotio molestus interveniat. *Taubm.*

Medius.] Importunus, incongruus. *Servius.*

683. *Tu faciem illius.*] *Faciem* pro *vultu* posuit. Nullus enim potest faciem alterius accipere: sed vultum, qui pro mentis qualitate formatur. Unde infra est, *Et notos pueri, puer, indue vultus:* aut certe quia difficile numini non est, ut in faciem mutetur alterius. Sane *illius* in Georgicis corripuit; ut, *Illius immensæ.* Idem.

Noctem non amplius unam.] Ut supra diximus, artis Poëticæ est, non omnia dicere. Unde nunc permisit *Noctem unam.* Nec enim dicturus est, aut abscessum Cupidinis, aut adventum Ascanii. *Idem.*

Noctem unam.] Erat spatium breve, sed erat properandum, ne longi temporis opera esset necessaria: quia Ascanius longiori somno teneri non potuit. *Donatus.*

Tu faciem illius noctem, &c.] *Faciem falle dolo*, est dolose simula, & fallendo assume. Pimpontius: *Faciem fallere* dixit, ut Sophol. μορφὴν δολοῦν. Siquidem hic *Fallere faciem*, est ὑποκρίνεσθαι, mentiri & simulare: ut infra, *mentitaque lana:* & supra,

Et varios discet mentiri lana colores.

Tusanus & illud citat;

——faciem mentita Creusæ,

Id est, ψευσαμένην, vel ὑποκρινομένην. Pari forma Propert. lib. 4. el. 5.

Audax cantatæ leges imponere Lunæ,
Et sua nocturno fallere terga lupo.

ubi λυκανθρωπίαν respexit: quam & Maro 8. Ecl.

His ego sæpe lupum fieri & se condere silvis
Mœrim vidi ——

Falle dolo, & notos pueri puer indue vultus:
Ut, cum te gremio accipiet lætissima Dido,
Regalis inter mensas laticemque Lyæum,

Cum

Scalig. lib. 4. cap. 16. interpretatur, falsam habeas: præ te feras. Inusitatus, *inquit*, dicendi modus. Dicimus enim, *Cupido fallit Elisam:* σφάλλειν. Fallit autem falsa facie, id est, non sua: ergo non verá. Quare si facies falsa est, ergo aliquis eam fefellit, ἔσφηλεν: quod est, dimovit à natura sua. Non, quod Ascanii facies immutata sit; sed quod ab alio repræsentata. Etiam apud Hesych scriptum est, σφάλλον, κολάκευσον. Igitur etiam *simulare* significavit. Hoc non animadverterunt Grammatici: & Servius male interpretatus est, *faciem* pro vultu. Nemo, inquit, alienam faciem potest accipere. Profecto nemo homo: at Poëtarum dii possunt. Æn. 11.

Juturna in faciem mutata Metisci,

& 5. Æn.

Fit Beroë Ismarii conjux longæva Dorycli.

Nisi Ascanii faciem sumpsisset sibi Cupido, frustra vultu illius se suosque texisset dolos. *Hæc ille.* Taubm.

684. *Pueri puer.*] Argumentum à facili. *Servius.*

Pueri puer.] Σύζυγα habent argumentum à facili. Et lepida est collusio, sic infra:

—— *pueroque puer dilectus Iulo:*

Taubm.

685. *Lætissima Dido.*] Non est epitheton perpetuum: id est, cum læta esse cœperit. *Servius.*

686. *Regalis inter mensas.*] Epulas intemperantes, in quibus castitas rara est, & facilis amoris occasio. unde est illud Terentii, *Sine Cerere & Libero friget Venus.* Idem.

Regalis.] Epithetum ad conviviorum splendorem augendum frequentissimum. ita Ovid. 6. Met. *Regales epulæ mensis.* & Stat. 2. Theb. *regales epulas & gaudia vulgi.* Hieron. epist. 83. *regias paret epulas.* Ammianus lib. 18. *mensæ regales.* sic 6. Æn. *Regifico luxu.* Val. 2. Arg. *mensæque paratu Regifico.* Silius 11.

Regifice exstructis celebrant convivia mensis.

Quicquid enim regium est, ita magnum plerumque est, ut locum dederit his locutionibus. Philo quoque lib. 1. de vita Mosis in re convivii φιλοτιμίαις βασιλικαῖς. Græca quoque voce Plautus Pers. *Basilico accipiere victu.* Inde (quæ nota Brissonii est lib. 1. de Reg. Pers.) cum Horatius dixit,

Persicos odi puer apparatus.

intellexit *regales.* Nam vetus interpres: *Persicos, regales.* Cerda.

Regalis inter mensas.] Huc facit illud Terentii: *Sine Cerere & Libero friget Venus.* Utrumque enim in hoc convivio regali suppetebat, ideoque facilior esse potuit mentis inclinatio. *Latex Lyæus* autem vinum est: itaque Bacchus dicitur, ἀπὸ τοῦ λύειν: quod curas ac membra solvat. Poëta:

Cura fugit multo diluiturque mero.

Unde λυσιμελὴς appellatur; quomodo & Venus: λυσιμελὴς βάκχος καὶ λυσιμελὴς ἀφροδίτη. Petronius: *Aniculæ solutæ mero ac libidine.* Dictum autem, *latex Lyæus* ea forma, qua alibi *Arcadius magister*; pro, *Arcadicus*, & *Lyæius.* Horat. *Stertinium acumen*, pro *Stertinianum.* Vide Casaub. ad Theocrit. c. 1. *Taubm.*

Laticemque Lyæum.] *Latex* proprie aqua est, ab eo, quod intra terræ venas lateat: sed & vinum latet intra uvam. Unde nunc dixit *laticem. Lyæum* autem pro *Lyæium* figurate; ponens principalitatem, pro derivatione. *Servius.*

Laticemque Lyæum.] Dabo hîc Notam Hartungi Decur. 3. Solent Græci duo substantiva conjungere, quorum alterum pro adjectivo capiendum. Ut νηυσὶ πρυμνῆσι, *navibus puppibus*, pro, navi-

Cum dabit amplexus atque oſcula dulcia figet,
Occultum inſpires ignem, fallaſque veneno.
Paret Amor dictis caræ genetricis, & alas
Exuit, & greſſu gaudens incedit Iuli.
At Venus Aſcanio placidam per membra quietem
Inrigat,

navibus poſtremis. Ita Homerus 10. Il. νηὶ παρὰ πρύμνῃ. & Odyſſ. 2. νηὶ δ' ἐνὶ πρύμνῃ. Ergo, *laticem Lyæum* pro liquore Bacchico. Hic enim non eſt, Lyæus, æa, æum: ſed nomen ſubſtantiæ. Ita lib. 11. *ferro ſonat alta bipenni*, id eſt, ferro bipennato, & utrinque acuto. Placent iſta, ſed qui volet tamen accipere nomen adjectionis, poſſit. ut ſit quod Ariſtoph. dixit, Βάκχειον νᾶμα. Præſertim cum *bipennis* nomen ſit adjectionis, non ſubſtantiæ, ut liquidum ex Terentio Varrone in Pharmenone: *Ferens ferream humero bipennem ſecurem*. Cerda.

687. *Oſcula figet.*] Phraſis Lucretii, qui lib 4.

Foribus miſer oſcula figet.

ibidem, *labellis affigunt oſcula*. Repetit Noſter 2. *oſcula figunt*. Idem.

688. *Occultum inſpires ignem.*] Diffinitio amoris eſt, ignis occultus. *Servius.*

Occultum inſpires ignem.] Periphraſis amoris, per definitionem. Videatur P. Victorius lib. 38. cap. 8. ubi hoc ita vult dictum, ut ab Hom. ἐμπνεῖν μένος. *Taubm.*

Veneno.] *Venenum* dictum, quia per *venas eat*; ideo poſt ait, *longumque bibebat amorem*. Servius.

Fallaſque veneno.] Epig. lib 4. ἰοβολεῖ ἐς καρδίαν, ſive de ſagitta, ſive de veneno accipias. *Germ.*

Veneno.] De amore etiam Propertius lib. 2.

Intactos iſto ſatius tentare veneno.

Non abludit, vocari Amorem à Val. lib. 7. Arg. peſtem latentem oſſibus. Eſt ſatis ſagax in imitando Propertius, ſæpiſſime ad Poëtam alludit, & ſæpe ita clanculum, ut vix aſſequaris. Rem hic locus indicabit. Ut enim Poëta ignem, & venenum conjungit: ita ille libro 1. eleg. 5. in re ſimili amoris:

Et miſer ignotos veſtigia ferre per ignes,
Et bibere è tota toxica Theſſalia.

Eſt hoc genus imitationis illuſtriſſimum. *Cerda.*

689. *Paret amor dictis.*] Ut ſupra, pro Cupidine amorem poſuit. Sane notandum, quod interdum, ubi inducit minorem feſtinantem parere, majori reſpondentem eum non facit, ut hoc loco Cupidinem, ut in IV. *ille Patris magni parere parabat Imperio.* Et in VII. *Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis.* Servius.

Paret.] Non reſpondet. quid enim perſonæ matris, vel maxime in tali cauſa, reſponderet: & tempus facta, non fabulas exigebat: ergo ſe officioſum matri præſtat. *Donatus.*

690. *Alas exuit.*] Hoc eſt, depoſuit. Laus ingens Aſcanii per tranſitum. Siquidem, alis tantum depoſitis, Aſcanius fuit. *Servius.*

Gaudens.] Vel, ut filium exprimeret ad patrem euntem: vel, quia plena voluntate, juſſa matris implebat. *Donatus.*

691. *At Venus.*] Natura puerorum tangitur, qui ſecurius & diu dormiunt, ſi etiam accedant alia oblectamenta: ut ſeceſſus, flores, & odores, & mollicies, opacitaſque umbrarum. *Idem.*

Placidam per membra quietem.] Aut epitheton eſt quietis: aut ideo *placidam* dixit, quia eſt quies, quæ poteſt etiam ſomniorum terrore turbari. *Serv.*

Placidam per menbra quietem.] Eſt ubi *placitam* legatur: quod non æque placet. *Placida* enim proprium eſt quietis epitheton. *Pier.*

 692. *Inri-*

Inrigat, & fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos: ubi mollis amaracus illum
Floribus & dulci adſpirans complectitur umbra.
Jamque ibat dicto parens, & dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.

Cum

692. *Inrigat.*] Infundit, proprie quia ſomnus ſic pingitur, quaſi cornu infundat. *Serv.*

Inrigat.] Pulchra metaphora. Furius Antias 1. Annal. apud Macrob.

—— *mitemque rigat per pectora ſomnum.*

Lucretius lib. 4.

—— *Somnus per membra quietem*
Inriget.

Cyprianus in Geneſ.

Illius irriguo perfundit lumina ſomno.

Ego puto opus hoc eſſe Tertulliani. Non abit Hom. 2. Il.

Γλυκὺν ὕπνον ἔχευεν.

Dulcem infudit ſomnum.

Nam *fundo* de liquidis proprium. Ad hæc pertinent, quæ dicentur lib. 5. de Deo Somno, qui fingebatur ramum geſtare madentem Lethæo rore. Ad ſermonem tranſtulit Lucilius lib. 23. Satyr. *Per aures pectus irrigarier.* Cerda.

Inrigat.] Sic noſter lib. 3. Æn. ✠ſ. 511.

Corpora curamus, feſſos ſopor inrigat artus.

inde Somnus dicitur *irriguus.* Perſio Sat. 5. ✠ſ. 56.

—— *irriguo mavult turgeſcere ſomno.*

quid verbum *inrigare*, id eſt, aquam rivis inducere. Salmaſ. exerc. Plin. p. 913. *Emmeneſſ.*

Fotum.] Sublatum, complexum. *Servius.*

Fotum.] Id eſt, ſublatum, complexum. J. Jov. Pontanus in extremo Actii, pæne è ſingulis trium horum carminum verbis, eque Veneris geſtibus & Voluptatem & Admirationem gigni, docuit. *Taubm.*

629. *Idaliæ lucos.*] Turnebus l. 24. c. 44. *Idem.*

Amaracus.] Hic puer regius unguentarius fuit, qui caſu lapſus dum ferret unguenta, majorem ex confuſione odorem creavit. Unde optima unguenta, *amaracina* dicuntur. Hic poſtea in herbam ſampſuchum dicitur verſus, quam nunc *amaracum* dixit. *Servius.*

694. *Amaracus adſpirans.*] Scalig. lib. 4. *Amaracus adſpirans*, eſt quod ſupra dixit, *ſertiſque recentibus halant.* Omnia odorifera Veneri dicata ſunt. Eſt autem *amaracus* herba, quam & *Sampſuchum*, & vulgo *majoranam* dicunt: ex quâ conficitur *unguentum amaracinum*, quod Plinius l. 12. cap. 4. inter nobiliſſima recenſet. Oleum quoque inde fieri, quod *Sampſuchium* vocatur, aut amaracinum, &c. Lucret.

Denique amaricinum fugitat ſus & timet omne
Unguentum, *&c.*

Neque pejus ullum animal odit Venus, quam ſuem: ob interfectum Adonin. *Amaracus* vero puer regius unguentarius fuit, inque herbam ſui nominis mutatus eſt. Ita ut hoc loco puer puerum complecti videatur. *Taubm.*

Umbra.] In quâ rectius dormitur. Atque hinc eſt, quod Ovidius domum Somni ſcribat eſſe, quam Sol nunquam adeat. *Idem.*

695. *Jamque ibat.*] Cum vix Venus iſta dixiſſet. Sane neque feſtinantibus perſonis, neque minoribus eſt reſpondendi facultas; ut hoc loco Cupidini: ut, Mercurius ſupra, item in quarto, ut in ſeptimo, Furiæ. *Servius.*

Dicto parens.] Pro eo in ſoluta oratione paſſim *dicto audiens.* Emmeneſſius.

696. *Portabat.*] Portanda curabat. *Taubm.*

697. Cum

Cum venit, aulæis jam se regina superbis
Aurea conposuit sponda, mediamque locavit.

Jam

697. *Cum venit.*] Aut pro *cum venerit* ait. ut *Cum* sit adverbium temporis, pro *dum*. Nec enim potest conjunctivi modi particula jungi indicativo. Sane sciendum, malo errore, *cum*, & *dum* à Romanis esse confusa. *Serv.*

Cum venit.] Executus est jussa mature: quia prævenit convivium, & venit cum jam discumberent in aptissimo tempore. *Donatus.*

Cum venit, &c.] Quando Ascanius venit, jam Dido auratis ornata vestibus, vel aureâ spondâ, eoque in lecto, qui *Medius* erat, accubuit. Jam si *Aurea* dicitur *Regina*, dactylus erit: si *sponda*, fit Synæresis: idque malunt quidam docti. Et Cælius quidem *spondam* interpretatur *sedilia discumbentium*. Videtur expressum illud Pindari χρυσόθρονος κυρίνη. Sappho quoque ποικιλόθρονον vocat ἀφροδίτην, forte à variegatâ veste. Verbum autem, *Composuit*, 4. G. somno tribuit:

—— *thalamis se composuêre.*

Et Propert. lib. 2.

Et tabula una duos poterit componere amantes, &c.

Porro *medium* se locat Dido, ut decebat Reginam. Medium enim locum honorificentissimum habitum, argumentis firmat inprimis Lipsius lib. 3. Antiq. Lect. Vide tamen Notas Æn. 2. ✠f. 2. *Taubm.*

Auleis.] Velis pictis, quæ ideo *aulæa* dicta sunt; quod primum in aula Attali, regis Asiæ, qui populum Romanum scripsit heredem, inventa sunt. Ideo autem etiam in domibus tendebantur aulæa, ut imitatio tentoriorum fieret: sub quibus bellantes semper habitavere majores. Unde & in thalamis hoc fieri hodie conspicimus. Varro tamen dicit, vela solere suspendi ad excipiendum pulverem: quia usus cameræ ignorabatur. Unde Horatius, *Interea suspensa graves aulæa ruinas In patinam fecere, trahentia pulveris atri, Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.* Sciendum sane Græca nomina in *η* exeuntia, cum derivationem faciunt, *η* in *æ* diphthongum convertere, ut αὐλη, *aulæa*, ἴδη *idæa*, αἴτνη, *ætnæa.* Servius.

Superbis.] Nobilibus. ut, *Ceciditque superbum Ilium.* Idem.

Superbis.] Sic Stat. l. 1. Thebaid.

—— *Jam ipse superbis*
Fulgebat stratis.

Stat. l. 1. Theb.

Pars ostro tenues auroque sonantes
Emunire toros, altosque inferre tapetas.

Emmeneß.

698. *Aurea.*] Si Dido *aurea*, pulchram significat: & est nominativus. Si *sponda*, septimus quidem est: sed synæresis fit, & spondeus est. *Servius.*

Aurea.] Potest esse rectus, ut jam explicui. Quod firmat imitatio Propertii, lib. 4. eleg. 7.

Hac Tyburtina jacet aurea Cynthia terra.

potest etiam esse Latinus casus, ut fiat synæresis *aureâ spondâ*. Cerda.

Sponda.] Antiqui stibadia non habebant: sed stratis tribus lectis epulabantur. Unde & triclinium sterni dicitur: sic Cicero, *Sterni triclinia & in foro jubebat.* Unde apparet errare eos, qui triclinium dicunt ipsam basilicam, vel cœnationem. *Servius.*

Sponda.] Erat hæc, reclinatorium, quo veteres sustinebant mediam partem superiorem corporis in accubitu (ex Nota Ursini) ab Spartiano *anaclinterium*, ab aliis *pulvinus*. Ad hoc pertinet illud Martialis lib. 3.

Cubitis trudit hinc & inde convivas
Effultus ostro, sericisque pulvinis.

Scribit etiam Ciacconius, in marmoribus videri plurimos accubantes, cubito innixos pulvinis. Ergo Dido componit se in sponda, id est, pulvino illo, qui illi erat pro fulcro, ut sine ulla molestia

Jam pater Æneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis.

Quin-

lestia epulis operam daret. Notat Pollux lib. 6. quod reliquis est ἀνάκλιντρον, uni Aristophani esse ἐπίκλιντρον. *Cerda.*

Mediamque locavit.] Collocavit. Ipse enim apud majores domini fuerat locus; ut aperte Salustius docet, *Igitur discubuere. Sertorius inferior in medio; supra L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis: in summo Antonius; infra scriba Sertorii Versius. Alter scribæ Mœcenas in imo, medius inter Tarquilium & dominum Perpernam.* Servius.

Mediamque locavit.] Dignissimus locus pro opinione gentium censetur. de eo disputantem adi Salmas. exercit. Plin. p. 1254. & Turneb. lib. 6. c. 21. *Emmeness.*

699. *Jam pater Æneas.*] Religiosus: quia *pater* proprie omnium deorum epitheton est, ut Virgilius ostendit. *Servius.*

Jam pater Æneas.] Discernitur ipse & Trojani sedibus purpureis. *Donatus.*

700. *Ostro.*] Pro *purpura* posuit, unde & tingitur. *Serv.*

Stratoque super discumbitur ostro.] Apud C. Julium Ro. ubi de præpositionibus agitur, quæ à Suetonio Tranquillo in ordinem digestæ fuerint, versus citatur ex Marone, ita scriptus, *structoque super discumbitur ostro.* Nam *Extruimusque toros*, alibi dictum, & *instruimus mensas.* Quanquam *strato* minime displiceat, quod de tapetis intelligendum est. *Pier.*

Stratoque super discumbitur ostro.] Id est, lectis discubitoriis ostro sive purpurâ stratis. Æschylus etiam πορφυρόστρωτον πόρον vocat. Ita Cicero *lectos conchyliatis peristromatis stratos* dixit. item, *sternere triclinia, &c.* Sunt, qui malint legere, *structo*, quia 3. Æn. dixerit, *Exstruimusque toros*: &, *Exstruimus mensas.* Taubm.

Stratoque super discumbitur ostro.] Ad hunc locum consule Ciacc. de triclin. p. 17. pro eo Stat. Theb. l. 4. Achil.

—— *& picto discumbitur ostro.* Emm.

701. *Dant famuli manibus lymphas.*] Humilis character, qui ἰσχνὸς dicitur. Vilia enim describuntur. *Servius.*

Dant.] Describit familiæ ordinem. *Donatus.*

Dant famuli manibus lymphas.] In Romano, in Longobardico, & aliquot aliis codicibus, antiquis transportatis dictionibus, legere est, *dant manibus famuli lynphas:* Sed isti Lambdacismum evitare voluerunt, quum tamen auctores plerunque hujusmodi syllabarum concursum venustati ducant. *Pier.*

Dant famuli manibus lymphas.] Postquam in lectis ordine collocaverant, manus lavabant. vide Feithium l. 3. c. 5. ant. Hom. Ciacc. de Triclin. p. 42. & de lotionibus post cœnam in appendice Fulv. Ursinum p. 305. ubi formula κατὰ χειρός. *Emmeness.*

Cereremque.] Hic panem, alibi triticum: ut, *Tum Cererem corruptam undis.* Servius.

Canistris.] Mos apud veteres fertur fuisse, ut panis, non argenteis, sed vimineis vasculis inferretur. *Donatus.*

Canistris.] Ἐν κανέοισι, ferebant σῖτον, id est, panem, quod jam in antiq. Hom. observavit Feithius lib. 3. c. 1. Stat. Thebaid. l. 1.

—— *His cumulare canistris*
Perdomitam saxo Cererem. ——

Ejusque distributio alicui ex servis tricliniariis incumbebat. ut Pignor. de Servis p. 58. *Emmeness.*

702. *Expediunt.*] Proferunt. *Serv.*

Tonsisque ferunt mantelia villis.] Vel minutis: vel compositis, ut, *tonsa corona*

Quinquaginta intus famulæ: quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere penates.

Cen-*rona* * *eſt.* Conſtat enim majores, mappas habuiſſe villoſas, quibus etiam in ſacris utebantur; ſicut in Georgicis, *Manibus liquidos dant ordine fontes Germanæ tonſiſque ferunt mantilia villis.* de ſupplicaturis enim hoc dixit. *mantilia* vero à *tergendis manibus* dicta; & eſt nominativus *mantile*, quo modo *torale*. Quod autem legimus *Ne turpe toral*, apocope eſt. *Idem.*

Mantelia.] Romanus codex, & hic, & in Georgicis, *mantelia* per *e* tertia à fine ſyllaba legit: Ac ne quis putet ex familiari quodam ſcribendi more, quo plurima toto opere in eo codice, *i* in *e* mutant, ita hoc etiam loco factum eſſe: ſciendum in aliis quoque veteribus pleriſque codicibus, *mantelia* ſcriptum eſſe. Nam in Oblongo apparet id manifeſte. In Longobardico vero abraſa dictio eſt: ſed enim *mantelia* omnino prius ſcriptum fuiſſe diſcernitur. Sane *mantellum* apud Plautum, & apud Lucillium *mantella* legitur. *Mappas Mantella, merumq;.* atque ita *mantelia.* Pier.

Mantelia.] Vide notas noſtras lib 4. Georg. ℣ſ. 377. quibus adde quæ de Mantelibus obſervavit Ciaccon. de Triclin. p. 28. *Emmeneſſ.*

703. *Quinquaginta intus famulæ.*]Hoc eſt, multæ. *Servius.*

Ordine longo.] Id eſt, diſpoſitione ſecundum Tullium: qui in OEconomicis dicit, quid ubi ponendum ſit. Nec enim debent univerſa confundi. *Idem.*

Ordine longo.] Ubi fuerant quinquaginta,ad quarum curam pertinebat procuratio cellarii, & deorum Penatum cultus: illas ſine dubio viciſſitudo longo ordine tangebat. *Donatus.*

Quibus ordine longo Cura penum ſtruere.] Eſt & ubi *longam penum* legas. Dictum enim *longam penum* à Virgilio Fl. Soſipater auctor eſt: *Penum* porro fœminino genere Lucillium quoque dixiſſe conſtat, eo carmine: *Magna penus parvo ſpatio conſumpta peribit.* Eodem genere uſos Pomponium & Nævium, ait Nonius, qui non probari ait auctoritatem eorum, qui neutro genere dixerint, quamvis Feſtus *penora* ponat. Quantum vero pertinet ad vulgatiorem lectionem, quæ eſt *longo ordine*, ea in pluribus ex vetuſtis exemplaribus habetur, & agnoſcitur à Donato. *Pier.*

Ordine longo.]Donatus,Servius,Chariſius legunt, *longam Cura penum ſtruere.* Et quia penus *longa* eſt, recte ſtructores ait eſſe curioſos & diſpoſitos. Quid ſit *Penus*, docet Agellius lib. 4. c. 1. *ſtruere* autem eſt ordinare & componere. Unde & *ſtructores* dicuntur ferculorum compoſitores, ſeu *ſcindendi obſonii magiſtri.* De cujus munere, ut & de arte ſtructoria, videatur Seneca epiſt. 47. item De Brev. vitæ cap. 12. inprimis Juvenalis Sat. 2. & 5. *Taubm.*

704. *Cura penum ſtruere.*] Inter *penum* & *cellarium* hoc intereſt; quod *cellarium* eſt paucorum dierum: unde & in cella dicitur importatum frumentum. *Penus* vero, temporis longi. Sane dicimus, *& hic & hæc & hoc penus:* ſed à maſculino & fœminino genere quarta eſt declinatio, à neutro tertia, quo modo eſt *pecus pecoris.* Unde Horatius, *Portet frumenta penuſque.* Maſculino vero genere Plautus, *Niſi mihi annuus penus datur.* Fœminino Lucillius poſuit, *Uxori legata penus.* Quartæ autem declinationis, Perſius docet: ut, *In locuplete penu defenſis pinguibus umbris.* Servius.

Struere.] Ordinare, componere. Unde & *Structores*, dicuntur ferculorum compoſitores. *Idem.*

Cura penum ſtruere.] Ancillæ, quibus cura penum ſtruere, Græcis dicuntur *σηκίδες*, vel *σηκίλαι*, atque etiam fortaſſe *ἄβραι.* Primas duas voces aliqui contrahunt tantum ad penum in agro, poſtremam dilatant ad omnia munia ancillarum. *Cerda.*

Struere.] Cibos, à coquo elaboratos, collo-

705 Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.
Nec non & Tyrii per limina læta frequentes

Con-

collocabat structor, qui Græce τραπεζοποιὸς vel τραπεζοκόμος appellabatur. de iis, qui penum struebant, & flammis adolebant penatibus, meminit Macrob. l. 1. Saturn. c. 24. *inter hæc servilis moderator obsequii, cui cura vel adolendi penates, vel struendi penum, &c.* vide Pignor. de Servis pagina 56. 57. *Emmeness.*

Et flammis adolere penates.] Id est, Colere. Sed *adolere*, proprie *augere*. In sacris *Adolere* per bonum omen dicitur. Nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur & consumuntur; quia veteres in focis sacrificabant, ut ipse alibi, *Hortor amare focos.* Servius.

705. *Centum aliæ.*] Eleganter atque breviter divitias expressit, laudavitque. Voluit enim demonstrare, ducentos, & sexum, & ætatem discernere. Numerus autem non est res magna in rege, sed parilitas ætatis, quæ ostendit quanta sibi servorum esset multitudo: ex qua ducenti pari ætate eligi potuerint digni, qui curarent supra dicta. *Donat.*

Totidemque pares ætate ministri.] Non numerus: sed ætatis qualitas habet admirationem. *Servius.*

Centum aliæ.] Nihil fuit magnum, si ducentis ministris ad hanc officii partem utebatur: nisi fuissent *Pares ætate*. Non enim numerus, sed ætatis qualitas hîc habet admirationem. In evidenti enim est, quanta servitiorum fuerit multitudo, ex quâ centum ministri, & totidem ministræ pares ætate deligi potuerunt. Imitatur hunc locum Val. Flaccus:

Stant gemmis auroque tori, mensæque paratu
Regifico: centumque pares primæva ministri
Corpora: pars epulas manibus; pars aurea gestant
pocula. —— Taubm.

Centum aliæ totidemque, &c.] In numero servorum convivii ponebant magnificentiam veteres. Pignorius p. 57. hanc infertorum & pocillatorum turbam fuisse credit. & hi singulari nomine *ministri* vocabantur. Eundem consule p. 47. 48. eo nomine Stat. l. 1. Theb.

—— *adolere focos epulasque recentes*
Instaurare jubet dictis parere ministri
Certatim accelerant. De his etiam Ciacc. de Tricl. p. 68. *Emmeness.*

706. *Qui dapibus.*] Quidam *dapes* regum volunt esse, *Epulas* privatorum. *Serv.*

Onerent.] Potest & abundantiam retulisse, & de veterum more dixit, quibus cum accubuissent, omnis cœna semel adponebatur. Et quidam volunt hoc secundum veterem ceremoniarum ritum adverti debere, quod Flamini diali mensa inanis non adponebatur: nam cum dicit, *Qui dapibus mensas onerent & pocula ponant:* Et alibi, *Et vina reponite mensis*, quid aliud ostendit, quam mensam vacuam non antepositam Æneæ, quem ubique omnia sacerdotia inducit habuisse. *Idem.*

Onerent & pocula ponant.] In Romano codice, & plerisque aliis pervetustis, legere est utrunque verbum indicandi modo, numero etiam variato: scilicet hoc pacto, *qui dapibus onerant mensas & pocula ponunt*, quod nescio quid picturatius habet, quum res ipsa ita geri videatur: quod in priori illo indefinito modo significaret tantum paratos eos esse ad onerandas mensas, & ponenda pocula. Unicuique tamen integrum sit, quam maluerit lectionem sequi. *Pier.*

Et pocula ponant.] Similiter more antiquo dixit, quia veteribus non in manus dabantur pocula, sed mensis apponebantur, ut hodie apud plures; pocula in canistris argenteis apponuntur, quæ *canistra siccaria* dicuntur. *Servius.*

Pocula ponant.] Κύπελλα παρατιθῶσι. *German.*

707. *Nec non.*] Supra ostrum Trojani,

Convenere, toris jussi discumbere pictis.
Mirantur dona Æneæ; mirantur Iülum,
Flagrantesque dei vultus, simulataque verba,
Pallamque, & pictum croceo velamen acantho.
Præcipue infelix pesti devota futuræ
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo

Phœ-

ni, qui magis essent honorandi, sederunt: Tyrii vero in vestibus pictis. *Donatus.*

Nec non & Tyrii per limina læta, &c.] Ab his verbis non abludit mos Persarum, quem late probat Brisson. lib. I. de Reg. Pers. quo proceres, & optimates terebant Regum limina; & inde aulicos omnes, & magnates generali hoc nomine τ ἐπὶ θύραις βασιλέως, comprehensos. *Cerda.*

708. *Toris pictis.*] Pro *in toris pictis*; & *torus* dictus est, quia veteres super herbam tortam, vel sedebant, vel discumbebant: ut V. Æneid. *Viridante toro consederat herbæ.* Servius.

Jussi discumbere.] De regiis satellitibus dixit, qui utique subjecti erant imperio, nec tantum quod hospites fuerant; *discumbere* autem juxta consuetudinem suorum temporum dixit, quia olim sedentes vescebantur; ut ipse alibi, *Gramineoque viros locat ipse sedili*, &, *perpetuis soliti patres considere mensis.* Id.

709. *Mirantur dona Æneæ.*] Hoc ad Tyrios retulit. *Idem.*

Mirantur.] Per hoc ostenditur, regina quanquam ditissima & ditissimi viri uxor fuisset, talia nunquam habuisse, cum hæc ipsa & sui Tyrii mirentur. Alius intellectus est: Mirantur dona Æneæ, id est, mirantur talia Æneam vel habere, vel donare potuisse. Mirantur ergo substantiam animi largientis. *Donatus.*

Mirantur Iulum.] Quem putabant Iulum. *Servius.*

710. *Flagrantesque Dei vultus.*] Ardentes divinitate. Hoc ad poëtam refertur. *Idem.*

Simulataque verba.] Composita in Ascanii similitudinem. Et hoc ex persona poëtæ accipiendum. *Idem.*

712. *Præcipue infelix.*] Propter casum futurum, ut probant sequentia. *Serv.*

Infelix.] Quia benignum animum exhibebat, quem deberet inimicum exhibere, cum ex eo pararetur sibi mors. *Donatus.*

Pesti devota futuræ.] Ideo ergo infœlix, *pesti* autem vel amori, vel malo. *Devota* vero de oratione Augusti translata est locutio, quem habuit in laudatione funeris Marcelli; cum diceret illum *immaturæ morti devotum fuisse.* Serv.

Pesti devota futuræ.] Id est, perniciosо & exitiali amori penitus addicta. Ita Cicero 3. Tuscul. *Devotus & donatus studiis.* Ita Phædrus Fab. 63. *Devotam vino filiam*, dixit, id est, deditam. *Taubm.*

713. *Expleri mentem nequit.*] Græca figura est. *Servius.*

Expleri.] Pari forma infra, *implevit genitoris amorem.* Pari Tacitus lib. I. *cum oculis, cum lacrymis dolorem meum implevero.* sic *saturo*, & *satio*, consimilia verba ad animum referas. Sic Catullus de Nupt. Pelei,

Lumina sunt gnati chara saturata figura.

Tacitus,

Velata parte oris, ne satiaret aspectum.

Videtur autem Poëta instituisse Catullo de nupt. Pelei,

Nec prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam toto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis.

Sic Cedrenus, θυμὸν ἐμπιπλὰς. *Cerda.*

Expleri mentem.] Græcissans constructio, cujus exempla suggerit Sanct.

in

Phœnissa, & puero pariter donisque movetur.
Ille, ubi complexu Æneæ colloque pependit,
Et magnum falsi inplevit genitoris amorem;

Regi-

in Minerva pag. 400. ut noster *expleri mentem nequit*,, sic Longus l. 2. in pastoral. *ἀπλήςως ἐνεφόρϐντο τ̃ ἡδονῆς.* *Emmeneß.*

Tuendo.] Dum intuetur. Et omnis gerundii modus, tam ab agentis, quam à patientis significatione similiter profertur. ut, *Cantando tu illum*, id est, dum cantas. Et, *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis*, id est, dum ei cantatur. *Servius.*

Ardescitque tuendo.] Contrarium posuit. Nam considerationi intenta, fastidium incurrere debuit. *Donatus.*

Ardescitque tuendo.] Advoca, quæ dicta 8. eclog. *ut vidi, ut perii.* Et illis adjice Græcum versiculum.

Γυναικὸς ὄμμα τοῖς ἀκμάζϐσιν βέλος,
Mulieris oculus est juvenibus spiculum.

Et Propertium lib. 2. eleg. 32.

Qui videt, is peccat: qui te non viderit ergo,
Non cupiet: facti crimina lumen habet.

Et Terentium in Eunucho:

Totus tremo, horreoque postquam illam aspexi.

Cerda.

Ardesc. tuendo.] Id est, incenditur amoris flamma, contraria significatione illi 3. Georg. *uritque videndo Fæmina.* Nam *ἐκ τ̃ ὁρᾷν γίγνεται τὸ ἐρᾷν.* Euripid. Hippol.

Ἔρως, ἔρως, ὃ κατ' ὀμμάτων ςάζεις πόθον!
O Amor, Amor, qui per oculos instillas desiderium!

Quippe Amor habitat in oculis.

Oculi sunt in amore duces,

auctore Propert. lib. 2. el. 12. Et in Bucol. *Ut vidi, ut perii.* Quia vero oculi amoris illices sunt, animi sedem in his putavere. Quare & Poëtæ *Cupidinem* ibi excubantem, suaque jacula inde mittentem finxerunt. *Taubm.*

Ardescitque tuendo.] Illud tueri Longus in pastoral. appellat *ἀπλήςως βλέπειν.* de hoc perpetuo adspectu Catull. in nupt. Pelei:

Nec prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina quam toto concepit pectore flammam,
Funditus, atque imis exarsit tota medullis. Emmeneß.

714. *Et puero pariter donisque movetur.*] In antiquis plerisque omnibus exemplaribus legere est, hoc dictionum ordine, *& pariter puero donisq. movetur.* Movebatur vero *puero*, quæ jam animo agitare cœpisset, posse se talem concipere ex Ænea. *Donis*, quia muliebre genus proclivius est in avaritiam. est enim magis infirmum, ac perinde magis opum appetens, & auxilii. *Pierius.*

715. *Ille ubi.*] Postquam, ut Horatius, *Nos ubi decidimus.* Hoc est, *postquam.* Nam si loci esset, *Quo* diceret. Ergo *ubi* interdum adverbium loci est, interdum temporis. *Servius.*

Colloque pependit.] Imitantur Ovidius, & Valerius. Prior. 2. Fast.

Deque viri collo dulce pependit onus.

Posterior 2. Arg.

Nec minus Orphea tristis cervice, tuaque Æacide, & gremio conjux à Castore pendet.

Propertius lib. 4. eleg. 12. flexu alio videlicet:

Fungere maternis vicibus pater, illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.

& alio Ovidius in epist. Hermion.

Non ego captavi brevibus tua colla lacertis,
Nec gremio sede sarcina grata tuo.

Cerda.

716. *Et magnum.*] Arduum. Difficile est enim imitari verum filii affectum. *Servius.*

Falsi genitoris.] Non veri, pro eo, qui fallebatur; ut sit, implevit amorem ejus, quem decipiebat simulando, eum esse patrem suum, & est magis abso-

Reginam petit. hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret: & interdum gremio fovet, inscia Dido
Insidat quantus miseræ deus. at memor ille
Matris Acidaliæ, paullatim abolere Sichæum
Incipit,

absolutum participium, nam illic nomen est, *Falsi Simoentis ad undam*. Serv.

Falsi.] Magna res, ut etiam pater deceptus sit. *Donat.*

Falsi genitoris.] Dissolvit Callimachi vocem in Cerere, ψευδοπάτορα. Merito Scalig. eludit hîc quæpiam Serviana. Hic *falsi* potest esse ἐψευσμένου, *decepti*. fallebatur enim decipiebaturque Æneas, putans illum suum esse filium. *Cerda.*

Falsi.] Quem falso suum esse dicebat. Ita Catullus, Herculem *falsiparentem* vocat, passive; cujus pater is esse creditur, qui minime sit. Callimachus ψευδοπάτορα vocat. *Taubm.*

Implevit.] Pari forma Tacitus lib. I. *Quum osculis, cum lacrimis dolorem meum implevero, me quoque trucidari jube.* Ita Cicero: *explevit desiderii exspectationem.* Idem.

717. *Reginam petit.*] Non simpliciter dixit, *petit.* Nam *petere*, proprie est *insidiari.* Servius.

Oculis hæret.] Arripuit Propertius lib. I. eleg. 19.

Non adeo leviter nostris puer hæsit ocellis.

Pulcherrime Horatius lib. 4. od. 13. de Cupidine:

Pulcris excubat in genis.

Et *hærere* quidem in re simili obvium. Ovidius in epist.

Hærebat gremio turpis amica tuo.

Cerda.

718. *Gremio fovet.*] Sustinet: ut, *Et fotum gremio.* Servius.

719. *Insidat.*] In sinu sedeat, legitur tamen & *insidat* * ut quidam volunt insidias faciat. *Idem.*

Insidat quantus.] Tanto libentius imprudens complectebatur, quantum nesciebat qualem deum amplecteretur. *Donatus.*

Insidat.] Sunt qui, *insidat* trisyllabum legant. & ita apud Ti. Donatum scriptum est. Id ego nusquam alibi, neque in veteribus codicibus inveni. alii *insideat*. Pierius.

Inscia Dido insidat quantus.] Hunc locum videtur Ovid. de Europa imitatus: *ausa est & regia virgo, Nescia quem premeret, tergo considere tauri.* Ut autem hic dativo *insidere* junxit, sic & Hes. δενδρέῳ ἐφεζόμενος· & Æsch. in Χοηφ. ἰδὼν νεοσσοὺς τοὺς δ' ἐρημένους πέφῳ. Nam & huic verbo aliquando accusandi casum dat, ut in illo: *insedisse supremos patriæ cineres*: &, *summas Pallas insedit arces*: ut Eurip. in Oreste: πύθιον τρίποδα καθίζων. II. Tum rursus sylvis insedit iniquis. Respondet hæc phrasis illi in Symp. Plat. de Amore: ἀναθεῖν γὰρ καὶ ἀπεληλυθηκότι καὶ σώματι, καὶ ψυχῇ καὶ ἄλλῳ ὁτῳοῦν οὐκ ἐνίζει ἔρως. hoc est, οὐκ ἐνιζάνει, non insidet amor. *Germ.*

At memor ille Matris.] Hoc est, *præceptorum matris.* Servius.

720. *Acidaliæ.*] *Acidalia* Venus dicitur; vel quia injicit curas, quas Græci ἀκίδας dicunt, vel certe à fonte Acidalio: quia est in Orchomeno Bœotiæ civitate: in quo se Gratiæ abluunt, quas Veneri constat esse sacratas. Ipsius enim & Liberi filiæ sunt, nec immerito. Gratiæ enim per horum fere numinum munera conciliantur. Ideo autem nudæ sunt, quod gratiæ sine fuco esse debent. Ideo connexæ; quia insolubiles esse gratias decet. Horatius, *Segnesque nodum solvere Gratiæ.* Quod vero una aversa pingitur, duæ nos respicientes, hæc ratio est: quia profecta à nobis gratia, duplex solet reverti. unde est supra, *Nec te certasse priorem Pœniteat.* Sane Veneri, multa nomina pro locis vel causis, dicuntur imposita. Nam *Venerem* vocari quidam propter promptam veniam dicunt; alii *Suadam* appellant,

Incipit, & vivo tentat prævertere amore

Jam

pellant, quod ipsa conciliatio Suada sit: dicitur etiam *Obsequens Venus*, quam Fabius Gurges post peractum bellum Samniticum, ideo hoc nomine consecravit, quod sibi fuerit obsecuta; hanc Itali *Postvotam* dicunt; dicta est etiam *Equestris Venus*; dicta & *Cloacina*, quia veteres *Cloare* pugnare dixerunt; dicitur & *Myrica* & *Myrtea*, & *Purpurissa* & *Erycina*, quam Æneas secum advexit: dicitur & *Salacia*, quæ proprie meretricum Dea appellata est à veteribus; & *Lubentina*, quæ libentiam mentibus novam præstat; quamvis alii hanc *Lubiam* dicant, quod eo numine consilia in medullas labantur: Alii *Mimnerniam*, vel *Meminiam* dicunt, quod meminerit omnium. Est & *Verticordia* & *militaris Venus*. Est & *Limenesia*, quæ portubus præest, ipsa & *Victima* & *Netrix* ex Cæsaris somnio sacrata. Est & *Venus calva*, ob hanc causam; quod cum Galli Capitolium obsiderent, & deessent funes Romanis ad tomenta facienda: Prima Domitia crinem suum, post cæteræ matronæ imitatæ eam, execuerunt: unde facta tormenta, & post bellum statua Veneri hoc nomine conlocata est; licet alii *calvam* Venerem, quasi puram tradant; alii *calvam*, quod corda amantum *calviat*, id est, fallat, atque eludat. Quidam dicunt porrigine olim capillos cecidisse fœminis, & Ancum Regem suæ uxori statuam calvam posuisse, quod constitit piaculo, nam mox omnibus fœminis capilli renati sunt; unde institutum ut *Calva Venus* coleretur. Apud Cyprios Venus in modum umbilici, vel ut quidam volunt, metæ colitur. Apud Ephesios Venerem *Automatem* dixerunt, vel *Epidetiam*. Ratio autem eorum nominum talis est. Meliboeus & Alexis amore se mutuo dilexerunt, & juramento se adstrinxerunt, ut cum tempus nuptiarum venissent sibimet jungerentur: sed cum virginem parentes sui alii despondissent, & hoc Alexis vidisset, spontaneum subiit exilium. Virgo autem ipso nuptiarum die, semet de tecto præcipitavit; quæ cum illæsa decidisset, in fugam conversa pervenit ad litus, ibique scapham ascendit, ex qua sponte funes soluti esse dicuntur: voluntate itaque Deorum pervecta est, ubi amator morabatur, quam cum ille, parans cum sodalibus convivium, suscepisset, pro ipso rei eventu, templum constituit: Quod ergo sponte fuissent soluti, Automatæ Veneri nomen sacravit; quodque cum epulas pararet, virgo ei aquis fuisset advecta, Epidæti sacrum dicavit. *Servius.*

Abolere Sichæum incipit.] Ordo naturalis; prius enim est evellere inhærentia, & post nova inferre. sic Terentius, *Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio.* Idem.

Abolere.] Prius enim debebat removere amorem pristini viri, & paulatim: quia cum vehementer hæreret, non poterat uno impulsu dimoveri. Idcirco autem Didonem castam, divitem, pulchram, deceptam inducit per Cupidinem, ut non solum Didonis, verumetiam Æneæ existimationem ostenderet, ne illum ignobilis fœmina, projecti pudoris, sponte amasse, aut provocata muneribus videatur, aut ille malis submersus innumeris, de amoribus sollicite cogitasse. *Donatus.*

721. *Vivo amore.*] Aut vivi hominis, aut certe vehementi. *Servius.*

Prævertere.] Præoccupare: propter Junonem sine dubio. *Idem.*

Et vivo tentat prævertere amore.] In Romano codice, *amorem* legitur: quod minime placet. Solet vero ea littera in fine ibi sæpius abundare: tametsi in veterum monumentis tale aliquid sæpe legas: ut in æde Lateranensi antiquo monumento, *pro salutem imperatoris:* Quod in memoriam redigit Diomedis dictum, gavisos non nunquam veteres quædam

Jam pridem resides animos desuetaque corda.
Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ;
Crateras magnos statuunt, & vina coronant.
Fit

quædam per barbarismum proferre. hoc autem loco omnino *amore* legas. *Pierius.*

Vivo tentat prævertere.] Vivido ac vehementi amore inertes & pigros ad amandum animos tentat præoccupare, Junonem scilicet præveniendo. Æn. 6.

—— residesque movebit
Rursus in arma viros, & jam desueta triumphis
Agmina.

Alio modo 2. Æn. *arma desueta.* Vide Scalig. lib. 4. cap. 16. *Taubm.*

722. *Resides.*] Pigros ad amandum, inertes. Juraverat enim nulli se esse nupturam. Resides sane milites otiosi & pigres dicuntur: ut VI. Æneid. *Residesque movebit Tullus in arma viros.* Unde contra *instantes* dicimus industrios. *Servius.*

723. *Quies epulis.*] Propter regalem affluentiam. Contra supra, ubi de necessitate loquitur; *Postquam exempta fames epulis.* Idem.

Postquam prima quies.] Convivii prolixi mos describitur. nam, confectis epulis, studium bibendi prosequuntur. *Donatus.*

Postquam prima quies.] Non declarant hic Grammatici, quare *primam* dixerit *quietem.* quia repetebant potationes: ut in 4. *Instaurat que diem donis:* sic hoc loco, *epulis.* Secundas mensas diis statuebant: ut apud Horatium. *Scalig. lib. 4. cap. 16. Quies* autem *epulis* hic dicitur, propter regalem affluentiam. alio modo supra ait, *Postquam exempta fames,* propter naturæ necessitatem, non autem luxuriam. *Taubmannus.*

Mensæque remotæ.] Licet sub extranea persona, Romanorum tamen exequitur morem, apud quos duæ mensæ erant: una epularum, altera poculorum: nam ideo sequitur *crateras.* Et Græcum est, ab eo quod est, *hic crater.* Nam Latine, *hæc cratera* dicitur. Unde Persius, *Si tibi crateras argenti inclusaque multo Auro dona feram.* Servius.

Mensæque remotæ.] Non τράπεζαι, sed σιτία, καὶ παραθέσεις. Fercula (inquam) removentur, lances, edulia; non mensæ ipsæ, nam statim,

—— in mensa laticum libavit honorem.

Non ergo illa amota: tantum edulia, & παρατιθέμενα, quæ etiam dicebantur mensæ. Pollux, τραπέζας δ' ἐκάλουν καὶ τὰ σιτία τὰ ἐπ' αὐτῶν τιθέμενα: *mensas vocabant fercula in ipsis imposita.* Athenæus lib. 2. πάντων τραπέζας καλούντων τὰς παραθέσεις ταύτας. Poëta ipse 3. Æn.

Ambesas subigat malis absumere mensas,

id est, edulia: lusit enim Harpya ambiguitate vocis. Demum accipiunt Virgilium Pet. Ciaconius in Tric. Turnebus lib. 21. cap. 22. aliique. Sed & Philander in Annotat. ad Vitruv. lib. 6. cap. 5. conjicit ex Diphilo apud Athenæum lib. 9. & ex Plutarcho in Pelopida, *mensas* dici, quoties repositoria, fercula, & obsonia mutarentur. Idcirco ego supra illud, *regales inter mensas,* accepi de cibis. Venus enim Didoni ingeri affectum amoris voluit, dum cibi ederentur, dum vinum biberetur. *Cerda.*

724. *Crateras.*] De usu craterum in conviviis alibi. Sed cur *magnos?* Allusum ad formam craterum, qui magni, hoc clarum: sed deinde allusum ad compotationem ipsam, quæ hilarior, liberior, & major fiebat in secunda mensa, quæ post quietem, in qua nunc est Poëta, sequebatur. Itaque necessaria erant magna pocula, ubi præcipue poculis, vino, invitationibus indulgendum. Inde de secunda mensa dicebatur, *majoribus poscere, & Græco more bibe-*

725 Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria:

re bibere, id est, poscere majoribus poculis. Certe verba illa Servii 1. Æn. *Romanorum exsequitur morem, quorum duæ erant mensæ, una epularum, altera pomorum.* in lib. m s. legi *poculorum*, non, *pomorum*, Lævinus testatur in od. 5. lib. 4. Horatii. Idem verba ista Agellii lib. 19. cap. 9. *ubi eduliis finis, & poculis*, explicat primam & secundam mensam: per *edulia* primam, per *pocula* secundam accipiens. Horat. Sat. 8. lib. 2. *Et calices poscit majores*. Idem.

Crateras magnos statuunt.] Sic Theocr. Idyll. 5.

Στάσω δὲ κρητῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος.

Recte *magnos*. sic Valerius Flaccus l. 5. Argon.

— *Æolidem magno cratere lacessit.*

Id est, capaciori vase vinario. Juvenal. Sat. 2. ✠s. 87.

Et magno cratere Deam, &c.

& Sat. 12.

— *Urnæ cratera capacem.*

Apud Ovid. l. 5. Metam. *ingentem cratera.* & lib. 12. *vastum.* Immo stupendæ magnitudinis crateribus usi sunt veteres, cum se copiosius aspergere flore Liberi Patris, & largius invitare constituerant, præcipue vocato hospite. Inde Cic. lib. 1. in Verr. c. 26. *Fit sermo inter eos, & invitatio, ut Græco more biberetur. Hortatur hospes: poscunt majoribus poculis.* Præter Arrianum l. 7. narrantem, ex uno eodemque cratere Alexandrum & novem millia convivarum libasse Diis, Vide Athenæum l. 5. c. 7. ubi crater describitur argenteus amphorarum sexcentarum, quem curru trahebant viri sexcenti. *Emmeness.*

Crateras magnos stat. & vin. coron.] Eurip. in Ion. χρυσέους τ' ἐν μέσῳ συσσιτίῳ κρητῆρας ἔστησε· & Il. α. κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο· quod Turnebus explicat, *vinum coronis floreis ornant*, assentiente alio Virgilii loco: *At pater Anchises magnum cratera corona Induit, implevitque mero:* quamvis interpretes Græci ἐπεστέψαντο exponant, ad summam coronam & marginem implent. Tibul. *coronatus stabat & ipse calix.* more inde convivali ducto, ut se comessatores duplici voluptate, & saporibus & odoribus inter pocula exhilararent: quamvis Aristot. lib. de sens. & sens. eam improbet consuetudinem eo loco, ubi de odoribus per accidens, & per se suavibus, disputat, per se eos suaves dicens, qui ex floribus halant, quique nihil ad stimulandum palati illecebras conferant, sed ad hebetandum, etiam si in conviviis à Græcis adhiberi soleant, quasi vim voluptati afferentibus. *Germ.*

Et vina cororant.] *Vina* pro poculis posuit, & est tropus synecdoche; ut *Cererem* dicimus, pro frumento. Sic Plautus, *Vinum precemur: namque hic deus præsens adest.* *Coronant* autem est, aut implent usque ad marginem; aut quia antiqui coronabant pocula, & sic bibebant. Unde est, *Magnum cratera corona Induit, implevitque mero.* Serv.

Et vina coronant.] Utrumque significat *coronare* & implere vino pocula, & crateras coronis ornare. Sententiam Servii firmant Turnebus lib. 21. c. 15. Lipsius antiq. lect. l. 3. Fulv. Ursinus in append. de triclin. p. 266. & distinctius Paschalius de coronis l. 1. c. 4. versus hi desumpti ex Hom. sunt Il. α. ✠s. 469.

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο,
Κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.

Quos me citare memini l. 2. Georg. ✠s. 528. ut hoc loco *vina coronant*, sic *meri coronati* meminit Statius Theb. l. 8. pro cratere mero impleto. *Emmeness.*

725. *Fit strepitus tectis.*] Id est, ad tecta; ut, *It clamor cœlo.* Legitur autem &, *It strepitus.* Servius.

Fit strepitus tectis.] Sic Stat. Thebaid. l. 1. — *Vario strepit icta tumultu Regia.*

Quam paullo post *obsequio fervere* dicit. & l. 4.

Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.

Hic

& l. 4. Achill. Pro eo Phædrus l. 4. f. 14.

Splendebat hilare poculis convivium;
Magno apparatu læta resonabat domus.

Emmenesf.

Per ampla.] Nonnulli codices antiqui, *perampla* unica dictione legunt. Sed in Longobardico, & aliquot aliis, *per alta* legitur: ut in quarto Æneidos, *It clamor ad alta atria.* Vulgata tamen lectio receptior. *Pier.*

726. *Atria.*] Ut supra dictum est, tangitque morem Romanorum. Nam, ut ait Cato, & in atrio & duobus ferculis epulabantur antiqui. Unde ait Juvenalis, *Quis fercula septem Secreto cœnavit avus?* Ibi & pecunias habebant; Unde qui honoratiores erant, liminum custodes adhibebantur: ut, *Qui Dardanio Anchisæ Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.* Ibi & culina erat: unde & *atrium* dictum est, quod atrum erat ex fumo. Alii dicunt, *Atria* Etruriæ civitatem fuisse, quæ domos amplis vestibulis habebat; quæ cum Romani imitarentur, *atria* appellaverunt: Alii *atria* magnas sedes & capacissimas dictas tradunt, unde *atria Licinia*, & *atrium Libertatis.* Serv.

Lychni.] Græco sermone usus est. A *lychno* enim lucerna dicta est; unde & brevis est *lu*, ut Juvenalis, *Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.* Horatius, *Ungor olivo, Non quo fundatis immundus Nacta lucernis.* Si enim à *luce* diceretur, non staret versus. *Idem.*

Laquearibus.] Principaliter *lacus* dicitur: ut Lucilius: *Resultant ædesque lacusque.* Diminutio *lacunar* facit. Horat. *Nec mea renidet in domo lacunar.* Inde fit alia diminutio *lacunarium*, & per Antistichon *laquearium* facit: Legitur & *lacuaribus.* Cicero Tusculanarum, *Tectis cælatis, lacuatis.* Idem.

Dependent lychni laquearibus.] Od. *η.* αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες φαίνοντες νύκτας κατὰ δώματα δαιτυμόνεσσι. Lucret. 5.

Pendentes lychni claræque coruscis
Fulguribus pingues multa caligine tædæ.

Videtur autem omnino respondere huic Hom. loco ille Lucretii 2. Περὶ λυχνέχων. —— *Si non*

Aurea sunt juvenum simulacra per ædes
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur,
Nec domus argento fulget, &c. Germ.

Dependent lychni laquearibus aureis.] Idem Stat. Thebaid. l. 1.

Ast alii tenebras, & opacam vincere noctem,
Aggressi, tendunt auratis vincula lychnis.

Græcum origine est vocabulum, ut notavit Servius. Macrobius l. 6. c. 4. Maronem imitatum esse auctorum veterum audaciam testatur, eumque non esse primum docet, qui Græca inseruerit operi suo. ubi plura de Lychnis. De *aureis laquearibus* scribit Isidorus lib. 19. c. 12. qualia se non habuisse dicit Horat. l. 2. od. 18. quem luxum notat Plin. l. 33. c. 4. *laquearia nunc & in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primum inaurata sunt in Capitolio censura L. Memmii. Inde transiere in cameras: in parietes quoque, qui jam & ipsi tanquam vasa inaurantur.* Pamphilus Brietis F. primus *lacunaria pingere* instituit. eodem teste l. 35. c. 11. quibus laquearibus, si convivum protrahebatur in multam noctem, lychnos appendebant, quos vocat Horat. *lucernas vigiles.* l. 3. od. 8. & Feith. antiq. Homer. l. 3. c. 5. quo lychni seu lucernæ sustentabantur, λυχνοῦχοι appellabantur, quorum meminit Suet. in Cæs. c. 37. *adscenditque ad Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra, atque sinistra lychnuchos gestantibus.* Petronius: *lucerna bilychnis de camera pendebat.* Vide Grapald. de part. ædium. *Emmenesf.*

727. *Noctem vincunt.*] Luminis est exaggeratio. *Servius.*

Hic Regina gravem gemmis auroque poposcit,
Inplevitque mero, pateram: quam Belus, & omnes
A Belo

Funalia.] Quæ sunt intra ceram: dicta à funibus, quos ante usum papyri, cera circumdatos habuere majores. Unde & *funera* dicuntur. Alii *funalia* appellarunt, quod in cicenduia lucet, quos Græci πυρσοὺς vocant: Varro de vita P. R. Facibus aut candela simplici aut ex funiculo facto, earum vestigia quod ubi ea figebant appellarunt *funalia:* nonnulli apud veteres *candelabra* dicta tradunt, quæ in capitibus uncinos haberent, quibus affigi solebant: vel *candelaber*, vel funes pice delibuti; quæ interdum erant minora, ut gestari manu & præferri Magistratibus à cœna remeantibus possent. *Serv.*

Funalia.] Faces ex funibus procreatæ. *Donatus.*

Et noctem flammis funalia vincunt.] Sic *noctem vincere* ex Statio superius. Funalia sic describit Isidorus l. 20. c. 10. funalia candelabra apud veteres extantes stimulos habuerunt aduncos, quibus funiculi cera vel hujusmodi alimento luminis obliti figebantur: idem igitur & stimuli præacuti *funalia* dicebantur. inde illustratur Ovid. lib. 12. ℣s. 246.

—— *& primus ab æde*
Lampadibus densum rapuit funale coruscis,
Elatumque alte, &c. illisit fronti Lapithæ.

Hisce funalibus utebantur plurimum, cum nocturno tempore convivæ domum deducerentur. ut nota Historia Duillii ex Floro l. 2. c. 2. & Cicerone de senect. c. 13. & F. Ursino in app. p. 378. *Emmeness.*

728. *Hic.*] Tunc. ergo adverbium temporis est. *Servius.*

Hic Regina, &c.] Ex hoc loco Statius 1. Theb.

Victa fames, signis perfectam auroque nitentem
Iasides pateram famulos ex more poposcit,
Qua Danaus libare Deis, seniorque Phoroneus
Assueti, tenet hæc operum cœlata figuras.

Cerda.

Gravem.] Laudat à pondere & à materia, deinde quod eo majores Didonis usi sint, & durante mero transierit ad Didonem. *Donatus.*

Gravem gemmis.] Ornabant veteres sua pocula gemmarum magnificentia. Plinius in proœmio lib. 33. *Nec hoc fuit satis, turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices, & temulentiæ causa tenere Indiam juvat, & aurum jam accessio est.* Sidonius epist. 13. l. 2. *spumarent falerno gemmæ capaces.* Clemens Alexand. lib. 2. Pæd. cap. 3. meminit *argenteorum, aureorum gemmeorumque poculorum.* Athenæus lib. 4. loquens de convivio Cleopatræ: παρεσκεύασεν αὐτῷ συμπόσιον, ἐν ᾧ πάντα χρύσεα, καὶ λιθοκόλλητα περιττῶς ἐξειργασμένα ταῖς τέχναις: *Apparavit illi convivium, in quo omnia erant aurea, gemmis magnifice distincta arteque laborata.* Sed de hoc jam ego 2. Georg. *Cerda.*

729. *Inplevitque mero pateram.*] Signate & docte juxta leges conviviales, quas Athenæus dat lib. 10. quas alii. dabatur vinum mixtum ad cavendam temulentiam: inde solemnis vox, *misce puer*, & Græcis, κέρασον παῖ. Libatio tamen Deorum mero fiebat. Inde hîc *implevit mero pateram*, quam Dido Libationi Jovis destinabat. *Idem.*

Quam Belus.] Primus rex Assyriorum: ut supra dictum est: quos constat Saturnum, quem eundem & Solem dicunt, Junonemque coluisse: quæ numina etiam apud Afros postea culta sunt. Unde & lingua Punica *Baldeus* dicitur. Apud Assyrios autem *Bel* dicitur, quadam sacrorum ratione & Saturnus & Sol. Alii hunc Belum Saturni temporibus regnasse, ejusdemque Dei hospitem fuisse tradunt. *Servius.*

730. *Tum*

A Belo soliti. tum facta silentia tectis:
Juppiter, (hospitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisque diem Trojaque profectis
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores.
Adsit

730. *Tum facta silentia tectis.*] Mos erat apud veteres, ut lumini incenso silentium præberetur, ut optativam sibi laudem loquendo nullus averteret, * Apud Romanos etiam, cœna edita, sublatisque mensis primis, silentium fieri solebat, quoad ea, quæ de cœna libata fuerant, ad focum ferrentur & ignem, darentur, ac puer Deos propitios nunciasset, ut, *Diis honor haberetur*, tacendoque res * cum intercessit inter cœnandum, Græci quoque θεῶν παρουσίαν dicunt. *Serv.*

Facta silentia.] Rem enim divinam actura silentium induxit. *Donatus.*

Tum.] In Longobardico, *dum:* Sed *tum* melius. *Pier.*

731. *Juppiter.*] Rogat Jovem, & ejus virtutem narrat, ut ostendat pleno voto Trojanos excepisse, cum initam societatem testimonio hospitalis Jovis confirmet. Cum autem ipsa esset Sydonia, quasi mortis suæ præsagio, Tyriorum solum & Trojanorum meminit: & merito diei meminit, quo confirmabat societatem per sacra & convivium. Triste autem fuit, tenebras nominare, vel noctem, vel maxime, quia continuationem diei nocti conjunxerat, & nondum itum erat ad requiem. *Donatus.*

Hospitibus nam te dare jura loquuntur.] Scilicet exemplo Lycaonis: qui cum hospites susceptos necaret, à suscepto Jove, postquam ei epulas humanas apposuit, versus in lupum; ostendit hospitii jura non esse violanda. Græci τὸν ξένιον Δία appellant. *Servius.*

Juppiter hospitibus nam, &c.] Oratio bene ominantis. Alludit autem ad Jovis cognomen, *Xenii* sive *Hospitalis.* De libatione & precatione in mensa secunda, vide Turneb. lib. 24. cap. 35. ubi explicat illud Horat. lib. 4. Od. 5. de Augusto:

—— *& alteris*
Te mensis adhibet deum.
Te multa prece, te prosequitur mero,
Defuso pateris. ——

Taubm.

Juppiter hospitibus.] Cic. ad Qu. Fratr. *non faciam, ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis Hospitalis.* Sed de Jove Hospitali, sive Xenio, quem antiquitas hospitii vindicem & præsidem putavit, Thomasinus adeundus de tess. hospital. c. 6. & Feith. Hom. antiq. l. 3. c. 112. Plures fuere, ut ex Ovid. l. 5. Metam. vſ. 45.

—— *testatus jusque fidemque*
Hospitii Deos.

Sed Juppiter eorum princeps. inde *jura Jovis*, id est, Hospitalis, apud Stat. l. 3. Thebaid. *Emmeness.*

732. *Tyriisque diem.*] Atqui nox erat, sed per diem accipimus & noctem, & quidam volunt masculini generis diem *bonum* significare, fœminini, *malum.* Servius.

Trojaque profectis.] Bene noluit *profugis* dicere. *Idem.*

733. *Esse velis.*] Secundum Hetruscam disciplinam locutus est. Sic enim dicunt, *volens, propitiusque sis.* Idem.

Esse velis.] Plinius: *Deos ante obtestantur, UT VELINT.* Ovid. lib. 3. de Arte: *O ita, Phœbe VELIS!* Livius lib. 1. *Pacem precibus exposcunt, UTI VOLENS PROPITIUS SUAM SOSPITET PROGENIEM.* Vide Barn. Brisson. l. 1. Form. *Taubm.*

Nostrosque hujus.] Sic factum: ut etiam nunc duret de actibus Didonis fabula. *Donatus.*

Minores.] Posteros. Quod votum potest videri impletum, quando fœdus ictum est à Carthaginensibus cum Romanis; de quo Livius lib. 7. *Taubm.*

Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.
Et vos ô cœtum Tyrii celebrate faventes.
Dixit, & in mensam laticum libavit honorem,
Prima-

734. *Adsit lætitiæ Bacchus dator.*] Alii *adsis* legunt. Secundum quos Bacchus, aut antiptosis est, aut antiquus vocativus, ut, *Socer arma Latinus habeto.* Servius.

Bacchus.] Vinum, sine quo lætitia in conviviis esse non potest. Nam si alibi est Bacchus, & ad culpam causas dedit: id non vini vitium est, sed hominis vino uti nescientis. *Donatus.*

Adsit.] Antiqua omnia exemplaria quæ versamus, *adsit*, vel *aßit* persona tertia legunt. alia in secunda *adsis.* *Pier.*

Adsit.] Utique præsentes deos optabant: ideoque precabantur, *UT VENIRENT*, item: *UT ADESSENT.* Ita 4. Æn. *ADSIS ô, placidusque juves.* Tibullus l. 1. el. 1. *Candide Liber ADES.* idem lib. 4. el. 3. Seneca in Medea act. 1, 1. *ADESTE, ADESTE sceleris ultrices Deæ.* Arnob. lib. 4. *ADESTE, ADESTOTE DII Penates, Apollo, Tuque Neptune, &c.* Sed de his luculenter Brisson. *Taubm.*

Dator.] Bene autem addidit, *dator lætitiæ*, quia est & dator furoris. *Servius.*

Lætitiæ Bacchus dator.] Bene addit, *dator lætitiæ*: ὁ χαρᾶς δοτικός. quia est & *dator furoris.* Sine vino autem lætitia in convivio esse vix potest. Itaque & à Plutarcho διόνυσος vocatur χαριτοδότης. Et hanc vim excitandæ lætitiæ Baccho tribuit etiam Plato 2. De Legibus, itemque in Cratylo. *Taubm.*

Et bona Juno.] Aut propitia, id est, non irata Trojanis; ut, *Sis bonus ô fœlixque tuis.* Aut magis bona. cœlestis est enim & inferna: ut, *Junoni infernæ dictus sacer.* aut sicut supra dictum est χρηστή, quod est *bona*, quam inter Penates Trojani habuisse dicuntur. *Servius.*

Bona Juno.] Nam norat illam inimicam Trojanis: ergo ut sit bona & benevola. *Donatus.*

Bona Juno.] Refero hoc ad convivium: usurpat quippe Virgilius vocem convivialem. Plautus Stich.

—— bene vos,
Bene nos, bene te, bene nostram etiam
Stephanium, bibe si bibis.

Tibullus lib. 1. eleg.

Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat.

Bacchum vini Deum ἀγαθὸν vocat Athen. lib. 2. per initia. Ibidem ex Poëta quodam,

—— ἀγαθὸς ἂν πρὸς ἀγαθοὺς ἄνδρας
Ἑστιασόμενος ἥκον.
Bonus ad bonos viros ivi convivaturus.

Apud eundem Alexis lib. 6.

—— ἀγαθῶν τὴν κύλικα μεστὴν πίωμαι,
Bonorum plenum calicem bibam.

Notam Cœlii Rhod. lib. 28. cap. 6. ipse leges. *Cerda.*

Bona Juno.] Sic apud Æl. Lamprid. in vita Anton. *dii faxint & bona Juno.* quam μεγάλην, χρηστὴν, δυνατὴν Græci appellant, ut Macrob. l. 3. c. 4. *Emmeness.*

735. *Cœtum.*] Modo convivium, & bono verbo ad dignitatem duorum in uno populorum usus est. *Servius.*

Tyrii.] Ne esset aliqua incolarum adversus peregrinos æmulatio. *Donatus.*

Celebrate.] Athen. in re conviviali lib. 3. ἑορτὴν ἐπιτελεῖν, *celebritatem perficere.* de favore alibi. *Cerda.*

736. *In mensa.*] In conviviis enim, cum hujusmodi honorificentia numinibus exhibetur, pro ara, mensa succedit. *Donatus.*

In mensam.] In Oblongo codice, quem Pomponii Læti delicias fuisse dicunt, *immensum* legitur: idem in Longobardico, & aliquot aliis pervetustis. In Romano, in Mediceo, & nonnullis

Primaque libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans. ille inpiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.
Post

lis emendatioribus, *in mensam* habetur accusativo casu. ut in octavo eadem elocutione dictum, *In mensam læti libant*. eandemque lectionem videtur Ti. Donatus agnovisse, dum in conviviis, cum hujusmodi honorificentia numinibus exhibetur, pro ara mensam succedere dicit. Sed enim vulgata exemplaria Donati, loco hoc valde corrupta habentur. apud nonnullos invenias *in mensa*. De libatione vero hujusmodi lege apud Macrobium 3. Saturnalium. *Pier.*

Laticum libavit honorem.] More sacrorum. Diis enim hospitalibus & Jovi in mensa libabatur. & tangit ritum Romanorum, qui paniceas, sacratasque mensas habebant, in quas libabant: ut est, *Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus.* Servius.

Laticum libavit honorem.] Id est, vinum, quod tamen non perpetua libationis materia, pro eo mulsum, lac, sanguis & alia libata. vide Saubert. de sacrificiis c. 25. an in aram, an in mensam libare debuerint, contendit Macrob. Saturn. l. 3. c. 11. *Emmeness.*

737. *Prima.*] Vel quia ipsa libabat, vel quia potior omnibus fuit, utpote regina. *Donatus.*

Libato summo tenus attigit ore.] Usque ad labra. Et verecundiam reginæ ostendit: & morem Romanum. Nam apud majores nostros feminæ non utebantur vino, nisi sacrorum caussa certis diebus. *Servius.*

Summo tenus.] Summis labris, ut religionis, & non vini cupidam demonstraret. *Donatus.*

Libato summo tenus attig. ore.] Tibull. eo loco l. 4. ad Messalam:

Quod tibi si versus noster notusve, minusve,
Vel bene si notus, summo vel mœret in ore,
Nulla mihi statuet finem te fata canendi:

Ea inquam parte, *summo vel mœret in ore*, visus est mihi alludere ad sententiam hujus Maroniani loci, vel πρὸς τὰ ἐπιπόλαια φιλήματα, vel ad segnem degustationem poculi, qua in vino defunguntur minus generosi compotores, nec se justo haustu perluere soliti, ut similiter Tibullus intelligat, sive versus suus Messalæ sit exactè probatus & notus, sive perfunctorie lectus, & summo ore, hoc est, primoribus labris tantum à Messala degustatus mœreat, futurum ut quoquo modo ipse ejus laudibus perpetuo insistat. Alii tamen non, *mœret*, sed *inerret in ore*. German.

738. *Tum Bitiæ.*] Per transitum, Pœnorum ducum nomina introducit. Nam Bitias classis Punicæ fuit præfectus: ut docet Livius. *Iopas* vero unus de procis Didonis: ut Punica testatur historia. Servavit autem τὸ πρέπον, quare non Æneæ dedit, ne aut contumeliosum videretur, aut petulans. *Servius.*

Increpitans.] Inclamans: ut, *Æstatem increpitans seram.* Aut certe arguens familiariter segnitiem tarde accipientis, cum esset avidus in bibendo. Nam sequitur, *ille impiger*; melius tamen accipimus clara voce hortatum: ut Plautus, *Neque ego ad mensam publicas res clamo, neque leges crepo*; & Horatius, *Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepet.* Idem.

Increpitans.] Clara voce exhortans. Hunc autem elegit, quia sciebat vini esse amatorem: unde sequitur, *ille impiger hausit.* Donatus.

Hausit.] Modo accepit: nec possumus intelligere *bibit*, cum hoc sequatur. *Servius.*

739. *Hausit Spum. pat. & pleno se proluit auro.*] *Proluit*, bibendo profudit.

Post alii proceres. cithara crinitus Iopas

[illegible] Per-

dit. Alibi vidit: ut, *Hausit cœlum mentemque recepit.* Alibi audivit: ut, *Vocemque his auribus hausi.* Alibi vulnerat: ut, *Latus haurit apertum.* Et multa alia pro loco significat. *Servius.*

Pleno se proluit auro.] In codicibus aliquot antiquis, *pleno se proluit ore* legitur: non *auro.* Ti. Donatus super hoc ait Bitiam ideo se etiam perfudisse, quod avide biberet: & tantum infunderet, quantum fauces ejus transmittere non possent. *Pier.*

Et pleno se proluit.] Et pateram, inquit, vacuam fecit: & cum avide biberet, & tantum infunderet, quantum fauces transmittere non possent, perfudit etiam se. *Donatus.*

Pleno se proluit auro.] Multi putant alludere Maronem ad antiquam ἀμύστιδα & τὸ ἀμυστὶ πίνειν. Utcunque sit, quamvis mihi ἰδιογνωμονεῖν, & cornicum oculos configere religiosum sit, tamen & pace doctorum, cum Plutarcho accipi posse aliorsum ἄμυστις & ἀμυστίζειν quam hactenus à Grammaticis videtur, qui ἀμυστίζειν, ingurgitare, affatim & sine respiratione bibere interpretantur, utpote ἄνευ τοῦ μύσαι τοῖς χείλεσιν, cum contra ἀμυστίζειν ipse Plutarch. συμποσ. γ. in cap. διὰ τί γυναῖκες ἥκιστα μεθύσκονται, &c. τὸ ἀμυστίζειν ἀθρόον καὶ ἀμπνευστὶ πίνειν accipiat, non ἀπνευστὶ, ut vulgo, sitque eleganter & manifeste tam in Aldino, quam Germanico codice ἀμπνευστὶ scriptum: ubi inter alias causificationes docere videtur, senes citius quam mulieres inebriari, quod tractim mulieres & cum respiratione bibant, ita ut instillatum paulatim vinum minus in defluxu immoretur, nec tam vehementer tumultuari in corpore possit, quam si præcipiti ingurgitatione & haustu copiosius infunderetur. *Germanus.*

Proluit.] Sic Horat. l. 2. Sat. 4.

—— *leni præcordia mulso*
Prolueris melius. ——

& l. 1. Sat. 5.

—— *absentem cantat amicum*
Multa prolutus vappa nauta.

eleganter Plaut. Curc. 1. 2. 28. de eo qui ductim liquores invergit, & gutturi gaudium dat, tanquam infundibulum esset: *effunde hoc cito in barathrum: propere prolue cloacam.* Tales helluones perstringit jure Aristot. l. 3. ad Nicomachum teste Mureto variar. lect. l. 4. c. 8. *Emmeness.*

740. *Post alii proceres.*] Ergo & Bitias unus est de proceribus. Nam Exoche sine similitudine nunquam fit. Sane *proceres* de his est, quæ nominativum in usu non habent: ut supra, *Et victor ditione tenebat.* Nam nec hoc in usu habet nominativum: licet in compositione dicamus *conditio.* Servius.

Post.] Intellige, ritum executi sunt post acta convivia: post consecrationem fœderum. Ludorum autem fit descriptio, quibus reges per voluptatem ad producendum potationem utuntur. Ludi autem Didonis nihil turpe factu, nihil obscœnum dictu habuerunt. Nam Citharæ artem inter honestas numerari constat, per hanc Orpheus plurimum potuit: hanc graves & prudentes amant, hanc diligunt Musæ, quibus tradentibus in usum hominum venit: hæc in agonibus, id est, in sacris certaminibus coronatur. Ars ergo honesta, convivium quoque non dissimile. *Donatus.*

Proceres.] Ideo secundum Varronem, principes civitatis dicuntur: quia eminent in ea, sicut in ædificiis muruli quidam, hoc est, *Capita trabium, quæ proceres nominantur.* Servius.

Crinitus Iopas.] Aut puerum intellige: aut imitabatur Apollinis formam, cujus fuerat etiam artis imitator. *Servius.*

Cithara crinitus Iopas.] Inter cœnandum aut symphonia personabat triclinium aut instrumenta, organaque varia concinebant. vide Ciacc. de triclin. p. 74. & appendicem F. Ursini p. 373.

Personat aurata, docuit quem maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, solisque labores;
Unde

p. 373. ubi delineationem quorundam instrumentorum harmonicorum habes. Vates, σοφοὶ dicti sunt musici. Quintilianum consule de antiquitate & veneratione musices, qui hunc Maronis locum profert l. 1. c. 10. & Voss. de nat. art. *crinitos*, *comatos*, *capillatos* nominari cultiorem & juniorem familiam docet ex veteribus Pignorius de Servis p. 28. *Emmeness.*

741. *Personat.*] Φορμίζει. Pertendit M. Ant. Majoragius, Præfat. in Pind. apud antiquos eandem omnino fuisse *Lyram* & *Citharam*. Sed tamen diversa fuisse instrumenta, licet valde cognata, accuratissime docuit Jos. Scalig. in Manilium novæ edition. item Yvo Villiomarus in Locos Controv. Roberti Titii lib. 1, 3. Vide & Jul. Cæs. Bulengerum De Theatro, lib. 2. c. 36. & seqq. *Taubm.*

Personat.] Sic Phædr. l. 3. Fab. 17.
Sonare cithara quos putes Apollinis.
Horat. l. 1. od. 13.
Sonantem aureo plectro.
Emmeness.

Docuit quem maximus Atlas.] *Quæ* legendum est, non *quem*. Id est, quæ ipse scit, quæ ipse modulatus est. Nec enim istum docuit, qui fuit temporibus Didonis. Hic Atlas Japeti filius in Africa natus dicitur: hic quod annum in tempora diviserit, & primus stellarum cursus, vel circulorum, vel siderum transitum, naturasque descripserit, cælum dictus est sustinere; quia nepotem suum Mercurium & Herculem docuisse dicitur; unde & Hercules cælum ab Atlante susceptum sustinuisse narratur, propter cœli scientiam traditam. Constat enim Herculem philosophum fuisse. Et est ratio, cur omnia illa monstra vicisse dicatur. Sane *Atlas* Græcum est, sicut & Nilus. Nam Ennius dicit Nilum *Melonem* vocari: Atlantem vero *Telamonem*. Servius.

Docuit quem maximus Atlas.] In Romano codice, & quibusdam aliis legere est, *docuit quem maximus Atlans*: sed cur *Atlans*, dictum superius, ubi de *Thensauro* disputatum. Quod vero legitur *docuit quem*, mos est Poëtis præstantis aliqua doctrina viros à Diis, vel ab Heroibus doctos asseverare. In quinto talis elocutio, *Tritonia Pallas quem docuit.* Servius *quæ* legit: ait enim: videamus qualia canebat, *Docuit*, inquit, *Quæ maximus Atlans*: hoc est, non turpia, aut obscena, sed venientia ex philosophiæ fonte, quæ docuerat Atlans maximus, plenusque virtutum. *Pier.*

Maximus Atlas.] Ita in 8.
—— *Electram maximus Atlas*
Edidit.
& Claudian. 2. Rapt. in prolog.
—— *te maximus Atlas*
Horruit.
Nam, ut canit Ovidius:
Hic hominum cunctis ingenti corpore præstans
Japetioniades Atlas. Cerda.

742. *Hic canit.*] Bene philosophica introducitur cantilena, in convivio reginæ adhuc castæ: contra, inter Nymphas, ubi solæ feminæ erant, ait, *Vulcani Martisque dolos & dulcia furta.* Servius.

Hic.] Scripsere nonnulli, *is canit.* Verum illi decepti sunt ex paraphrasi: si quidem hoc loco Sosipater Carisius in Solœcismo præpositivam particulam pro conjunctiva pronuntiatam ait: *Hic* quidem, pro *is.* Pier.

Errantem lunam.] Quia ἑλικοειδής, id est, obliquo incedit cursu, non recto, ut Sol: scilicet ne incidat in centrum terræ, & frequenter patiatur eclipsim. Vicinus enim est ejus circulus terræ. *Servius.*

Errantem lunam.] *Luna* enim omnium septem Erronum (qui quidem *lapsu certo spatioque feruntur*) naturam varietate motus exsuperat. *Taubm.*

Unde hominum genus, & pecudes; unde imber, & ignes;
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones:
Quid

Solisque labores.] *Canit* per omnia intelligimus. Sane septem sunt Planetæ, Sol, Luna, Mars, Mercurius, Jupiter, Venus, Saturnus. Sed quinque & contra mundum feruntur, & cum mundo quandoque retrogradi sunt: Sol vero & Luna semper contra mundum. Ideo dixit, *Solis labores.* Laborat enim, nitens contra ruentis sphæræ volubilitatem. Nec nos debet Homerus movere, qui ait, ἥλιον ἀκάμαντα. Non enim eum dixit non laborare, sed laborem non sentire. amat sane ubique Solem & Lunam jungere. *Servius.*

Solisque labores.] Id est, defectus. Lucretius:

Solis item quoque defectus, Lunæque latebras, &c.

Taubm.

Errantem Lunam solisque labores.] Fere idem l. 2. Georg. ✝f. 478.

Defectus solis varios, lunæque labores.

Ad quem locum Macrob. in somnio Scip. l. 1. c. 15. ut hoc loco *errantem Lunam*, sic Horat. l. 1. Sat. 8.

—— *simulac vaga Luna decorum Protulit os.*

Emmenesſ.

743. *Unde hominum genus.*] Si fabulam respicis, à Prometheo intellige: vel à Deucalione & Pyrrha. Si autem veritatem requiris, varia est opinio philosophorum. Alii de humore: alii de igne: alii de atomis: alii de quatuor elementis. *Servius.*

Unde hominum genus, & pecudes, unde imber, & ignes.] In Mediceo codice legere est, *unde ho. ge. & pecudes genus unde ferarum:* sed cum vulgatis exemplaribus veteres plerique codices conveniunt. *Pierius.*

Unde hominum genus.] Si Fabulam respicis; à Prometheo, vel à Deucalione & Pyrrha: quam elegantissime describit Ovidius 1. Met. Fab. 11. Si veritatem requiris, varia est Philosophorum opinio: at Christianorum de his est explorata certitudo. *Taubm.*

Pecudes.] Pro omnibus posuit. *Servius.*

Unde imber.] Scilicet de nubibus fit, secundum Lucretium de terræ alitu nascuntur, qui nebulas creat: quæ cum altius elevatæ fuerint, aut Solis calore resolutæ, aut vi ventorum compressæ, mittunt leves pluvias, vel exprimunt concitatiores. *Idem.*

Unde imber.]

—— *Quo pacto pluvius concrescat in altis*
Nubibus humor, & in terras demissus, ut imber
Decidat.

expedivit copiose & erudite etiam Lucret. l. 6. *Taubm.*

Et ignes.] Scilicet ex nubium conlisione. Nam omnium rerum conlisio, ignem creat: ut in lapidibus cernimus: vel attritu rotarum, vel in silvis arborum. *Servius.*

Ignes.] Id est, fulgura & fulmina: quæ ex nubium collisione gignuntur. De quibus Physici & Lucret. ibidem. *Taubm.*

744. *Arcturum.*] Stella est post caudam majoris Ursæ, posita in signo Bootæ. Unde *Arcturus* dicta est quasi ἄρκτου οὐρά. hanc quidam agere *Arcton* dicunt, quia *arceram* veteres vehiculum vocabant. Hæc autem, ut fabulæ loquuntur, Callisto fuit, comes Dianæ, quam Juppiter mutatus in Dianam, stupravit; ex qua natus est filius nomine Arcas. Cætera in 1. lib. Georg. plenius narrata sunt. *Servius.*

Arcturus.] Plinius lib. 2. c. 39. *Arcturi sidus non ferme sine procellosa grandine emergit.* Vide Plaut. Rud. Prologo. *Taubm.*

Pluviasque Hyadas.] *Hyades*, stellæ sunt in fronte Tauri: quæ quotiens nascuntur, pluvias creant. Unde Græce *Hyades* ἀπὸ τοῦ ὕειν dictæ sunt: Latine

Suculæ

Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausu Tyrii, Troësque sequuntur.
Nec non & vario noctem sermone trahebat

Infe-

Suculæ à succo. Sic ergo ait, *Pluviasque Hyadas*: ut, *Plemmyrium undosum*. Alii *Hyadas* ab *y* littera dicunt; vel ἀπὸ τ ὑὸς, id est, sue: in cujus formatæ sunt faciem. Nam ideo eas quidam *Suculas*. sues scilicet dici tradunt. Has quidam *Vergilias* dicunt, quod vere florido oriantur. Hæ autem fuerunt, ut alii dicunt, Atlantis filiæ: ut alii, Liberi nutrices, quæ se in pelagus furore præcipitaverunt. Alii Erechthei filias pro patria se morti obtulisse ajunt, quas *Priadas* vocant, quod Prionis filiæ esse dicantur: quidam *Hyadas*, ab Hyante fratre, quem inventum extinctum usque ad mortem doluerunt, dictas putant. *Servius.*

Pluviasque Hyadas.] Unde Ovid. 5. Fastorum:

Ora micant Tauri septem radiantia flammis,
Navita quas Hyadas Grajus ab imbre vocat.

Videtur Pimpontio abjectione epitheti ignorantiam eorum perstrinxisse Maro, qui Hyadas Latine verterunt *Suculas*, tanquam ἀπὸ τ ὑῶν, id est, *suibus*, non ὕειν, id est, *pluere*, dicerentur: faciens cum doctissimo Tirone Ciceronis, qui eam absurditatem ipse quoque notarit: de quo apud Agellium lib. 13. c. 9. Servius & Bassus à *succo* dictas ajunt *Succulas*: quod propter ortum & occasum cum Sole succos, imbres ac pluvias inducant. *Taubm.*

Pluviasque Hyadas.] Sic *pluviis diebus*, & apud Catonem de re Rust. *tempestates pluviæ*. Vide Sanct. Min. p. 285. *Emmeness.*

Geminosque Triones.] Septemtriones, id est, Helicem, & Cynosuram. Et proprie *triones* sunt boves aratorii, qui terram terunt. Non ergo incongrue dixit *Triones*: quia septem triones à nonnullis plaustra dicuntur. *Servius.*

745. *Quid tantum Oceano properent se tinguere soles Hiberni.*] Quid, quam ob causam properent. Hemisphærii hoc facit ratio: quia hieme Sol breviore utitur circulo. *Idem.*

Tinguere soles.] Demergere. *Soles* vero pro diebus posuit, ut, *Tris adeo incertos cæca caligine Soles Erramus.* Idem.

Se tinguere soles.] In antiquis dubio procul fere omnibus, *tinguere* legitur pro *tingere*: *u* inter *g* & *e* litteras medias sita, ex instituto Attii, neque Grammatici plerique ab hoc verbo *u* litteram rejiciunt: quum in *urgeo*, & *ungo* eam nequaquam admittant. Ut apud Velium Longum est. Adversus tamen cujus sententiam stat omnis pene veteris scriptionis consuetudo. *Pierius.*

746. *Vel quæ tardis mora noctibus obstet.*] *Tardis*, non longis, sed æstivis, id est, tarde venientibus. *Vel* enim disjunctiva est conjunctio: nec patitur bis eandem rem dici. ergo hoc dicit quæ causa est longorum. *Servius.*

Tardis.] Non longis, caussa ergo longorum dierum ratio similiter hemisphærii est. *Idem.*

747. *Ingeminant plausu Tyrii Troësque sequuntur.*] Imitantur, & bono est usus ordine, ut prius plauderent cives. Nec enim poterant aliter audere *peregrini*, qui exspectabant, ut noscerent morem. Unde & supra, *Et vos ô cœtum Tyrii celebrate faventes.* Idem.

Ingeminant plausu Tyrii.] In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis antiquissimis, *plausu* casu septimo, quod nequaquam displicet. Sunt tamen codices, qui *plausum* agnoscunt. *Pierius.*

748. *Nec non & vario.*] Arte poëtica utitur, ut præmittat aliquid, quo sequens liber videatur esse conjunctus: quod in omnibus servat. *Servius.*

749. Lon-

Infelix Dido, longumque bibebat amorem,
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc, quibus Auroræ venisset filius armis:
Nunc, quales Diomedis equi; nunc, quantus Achilles.
Immo

749. *Longum.*] Hic, permaturum: aut qui non erat nisi ipsius morte finiendus. *Serv.*

Bibebat amorem.] Allusit ad convivium. Sic Anacreon ἔρωτα πίνων. *Servius.*

Longumque, &c.] *Longum amorem* interpretatur Corradus, *magnum*, & donec ipsa viveret, duraturum. Ita & Servius in Schedis Fuldens. vel certe, *permaturum*. Nonius, *sævum & perniciosum*. H. Stephanus, *longum*, adverbialiter accipit. De industria autem verbum *Bibere* usurpavit in Compotatione: tanquam reliqui vinum bibissent, Dido amorem. Sed & Theocr. dixit: πίνειν ἔρωτα; & Anacreon μεθύειν ἔρωτι. Ovidius:

— *Venus in vinis, ignis in igne* —

Taubm.

750. *Super Priamo.*] De Priamo. Nam ejus præpositionis officio fungitur, pro qua ponitur, ut supra; *Et sub noctem cura recursat*, id est, circa noctem. Et sciendum, quod cum tempus significatur, *sub* præpositio accusativo hæret semper. *Servius.*

Super.] Id est, de. Æn. 10.

Multa super Lauso rogitat —

Cicero: *Hac super re ad te scribam.* Plaut. Cist. *Quid nuntias super anu?* Vide Festum in *Superescit.* Taubm.

Rogitans.] Scilicet, quo modo sit venditus rex, vel qui eum post decennale bellum exitus tulerit. *Servius.*

751. *Auroræ filius arm.*] Quia etiam ei fecerat arma Vulcanus, qui cum auxilium Trojanis ferret, apud Trojam occisus est. Hic in tanto honore apud suos socios fuit, ut post ejus mortem, cum eum nimium deflerent, miseratione Deorum in aves conversi dicantur, & quotannis venire ad tumulum ejus, & ibi lamentatione & fletibus se dilacerare, donec aliquantæ ibidem moriantur. *Idem.*

Auroræ v. filius.] *Memnon*, Rex Orientalium: quem Tithonus, Laomedontis frater, ex Aurora suscepit. Allegorice significatur, Tithonum noctu Astronomiæ vacasse; dormisse autem interdiu, &c. Etiam Pind. Olymp. od. 2. Memnonem Ἀοῦς παῖδ' Αἰθίοπα vocat. Ideo autem quærit, *Quibus armis*; quia Memnon Vulcani armis usus fuisse narratur. *Taubm.*

752. *Quales Diomedis equi.*] Non debemus eos equos intelligere, quos Æneæ sustulit: nec enim congruit, sed de his interrogat, quos sustulit Rhæso. *Quales* autem dixit: ac si diceret, anne sic feroces, ut illi à quibus ducebant originem. Diomedes enim rex Thracum habuit equos, qui humanis carnibus vescebantur. Hos Hercules abduxit, de quibus dicuntur supra memorati equi originem ducere. aut ideo *quales* qui potuerint esse, ita divini, ut inter fatalia Trojana numerarentur: nam ideo & supra *ardentes* ait. *Servius.*

Diomedis equi.] J. Parrhasius ad illud Claud. in præfat. lib. 2. de Raptu Proserp.

Diraque sanguinei vertit præsepia Regis,
Et Diomedeos gramine pavit equos:

Diomedes, inquit, Rex Thracum equos habuit admodum feros, qui humanis carnibus vescebantur. Hos Hercules, occiso tyranno, Argos abduxit: Junoni consecravit Eurystheus; genusque eorum propagatum usque ad Alexandrum Magnum, tradit Diodorus: alii etiam ad Antonii tempora, qui Triumvir constituendæ Reipublicæ fuit. unde manavit *equus* ille *Sejanus*, calamitatis adagio nobilis: auctore Agellio. Ab iis præterea genus ducebant Argivi Diomedis

Immo age, & à prima, dic, hoſpes, origine nobis
Inſidias, inquit, Danaûm, caſuſque tuorum,
Erroreſque tuos. nam te jam ſeptima portat
Omnibus errantem terris & fluctibus æſtas.

medis equi: De quibus Virgil.

Nunc quales Diomedis equi!

q. d. ita feroces, ut illi Thraces, ad quos originem referebant. Servius in Schedis Fuldenſ. Ideo etiam, *quales:* qui potuerint eſſe ita divini, ut inter fatalia Trojana numerarentur. nam ideo ſupra etiam *ardentes* dixiſſe ait. *Taubm.*

Quantus Achillis.] Non interrogat Dido, qua virtute, quove corporis & animo robore; ſed *quantus*, id eſt, quam magnus Achilles fuerit. Nam, ex fabuloſa Lycophronis hiſtoria, novenis cubitis adoleviſſe dicitur. Ibidem: Exiſtimant quidam, Poëtam in his τὸ πρέπον mulieris ex amore inſanientis obſervaſſe: quæ inaniter quærat; Non, qua virtute Memnon fuerit, ſed quibus armis indutus: Non, qualis, quantuſque Diomedes, ſed cujusmodi illius equi: Non, quam fortis, ſed quam procerus Achilles fuerit. Quin & ſuperflue quærit hæc omnia ex pictura, de qua ſuperius dictum. *Idem.*

753. *Immo age.*] Vidit ſpecialia cito poſſe finiri: & contulit ſe ad generalitatem. *Servius.*

Immo age.] Hom. ἀλλ' ἄγε. Ad procurandum temporis tractum, quo animus de præſentiâ Æneæ ſatietur, ad generalitatem ſe convertit. *Taubm.*

Et à prima dic hoſpes origine nobis.] Id eſt, à raptu Helenæ. Quod quidem Dido cupit: ſed excuſat Æneas. Et dicit ruinam ſe Trojæ breviter eſſe dicturum, habita ratione temporis. ut, *Suadentque cadentia ſidera ſomnos.* Servius.

754. *Inſidias Danaum.*] Hoc ad favorem Trojanorum, ne videantur eſſe ſuperati virtute, & laudandum quod *inſidias* tantum dixerit, non & captum Ilium; nam & ipſe Æneas, *Accipe nunc Danaûm inſidias.* Idem.

Caſuſque tuorum.] Ut eventu Troja corruerit: non fati neceſſitate. *Idem.*

755. *Erroreſque tuos.*] Et reſponſio hunc ordinem ſequitur. Nam primo dicit Trojæ ruinam: poſt errores ſuos. *Idem.*

Septima æſtas.] Per æſtates, annos intellige. Nam ſic ante Olympiadas computabant. Septem autem eſſe annos Dido cognovit ex Teucro. *Idem.*

Omnibus errantem terris & fluctibus æſtas.] In antiquis aliquot exemplaribus legere eſt, *omnibus errantem, & terris, & fluctibus*, quod ſententiam reddit uberiorem. *Pierius.*

Æſtas.] Septem annos intellige. Simili figura Accius in Philoctete apud Nonnium: *contempla hanc ſedem, in qua ego novem hiemes ſaxo ſtratus pertuli.* & Silius lib. 13.

— *octava terebat*
Arentem culmis meſſem crepitantibus æſtas.

Tu ex his exemplis, & aliis, quæ ſubjiciam, animadverte quiddam non vulgare. Annus veteribus in duas tantum partes diviſus erat, videlicet in hiemem, & æſtatem, hinc eſt, ut frequenter has duas partes pro anno ſumant Auctores; non ver, non autumnum: nam ſi qui, ver, aut autumnum, illi certe aut non graves ſunt aut novitii reſpectu antiquorum. ſubjiciam aliqua alia præter Accium, & Silium, ut res clarior ſit. Valer. 6. Arg.

— *cum Scythiæ jam tertia viderat æſtas.*

Ovidius in Halieut.

Tertia Phœbei referunt hiberna jugales.

Fragmentum hoc Ovidii reperies in Hieronymo Colum. in Ennium tomo 2. per initia. Petronius:

Jam

Jam decima mœstos inter ancipites metus
Phrygas obsidebat messis.

ubi *messis* pro æstate. Seneca Troad.

——*decies nivibus*
Canuit Ide, Ide nostris
Nudata rogis, & Sigæis
Trepidus campis decies secuit
Messor aristas.

vides hiemem tantum, & æstatem. Ut apud eundem in Theb.

Bruma ter posuit nives,
Et tertia jam falce decubuit Ceres.
Ut exul errat natus, & patria caret.

Plinius lib. 6. cap. 19. *Umbræ ad septentrionem cadunt hieme, æstate in austrum per senos menses.* Ubi nulla facta veris, aut Autumni mentione, annum æque dividit in hiemem, & æstatem. Sicut & Demosthenes orat. 3. in Philip. ubi annum discriminat in θέρος, καὶ χειμῶνα. Seneca etiam ep. 36. *Æstas abit, sed alter annus illam adducit: hiems cecidit, referent illam sui menses.* & Rhetor 1. Suas. *Annuas hiemis atque æstatis vices.* Plato 6. Leg. ubi ait urbes custodiendas ab armatis hominibus toto anni tempore, ne vis externa ingruat, tantum ait, θέρους καὶ χειμῶνος σὺν τοῖς ὅπλοις. Sed signatissime omnium Virgilius supra in hoc libro:

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.

Rationem hujus acceptionis, & usus inter auctores videor ex Plinio ducere, nescio an errem. Ejus verba lib. 7. cap. 48. hæc sunt: *Annum alii æstate unum determinabant, & alterum hieme.* ubi sententia est, veteribus duplicem annum fuisse, qui nobis est unus. Itaque anni apud veteres habuere tantum sex menses. Quia ergo illi suum annum integrum vocabant jam æstatem, jam hiemem, factum ut istæ duæ partes sumantur pro anno potius, quam ver, aut autumnus. De hac re si memini, locutus sum in Georg. inde cum 4. Georg. legis,

Quod superest, ubi pulsam hiemem sol aureus egit
Sub terras, cœlumque æstiva luce reclusit.

existima loqui illum ex hac opinione. nam cum ver signet, tamen ait, *æstiva luce.* Et hæc fortasse melior ratio expediendo Poëtæ. Hinc etiam habeo, solares annos, qui constant mensibus duodecim, dici *magnos* cum discrimine ad hos annos. Quod fortasse aptius, quam cum discrimine ad lunares. Adjunge huic doctrinæ aliam adhuc strictiorem. Uni Arcades annum suum terminabant spatio tantum trium mensium. Auctores sunt Macrobius, & Plinius: ille lib. 1. Satur. cap. 12. hic lib. 7. cap. 48. Cur non ergo annus magnus; id est, solaris, dicatur cum discrimine ad annum Arcadum brevissimum? *Cerda.*

P. VIR-




G.Appelmans
Sculpsi

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS
LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Didonis voluntati morem gerens Æneas, excidii Trojani seriem narrat, ea est hujusmodi: Græci decimo belli Trojani anno, attritis jam viribus, virtutique diffidentes, ad dolum confugiunt, nocteque ea, quæ urbis incendium antecessit, fugam simulantes, circa Tenedum latitant, relicto in agro Trojano equo ligneo tantæ magnitudinis, ut portis urbis recipi non posset: ejus utero lectissimum quemque procerum includunt. Trojani partim fraude Sinonis impulsi, partim Laocoontis supplicio territi, diruta muri parte, equum in arce statuunt. Nocte intempesta Græci à Tenedo profecti, per eam muri ruinam, qua equus erat introductus, urbem invadunt. Sinon reserato equi utero armatos emittit: omnia ferro flammisque fœdantur. Æneas interim ab Hectore in somnis admonetur, ut sibi fuga consulat, deosque patrios incendio eripiat. Ille tamen honestam mortem turpi fugæ præferens, frustra in arma ruit: satis feliciter primus impetus succedit Trojanis, donec Chorœbi consilium sequuti, sumptis Græcorum armis, suorum telis obruuntur. Interea Priami regia oppugnatur, Priamúsque ipse à Pyrrho, Achillis filio, interficitur Æneas itaque, frustra tentatis omnibus, cum jam nihil spei reliquum esset, sacra Anchisæ patri committit, eoque in humeros suos sublato, assumptisque Ascanio filio Creusaque uxore, fugam arripit. Græci à tergo insequuntur. In eo tumultu Creusam uxorem amittit: cujus quærendæ caussa, per totam urbem oberranti, obvia fit uxoris umbra, virumque mortis suæ certiorem facit: ipse ad socios revertitur, quo jam magnus virorum mulierumque numerus confluxerat, ejus auspicium, quocunque terrarum abducere vellet, sequi paratus.

CONticuere omnes, intentique ora tenebant:
Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto:

Infan-

1. CONticuere omnes.] Quia supra dixit, *Fit strepitus tectis. Conticuere* autem, pro *conticuerunt*: metri caussa, vel ratione clausularum. Nec est, ut quidam dicunt, dualis numerus: qui apud Latinos nunquam penitus invenitur. Et bene *omnes* addidit. Poterant enim simul quidam, sed non omnes, tacere. *Servius.*

Conticuere.] Quia dixerat: *Fit strepitus tectis*: &, *cythara crinitus Iopas Personat aurata.* &, *ingeminant plausu Tyrii.* Conticuere partim, propter ejus honorificentiam: partim, quia mens hominum cupida est audiendi novas res, & regina indixerat silentium. *Donat.*

Conticuere omnes.] Hoc libro Poëta secutus videtur Hom. Od. *ν.* quo à cœna Ulysses errores suos Aretæ narrat Alcinoi uxori. *Germanus.*

Conticuere.] Hic *Liber*, qui ἅλωσιν *Ilii* describit, ex iis est, qui præcipuam palmam mereri judicati, atque ipsi *Augusto* à Poëta recitati sunt. narratque Agellius, l. 2. c. 3. hunc librum viginti aureis emptum esse. Cæterum dicendi genera, quos χαρακτῆρας Græci vocant, cum tria sint probabilia; *Uber*, sive generosum: *Gracile*, sive Subtile; & *Medium*, sive Mediocre; hic Liber in *Summo genere* scriptus est. Refertur autem ad locum communem, quo omnes

Infandum, regina, jubes renovare dolorem;

Troja-

mnes Tragœdiæ & Historiæ occupantur: *Discite justitiam moniti, & non temnere divos.* Taubm.

Conticuere.] Sic infra ℣. 131. *Conversa tulere.* Dausquius ex Tullio in Oratore *scripserunt* verius dici quam *scripsere* testatur. Multis tamen probat sine discrimine usurpari. Maro *devenere locos.* Ovid. l. 13. Metam. *consedere duces.* Plura ille. sed, cum Cicerone citato loco c. 47. consuetudini, auribus indulgenti, libenter obsequor. Quantum ad argumentum hujusce libri secundi Petrus Victor. var. lect. l. 28. arbitratur Virgilium, ut fuit studiosus valde Euripidis, accuratissime tamen evolvisse illius Tragici Troadas, quia in hunc librum secundum Æneidos, multa ex illa fabula transtulit. exemplar hujus libri extitit mirandæ vetustatis quod A. Gellio monstratum & emtum viginti aureis est, ut idem testatur l. 2. c. 3. Trojæ Halosin etiam Graphice versibus enarrat Petronius. *Emmeness.*

Intentique ora tenebant.] Id est, ora intuebantur loquentis; aut immobiles vultus habebant. ut, *Tenuitque inhians tria Cerberus ora,* id est, immobilia habebant: aut intenti tenebant, ut sit figura, & intelligamus, *intenta habebant.* ut Terentius, *Nam Andriæ illi id erat nomen, teneo.* Ideo autem hoc addidit: quia potest quis tacere, nec advertere. *Servius.*

Intenti.] Desiderio inducebantur audiendi. *Donatus.*

Intentique ora tenebant.] Pro, *Intenta ora habebant*, id est, defixa in loquentem: ut sit hypallage. Vel, Intenti ad ejus verba ne quidem hiscebant. Æn. 8. dicet: *defixique ora tenebant.* Ideo autem hoc addidit: quia potest quis tacere, nec tamen animum advertere. *Taubm.*

Conticuere omnes intentique ora tenebant.] Hunc versum debet Homero, qui hunc habet l. 1. Iliad. ℣. 29.

Ὣς ἔφαθ', οἱ δ' ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ.

Vide Macrob. l. 5. Saturn. c. 5. silentium erat necessarium post strepitum & ingeminatum plausum. *Emmeness.*

2. *Inde.*] Aphæresis est, pro *deinde*, vel ut quidam volunt *Tunc.* Servius.

Toro ab alto.] Summus enim semper est pontificalis locus. Non licebat enim supra regem sacrificulum quemquam accumbere. Cum enim dicit de Didone: *Aurea composuit sponda mediamque locavit:* Ostendit illam regali, non sacerdotali loco discubuisse. Æneas autem ubique quasi sacratus inducitur. *Torus* autem ab *herbis tortis* dictus est; & videtur hic ostendisse, *Ostroque superbo.* Et *Aulæis jam se regina superbis,* ut aulam significaret. *Idem.*

Ab alto.] Pro *ex alto*, mutavit præpositionem. *Idem.*

Sic orsus ab alto.] In Mediceo codice una plus dictione scriptum est, *ab alto est.* Sed magis Virgilianum est, ut verbum id subintelligatur potius, quam adscribatur. *Pierius.*

Toro ab alto.] Qui gerebat se sacrorum regem, accumbebat supra omnes, Turnebo teste adverf. lib. 6. cap. 21. quod illustriorum personarum lectuli fuerint altiores, & ad eos gradibus adscendendum fuisse edocet fusius Ciacc. de Tricl. p. 13. Fulv. Ursin. non ad altitudinem tori referendum esse *torum altum*, sed ad loci dignitatem, quo discumbebat Æneas; eum vide p. 250. *Emmeness.*

Pater Æneas.] Hoc honoris nomen est. *Servius.*

Orsus.] Hic cœpit, alibi finivit: ut, *sic Juppiter orsus.* Idem.

3. *Infandum.*] Quia viro forti victum se dicere, & doloris est, & pudoris. *Idem.*

Infandum.] Quoniam gravissima erant in convivio lætissimo narranda, non aliena mala, sed sua narrabat. *Donatus.*

Jubes.] Vis: ut, *Jubeo Chremetem.*

Nam

Trojanas ut opes, & lamentabile regnum
Eruerint Danai: quæque ipſe miſerrima vidi,
Et quorum pars magna fui. quis talia fando

Myr-

Nam aliter hoc verbum, Æneæ perſona, non recipit. *Servius.*

Renovare.] Retexere, iterare. *Idem.*

Infandum, &c.] Ante omnia Homeri locum ſubjicio è 9. Odyſſ. Ergo Ulyſſes Alcinoo obtemperans ſic loquitur:

Σοὶ δ' ἐμὰ κήδεα θυμὸς ἐπετράπετο στονόεντα
Εἴρεσθ', ὄφρ' ἔτι μᾶλλον ὀδυρόμενος στοναχίζω.
Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω;
Κήδε' ἐπεί μοι πολλὰ δόσαν θεοὶ οὐρανίωνες.

In his Homerus, ἐμὰ κήδεα *meos dolores* pro fundamento ponit. Æneas longe aliter, nam prius univerſam calamitatem, deinde ſuam: tantorum enim malorum, ipſe quoque partem magnam habuit: non ſtatim confugit ad aram communem: Deos malorum auctores. Sed *quæ vidi* & quidem *miſerrima* & quæ paſſus ſum ipſe: Deinde per interrogationem πάθος explicat: quando ne hoſtes quidem ſine miſeratione denarrare poſſe, profiteatur. A temporis quoque incommoditate auget difficultatem narrationis. Ergo non tam imitatus eſt Homerum (ait Jul. Scal.) quam nos docuit, quomodo ille dicere debuiſſet. Seneca in Agamem. Virgilio his verſibus adhæret:

Acerba fatu poſcis, infauſtum jubes
Miſcere læto nuncium: refugit loqui
Mens ægra, tantis atque inhorreſcit malis.

Quod vero Virgilius *renovare*, Sophocl. in Col. dixit πάλαι ἐπεγείρειν *rurſum excitare*: & Callim. δάκρυον ἐγείρειν· *excitare lacrymas*: Eurip. in Oreſt. ἄῤῥητ' ἀναμετρήσασθαι: *Infanda recenſere.* Quod Latini *infandum.* Eurip. Sophocl. & Homer. ἄῤῥητον. Iſocr. ἀπόῤῥητον. Pindarus od. 7. Iſthm. ad verbum, πένθος οὐ φατόν. *Cerda.*

Infandum regina jubes, &c.] Illud Horatianum diligenter obſervavit in hoc ſuo libro Poëta noſter, quod invenias in l. de art. poët. ỳſ. 105.

—— triſtia mœſtum
Vultum verba decent. De voce in re triſti agit Cic. lib, 3. de orat. cap. 58. Recte *infandum*, ut apud Apulejum l. 10. *demonſtrant infandam gulam.* & hunc verſum ex Homero ſumtum monet Macrob. l. 5. Saturn. c. 5. *Emmeneſſ.*

4. *Trojanas ut opes.*] Ut *quemadmodum.* Sic Horatius, *Aut pinguis Phrygiæ, Mygdonias opes.* Servius.

Trojanas.] Quaſi dicat, magnas. *Don.*

Trojanas ut opes.] Legit Lambinus, *aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes.* De Mygdoniorum opibus Horat. l. 3. od. 16. *Emmeneſſ.*

Et lamentabile regnum.] Id eſt, magnum, quaſi dignum multa lamentatione: ut, *Hi multum fleti ad ſuperos.* Servius.

5. *Danai.*] Dicti à Danao rege. Nam Græci proprie ſunt Theſſali à Græco rege. *Idem.*

Danai.] Abjecte legendum, quaſi imbelles. *Donatus.*

Miſerrima vidi.] Eſt enim pœna & in atrocitate ſpectaculi, ut, *in Ætnæos vidit Cyclopas Vlyſſes.* &, *Vidi ego duo de numero.* Servius.

Quæque ipſe miſerrima vidi.] Simili affectu Vlyſſes Odyſſ. 12. Οἴκτιστον δὴ κεῖνο ἐμοῖς ἴδον ὀφθαλμοῖσι: *miſerrimum illud vidi meis oculis.* Cerda.

6. *Pars magna fui.*] Propter conjugem amiſſam. Et hoc ſe commendat: ut paulo poſt, *Aut quid in everſa vidi crudelius urbe?* Servius.

Pars magna.] Quia perdidit regnum. Vidit miſerandam Priami & Polytæ mortem. Amiſit uxorem, & denique patrem. Certe neque Dido deberet audire, quod mala ſua fleret. *Donatus.*

Et quorum pars magna fui.] Talis locutio

Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulixei
Temperet à lacrimis! & jam nox humida cælo
Præcipitat, ſuadentque cadentia ſidera ſomnos.

Sed

cutio l. 10. Æn. ℣ſ. 427. —— *Lauſus pars ingens belli.* & Sil. Ital. l. 5. —— *Italæ pars magna ruinæ, Appius.* Bene duo dicit & *vidi* & *fui.* videndo enim & patiendo rerum ſcientes evadimus ut Donat. ad Ter. Ad. 3. 1. 3. *Emmeneſſ.*

Quis talia.] Quæris me narrare, quæ etiam hoſtis ſi audiret, non abſtineret à lachrymis. Ibi enim fuit unus ex Græcis Achemenides, quem fleturum dicit. *Donatus.*

Fando.] Dum ipſe dicit. alibi dum dicitur: ut, *Fando aliquid ſi forte tuas pervenit ad aures.* Quia gerundii modus eſt. quidam per infinitivum modum dictum accipiunt. *Servius.*

7. *Myrmidonum.*] Myrmidones ſunt Achillis ſocii. A Rege Myrmidono dicti, Jovis & Eurimedontis filio. *Idem.*

Dolopum.] Dolopes, Pyrrhi ſocii: quos, ut quidam volunt, de Feſto inſula, duxit ad Trojam: Dicti autem *Myrmidones* propter hanc cauſam: Æacus Jovis & Æginæ filius, cum vellet matris ſuæ perpetuam memoriam permanere; inſulam in qua regnabat, à nomine ejus *Æginam* appellavit: hoc indignata Juno, peſtilentia cives ejus omnes abſumpſit; quod cum vidiſſet.... petit à Jove, ut Formicæ, id eſt, myrmices, quas caſu animadverterat plures, in homines & ſuos ſocios verterentur. Qui ſtatim mutati in homines, *Mymidones* appellati ſunt: Sed hoc fabula eſt; Nam Eratoſthenes dicit, *Myrmidonas* à rege Myrmidono Jovis & Eurymedonæ filio: ſane amat hos exercitus jungere; Nam & poſt ait, *Hic Dolopum manus, hic ſævus tendebat Achilles.* Idem.

Aut duri miles Ulyxei.] *Duri*, non laborioſi, ſed crudelis: ut, *quem dat tua conjux dura.* Nam Virgilius pro negotiorum qualitate dat epitheta, quum Homerus eadem etiam in contrariis ſervet. Senſus autem eſt, Sine lachrymis hæc nec à quovis hoſtium dicerentur. Illud autem quod Aſinius Pollio dixit, caret ratione, de Achemenide dictum *Miles Ulyſſi.* Myrmidonas vero & Dolopas præſentes eſſe acceptos ab Heleno. Si ſic enim dicit, frangitur dignitas. Sane quædam ſi ſingulariter proferuntur, interdum gratiora ſunt, ut, *Tros Tyriuſque mihi nullo diſcrimine agetur. Ulyxi* autem vetus genitivus eſt; ut, *Atque immitis Achilli.* Idem.

Quis talia fando Myrmidonum, &c.] Similem habes locum apud Sil. Ital. l. 2.

Quis diros urbis caſus, laudandaque monſtra
Et fidei pœnas, & triſtia facta piorum
Temperet evolvens lacrimis? vix Punica fletu
Ceſſaſſent caſtra, ac miſereſcere neſcius hoſtis.

& Ter. Hec. 1. 2. 53.

Ibi demum ita ægre tulit, ut ipſam
Bacchidem, ſi adeſſet, credo ibi ejus commiſereſceret.

Emmeneſſ.

8. *Temperet.*] Abſtineat. *Servius.*

Temperet à lacrimis.] Præpoſitio non male exprimitur. ſic legendum ℣ſ. 360. l. 1. Georg.

Jam ſibi tum à curvis male temperat unda carinis.

Ita gaudet loqui Cæſar l. 1. de Bell. Gall. *temperare à maleficio, ab injuria.* Emm.

9. *Præcipitat.*] *Præcipitatur.* Verbum pro verbo, ut dictum eſt, & duas cauſas prætendit, quibus dicit non poſſe univerſa narrari, Dolorem & tempus. *Servius.*

Jam nox humida cœlo præcipitat, &c.] *Nox præcipitat*, pro *præcipitatur.* Sed lege, *Nox humida cœlo Præcipitat ſomnos, ſuadetque cadentia ſidera. Nox humida cœlo præcipitat.*] Hoc voluit dicere. Jam media nox abſumpta eſt: ſiquidem aura humida jam cœpit, & ſidera in occaſum labuntur. hæc enim non ſunt niſi maxima parte noctis tranſacta. *Donatus.*

Et jam nox humida cœlo præcipitat.]

Od.

Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros,

Od. ι. ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ. & Od. λ. πρὶν γάρ κεν καὶ νὺξ φθῖτ' ἄμβροτος, ἀλλὰ καὶ ὥρη εὕδειν· & eod. ὥρη μὲν πολέων μύθων, ὥρη δέ τε ὕπνου. Ut autem *Sed si tantus amor, &c.* idem Hom. εἰ δ' ἔτ' ἀκουέμεναί γε λιλαίεαι. Non omittendum autem, quod ad hunc locum notavit Turnebus l. 6. cap. 21.: Cadere sidera diluculo, albescente cœlo, exortu auroræ, exacta fere nocte: ut & illo loco intelligendum contendit: *primisque cadentibus astris.* Sunt tamen, qui putent, contextum illius loci lib. Æn. 4. & repetionem versus hujus, non videri auroræ, diluculo, aut diei convenire posse, si Poëtæ menti ex ipso orationis curriculo, præcedentibus, & subsequentibus advertamus, quæ ita se habent:

Nunc eadem labente die convivia quærit.
Post ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit, suadentque cadentia sidera somnos,
Sola domo mœret vacua, stratisque relictis
Incubat. —

Aliis tamen videtur Servii Turnebique sententia sustineri posse, si accipiamus, produxisse Didonem in multam noctem convivium, & ita invaluisse noctem, ut bona pars transacta videretur: unde & Græci non modo grassatores nocturnos, sed & comessatores & amatores ἡμεροκοίτες vocarunt. Sed & Propertii versus & auctoritas penitus sententiam Turnebi fulcire videtur: Propertii, inquam, diluculum respicientis.

Et jam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.

Ut autem absolute *præcipitat* usurpavit, sic & Cæsar l. 3. bel. civ. *Multi jam menses transierant, & hiems præcipitaverat.* Sed neque hic ex sententia ejusdem Turnebi *præcipitat* in ea significatione accipiendum, ut infra eodem hoc libro:

Vertitur interea cœlum, & ruit Oceano nox,
Involvens umbra magna terramque polumque:

& lib. 8. Æn.

Nox ruit, & fuscis tellurem amplectitur alis.

Inferius etiam neutraliter: *effusa grandine nimbi Præcipitant.* Germ.

Et jam nox humida cœlo præcipitat, suadentque, &c.] Ad explicationem hujus loci facit illud Ciceronianum, cujus meminit Salmas. exercit. Plin. 719.

Jam prope præcipitante licebit visere nocte.

Id est, cum maxima noctis pars transacta est. Sic *præceps æstas*, quæ ferme exacta est. *Præceps ver*, quod finem spectat. Hic subticetur accusativus. *Præcipitat* pro *præcipitat se.* quod sæpissime & eleganter fieri docet Sanctius Minerv. p. 278. quando suppositum agit in se. ut hoc loco *nox præcipitat*, sic apud Cicer. 3. de orat. c. 35. *sol præcipitans me admonuit.* de verbis activis passive sive absolute usurpatis consule Vechnerum l. 1. Hellen. c. 12. *Emmen.*

Cadentia sidera.] Aut epitheton est siderum, quæ semper & oriuntur & occidunt: aut certe majorem partem noctis dicit esse transactam, per *sidera* autem noctem significat, quæ somnos suadet. *Servius.*

10. *Casus cognoscere.*] Cognoscendorum casuum; est autem Græca figura. *Casus* autem fortuna, pericula: Nam si *mortem* dixit, *nostrorum* debuit dicere. Et breviter præscribit: quia Dido dixerat, *à prima die hospes origine nobis.* Ergo non ad Didonis voluntatem, sed narrantis officium. Et quibusdam hysterologia videtur; Prius enim est, ut Trojæ laborem, post Æneæ casus agnoscat. *Idem.*

Cognoscere.] In exemplaribus aliquot

Et breviter Trojæ ſupremum audire laborem;
Quamquam animus meminiſſe horret, luctuque refugit,
Incipiam. Fracti bello, fatiſque repulſi

Ducto-

antiquis, *agnoſcere* legitur: ſed *cognoſcere* Servius agnoſcit: neque non Donatus, & reliqua litteratorum collegia. *Pierius.*

Sed, ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros.] Pro eo Stat. l. 1. Thebaid.

Sed ſi præcipitant miſerum cognoſcere curæ.

hic *cognoſcere* pro *cognoſcendi*, infinitivus pro gerundio, ut Grammatici. ſic Cic. pro Sestio: *Dignitas reip. minora relinquere hortatur.* Vide Macrobium in libello de different. Græc. Lat. verbi. c. de infinito modo. ſi cum Sanctio loqui velimus, infinitum poni pro genitivo affirmabimus. ejus adi Minervam, p. 216. *Emmeneſſ.*

11. *Supremum.*] Poſtremum, ultimum dicit; Everſionem enim Trojæ tantum, omiſſis ſuperioribus, narrat. *Servius.*

Supremum laborem.] Ita in 5. *forte ſuprema Trojæ.* Nam imperium illud nunquam revixit in poſterum. Itaque locutio ſumpta eſt à mortuis, quibus omnia, quæ contingunt, ſuprema ſunt, id eſt, ultima. *Sic ſupremus honos* pro exequiis. Ita & Calaber lib. 12. de ſuprema nocte Trojæ, ὑστατίη νύξ. *Cerda.*

12. *Quanquam animus meminiſſe horret.*] *Quanquam*, melius præſenti jungitur tempori: ut, *Quanquam ſcio, quanquam lego.* Quod autem dixit, *meminiſſe horret*, defectivi verbi ratio eſt. Nec enim potuit dicere *meminere.* Et in his, quæ corrupta ſunt naturaliter, ut *odi*, *novi*, *cœpi*, *memini*: & omnia tempora, quæ inveniuntur, & ſuo & aliorum funguntur officio: ut, *Memini videre, quo æquior ſum Pamphilo*, præteritum eſt: Et, *Memini, me turribus altis Corycium vidiſſe ſenem.* Quod ſi fit & in verbis integris: ut, *Juvat evaſiſſe tot urbes*: quanto magis in corruptis. *Servius.*

Quanquam animus meminiſſe horret.] Ita Cic. 14. in Anton. (notante Mureto) *Refugit animus P. C. eaque formidat dicere, quæ, &c.* Adjungo Tacitum, & Livium, ille 4. Hiſt. *horret animus tanti flagitii imagine.* Hic lib. 9. *reformidat animus*, & alibi *horret animus referre.* Sed ſignatiſſime ad Virgilium Fabius declamat. 270. *Horret animus recordari, refugiunt cogitationes.* Calpur. etiam declamat. 10. *horret referre animus.* Seneca in Agamemn. *En horret animus, & pavor membra excutit.* Iterum: *Refugit loqui mens ægra tantis atque inhorreſcit malis.* Nazianzenus Orat. 19. ita locum iſtum amplificat, φρίττειν ἐπέρχεταί μοι τοῖς ἑξῆς προσιόντι τῷ διηγήματος, φρίττοιτε δὲ καὶ ὑμεῖς οἱ ἀκούοντες. *Mihi ad eorum, quæ ſequuntur, narrationem progredienti ſubiit horreſcere: ac vos velim, cum audiatis, cohorreſcere.* Cerda.

Refugit.] Propter metrum, pro præſenti præteritum poſuit. *Servius.*

Luctuque refugit.] In codicibus nonnullis ſane quam vetuſtis, *luctum* habetur: quod ego factum credebam ob notam productæ ſyllabæ ſignum; quæ fuiſſet antiquitus ſupra ſyllabam ultimam dejecta: ſed animadverti Ti. Donatum quoque *luctum* legere quarto caſu: & apud Cariſium, ubi verſus is citatur, *luctus* ſcriptum eſſe. *Pierius.*

13. *Incipiam.*] Deeſt, *tamen.* quia cum præponitur *quanquam*, neceſſe eſt ſubjungi *tamen.* Serv.

Incipiam.] In hoc principio narrationis, loci, temporis, & perſonarum memor eſt Æneas. Ergo propoſita retinet: ſed oſtendit eſſe prolixa & multa, nec tempori, nec loco, nec perſonis congrua: ſed quia cupiebat id regina, cujus voluntas pro ratione eſſet, recurrit ad brevitatem: ut neque ipſe multa dura narrando dolores incurreret, nec Didonem multum vigilare cogeret,

Ductores Danaûm, tot jam labentibus annis,
Inſtar montis equum divina Palladis arte
Ædifi-

geret. Hoc loco docet, quod quamvis omnis narratio brevis eſſe debeat, tamen illa breviſſima, cum propria mala narrantur, niſi neceſſitas cogat: ergo contra erit, cum narrantur bona. Nam proſpera & referre juvat, & exigunt audientem. *Donatus.*

Fracti bello.] Bene defendit cauſam ſuorum, quod in bello non impares fuerint. Duplex ergo eſt in hoc libro intentio, ne vel Trojæ, quod victa eſt; vel Æneæ turpe videatur eſſe, quod fugit. Sane amat in adverſis hoc verbo uti, ut *Fractæ vires*, & *Frangimur heu fatis inquit.* Servius.

Fracti bello.] Subtilis narratio hominis victi, & ejus, qui patriæ adeſſe nequiverit. Cujus auxilium, Didoni omnia metuenti videri debeat neceſſarium: quod in ſpem certam venire non potuit, niſi Æneas prius perſonam ſuam juſta defenſione purgaret, quod ab occaſione temporis & perſonæ ſumit: Non nos ſtrenui, ſed imbelles vicerunt. Argumentum ergo à perſona, *Fracti bello.* Nullus bello frangitur, niſi imbellis, & niſi fortis ſit, qui reſiſtit. A tempore, *tot jam labentibus annis.* Nam tamdiu reſtitimus, quamdiu fata imperium ſtare conſenſerunt. *Donatus.*

Fracti bello, &c.] Sic Horat. lib. 2. od. 4.

—— *& ademtus Hector*
Tradidit feſſis leviora tolli
Pergama Grajis.

Frangi eleganter dicuntur, bello aſſiduo qui premuntur. Corn. Nepos in Themiſt. c. 2. *primum Corcyræos fregit.* ſic apud eundem *curis frangi.* Emmeneſſius.

Fatiſque repulſi.] Oraculis: ut eſt, *Cum virgo poſcere fata* (ſecundum Plautum) tribus, vita ſcilicet Troili, & ſi Palladium manſiſſet in Troja, integro ſepulchro Laomedontis, quod in Scæa porta fuit: ut in Bacchidibus *Compendia* lectum eſt. Secundum alios vero, pluribus: ut de Æaci gente aliquis intereſſet. Vnde Pyrrhus admodum puer evocatus ad bellum eſt, ut Rhœſi equi tollerentur à Græcis: ut Herculis intereſſent ſagittæ: quas miſit Philoctetes, quibus Paris peremptus eſt. *Servius.*

14. *Ductores.*] Sonantius eſt, quam duces; ut, *regnatorem Aſiæ*: quod heroum exigit carmen. *Idem.*

Labentibus.] Velocibus curſu; ut, *Labere nympha polo*, & *Labere pennis.* Curſu enim lapſus celerior eſt. *Idem.*

Tot jam labentibus annis.] Ex Lucretii modulo lib. 1.

—— *Tot jam volventibus annis,*
Ductores Danaûm delecti prima virorum.

Cerda.

15. *Inſtar.*] Nomen eſt indeclinabile, licet Probus *inſtaris* declinaverit, ut *nectaris.* & caret præpoſitione, ut *peregre:* quamvis Serenus Lyricus *ad inſtar* dixerit. *Inſtar* autem eſt *ad ſimilitudinem.* Unde non *reſtaurata*, ſed *inſtaurata* dicuntur ædificia ad antiquam ſimilitudinem facta. *Servius.*

Equum.] De hoc equo varie in hiſtoriis dictum; ut enim Higinus & Tubero dicunt: machinamentum bellicum fuit, quod *equus* appellatur, ut *aries* & *teſtudo*, quibus muri diſcuti, vel ſubrui ſolent: unde eſt, *Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros.* Ut alii, porta, quam eis Antenor aperuit, equum habuit pictum: Nonnulli ſignum equi datum, ut internoſcerent Græci ſuos, vel hoſtes. A quibuſdam dicitur facta proditione prædictum, ne quis eas domos violaret, quarum ante januam equus eſſet depictus: unde & Antenoris & cæterorum agnitæ ſunt. Aut quia Equeſtri prælio victa eſt Troja. Aut à monte Hippio, poſt quem ſe abſconderant Græci. Unde & alludit: *Inſtar montis equum*: ut, *Pelago credas*

innare revulsas Cycladas. Aut revera hoc fuit, quod Virgilius sequitur: sed melius machinamenti genus accipimus. *Serv.*

Instar montis.] Fracti bello se ad insidias converterunt. *Donatus.*

Equum.] Maximæ insidiæ. Nam quod abscondere non potuerunt, specie religionis contexerunt. *Idem.*

Instar montis equum.] Hic fabulosus equus à Poëtis nunc δȣ́ρειος, nunc δȣράτεος dicitur: unde & Lucret.

Nec cum Durateus Trojanis Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Grajugenarum.

Cur autem δȣ́ρειος dictus sit, docet in Troad. Eurip. ὅθεν πρὸς ἀνδρῶν ὑστέρων κληθήσεται δȣ́ρειος ἵππος κρυπτὸν ἀμπίσχων δόρυ. De eo vide Hom. Od. θ. *Germ.*

Instar montis equum.] Mitto hic digladiationes Grammaticorum de voce *instar.* Quod Virgil. *instar montis.* Pindarus Od. 6. Isthm. ὄρει ἴσον. Sermonem ipsum hyperbolicum in mente credo habuit Apulejus lib. 10. ubi Romanum pegma *montem ligneum* vocat. Cæterum totum hoc belli consilium de equo construendo, de insidiis, de Sinone, demum omnium, quæ longissime sequuntur in Vate, desumpta sunt ab Tryphiodoro, & Calabro, sed ego inprimis Calabri acumen demiror, qui Vlyssem sapientissimum facit eleganti quodam invento, nam ad verba Calchantis satis implicata, auguriumque illius, inducit Vlyssem excogitantem equi machinam, qua omnino Calchantis augurium intelligatur. Inde verba illa, οἱ πάντες ἐπῄνεον; Κάλχας δὲ θαύμαζεν· *omnes illum laudabant, Calchas ipsum mirabatur,* videlicet Ulyssem. Ut, quæ hîc dixi, intelligas, opus est Calabro adito. Volo etiam scias, Rhetores, qui versum istum Virgilianum adducunt pro exemplo catachreseos, mire decipi. Dicunt enim κατάχρησιν positam in voce *equum*, quasi Maro καταχρηστικῶς appellet istam machinam *equum.* Cerda.

Instar montis equum divina Palladis arte.] Σὺν Ἀθήνῃ. aut ingeniose, aut dolose. ac si diceret; Consilio Iratæ deæ, quæ fuit inimica Trojanis. Hunc autem Equum fabricasse traditur *Epeus*, Panopei filius, qui genus suum ad Æacum referebat, Jovis filium. Nec merus fuit Græcus, sed barbarus *Semi-Cres:* Quippe Lycophron in Cassandrâ, ἡμικρῆτα βάρβαρον ἐπειὸν, appellat hunc ἱπποτέκτονα. Fuitque Equo isti incisa ejusmodi inscriptio; *DANAI MINERVÆ ILIADI DONO:* vel, ut Actius in Deiphobo: quod Serv. Fuld. notat: MINERVÆ DONUM ARMIPOTENTI DANAI ABEUNTES DICANT. Abiisse porro *Equum Trojanum* (ut hoc etiam obiter notemus) in Proverbium, docet Cælius lib. 19. c. 25. & usurpari pro societate, non in perniciem modo cujuspiam initâ, verum & ad bonam frugem aliquam. Cicero in Philipp. *In hujus me consilii societatem, tanquam in Equum Trojanum, includi cum Principibus non recuso.* Idem 2. De Orat. *Ex Isocratis ludo, tanquam ex Equo Trojano, innumeros Principes exivisse, scribit.* De quorum verborum sententiâ vide P. Victor. lib. 18. c. 5. Legetur & *Porcus Trojanus*; quem lepidâ similitudine ita vocabant, quasi aliis animalibus inclusis gravidum, ut ille Trojanus Equus viris armatis. De hoc denique Equo varia in historiis lecta sunt. Hyginus & Pausanias machinam fuisse dicunt, subruendis muris; Plinius arietem, quem Epeus ad Trojam invenerit. Ab aliis traditur porta, quam Antenor, patriæ (ut opinio est) proditor, Græcis aperuerit, Equum pictum habuisse. Nonnulli dicunt, signum Equi datum, ut internoscerent Græci suos & hostes. Nonnulli, factâ proditione prædictum, ne quis eas domos violaret, quarum ante januam equus esset depictus. Unde & Antenoris, & cæterorum, agnitæ sint. Vel dicamus, Equestri prælio victam esse Trojam. Vel, à monte Hippio, post quem latentes Græci in insidiis, urbem oppres-

Ædificant, sectaque intexunt abiete costas.

Votum

oppresserant: ut noster alluserit;

Instar montis equum.

ut alibi: —— *credas innare revulsas Cycladas.* Taubm.

Palladis arte.] Aut ingeniose, aut dolose: ac si diceret consilio iratæ deæ: quæ fuit inimica Trojanis. *Servius.*

Palladis.] Quo possent ab insidiarum suspicione abduci. *Donatus.*

16. *Ædificant.*] Translatio. *Ædificari* enim habitacula hominum dicimus. Nam ideo hic de equo *ædificant*, qui erat homines recepturus, vel propter magnitudinem. ut Cicero, *Navem tibi ædificatam esse Messinæ.* Servius.

Intexunt.] Quia naves dicuntur *texi:* nam ubi naves fiunt *textrinum* vocatur. Ut ipse, *Bis denas Italo texamus robore naves.* Idem.

Intexunt.] Verbum *texo* traduxerunt vett. ad fabricam omnem è ligno. Ovid.

Texitur in costis panda carina suis.

Catull.

Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.

Ennius:

Idem campus habet textrinum navibus pandis.

Ita legit hunc versum Scal. in Not. ad Catullum. Vegetius lib. 4. cap. 33. *classem Romani principes texuerunt.* Sulpitius Severus lib. 1. Hist. de Noë: *arcam è lignis contexuit.* Pari indole Græci τὰ ὕφη νεῶς. Ab hoc contextu tabularum dictæ naves *caudicariæ*, à Seneca de Brevit. Vit. c. 12. quasi à caudicibus. & à Sall. in fragm. Hist. *codicariæ.* Cerda.

Abiete costas.] Non sine ratione Virgilius hoc loco *abietem* commemorat. Item *acerem* & *pinum* paulo post. Nam *fulminata abies*, interitum dominæ significat: & Troja per fœminam periit. *Acer* vero in tutela Stuporis est: & viso *equo* stupuere Trojani. ut, *Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ.* Pinus in tutela quidem est matris deum: sed & fraudum & insidiarum: quia ejus poma cadentia per fraudem interimunt: & hic equus plenus insidiarum est. *Abiete.* Solutio spondæi, nunc in proceleusmaticum, alias in dactylum; ut, *Arma virum tabulæque, & Troïa gaza per undas:* alias in anapestum, ut, *Fluviorum rex Eridanus.* Sciendum autem Virgilium servasse sibi ubique in solutione ista, excusationem synalœphæ: quod alii contemnunt. *Servius.*

Abiete.] Non sibi contrarius Poëta, quamvis equum hunc infra *acernum* vocat, & deinde *pineum.* Ergo dicamus hanc machinam contextam ex variis arboribus, non ex acere solum, & pino; sed ex robore, quod voluit Petronius, & Poëta ipse, cum ait: *molem roboribus textis:* atque etiam ex cornis, quod Pausanias in Laconicis: costas autem, & statumina, quibus machina firmaretur, sumta ex abiete. Inde Propertius lib. 4. eleg. 1. de hoc equo loquens:

Læserat abiegni venter apertus equi.

& lib. 3. eleg. 1.

Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces.

Tryphiodorus, qui plurimus est in hoc equo describendo, præter materiam lignorum, adjicit alia quæpiam, videlicet oculos ex lapidibus pretiosis, unum ex beryllo, alterum ex amethysto, dentes ex argento, jubam auro aspersam, ungulas ex testudine. Adi illum. Quæ Tryphiodorus dixit de beryllo, & amethysto explicant Calabrum, qui huic equo dat ὀφθαλμὸς διειδέας, *oculos perspicuos.* Inde ab eodem Tryphiodoro hic equus αἰόλος vocatur, propter hanc varietatem. *Cerda.*

Abiete.] An *i* in *abiete* sit vocalis, an vero consonans, contenditur inter Grammaticos. iis, qui consonas fieri putant *i* & *u*, assentitur H. Stephanus in lect. Virgil. idem statuendum in *parietibus, abietibus, arietat, tenuia, genua, omnia* & similibus. A contrario argumentatur, per diæresin enim *siluæ* dicitur pro *silvæ. Süaves* pro *Suaves.* Versum autem esse προκελευσματικὸν asserit Nobiliss. Heins. l. 7. Metam. vs. 151.

—— *Custos erat arietis aurei.* Enim.

 17. *Vo-*

Votum pro reditu ſimulant. ea fama vagatur.
Huc delecta virûm ſortiti corpora furtim

Inclu-

17. *Votum.*] Oblatum. Nam participium eſt, id eſt, voviſſe pro reditu. *Servius.*

Votum pro reditu ſimulant.] Probè Naſc. *Hinc levis emergit Græcorum deturpatio ab impietate, qui per ſpeciem religionis inſidias moliuntur.* Hæc non diſſident ab ingeniis Græcorum, qui fraudulenti, & doloſi. Curt. lib. 4. Græcorum ingenia vocat *temporaria:* Caſſiod. 12. Var. ep. 4. Græciam *multifariam.* Cic. ad Q. Fr. *fallaces, & leves; & diuturna ſervitute ad nimiam aſſentationem eruditos:* iterum, illorum amicitias *parum fideles:* Livius lib. 8. *gentem lingua magis ſtrenuam quàm factis.* Similem illis impietatis notam inuſſit Homerus, Græcus ipſe, per initia lib. 12. Il. quod Spondanus & notat, & miratur auſum hoc Græcum hominem. Tangit autem Poëta veterum morem, apud quos vota ſuſcipi conſueverunt pro reditu in patriam: quod Briſſ. monuit lib. 1. Form. Tib. lib. 3.

Ac ſi pro dulci reditu quæcunque voventur.

Ovid. 1. Amor. El. 11.

——pro reditu victima vota cadet.

Sueton. in Calig. cap. 14. *cum deinde paucos poſt dies in proximas Campaniæ inſulas trajeciſſet, vota pro reditu ſuſcepta ſunt.* Corn. Tacit. lib. 3. *decrevere patres vota pro reditu ejus.* Eleganter Petron. ad hoc votum alludens dixit: *Danai in voto latent.* Sed & de hoc ſtrategemate belli ita loquitur Vegetius lib. 4. cap. 26. *Frequenter dolum excogitant obſidentes, ac ſimulata deſperatione longius abeunt.* Julius Front. lib. 3. cap. 6 de Scipione: *ſimulato metu refugiebat Annibal, ratus veram eſſe ejus trepidationem, &c.* Vide, quæ late idem ſcribit cap. 10. & 11. ejuſdem libri. *Cerda.*

Votum.] Simulant, atque etiam ſermones ſpargunt, iſtum Equum pro felici in Græciam reditu ab ipſis votum & oblatum eſſe. Nam, *Votum*, participium eſt. Eleganter Petronius in haloſi Ilii: *—— Huc decenni prælio*

Jurata virtus abditur: ſtipant graves
Equi receſſus Danai: & in voto latent.

Id eſt, in Equo, quem voverant. Tacite autem impietatis accuſat Græcos, qui per ſpeciem religionis inſidias moliti ſint. *Taubm.*

Votum pro reditu ſimulant.] Inde Horat. de hoc equo l. 4. od. 6.

Ille non incluſus equo Minervæ ſacra mentito.

Vide Thomaſinum de tab. Votivis c. 25. *Emmeneſſ.*

Ea fama vagatur.] Hoc eſt pro reditu, fama tamen fuit non & ſimulationis: Nam incipiunt & inſidiæ patefactæ eſſe. Bene ergo excuſat, ne reus ſit conſcientiæ. Accius in Deiphobo inſcriptum dicit: *Minervæ donum armipotentes Danai abeuntes dicant.* Servius.

Ea fama vagatur.] Silentiar. Epigr. ὅδε μῦθος ἀλᾶται. *Germ.*

18. *Huc.*] Pro illuc in equum, vel in hanc rem. *Servius.*

Delecta corpora.] Delectorum virorum. *Idem.*

Delecta.] Non ergo plebeja: & eſt ad excuſationem Trojanorum. Elegerunt ex ducibus plurimos: & quoniam periculoſa non poſſunt ſponte appeti, ſors dedit ex pluribus fortibus, quos equus caperet. Oſtendit autem Poëta, paucorum periculo providendum omnibus, neque debere homines refugere mortem, pro ſalute patriæ. *Donatus.*

Virum.] Pro *virorum*, qua figura & in proſa utimur. Dicit ſane Plinius in naturali hiſtoria, ſic in neutro faciendum eſſe, ſcilicet propter caſuum ſimilitudinem, niſi forte nimia metri neceſſitas cogat. *Servius.*

Sortiti.] Contraria ſunt *delectus* & *ſors.* Sed intelligimus quidem plures electos, ſorte tamen ex ipſis ductos, qui includerentur. *Idem.*

Furtim.] Num à plebe, hoc eſt, nullo ſciente,

Includunt cæco lateri, penituſque cavernas
Ingentis uterumque armato milite conplent.

Eſt

ſciente, id eſt, latenter. Nam & *furtim* ideo dicitur, quod magis per tenebras admittatur: unde *fures*, quoniam quaſi per furvum tempus, hoc eſt, nigrum, aliquid ſubripiunt. *Idem.*

19. *Cæco lateri.*] Pro *cœcis lateribus.* Et notandum aliter dici, *cœcum hominem*, non videntem, aliter *cœcum latus*, abſconſurum & obcœcaturum. *Idem.*

Cæco lateri.] Si dativum agnoſcas, non te facile expedies: accipi poteſt Latinus caſus, ut dicat in *cæco latere* ex more veterum, qui ablativos in *e*, deſinebant ſæpe in *i*. Sic & hodie *veſperi* pro *veſpere* in probatiſſimis auctoribus. Hujus rei alibi teſtimonia conjungo, ſi malis dativum, explicabis *in latus cæcum.* Cerda.

Cavernas.] Loca quæ præter uterum cava eſſent: ut circa armos, & collum, & illa. *Donatus.*

20. *Ingentis.*] Nonnulli omnia loca concava *cavernas* dictas à veteribus adſerunt; ut, *Et umbroſæ penitus patuere cavernæ:* Alii fuſtes curvos navium, quibus extrinſecus tabulæ adfiguntur, *cavernas* appellarunt. Unde quia naves texi dicuntur, & cavernæ navium ſint; permanſit in metaphora navium, ut *intexunt* diceret & *cavernas.* Alii quodcunque in arcum formatum eſt, quod flexum & in altitudine curvatum ad ſedem deducitur, *cavernam* dici tradunt. Sane dicendo *ingentis*, epitheto levavit tapinoſim. *Servius.*

Cavernas ingentis.] Indicant hæc equi magnitudinem, non minus atque illa Petron.

Aperitur ingens antrum, & obducti ſpecus,
Qui caſtra caperent. Huc decenni prælio,
Irata (alii jurata) *virtus abditur, ſtipant graves*
Equi receſſus Danai, & in voto latent.

Profunditatem quoque equi, Homeri interpretes, & cum illis Plutarch. in eo lib. qui de Homero inſcribitur, expendunt, quod vates dixerit, armatos in illum deſcendiſſe. Expendi etiam poteſt ex numero illorum, qui intus abditi, de quibus infra. Demum ex adagii forma, quam indicat Rhod. lib. 29. lect. cap. 25. equos magnos ſtaturoſoſque dici poſſe *durios* ex Trojani equi magnitudine. Adjuvat illud Ariſtoph. in Avib. — δύ' ἅρματε ἵππων ὑπόντων μέγεθος, ὅσον ὁ Δούρειος. *duo currus equorum, qui eſſent magnitudine, quanta equus Trojanus.* Sed nemo melius Virgilio magnitudinem hanc indicavit: nam quanta illa, quæ inſtar montis? Calaber lib. 12. de hoc equo, μέγ' ἔργον· *opus magnum.* ἔργον ἀγητὸν, *opus admirandum*, & μεγακήτεος ἵππου, qua voce ingens vaſtitas innuitur. Idem, ὄμβριμον ἔργον, & δούρεος ἵππου. Dat etiam illi πτύχας, id eſt, *receſſus.* De hac etiam magnitudine multis Tryphiodorus. Vocat illum πελώριον ἵππον *immenſum equum.* de eodem δουρὸς & ὑψηλὸς: *latus, & excelſus.* ut ſignet etiam ampliſſimum, ait, δουρυπάτης πλευρῆς. Dat demum illi ventrem ὁπόσον νεός. *inſtar navis.* Dio Chryſoſt. oration. 11. μέγα ἔργον, ut & Calaber. *Cerda.*

Uterumque.] *Uterus* eſt mulierum: nam prægnantis proprie eſt, quem modo ideo dixit, quia dicturus eſt, *fœta armis.* Alvus, eſt quo defluunt ſordes; ut Saluſtius, *Simulans ſibi alvum purgari.* Venter qui videtur. Juvenalis, *Montani quoque venter adeſt abdomine pinguis.* Sane & in Tragœdia de hoc equo * ἐγγάστριμον legitur, hanc ergo hic *uterum* dixit. *Servius.*

Armato milite.] Ex hoſte ſcilicet, & ſingularem numerum pro plurali poſuit. ut, *Ultro Inachias veniſſet ad urbes Dardanus*, pro *Dardani*; & alibi pluralem pro ſingulari; ut, *Deſiſte manum committere Teucris*, cum ſolus eſſet Æneas. *Idem.*

21. *Eſt*

Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant;
Nunc tantum sinus, & statio male fida carinis:

Huc

21. *Est in conspectu.*] Locus est, qui hostiles insidias facile celaret. In conspectu erat, sed insula, quo non facilis esset transitus, & mare interjectum, occultabat insidias. *Donatus.*

Tenedos.] Insula est contra Ilium, quæ ante Leucophrys dicta est. Nam Tennes Gysis, infamatus à Noverca, quod cum ea voluisset concumbere, cultoribus vacuam tenuit, unde *Tenedos* dicta est. Alii dicunt, quod se propter supra dictam causam, ex ipsa insula in mare præcipitaverit; hujus soror Homithea fuisse dicitur. Ideo ergo ait *notissima fama.* Sic Cicero in Verrinis, *Tenem ipsum, cujus & nomine Tenedos nominatur. Servius.*

Tenedos.] Quamvis nomina Græca, præsertim locorum propria, multum in carmine venustatis habere, suo idiomate posita, non ignoremus: eaque de caussa vulgatos pene omnes codices, *Tenedos* scriptitare cœpisse: In antiquis tamen aliquot, præsertimque in Romano scriptum est, *Tenedus* Latina voce. Et in antiquissimis M. Tullii codicibus manu scriptis, *Tenedus* legi eodem modo. ut in Verrinis, quod ad hunc locum facit, libro 3. *Tenem ipsum, qui apud Tenedios sanctissimus Deus habetur; qui urbem dicitur condidisse; cujus ex nomine* Tenedus *nominatur.* Cæterum in reliquis exemplaribus, *Tenedos* plurimum habetur. *Pierius.*

Tenedos.] Est hæc insula post Sigæum promontorium, alii *Calydnam* dixerunt, alii Leucophryn. Aperit Muretus lib. 1. Var. cap. 12. cur nomen mutaverit, & dicta sit Tenedos. Lege in illo. Illa hîc nolui, quia ad rem Poëtæ nihil, illa etiam invenies apud Pausaniam in Phocicis. Sed cum in narratione illa Muretus novercam quandam Peribœam nominet, Pausanias Philonomen dicit. Vide Plutarchum in Ἑλληνικ. ubi jucunda historia de Tenediis, & Achille. Diodorum lib 5. cap. 17. Strabonem lib. 13. Quod Virgilius, *est in conspectu*, Calaber de eadem loquens insula lib. 12. dixit, ἀντία Τροίης. *Cerda.*

Tenedos.] Græcis λεύκοφρυν, ut Lycophron in Cassandra. mutati nominis caussam reddit Muretus l. 1. c. 12. var. lect. non *Tenedus.* ut Dausquius in Orthogr. Priscianum testem adhibet, qui in Periegesi:

Terminat hunc Imbros pariter, Tenedosque coërcens.

& recte *est in conspectu*, nam Mela hæc habet l. 2. c. 7. *Tenedos Sigæis adversa litoribus.* de hac insula Steph. de urb. *Emm.*

22. *Insula, dives opum.*] Hic genitivo jungit. Statius, quod rarum est, & ablativo, *Ut satis ostro dives & auro.* Serv.

Dives opum.] Cum divitem appellat Tenedon, respicit vel ad privatas hujus insulæ divitias, quæ magnæ esse creduntur. Cicero enim 3. in Verrem huic objicit, quod pecuniam inde multam eripuerit, sed & Tenem ipsum Deum pulcherrime factum cum ingenti omnium gemitu abstulerit. Ergo, Poëta quod suo ævo viderat, attribuit temporibus Priami, quod illum sæpe alias fecisse, viri docti merito existimant: vel si mavis, respicit ad generalem omnium insularum abundantiam, & copiam: nam quicquid pretiosum est gemmarum, lapillorum, odorum, auri etiam, ex insulis solet ad nos afferri. De opibus insularum quarundam lege Plin. lib. 6. cap. 31. De Fortunatis insulis amœnissime Horatius Od. 16. Epod. Itaque *insulares opes* abire in proverbium possunt pro magnis opibus. *Cerda.*

Priami dum regna m.] Qui & ipse à Græcis est. *Servius.*

23. *Sinus.*] Reductus littoris secessus. *Idem.*

Statio.] *Statio* ubi ad tempus stant naves,

Huc se provecti deserto in litore condunt.
Nos abiisse rati, & vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu:
Panduntur portæ. juvat ire, & Dorica castra,

Deser-

naves: *Portus* vero ubi hiemant. *Idem.*

Male fida.] Periculosa scopulis; vel à Græcis. Aut minus fida propter periculum navium: quia statio est, quam *plagiam* dicunt: aut certe fida Græcis, *Male*, in nostram perniciem. ut Lucanus de Syrtibus, *Sic male deseruit.* Et hanc significationem raro invenimus. Sane *male fidus* non infidus, sed *minus fidus* intelligitur. *Male* enim minutionem habet, non negationem. *Servius.*

Male fida.] Ergo credendum illos enavigasse. *Donatus.*

Statio male fida.] Videtur ingeniosus Poëta alludere ad Græcorum insidias, perinde ac si dicat: Locus ille, ubi insidiæ factæ à Græcis sunt, adhuc retinet eandem infamiam, insidiosusque est omnibus, & semper infidus carinis: quid enim nisi hoc arriperet à Græcorum perfidia? Quod autem Poëta *male fida*, Sophocl. in Ajace de portu, ἄπιστος, dixit, *infidus* & Æschyl. in Pers. de insula βαιὰ, καὶ δύσορμος ναυσί: *parva & incommoda navibus.* Græcos duos Germanus conjunxit, & ego utrique Æschinem, qui contra Ctesiphontem ita ait: λιμὴν ὁ νῦν ἐξάγιστος, καὶ ἐπάρατος ὀνομαζόμενος: *portus, quem jam nunc nominant, devotum, & execrabilem.* Cerda.

Statio male fida carinis.] Quid *Statio*, dictum l. 4. G. ℣s. 421. male fidæ opponitur *tutissima carinis*, id est, navibus, ut noster l. 1. G. ℣s. 360.

Jam sibi tum à curvis male temperat unda carinis.

proprie est infima pars navis: vel infima trabs, qua navis fundatur. Græce τρόπις. vide Bayfium de re navali. p. 126. & Lil. Gyrald. de navig. p. 95. *Emm.*

Provecti.] In antiquo exemplari Longobardico, *projecti* legitur: qui mos est sese occultantium, & in insidiis latitantium. Sed melius de navibus intelligere, quum in aliis plerisque omnibus codicibus, *provecti* legatur. *Pierius.*

Deserto.] Vel ab his, qui Trojanæ partis erant: aut certe ideo *deserto*, ut facilius latere possint. *Servius.*

Condunt.] Pro *abscondunt.* Idem.

25. *Abiisse.*] Petisse. *Abiisse* dicimus & *petisse*; sed propter metrum epenthesis facta est. *Idem.*

Nos abiisse.] Cum & littus reliquissent, & malefida esset statio, non mirum si crediderunt abiisse. *Donatus.*

Mycenas.] A parte totum, id est, Græcia. *Servius.*

26. *Ergo omnis.*] Mortalitas plena monstratur. Ubi enim creditum est bellum amotum, solutus est longi temporis luctus. *Donatus.*

Omnis Teucria.] Subaudi *gens*: Et absoluta est elocutio. *Servius.*

Solvit.] Quasi ante ærumnis victi essent. *Idem.*

27. *Panduntur portæ.*] Signum pacis est: ut Salustius, *Apertæ portæ, repleta arva cultoribus.* ut clausis portis signum belli est; *Quæ mœnia clausis Ferrum acuant portis.* Idem.

Panduntur portæ.] Idem hemistichium habes in 6. Hoc fieri in pace solet, hostibus jam amotis. Horat. ad Pison.

— apertis otia portis.

Inde idem lib. 3. Carm. ut significet securitatem Carthaginiensium, qui Romanos jam contemnebant, scribit:

Vidi ego — portasque non clausas, & arva
Marte coli populata nostro.

Turnebus lib. 19. Adverſ. cap. 9. *in antiquo* (inquit) *Lexico Panda* Θεὰ εἰρήνης *exponitur*: id est, *Dea pacis.* nam nimirum, belli tempore clauduntur, pacis aperiuntur. Huc spectat illud 1. Æn.

patcant

Desertosque videre locos, litusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles:
Classibus hic locus: hic acie certare solebant.

Pars

pateant Carthaginis arces, quo verbo innuitur pacis habitus. *Cerda.*

Juvat ire.] Exire, aut ire longius. *Servius.*

Dorica castra.] Mala est compositio, ab ea syllaba incipere, qua superior finitus est sermo. Plerunque & cacophaton facit, ut hoc loco. Sane Dorus, Neptuni filius fuit: unde Dori originem ducunt. *Idem.*

Dorica castra.] Conjunge, ut Poëta, *Dorica castra*, & observa genus non κακοφάτε, ut male Ursinus; sed leporis, & venustatis, ut bene Pontan. in Actio. talia illa, *fama malum*: *date tela*: *Oceano nox*: *stupea flamma manu*: *ipsa satis tellus*, *glauca canentia fronde salicta*: *huic à stirpe pedes*; *neque te teneo*: *siliqua quassante*: *adverso sole*. & plura alia. Mulcet hoc aures sua complosione. Homer. λευκὰ κάρηνα. Op. 1. Hal. δέρματα πάσσαλοι. quo loci Rittershusius Grammaticos reprehendit, qui censent hoc esse cacophaton, *quasi vero* (ait) *si hoc vitium esset, non potuisset Virgilius, vel agnoscere, vel vitare.* Cerda.

Dorica castra.] Cacophaton: quod tamen Tibullus, politissimus auctor, propemodum affectasse videtur: cum præsertim genus hoc complosionis ex concursu earundem syllabarum aures implere sentiatur. Ita & Ovid. in Epist. Paridis:

Aut cedent Marti Dorica castra meo.

Vide & Scalig. lib. 2. cap. 32. *Doris* autem media est, inter Thessaliam, Æoliam & Helladen, quasi totius Græciæ umbilicus, ad montem Parnasum. *Taubmannus.*

28. *Litusque relictum.*] Quod nostrum fuerat. *Servius.*

29. *Hic.*] Pro *Illic*, & totum hoc ita accipiendum. *Idem.*

Hic Dolopum, &c.] Verba sunt visentium, & δεικτικῶς invicem loca monstrantium. Quintil. lib. 9. cap. 2. εἶδος τῆς προσωποποιίας, *Per detractionem*, vocat. Detractum enim ait, *quis diceret*: vel, *quidam dicebant.* Dicitur etiam *Jactus sine persona sermo.* Taubm.

Tendebat.] Tentoria habebat, ut, *Et latis tendebat in arvis.* Servius.

Tendebat.] id est, tentoria habebat. Ita 8. Æn.

—— *legio latis tendebat in arvis.*

Lucan. lib. 7.

Parcite ne castris: vallo tendetis in illo,
Unde acies peritura venit. ——

Item Tacitus lib. 13. *Milites tendere omnes extra vallum jussit.* Idem: *Principia, ea castrorum loca sunt, ubi tendebant magistratus, erantque Signa legionum.* Taubm.

Tendebat.] Deest *tentoria* vel *pelles*, ut Sanct. p. 346. Ovid. Epist. 1. Heroid.

Illic Æacides, illic tendebat Ulysses.

Emmeness.

Sævus Achilles.] Propter Hectorem. Et talis ubique inducendus est: ut Horatius, *Jura neget sibi nata.* Servius.

30. *Classibus hic locus.*] Magis ad equites debemus referre: *ut & ortinæ classes.* Unde & *classica* dicuntur. *Idem.*

Classibus.] Non navibus, sed exercitibus: veteres enim classem pro exercitu sumpserunt. Festus in Classis. *Classis procincta, exercitus instructus.* & in Procinctam: *Procinctam classem, id est, paratam ad bellum militum multitudinem.* Servius in 1. Æn. *Classis* ἀπὸ τῶν κάλων, *unde & calones, qui ligna, & fustes, & καλοπόδια portant.* De exercitu capiendus Lucret. l. 2. explicatore Gifan.

Si non forte tuas legiones per loca campi
Fervere cum videas classem lateque vagari.

Cerda.

Classibus.] Id est, manipulis. Isidorus: *Classes dictæ propter divisionem exercitus, qui postea Manipuli dicti sunt: unde & Virgil.* Classibus hic locus. *nam postea* classica *navium dicta.* Etiam Servius

Pars ſtupet innuptæ donum exitiale Minervæ,
Et molem mirantur equi: primuſque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, & arce locari;
Sive dolo, ſeu jam Trojæ ſic fata ferebant.
At Capys, & quorum melior ſententia menti,

Aut

vius ad equitum turmas refert: & Turnebus *Claſſes* hic de exercitu pedeſtri potius, quam de navali interpretatur: lib. 26, 22. *Taubm.*

Claßibus.] Errorem Titi Livii oſtendit Tanaq. Faber Epiſt. 47. qui non vidit *claſſes* in veterum hiſtoricorum ſcriptis pro *equitibus* ſumi. *Emmeneſſ.*

Hic acies.] Hic exercitus. *Huc geminas nunc flecte acies.* Legitur & *acie.* Nam poteſt utrumque. *Servius.*

Hic acie certare ſolebant.] Non diſplicet, quod in Romano codice, *acie certare ſolebant* legitur: quæ quidem elocutio apud Cæſarem frequentiſſima eſt, ſicuti apud Livium *acie confligere*, ut obiter locum apud eum ex veteri codice recognoſcamus lib. 3. de 2. bel. Pun. *cum ſex conſularibus exercitibus acie conflixiſſe.* legitur & *acies.* Pierius.

31. *Pars.*] Figurate, ut, *Pars in fruſta ſecant.* Servius.

Innuptæ.] Quæ nunquam nubit. Nam virgo poteſt & nubere. *Idem.*

Pars ſtupet, &c.] Mirabantur aliqui & ſubtilitatem artis, & fabricæ magnitudinem. *Innupta* autem *Minerva*, vocatur, quæ nunquam nubit: ita & Daphnen ἀπειρόγαμον, ἄνυμφον, φρυγοδέμνιον, ἀνυμφίαιον, ἄζυγον, nominant. *Taubm.*

Donum.] Ἀμφιβολία, non quod ipſa dedit, ſe quod ei oblatum eſt. *Servius.*

Exitiale.] Quantum ad Trojanos. *Idem.*

32. *Primuſque Thymœtes.*] Ut Euphorion dicit, *Priamus ex Ariſba filium vatem ſuſcepit.* Qui cum dixiſſet quadam die naſci puerum, per quem Troja poſſet corruere: pepererunt ſimul & Thymœtia uxor & Hecuba, quæ Priami legitima erat. Sed Priamus Thymœtiæ filium uxoremque juſſit occidi. Inde ergo nunc dicit, *ſive dolo:* quia habuit juſtam cauſam proditionis. Alii volunt *Dolo*, ſcilicet Græcorum, quo omnes decepti ſunt. *Idem.*

Primuſque Thymœtes.] Hunc *Tymœten* Homerus etiam Iliad. 3. inter ſenes cum Priamo in Scæis portis ſedentem, ac pugnam ſpectantem facit. Fuit huic Uxor (ut Scholiaſtes Lycophronis annotat) *Cilla* nomine, ſoror Hecubæ: atque hanc ipſam tradunt ex Priamo clandeſtino coitu filium ſuſcepiſſe, cui nomen Munippo inditum ſit. Forte accidit, ut Priamus, de regni ſtatu in Zelia Oraculum conſulens, reſponſum acciperet, ut parentem, id eſt, matrem & filium interimeret. Quare, cum quodam caſu eveniret, ut ſimul parerent Hecuba & Cilla; hæc Munippum, illa vero Alexandrum; pepercit Hecubæ & Alexandro Priamus; Cillam vero cum filio interfecit Hinc ergo liquet, cur nunc Poëta dicat, *ſive dolo:* quia juſtam cauſſam proditionis habere Tymœtes videbatur. Docte igitur hortationis partes huic tribuuntur, ut doli conſcio, ad ſtirpem Priami delendam. Alii *dolo* volunt, quo omnes decepti ſunt. quod tamen minus placet Naſcimbænio. *Taubm.*

33. *Arce locari.*] Velut tutamen, & non incaſſum arcis Trojanæ prope multis locis mentio fit. In hac enim arce hujuſmodi ſaxum fuiſſe dicitur, quod abs alio contritum, ſanguinem emitteret, atque Helenam, ad incitandos in ſe amatores, ſæpe ex hoc ſaxo lapillis uti fuiſſe ſolitam. *Servius.*

34. *Sic fata ferebant.*] Ut etiam cives contra patriam ſentirent. *Idem.*

35. *At Capys.*] Quidam: non pater Anchiſæ. Et bene nec ſe, nec patrem huic conſilio dicit interfuiſſe, per quod interitus patriæ imminebat. Quanquam

Æneas

Aut pelago Danaûm insidias suspectaque dona
Præcipitare jubent, subjectisque urere flammis:
Aut terebrare cavas uteri & tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria volgus.

Æneas, quasi obtrectator Priami, non adsit, ut Homerus dicit: Anchises vero propter cœcitatem, ut docet Theocritus. Alii hunc Capym affinem Æneæ tradunt, & ideo ei ab Ænea dari recti consilii principium. Hic est, qui Capuam condidit; sed hoc post multa secula claruit. Nam his temporibus, quibus Cæsar occidi habuit, Capuæ juvencæ æneæ, dicitur inscriptum fuisse, iisdem temporibus, unum de genere conditoris periturum. *Serv.*

At Capys.] Sententia Thymœtæ suspitiose tracta est: Capys autem sententia non nunc melior, sed post factum cognita est. *Donatus.*

36. *Pelago.*] Pro *in Pelagus*. Servius.

Danaûm insidias.] Bene qui suadet ut præcipitetur, non dicit donum Minervæ, sed *Danaûm insidias* & *suspecta dona.* Idem.

Aut pelago Danaûm, &c.] Locus plane Homer. Odyss. 8.

Ἠὲ διατμῆξαι κοῖλον δόρυ νηλέϊ χαλκῷ,
Ἢ κατὰ πετράων βαλέειν ἐρύσαντας ἐπ' ἄκρας,
Ἢ ἐάαν μέγ' ἄγαλμα θεῶν θελκτήριον εἶναι:

Aut perscindere cavum lignum sævo ferro,
Aut de rupe dejicere protractum in summitatem,
Aut sinere ingens simulacrum Deorum placamentum esse.

Sed nota hæc consilia agitari, postquam equus jam est in arce, & intra muros. Quanto aptius antequam ducatur. In hoc sane, ut in multis, Virgilius Homerum correxit. *Cerda.*

Pelago.] Id est, in profundum maris. Cic de orat. l. 3. *undique omnes venti erumpunt, sævi existunt turbines, fervet æstu pelagus.* Emmeness.

Suspectaque dona.] Utpote hostium. Recte enim Sophocles in Ajace: ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. *Taubm.*

37. *Subjectisque urere flammis.*] *Que*, copulativa conjunctio est, aut disjunctiva: quomodo ergo per *aut* adjunxit; cum non utrumque; sed alterutrum fieri poterat quod suadebatur. Poëtarum est, partem pro parte ponere: ut *torvum* pro *torve*, & *volventibus* pro *volubilibus*. Ergo conjunctionem pro conjunctione posuit: ut, *Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum*, id est, *que*, pro *ve*. Nam sonantius visum est. Antiqua tamen exemplaria *ve* habere inveniuntur; *ve* enim proprium significatum habet, ut interdum pro *vel* accipiatur. *Servius.*

Subjectisque.] Pro *subjectisve*. Copulativam enim conjunctionem *que*, pro disjunctiva *vel* posuit: quæ & sonantior visa est: ut annotant, præter cæteros, Servius, Erythræus, H. Stephanus, qui etiam, *Subjectisve*, in contextum velit referri. Sane & Servius Fuld. signate dicit, antiqua Exemplaria quædam habere *ve*, ἀντὶ τῦ *que*. Taubm.

38. *Terebrare.*] Quidam *aperire* ac *scindere* accipiunt: alii *terebrare* simpliciter accipiunt. quia adjecit *tentare*; & hic ostenditur adversa sententia, non enim ab omnibus creduntur insidiæ. *Servius.*

39. *Scinditur.*] Nam cum totum suspicionibus ageretur, nihil potuit recte firmari. *Donatus.*

Scinditur.] Præclare & ex natura vulgi, cui varietas & inconstantia; & crebra, tanquam tempestatum, sic etiam sententiarum, commutatio, quod scripsit Cic. pro domo sua. Tacitus 1. Hist. *vulgo mutabili subitis.* & 1. Ann. sic mores vulgi: *Pauci bona libertatis incassum disserere, plures bellum pavescere, alii*

Primus ibi ante omnis, magna comitante caterva,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce:

Et

re, alii cupere. Sidonius lib. 7. epist. 5. *fremit populus per studia divisus.* Symmachus lib. 6. epist. 7. *divisis in studia partibus.* Præclare Livius lib. 40. ad signandos hos vulgi mores: *Nihil tam incertum, nec tam inæstimabile est, quam animi multitudinis.* & Persius Sat. 5.

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Basilius Episc. Seleuciæ lib. 1. Teclæ: Φύσει μὲν γὰρ ἅπας δῆμος ἄστατόν τι, καὶ ἀστάθμητόν ἐστι χρῆμα: *Natura enim populus varium quid, & inconstans est.* Sed nemo melius rem hanc aperit, quam lectus, & perlustratus Dionysius variis in locis. Sæpissime enim attingit naturam vulgi, euntis in varia. Sed adeundus præsertim lib. 4. ubi Romani post cædem Lucretiæ consultant de expellenda tyrannide, ubi fit magna mentium altercatio. Forma Virgiliana, Fabius declam. 365. *in partes scinditur.* Cerda.

Scinditur incertum.] Id est, vulgus instabile distrahitur animis dissentientibus. Cum enim totum suspicionibus ageretur, nil potuit recte firmari. Ab isto autem *scinditur* non abludit Græcorum διχοστασία. Porro videatur J.C. Scaliger lib. 3. c. 12. ubi de *Multitudine Agresti, Urbana & Militari,* Poëtam informat. Idem lib. 5. c. 3. hos versus cum Homericis Ulysseæ 8. Ὡς ὁ μὲν εἱστήκει, &c. componens; Noluit, inquit, nugari hîc Virgilius in divisione consiliorum: sed, *pars stupet*: &, *mirantur*: &, *jussa Tymoetæ.* Alii, *in pelagus præcipitem dari*: (Nam quorsum, aut quibus viribus subvectio in summas rupes montium? quod ait Homerus) præterea, quod facile factu fuerat, *urere.* Postremo, explorare quid intus ageretur. Solus ille versus palmam poscit;

Scinditur incertum studia in contraria volgus.

At cætera, quibus verbis! vel cum dixit *tentare latebras*, signatissimo verbo usus est in tenebris, & re dubia. *Taubmannus.*

Incertum.] Instabile: unde est, *Studia in contraria. Incertum* ergo aut temporale est, aut perpetuum epitheton vulgi. *Servius.*

Volgus.] Tam masculini generis est, quam neutri: quia in *us* exeuntia neutra, in *ris* mittunt genitivum: excepto *pelagus*: quod in hoc nomine creavit errorem. *Idem.*

Primus ibi.] Non erat Laocoon inter ambigentes, sed descendit ab arce, excitus contrarietate sententiarum, & cupiebat prævenire, ne quid in perniciem Reip. decerneretur. *Donatus.*

40. *Ante omnis.*] Aut Perissologia est, quasi dixisset, *Primus.* Aut *ante omnes*, id est, videntibus omnibus. *Servius.*

Ante omnis.] In vetustis aliquot codicibus, *ante alios* legitur. Sed *omnis* agnoscit Servius. *Pierius.*

41. *Laocoon.*] Omnia in *on* exeuntia, tertiæ sunt declinationis: ut *Laocoontis, Demophoontis, Hippocoontis.* Serv.

Ardens.] Omnis affectus tribus rebus ostenditur, vultu, voce, gestu; sicut hic futura dicturo, primum iram & commotionem animi, quæ vultu ostenditur, dedit; dein celeritatem corporis: inde vocis magnitudinem. *Idem.*

Ardens.] Vel ingenio vigilans, aut vehementer pro statu publico commotus. *Donatus.*

Ab arce.] Videlicet Palladis. Et cum potuisset, templo, maluit *arce*, alludens ad doctrinam, qua credebatur Pallas præsidere urbibus. Ad quam rem sæpe alludit in hoc libro, ut cum ait de serpentibus: *summasque petunt Tritonidis arces.* & iterum:

Fatale adgressi sacrato avellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis.

Et procul, O miseri, quæ tanta insania, cives?
Creditis avectos hostis? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Ulixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,

Aut

Ovidius etiam dixit:

Arcis ut Actææ, vel eburna vel ærea custos,
Bellica Phidiaca stat Dea facta manu.

Quod enim Græci de Pallade dicunt, πολιοῦχος, & signatius ἀκροῦχος, Ovidius dixit *custos*. Cerda.

42. *Procul.*] Quidam hoc loco *procul*, unde primum exaudiri potuit tradunt: alii *juxta* volunt, ut, *Serta procul*. Servius.

Et procul.] Nisi arderet, verba donec adventaret, distulisset. *Donatus.*

O miseri.] Bene hoc cœpit, quia non erant suadenti utilia credituri. *Servius.*

O miseri.] Invectio ardentis animi, non contumeliosa in cives, sed pro statu publico necessaria. *Miseri.* Qui ea quærunt quibus efficiantur miseri. *Donatus.*

Quæ tanta insania.] Quia insanorum est, contra se sentire, aut *insania*, dementia. *Servius.*

43. *Creditis avectos.*] Vehementius est, quam si dixisset, non navigaverunt. *Idem.*

Avectos.] Qui per tot annos bellum gesserunt. *Donatus.*

Aut ulla.] Quasi dicat, Creditis id tutum, quod reliquerint hostes, aut aliud quippiam, quod benevolentiæ simulationem afferat? *Idem.*

44. *Dona carere dolis Danaûm.*] Ordo est, *Dona Danaûm:* non *dolis Danaûm*. Non enim quæcunque sunt dona, Danaûm sunt. *Servius.*

Danaûm.] Quasi callidorum & versutorum. *Donatus.*

Sic notus Ulyxes.] Quod, ut ait Homerus, verberatus voluntate; & sub habitu mendici Trojam ingressus, exploravit universa: Hic sane Vlyxes filius Laërtæ, Penelopæ maritus fuit; qui filios habuit Telemachum ex Penelope, ex Circe vero Telegonum; à quo etiam inscio, cum ipse patrem quæreret, occisus est. Huic Vlyxi primus Nicomachus pictor pileo caput texisse fertur. Hujus post Iliense bellum errores, Homerus notos omnibus fecit. De hoc quoque aliæ fabulæ narrantur. Nam cum Italiam post errores fuisset reversus, invenisse Pana fertur in penatibus suis, qui dicitur ex Penelope & procis omnibus natus, sicut ipsum nomen *Pan* videtur declarare: quamquam alii hunc de Mercurio, qui in hircum mutatus cum Penelope concubuerat, natum ferunt. Sed Vlyxes, posteaquam deformem puerum vidit, fugisse dicitur in errores; necatur autem vel senectute, vel Telegoni filii manu; aculeo marinæ belluæ extinctus. Dicitur enim cum continuo fugeret, à Minerva in equum mutatus. *Servius.*

Ulyxes.] Quasi, si non essent dolosi, ab hoc magistro addiscere potuerunt. *Donatus.*

45. *Hoc.*] Oportebat ostendere, si in contraria jam raptos, avertere à proposito volebat. ergo notissima fraude unius universam gentem vituperat. *Id.*

Ligno.] Merito, quasi dissuasor, affectavit Tapinosim dicens *ligno*, non simulacro. Infirmare enim vult fictam eorum religionem, ut paulo post, *Ducendum ad sedes simulacrum.* Nam in suasione vel dissuasione, tam sensus, quam verba considerantur. *Servius.*

Aut hoc inclusi ligno.] Cum equum *lignum* appellat, animum procul dubio adjicit ad vocem Græcam: equus enim Trojanus *Durius* vel *Durateus* dictus, id est, *ligneus*. Lucret. lib. I.

Nam cum Durateus Trojanis Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Grajugenarum.

Sic

Aut hæc in nostros fabricata est machina muros;
Inspectura domos, venturaque desuper urbi;
Aut aliquis latet error. equo ne credite, Teucri.
Quic-

Sic & Homer. 8. Odyss. Δουράτεον ἵππον. & Dionysius lib. 1. Antiq. δουρέι᾽ ἵππῳ. inde Flacco lib. 2. Arg. dictum: —— *manet immotis nox Duria fatis*. Sic enim legit hunc versum Politianus, & laudat Rhodig. lib. 29. cap. 25. quod tamen non placet viro docto Gifan. in Lucret. legitque ex vetere codice, *nox Dorica*, ut Virg. *Dorica castra*, & Romani scriptores, *Dies Alliensis*, ut significet Poëta noctem, qua Dores, id est, Græci, ceperunt, & inflammarunt Pergama. Præfero Politianum. Quamvis autem verum sit, Durateum sic dictum à lignis, quibus compositus; non omittendum ab Eurip. in Troad. rem alio detortam, quod observavit P. Victor. lib. 19. Var. cap. 18. vult enim Tragicus dictum à ligneis hastis, quæ intus inclusæ. *Cerda*.

47. *Inspectura domos.*] Sentit Vegetius lib. 4. cap. 19. Maronem de equo Trojano loqui, ut de machina oppugnatoria; scribit enim, *præterea partem muri, ad quam conatur machina accedere, cæmento atque lapidibus, postremo tabulatis extruendo faciunt altiorem, ne defensores mœnium desuper urbi ventura possit opprimere*. Idem.

Venturaque desuper urbi.] Oppressura civitatem. *Servius*.

Venturaque desuper urbi.] Id est, superventura, & oppressura urbem, utpote mœnibus ejus editior atque altior. Eleganter de Equo, ut de machina oppugnatoria loquitur, quæ ex alto ingruit, & suo casu gravitateque subjecta premit, & ruina involvit. Vide Turneb. lib. 12. cap. 5. & lib. 14. cap. 15. *Taubmannus*.

48. *Error.*] Dolus, ut, *Et inextricabilis error*. Et est figura ab eo, quod præcedit, id quod sequitur. Distinguendum sane error: & sic dicendum, *Equo ne credite Teucri*. Item, *Quicquid id est, timeo*. Hoc enim melius est. *Servius*.

Equo.] Quia originem ducit à fraudulentis hostibus, qui tunc maxime timendi sunt, cum benevolentiam simulant. *Donatus*.

Aut aliquis latet error. equo ne credite, Teucri.] Vulgata omnia exemplaria, Servio adstipulata, ita legunt, ut sententia sit, *Equo non credendum*, ideoque ante dictionem *equo*, puncta adlinunt. Ti. Donatus distinguendum monet *ne credite* ab dictione *equo*, legendumque autumat, *Aliquis latet error equo*. Neque hoc tantum distinguit, verum etiam suspendit particulam *aut*, utpote qui asserat Laocoonta evidenter dixisse, quid primo & secundo loco sentiret. quippe aut Græcos eo ligno inclusos occultari, aut eam machinam in Trojanos muros fabricatam esse. Tertio vero dixisse, *aut*, & quum non suppeteret sequens dictum, confugisse ad generalem suspicionem, dixisseque, *Aliquis latet error equo*: quod quum ita sit, separandum est *aut*, & sic dicendum: *Aliquis latet error equo*, ut de eo, quod fuit incertius, judicasse videatur: quo genere firmavit quicquid illud fuisset, esse debere suspectum: quia originem ducebat ab hostibus. Ex quibus Donati verbis illud etiam colligitur, *næ credite* affirmative legendum. *næ* enim hic non prohibentis, sed intensionis particulam esse. Illud quoque minime dissimulandum, licet paucissimos habeat fautores: quod apud Probum in arte, ubi agitur de *ne* particula, pro *Ne credite, Teucri, Quicquid id est*, scriptum habetur: neque quidem id semel, *Ne credite veri, Quicquid id est*. Idne errore factum sit, an quia ita legeret Probus, mihi non constat. id magis apertum, quod *Ne*, acuto accentu scribendum monet. *Pierius*.

Quicquid id est, timeo Danaos & dona ferentis.
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus, inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit. stetit illa tremens, uteroque recusso
Insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.
Et, si fata deûm, si mens non læva fuisset,
Inpulerat ferro Argolicas fœdare latebras:

Troja-

49. *Quicquid id est, timeo.*] Omnis subita liberalitas, & præcipue hostium suspecta sit oportet. Hujus rei elegantem fabellam tradit Phædr. l. 1. fab. 24. de *cane* & *nocturno fure*, cujus subita benignitas canem eo magis jubebat vigilare, ne sua culpa fur faceret lucrum. *Emmeness.*

50. *Sic fatus.*] Non verbis solum, sed re voluit affirmare sententiam. *Donat.*

51. *Latus.*] Quidam inter ventrem & latus percussum intelligunt: multi ita volunt intelligi, *In latus*. Servius.

Feri.] Quadrupedis: ab eo quod toto corpore feratur; ut, *pectebatq; ferum*. Idem.

Feri.] Id est, equi, ut apud Ovid. l. 6. Metam. ℣ſ. 77.

—— medioque è vulnere saxi
Exsiluisse ferum. ——

Inde, *semifer* pro Centauro. vide not. Fabr. ad Phædr. p. 17. Bochartum l. 2. c. 6. in nominibus equi p. 99. & Berneg. ad Justin. lib. 37. c. 2. *Emmeness.*

Curvam alvum.] Plautus masculino genere protulit, quo non utimur. Percussum sane intelligimus inter ventrem & latera. *Servius.*

52. *Hastam in alvum contorsit.*] Quidam deesse putant aliquid, ut sit sensus, *inclinans se in latus, ad ictum vehementiorem contorsit hastam:* Nam si *latus equi* accipias, contrarium erit, quod subjunxit *Alvum feri*. Idem.

Stetit illa tremens.] Exaggeratio, quæ ὑποτύπωσιν habet. *Taubm.*

Uteroque recusso.] Pro concusso: præpositio pro præpositione. *Servius.*

53. *Cavæ cavernæ.*] Græca figura: *ut vitam vivere, mortem mori.* Idem.

Cavæ.] Pulchre Homer. 8. Odyss. de hac re loquens κοῖλον λόχον, dixit, id est, *cavas insidias.* Cerda.

Gemitumque dedere cavernæ.] Hunc equi gemitum Petron. ad eos refert, qui intus latebant: *—— fremit*
Captiva pubes intus, & dum murmurant,
Roborea moles spirat alieno metu.

Ad quos cavernarum sonitus intellige excitatum quoque intus armorum strepitum: hoc enim est, quod mox dicit; fore ut hoc indicio explorarent, quæ intus latebant, nisi mens esset cæca. *Id.*

54. *Fata deûm.*] *Fata* modo participium est; hoc est quæ Dii loquuntur; ut Statius, *Et vocem fata sequuntur.* Servius.

Fata.] Deorum voluntatem accipere debemus, quasi dicat: Nisi dii avertissent intentionem nostram, statim insidias has cognovissemus. *Donatus.*

Læva.] Modo contraria. Et sciendum *lævum* cum de humanis rebus, esse contrarium: cum autem de cœlestibus, prosperum; ut, *Intonuit lævum:* quia *sinistra* numinum, *dextra* sunt intuentibus. *Servius.*

55. *Inpulerat.*] Est hoc, quod Græci ferme ἐκίνησε ὁ θεός. *Cerda.*

Inpulerat.] Enallage Modi: pro *inpulisset*; vel, *inpellere poterat:* id est, inducere Trojanos, ut equo vim facerent. *Taubm.*

Fœdare.] Dilacerare. *Fœdum* enim tam apud Virgilium, quam apud Salustium non *turpe* significat, sed *crudele:* ut, *Sanguine fœdantem quos ipse sacraverat ignes.* Salustius, *Fœdi oculi.* Alii *fœdare* secundum Græcos accipiunt. Quid enim fœdius, quam duces Græcorum

rum

Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.
Ecce, manus juvenem interea post terga revinctum
Pasto-

rum latentes deprehendi. *Latebras* autem amare dixit. *Servius.*

56. *Stares.*] Si *stares* legeris, *maneret* sequitur; propter ὁμοιοτέλευτον. Et est apostropha. *Idem.*

Nunc.] Sicuti stetisti ante has insidias. *Donatus.*

Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.] In antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, *maneres* persona secunda legi, non *maneret.* quanquam Servius timet τὸ ὁμοιοτέλευτον. quare nonnulli, *staret* potius legunt: & *maneres* in fine malunt; sed enim præter antiqua, uti diximus, exemplaria, quæ utrunque persona secunda legendum exhibent, apostropham hic, & cum ingenti dolore animi factam Donatus ait. *Pierius.*

57. *Ecce manus.*] Hæc particula prope rem gestam ante oculos lectoris inducit. Sane sæpe dictum est, Virgilium, inventa occasione, mentionem juris pontificalis facere in quacunque persona. Antiquis itaque ceremoniis cautum erat, ne vinctus flaminiam introiret, si introisset, solveretur, vinclaque per impluvium effunderentur, inque viam publicam ejicerentur. *Flaminia* autem *domus Flaminis* dicitur, sicut Regia, *regis domus*, quod hic de Sinone rem Flaminis à rege factam debemus accipere. Ipse vero *primus manicas atque arta levari Vincla jubet Priamus*, quod factum sub divo, illo versu ostendit, *Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas.* Et, *Vos æterni ignes*, id est, sidera, quod utique incongrue dictum videtur, nisi sub dio Sinonem stantem hæc dixisse accipiamus. Ideo autem *Juvenem* dicendo nomen suspendit, quo gravior narratio fieret, sed ordine suo referentur, quæ gesta sunt. *Servius.*

Ecce.] Semper ponit *ecce*, Virgilius, ubi significat aliquod malum repentinum: dum igitur illa disputant, aliud intervenit, quod ab equi tentatu averteret. Primus autem adventus effecit, ut res in præsentia omitteretur: simulata deinde oratio, penitus religione nos astrinxit, ne Minervæ dona fœdaremus, accendente maxime violatoris morte. *Ecce.* Rem improvisam exoriri ostendit, quæ magis movet, præsertim cum assint signa nocentis. *Donat.*

Ecce.] *Ecce*, ubicunque Virgilius posuit, aliquod malum repentinum & insperatum significat, auctore Donato: ut hîc, & paulo post;

Ecce autem gemini à Tenedo, &c.

item,

Ecce super mœsti, magna Diomedis ab urbe, &c.

Notat etiam Asconius 2. Verrina, *Proprium fuisse Ciceronis, in rebus improvisis ponere hanc vocem*, Ecce; *idque Maronem cum cura & legisse & transtulisse.* Est autem hîc transitio ad occasionem erroris & doli prodendæ urbis. Et notat Macrobius lib. 5. cap. 2. omnia de Pisandro translata esse, quæ circa Sinonem dicuntur. *Taubm.*

Manus revinctum.] Ut, *Oculos suffusa.* Servius.

Post terga revinctum.] Sic æmulatur Statius lib. 7. Theb.

—— *religa captas in terga sorores,*
Injice vincla mihi.

& Horat. lib. 3. Od. 5.

—— *vidi ego civium*
Retorta tergo brachia libero.

Prudentius:

Nexus denique, qui manus retrorsus
In tergum revocaverant revinctas.

Iterum, *Nexibus manus utrasque flexus involvit rigor.* Ante omnes Homerus lib. 21. Il. δῆσε δ' ὀπίσσω χεῖρας: *ligavit manus post tergum.* Aristophanes in Lysistrata, ὀπίσω τὼ χεῖρε δεῖ: *liga à tergo manus.* Cerda.

Post terga revinctum.] Sic noster l. 1. Æn. ẏs. 295.

—— *& centum vinctus ahenis*
Post tergum nodis. ——

Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ: qui se ignotum venientibus ultro,
Hoc ipsum ut strueret, Trojamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu

& Horat. l. 2. Epist. 1.

Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.

Ovid. l. 3. Trist. Eleg. 10.

Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis.

ἀποστρέφειν Græce dicitur vel περιάγειν χεῖρας ὀπίσω. vide Plutarch. in Philopœm. *Emmeness.*

58. *Trahebant.*] Cum festinatione adducebant, ut, *Conventus trahit in medios.* Et modo *trahebant*, ad ducentium desiderium pertinet: non quod renititur Sinon, namque contrarium esset, *Qui se ignotum venientibus ultro.* Servius.

59. *Qui se.*] Alii, *quis se*, Quibus se legunt. *Ipsum* autem generis masculini, quia usurpatum est *ipse*. Idem.

Qui se.] Consilium Sinonis fuit prævenire, ne equi fraudes averterentur. *Donatus.*

Qui se ignotum venientibus ultro.] Similis plane historia in Livio est lib. 25. apud quem Tarentini duo juvenes, *Nico & Philomenes, progressi ad stationes, comprehensique, ultro id petentes, ad Annibalem deducti sunt.* Ita Annibal ex insidiis Tarentum occupat. Sinonis audaciam late persequuntur Calaber lib. 12. & Tryphiodorus ἐν ἁλώσει. Sed præclare Virgilius voluit diffidere ab Calabro: hic enim parum probabiliter ait, Sinonem repertum ab Trojanis ἀγχόθι, juxta equum ipsum. Melius itaque multo est ad rationem insidiarum, ut per loca avia vagus reperiretur, trahereturque repugnans, & invitus. Itaque potior est Tryphiodorus, quem Virgilius sequitur, ait enim

Γυμνὸς ὑπὲρ πεδίοιο φάνη κεκακωμένος ἀνήρ,

Apparuit per campum vir nudus, misereque affectus. Cerda.

60. *Hoc ipsum.*] Vel ut caperetur; vel quia Græci simulabant. *Ipsum* autem per *m*, non per *d*, quia usurpatum est *ipsud*: & est naturale *ipsus*: ut, *Ipsus mihi Davus.* Dicimus ergo, *ipsus ipsa ipsum*, ut *doctus docta doctum.* Servius.

Hoc ipsum.] Paratus etiam mortem subire. nam non fit facinus magnum sine magno periculo. *Donatus.*

Ut strueret.] Vel astrueret, vel inchoatum à Græcis perficeret, hoc est, confirmaret præjacta dolorum semina, quod ipse exposuit, *Trojamque aperiret Achivis.* *Strueret* autem respexit ad superiora, ut, *Ædificant.* Servius.

Strueret.] Verbum insidiarum. Ovidius 1. Met. *Struxerit insidias notus feritate Lycaon.* Plautus Asin. *Sycophantias struere.* Græci dicunt, ἐνέδραν συντιθέναι, ἐπιτίθεσθαι, ποιήσασθαι, συσκευάζειν, συνίστασθαι, ἐνεδρεύειν. *Cerda.*

61. *Fidens animi.*] Ut, *O præstans animi juvenis.* Et est nomen. Nam desiit esse participium, quia genitivo cohæret, & potest recipere comparationem. Sane veteres *fiduciam* interdum pro *crimine* & *audacia* ponebant; ut Sallustius ita, *fiducia quam argumentis purgatiores dimittuntur.* & Virgilius, *Nam quis te juvenum confidentissime.* Servius.

Fidens animi.] In Romano quidem codice, *animo* legitur. Sed *animi* agnoscit Servius, & elocutionis figura hujusmodi apud auctores frequens. *Pierius.*

In utrumque.] *In*, modo *ad* significat: alibi pro *contra*, ut etiam supra dictum. Sane sequenti versu exposuit, quid est, *In utrumque paratus.* Servius.

In utrumque paratus.] Abiit autem hoc in proverbium, de eo, qui ad utramque fortunam instructus est. Porro vafritiem Sinonis Virgiliani accurate expen-

Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.
Undique visendi studio Trojana juventus
Circumfusa ruit, certantque illudere capto.

Accipe

expendit Scalig. lib. 3. cap. 19. tu cum eo, mi Lector. *Taubm.*

62. *Versare dolos.*] Dolo evertere: & subaudi, *Trojanos*: aut *Dolos versare*, hoc est, exercere; hinc *versutus*, quod facile se ad ea, quæ usus poscit, vertit. Plautus, *Versatior es, quam rota figularis.* Servius.

Seu versare dolos.] *Versare* proprie in piscibus habitare, qui versantur, cum assantur vel coquuntur, docuimus in Asinaria Plauti. Hinc translatione in technas & fallacias deducitur: ut hic, & apud Ciceronem in Lælio: *Hodie me ante omnes Comicos stultos senes versaris.* Alii legunt *dolo:* quod nec improbatur Servio: ut sit; Trojanos exercere, aut etiam evertere dolo. *Certæ*, hoc est, firmæ ac destinatæ morti. Nam & hæc lectio doctioribus probatur præ illa, quæ *certe* adverbialiter legit. *Taubm.*

Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.] In Longobardico codice legere est, *dolo*, casu septimo: quod Servius non improbat: subaudiendumque ait *Trojanos.* In eodem codice, ubi raræ admodum diphthongi sunt, hoc loco *certæ* cum diphthongo scriptum est, ut *morti* adcommodetur, ergo *firmæ*, & *destinatæ.* alii tamen *certe* adverbium malunt. *Pierius.*

Occumbere morti.] Novæ locutionis figura & penitus remota. Ennius, *Ut vos vestri liberi defendant, pro vestra vita morti occumbant.* Servius.

Certæ occumbere morti.] Cum absolute *pro patria occubuit*, ponitur, *necem* vel *mortem* subaudito: cum vero *occumbit morti*, intelligendum *se.* ut Sanct. Min. p. 176. dicitur igitur *occumbere mortem, morti, morte.* eodem teste p. 320. *Emmen.*

63. *Undique.*] Expressit hominum morem: quis enim non cupiat hostem suum captum videre, & viso illudere? *Donatus.*

Visendi.] Frequentativum est *viso*, ut *Facesso.* licet rarum sit, nam in *To* exeunt frequentativa. *Servius.*

Visendi studio.] Similis locus l. 12. Æn. ℣. 131.

Tum studio effusæ matres, & vulgus inermum,
Invalidique senes, turres & tecta domorum
Obsedere, &c.

Plin. in Panegyr. *videres referta tecta ac laborantia: ac ne eum vacantem locum, qui non nisi suspensum ac instabile vestigium caperet.* Apulejus lib. 3. Metam. *propter cœtus multitudinem, quæ pressuræ nimia densitate periclitaretur, &c.* Paulo post: *populus procurrens caveæ conseptum mira celeritate complevit: aditus etiam & tectum fartim stipaverant.* Iterum: *miro tamen omnes studio visendi, &c.* Emmeness.

64. *Circumfusa ruit.*] Figura ὑπαλλαγή. *Ruit* primo & sic circumfusa est. *Servius.*

Circumfusa ruit.] Multitudinem annuit, ut Corn. Nep. in Chabria c. 4. *quo facto circumfusus hostium concursu.* Sic noster hoc libro ℣. 383.

——*densis & circumfundimur armis.*

Apulejus l. 8. Metam. *contra nos ruunt & circumfusi insiliunt.* Emmeness.

Certantque] Cum supra, *Juventus ruit* dixerit, subjunxit, *certant*, quod figuratum est, quia juventus enuntiatione singulare est, intellectu plurale. *Serv.*

Illudere capto.] Et *illudo tibi*, dicimus: ut hoc loco: & *illudo te*; ut, *I, verbis virtutem illude superbis:* & *illudo in te.* Simile est *insulto tibi* & *te.* Quidam *inludere* per ludum ac jocum sævire injuriam alicujus intelligunt. Ut *Silvestres uri assidue capræque sequaces.* Idem.

Certantque illudere capto.] Non solum *illudere*, sed sævire etiam in miserum. Ait enim Calaber ab Trojanis multis verberibus affectum, ac præcisis auribus,

65 Accipe nunc Danaûm insidias, & crimine ab uno
Disce omnis.

Nam-

bus, & naribus deformatum perstitisse; qua re voluerant veritatem extorquere. Dissidet ab Calabro Tryphiodorus, qui ait, ictus istos, & vulnera sibimet Sinonem adflixisse, ut sic plenus sanguinis, vibicum, verberum, fidem faceret Trojanis, se male à Græcis multatum. Quod commentum non dissimile ab eo, quod de Zopyro habet Herodotus lib. 3. & de Sex. Tarquinio Livius l. 1. & Valerius Max. lib. 7. cap. 4. Et de Ianne versutissimo homine Cedrenus. Ille enim ventrem, dorsum, nates plumbo pupugit, ut flagris cæsus videretur, atque ita excitaret invidiam. Quin de eodem Sinone scribit, se fœdandum mutilandumque tradidisse. Observabis, Aristidem orat. κατὰ τῶν ἐξορχουμένων, tribuere Ulyssi, quæ Tryphiodorus, & alii Sinoni. Itaque Ulysses (ait Aristides) verberibus se conscidit, ut Trojam dolo caperet. *Cerda.*

Circumfusa ruit, certantque illudere capto.] In Romano codice, *certat* est, unitatis numero, veluti *ruit*: Alii tamen figuram malunt. *Pierius.*

Capto.] Ita Trojani putabant. *Servius.*

65. *Accipe.*] *Audi, da, dic*; ut, *Qui sit da Tytire nobis.* Idem.

Accipe.] Destruit Græcorum personam omni occasione, & defendit suam. Nam totam rem in Deorum adversum studium revocat: ut ostendat, Græcos tum insidiis, tum Deorum injusto favore victoriam obtinuisse. *Donatus.*

Accipe.] Id est, audi, cognosce. vide Non. Marcell. *dare* contrarium. Vide N. Eclog. 1. ✝︎ſ. 19. pro *da* Euripid. δὸς, ut Vechner. l. 2. c. 12. Horat. l. 1. sat. 3.
Accipe quid contra juvenis responderit.
Juvenal. Sat. 13. ✝︎ſ. 120.
Accipe quæ contra valeat solatia ferre.
Emmeneſſ.

Insidias.] Servavit ordinem respondendo ad illud, quod regina dixerat. *Insidias*, inquit, *Danaûm.* Servius.

Crimine ab uno.] Hoc est, causa, ut, *Crimen amor vestrum.* Ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Si enim simpliciter intellexeris *Crimine*: de negotio ad personam, vitiosum transitum facit. Alii sic legunt: *Danaûm insidias & crimen.* Idem.

Accipe n. Dan. insidias, & crimine ab uno.] Ab uno reo. *Crimen* hic, ut *Vitium* pro vitioso. Martial. *Carcer vix carcere dignus*: Scalig. in Conject. Sed Æl. Donatus ad illa Terent. Phorm. *Unum cognoris, omnes noris*, legit:
Accipe nunc Danaûm insidias & crimen: ab uno D.
Quam lectionem nec Servius respuit. *Taubm.*

Ab uno disce omnis.] Quasi dicat, argumento à Minori sumpto: si tantum dolis efficere potuit unus Sinon, quid plurimos Græcos facere posse existimabis? *Idem.*

Ab.] Pro *ex*, ut Phædr. lib. 4. f. 21. *sermone ab ipso cognitum.* ubi vide Sceffer. *Emmeneſſ.*

Accipe nunc Danaûm insidias, & crimine ab uno Disce omnis.] Facile quidem adduci possim, ut ex Ti. Donati sententia *crimen* legendum credam, quam lectionem omnino Servius respuere non videtur, licet priorem magis approbet; dum exponit *crimine ab uno*, hoc est, caussa. Ut *crimen amor vestrum.* Præter vero Servianam hujusmodi interpretationem, pleraque omnia venerandæ vetustatis exemplaria, quæ in manus nostras devenere, uno exemplo legunt, *crimine ab uno Disce omnis.* sed enim quia litteratissimi plerique viri ultro in Donati sententiam eunt, libuit ex iis, quæ ille super hoc commentatus est, quod in vulgatis codicibus desideratur, adponere, *Accipe nunc Danaûm insidias & crimen.* Duplici genere criminationis Græcos aspergit ex persona captivi: atque, ut satiaret, addidit, *ab uno disce omnis*; unum quippe notabile vult esse in viro forti, ut non con-

Namque, ut conſpectu in medio turbatus inermis
Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit:
Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Acci-

congreſſu, ſed inſidiis certet: oſtenſurus autem Sinonem mendacem, perjurum, ſacrilegum, ait *crimen*, ut non Sinon ſolus, ſed qualis eſſet, tales eſſe omnes Græcos aſſereret. In hanc ſententiam nonnulli trahunt Catullianum illud ex antiqui codicis lectione, *Vatiniana meus crimina calvus explicaſſet:* hoc eſt, Poëma in Vatinii crimina. *Pierius.*

67. *Turbatus.*] Quaſi turbatus: ut, *Exultat Amazon*, quaſi *Amazon.* Et hoc ad fidem faciendam; non enim turbatus, ſupra enim ait, *Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.* Servius.

Turbatus.] Fieri etiam potuit, ut revera turbatus fuerit, donec vidiſſet, utrum fallacia ſuccederet. Æn. 8.

—— *Cacum videre timentem*
Turbatumque oculis ——

Taubm.

Inermis.] Quidam ſupplex accipiunt, ut, *Tendentemque manus Priamum conſpexit inermes.* Servius.

68. *Phrygia agmina circumſpexit.*] Explet Poëta geſtum ſpectantis, ait Scaliger lib. 4. c. 16. Idem, cap. 48. Cum pedes ſeſe ingerant temere, magnopere ſtudendum eſt, ne tres verſus eadem pedum collocatione continuentur. Putant eſſe generoſum ex primo & quinto dactylo, cæteris ſpondæis, alternatis molliuſculum fieri. Spondaicum temere admiſerunt veteres, præſertim Græci. etiam Catullus in eo paulo frequentior. Virgilius ſuo more, id eſt, prudenter uſus eſt: in re quippe fixa. ut,

—— *Phrygia agmina circumſpexit.*

Fixis quippe veſtigiis oculos circumtulit. Ita & in nixu, 3. Æn.

Cornua velatarum obvertimus antennarum, &c.

Taubm.

69. *Heu.*] Modo una eſt ſyllaba: ſed interdum propter metrum, duæ fiunt: *Eheu quam pingui macer eſt mihi taurus in arvo.* Sicut *prendit* & *prehendit*; & ſecundum Plinium multa ſunt talia. *Servius.*

Heu, quæ nunc tellus.] Doloſe queritur Sinon, ſe de communibns duobus elementis excluſum; nec uſquam ſibi locum relinqui: quippe, quem Græci ſui perſequantur, ut mactent: Trojani, quibus tamen ſalutem præſtiturus ſit, vinctum ad necem jam depoſcant: ut hos ad miſericordiam, illos in odium adducat. *Taubm.*

Heu, quæ nunc tellus, &c.] Ἀπορία. Schema uſitatum. Donatus vocat διαλογισμόν E. 1. 1. 1. & ſeq. & 2. 3. 3. *ubi quæram? ubi inveſtigem? quem percontet? quam inſiſtam viam, &c.* Apulejus l. 6. Metam. *quo tantis laqueis incluſa veſtigium porrigam: quibus tectis vel etiam tenebris abſcondita, &c.* Emmeneſſ.

Tellus & æquora.] Bene conciliat miſerationem, de communibus duobus excluſus elementis, quia Græci tenebant maria; Trojani terras: Sane, quod deflet, ideo ei prima brevis datur oratio; & eſt controverſiæ ſchema. Nam principium ſatis docte ſumptum eſt: hac enim exclamatione & miſeriæ auctu benevolum ſibi judicem fecit, querelæ autem novitate attentum, quis enim non cuperet audire, quo pacto idem homo & Græcis & Trojanis eſſet inviſus: denique ſubjecit, *Quo gemitu converſi animi, compreſſus & omnis Impetus. hortamur fari, &c.* Habet ergo benevolentiam & attentionem, ingreſſus deinde cauſam, quia timebat ne perſona Græci ſuſpecta eſſet, quaſi hoſtis, hoc fatetur primum & ex ſequentibus ſanat, *Neque me Argolica de gente negabo, Hoc primum.* Subjungit fabulam, ex qua ſibi fidem paret, dicturus de equo, de Palamede autem & Iphigenia ad Trojanos nil pertinet, de quibus vera incipit & in falſa deſinit, facile enim quæ

Accipere? aut quid jam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos usquam locus: & super ipsi
Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt.
Quo gemitu conversi animi, conpressus & omnis
Impetus. hortamur fari, quo sanguine cretus,

Quidve

sequentur credibilia sunt, cum prima recognoscuntur, quæ per singula loca, vel versus facilius poterimus advertere. Sane *tellus*, *us* longa est: & pauca sunt quæ *us* producunt; ut *senectus*, *juventus*, *salus*, *virtus*, *palus*, *servitus*, *incus*, *tus*, *rus*, *mus*, *pus*: tunc scilicet quum genitivus in *tis* vel in *ris* exit. Et habet penultimam longam. Ideo autem *tis* & *ris* dicta sunt: quia *palus*, licet *paludis* longa sit *lu*, brevis tamen nonnunquam invenitur, quia in *dis* exit genitivus: ut Horatius, *Sterilisque diu palus aptaque remis*. Servius.

Æquora.] Maria. Alibi *campos*: ut, *Ac prius ignotum ferro quam scindimus æquor.* Dictum enim est ab æqualitate. *Idem.*

70. *Aut quid jam misero mihi denique restat.*] Cicero pro Milone: *Quid jam restat? quid habeo, quid dicam? &c.* Cerda.

Quid jam misero mihi.] Hoc cum affectu majori & lacrimis pronunciandum: quod inculcatione litteræ *M* exprimitur. *Taubm.*

Denique.] Aut vacat sicut *gentium*: aut *novissime* significat. *Servius.*

71. *Et super.*] Et *insuper ipsi*, quos pro merito meo minime deceat sævos esse, hoc est, quibus sum præstaturus salutem. *Idem.*

Et super.] In Romano codice, & plerisque aliis antiquis, legere est, *& super ipsi.* Quæ lectio est codicis etiam Donatiani, neque non Medicei. reperitur etiam *insuper*. In nonnullis utraque lectio habetur, una plus syllaba versu corrupto. *Pierius.*

72. *Infensi.*] *Infensus* proprie est plus quam inimicus, inimico major. *Servius.*

Pœnas cum sanguine poscunt.] Id est, tormenta & mortem. Potest enim aliud esse sine alio. *Idem.*

Poscunt.] Verbum, quo ad supplicium petuntur, qui vel alibi latitant & rei videntur. Pro quo Cornel. Nep. *exposcere* in Themist. c. 8. *nam cum publice exposceretur, supplicem non tradidit.* & in Annib. cap. 7. *Hos Hannibal sui exposcendi missos ratus.* Ovid. lib. 1. Metam. vs. 200.

—— *studiisque ardentibus ausum*
Talia deposcunt. —— infra vs. 139. *reposcent.* Emmeness.

73. *Quo gemitu.*] Bonitatem Trojanorum ostendit, qui pro supplicio ultimo, quod sperabat, solo gemitu ejus, pro pœna contenti sunt. *Donatus.*

Conversi animi.] Bene, quia dixerat, *Et super ipsi Dardanidæ infensi*, ut ostenderet eos cum advenienti inludere certarent, audito ejus gemitu, ad miserationem esse conversos. *Servius.*

Quo gemitu conversi.] Tribuit Poëta ubique pietatem simplicitatemque animi Trojanis: ut contra Græcis impietatem & fraudulentiam. *Taubm.*

Conpressus & omnis Impetus.] Obiter nota consuetudinem multitudinis, dicente Tacito 1. historiarum, *mos vulgo mutabili subitis, & tam prono ad misericordiam, quàm immodicum sævitia fuerat.* Cerda.

74. *Impetus.*] Qui in Sinonis ferebatur interitum. *Servius.*

Hortamur fari.] Bene, non jubemus, utpote miserantes. *Idem.*

Hortamur fari.] Vim propositionis habet, & tria proponit, ad quæ Sinonem respondere conveniret. *Donatus.*

Quo sanguine cretus.] Quibus sit parentibus natus. Nam Græcum esse constabat. *Servius.*

75. Fe-

Quidve ferat, memoret, quæ sit fiducia capto.
[Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur.]
Cuncta equidem tibi, Rex, (fuerit quodcumque) fatebor,
Vera,

75. *Ferat.*] Adferat, id est, nunciet. *Idem.*

Memoret, quæ sit fiducia capto.] Aut dicat, quæ sit in captivo fiducia; ut audeat dicere, *Insuper ipsi.* aut certe *Memoret*, est meminerit: ut significet, meminerit per veriloquium vitæ esse fiduciam. Unde & responsio talis est, *Fatebor vera.* Alii *Memorem* legunt, ut sit sensus, Hortabamur ad loquendum memorem: hoc est, qui diligenter factionis suæ meminerat. veluti, memor sit, quid in captivo victori liceat, vel, *Quidve ferat memoret*, id est, quid adferat, dicat, ut simpliciter accipiatur quod sequitur; quid illud sit, quod illi fiduciam apud hostes capto pariat, ut putet à Trojanis sibi esse parcendum. *Idem.*

Fiducia.] Jacob. Durantius lib. I. Variar. cap. I. ait voce *fiducia* signari id, quod Græci vocant ἀσφάλειαν, Latini *fidem publicam*, alii, *salvum conductum*, *tuitionem*, *cautionem*, alii *commeatum*. Sed ego vocem ex medio foro tractam duco, & ex reis, qui in vinculis. Nam de his sæpissime Quintilianus in declamationibus *fiduciam* dicit. Ut cum ait, *aliquando reo nocet & ipsa fiducia.* Declamat. 305. *innocentiæ fiducia contra opes istius steterant.* & sæpe alias. *Cerda.*

76. *Deposita tandem formidine.*] Est hoc, quod Calaber lib. 12. de eodem Sinone,

— ὁ δ' ἐνθέμενος φρεσὶ κάρτος
Τοῖα δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δολοφρονέων ἀγόρευεν:

— *ille autem resumptis animo viribus*
Talia in medio dolos nectens profatur.

Sunt, qui expungant hoc hemistichium, ut otiosum. Nam quomodo formido deposita, si postea subjicitur: *Prosequitur pavitans.* Deinde hîc non habet locum *tandem* initio sermonis. Tertio quia frustra *fatur*, cum postea subjiciat, *inquit.* Idem.

77. *Cuncta.*] Promittit omnia vera dicturum; qui nulla in parte fuerat veritatem retracturus. *Donatus.*

Tibi rex.] Assumit fiduciam confitendi apud eum, qui & cognoscendi & ignoscendi facultatem haberet. Commendat autem se, quod vera pollicetur; & quod regem appellat, captat benevolentiam. *Idem.*

Fuerit quodcunque.] Id est, quicunque me sequitur eventus. Sive miseratus vitam concedere volueris, sive non. Est autem parenthesis & respicit ad illud, *Memoret, quæ sit fiducia capto.* Suspendendum ergo *Rex.* Sane *Quodcunque* vetusta voce mortem significari Lucilius docet in XII. *Hunc si quid pueris nobis me & fratre fuisset*, hoc est, si mors me vel fratrem oppressisset. Ergo, ut quidam volunt, urbane animum hominis, mortem contemnentis, ostendit. Vera, inquit, ut & falsa, quæ postea dicturus est, vera credantur, ideo primo à veris cœpit. Ordo autem est, *fatebor cuncta* vera. *Servius.*

Fatebor.] Aliud est quam *referam.* *Referimus*, cum dicimus aliquid simplex: & potest proferri sine tormentorum metu. *Fatemur* autem, cum prodimus id, quod sit contrarium confitenti, & possit tormentis exprimi è pectore negantis: & repete bis, *fatebor cuncta*, & *fatebor quodcunque erit.* Donatus.

Cuncta equidem tibi rex (fuerit quodcunque) fatebor vera.] Nonnullis in codicibus pervetustis legere est, *fuerit quodcunque* singulari numero. quanquam non sum nescius, plurimos esse, qui faveant lectioni *fuerint quæcunque:* quia scilicet *cuncta* præpositum est nomen multitudinis. Sed enim Servius, *Fuerit quodcunque*, videtur agnovisse, dum exponit: quicunque me sequatur eventus. Cum Servio est Donatus, qui aperte *Fuerit quodcunque*, interpretatur, hoc modo, Cuncta inquit, & quicquid fuerit fatebor, ut *fatebor* bis accipiatur,

ne

Vera, inquit: neque me Argolica de gente negabo,
Hoc primum. nec, si miserum Fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque inproba finget.

Fando

ne fiat per numeros vitium, ut sit *fatebor cuncta.* item *fatebor quodcunq; fuerit.* In Mediceo codice, *cuncta quidem* legitur. Sed *equidem* ex eorum sententia est, qui primam personam ei inesse adverbio volunt; ut sit equidem ego quidem, quum tamen Cato apud Sallustium dicat: *Quare vanum equidem hoc consilium est*, nisi & Sallustiani quoque codices corrupti sunt. *Pierius.*

Fuerit quodcunque fatebor vera, inquit.] De mirabili hujus Orationis artificio consulatur Rud. Agricola, l. 2. c. 17. *Taubm.*

78. *Inquit.*] Nollem hoc in maximo Poëta (etiamsi commode defendi possit) nam satis præcedens *fatur.* Cerda.

Neque me Argolica de gente negabo.] Quod sciebant Trojani, confessus est, ut ei de cæteris crederetur. *Servius.*

Argolica de gente.] Ad id, *quo sanguine cretus.* Græcus sum. Ac si dicat, hostis sum. *Donatus.*

Nec me Argolica de gente negabo.] Non dissimile ab hoc initio illud M. Terentii Romani equitis apud Tac. 6. Ann. qui reus factus, quod amicus Sejani fuisset, sic exorsus est coram Cæsare: *Fortunæ quidem meæ fortasse minus expediat agnoscere crimen, quam abnuere, sed utcumque casura res est; fatebor & fuisse me Sejano amicum, & ut essem, expetisse, & postquam adeptus eram, lætatum.* Hæc constantia Terentio vitam attulit. Plautus Captiv. *Propemodum ubi loci fortunæ tuæ sint, facile intelligis. Si eris verax, tua ex re facies, ex mala meliusculam.* Cerda.

79. *Primum.*] Hoc maximum est, vel principale apud me, verum dicere, vel hoc primum fatebor, subaudis, *Nec, si miserum fortuna Sinonem Finxit.* Quidam ita intelligunt, si me fortuna ad hanc miseriem perducere potuit, non valebit etiam stultum facere, ut putem me mentiendo proficere. Sane Autolycus quidam fuit fur, qui se varias formabat in species, hic habuit liberos, Sisyphum, unde natus est Sinon: & Autolycum, unde Ulyxes. Consobrini ergo. Nec immerito Virgilius Sinoni dat & fallaciam, & proditionis officium, ne multum discedat à fabula: quia secundum Euphorionem Ulyxes hoc fecit. *Sinonem* autem melius ait quam si *me* dixisset. Solet enim & in nomine quædam esse Emphasis, ut est, *Et quisquam numen Junonis adoret.* Servius.

Nec, si miserum Fortuna Sinonem, &c.] Potuit eripere mihi fortuna priorem felicitatem, at non poterit me mendacem fingere. Hoc argumento persuasit, ut Trojani crederent reliqua; & ne videatur incredibile, quod ipse solus ex omnibus Græcis remanserit, ad hanc partem ducit ex alto principium, & narrat rem omnibus notam, & magna ex parte veram: qua exposita, subjungit falsa. *Donatus.*

Nec, si miserum.] Recte ait Macrob. Virgilium expressisse istud Accii in Telepho:

Nam si à me regnum fortuna, atque opes
Eripere quivit, at virtutem nequivit.

Cerda.

80. *Finxit.*] Composuit, formavit. Ut, *Et corpora fingere lingua.* Et sciendum, quod omnis Sinonis oratio, diasyrtica est. Nam & negotium exprimit: & Trojanorum insultat stultitiæ. *Servius.*

Finxit vanum.] Fallacem. Et *vanus* est, qui etiam sine utilitate mentitur: *Mendax*, qui tantum ad decipiendum. *Vanus* vero *stultus* apud idoneos invenitur: ut Juvenalis, *Sic libitum est vano, qui nos distinxit Othoni.* Idem.

Vanum mendacemque.] Arnob. l. 1. *usque adeo fuisse vanos, mendaces, &c.* Vani qui sint, docere conatur Agellius lib. 18, 4. etsi obscure. *Vani* enim sæpius

pius

Fando aliquod si forte tuas pervenit ad auris
Belidæ nomen Palamedis, & inclita fama
Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi

Inson-

pius sunt, qui morbo quodam *& ingenita mentiendi voluptate* (ut ait Tertull.) mentiuntur. uno verbo, μάταιοι sunt: quia μάτίω & tantum Genio suo morem gerentes temere mentiuntur. Vide & Arist. 4. Nicom. 7. & Desf. Herald. ad Arnob. l. 1. *Taubm.*

81. *Fando aliquid si forte tuas pervenit ad auris.*] Dum dicitur. Et utitur bona arte mendacii, ut præmittat vera, & sic falsa subjungat. Nam quod de Palamede dicit, verum est: quod de se subjungit, falsum. Et sciendum ex hac historia, partem dici, partem supprimi, partem intelligentibus relinqui. Nam Palamedes, ut Apollonius dicit, septimo gradu à Belo originem ducens, quum delectum militum per Græciam ageret, simulantem insaniam Ulyxem duxit invitum. Quum enim ille, junctis dissimilis naturæ animalibus, salem sereret, filium ei Palamedes opposuit. Quo viso, Ulyxes aratra suspendit: & ad bellum ductus, habuit justam caussam doloris. Postea quam Ulysses frumentatum missus ad Thraciam, nil advexisset, à Palamede est vehementer increpatus. Et quum diceret adeo non esse negligentiam suam, ut ne ipse quidem si pergeret, quicquam posset advehere; profectus Palamedes, infinita frumenta devexit. qua invidia Ulysses, auctis inimicitiis, fictam epistolam Priami nomine, ad Palamedem (per quam agebat gratias proditionis, & commemorabat secretum auri pondus esse transmissum) dedit captivo: & eum in itinere jussit occidi. Hæc inventa, more militiæ, regi oblata est & lecta, Principibus convocatis. Tunc Ulyxes, quum se Palamedi adesse simularet; ait, Si verum esse creditis, in tentorio ejus aurum quæratur. Quo facto, invento auro, quod ipse per noctem, corruptis servis, absconderat; Palamedes lapidibus interemptus est. Hunc autem constat fuisse prudentem. Nam & tabulam ipse invenit ad comprimendas otiosi seditiones exercitus, ut Varro testatur. Secundum quosdam ipse reperit literas. Quæ res si forte sit dubia, tamen certum est θ, φ, χ, ab hoc inventas cum aspiratione. *Servius.*

Fando aliquod.] H. Stephanus mavult, *aliquod.* Sed consensum omnium Codd. ego non damnem in quibus *aliquid.* Certe & Comici dicunt? *quid tibi nomen est*? Taubm.

Fando aliquod, &c.] Compendium narrationis per interrogationem. Vide Donatum ad Ter. Phorm. I. 2. 13. *Emmenessius.*

Pervenit.] Euripides in Phœniss. per simplex extulit, ἥκε εἰς ἀκοάς. Homer. 16. Odys. κλύπε ἦλθε. Sophocles in Philo, δίῆλθε. verba Virgilii *pervenit ad aures*, multi arripuere, & unus Ovidius quater in Metamorphosi, libris 5. 7. 9. 10. Sed ante Nostrum ea locutione usus est Cicero. Silius lib. 11. *it per aures* dixit. *Cerda.*

Tuas pervenit ad auris.] Sic Phædr. l. 2. f. 10. *Si nostrum studium ad aures pervenit tuas.* & infra ỳs. 119.

——— *quæ vox ut venit ad auris.*
Emmeness.

82. *Belidæ.*] Historiam copiose exsequitur Philostratus, Apollonius, Higynus, Pausanias, Tzetzes, alii. *Taubmannus.*

Palamedis.] Eadem dicit, quæ Servius de Palamede. *Donatus.*

Inclita gloria.] Propter delectum & frumentum. *Servius.*

83. *Falsa sub proditione.*] Sub falso crimine proditionis. Et rem notam per transitum dicit. Unde & paulo post, *Haud ignota loquor.* quanquam ibi possit intelligi, haud ignota nobis: sed forte etiam ad vos potuit pervenire. Sciendum

Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci: nunc cassum lumine lugent.

Illi

dum sane factum hoc vere, & Trojanos scisse. Sed Sinon callide quasi ignorantibus, quæ vera sunt, dicit, ut fidem sequentibus faciat. *Serv.*

Falsa sub proditione.] Ideo Ovid. l. 13. Metam. ℣s. 59. de Palamede:

Prodere rem Danaûm finxit, fictumque probavit.

& ℣s. 307. ubi se purgat Ulysses:

—— *an falso Palamedem crimine turpe*
Accusasse mihi. Talibus insidiis circumventus Turnus à Tarquinio. vide Liv. l. 1. c. 51. *Emmeness.*

Pelasgi.] A Pelasgo terræ filio, qui in Arcadia genitus dicitur, ut Hesiodus tradit. *Servius.*

84. *Infando indicio.*] Propter aurum clam suppositum. *Indicio* autem, delatione. *Idem.*

Infando indicio.] Lex Cornelia de sicariis & veneficis comprehendit & eos, qui operam dederint, quo quis falsum indicium profiteretur, ut quis innocens circumveniretur, condemnaretur: ut videre est eo titulo in libris juris. *Germanus.*

Quia bella vetabat.] Jam hoc falsum est: sed dicitur ad Sinonis commendationem, nam aliam ob causam Palamedes periit. Et bene ad captandam circa amicos ejus miseriem adjungitur, qui pacis auctor fuit. *Servius.*

85. *Demisere neci.*] Ita infra: *multos Danaûm demittimus orco.* Cerda.

Demisere neci.] Pro, *dedêre.* Ita 10. Æn. *dejecit leto.* Quæ Scaliger digna habuit, quæ bis notaret, l. 4. c. 16. *De Adfectûs dignitate.* Taubmannus.

Nunc cassum lumine lugent.] Turnebus lib. 29. cap. 34. *cassum lumine* explicat carentem lumine, suspicaturque, hanc vocem deduci à *careo*, quod & Priscianus agnoscit, qui huic verbo duplex dat supinum, *caritum*, & *cassum.* Nam Plautus Aul. *dote cassam* virginem dicit, id est, carentem. & Lucretius lib. 3. *cassum anima corpus*, id est, carens. In 12. *Spoliatum lumine*: ut autem (ait Germ.) *cassus lumine*, & *spoliatus lumine*, dicitur mortuus, sic contra Græcis *vivus* dicitur βλέπων, quod proprie est *videns.* Eurip. Hecub. βλέποντι φίλῳ, *videnti amico*, id est, vivo. & Sophocl. in Ajace opposuit βλέποντα, καὶ θανόντα, *videntem, & mortuum.* idem monet Henric. Stephan. aitque, inde Virgilium 4. Æn. dixisse, *tædet cœli convexa tueri*, id est, vivere. Inde do lucem Comicis Terentio, & Plauto, qui synonymicῶs *videns vivusque pereo.* Signate *cassum lumine* dixere Lucretius, & Statius: prior lib. 5. posterior 3. Theb. *Cerda.*

Nunc cassum lumine lugent.] Pro eo l. 12. *spoliatum lumine.* Sic Plautus Aul. 2. 2. 8.

Virginem dote cassam.

idem quod inanis, vacuus. inde Horat. l. 2. Sat. 5. *contentum cassa nuce.* & proverbium illustratur *in cassum cadere*, quod apud Plaut. Pœn. 1. 3. 143. ut *cassi lumine* dicuntur, qui ad orcum descenderunt, sic βλέπειν pro vivere apud Græcos sæpe. vide Meurs. ad Lycophr. 281. ubi λυπρὸν ὄψονται βίον, id est, vivent. Latine Cic. pro Milone c. 3. *intueri lucem* pro *vivere.* Recte *lugent cassum lumine*: sic enim fieri solet. Quod ex Ovid. l. 1. amor. eleg. 15. liquidum:

Pascitur in vivis livor: post fata quiescit:
Cum suus ex merito quemque tuetur honos.

Horat. l. 3. od. 4.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

ut enim Virtuti comes est invidia, ita apud posteros obtrectationis invidia decedit. Vide Bernegg. ad præfationem Justini. *Emmeness.*

Cassum.] Privatum, vacuum, & *cassum* est quasi *quassum* & nihil continens:

Illi me comitem, & consanguinitate propinquum,
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis, regumque vigebat
Conciliis; & nos aliquod nomenque decusque
Gessimus. invidia postquam pellacis Ulixei
(Haud

nens: nam & *vas quassum*, quod humorem in se non continet, & est vacuum; unde & retia *casses*, qui multum in se vacui habeant. Sane vult Sinon suadere, vere fugisse Græcos, si Palamedem lugere potuerunt. *Serv.*

86. *Illi me comitem.*] Oratorie se commendat. *Idem.*

Illi.] Id est, qui bella vetabat, & bene *comitem*, non *militem*, quem ejus inimici velut subparem insequerentur. *Idem.*

Et consanguinitate propinquum.] Excusatio à necessitudine, sed hoc totum falsum est. *Idem.*

87. *Pauper.*] Excusatio à fortuna, hæc enim fuerat caussa militandi: ut Terentius, *Quum hinc egens profugiet aliquo militatum.* Idem.

Pauper.] Excusatio à fortunâ. Paupertas enim fuerat causa militandi: ut 3. Æn. Achæmenidi. Cæterum, *Pauper in arma*, à Donato & Fabricio explicatur, *imbellis ætatis.* ut contra, 8. Æn.

—— *acrem in prælia Turnum.*

Taubm.

Primis annis.] Aut adolescentiæ, aut belli. & est excusatio, quia patri parendum necessario fuit: ideo autem *misit.* Servius.

Primis huc misit ab annis.] Si alludit ad morem Romanum, annos intellige septem supra decem. Sed hæc res appellet Romanos Scriptores, Livium, Dionysium, alios; & ex his, qui nostro fere ævo floruerunt, Sigonium, & Lipsium. *Cerda.*

88. *Dum stabat regno incolumis.*] Quia & ipse unus de regibus fuit. Et bene addidit dignitatem ejus, quem fingebat propinquum, ut ei justa causa fuerit indignationis adversus Ulyxem. *Serv.*

Regumque vigebat conciliis.] Sunt qui *regum conciliis* legendum autument. Sed id licet ego nusquam in his veteribus legerim exemplaribus, inveni tamen apud Ti. Donatum *regum* interpretatum, hoc modo, Deferebatur enim patri meo, quia in numero regum fuit, & plurimum viguit. Hæc nobilitas generis idcirco composita est, ut Trojanorum misericordiam de præterita, & præsenti fortuna provocaret ad lenitatem. Alii hanc agnoscunt lectionem, *regnumque vigebat consiliis.* Pierius.

89. *Et nos.*] Pluralis pro singulari, ut Salustius, *Nos in tanta doctissimorum copia:* An *nos*, se & patrem dixit, id est, ut Palamedes. *Servius.*

Et nos aliquod.] De præterita ejus florenti fortuna, & de præsenti miseria, sibi comparat benevolentiam. Commendat etiam Palamedis memoriam dicendo, *quia bella vetabat*, ut amico viventi præstarent, quod defuncto non poterant. *Donatus.*

Nomen.] Gloriam vel nobilitatem, ut alii accipiunt, ut, *Cui genus & quondam nomen natique fuissent.* Servius.

90. *Invidia.*] Propter advectum frumentum. *Idem.*

Pellacis.] Per blanditias decipientis. *Pellicere* enim est per blanditias elicere. *Idem.*

Pellacis Ulixei.] In Longobardico, & in aliquibus aliis antiquis codicibus, *fallacis* legitur: quam ego paraphrasin fuisse puto, quamvis ita etiam scriptum sit in codice Carisiano: quem Longobardicis characteribus scriptum Janus Parthasius mihi legendum commodavit: versu eo loco citato, ubi de nominibus in *e*, quæ sine ratione genitivum in *i* faciunt, disserit. Nam codicum

(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris;
Adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici.

Nec

eum referre varietates super hujusmodi terminatione jam supervacuum est. Sed quantum pertinet ad epitheton, utrum quippe *Pellacis* an *fallacis* legendum sit, Velius Longus exemplum citat ex Virgilio, *pellacis Ulyxei.* Ubi ex præpositione *per*, *r* litteram in *l* abire dicit, quoties *l* altera subsequitur. neque aliter unquam legi apud Lucillium affirmat, quam *pellicere*, quod est *inducere*. Pierius.

Pellacis Ulyxei.] Lucret. lib. 2. *Neve ullo tempore credant, Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.* *Pellicere* autem Festo, *in fraudem inducere:* & ei *lax* fraus est. Ut autem hic *pellax*, à Græcis δολόμητις, & δολοπλόκος dicitur. Cæterum quanquam Grammatici omnes *pellaciam*, & *pellacem* à *pelliciendo* deducant, ego tamen malo à *pellando* verbo exoleto, à quo composita *appello*, *interpello*, *compello:* quod non vocare, aut simpliciter nominare, sed blandius sollicitare significabat: unde & Jurisconf. L. Item ad Labeonem. §. *Si quis virgines; auctor est eum, qui virgines appellarit ancillari veste vestitas, minus peccare videri: appellarit*, hoc est, earum pudicitiam blanditiis, & verborum lenociniis attentarit: sæpius ea voce à Jurisconsulto seorsum repetita. *Germanus.*

91. *Concessit.*] Pro, *decessit.* Servius.

Superis concessit ab oris.] Non dixit, *mortuus est:* ne ejus memoria, digna post hominum finem vivere, minoraretur. *Donatus.*

Concessit.] In codice Longobardico, *excessit.* Sed *concessit* Donato agnoscitur, apud quem habes: Non dixit, *mortuus* est, sed *concessit*, ut memoria ejus digna esset, quæ post hominis finem vivere mereretur. *Pierius.*

Superis concessit ab oris.] Εὐφημισμὸς, pro, interemptus est. Sallustius: *Postquam vitâ concessit.* In Longob. Cod. est, *excessit.* *Superis.*] Respectu inferorum nos *Superi* sumus. *Taubmannus.*

92. *Adflictus.*] Suspendendum ne videatur affectum se dicere, quia in tenebris vitam trahebat, sed quia amicum perdiderit. *Servius.*

Vitam in ten.] Ideo lugentibus inimica lux est, quia caruerunt ea hi, quos dolent, ideo tenebras petunt, & atra veste amiciuntur, & capita velantur, ut videantur cum defunctis agere imitantes tenebris inferorum faciem. *Idem.*

Vitam in tenebris.] Ut illi, qui cupiunt mori, & non vivere. *Donatus.*

Vitam in teneb.] Ita Æneid. 1. *trahebat noctem*; in Georg. *ludo noctem ducunt:* quæ notat Scalig. l.4. c.16. Quidam hoc πάθος *ex habitu* vocant: quale illud, 3. Georg.

— *aut ægra trahebant Corpora.*
& in 5.
— *genua ægra trahentem.*

Auctore Donato, hoc vult intelligi; ut non sic duceret vitam, quomodo qui optant vivere, sed qui cupiunt mori. Ut autem Græci per φάος *lætitiam felicitatemque* significant; & per σκότον privationem: ita & Latini *lumen, lucem, tenebrasque* usurpant. Atque ut hic *trahere vitam*, sic Euripid. βίοτον ἕλκειν, dixit. *Taubm.*

93. *Insontis amici.*] Duo posuit, & *insontis* & *amici*, & plus est quod *amicum* dixit, quam *propinquum.* Servius.

Mecum indignabar.] Quomodo ergo *Nec tacui demens?* Intelligimus istum quasi tacuisse primo: post impatientia doloris erupisse in vocem, aut quod interim non vindicarem amici insontis interitum. *Idem.*

94. *Fors*

Nec tacui demens: & me, fors si qua tulisset,
Si patrios umquam remeassem victor ad Argos,
Promisi ultorem, & verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes: hinc semper Ulixes
Criminibus terrere novis: hinc spargere voces
In volgum ambiguas, & quærere conscius arma.
Nec

94. *Fors si qua.*] Bene *si qua*: quia est & bona & mala. *Servius.*

Tulisset.] Nonnulli pro *retulisset* intelligunt. *Idem.*

Fors si qua tulisset.] Tacit. 3. Hist. *Milites missi per tenebras, ut fors tulerat.* Cerda.

Fors si qua.] Bene, *Si qua*: quia bona & mala est. Alii leg. *fors.* Taubmannus.

95. *Si patrios unquam remeassem victor ad Argos.*] Benè dubitat, ut ostendat propter Palamedem omnes sibi Græcos inimicos fuisse. *Servius.*

Victor.] Ut quidam volunt voti compos, ut est, *quam septem ingentia victor*, aliter dictum potuit non bene à Trojanis accipi. *Idem.*

Argos.] *Argi* ab Argo dicti, quem custodem vaccæ, in quam Io fuerat commutata, Mercurius occidit. *Idem.*

Argos.] In plur. unm. masculinum, in sing. neutr. ut Horat. 1. od. 7. *aptum dicit equis Argos.* Stat. l. 4. Thebaid.
Hoc mihi sævum Argos.
Emmeness.

96. *Promisi.*] Pro *minatus sum*, per contrarium dixit: quia minamur mala: promittimus bona. Sic autem Horatius contra, *Atqui vultus erat multa & præclara minantis*, id est, promittentis; & *promisi ultorem*, deest *futurum.* Servius.

97. *Hinc mihi prima mali labes.*] Pro *hac causa*, vel *propter hoc*, & est adverbium locale pro conjunctione causali. Quia secuta sunt postea oraculum, & adscita Calchantis factio; *adscita* sane dicitur *adsumpta.* Idem.

Labes.] *Ruinam* significat, à lapsu. *Idem.*

Hinc mihi prima mali labes.] Arripuit Justinus lib. 7. *Hinc illi prima mali labes, hoc initium impendentis ruinæ fuit.* Cerda.

98. *Criminibus.*] Causis; ut, *Et crimine ab uno.* Servius.

Novis.] Aut magnis, aut, quæ nullus sperasset, aut aliis atque aliis. *Idem.*

Spargere voces.] Ut Cicero, *Spargere venena didicerunt.* Idem.

Spargere voces.] Ita Græci *κατασπείρειν*, & *διασπείρειν λόγους.* Plutarchus de ira cohibenda pro eodem dixit *ἀπαγγέλλειν λόγους.* Aristides in 2. Platonica flexu isto, *εἰς ἅπαντας ἀνθρώπους βλασφημίας ἐκδέδωκας*: *dedisti in vulgus hominum criminationes.* Cerda.

99. *In volgum.*] Sane *volgum*, non *vulgum*; ea quippe scribendi ratione, qua usos veteres nemo inficiatur, non in Virgilianis tantum codicibus per *o* prima syllaba notatum inveni: verum etiam in Livianis manu scriptis, hisque pervetustis, ut lib. 3. de 2. bel. Pun. *Huic non apud volgum modo fides fuit.* Quod vero super nominis genere disputatur, Virgilium, Sisennam, Attium, & Varronem *volgum* masculino genere posuisse, neutro Lucillium, atque eo loco Virgilium, *Ignobile volgus.* Sosipater ex veterum Grammaticorum opinione ait, *Volgus* masculini generis potius quam neutralis: quia nullum neutrale bissyllabum *us* litteris terminatum genitivo in *i* ultima exit syllaba. Sic ille. *Pier.*

Volgum.] Sexu masculo alii quoque enuntiarunt. Tacitus 1. Hist. *nec deerat Otho protendens manus adorare vulgum.* & 3. *facundia aderat, mulcendique vul-*

Nec requievit enim, donec Calchante ministro.
Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo?
Quidve

gum artes, & auctoritas. Felix in Octavio: *Cæcilium simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, &c.* Accius Epigonis: *Argivos fremere bellum, & velle vi vulgum videt.* Cerda.

Volgum.] Præter Non. Marc. c. 3. tria Charisius l. 1. & Priscian. l. 6. esse masculini & neutrius generis asserunt, *volgus, pelagus* & *virus*, & tantum in singulari numero declinari. pro in *vulgum* Sil. Ital. l. 7.

——— *& Spargere caussas*
In castra ambiguas.

Emmeness.

Ambiguas.] Dubias aut suspicionum aut criminum plenas, ne si aperte ageret, accusatio esse videretur. *Servius.*

Conscius.] Aut peracti sceleris, & de nece Palamedis; aut dolorum suorum: ut in tertio, *Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto*; aut certe sciens hunc meum animum. *Idem.*

Arma.] Modo fraudes, vel dolos. Nam *arma* sunt instrumenta cujuslibet rei. Unde insidiantis fraudes *arma* nominavit. Alii *arma* pro opibus vel auxiliis accipiunt, alii *arma* consilium, alii occasionem, nonnulli insidias intelligunt: Quidam *conscius arma*, hypallagen putant, pro conscientia arma; ut, *Et quondam patriis ad Trojam missus in armis.* Et, *Arma deosque parant comites.* Et, *Alia arma Latinus.* Idem.

100. *Nec requievit enim.*] Aut vacat *Enim:* aut pendet sensus, ut & posterior. *Idem.*

Donec Calchante ministro.] Arte enim agit, ut semiplena dicendo cogat interrogare, & avidius audire Trojanos. *Calchante ministro. Me destinat aræ*, intelligitur: Et mire *ministro*, quasi * non exuerit à te responsuro. *Idem.*

101. *Sed quid ego.*] Aposiopesis est. Et bene reticuit, ne tæderet illos tam longæ orationis, nihil ad se pertinentis, nisi studium audiendi intermissione renovasset. *Idem.*

Sed quid ego hæc autem, &c.] Videtur locum istum imitatus semel Livius lib. 28. in oratione Manlii: *Sed quid ego hæc ita argumentor, tanquam non acceperim, sed fecerim hostes Gallos?* Prudentius sæpe, nam in Apotheos.

Sed quid ego hæc autem titubanti voce retexo?

In Hamartig. *Sed quid ego omne malum, &c.* & lib. 2. in Symm. *Sed quid ego hæc meditor?* Ante utrumque Catullus de Nupt. Pel.

Sed quid ego hæc vanis nequicquam conqueror auris?

Ante omnes Ennius 6. Annal. *sed quid ego hæc animo lamentor?* & 9. *sed quid ego hæc memoro?* & Lucilius lib. 30. Satyr.

Sed quid ego hæc animo trepidanti dicta profundo?

Græcus quoque Apollonius lib. 3. Arg.

Ἀλλὰ τίη τὰ δέ τοι μεταμώνια
πάντ' ἀγορεύω;

Sed quid ego inania hæc omnia loquor? Apud Philonem quoque in Politico similis est locus. Frater enim ille, qui Josephum quæsierat in cisterna, neque invenerat, post multos effusos gemitus, ita se continet: ἀλλὰ τί ταῦτα θρηνῶν ἀπηχῶ; *sed quid ego ista dolens clamito?* Cerda.

Autem.] Hoc abundat. *Servius.*

Autem.] *Autem*, abundare dicit Serv. Fuld. Sed ego non dico, qui de elegantissimo usu vocis *autem* plusculа notavi ad Plautum, Mercat. act. 1. sc. 2. & alibi. *Taubm.*

Nequicquam.] In codicibus aliquot antiquis, & hic & alibi, *nequiquam* scribitur absque ulla alia consonante inter *i* & *q*. Sed enim Victorini præceptum est in hæc verba: *quidquam* & *quidquid* & *quodq.* prima syllaba quoties habuerint *d*, id vos producite, & supponite *c*, ne duæ partes integræ esse videantur. ex hoc præcepto volunt *nequidquam* interjecto *c*, notari.

Quidve moror? si omnis uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est; jamdudum sumite pœnas.
Hoc Ithacus velit & magno mercentur Atridæ.
Tum

notari. Sed qui scriptionibus antiquis favent, *nequiquam* adverbium à casu ablativo desumunt, veluti etiam *nequaquam*, atque ita utrunque eodem modo sine *c* scribunt. Frigida hæc omnino vel Fab. Quintilianus esse dicat, sed hoc temporibus eruditis. Nunc corrupta adeo loquendi scribendique ratione, minime vitio detur, siquis etiam talia perquirat. *Pier.*

Nequicquam.] Festum librosque veteres & Corn. Gualteri Codicem l. 12. Lucan. adhibe, & sine *c* scriptum invenies; tum ipse Carrion. l 4. Val. Flacci in id scripturæ genus paratus est jurare. Hæc ex Dausquio Pierianis commentariis adjungo. Hæc aposiopesis miserationem excitat, ut Macrob. l. 4. c. 6. *Emmeness.*

Ingrata.] Nec vobis placitura, nec mihi gratiam conciliantia, quorum jam non libenter memini. *Servius.*

Quid hæc nequicquam ingrata revolvo.] Hom. Il. α. παλίλλογα ταῦτ' ἐπαγείρω, hoc est, παλισύλλεκτα. *Germannus.*

102. *Quidve moror.*] Vestram scilicet festinationem vel mortem. *Servius.*

Quidve moror.] Cur differo pœnas meas, post relationis beneficium continuo moriturus? Ulysses enim omne malum videbitur intulisse, qui me quolibet peccato quærebat occidere. *Donatus.*

Omnis.] Et eos qui prodesse disponunt. *Servius.*

Uno ordine.] Uno reatu. Et est de antiqua tractum scientia: quia in ordine dicebantur causæ propter multitudinem; vel tumultum festinantium: quum erat annus litium. Juvenalis, *Expectandus erit qui lites inchoet annus.* Idem.

Ordine.] Ita dici à Poëta *ordinem* hoc loco notat P. Victor. ut ab Arist. 1. Polit. dictum, ἐν δὲ τοῖς βαρβάροις τὸ θῆλυ, καὶ δοῦλον τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν. *apud barbaros autem fœmina, & servus eundem ordinem habent.* Gerda.

Omnis uno ordine.] Id est, si omnes Græcos eodem loco & numero ducitis, & pro hostibus habetis. Quam Turnebi (lib. 6, 21.) explicationem plerique omnes sequuntur. Hortensius interpretatur: si vanos & perfidos ex uno Ulysse Græcos omnes judicatis. ut suspicionem doli, per occupationem, dissimulanter deprecetur. *Taubm.*

103. *Idque audire sat est.*] Me Grajum esse. *Servius.*

Idque audire sat est.] Ubi ad cardinem venit, in quo mendaciorum consistit affectus, negavit se dicturum, ne ultro omnia referendo, daret suspicionem falsitatis: ait igitur, cum sciat se periturum, melius esse, ne secreta Græcorum prodat. Neque enim propter unum hominem, debeo omnes meos prodere. *Donatus.*

Jam dudum.] Modo, quamprimum, scilicet ut satisfaciatis Græcis, qui me oderunt, & dicendo mortem suam gratam esse Græcis, & Trojanorum benevolentiam conciliat, &, ut sibi reliqua credantur, extorquet. *Servius.*

104. *Hoc Ithacus.*] Pro *Ithacensis*, principale pro derivativo. *Idem.*

Hoc Ithacus velit.] Floridus lib. 2. c. 22. Linacer lib. 6. Quintilianus l. 9. cap. 3. Præsens pro præterito. *Hartung.*

Velit, & magno mercentur Atridæ.] Callide hoc dicto impetrat vitam, afferens mortem suam illorum hostibus esse placituram. Ideo autem dicit *Mercentur*, quia sacrorum est, ut fugiens victima, ubicunque inventa fuerit, occidatur: ne piaculum committatur. Ergo Sinon, qui victima fuerat, quippe qui propter reditum sacrificio fuerat destinatus, nec possent Græci nisi vel empta morte Sinonis ad patriam redi-

Tum vero ardemus ſcitari & quærere cauſſas,
Ignari ſcelerum tantorum artiſque Pelaſgæ.
Proſequitur pavitans, & ficto pectore fatur:
Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri, & longo feſſi diſcedere bello.

re, jure, & votis, & præmio Græcorum interimitur. *Servius.*

Magno mrceentur.] Id eſt, pretio, ut, *Turno tempus erit magno quum optaverit emptum Intactum Palanta.* Idem.

Hoc Ithacus velit & magno mercentur Atridæ.] Profluxiſſe ab Homero hanc locutionem docet Turneb. l. 6. c. 21. quem vide Iliad. α. ✝ſ. 255.

Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος Πριάμοιό τε
παῖδες,
Ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο
θυμῷ.

Quem locum explicat Ariſtoteles l. 1. Rhetor. Sic ab affectu & voto hoſtium Perdiccas in factionem abeuntem exercitum movet, apud Juſt. l. 13. cap. 3. *Edituros egregium hoſtibus ſuis ſpectaculum, ut quorum armis victos ſe doleant, eorum mutuis cædibus gaudeant, parentaturoſque ſanguine ſuo manibus hoſtium à ſe interfectorum.* Ad quem locum vide Bernegg. in *magno, impenſo, minimo,* ſubaudi *pretio.* Tractat hanc ſtructuram uberius Sanctius in Minerv. p. 31. *Emmeneſſ.*

105. *Tum vero.*] Hoc conſilium noſtram cupiditatem audiendi accendit. *Donatus.*

Ardemus ſcitari.] Feſtinamus inquirere. Et ecce quo proficit Apoſiopeſim ante feciſſe. *Servius.*

Quærere cauſſas.] Cur à Græcis ejus optaretur interitus. *Idem.*

Cauſſas.] An per geminum S. ſcribendum luculente diſputat in Orthogr. Dauſquius. Ciceronis ſaltem tempore eum morem obtinuiſſe Quintil. l. 1. c. 7. aſſerit, qui eo modo & Virgilium ſcripſiſſe addit. *Emmeneſſ.*

106. *Ignari.*] Aut neſcientes, aut imprudentes. *Servius.*

Ignari.] Nam noſtra ſimplici natura pendentes Græcos, illum vera dicere putabamus. Sed illi omnes ſunt doloſi, unde ſociavit illud: *& crimine ab uno diſce omnes.* Donatus.

Artiſque Pelaſgæ.] *Ars* τῶν μειόνων eſt, ideo adjecit *Pelaſgæ*, hoc eſt, malæ; proſequitur mire, ut ab initio cœperat. *Servius.*

107. *Pavitans.*] *Quaſi pavitans*, hoc eſt, ſimulans ſe pavere. Et non tam propter mortem: Nam erit illi contrarium, *Jamdudum ſumite pœnas.* ſed ut videretur cum timore, civium ſuorum conſilia vel ſecreta patefacere. *Idem.*

Pavitans.] Aut pavorem ſimulans, aut pavitans, ne, lingua titubante, in curſu inſidiarum, detectio naſceretur, quam jam videbat in tuto eſſe. *Donatus.*

Ficto pectore.] *Pectus* pro vero poſuit. Nam nunquam fingitur pectus. *Servius.*

Proſequitur pavitans & fict. pict. fatur.] Simile exemplum tradit Apulejus l. 10. Metam. *Hæc eximias etiam ad veritatis imaginem, verberone illo,* ſimulata trepidatione, *perferente finitum eſt judicium.* Emmeneſſ.

108. *Sæpe fugam Danai.*] Hoc ſecundum Homerum verum eſt, apud quem ſuadet Agamemnon Græcis, relicto bello, fugere, & ut oſtendat propter bellum fugere, ait *cupiere*, non *voluere.* Servius.

Sæpe fugam.] Cum hoc falſum eſſet, parat cauſam, quæ ſit credibile, ſcilicet bello feſſos. *Donatus.*

109. *Moliri.*] Parare. Et hoc verbo difficultatem rei oſtendit. *Serv.*

Longo.] Decennali. *Idem.*

Feſſi bello.] Favorem ſibi conciliat, dicendo fatigatos eſſe Græcos virtute Trojanorum. *Idem.*

Fecissentque utinam! sæpe illos aspera ponti
Interclusit hiems, & terruit auster euntis.
Præcipue, cum jam hic trabibus contextus acernis
Staret

Discedere.] *Decedere* malui cum Germ. potius quam cum aliis *discedere*. inde libentius amplector, *feßi decedere bello*, ut etiam loquitur Tacit. 11. Ann. *ne quis agmine decederet*, quam *feßi bello, decedere*: tu quod placeat. *Cerda.*

110. *Fecissentque utinam.*] Nec enim hic aræ destinaretur. Et est significatio optandi à præterito tempore. *Servius.*

Fecissentque utinam.] Recte optare simulat: nam Trojanos placabat, & sibi commiserationem captabat. *Donatus.*

111. *Ponti hiems.*] Bene addidit *Ponti*: quia est & temporis. *Servius.*

Sæpe illos aspera.] Non consilium facto, sed eventus voluntati defuit. *Donatus.*

Sæpe illos aspera ponti interclusit hiems.] Ut hîc, *hiems interclusit*, ad verbum Græci, χειμὼν ἐπέκλεισε. Demosthenes in Chersoneso ita extulit, χειμῶνι ἀποληφθῆναι. ibidem ita quoque, ἀπὸ τῶν πνευμάτων μὴ δύνασθαι. Aristides Ægyptiaca, ἀνοιχθέντος τόπου dixit *aperto loco* loquens de mari, & navigationibus. Auctor est Vegetius, claudi maria à die tertio Iduum Novembris, usque in diem sextum Iduum Martii. Illustratur Lucanus lib. 5.

—— *Clausas ventis brumalibus undas*
Invenit, & pavidas hiberno sidere classes.

Hinc ergo commode explicabis Maronem: non, *hiems*: id est, tempestas, ut vulgo: Sed vere *hiems*, quæ claudit. nam tempestates alio quoque tempore excitari possunt. Cassiodorus l. 12. epist. 24. *Cum ventis sævientibus mare fuerit clausum, via vobis panditur per amœnißima fluviorum.* Scribit Polybius lib. 1. miserabilem cladem, quam passa est classis Romana temeritate Consulum, qui non debito anni tempore se mari commiserunt. Eo pertinent & verba Julii lib. 5. Gallic. *Quas naves cum aliquandiu frustra expectasset, ne anni tempore navigatione excluderetur, quod æquinoctium suberat, necessario angustius milites collocavit.* Livius lib. 27. hieme *clausas Alpes* adhibet, ut alii *clausa maria.* Contrarium verbum est *aperta.* Plinius lib. 2. cap. 47. *ver ergo aperit navigantibus maria, cujus in principio Favonii hibernum molliunt cœlum.* Plato ait lib. 12. leg. æstivo tempore aperiri ad navigandum maria. Sed loquitur Plato procul dubio ex nota, quam alibi adhibui. Antiqui enim annum dividebant in duplex tantum tempus, in hiemem, & æstatem, nulla facta mentione veris, & autumni. Cum ea, quæ dixi, verissima sint, næ decipiuntur, qui in Virgilio per *hiemem* capiunt tempestatem, & procellam aliquam, cum ille proculdubio signet partem anni incommodam navigationibus. *Cerda.*

Euntis.] Ire cupientes: ut, *Quum canerem reges & prælia*: id est, cum canere vellem, & à Græcis figura est; ubi statuisse aliquid pro inchoatione haberentur. *Servius.*

Euntis.] Sæpe hoc participium conatum quendam significat, teste Sanctio in Miner. p 53. sic *dira tegentem* l. 6. Æn. ℣s. 498. pro cupientem tegere. & l. 9. ℣s. 243.

Via fallit euntis.

Emmeness.

112. *Præcipue.*] Contra illud ne diceretur numina non esse placata. Et bene aliud agens, equi mentionem introduxit. *Servius.*

Trabibus acernis.] Speciem pro genere posuit, id est, pro quocunque ligno. Nam variat ligni genera in hoc equo, ut, *Abiete costas*, & *pinea claustra*, ita hic *acernis*. Idem.

Staret equus, toto sonuerunt æthere nimbi,
Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mit-

113. *Æthere.*] *Ætherem* pro *aëre* posuit Poëtica licentia. *Serv.*

114. *Suspensi.*] Solliciti: ut, *Nostroque in limine pendens.* quia nec tempestas post dona mutabatur. Aut ad *Nimbos* refertur, distinctione mutata, ut distinguamus, *nimbi suspensi.* Idem.

Suspensi.] Id est, τῇ γνώμῃ ταλαντευομένῃ. Ducitur quippe metaphora ab æquilibriis, cum suspensa, & erecta in nullam partem inclinant: ita suspensi erant animi Trojanorum, cum, & vellent decedere, & prohiberentur. Livius clare lib. 26. *Æquante fortuna suspensa omnia utrinque erant, integra spe, integro metu.* Loquitur omnino cum respectu ad æquilibrium, nam spes integra, & metus inter omnia æquabant, ideo illa suspensa. Eodem loquendi sermone usus Aristides in Leuctrica quarta: οὐ γὰρ δὴ τρυτάνην γε εἰς τὸν πόλεμον κομίσαντες, ἐπὶ ταύτῃ τὰ πράγματα ἵστωμεν, ἀλλὰ δὴ τάξιν ἐξ ἀρχῆς εἰλομένους, ἀνέχεσθαι τὰς ῥοπῆς: *Non enim trutina sumpta res in bello ponderare possumus, verum ordine primo servato, momentum ferre debemus.* Et in oratione de concordia ad civitates Asiæ, pari metaphora rem suam explicat, inducens cum respectu ad τρυτάνην, duo verba, videlicet, ἡσυχίαν ἄγειν, & ἄνω καὶ κάτω κινέμεθα. Quia videlicet, cum æquilibrium suspensum & rectum est, nullus est motus in bilancibus, sed quiescunt illæ. Hinc etiam sermonem duxit Cicero pro Muræna: *Quæstura utriusque propemodum pari momento sortis fuit.* Et Seneca de benef. lib. 1. cap. 1. *alias graves exprobratores, exactoresque sumus; alias leves, & quos paulo post muneris sui pœniteat; alias queruli, & minima momenta calumniantes.* Qui locus non expensus à tot interpretibus. Gravitas enim, & levitas, quæ bilancium est ex pondere, aut magno, aut levi; momentum etiam, quod est æquilibrii, ducit nos ad cognoscendam sententiam. Eadem ratione illustro illud 3. Æneid. ubi de Charybdi, & Scylla, *lethi discrimine parvo.* Discrimen enim libræ, seu momentum libræ, est, quam Græci vocant ῥοπήν, qua voce usus Aristides. De ipso adhuc oraculo Aristophan. in Pluto, χρησμὸς ῥέπει. *Cerda.*

Scitatum.] Participium pro participio est, id est, scitaturum. Alii *Scitatum* legunt, id est, inquisitum. *Serv.*

Scitatum.] In Longobardico codice, *Scitantem* legimus: quod agnoscit Servius: & participium pro participio positum ait, quippe pro *scitaturum.* Sed enim Sosipater Carisius *scitatum* legit in solœcismo: proque *sciscitatum* positum ait. *Pierius.*

Oracula.] Ad templa, de quibus dantur oracula; alibi *oracula*, responsa; ut, *Lapsis quæsitum oracula rebus*; &, *Quin adeas vatem precibusque oracula poscas.* Servius.

Scitatum oracula.] *Scitari*, poscere, quærere, adire oracula, obvia apud nostrum, pro consulere. hîc in 3. *oracula poscas.* 4. Georg. *quæsitum oracula.* 7. Æn.

—— *Oracula Fauni*
Fatidici genitoris adit.

Aristophan. Plut.

Ἐπερησόμενος οὖν ᾤχόμην ὡς τὸν θεόν;
Interrogaturus igitur ivi ad Deum.

Quo verbo usus etiam Æschines contra Ctesiphon. ἐπερησομένους τὸν θεόν. Idem sic extulit, μαντείαν ἐμαντεύσαντο παρὰ τοῦ θεοῦ. Aristides in prima Platonica, & multi alii per πυνθάνεσθαι dicunt. Philostratus in Heroicis per verbum ἤρετο. Cedrenus, χρησμὸν ἐζήτει. Idem verbo ἠρώτησε, Xenoph. lib. 4. Ἑλλ. χρηστηριαζόμενος ἐπηρώτα τὸν θεὸν, & lib. 3. Ἑλλ. tantum χρηστηριάζεσθαι ademto altero. Herodotus lib. 1. πειρεώμενος τὸ μαντήιον, & εἰρωτᾶν. Qui mittebantur ad petenda hæc oracula dicebantur θεωροὶ, naves, quibus vehe-

Mittimus. isque adytis hæc tristia dicta reportat.
Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa,

Cum

vehebantur, θεωρίδες, sacrificia, quæ peragebantur, θεωρίαι. θεωροὶ dicuntur Herodoto lib. I. etiam θεοπρόποι, & χρησόμενοι. De hoc Eurypylo vide (præter Homerum) Philostratum juniorem in Iconibus. His opponitur χρησμοδοτεῖν, χρησμὸν ᾄδειν, χρησμὸν διδόναι: *oraculum edere, canere, dare.* & χρησμῳδεῖν. *Cerda.*

115. *Adytis.*] *Adytus*, est locus templi secretior: ad quem nulli est aditus nisi sacerdoti. *Servius.*

Isque adytis.] Cæsaris interpretationem Servius est secutus: qui lib. 3. bel. civ. *Pergami in occultis ac remotis templis, quo præter sacerdotes adire fas non est, quæ Græci ἄδυτα appellant, tympana sonuerunt.* Germ.

Tristia dicta reportat.] Renunciat. More suo breviter habitum futuræ orationis ostendit. *Servius.*

Dicta.] Proprie. Nam *Dictio* interdum & Oraculum significat: ut Græcis λόγιον. Pacuvius: *Flexa, non falsa autumare Dictio Delphis solet.* Actius, lib. 2. apud Heren.

Aperte fatur Dictio, si intelligas: Turneb. lib. 30. cap. I. *Taubm.*

Reportat.] Græci quoque κομίζειν, & ἀνακομίζειν χρησμοὺς: *portare, reportare oraculum.* Aristides in 2. Platonica extulit forma hac, μαντείας ἐλθούσης, & hac item, μαντείας προϋπαρχούσης. *Cerda.*

116. *Sanguine placastis ventos & virgine cæsa, Cum primum.*] Hic distinguendum est: quia & semel ad Trojam ventum est: & ante quam ad eam veniretur, de Iphigenia est sacrificatum, cujus fabula talis est: Quum Græci ad Aulidem venissent, Agamemnon Dianæ cervam, cum venatur, occidit, ignarus. Unde dea irata, flatus ventorum, qui ad Trojam ducebant, suspendit; ob quam rem, cum nec navigare possent, nec pestilentiam sustinerent, consulta per Calchantem oracula dixerunt; Agamemnonio sanguine, hoc est, immolata Iphigenia placandam Dianam. Cum ergo ab Ulysse per nuptiarum simulationem, qui Iphigeniam Achilli jungendam fingebat, adducta Iphigenia, in eo esset, ut immolaretur, numinis miseratione sublata est: cervaque supposita, & translata ad Tauricam regionem, regi Thoanti tradita est. Sacerdos facta Dictynnæ, vel ut quidam volunt, Orthiæ Dianæ. Cum secundum statutam consuetudinem humano sanguine numen placaret, agnovit fratrem Orestem: qui accepto oraculo, curandi furoris caussa, cum amico Pylade, à cujus patre, Strofio nomine fuerat nutritus, Colchos petierat: & cum his, occiso Thoante, simulacrum sustulit, absconditum fasce lignorum. Unde & *Fascelis* dicitur: non tantum à face, cum qua pingitur, propter quod & *Lucifera* dicitur: & Ariciam detulit. Sed cum postea Romanis sacrorum crudelitas displiceret (quanquam servi immolarentur) ad Laconas est Diana translata: ubi sacrificii consuetudo, adolescentulorum verberibus servatur: qui vocabantur *Homonicæ:* quia aris superpositi contendebant, qui plura verbera sustineret. Orestis vero ossa, ab Aritia Romam translata sunt: & condita ante templum Saturni, quod est ante clivum Capitolini, juxta Concordiæ templum. *Servius.*

Sanguine.] Verum dicit de Iphigenia, falsum addit de præcepto Apollinis. miscet ergo vera, ut credantur falsa. *Donatus.*

Sanguine plac. vent. & virg. cæsa.] Nimirum immolata Iphigenia Dianæ, quam Eurip. θύμασι βροτησίοις χαίρουσαν θεὰν vocat. Quantum autem ad ventos sanguine placatos, παυσάνεμος θυσία dicebatur: item & sacra quædam αἱμακουρίαι, νεκροῖς μειλικτήρια nuncupabantur. *Germ.*

Cum primum Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica. volgi quæ vox ut venit ad auris,

Obstu-

Virgine cæsa.] Non vere: sed ut videbatur. Et sciendum, in sacris simulata pro veris accipi. Unde quum de animalibus, quæ difficile inveniuntur, est sacrificandum: de pane vel cera fiunt, & pro veris accipiuntur. Hinc est etiam illud, *Sparserat & latices simulatos fontis Averni.* Nam & in templo Isidis aqua sparsa de Nilo esse dicebatur. *Servius.*

Virgine cæsa.] Videatur Scholiastes Lycophronis: Sophocles in Electra: Euripides in Iphigeniâ. Ovid. lib. 12. & 13. Met. J. Parrhasius, *Quæsitis per Epist.* Atque de isto facinore disputat etiam Cicero 3. De Offic. & Horat. 2. Sat. 3. *Taubmannus.*

Virgine cæsa.] Suppositam fuisse cervam, cum capta esset Iphigeniæ immolandæ miseratione Diana, placanda quæ erat sanguine Agamemnonio, vel, ut Lucret. l. 1. Iphianassæo, ob occisam ab Agamemnone cervam, cum apud Aulidem staret & teneretur eam ob noxam Græcorum classis. Noster vere immolatam arbitratur. Sic Propert. l. 4. Ecl. 1.

Idem Agamemnonicæ ferrum cervice puellæ
Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.

Eruditissimus Bochartus Hist. Animal. l. 2. c. 46. post enarratum Abrahami sacrificium, hujus historiæ lacinias Græcos suis fabulis inclusisse docet, eosque hanc rem more suo interpolasse, ait. Eum consulito, si otium. *Emmeness.*

117. *Iliacas Danai venistis ad oras.*] Figuratum, Cum primum venire velletis. Sane hoc de Ifigenia verum est. *Servius.*

118. *Sanguine quærendi reditus.*] Hoc falsum est, & bene Oraculorum naturam servat, ut à re ipsa semper incipiant, ut alibi, *Dardanidæ duri*, dicendo enim *Dardanidæ*, ostendit quæ loca petere debeant. *Idem.*

Animaque litandum Argolica.] Quia occurrebat occidi posse captivum: Ergo ideo addidit *Argolica*, ne non esset triste oraculum. Videtur sane peritia juris Pontificalis animalis hostiæ mentionem fecisse, cum dicit, *Animaque litandum Argolica*; nam & *animam* dixit, & *litare* verbo pontificali usus * sacrificiis deos placare. *Idem.*

Argolica.] Ne credatur potuisse litari alienigena: nec quærenda erat virgo, cum exercitus feminis careret. *Donatus.*

Animaque litandum Argolica.] In codice Longobardico legere est quarto casu, *animamque litandum Argolicam:* quod alii viderint. Nam hæc per septimum casum proferri potius consuerunt. Est etiam in Mediceo una plus dictione *litandum est:* quod quidem verbum etiam cum decoro reticetur. *Pierius.*

Animaque litandum Argolica.] Ostendit, aut certe allusit, ad hostiam seu *sacrificium animale:* in quo solo Anima offerebatur: ut 5. Æn.

Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo.

Quod & Serv. Fuld. notavit. Et *litare* significanter dixit: quod est, facto sacrificio Numen placare, auctore Macrobio lib. 3. c. 5. Turneb. etiam, l. 18. c. 20. docet, veteres eo verbo usos, cum grata acceptaque diis immortalibus sacra fuisse intelligerent. Non enim omnes litant, qui sacrificant. Hinc Leno Comicus in Pœnulo, act. 2.

Sex agnos immolavi, nec tamen potui litare.

Argolicâ autem dixit προληπτικῶς occurrens objectioni: potuisse captivum à Trojanis occidi. Atque hoc modo *tristius* etiam oraculum fuerit. *Taubm.*

119. *Volgi quæ vox.*] Cum enim generalitatem proposuisset, quia res incerta erat, unusquisque timebat sibi.

Excusat

Obſtupuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Oſſa tremor; cui fata parent, quem poſcat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios: quæ ſint ea numina divûm
Flagitat. & mihi jam multi crudele canebant

Arti-

Excuſat autem Calchantem, qui falſa dixerit. nam oſtendit vim eſſe paſſum. removet à ſe odium: quia Græci aſſenſere de eo, non quoniam odiſſent, ſed ut ipſi interitu, qui incertus erat, liberarentur. *Donatus.*

120. *Obſtupuere animi.*]Omnes enim crediderunt ſe perire poſſe, antequam unus eſſet delectus. *Servius.*

Gelidusque per ima cucurrit Oſſa tremor.] De ſudore Sappho ἀποδεδρόμακεν, dixit, *cucurrit*, aut *currendo ſubiit.* & de horrore Nazianzenus orat. 11. μὴ φρίκη τις ἀποτρέχῃ. Tremorem in metu maximo Ovid. de Lucretia:

Sed tremit, ut quondam ſtabulis deprenſa relictis
Parva ſub infeſto cum jacet agna lupo.

Cerda.

121. *Cui fata parent.*]Cui præparent mortem. *Servius.*

Fata.] Id eſt, reſponſa. Sunt qui ita dividant, *cui fata parent vitam, quem poſcat Apollo*, ut moriatur. *Idem.*

Cui fata parent.]*Parare*, cum dativum habet, etiam *apparare*, cladem & perniciem ſignificat. Vide Donat. A. 4. 1. 32. & 4. 2. 7. & Maronem noſtrum infra ℣ſ. 132. —— *mihi ſacra parari.* Emm.

Poſcat.] Adeo ſæpe hoc verbum dat Maro Numinibus, ac fatis, ut exiſtimare poſſimus, illud præcipue aſſumptum à Diis, atque eo ſolitos ipſos imperare. 4. *& ſi fata Jovis poſcunt.* 5.

Hæc reſponſa dabat, vel quæ portenderet ira
Magna Deûm, vel quæ fatorum poſceret ordo.

8. *Quem Numina poſcunt.* 11. *Sæva Jovis ſic Numina poſcunt.* Hor. *Seu poſcat agna*, de Fauno. *Cerda.*

122. *Hic.*] Pro *tunc.* Servius.

Vatem.] Nunc divinum, alias poëtam; *Tu vatem, tu Diva mone.* Alias ſacerdotem: ut, *Et aurea vati Caſſida.* Idem.

Magno tumultu.] Ad factionem tegendam. *Idem.*

123. *Protrahit.*]Quaſi nolentem. *Id.*

Protrahit in medios.] Lucret. lib. 5. ubi loquitur de rebus, quæ uſus reperit,

Sic unum quidvis paulatim protrahit ætas
In medium, ratio, quæ in luminis eruit oras.

Cerda.

Numina divûm.] Pro oraculis poſuit: Id eſt, ut ambiguitatem oraculorum interpretetur. Quæritur enim non quid dicant, nam planum, ſed quid debeat immolari. *Servius.*

124. *Flagitat.*] Invidioſe poſcit; unde & quod flagitatione dignum eſt, *flagitium* dicitur. *Idem.*

Flagitat.] Non fruſtra hoc verbum Vlyſſi datum, quem flagitioſiſſimum Sinon inducit. Ergo non poſcit, rogat, petit, ſed flagitat: quod olim infamium fuit, monuitque Scal. in Feſt. Cato: *intercutibus ſtupris flagitatus*, hoc eſt, inteſtinis probris infamatus, inde *flagitium*, pro infamia. Plaut. *majore cum flagitio reddes poſtea*, hoc eſt, infamia. Et fœneratores dicti *flagitatores*, quia infames olim. Inde *flagitare* is dicetur, qui proterve petit, indignanter, & veluti cum convitio: quod feciſſe hîc Vlyſſem facile quiſquam ſuſpicetur, nam vatem, & cum tumultu, & invitum trahit, quæ non abeunt à convitio. Hinc ego explico Cæſarem 1. Gal. *Cæſar ab Heduis frumentum, quod eſſent polliciti, flagitat.* ubi vim, & convitium in petendo capio; hinc tu alios. Et Grammatici quidem, in his Donatus, diſcriminant inter verba *poſco, peto, poſtulo, flagito.* Nam *poſcimus*, cum impe-

 rio;

Artificis scelus, & taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam, aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Conposito rumpit vocem, & me destinat aræ.

Assen-

rio; *petimus*, precibus; *postulamus*, jure; *flagitamus*, cum convitio. *Cerda.*

Mihi.] Multi posterioribus, multi primis jungunt * ad oram, est unus tamen sensus, & quidem graviter pronuntiandum tradunt. *Mihi*, hoc est, Sinoni. *Servius.*

Multi crudele canebant.] *Multi*, bis intelligendum, id est, multi videbant taciti, multi etiam dicebant: ne sit contrarium, *canebant taciti.* quamvis multi sic exponant, qui mihi amici erant, dicebant, qui inimici tacebant, ut provenirent, quæ præsentiebant. *Idem.*

Et mihi jam multi crudele canebant.] In hoc loco ad *occentationem* allusum non dubito. Erat *occentare* alicui canore quodam ingratam canere cantilenam, cum probro, & convitio, quod docent Festus, & ejus decurtator Paulus. Quem ad locum Scal. vetus illud adducit: SI QVIS. CARMEN. OCCENTASSIT. QVOD. ALTEREI. FLAGITIVM. FAXIT. CAPITAL. ESTO. Ideo autem *occentare* capitale erat, quia ingens convitium. Ergo misero Sinoni Græci alii cantilenam non jucundam canebant. Vlysses enim tam multa sparserat in vulgus, tam novis criminibus terrebat, impetebatque Sinonem, tam ambigue loquebatur, ut multi jam putarent, hunc crimen aliquod admisisse, morte expiandum, omninoque sceleratum esse & convitiis plenum; quemque visum digito signabant, dicebantque: hic ille sceleratus est, & nefarius, de quo tam multa Vlysses. Poëta autem politissimus verbum *cano* maluit, quod sui ævi; quam *occento*, quod prisci. His adjunge *flagitare*, & *occentare* idem esse, quod Scal. docte monuit, & Poëta hanc cantilenam cum Ulyssi flagitatione conjungit. *Cerda.*

126. *Bis quinos silet ille dies.*] Dicimus &, *bis quinis silet diebus.* Scilicet auctoritatis quærendæ gratia, ut sit ἀξιοπιστία ejus, qui invitus diceret. *Servius.*

Bis quinos silet ille dies.] Sic & de Melampode Poëta Epig. lib. 5. ἔοικε δὲ θέσπιδος ὄμφης σιγηλοῖς στομάτεσσι θεοπρέπον ἆσθμα πταίνειν. Ita & Calchas apud Hom. Il. α. cunctanter & ægre causam immissæ Græcis pestis effatur, & non nisi protestatus, & pactus diserta cautione ab Achille impunitatem & defensionem. *Germanus.*

Tectus.] Aut multitudini se subtrahens; Aut tegens consilium suum: Aut cautus, ne intelligeretur. *Servius.*

127. *Prodere.*] Bene *prodere*, me enim dicturus, quem sciebat. *Idem.*

Opponere.] Objicere, destinare. *Idem.*

128. *Vix tandem.*] Aut junge, & vacat *Tandem.* Aut separa, & est aggeratio ex synonymis; ut, *Abiit, excessit, evasit, erupit.* Et est ordo, vix tandem rumpit vocem. *Idem.*

Ithaci.] Ita sæpe in hoc scelere enarrando pro Vlysse *Ithacum* à patria nominat, ut possis existimare, hoc præcipue nomine Vlyssem male audisse. *Cerdæ.*

Magnis Ithaci clamoribus actus.] Sic etiam apud Eurip. cum ageretur inter Græcos de immolanda Achilli Polyxena, variisque sententiis & studiis decerneretur, tandem vicisse Ulyssis calculum, quem de mactanda virgine tulerat, chorus Hecubæ refert. *Germ.*

129. *Conposito.*] Ex pacto. *Servius.*

Conposito.] Præclare, nam in voce ista inest significatio fraudis, & dolosi alicujus pacti. Livius lib. 25. *& cum jam composita omnia ad proditionem essent.* Iterum, cum narrat, ubi muri

Syra-

Assensere omnes: &, quæ sibi quisque timebat,

Unius

Syracusani capti per insidias fuerint, sic ait: *è muro ex composito tuba datum signum erat.* & lib. 1. bis eandem vocem infert in re fraudis. verba sunt: *unus rem ex composito orditur & transfugit ex composito Gabios.* Fabius declamat. 248. *moras judiciorum longas nimium, & pro nocentibus compositas.* Ammianus lib. 17. *Armeniam composita fraude præreptam.* Est hoc, quod Plato in Apolog. Socratis dixit συντεταγμένως, in re etiam fraudis. Adduco verba huic parti illustrandæ: φιλότιμοι ὄντες, καὶ σφοδροὶ, καὶ πολλοὶ, καὶ συντεταγμένως, καὶ πιθανῶς λέγοντες περὶ ἐμοῦ ἐμπεπλήκασιν ὑμῶν τὰ ὦτα: *ambitiosi cum essent, vehementes, multi, ex composito, ac diligenti quodam studio multa in me criminantes impleverunt aures vestras.* Notabis etiam in Virgilio subaudiendam præpositionem *ex*, ex Livianis exemplis, quæ adduxi ex Apuleio Apolog. 1. subaudies *de*, nam ille *de composito.* Sic vox similis *compacto.* Nam Afranius *compacto* tantum dixit. Sed Plaut. Captiv. *de compacto.* Itaque errant, qui in his & simillimis vocibus adjungunt notas adverbiorum. *Cerda.*

Conposito.] Sic Ter. Phorm. 5. 1. 29. *conpositofactum*, ubi Donatus: sic veteres, nos *ex.* Horat. l. 1. Od. *hora composita* pro ea, de qua convenerat inter amantes. *Emmeness.*

Rumpit vocem.] Hoc est, erumpit in vocem, & dictum est per contrarium. Nam *silentium rumpere*, est loqui: ut, *Quid me alta silentia cogis Rumpere?* *Vocem* vero *rumpere*, est tacere. Sed aliqua interdum simpliciter, interdum per contrarium intelliguntur. *Servius.*

Conposito rumpit.] In codice Longobardico, *conpositam* legas. Sed enim *conposito* adverbium eruditis magis auribus satisfacit. In Mediceo, *Rumpit* præsenti tempore est: quæ forma narrationi congruit. *Pierius.*

Rumpit vocem.] Græcorum hoc, qui ῥηγνύναι φωνήν. Usi Demosthenes, Aristophanes, Gregorius, Plutarchus, quos Budæus conjungit: adde Herodotum, quem Pet. Victor. lib. 10. cap. 8. Demum Aristidem in Rhodiaca, quem ego. Est itaque & Græcis, & Latinis *vocem rumpere*, cum quis repente quicquam edit, cum diu tacuerit. Non audiendus Serv. in loci hujus explicatione, quem lapsum flagitiose Victorius admonet. *Cerda.*

Rumpit vocem.] Imitatione Græca; pro erumpit in vocem. Dicunt enim, ῥηγνύναι φωνήν. Demosth. ἐτόλμησεν οὐδεὶς ῥῆξαι φωνήν. Aristoph. in Nub. ῥῆξατε φωνήν. Turneb. lib. 6, 21. Alias *silentium rumpere*, est loqui. Æneid. 10. vs. 64.

Quid me alta silentia cogis
Rumpere?

Nam, *vocem rumpere*, tacere est; ait Servius. Æneid. 4. vs. 553.

——— *rumpebat pectore questûs.*

Georg. 3.

——— *rumpuntur fontibus amnes,*

id est, effunduntur. Notat & Scalig. l. 4. c. 16. *Taubm.*

Et me destinat aræ.] Tanquam piaculum, & κάθαρμα. Utique hominem ἀνάθαρτον, & impurum. Non ingratum erit, si scias verbi *destino* propriam significationem: est enim alligare, & vincire, utique fortiter tenere aliquem. Indicat istam proprietatem Apulejus lib. 4. *Nobis ante fores loro valido destinatis.* & lib. 6. *lorum, quo fueram destinatus, abrumpo.* Sidonius quoque lib. 1. epist. *captus, destinatusque pervenit Romam.* Hinc *destinam* pro loro in Antiquis reperies. Inde ergo orta significatio, quæ nunc in usu apud omnes, & qua egregie admodum usus Virgilius omnium oculatissimus, nam hostiæ & victima illigabantur, illigatæque ducebantur ad sacrificium. Itaque non dubium, quin locutus fuerit cum respectu ad propriam verbi hujus significationem. Hinc videbis, quam leviter alii vatis hujus verba examinent. *Cerda.*

130. *Et quæ sibi quisque timebat.*] Ideo hoc addidit, quia dixerat, *Assensere omnes:*

Unius in miseri exitium conversa tulere.
Jamque dies infanda aderat: mihi sacra parari,
Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ.
Eripui (fateor) leto me, & vincula rupi:

Limo-

omnes: ne videretur fuisse cunctis suæ gentis invisus. aut *assensere omnes*, ad provocandum in se Trojanorum misericordiam dicit, cum eorum hostes omnes ad crudelitatem consensisse adserat. Est autem figuratius si legatur, *timebant.* Servius.

Et quæ sibi quisque timebat.] Nimirum & *vicarios* interdum Latini dicunt, qui in vicem aliorum exitio devoventur, ut ipsi suo capite procurent & luant ea, quæ aliis, aut civitati impendebant mala: ut ex carmine devotionis docet Turnebus: quod est: *Eosque ego vicarios pro me, fide, magistratuque meo, & populo Romano, exercitibus, legionibusque nostris do, devoveo.* Tale quid & apud Tacitum lib. 1. ubi de legionibus agit, quæ in seditiosos suspectæ & ipsæ rerum novarum satis aspere decreverunt: *Et gaudebat* (inquit Tacitus) *miles cædibus, tanquam semet absolveret.* German.

131. *Conversa tulere.*] Converterunt: ἓν δὶς. *Taubm.*

132. *Mihi.*] Multi posterioribus, multi prioribus jungunt. Unus tamen est sensus. *Servius.*

Parari.] Infinitus modus pro indicativo, hoc est pro *parabant:* & est figura propria historiographorum: ut Salustius, *Equitare, jaculari, cursu cum æqualibus certare:* Ut poëtarum proprium est, *Nuda genu,* &, *Torvum clamat.* Quod autem ait Cicero, *Bellicum canit;* non est figura, sed sermo naturalis. Est enim soni nomen. quidam sane *parari*, pro *parabantur* accipiunt, & ad omnia *hoc* subaudiunt. aut certe intelligendum est ligatum ante tempus sacrificii. Nam consuetudo illa, quæ supra scripta est, in ipso tempore sacrificiorum erat. *Idem.*

133. *Salsæ fruges.*] Sal & far, quod dicitur *mola salsa:* qua & frons victimæ, & foci aspergebantur, & cultri. Fiebant autem de horna fruge, & horno sale. ut Horatius, *Et horna fruge.* Idem.

Vittæ.] Quibus victimæ coronabantur. *Idem.*

Et circum tempora vittæ.] Nimirum puniendis oculi claudebantur: inde vetus illud Romanorum, *caput obnubito.* Hegesippus lib. 5. cap. 47. *dum percussor moratur, clausis jam fasciola oculis, sese proripuit ad Romanos.* Sed & cum ducerentur ad mortem, aut carcerem. Tacitus lib. 4. Annal. *trahebatur damnatus quantum obducta veste, & astrictis faucibus niti poterat, clamitans:* Imo & torquendis: Curtius lib. 6. de Philota: *dum obligantur oculi, dum vestis exuitur, Deos patrios, gentium jura invocabat.* Lipsius hæc pluribus in Not. ad lib. 2. de Cruce. Inde & Tullius pro Rabirio: *Carnifex vero, & obductio capitis, & nomen ipsum crucis, absit non modo à corpore civium Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis, auribus.* Cerda.

Circum tempora vittæ.] His enim victimæ cædendæ coronabantur & obnubebantur. Ejusmodi ornamenta capitis Græci ταινίας vocant, & complectuntur ζώνας, στεφάνους, δέσμους, διαδήματα. Ita 3. G. —— *stans hostia ad aram, Lanea dum niveâ circundatur infula vittâ.* Vide Notas ibid. & Ecl. 8. *Taubm.*

Vittæ.] De vittis, quæ diximus, vide l. 3. G. ☞. 487. iis coronabantur victimæ. inde Juvenal. Sat. 13. ☞. 63.
Quæque coronata lustrari debeat agna.
Sic Lycophr. in Cassandra στεφηφόρον βοῦν appellat, ad quem locum Meurs. *Emm.*

134. *Eripui.*] Non culpam criminis, sed innocens crudelissimam mortem, ne ea gauderet inimicus: & ne quis quærat, quomodo potuerit fugere, addit, *vincula rupi.* Donatus.

Leto.]

135 Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
Deli-

Leto.] Non sacrificio: & est hysteroproteron, prius enim erat, ut vincula rumperet, & sic fugeret. *Servius.*

Vincula rupi.] Atqui solutæ sunt hostiæ. Nam piaculum est in sacrificio aliquid esse religatum. Unde est, *Unum exuta pedem vinclis in veste recincta.* Item, *Vittasque resolvit Sacrati capitis.* Ergo vincula religionis intellige. ut, *Et vinclis innaret Clœlia ruptis*, scilicet fœderis. Nec enim obsides unquam obligantur. * Ante enim ligabantur: ut Juvenalis, *Sed procul extensum petulans quatit hostia funem.* Idem.

Eripui fateor leto me, & vincula rupi.] Hoc Ennianum sapit.

—— *Sicut equus qui de præsepibus altis*
Vincla suis magnis animis abrumpit, &c.

Et Apuleii verba congruunt l. 9. Met. *Vinculo, quo fueram deligatus, abrupto, cursu me præripio solis pedibus.* Emmeness.

135. *Limosoque lacu.*] Ut verisimilem fugam faciat, circumstantiis utitur. Notandum sane Virgilium sub aliorum persona caussam exequi nobilium: ut hoc loco Marii. Item paulo post Pompeji: ut, *jacet ingens litore truncus.* Serv.

Limosoque lacu.] Limus enim & lacus suffragabantur, ne possent insequentes intrare. Posuit & *noctem*, nam tenebræ adjuvabant. *Donatus.*

Limosoque lacu.] Scribit Servius, sub persona Sinonis hoc loco historiam Marii attingi à Poëta. Quam Servii sententiam approbant Germanus, Henric. Stephanus, & Francis. Floridus l. 1. Suc. c. 10. Historiam ipsam narrant Plutarchus, Velleius lib. 2. Orosius l. 5. c. 19. Valerius Max. Ovid. 4. de Pont.

Ille Jugurthino clarus, Cimbroque triumpho,
Quo victrix toties Consule Roma fuit,
In cœno jacuit Marius, cannaque palustri,
Pertulit & tanto multa pudenda viro.

Lucanus etiam lib. 2.

Exul limosa Marius caput abdidit ulva.

Cum mens ista Servii ita sit plausibilis, cur non historiæ aliæ adumbrari à vate potuerunt? De Metio Livius lib. 1. *Metius in paludem sese strepitu sequentium trepidante equo conjecit.* De eodem Fabius Pictor lib. 2. de orig. Italiæ: *Romulus redintegratis viribus, & ipse à fronte cædebat, adeo, ut Metius in paludem sese cum equo armatus injiceret.* De Antonio etiam simile quid narrat Plutarchus in vita Bruti: *Antonium dicunt initio pugnæ hostium congressum evitavisse, atque in paludem sese recepisse.* Demum cur non allusit (hoc credo verius) ad historiam ipsius Augusti? de quo Plinius lib. 7. c. 45. narrans incommoda, quæ illi, etiamsi felicissimo, acciderunt, ita ait: *Philippensi prælio morbus, fuga, & triduo in palude latebræ ægroti.* Atque eo magis credo, hanc fuisse mentem Poëtæ in sui gratiam Principis, indigna passi, quo certius est hoc confictum à Virgilio. Calaber enim, Homerus, Tryphiodorus, qui loquuntur de Sinone, nihil tale dicunt. imo Plautus in Bacchidib. expresse ait, latuisse Sinonem in sepulchro Achillis, ita enim ait: *Menesilochus Sinon est. Relictus ille non in busto Achillis, sed in lecto accubat.* Cerda.

Per noctem obscurus.] Bona elocutio est, rem temporis ad personam transferre: ut, *Matutinus venit.* Servius.

Ulva.] Herba palustris. Sane in arte rhetorica, omnem narrationem cum rei partibus dicunt convenire debere loco, tempore, materia, causa, persona. Hic ad singula respondetur, nam Persona Ulyxis ponitur ad fallendum aptissima. Causa, quia timeret ne ultor esset Palamedis. Tempus ad nocendum aptissimum, cum sibi quisque timeret. Modus agendi, *Bis quinos silet ille dies.* Materia, *Salsæ fruges & circum tempora vittæ.* Locus, *Per noctem obscurus in ulva Delitui.* Idem.

Ulva.] Timiditatem maximam simulat: ut cum in loco esset, ad quem nulli esset aditus, tamen in eo quæreret latebras. *Ulvam* dicunt rem, quam vulgus

Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.
Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi;
Nec dulcis natos, exoptatumque parentem:

Quos

vulgus *budam* vocat: sed nihil interest, quæ species sit herbæ, modo illum occultare posset. *Donatus.*

136. *Vela darent.*] Ut ostendat suos plus, quam Trojanos timuisse. *Idem.*

Vela darent.] In I. *vela dabant læti*; Livius lib. 25. *vela in altum dedit*. Hirtius: *Imprudentes vela in altum dederunt*. Cic. *vela do*. Cerda.

Si forte dedissent.] Medium se præbet. Nam nec negat, nec confirmat eos navigasse; ne aut eis demat securitatem: aut quod supra dixit, falsum sit, non posse navigare Græcos, nisi homine immolato: id est, quia jam scire non poterat, quid facturi essent, cum ipse fugisset, ut Trojanorum sit, quicquid elegerint: & artis est, in argumentorum angustia, incertis uti sermonibus. *Servius.*

137. *Nec mihi.*] Ponit consultationem, quam in lacu habuit. Hinc enim nisi navigarent, erat periculum vitæ: si navigassent, privabar *antiqua*, id est, magna patria. Vel *antiqua*, id est, cujus affectum diuturnitas temporis accumulaverat, & filiorum, & parentum: & singula singulis dedit. *Patriam antiquam* dixit, *natos dulceis*, *expectatum patrem*, in quibus rebus occurrunt pejora, quod Græci illos essent occisuri propter suam fugam piandam, quod erat necessarium. Hæc autem omnia dicta sunt, ut faceret verisimilia, quæ fingebat. *Donatus.*

Antiquam.] Caram. Et bene commemorat liberos & parentem: ut ostendat, se non deseruisse ut vilem, sed mortis fugisse terrorem. Et bene ignotos finxit sibi liberos & parentem, ut major miseratio ex pluribus nasceretur. Quidam sane non *dulces*, sed *duplices* legerunt, quia *dulces* lene esset & commune epitheton liberorum. *Servius.*

Antiquam.] Quæ hæc antiqua patria Sinonis? Servius *caram* accipit. Reprehenditur à Parrhas. Com. in Claud. qui vult debere Argos accipi oppidum Peloponnesi: quod videlicet hoc primum Phoroneus Regiam sibi condiderit, ut de quorundam sententia Plin. scribit: deinde, quia Sophoc. in Elect. Argos laudat à vetustate. Verba Sophoclis, quæ Parrhasius non affert, hæc sunt: τὸ γὸ παλαιὸν Ἄργος, ὃ ποθεῖς, *antiquum Argos, quod desideras*: tertio, quia Pap. lib. 3. Theb. scripsit:

Quicquid & Asopum, veteresque interjacet Argos.

Hæc quamvis vera sint, in hoc tamen loco explicando hæserim libentius Turnebo, qui nihil tale agnoscit: sed cum Sinon se transfugam simulet, qui jam solum mutarit, & patriam velut novam, novasque sedes exilio quæsierit, cum appellare patriam antiquam, patriam pristinam, cujus jam solum verterit, & cujus amiserit jus, qui se in aliam velut dicarit, priore deserta; est enim antiqua patria, à qua demigratum vel à colonis, vel exsulibus, vel transfugis. Sic Tyri urbs antiqua dicitur patria Didûs,

Namque suam patria antiqua cinis ater habebat,

& in 4.

— *& Troja antiqua maneret.*

erat enim eversa, & Æneas quærebat alias sedes. De amore erga patriam, unde moventur hi affectus, dictum in Bucol. illis adde verba hæc Tacit. de morib. Germ. *Quis porro præter periculum horridi, & ignoti maris, Asia aut Africa, aut Italia relicta Germaniam peteret? informem terris, asperam cœlo, tristem cultu, aspectuque, nisi si patria sit?* Cerda.

138. *Dulcis natos.*] Proprium hoc liberorum est epitheton. Lucret l. 3.

At jam non domus accipiet te læta, neque uxor
Optima, nec dulces occurrent oscula nati.

Maro

Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent
Effugia, & culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te, per superos, & conscia numina veri,
Per,

Maro l. 3. Georg. ℣s. 178.

Sed tota in dulcis consument ubere natos.

& l. 4. Æn. ℣s. 33.

Nec dulcis natos, &c.

Horat. l. Epod. od. 2. *dulces liberos.* Huc facit illud Phædr. l. 3. f. 8. *amplexus utrumq;* (id est filium & filiam) *ille* (nempe pater) *& carpens oscula*, dulcemque *in ambos* caritatem *partiens.* Emmeneß.

139. *Quos illi.*] De quibus illi. *Serv.*

Fors ad pœnas.] Forte & pœnas. Alii jungunt *fors*; &, ut sit *forsitan.* Et bene elicit misericordiam: ostenditque, non se habere causam redeundi post mortem suorum, ne eum Trojani non reciperent, suspicantes ad suos quandoque rediturum. *Idem.*

Ad pœnas ob nostra reposcent effugia.] Videtur hîc Poëta respexisse antiqui juris Romanorum & Græcorum consuetudinem, quæ obtinuerat, ut civium liberi tanquam Reipub. oppignerati, & dati obsides paterna luerent & præstarent delicta, tum ut cura liberorum & metu coërcerentur, & in officio continerentur patres, tum ne privata, ob editum in patres exemplum offensa, ulcerato & alienato à patria animo, liberi in res novas propensiores laberentur. Cujus rei sunt apud Jurisconsultos monumenta quædam & reliquiæ: ejusque fidem facit nobis in epistola ad Atticum Cicero: qua licet non omnino Antonii liberis iniquus videatur, tamen paterni exilii comites Themistoclis liberos per Græciam erravisse, & eguisse testificatur. Cujus consuetudinis vel legis acerbitatem innuere videtur Plato in Critone sub persona Socratis fugam arripere, quam Crito patefaciebat, detrectantis, his verbis: σκόπει γὰρ δὴ ταῦτα παραβὰς καὶ ἐξαμαρτών τι τούτων, ὅτι μὲ γὰρ κινδυνεύσουσι γε σου οἱ ἐπιτήδειοι καὶ αὐτοὶ φεύγειν καὶ στερηθῆναι τῆς πόλεως, ἢ τὴν οὐσίαν ἀπολέσαι χεδόν τι δῆλον. Effugia autem ἀποδεχθεῖς. Ut autem hîc *exoptatum parentem*, Græci φίλον πατέρα, & πόσιν· Eurip. in Med. αὐτὴ πρὸς αὐτὴν πατέρ' ἀποιμώξῃ φίλον. & passim. *Germanus.*

140. *Effugia.*] Pro*fuga*, dicimus & *effugium*; sicut *lana* & *lanitium.* ut, *Si tibi lanitium curæ.* Hinc est *æquitas* & *æquum.* Sed hic dicendo *effugia*, verbo sacrorum & ad causam apto usus est. Nam hostia, quæ ad aras adducta est, immolanda, si casu effugeret, *effugia* vocari vetere more solet, in cujus locum quæ supposita fuerat, *succidanea*, si gravida fuerat *forna* dicitur, quæ sterilis autem est *taurea* appellatur, unde *ludi Taurei* dicti, qui ex libris fatalibus à rege Tarquinio Superbo instituti sunt, propterea quod omnis partus mulierum male cedebat. Alii *ludos Taureos*, à Sabinis propter pestilentiam institutos dicunt, ut lues publica in has hostias verteretur. *Servius.*

Culpam hanc.] Vel quod fugi, vel quod me defensorem Palamedis dixeram. *Idem.*

Piabunt.] Expiabunt: & τῶν μέσων est. Nam plerunque & *impiare* significat. Hic tamen *piabunt* bene addidit, quia nisi per sanguinem diis accepta hostia non est, quod merito ex persona Sinonis inducitur, quia fatetur sacra per suam fugam fuisse violata, & vult etiam beneficiis sibi debitores esse Trojanos, * quod interim Græci obligati sunt. *Idem.*

141. *Quod te per superos.*] Propter quod & infinita narratione subjungit Epilogos neque * n. q. non putaret credituros argumenta subjicere debuit: Sane per hujusmodi preces ostendere vult, vera se dicere. *Idem.*

Per superos.] Quos non latet veritas. *Donatus.*

Quod.] Vult Turnebus redundare hanc particulam, ut Græcis sæpe ὅτι.

Asco-

Per, si qua est, quæ restet adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum: miserere animi non digna ferentis.
His lacrimis vitam damus, & miserescimus ultro.

Ipse

Asconius, *quod*, pro, quocirca. Ita in 6. *Quod te per cœli, &c.* Hoc jam alii. *Cerda.*

Conscia numina veri.] Bene medium tenuit: Nam ea numina invocans, quæ sunt conscia numina veritatis, quia & Pontifices dicunt, singulis actibus proprios deos præesse. Hos Varro *certos deos* appellat. *Servius.*

142. *Per, si qua est.*] Aut diasyrtice ridet, aut certe hoc ait; si aliqua est fides, quam cum sibi non adscribit, facit uti nec esse credatur. *Idem.*

Per, si qua est, quæ restet.] Sciebat apud se non esse fidem, unde arbitrabatur apud nullos esse. Et cum persona sua esset odiosa, quia hostis, movet misericordiam à suis calamitatibus. Priamus autem ut omnia vera eliceret, deposita regia auctoritate, ut amicus cum hoste locutus est. *Donatus.*

Per, si qua est, quæ restet adh. mort. usque intemerata fides.] Observanda est in hac particula *per* frequens apud Maronem Grammatica anomalia, ut quæ non satis ad exactos Grammaticæ canones coërceri possit. Etenim hic dicendum videretur, ut orationis structuræ, & normiæ satisfieret, *per, si qua est, quæ restet, intemeratam fidem.* Sed eadem Poëtica libertate & lib. Æn. 6. Virgilius videtur usus eo loco:

—— *per sidera juro,*
Per superos, &, si qua fides tellure sub ima est:

& Æn. 12.

Turne per has ego te lacrymas, per, si quis Amatæ
Tangit honos:

& Æn. 10. —— *Unum*
Hoc per, si qua est victis venia hostibus, oro,
Corpus humo patiare tegi. Germ.

Per, si qua est, quæ restet, &c. intemerata fides.] Multas deprecandi formulas congessit Brisson. in initio l. 8. Quantum ad constructionem, in relativo hic deest casus primus: *oro per fidem si qua fides est, &c.* vide Sanct. Minerv. p. 93. 94. *Emmenessius.*

Restet.] Supersit. *Servius.*

Usquam.] Quia apud Græcos dicit fidem esse corruptam. *Idem.*

143. *Intemerata.*] Incorrupta vel integra. alii tamen volunt *intemerata* de libris sacris, commutatis literis, esse præsumptum; *timaram* enim fidem, id est, sanctam appellabant, ut sit sensus, oro per fidem vehementer sanctam, si tamen est usquam penes homines. *Servius.*

Oro.] Ordo est, Quod te oro per superos. *Idem.*

Laborum.] Periculorum, malorum. *Idem.*

Miserere.] Quidam pro *misereare* accipiunt. *Idem.*

145. *His lacrimis vitam damus.*] Vere scripsit Tacit. 4. Ann. *Sunt molles in calamitate mortalium animi.* & Virg. in extremo:

Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat. Cerda.

Miserescimus ultro.] Aut per se plenum: aut cohæret sequentibus: quia non potest primis. Dicimus enim aut *illam rem miseror*, aut *illius rei misereor*; non *illis*. Quidam, *miserescimus* pro *miserescimur*, genus inchoativum volunt, ut *horreo horresco*, *gelo gelasco*, aliter *lentesco* inchoativum nullo præcedente verbo: neque enim est *lento* ut sit *lentesco*. Servius.

Ultro.] Non est *sponte* (nam rogaverat Sinon) sed *insuper*. Et venit ab eo quod est *ultra*: quia plus quam rogaverat, præstiterunt. *Idem.*

146. *Ipse.*]

Ipse viro primus manicas atque arta levari
Vincla jubet Priamus; dictisque ita fatur amicis:
Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Graios;
Noster eris: mihique hæc edissere vera roganti,

Quo

146. *Ipse.*] Ἐμφατικῶς, non alius. Vide eloquentiæ vim. Sententiam Virgilii ita reddit Lucanus lib. 2.

—— *astrictis laxari vincula palmis*
Imperat. Cerda.

Manicas.] Vincula manuum esse, dictum l. 4. Georg. ℣ſ. 349.

—— *Manicisque jacentem*
Occupat. Proprie autem vestium dicuntur, ut Non. Marcell. ex Marone nostro l. 9. ℣ſ. 616.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Sæpe etiam manuum integumenta hoc nomine veniunt, quorum usus erat in pugna. Juvenal. Sat. 6. ℣ſ. 255.

Balteus & manicæ & cristæ, &c.

Hoc loco manuum vincula. Lucil. l. 30. *Si laqueis, manicis, pedicis mens irretita est.* Plautus Asinar. 2. 2. 38. *ubi manus manicæ complexæ sunt.* Quæ pedes ligant *pedicas* nominat Isidor. l. 5. c. 27. vel *compedes.* Horat. l. 1. Epist. 16. *tollas licet in manicis & compedibus.* Emm.

Arta vincla.] Pro *vincula* per syncopem dictum. Aut epexegesis manicarum est: aut utrunque habuit. *Serv.*

Arta.] Antiqui plerique codices, *arta* habent absque *c.* curque id ita fieri solitum, Grammaticorum veterum dictata alibi citavimus. *Pierius.*

Arta vincla.] Vide not. nostras l. 4. Georg. ℣ſ. 297. His adde disputationem Dausquii, qui antiquam, immo antiquatam scribendi formam per *c* censet. *Levare* hic *exuere*, ut ℣ſ. 153.

Exutas vinclis palmas.

Secundum Non. Marc. & sic Poëta:

—— *Serviat æque*
Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva.

& Cic. Tuscul. quæst. l. 1. c. 49. *emittique nos è custodia & levari vinculis arbitremur.* Emmeness.

148. *Quisquis es, &c.*] Licet hostis sis. Et verba sunt, ut habemus in Livio, imperatoris, transfugam recipientis in fidem: *Quisquis es, noster eris.* Item, *Vigilasne deûm gens*: verba sunt, quibus pontifex maximus utitur in pulvinaribus: quia variam scientiam suo inserit carmini. *Servius.*

Hinc jam.] Aut ex hoc tempore, aut ex hac oratione, qua tibi salutem in tuto polliceor: aut ex eo, quod te dicis Ulyxis factione laborasse. *Idem.*

Amissos obliviscere.] Ut *obliviscor injurias tuas Clodia* * dn n. & *amissorum obliviscere.* Et *obliviscere* quidam pro *contemne*, vel *neglige*, ut *oblitus fatorum.* Idem.

Amissos.] Scottus lib. 2. obs. Poët. c. 59. ex Quintiliano antiquis delectatum vocibus dicit Maronem & affectasse interdum archaismos. Sic Terent. Phorm. 1. 2. 91. *nunc amitte quæso hunc.* pro dimitte. Vide Donatum. *Emmeness.*

149. *Noster eris.*] Aperta benevolentia, cum recipiat eum pro cive. *Donatus.*

Noster eris.] Familiaris est locutio: observavit Lips. 4. Ant. Lect. cap. 20. Plaut. Truc. *Tanto melior, noster esto, sed de tuo vivito.* & Bacchid.

—— *Puero sic dicit pater,*
Noster esto, dum te poteris defensare injuria.

& Mil. *Heus noster esto.* Sic corrigendus locus. His Lipsianis adde Tryphiodorum, apud quem Priamus eundem Sinonem sic compellat, ἡμέτερος φίλος ἔσσεαι: *Amicus noster esto.* & Aristophanem, qui in Irena pari forma:

Οὐ γὰρ ἡμέτερος ἔτ' ἐστ' ἐκεῖνος ἀνὴρ, ἀλλὰ σός:
Nam neque ille noster est nunc amplius, verum tuus.

Etiamsi hoc de familiaritate verum sit,

Quo molem hanc immanis equi ſtatuere? quis auctor?
Quidve petunt? quæ relligio? aut quæ machina belli?
Dixerat. ille dolis inſtructus & arte Pelaſga,
Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas:

Vos,

tamen puto melius poſſe locum hunc explicari, ut loquatur cum diſcrimine ad Græcos. In Tullio pro leg. Manilia obſervavi, *nos*, & *noſtros* opponi exteris nationibus, & gentibus. Id ipſum in Demoſthene, qui ἡμεῖς pro Græcis, accipit cum oppoſitione ad barbaros. Ergo *noſter eris*, erit, Tranſibis jam in jura & domicilia Trojanorum, & deſines eſſe Græcus. *Cerda.*

Noſter eris.] Sic *Daphnin tuum* Ecl. 5. ✝ſ. 51. vide Not. & Ter. E. 1. 2. 39. *hoc munere arbitrantur* ſuam *Thaidem eſſe*. & Phorm. 1. 2. *illa quidem* noſtra *erit*. Emmeneſſ.

Mihi.] Scilicet regi, qui poſſem tormentis inquirere veritatem, & ſimpliciter quæro. vel *Mihi*, qui te ſervavi, & in meorum numerum recepi. *Donat.*

Mihi.] Verbum ſcrupuloſe interrogantium eſſe, *mihi*, monet Donatus Phorm. 2. 3. 32. ubi: *mihi ut reſpondeas*, id eſt, patri, domino, ſeni. ſic hoc loco *regi*. Emmeneſſ.

Ediſſere vera.] Hic diſtinguendum. Vera enim audire deſiderat. *Ediſſere* autem, *ordine cuncta narra*; unde qui plane loquuntur *diſſertores* fiunt & *diſerti* vocantur. Sane hoc ab illo Priamus exigit, quod ipſe ei ſtatim obtulit: *Cuncta equidem tibi Rex.* Servius.

Hæc ediſſere vera.] Ἀτρεκέως κατάλεξον. *Taubmannus.*

150. *Quo molem.*] Quam ob cauſſam, in quem uſum; & ad hoc reſpondet Sinon, *Non recipi portis.* Et eſt color, qui in conjecturali ſtatu ſæpe requiritur. hunc tamen equum quidam longum centum viginti, latum triginta fuiſſe tradunt, cujus cauda, genua, oculi moventur. *Servius.*

Quo molem.] Breviſſima propoſitio, ſed perfecta. Quæſitum eſt, cur equus eſſet factus, cur tantæ magnitudinis, quo auctore: utrum religionis, an belli cauſa. *Donatus.*

Quo.] *Cur.* vide Scal. l. 4. c. 16. ſic Juvenal. Sat. 8. ✝ſ. 9.

—— *effigies quo, &c.* Emm.

Quis auctor.] Ad hoc reſpondet, *Calchas attollere juſſit.* Servius.

Auctor.] Per *c* amant ſcribere, qui in orthographicis primas tenent. diſputationem habet luculentam Dauſquius, an legendum *auctor*, *autor*, *author*. Emmeneſſ.

151. *Quidve petunt.*] Quid deſiderant? utique placetur Minerva. *Serv.*

Quæ relligio.] Quæ conſecratio. *Idem.*

Machina belli.] Ecce ſubtiliter ſecutus eſt hiſtoriam, machinamenti bellici mentionem facit, & ſervat dignitatem regiam. Breviter enim reges interrogant, non ut minores, quos plus loqui neceſſe eſt. *Idem.*

152. *Dolis & arte.*] Unam rem ſecundo dixit: quia *ars* τῶν μέσων eſt, ſicut ſupra diximus. *Idem.*

Ille dolis.] Quaſi dicat, natura ſua, & arte Pelaſga, id eſt, mandatis ſuorum: & oſtendit nullum Græcum carere dolis. *Donatus.*

Dolis inſtructus & arte Pelaſga.] In verbo *inſtructus* nota vafritiem, non vulgarem, quaſi dolus ars eſſet, & publica diſciplina; utque alii mortalium ſcientias alias, ipſi fraudes addiſcerent. Silius lib. 4.

Calliditas Graja, atque aſtus pollentior armis.

Inde verba *græcari*, *pergræcari*, *congræcari*, non ſolum de laxo vitæ genere, ſed etiam de fraudibus. *Cerda.*

Dolis inſtructus.] Petron. *ad fata compoſitus Sinon.* Emmeneſſ.

153. *Ad ſidera.*] Ad locum ſiderum, vel quia ſemper ſunt ſidera, ſed Solis ſplendore vincuntur. *Servius.*

Suſtulit

Vos, æterni ignes, & non violabile vestrum
Testor numen, ait: vos aræ, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittæque deûm, quas hostia gessi;

Fas

Sustulit exutas, &c.] Ex more hoc dictum, quo cum precabantur, manus ad cœlum tendebant. sic lib. 9.

Agnovit juvenis, duplicesque ad sidera palmas
Sustulit ——

lib 10.

Et duplices cum voce manus ad sidera tendit,

ibid. *& ambas Ad cœlum tendit palmas.* lib. 12. *tenditque ad sidera dextram.* Horat.

Cœlo supinas si tuleris manus.

Aristoteles de mundo: *πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐχὰς ποιούμενοι: omnes homines ad cœlum manus tollimus preces facturi.* Xenoph. 6. Pæd. *τὰς χεῖρας ἀνατείνειν πρὸς τὸν οὐρανόν. Cerda.*

154. *Æterni ignes.*] Aut ararum, quas fugit: ut exsecratio sit propter posteriora. *Servius.*

Vos aræ.] Aut certe Solem & Lunam significat. *Exsecratio* autem est adversorum deprecatio: *Jusjurandum* vero, optare prospera. *Idem.*

Vos æterni.] Juravit, sed subtiliter. Nam Trojanos fallit, & non prodit arcana suorum. Adhibuit jusjurandum, quia non videbatur verisimile, illum suorum secreta sine tormentis prodere. Testatus est igitur, non propter narrationis veritatem, sed propter licentiam, quasi proditionis. *Donatus.*

Æterni ignes.] Libentius hîc sidera accipio, quam ignes ararum: hæc vocat ignes æternos, & Numen inviolabile. atque adeo initium testationis à cœlo capit, & sideribus, ad quæ manus tetendit. Alii ignem Vestæ capiunt. Parrhasius *Penates.* nam Sinon simulat, vereri se offensam Penatum, si credat hostibus secreta patriæ, cujus cura dedita est Deis Penatibus. Notanda vero testationis hujus gravitas, ut vel ex magnitudine invocationis rem magni ponderis se dicturum indicet, & quæ cedat in maximam Trojanorum utilitatem. Convenit autem Sinonis factum cum Risacis, qui eodem juramento Darium decipit, in Sacas expeditionem facientem, ut est apud Polyænum lib. 7. *Cerda.*

Non violabile.] Quod Græci * *ἀβίαστον* dicuntur. *Servius.*

155. *Vestrum numen.*] Quia secundum Philosophos dicuntur sidera elementa esse, & habere proprias potestates. *Idem.*

Testor.] Modo *juro.* Alibi *testificor:* ut, *Testor in occasu vestro.* Idem.

Testor.] Hoc verbo deos testabantur. Livius lib. 9. *Jovem, Martem atque alios testatur Deos.* Cicero 13. Philipp. *Testor & vos, & Pop. Rom. & omnes deos, qui huic urbi præsident.* Vide Briss. Formul. lib. 8. *Taubm.*

Ensesque nefandi.] Invidiose ad pluralem transit numerum. Terentius, *Non perpeti meretricum contumelias.* Servius.

156. *Vittæque Deûm.*] Aut qui habentur in honore deorum, aut quas habent simulachra vittas; & multi hic distinguunt, & sic subjungunt, *deûm quas hostia gessi.* Idem.

Quas hostia gessi.] Consuetudo apud antiquos fuit, ut qui in familiam vel gentem transiret, prius se abdicaret ab ea, in qua fuerat, & sic ab alia reciperetur, quod hic ostendit, dicit enim Sinon, jure jam se Trojanorum civem esse, quia apud Græcos hostia fuerit, * adeo nec pro homine, nec pro cive habitus sit. *Gessi* autem *pene,* non enim vere gesserat: sed quantum ad Græcos pertineret, qui eum immolaturi fuerant, dixit. *Idem.*

Vittæque Deûm, quas hostia gessi.] In antiquis aliquot exemplaribus, punctum

Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus ullis.

Tu

ctum observavi ante *Deum.* ut sit: *quas gessi deûm hostia.* Servius tamen *deûm vittas* mavult legere. *Pierius.*

Vittaque Deum, &c.] Vittæ in ministerio Deorum, templorum, altarium. Primum firmat hic locus, & Juvenal. Satyr. 6. *Cereris vittas contingere.* alterum Stat. 4. Sylv.

Pande fores superûm, vittataque templa.

tertium Virgil.

— *Molli cinge hæc altaria vitta.*

de aliis usibus alibi. Sed hic nescio qua lubentia feror, ut vittæ non dicantur Deûm, sed ante Deûm sit interpunctio, hac sententia; *testor vos vittæ, quas gessi Deûm hostia.* aperit hoc Serv. Pet. Dan. in Variis lect. ad hunc librum. Ab hoc non abest Lucretianum illud, de Iphigenia jam immolanda:

Cui simul infula Virgineos circumdata comptus
Ex utraque pari malarum parte profusa est. Cerda.

Hostia.] Victima est dicta, quod dii per illam hostientur, id est, æqui & propitii reddantur, unde *hostimentum* æquationem. *Servius.*

157. *Fas mihi.*] Subaudis *sit.* Et bene à diis petit veniam, ne videatur proditor. Nam & hæc, quæ dicturus est, tacuit, antequam audiret; *Noster eris.* Si enim voluntate proderet, sequebatur, quod ait Cicero, *Nemo unquam sapiens proditori credendum putavit.* Aut fas mihi ideo, quia non licet solvere sacramentum militare adversariis vel hostibus. ideo dixit, liceat arcana dicere, & cum ostenderit se rem dicere, quam non licet ei facilius credetur. *Idem.*

Fas mihi Grajorum.] Quasi jam ipse Græcus non esset: vel, illi ejus socii non fuissent. & liceat eos odisse, qui cives mei esse noluerunt. *Donatus.*

Sacrata resolvere jura.] Ut non incidat in sacramenti pœnam: nam miles legibus sacramentorum rogabatur; ut exiens ad bellum juraret, se nihil contra Rempublicam facturum. Militiæ tria sunt genera. Plerunque enim *evocati* dicuntur: & non sunt milites, sed pro milite. Unde Salustius, *Neu quis miles neve pro milite.* Item, *Ab his omnes evocatos in Centuriones.* Plerunque *tumultuarii*, hoc est, qui ad unum militant bellum. Plerunque *sacramento rogati*: quia post electionem in rempublicam jurant, sicut dictum est: Et hi sunt, qui habent plenam militiam. Nam & viginti quinque annis tenentur. Hæc tria genera tangit Virgilius: Sacramenti, hoc loco. Tumultuarii, *Simul omne tumultu Conjurat trepido Latium.* Evocationis, *Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem.* Servius.

Sacrata resolvere jura.] *Jus sacratum* dicit, quod Sacramenti militaris religione teneri videbatur. nam jurejurando, id est, fide sacrabatur. Cic 3. Offic. *Fide sacratum jus perpetuo falleret:* Turneb. l. 6. cap. 21. Græci ὅρκον ϛρατικὸν appellant; de quo Pollux lib. 8. cap. 30. Et nos 8. Æn. *Taubm.*

158. *Fas odisse viros.*] Ut supra dictum est, omnia Diasyrtice loquitur. Nam & ad Græcos possunt, & ad Trojanos referri. Et *Odisse*, hic præsentis temporis, quod non facit *odere.* Serv.

Atque omnia ferre sub auras.] Hinc videtur subtiliter non se implicare perjurio, ipse enim lectos hostes produxit ex equo, *Et pinea furtim laxat claustra Sinon.* Et hoc vult credi contra Græcos dicere, cum pro ipsis dicat. *Idem.*

Omnia ferre sub auras.] Sophocl. in Electra: ὁ δὲ πᾶν ἀναπτύξας πρέπει πρὸς φῶς. *Germanus.*

159. *Si qua tegunt.*] Vel callide occultant, vel propterea quia latent in equo. *Servius.*

Teneor patriæ.] Plus est voluntate, quam

Tu modo promiſſis maneas, ſervataque ſerves
Troja fidem; ſi vera feram, ſi magna rependam.
Omnes ſpes Danaûm, & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis ſemper ſtetit: inpius ex quo
Tydides ſed enim, ſcelerumque inventor Ulixes,
Fatale

quam legibus retineri. Alterum eſt ex ſtudio puræ mentis, alterum ex neceſſitate. *Donatus.*

Nec legibus ullis.] Si Græcorum: propter *Noſter eris.* ſi Trojanorum, quia Græcus. Alii ita: nullis naturæ legibus, quibus fas non eſt patriam prodere, & volunt hoc eſſe, *Sacrata reſolvere jura.* Servius.

Teneor patriæ nec legibus ullis.] Tales ἐκσπόνδους Græci vocant, excluſos ſcilicet, vel ſolutos fœdere & ſocietate. *Germanus.*

Teneor patriæ nec legibus ullis.] Aldus diſtinguit:

—— *teneor patriæ, nec legibus ullis*: ut ſit Græca figura: pro,

Nec teneor patriæ, nec legibus ullis. Oſtendit, ſe plane factum eſſe Trojanum. *Taubm.*

160. *Tu modo.*] Pro *tantummodo*. Serv.

Tu modo.] Pro, tu Troja, conſervatori tuo fidem ſerva. *Donatus.*

Promiſſis.] Pro *in promiſſis.* Servius.

Promiſſis maneas.] Helleniſmus. Sophocl. Ajace, ἐμμένειν νόμῳ. Æn.8.

—— *tu dictis, Albane, maneres.*

Servius Dan. *Promiſſis manere*, dictum ait; pro, *in promiſſis.* Taubm.

Servataque ſerves.] Reſpectum ad illud Tragici vult Germ. σωθεὶς σῶσον: *ſervatus ſerva.* Non abit à Virgilio illud Propertii lib. 1. eleg. 18.

Si modo ſola queant ſaxa tenere fidem.

Sic 12. Æn. *enſis perfidus.* Datur itaque fides, aut infidelitas rebus inanimis. Ab Noſtro Sen. ep. 92. *in qualibet rerum habitu ſervata ſervat.* Cerda.

161. *Serves Troja fidem.*] Magnificentius, quam ſi diceret *Trojani*; quia quod rex promittit, videtur reſpublica polliceri *Servius.*

Vera feram.] Pro *dicam.* Idem.

Magna rependam.] Magna præmia reſolvam pro mea impunitate: & videtur duo promittere Trojanis; primo veriloquium, deinde ſalutem ex ſuorum proditione. Alii volunt dubium eſſe, *Vobis feram*, *Græcis rependam.* Idem.

Rependam.] Quaſi dicat, tantum recipiat quantum dederit, id eſt, ut ſalutem mereatur, ſalutis auctor. *Donatus.*

Rependam.] Sunt antiqui codices, in quibus *repandam* ſcriptum inveni: ſed id potius inſcitia librarii, quam pro *manifeſtare* ſit poſitum. Nam magna rependere pollicetur Sinon: qui jam vitæ, ac libertatis præmia ſit conſequutus. *Pierius.*

162. *Omnis ſpes Danaûm.*] More ſuo à veris incipit. Nam & favet Minerva Græcis: & conſtabat raptum eſſe Palladium. *Servius.*

Omnis ſpes.] Reſpondet ultimæ parti, ut fallendi promptior pateret occaſio, & primo unius criminis invidiam, pluribus criminibus accumulat in Ulyſſe: & oſtendit Minervam graviter iratam ſacrilegis. *Donatus.*

163. *Inpius.*] Propter numina vulnerata. *Servius.*

Ex quo.] Vel die, vel facto. *Idem.*

Ex quo.] Scil. *tempore*, ut Eclog. 7. ℣. 70. notatis illic adde Sanctii interpretationem in Minerva p. 345. infra ℣. 169. *ex illo ſpes fluere, &c.* ille plura. *Emmeneſſ.*

164. *Tydides ſed enim.*] Hyſteroproteron eſt; Sed enim ex quo impius Tydides. Hyſterologia, unius ſermonis: ut, *Tranſtra per & remos.* Servius.

Scelerumque inventor Ulyſſes.] Propter ſe & propter Palamedem, factione occiſum. *Idem.*

Fatale adgressi sacrato avellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,

Corri-

Inventor scelerum.] Qui nunquam invenit, quod probari potuisset. *Donatus.*

Scelerumqne inventor Ulysses.] Allusum ad parœmiam, *Ulysseum commentum*, quod de callido & vafro homine dictum, Οδυσσείη μηχανή. Inde ab Homero jam πολυμήχανος dicitur, jam δολόμητις à machinamentis, & dolis inveniendis: & à Lycophrone λαμπτηρεὺς, διὰ τὸ πανοῦργον εἶναι, quod scelerum architectus, ab Nostro in 6: *Hortator scelerum.* Observata hæc aliis. Tu lege Junium cent. 1. adag. 14. *Cerda.*

165. *Fatale.*] Τῶν μέσων est. Nam & quod custodit, & quod interimit pro loco intelligitur. *Servius.*

Fatale.] In quo staret fatum Græcorum. Dixerat enim *Palladis auxiliis.* Donatus.

Fatale adgressi sacr.] In singulis singula sunt genera sacrilegii. *Idem.*

Avellere.] Ostendit invitum numen esse sublatum. *Servius.*

Avellere.] Ut cum sacrilegio esset crimen violentiæ. *Donatus.*

Fatale adgressi sacrato avellere templo.] Ex hoc Palladis simulacro fata Trojæ pendebant, quæ recitantur lib. 13. Met. ab Ovidio ℣. 98.

Conferat his Ithacus Rhesum, imbellemque Dolona,
Priamidemque Helenum rapta cum Pallade captum.

& ℣. 336. —— *Trojanaque fata retexi*
Quam rapui Phrygiæ signum penetrale Minervæ.

Vide etiam Sil. Ital. l. 13. in principio:

Sed Calchas Danais, nisi clausum è sedibus arcis
Armisonæ curent simulacrum avellere divæ,
Non unquam affirmat Therapnæis Ilion armis
Cessurum, & seqq. Emmeness.

166. *Palladium.*] Helenus apud Arisbam captus à Græcis est: & indicavit coactus fata Trojana: in quibus etiam de Palladio. Unde dicitur à Pyrrho regna meruisse: quanquam præstiterit Pyrrho, ut non ea die, qua Græci cæteri, navigaret, dicens omnes Græcos (quod & contigit) naufragio esse perituros. Alii dicunt Helenum non captum, sed dolore, quod post mortem Paridis, Helena, judicio Priami, non sibi, sed Deiphobo esset adjudicata, in Idam montem fugisse, atque exinde, monente Calchante, productum de Palladio pro odio prodidisse, tunc Diomedes & Ulyxes, ut alii dicunt, cuniculis: ut alii, cloacis ascenderunt arcem: & occisis custodibus sustulere simulacrum; Qui cum reverterentur ad naves; Ulyxes, ut sui tantum operis videretur effector, voluit sequens occidere Diomedem, cujus ille conatum cum ad umbram Lunæ notasset, religatum præ se usque ad castra Græcorum egit. Ideo autem hoc negotium his potissimum datur, quia cultores fuerunt Minervæ. Hoc quum postea Diomedes haberet ut quidam dicunt (quod & Virgilius ex parte tangit, & Varro plenissime dicit) credens sibi non esse aptum, propter sua pericula, quibus nunquam cariturum responsis cognoverat, nisi Trojanis Palladium reddidisset, transeunti per Calabriam Æneæ offerre conatus est. Sed ille velato capite sacrificans cum revertisset, Nautes quidam accepit simulachrum. Unde Minervæ sacra non Iulia gens habuit, sed Nautiorum. Hinc est in quinto, *Unum Tritonia Pallas Quem docuit.* Quanquam alii dicant simulachrum hoc à Trojanis fuisse absconditum, intra extructum parietem, postquam agnoverunt, Trojam esse perituram: quod postea bello Mithridatico, dicitur Fimbria quidam Romanus inventum indicasse: quod Romam constat advectum. Et quum responsum fuisset illic imperium fore, ubi & Palladium: adhibito Mamurio fabro, multa similia facta sunt. Verun-

tamen

Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divæ contingere vittas:

Ex

tamen agnoscitur, hastæ oculorumque mobilitate. Unde est, *Vix positum castris simulacrum arsere corusca Luminibus flammæ.* vel, *Hastamque trementem.* Sed ab una tantum sacerdote videbatur: ut Lucanus, *Trojanam cui fas soli vidisse Minervam.* Dicunt sane alii unum simulacrum cœlo lapsum, quod nubibus * adfectum & in ponte depositum apud Athenas tantum dicunt fuisse, unde & γεφυρεσῆς dicta est. Ex qua etiam causa *Pontifices* nuncupatos volunt: quamvis quidam *Pontifices* à ponte sublicio, qui primus Tybri impositus est, appellatos tradunt, sicut Saliorum carmina loquuntur. Sed hoc Atheniense Palladium à veteribus Trojanis Ilium translatum. Alii duo volunt, hoc de quo diximus, & illud Atheniense. Alii cum ab Ilo Ilium conderetur, hoc Trojanum cœlo lapsum dicunt: Alii à Dardano de Samo-Thracia, Trojam translatum: Alii multa fuisse Palladia, sed hoc à Diomede & Ulyxe furto ablatum tradunt. *Servius.*

Palladium.] Cum pondere pronunciandum. In ipso enim nomine magnitudo numinis exprimitur. Quod vero de Mamurio dicunt quidam, nusquam de Palladio legitur, sed de Ancili, cælitus delapso, de quo suo loco dicemus. *Donatus.*

Palladium.] De *Palladio*, quod Diomedes & Ulysses, per cuniculos in arcem adscendentes, sustulisse traduntur, multi multa & varia commenti sunt. De eodem Lucanus etiam lib. 9. in persona Cæsaris:

— & quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius: nullique adspecta virorum
Pallas in abstruso pignus memorabile templo
Gentis Iuleæ.

Unde & Livius lib. 26. *Palladium fatale pignus Imperii Rom.* vocat. Exaggeratur autem crimen: quod ad sacrilegium accesserit etiam homicidium: quod custodes templi, quod in templo, quod in ipso templi prope sacrario, & ante ora Palladis, occisi sint. *Taubm.*

167. *Sacram effigiem.*] Quasi de cælo lapsam. Et tres simul res dixit, quare numen irasceretur, quod Antistites cæsi, quod tolleretur, quod cruentis manibus. *Servius.*

Sacram effigiem.] Cælo lapsam interpretatur Servius, ἄγαλμα διϊπετές. Ut autem hîc *sacram*, sæpe apud Euripid. σεμνὸν βρέτας· & Epigr. τεχτογ(?) ὡς εἴκελον ἐνδαπίης. de Palladio. *Germanus.*

168. *Virgineas vittas.*] Nam & eas diversas à matronalibus fuisse certum est: Valer. Flaccus:

Ultima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

Quod autem *manibus cruentis ausi contingere* dixit, infra paulo de sacris loquens:

Me bello è tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero:

& Apoll. lib. 4. τὸ ἡ καλύπτρῃ ἀργυφέῃ καὶ πέπλον ἀλδυομένης ἐρύθηνεν. Accedit proxime ad versum hunc Maronis ille quoque Nicandri: ἀχράντων ὅτε χερσὶ θεῆς ἐδράξατο πέπλων, de Orione & Diana. Alludit autem Virg. ad Romanas virginalesque vittas, quas illico nuptæ maritalibus vittis mutabant, ducto à Græcia more: unde Prop. 4.

Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas.

Idem.

Virgineas, &c.] *Vittæ* enim aliæ erant virginales, aliæ matronales. Propertius lib. 4. El. 11.

Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas.

Alteram à virginali intelligit: ac si dicat;

Ex illo fluere ac retro ſublabſa referri
Spes Danaûm: fractæ vires, averſa deæ mens.
Nec dubiis ea ſigna dedit Tritonia monſtris.
Vix poſitum caſtris ſimulacrum; arſere coruſcæ
Lumi-

cat; poſtquam nupſi. Val. Flaccus, l. 8.
Ultima virgineis tum flens dedit oſcula vittis.
Loquitur enim de Medea mox nuptura. Quod hodieque apud nos obſervatur. Vide Turneb. lib. 23. cap. 5. & lib. 29. cap. 4. *Taubm.*

Auſi contingere.] Immani ſcelere: cum à viro vel videri nefas eſſet: exemplo Ili, qui viſu privatus fuit. *Idem.*

169. *Ex illo.*] Facto, vel tempore. *Servius.*

Fluere.] Delabi, & eſt τῶν μέσων, nam ideo addidit *retro.* Saluſtius contra, *Rebus ſupra vota fluentibus.* Idem.

Ex illo fluere.] Nam ſupra dixerat, *Palladis auxiliis ſemper ſtetit.* Cum ergo irata eſſet, cœpit fluere. *Donatus.*

Ex illo fluere, ac ret. ſubl. referri.] Ἀνάῤῥουν χωρεῖν· quod Euſtathius in eum Od. ξ. locum, ἐπλέομεν —— ῥηϊδίως ὡσεί τε κατὰ ῥόον, opponit τῷ κατὰ ῥοῦν φέρεσθαι. ὅπερ εἴωθε, inquit, μεταφορικῶς ποτε ἐπὶ τῶν κατὰ βίον εὐπλοούντων λέγεσθαι. —— τὸ δὲ κατὰ ῥοῦν ἀνάπαλιν ἔχει τὸ ἀναῤῥοῦν χωρεῖν, ὃ καὶ αὐτὸ παροιμιάζεται ἐπὶ τῶν ἐξ εὐτυχίας μεταβληθέντων εἰς τὰ ἀνάπαλιν. Videtur & manifeſta hîc loci illius apud Eurip. in Supp. imitatio: ἄνω γὰρ ἂν ῥέοι τὰ πράγματ' οὕτως, εἰ πταξόμεθα δή. Ut autem Euripides ἄνω ῥεῖν dixit infortunium notans, ſic contraria ſignificatione Æſchyl. in Perſ. δαίμονα εὐροεῖν. Illud vero ἄνω ῥεῖν, à parœmia vetere, cujus meminit Ariſtot. Met. 2. γένοιτ' ἂν τὸ λεγόμενον, ἄνω ποταμῶν, ὅπερ ἀδύνατον. *Ex illo* autem, Homer. ἐκ τοῖο· Il. α. ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐκ τοῖο δυωδεκάτη γένετ' ἠώς. *Germ.*

170. *Fractæ vires.*] Phraſis poëtica. Sic apud Papin. lib. 4. *fracta, impulſaque fatis conſilia.* & ſtatim, *fractas iras.* & apud Horat. *fractam rem ad Janum.* Cerda.

Averſa Deæ mens.] Propter illud, *Manibuſque cruentis.* Servius.

Averſa.] Duorum ſceleratorum commiſſo, omnibus irata eſt. *Donatus.*

Deæ mens.] Minervæ. Notat Scal. lib. 4, cap. 48. Poëtam ſingulari judicio orationem monoſyllabo terminaſſe: illoque avertiſſe deæ mentem, ut poſtea figeret in pertinacia, &c. vide ibidem. *Taubmannus.*

Averſa Deæ mens.] Non *adverſa*, ut bene emendavit Modius Epiſt. 34. novantiq lect. Silium Italicum. *Emmen.*

171. *Tritonia.*] Aut * q. inter nubilis ἀπὸ τοῦ * θροεῖσθαι, id eſt, timore, aut à Tritone amne Bœotiæ, aut à Tritonide palude Africæ; juxta quam nata dicitur, ſecundum Lucanum, *Et ſe dilecta Tritonida dixit ab unda.* Aut quaſi terribilis ἀπὸ τοῦ τρεῖν, id eſt, timere. Sane *Tritonia* Antonomaſium eſt, id eſt, vice nominis ponitur: quia proprium eſt Minervæ. Nam epitheta ſunt, quæ variis poſſunt, vel rebus, vel perſonis apponi. Et hæc caute obſervanda ſunt, ſicut & propria nomina, quæ plerunque ex appellativis ſunt: ut eſt *victor*, vel *fœlix.* Servius.

Tritonia.] Id eſt, Minerva, ἀτρυτώνη, ἢ ἄτρυτος. Ita dicta vel ἀπὸ τοῦ τρεῖν, id eſt, *timere* vel *fugere*: aut ab amne Tritone; vel per ἐτυμολογίαν, quia, cum ſit dea Sapientiæ, ut ait Servius, in partes tres dividitur: in *Intelligentiam*, de tempore præſenti; in *Prudentiam*, de futuro; in *Memoriam*, de præterito. *Taubmannus.*

172. *Vix.*] Modo *mox* ſignificat. *Serv.*

Vix poſitum.] Signa ſunt, quibus oſtendit iram. Primum, flammæ in oculis inanimatis. Secundum ſignum, Sudor, qui non poteſt ex ſimulachro fluere, niſi portendat malum. Idem dicas de motu ſimulachri. *Donatus.*

Caſtris.]

Luminibus flammæ arrectis, ſalſuſque per artus
Sudor iit: terque ipſa ſolo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens haſtamque trementem.

Extem-

Caſtris.] Pro *in caſtris*. Servius.

Simulachrum.] Inter conſecratas res, id eſt, ædes æreas, etiam *ſimulacra* accipiunt, quod in Bucolicis ſcriptum eſt. Hic ergo ipſo nomine *ſimulacri*, conſecrationem ejus oſtendit; quis enim ignorat *Palladium* ſimulachrum Minervæ eſſe. Quam autem ſacrum fuerit hinc docet, quod ait: *Nec dubiis ea ſigna dedit Tritonia monſtris: Vix poſitum caſtris ſimulacrum*, & reliqua. ut appareat & loco motum, *vim* tamen conſecrationis habuiſſe. *Idem.*

Arſere.] Subaudimus *Cum*; ut ſit, *cum arſere*. Idem.

Coruſca.] *Coruſcum* alias fulgens, alias tremulum eſt. *Idem.*

173. *Luminibus flammæ arrectis.*] Hypallage eſt, lumina enim arſere flammis. *Idem.*

Salſus ſudor.] Bene addit *ſalſus*, ut ſignificaret laborem futurum, vel certe indicium commoti numinis fuiſſe dicitur: ne forte alter in ſimulacro quilibet humor intelligeretur. Probo ſane diſplicet *Salſus ſudor*, & ſupervacue poſitum videtur. Hoc autem Ennius de Lamis dixit. *Idem.*

Sudor iit.] Auctor eſt Cicero 1. De Div. Apollinis ſimulacrum Cumis; & Romæ, initio belli Marſici, deorum ſtatuas ſudaſſe. Et notat Apollonii Rhodii Interpres, generaliter triſtem caſum ſolere ab his ſudoribus Imaginum denuntiari. Vide Heinſium ad illud Silii l. 1.

—— *vultusque in marmore ſudat Eliſæ.* Taubmannus.

175. *Emicuit.*] Exiluit. Quaſi quæ conſiſtebat invita, locumque damnaret. *Servius.*

Emicuit.] Aſcenſius *reſplendens apparuit* interpretatur. Non videtur tamen ſententiæ hujus loci hæc interpretatio convenire: nimirum cum ter ſolo emicuerit: quod videtur potius in ea eſſe ſignificatione, qua *micare digitis*, & ut ſupra *equos micare auribus* dixit: & infra, *Ante omnia corpora Niſus Emicat:* ut ſimulacrum conſtiterit velut in pedes arrectum, & novo motu excitatum: quod prodigioſum eſſe augurum docebat diſciplina. Cui interpretationi ſuffragari videtur vir hujus ætatis doctiſſimus Vatablus: qui eum locum Ariſt. lib. 1. Meteor. ἄλλο δ' ἐν μέρει συναναφέρεται τῷ ἀναθυμιωμένῳ πυρὶ, ita reddidit: & *alia in parte ſurſum una cum exhalante igni emicat*. Et 12. Æn. *Emicat in currum:* & eodem: *Emicat hic impune putans & corpore toto Alte ſublatum conſurgit Turnus in enſem.* Eſt igitur hîc, *ſolo emicuit*, conſtitit, ſeſeque in pedes erexit: ut Poëta antiquum Palladii ſitum, poſituramque reſpexerit. Etenim Euſtathius in eum Il. ζ. locum, θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠϋκόμοιο; docet ſtatuas Palladis ſedentes ſemper exhibitas fuiſſe. κάθηνται γὰρ, inquit, Ἀθηνᾶς ξόανα καὶ ἐν Φωκαίᾳ, καὶ Μασσαλίᾳ, καὶ Ῥώμῃ, καὶ Χίῳ. *Haſtam* autem *trementem*, δόρυ τρόμεον Poëtæ. *German.*

Parmamque ferens, haſtamque trementem.] His enim ſignis Palladium à cæteris diſcernebatur, quod ſupra dictum eſt. *Servius.*

Parmamque ferens, haſtamque trementem.] Manifeſtum ſignum ſe hoſtem profiteri deam. *Donatus.*

Parmamque ferens, &c.] Clypeum & haſtam dat Palladi bellorum præſidi, quod notum eſt etiam ex aliorum deſcriptionibus. Pauſanias in Attic. *in manu eſt haſta, ad pedes ſcutum jacet, juxta haſtam draco.* & Eliac. 1. *Minervam caſſide armatam, haſta & ſcuto Lacedæmonii Medontis eſſe opus memorant.* Apuleius lib. 10. *capite galeam gerens, contectam oleagina corona, clypeum attollens, haſtam quatiens.* Ab hac re facit etymologia Palladis, quam aliqui dictam volunt ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, à

Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas:
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago & curvis secum avexere carinis.
Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas,

Arma

vibranda & concutienda hasta. Inde Pind. Od. 7. Olymp. κόρα ἐγχειβρέμα, *puellæ hastifremæ*, id est, Palladi. alii aliunde deducunt. Neque vero dubium, quin Poëta alludat ad militarem armorum strepitum, qui irarum index. Simili prodigio Philostratus in Heroicis de Ajace tumulato: βοήσας ἐκ τοῦ τάφου φρικῶδές τι καὶ ὄρθιον. λέγεται δὲ καὶ δουπῆσαι τοῖς ὅπλοις, οἷον ἐν ταῖς μάχαις εἰώθει. *Horrendum quid atque arduum ex tumulo clamabat. Dicitur etiam armis obstrepuisse, ut solebant in prœliis.* Cerda.

176. *Tentanda æquora.*] Si vel fugere post iram Minervæ possint. *Servius.*

178. *Argis.*] Adverbium in loco est. Quod autem ait, *Omina ni repetant*, respexit Romanum morem. Nam si egressi male pugnassent, revertebantur ad captanda rursus auguria. Item in constituendo tabernaculo, si primum vitio captum esset, secundum eligebatur, quod si & secundum vitio captum esset, ad primum reverti mos erat: Tabernacula autem eligebantur ad captanda auspicia. Sed hoc servatum à ducibus Romanis, donec ab his in Italia pugnatum est, propter vicinitatem, postquam vero ministerium longius prolatum est, ne dux ab exercitu diutius abesset, si Romam ad renovanda auspicia de longinquo revertisset, constitutum, ut unus locus de captivo agro Romanus fieret, in ea provincia, in qua bellabatur, ad quem si renovari opus esset auspicia, Dux rediret. *Servius.*

Omina ni repetant Argis.] Id est, auspicia. Et sumptum hoc est ex disciplina Romana, ubi à Ducibus, aut toto etiam exercitu domi repetebantur auspicia, si quid male cessisset publice. Hinc Livius lib. 8. *Repetere auspicia*, dixit. Vide & Tacitum lib. 4. Annal. Quod veteres *Redauspicari* dicebant; Græci μετοιωνίσασθαι. Vide & Turneb. lib. 6. cap. 21. *Taubmannus.*

Omina.] Non *omnia*, ut Henr. Steph. in lect. Virgilianis docet, hoc errore editiones plerasque laborare, qui loca non pauca emendavit. Sed de hoc dictum alio loco. *Emmeness.*

Numenque reducant.] Aut pro Palladio posuit *Numen*, ut, *media inter numina divûm*, aut *Numen*, Minervam dixit. *Servius.*

Reducant.] Placent, reconcilient. *Idem.*

179. *Quod pelago.*] Id est, Palladium. *Idem.*

Avexere.] In Mediceo codice, & aliquot aliis, *avexere* legitur: ut sit ex eodem loco, unde digressi prius auguria cœperant. invenias etiam *advexere.* Pierius.

180. *Vento petiere Mycænas.*] Hic ostenditur illos navigasse*. *Servius.*

Mycænas.] Ne te turbet, nunc dici, petendas Mycenas, cum præcesserit, repetenda Argis omina; nam quæ est potestas Poëtarum? Confugiunt sæpe illi ad loca vicina. Et tam Mycenas, quam Argos sumunt pro Græcia, utramque urbem κατ' ἐξοχήν. Quid quod Strabo lib. 7. ait, Mycenas & Argos propter vicinitatem à Poëtis tragicis unam eandemque urbem promiscue appellari? Euripides etiam in una eademque fabula eandem jam Argos, jam Mycenas appellat, ut in Iphigenia & Oreste. Quid quod idem Strabo lib. 9. ait, Argos ex multorum opinione esse, οὐ πόλιν, ἀλλὰ τὸ τῶν Θετταλῶν πεδίον: *non urbem, sed campum Thessalorum.* sic defendi potest Poëta. Nam quæ aliqui astruunt, ut signate omnia Argis repetantur, non aliunde, somnio simile. *Cerd.*

181. *Arma*

Arma deosque parant comites, pelagoque remenso
Improvisi aderunt. ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio moniti, pro numine læso
Effigiem statuere; nefas quæ triste piaret.
Hanc tamen inmensam Calchas attollere molem
Robo-

181. *Arma deosque parant comites.*] Ingenti arte de fututo sollicitos facit, ut videatur periculum denunciando, secreta Argivorum prodere, quatenus præsentem firmet securitatem, ut eos faciat incautos. *Servius.*

Arma.] Quasi dicat hoc contra Trojanos, ut reliqua faciat verisimilia. *Donatus.*

Pelagoque remenso.] Phrasis sumpta ex Homero, Odyss. 12. ἀναμετρήσαιμι χάρυβδιν: *remetirer Charybdim.* & Odyss. 3. πέλαγος μέγα μετρήσαντες, *magnum pelagus metientes.* Theoc. ἅλα μετρήσασθαι, *metiri salum.* Apoll. 2. Arg.

Οὐ μὲν δὴν προτέρω τε ἐμέτρεον·
Non ulterius metiebantur, & verrebant cærula.

Virg. 4. Georg. de Proteo:

Et juncto bipedum cursu metitur equorum.

Ovidius quoque —*aquas metiri carina* dixit, ex observatione Germ. & maxime Henr. Steph. *Cerda.*

182. *Improvisi aderunt.*] Sicut & factum est. Et artificiose, neque enim mentitur & tamen decipit. Nam verum metum falso metu abegit, & dum reversuros timent, non timeant * ne non abierint. *Servius.*

Digerit omina.] Interpretatur numinis commotionem: vel futuri ordinem pandit, id est, oraculorum; vel ordinat, & disponit. *Idem.*

Digerit.] Potestas hujus vocis ad sacra videtur referenda, nam & in 3. Æn. de Sibylla:

Quæcunque in foliis descripsit carmina Virgo,
Digerit in numerum.

Quo pertinet nota Gul. Canter. lib. 1. Nov. Lect. c. 8. legentis hic *omina*, non, *omnia.* Cerda.

183. *Hanc pro Palladio moniti, pro numine læso.*] Respondet ad interrogationem, *Quo molem hanc immanis equi statuere.* Servius.

Moniti.] A quo moniti? vel ab ipsa Pallade, vel ab Apolline, idque oraculo canente, si credimus Petronio in Halosi:

Cum Delio præfante cæsi vertices
Idæ trahuntur, scissaque in molem cadunt
Robora, minacem quæ figurabant equum.

Ergo moniti ab Apolline, Calchantis ore, nam Q. Calaber lib. 12.

Κάλχαντος δ' ἰότητι δαΐφρονι Τριτογενείῃ
Ἵππον ἐτεκτήναντο.
Calchantis autem consilio bellicosæ Palladi
Equum fabricati sunt. Cerda.

Numine læso.] Verbum *lædo* specialius traductum ad significandam injuriam factam cœlestibus. Ipse Maro l. 12,

Multa Jovem, & læsi testatus fœderis aras.

Juno apud Ovid. 1. Metam.

—*aut ego fallor,*
Aut ego lædor, ait.

Tertull. Apolog. *possumus enim videri lædere eos, quos certi sumus omnino non esse*, est autem sermo de Diis gentium: exempla hæc addi possunt his, quæ nos alibi. *Idem.*

184. *Nefas quæ triste piaret.*] Contaminati Palladii scilicet; *Piaret* autem, expiaret. *Servius.*

Nefas.] Sacrilegium Diomedis & Ulyssis. *Taubmannus.*

185. *Inmensam Calchas attol.*] Hoc est, Quis auctor, quæ machina belli? *Servius.*

Hanc tamen inmensam.] In Mediceo, *hanc adeo inmensam* legitur: sed *tamen* receptum magis. *Pierius.*

Inmensam molem.] Seneca in Agamem.

Roboribus textis, cæloque educere jussit:
Ne recipi portis, aut duci in mœnia possit;
Neu populum antiqua sub relligione tueri.
Nam si vestra manus violasset dona Minervæ,
Tum magnum exitium (quod di prius omen in ipsum
Convertant) Priami imperio Phrygibusque futurum.
Sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem;

Ultro

mem. *vidimus simulata dona molis immensæ.* Cerda.

186. *Roboribus.*] *Robur* hic simpliciter pro ligno quovis accipit German. ex usu Latinorum, qui pro qualibet materia dura accipiunt. in Georg.

—— *cape saxa manu, cape robora pastor.*

quemadmodum & δόρυ Græcis jam est lignum, jam arbor, jam telum militare, quod Eustathius in Homer. multis locis observat. *Idem.*

Cæloque educere.] Signatur magnitudo ὑπερβολικῶς. ita *eductas cœlo turres:* &, *æquata machina cœlo.* De turre Babylonica ego:

Concidit ætherias moles educta per auras:
I nunc & magnum temne superbe Deum. Idem.

187. *Ne recipi portis, aut duci in mœnia possit.*] Cum equi magnitudo necessaria ad recipiendos milites fuerit, inducendi equi desperationem facit, ut magis injiciat cupiditatem inducendi. *S.*

Recipi portis.] Sallustius: *Senatus à Bestia consultus est, placeretne legatos Jugurthæ recipi mœnibus.* Cerda.

Recipi portis.] Scheff. ad Phædr. hoc verbum usurpari monet de loco tuto, l. 4. f. 5. *ægre recepti.* noster l. 1. Æneid, ℣. 178. *frugesque receptas.* i.e. periculo liberatas, ut Serv. inde *receptaculum.* E.

188. *Antiqua sub relligione.*] Id est, loco Palladii secundum antiquam relligionem, id est, favore pristino tutelam colenti populo præstare. Constat enim apud Trojanos, principe loco Minervam cultam. *Servius.*

189. *Nam si vestra manus.*] Quia occurrebat exurendum esse equum, si intro ferri, vel prodesse non poterat. *Idem.*

Violasset.] Pro *violaverit. Idem.*

Donaverat.] Quæ Minervæ data sunt. Et minatur occulte, ne quis equum tentare audeat. *Idem.*

Violasset dona Minervæ.] *Violo* tunc ponitur, cum rebus sacris vis infertur. in 11.

—— *Veneris violavi vulnere dextram.*

Diana etiam ad Camillam sibi sacram, his utitur:

Nam quicunque tuum violarit vulnere corpus.

& iterum de eadem:

Hoc quicunque sacrum violarit vulnere corpus.

ut hic *dona Minervæ*, ita Calaber l. 12. de hoc equo, Τριτωνίδι δῶρον. *Cerda.*

190. *Quod di prius omen in ipsum.*] Adeo se ostendit favere Trojanis, ut nomen etiam Græcor. exueretur. *Serv.*

Ipsum.] Calchantem accipimus. Nam quasi Trojanus detestatur, quæ in illos ominose dicta sunt. *Idem.*

Quod Di prius.] Scil. Calchantem hujus consilii auctorem. Rejectio est cum detestatione. tale illud fere, 8. Æn. *Dii capiti ipsius generique reservent!* vide Adag. *Vates omen secum auferat.* Et, *In tuum ipsius caput.* Taubm.

Quid Di prius omen in ipsum convertant.] Pro quo Ovid. l. 6. Met. ℣. 212.

—— *Et me (quod in ipsam recidat) orbam Dixit.* & noster l. 6. ℣. 530. —— *Dii talia Grajis instaurate, &c.* Emmeness.

191. *Phrygibusque.*] In codic. aliquot antiquis, *Phrygiis* legitur: sed *Phrygibus* emendatior omnino lectio est. *Pierius.*

192. *Adscendisset.*] Pro *ascenderit.*

Ut,

Ultro Aſiam magno Pelopea ad mœnia bello
Venturam, & noſtros ea fata manere nepotes.
Talibus inſidiis perjurique arte Sinonis
Credita res, captique dolis lacrimiſque coactis,

Quos

Ut, *Scandit fatalis machina muros.* Serv.

193. *Ultro.*] Statim, mox. *Idem.*

Aſiam.] Aſiaticos: ut, *Latio dare terga ſequaci.* Nam & paulo poſt, *Urbem ſepultam*, pro *civibus* poſuit. *Idem.*

Pelopea.] Argiva à Pelope. Unde & Peloponneſus. *Idem.*

Pelopea mœnia.] Sic Stat. l. 1. Theb. *Pelopeia regna.* ut hic *Aſiam*, ſic Stat. Achill. l. 3. *Europa* pro Græcis. *Emmeſſ.*

194. *Noſtros nepotes.*]Utique Græcos poſteros. an Diaſyrtice, quaſi Trojanus loquitur? *Servius.*

Ea fata manere nepotes.]Græce, μένει σὲ κακὸν, θάνατος, δίκη. Stat. l. 3. Achill. *Quid maneat populos, ubi tanta injuria primos Degraſſata duces?* Emmeneſſ.

195. *Talibus inſidiis.*] Bene *inſidiis*, ut oſtendat non ſe virtute, ſed inſidiis eſſe ſuperatos. Nam ideo ſubjecit, *Quos neque Tydides, nec Lariſſæus Achilles, Non anni, &c.* Servius.

Perjuri.] Quia dixit, *Vos æterni ignes:* & *perjuri* in verbo *r* non habet. Nam *pejero* dicimus. Corrupta natura præpoſitionis, quæ res facit errorem, ut aliqui male dicant *pejuros.* Idem.

196. *Credita res.*] Fides habita, aut commiſſa reſpublica. *Idem.*

Captique dolis.] Sicut dictum eſt, virtuti non cedit. Dolis dicit Trojam eſſe ſuperatam, non quod Trojanis victos eſſe turpe non fuerit: ſed quod Græcis turpius viciſſe per dolos. *Idem.*

Coactis.] Id eſt, expreſſis: ut Terentius, *Quam oculos terendo miſere, vix vi expreſſerit.* Idem.

Capti dolis lacrimiſque.] Non poterat objici Trojanis, cur ita creduli fuiſſent, quia juravit, & quia lacrimas veras credidimus eſſe. Ergo non virtute, non numero hominum, non diuturnitate belli, ſed inſidiis victi ſumus. *Donatus.*

Coactis.]Servius *coactis* legit, remque Terentii teſtimonio ſuffulcit. Nuſquam tamen in veteribus exemplaribus id inveni, quanquam in Mediceo neſcio quid hujuſmodi abraſum in ejus dictionis fine diſcernitur. Quam vero Ovidii Synepeiam huc nonnulli citant, *Oculi lacrimis maduere coactis*: longe diverſa eſt à Virgiliana ſententia. Nam ibi Ovidius de Procne loquitur, quæ, inſpecto Ity filio, coacta ſit maternæ pietatis impulſu lacrymare, fœdæ immanitatis, quam in eum parabat, ſibi conſcia, atque ideo dicit, *Invitique oculi lacrimis maduere coactis.* In Sinone vero, quum lacrimæ dubio procul fictæ eſſent, ideo cogi eas neceſſe fuit: quia neque dolor, neque affectus ullus erat, qui ſponte ſoleat lacrimas ciere. ſed & Ti. Donatus *coactis* legit: ſi modo codex fidelis eſt. Utcunque tamen alii, atque alii ſenſerint, minime abſurdum mihi videtur, ſi legamus *Capti dolis*, & *coacti lacrymis*; quo etiam modo ſi legas apud Donatum, nihil quicquam ejus ſententiam immutaveris. *Pierius.*

Coactis.] Arte expreſſis, non autem ſponte fluentibus. Propertius & complures alii pro lectione faciunt Serviana l. 1. eleg. 15.

Et fletum invitis ducere luminibus.

Juvenal. Sat. 13. ℣ſ. 133.

— *vexare oculos humore coacto.*

Petron.

Manantes lacrimas pollice expreſſit.

ubi, neſcio an male, legunt *exterſit.* priori verbo utitur Ter. E. 1. 1. 22. *una me hercle falſa lacrimula, quam oculos terendo, miſera, vix vi expreſſerit.* Ovid. l. 6. Metam. ℣ſ. 628.

Invitique oculi lacrimis maduere coactis.

Apulejus l. 5. Metam. *lacrimiſque preſ-*

ſura

Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.
Hic aliud majus miseris multoque tremendum

Obji-

sura palpebrarum coactis. Euripides in Helena Græce effert ἐκβάλλεις δάκρυα ποιητῷ τρόπῳ. Amantibus auctor est Naso, ut hanc sibi artem propriam faciant l. 1. Amor. eleg. 8.

Quin etiam discant oculi lacrimare coacti. Emmeneß.

197. *Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles.*] Bene utrique honorem virtutis dat, à quibus victus est. *Serv.*

Larissæus Achilles.] A vicinitate. Nam Phthius fuit. Utraque tamen Thessaliæ civitas est: *Larissa* autem à Nympha Larissa est appellata, ex qua Neptunus creavit * Pelago & Phthion. Achillem autem, Homerum secutus Phthiatem non dicit, quem perhibent peregrinantem apud Phthiam, quod nullius esset humanitate susceptus, tali silentio inhospitalem damnasse civitatem. *Idem.*

Larissæus Achilles.] Stephanus octo hujus nominis oppida fuisse docet. Sed hoc est Θεσσαλίας. ubi male τρίτη pro πρώτη, ἡ πρὸς τῷ Πηνειῷ, ἣν Ἀκρίσιος ἔκτισε. aliquando *Iolcos*, ut Mela l. 2. c. 3. hæc urbs appellata. in propinquo est Phthia, Achillis patria, inde propter vicinitatem pro ipsa patria. eodem nomine appellatur l. 11. ꝟs. 404. *Emmenessius.*

198. *Non mille carinæ.*] Quibus facta expeditio Græcorum. Receptum jam, eas naves fuisse mille. Affirmat Æschyl. Agamem. στόλον χιλιοναύτην, *expeditionem mille navium.* Eurip. in Androm. Propert.

Et Danaûm Euboïco littore mille rates.

Ovid. in Laodom. ad Protes.

Inter mille rates tua sit millesima puppis.

Seneca Agamem.

Millesimam nunc ambit, & lustrat ratem.

Plautus Bacchidib. de re Trojana loquens, ait, *Millenûm numero navium.* Livius lib. 45. loquens de Aulide, *portum inclitum statione quondam mille navium Agamemnoniæ classis.* Seneca in Troad. *mille ratibus.* Alii mire variant: aliud enim ab Homero colligas, aliud à Dicty: à priore si rationem subducas, invenies mille octoginta naves: à posteriore, mille ducentas octoginta quinque. Dares ait, fuisse naves mille, centum, & quadraginta. Notanda verba Varron. hæc 2. Rei Rust. c. 1. *si, inquam, numerus non est ad amussim, ut non est, cum dicimus, mille naves iisse ad Trojam, centumvirale esse judicium Romæ.* Certe Thucydides l. 1. evertit testes, quos tibi attuli, & si quos alios reperias. & mirum profecto, tantam fuisse classem illo ævo. Itaque credo, Virgilium, & alios locutos ex famæ opinione. Cum sententia autem Poëtæ congruit illud Ovid. de Hercule blanditiis domito:

Quem non mille feræ, quem non Stheneleïus hostis,
Non potuit Juno vincere, vicit Amor.

Horat. in Epod. Od. 16.

Altera jam teritur bellis civilibus ætas,
Suis & ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenæ manus.

& plura in hanc sententiam. *Cerda.*

Non mille carinæ.] Et numerum certum expressit pro incerto. lib. 1. ꝟs. 500. *mille oreades.* Stat. Achill. l. 1.

—— video jam mille carinis
Ionium Ægæumque premi. Κατάλογον νεῶν tradit Homer. l. β. Iliad. ꝟs. 494. & seqq. *Emmeneß.*

199. *Hic.*] Tunc. *Servius.*

Hic.] Tunc, post. alii leg. *Ecce.* Taubm.

Majus miseris multoque.] Ut, *Et sale saxa sonabant.* Et, *Casus Cassandra canebat.* Nam apud veteres à similibus incipere vitiosum non erat. Et notandum,

dum,

Objicitur magis, atque inprovida pectora turbat.
Laocoon ductus Neptuno ſorte ſacerdos
Sollemnis taurum ingentem mactabat ad aras.

Ecce

dum, quia, ut ſupra diximus, agit ne videatur vel Troja ceſſiſſe viribus: vel Æneas voluntate fugiſſe. Hanc autem rem oſtendit, ex accidentibus dolos Græcorum eſſe firmatos, cum dicit, etiam deos adverſum Trojam feciſſe. *Servius.*

Hic aliud majus.] Nam vehementer dolos poterat confirmare hoc monſtrum. *Donatus.*

Hic aliud.] Nova narratio, & confirmatio erroris veriſimiliſque rei à ſecuto ſtatim prodigio, ex antecedentibus cauſis apte accommodato. Atque hoc eſt, quod credulitatem Trojanorum purgare poterat. *Taubm.*

201. *Laocoon ductus Neptuno.*] Ut Euphorion dicit, poſt adventum Græcorum ſacerdos Neptuni lapidibus occiſus eſt: quia ſacrificiis, eorum non vetavit adventum. Poſt abſcedentibus Græcis, quum vellent ſacrificare Neptuno; Laocoon Thymbræi Apollinis ſacerdos ſorte ductus eſt; ut ſolet fieri, quum deeſt ſacerdos certus. Hic piaculum commiſerat ante ſimulacrum numinis, cum Antiopa ſua uxore coëundo. Et ob hoc, immiſſis draconibus, cum ſuis filiis interemptus eſt. Hiſtoria quidem hoc habet. Sed Poëta interpretatur ad Trojanorum excuſationem, qui hoc ignorantes decepti ſunt. Alii dicunt, quod poſt contemptum ſemel à Laomedonte Neptunum, certus ejus Sacerdos apud Trojam non fuit, unde putatur Neptunus etiam inimicus fuiſſe Trojanis, & quod * illi meruerit in Sacerdote monſtrare, quod ipſe alibi oſtendit, dicens: *Cuperem cum vertere ab imo Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.* quod autem ad arcem ierunt ſerpentes, vel ad templum Minervæ; aut quod & ipſa inimica Trojanis fuit; aut ſignum fuit perituræ civitatis. Sane Bachilides de Laocoonte & uxore ejus, vel de ſerpentibus, à Caledonis inſulis venientibus, atque in homines converſis, dicit. *Servius.*

Sorte ductus.] Sic Saluſtius, *Sorte ductos fuſti necat.* Idem.

Sorte.] In qua fuerat arbitrium divinum. Ergo debuit, niſi fuiſſet futurum exitium publicum, ſervare ſacerdotem divina voluntate ductum: & non arbitrio humano mactantem taurum ingentem, id eſt, excellentem hoſtiam. *Donatus.*

Ductus ſorte.] Æneid. 6.

—— *ſtat ductis ſortibus urna:*

quod notat Scal. l. 4. c. 16. Ita Salluſt. *Sorte ductos fuſti necat. Taubm.*

Laocoon.] Dionyſ. Hal. lib. 1. fabulam citat Sophoclis, quæ dicta eſt Λαοκόων, & Ariſtophanis Scholiaſtes. Servius ait, depromptum hoc ex Euphorione. *Cerda.*

202. *Solennis aras.*] Anniverſario ſacrificio religioſas. Dicimus autem & *ſacrificium ſolenne*, & *aras ſolennes:* ut, *apricum*, & hominem & locum: ut, *Aprici meminiſſe ſenes*, Perſius. Contra Horatius, *Cur apricum oderit campum.* quidam dicunt, quod continuo quinquenio, ſacrum eidem deo quotannis fuerit reſtauratum *ſolemne* dici, ſive publicum fuerit, ſive privatum. *Servius.*

Taurum ingentem.] Non præter rationem eſt hoc loco *ingentem:* alibi, *Jam cornu petat.* In victimis enim iſta requiruntur. *Idem.*

Mactabat.] Scilicet, ut Græcis mala naufragio provenirent. Quid autem ſit *mactare* in quarto libro innuimus: *Mactat de more bidentes.* Sane ſciendum rite Neptuno & Apollini tauros immolandos: Nam Jovi non licere, ideo & in 3. libro prodigium dicit ſecutum. *Idem.*

203. *Ecce*

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta,
(Horresco referens) inmensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt;
Pectora quorum inter fluctus arrecta jubæque
San-

203. *Ecce autem.*] Cum ex improviso vult aliquid ostendere, *Ecce* ponit, ut, *Ecce autem, telis Panthus.* sicut Cic. *Ecce autem repente ebrio Cleomene esurientibus cæteris.* Serv.

Ecce autem.] Per hoc significabatur hostes venturos à Tenedo. *Ecce*, semper ponitur, ubi res horrenda & repentina significatur. Festinatio autem, & oculi ardentes, & linguæ mobilitas demonstrabant alicui illos laturos interitum. *Donatus.*

Ecce autem.] *Ecce autem* dicitur, cum repente triste aliquod intercedit lætis, ante certe cum aliud agitur & aliud emergit, quod novum est, & animo improvisum accidit. vide Donat. ad Ter. Ad. 4. 7. 4. Phorm. 2. 1. 34. *Emmeness.*

Gemini.] Duo, & similes. *Gemini* autem proprie sunt duo fratres, simul nati. *Servius.*

A Tenedo.] Ideo quod significarent naves inde venturas. *Idem.*

Tranquilla per alta.] Absolute dixit. *Idem.*

Tranquilla per alta.] Petronius de hoc prodigio verba faciens inquit in eleganti Trojana halosi *tranquillo* simpliciter. Notanda hæc locutio, cui similis est, quæ occurrit l. 12. ℣. 906. Tum lapis ipse viri *vacuum* per *inane* volutus. plura profert Vechnerus lib. 1. Hellenolex. p. 40. *Emmeness.*

204. *Horresco referens.*] Etiam referens, quod tum vidissem. *Servius.*

Horresco referens.] Πάθος inest. si narratio horrorem incutiat, quanto magis anguium conspectus. Sil. Italic. l. 6. ubi agit de Serpente, in ulnas centum porrecto, simili utitur formula:

Horror mente redit. ——

Emmenessius.

Inmensis orbibus.] Pro *immensorum orbium.* Servius.

Inmensis orbibus.] Ὑποτύπωσις Serpentum. Atque hæc latius exsequitur Q. Calaber Paralip. Homer. lib. 12. Videatur & Cæl. Rhodig. Antiq. Lect. l. 8. c. 13. Ovid. 3. Met.

Ille volubilibus squamosos nexibus orbes
Torquet, & immenso saltu sinuatur in arcûs.

Taubmannus.

Angues.] *Angues*, aquarum sunt: *Serpentes* terrarum: *Dracones* templorum, ut in hoc indicat loco: *Angues tranquilla per alta.* Paulo post in terra: *Serpens amplexus.* Item, *Delubra ad summa dracones.* Sed hæc significatio plerunque confunditur. Horum sane draconum nomina, Sophocles in Laocoonte dicit. *Servius.*

Gemini angues.] Pro eo Petronius, *angues geminis orbibus ferunt ad saxa fluctus.* quos appellaverunt *Porcen* & *Charibæan*, ut Turneb. l. 17. c. 4. ex interprete Lycophronis. *Emmeness.*

205. *Pelago.*] Per pelagus. *Serv.*

206. *Pectora arrecta.*] Petronius: *tumida quorum pectora, rates ut altæ, lateribus spumas agunt.* Emmeness.

Jubæ.] Aut cristæ, aut barbæ. *Jubæ* autem proprie equorum sunt. Plautus in Amphitruone, *Angues jubati.* Servius.

Jubæque.] Hic per *jubas* cristas serpentium accipiunt aliqui. *Jubæ* enim cum propriæ sint equorum, ad alia jam traductæ usu tam Græco, quam Latino. Homerus & Latini leoni passim: Plinius lib. 8. cap. 15. Bisontes vocat *jubatos.* & cap. 34. de fera alia: *jubata cervix.* homini Homerus creberrime: frondibus nonnulli, virgultis, arboribus; nam apud Athen. Archestratus cinaræ achantæ (genus est vepreti) pappos χαίτην vocat. & Nicand. in Theriac.

Sanguineæ exsuperant undas: pars cetera pontum
Pone legit, sinuantque inmensa volumine terga.

Fit

riac. calaminthum χαιτήεσσαν nominat *jubatam, comantem.* Ergo Poëtæ quoque placitum ad angues referre. Sic etiam auctoris, qui ad Heren. *iste quotidie per forum medium, tanquam jubatus draco, serpit.* Livius lib. 43. inter prodigia memorat, *in æde Fortunæ anguem jubatum à compluribus visum esse.* unde lux Virgilio, qui suos angues jubatos fingit in re prodigiosa. Redeo. Pindarus od. 10. Pyth. draconibus dat φόβας, *comas*, quas interpretes reddunt, *cristas.* Nisi malis proprie accipere Pindarum, & ita explicare Virgilium, ut *jubatus anguis* sit crinitus, hirsutusque propter crines, pendentes à collo. Negant enim cristas esse serpentibus. Plinius lib. 11. cap. 37. ita ait: *draconum enim cristas qui viderit, non reperitur.* Ergo dicamus, jubas Virgilianas vel proprie pro hirsutie crinium; vel pro cristis certe in re prodigiosa, ut in Livio. Sic etiam capiendus Plautus Amphit. *devolant angues jubati.* Loquitur enim de prodigiosis anguibus Herculis. Juba enim Latinis, & χαίτη Græcis, tantum signat hirsutiem crinium, & qui cristas daret draconibus, neminem reperi, præter unum Euripidem, qui in Phœniss. φοινικολόφοιο δράκοντος. Ad hunc aspirasse Virgilium credamus. nam δράκων φοινικόλοφος est, *draco habens cristam rubram, sanguineamque.* Nævius in Lycurgo dixit, *alte jubatos angues.* nescio an in re prodigiosa. *Cerda.*

207. *Sanguineæ.*] Sanguinei coloris. *Servius.*

Jubæque Sanguineæ.] Eodem modo ut Eurip. in Phœniss. δράκοντα appellat φοινικόλοφον, ut Germanus hic. etiam Petronius jubarum infert mentionem: *liberæ ponto jubæ consentiunt luminibus.* pro *sanguineis jubis.* Apulejus l. 5. Metam. *immanem colubrum veneno noxio colla sanguinantem.* Emmeness.

Exsuperant undas.] In veteribus aliquot exemplaribus legere est, *superant undis.* In Mediceo, *superant undas*: Sed enim *exsuperant* longe majus quiddam ostentat. *Pierius.*

208. *Pone.*] *Post*, semper in loco, nunquam in tempore. *Servius.*

Legit.] Transit: ut, *Litoraque Epiri legimus.* Idem.

Sinuat.] Curvat, flectit in sinus. Ut à fluctu *fluctuat*, sic in Georg. *sinuatque alterna volumina crurum.* Idem.

Sinuantque.] In codicibus plerisque pervetustis legitur *sinuant* pluralitatis numero: quippe angues toti. quæ lectio, carminis etiam tonum reddit canorum magis, quam *sinuat.* Pierius.

Sinuantque inmensa volumine terga.] Placitum hic subjungere ad imitationem Poëseως, uti alii extulerint hanc serpentium conglobationem in spiras. Ruf. Avien. — *sic agmina cœlo*
Lubrica convolvit, sic spiras pendula torquet.

Est illi sermo de cœlesti angue. Ovid. 3. Met.

Ille volubilibus squamosos nexibus orbes
Torquet, & immenso saltu sinuatur in artus.

Ibidem:

— *caput in sua terga retorsit.*

Et adhuc:

Ipse modo immensum spiris facientibus orbem
Cingitur.

Claudian.

— *sinuosa draconum*
Membra.

Seneca in Med.

Tumidumque nodis corpus agrestis plicat,
Cogitque in orbes.

Flac. in Arg. *cauda redit.* Sidonius ad Felicem, *angues corporibus voluminosis.* Orosius lib. 4. cap. 8. loquens de serpente: *circumfert latera.* Omnes quid referam? satis loca Virg. hic:

— *sinuatque immensa volumine terga.*

Fit sonitus, spumante salo: jamque arva tenebant,
Ardentisque oculos suffecti sanguine & igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Diffu-

In Georg.

Squameus in spiram tractu se colligit anguis.

In Culice:

Squamosos late torquebat motibus orbes.
& infra in hoc lib.

Lubrica convolvit sublato pectore terga.
Porro conglobationes istæ nomen dederunt scuto apud Græcos. Est enim illis scutum ἀσπὶς, à figura aspidis flexi in orbes. *Cerda.*

209. *Fit sonitus.*] Ut ostenderet serpentum magnitudinem, quorum in lapsu fluctus movebantur, quia ait, *tranquilla per alta.* Servius.

Salo.] Dicimus & *Salum*, unde est *Salo*: & *sal salis*; ut, *Et sale tabentes artus in littore ponunt.* Idem.

Salo.] Salum est maris pars à portu remotior. inde naves dicuntur *stare, commorari in salo.* aliud *salo & nausea confici*, pro crebra jactatione fatigari. vide Not. l. 1. Æn. ℣s. 541. *Emmeness.*

Jamque arva tenebant.] Hic *arva* pro litore posuit: Nam *arva* sunt quæ Græcis ἄρεερ * sunt dicunt, & bene, celeritas demonstrata est. *Servius.*

210. *Suffecti.*] Pro *infecti*; ut *connixa*, pro *enixa*, vel certe inferiorem oculorum partem habentes infectam, & est figura, *oculos suffecti:* id est, suffecti oculi, & suffusos oculos habentes. *Idem.*

Suffecti sanguine & igni.] Ovid. de suo serpente: *igne micant oculi.* & de suo Flaccus:

—— stellantia glaucâ
Lumina nube tremunt.

Aristophan. in Vespis:

Οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν κυνὸς
ἀκτῖνες ἔλαμπον.

Cujus terribiles oculi fulgebant in fronte canina.

Eusebius contra Hieroclem de quibusdam serpentibus, ὧν ἀπὸ κεφαλῆς λαμπάδες ἀποῤῥιπτοῦνται πυρὸς: *ex quorum capitibus ignei fulgores scintillant.* deinde nescio, qui atrocius *suffecti*, quam *infecti*: saltem vulgus sequi noluit, & exquisite dixit. *Cerda.*

211. *Sibila.*] Id est, sibilantia. Nam participium est. Cum enim nomen est, *sibilus* dicimus: ut, *Nam neque me tantum venientis sibilus austri.* Servius.

Sibila lambebant.] Hesiod. in Theog. ubi sermo est de serpentibus, γλώσσῃσι (ait) δνοφερῇσι λελειχμότες, *linguis nigris lambentes.* Lucan. lib. 9.

Stridula fuderunt vibratis sibila linguis.

Ammianus lib. 16. describens in pompa illa, qua Constantius ingressus est Romam, insignia militum, hæc ait de draconibus, qui à multis gestabantur: *hiatu vasto perflatiles, & ideo velut ira perciti sibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum.* Aristophanes in Pluto, συρίξασ' ὄφις. Hippocrates in epist. loquens de draconibus: καί τι φρικῶδες ὡς ἐν ἐρημίῃσι καὶ νάπῃσι κοίλῃσιν ὑποσυρίζοντες· *Horrendum quiddam velut in solitudinibus, & cavis vallibus subsibilantes.* Adeo autem proprium serpentium sibilus, ut serpens, qui Græcis basiliscus dicitur, Latinis dicatur vel *regulus*, vel *sibilus*, quod scribit Isiod. cap. 4. lib. 12. Quin ἀσπὶς Græcis dictus ab α intentiva particula, & σπίζω extendo, propter vehementem sibilum. *Cerda.*

Sibila.] Sic *sibila colla* l. 3. Georg. ℣s. 421. duo adjectiva conjunguntur, ut *tranquilla per alta* ℣s. 203. vide illic quæ notata sint. *Sibilus* adjectivum est: in hoc Virgilii *venientis sibilus austri* subaudiendum *stridor*, docente Sanctio in Minerva p. 342. Nostrum denuo exprimit Petronius, *Sibilisque undæ tremunt.* Adi notas nostras Ecl. 5. ℣s. 82. *Emmeness.*

Vibrantibus.] Mobilibus. Quia nullum animal tanta celeritate linguam movet;

Diffugimus visu exsangues. illi agmine certo
Laocoonta petunt: & primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Inplicat, & miseros morsu depascitur artus.

Post

movet; adeo ut triplicem linguam habere videatur, cum una sit. Hos dracones Lysimachus, Curissin & Peribœam dicit: filios vero Laocoontis, Ethronem & Melanthum Thessandrus dicit. *Servius.*

Linguis vibrantibus.] Ita Plinius de lingua serpentium lib. 11. epist. 37. *tenuissima serpentibus & trisulca, vibrans, atri coloris.* Lucret. lib. 3.

Quin etiam tibi si lingua vibrante minantem Serpentem.

Hic per *vibrationem* accipio linguæ volubilitatem, qua sibila formabant percussis dentibus. Nam & ab Apulejo 2. Florid. psittaco etiam datur: *discit autem statim pullus usque ad duos ætatis suæ annos, dum facile os, uti conformetur: cum tenera lingua, uti convibretur.* Ab hac percussione lingua ipsa dicta πλῆκτρον, ἀπὸ τοῦ πλήττειν. Apulejus ibidem de eodem psittaco: *patentiore plectro, & palato*, hoc est, patentiore & latiore lingua. Cicero etiam 2. Natur. *plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum, dentes.* Cerda.

Vibrantibus.] Absolute apud nostrum libro 9. *vibranti gladio.* & libro 10. *vibranti ictu.* Cic. pro Milone: *Vibrante corpore.* Petronius: *credentes facilius poëma exstrui posse, quam controversiam sententiolis vibrantibus pictam.* Ovid. 3. Metam. vſ. 34.

Tresque vibrant linguæ ——

plura ad eum locum Nobiliss. Heinsius notavit. *Emmeness.*

212. *Exsangues.*] Timentes; nam ideo timentes pallescunt, quia ante exsangues fiunt. *Servius.*

Diffugimus visu exsangues.] Notat pallorem, qui fit abeunte è membris sanguine. Cicero ex antiquo Poëta, *pallent ora timentium.* Contra Plautus Bacchidib. *plenos sanguinis* dixit, ad signandos audaces, præfidentes, animosos. *Cerda.*

Exsangues.] Nota timoris effectum. Petron. *uterque nostrum tam inexspectato ictus sono amiserat sanguinem.* Emmen.

Agmine certo.] Itinere, impetu: ut, *Leni fluit agmine Tibris*; vel tractu corporis, ut, *extremaque agmine caudæ.* Servius.

Agmine.] *Agmen* dicitur actus serpentum. *Cursus* enim & *iter*, pedum est, quibus carent serpentes. *Donatus.*

Illi agmine certo.] Infra lib. 5. *Ille agmine longo, Tandem inter pateras, & lævia pocula lapsu.* Germanus.

213. *Laocoonta.*] Etsi à filiis ejus incipiunt, Laocoonta petunt. *Servius.*

Laocoonta.] Exprimitur deorum impietas. Sacerdos enim in ipso sacrificio petitur, sed primo in ejus conspectu filii crudelissime interficiuntur, parvuli & insontes. Cætera serpentum descriptio crudelitatem designat. *Donatus.*

Laocoonta.] Talem de Laocoonte narrat fabulam Hyginus, quem vide fab. 135. *Laocoon Acœtis filius Anchisæ frater, Apollinis Sacerdos, contra voluntatem Apollinis cum uxorem duxisset, atque liberos procreasset, sorte ductus, ut Sacrum faceret Neptuno ad litus: Apollo, occasione data, à Tenedo per fluctus maris dracones misit duos, qui filios ejus Antiphantem & Thybræum necarent, quibus Laocoon cum auxilium ferre vellet, ipsum quoque nexum necaverunt. Quod Phryges idcirco factum putarent, quod Laocoon hastam in equum Trojanum miserit.* Emmeness.

215. *Inplicat.*] Hoc ad molliciem infantium corporis dixit. *Servius.*

Depascitur.] Ut diximus supra, & *pasco* & *pascor* unius significationis sunt: ut, *Atque artus depascitur arida febris.* Idem.

Post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus: & jam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati superant capite & cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vittas atroque veneno;
Clamores simul horrendos ad sidera tollit.
Quales mugitus, fugit cum saucius aram
Tau-

216. *Post ipsum, &c.*] Hoc ita Petronius: *Accumulat ecce liberûm funus parens, infirmus auxiliator: invadunt virum.* Emmeness.

216. *Spiris.*] Nodis. Unde & bases columnarum, *spirulæ* dicuntur. Nam proprie *spiræ* sunt volubilitas funium. Inde & posteriora serpentium, *spiræ* dicuntur; quæ sic involvuntur in gyrum, ut funes. *Servius.*

Spirisque ligant.] Ubi de filiis loquitur Petronius, hoc etiam utitur verbo: *gemina nati pignora, angues corusci tergoribus ligant.* Emmeness.

218. *Squamea.*] Pro *squamosa*: ut *frondea* pro *frondosa*, & est figuratum: *Squamea terga collo circumdati.* Servius.

Circum terga dati.] Frequens decor ex tmesi. Scalig. l. 4. c. 16. *Taubm.*

220. *Simul.*] Modo adverbium temporis est, significat enim *eo tempore.* Et est ordo, simul manibus tendit divellere nodos. *Simul clamores horrendos ad sidera tollit, Perfusus sanie vittas, atroque veneno.* Et vide genus mortis totum ad supplicium procuratum. *Servius.*

Tendit.] Contendit. *Idem.*

Tendit.] Sic legit Nobiliss. Heins. locum Ovid. l. 11. Metam: ℣s. 533. pro *tentabat invadere*, tendebat. *Emmeness.*

Divellere.] Vetera quædam exemplaria, *devellere* habent: sed id vitio temporum. *Pierius.*

Nodos.] Vide copiam veri Poëtæ, *orbes* dixerat, *spiras, volumina*, ad hæc verba *sinuant, amplexi, implicant, circumdant*, jam *nodos*, quid plura potuit? Plinius lib. 8. cap. 12. draconibus dat *nodos*, Æschylus dixit ὀφέων πλεκτάνας, intelligens spiras. Lucianus, Suidas, & alii ὁλκοὺς, multi ῥυβόνας. *Cerda.*

221. *Perfusus vittas.*] Perfusas vittas habens, & est interpositus versus. Nam potest tolli, salvo sensu. *Servius.*

Sanie.] Pro *sanguine*, nam *sanies* corruptus sanguis. *Idem.*

Atroque veneno.] Ut *pallida mors*: vel *tristis senectus.* Idem.

222. *Tollit.*] Bis accipe: *tollit Laocoon, tollit taurus.* Donatus.

223. *Quales mugitus.*] Facta autem comparatio est propter sacerdotis personam. *Servius.*

Quales mugitus.] Allusit ad taurum, quia sacrificabatur taurus. *Donatus.*

Quales mugitus.] Duo attingit omina, quæ adversa in sacrificiis, taurorum mugitum, & fugam. Prioris parcior mentio. Ovid. 7. Met.

—— Mugitus victima diros
Edidit.

Apollonius lib. 2. Excidii:

Hostia vincta tremit, mugituque aëra tristi
Perculit.

Posterioris frequentior. Plinius lib. 8. cap. 45. *nec claudicante, nec aliena hostia Deos placari, nec trahente se ab aris.* Sueton. in Tito, cap. 10. *Sabinos petit aliquanto tristior, quod sacrificanti hostia aufugerat.* Lucan. lib. 7.

Admotus superis discussa fugit ab ara
Taurus.

Val. lib. 1. c. 6. ubi agit de Pompejo, Cneum

Taurus, & incertam excussit cervice securim.

At

Cneum Pompejum Juppiter omnipotens abunde monuerat, ne cum C. Cæsare ultimam belli sortem experiri contenderet, ab ipsis altaribus hostiarum fuga. Tac. de Vitellio lib. 3. Hist. *Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus, disjecto sacrificii apparatu, longe, ubi feriri hostias mos est, confossus.* Liv. I. Pun. *immolanti ei vitulus jam ictus à manibus sacrificantium sese cum proripuisset, multos circumstantes cruore respersit.* Utriusque meminit Silius lib. 5.

Nec rauco taurus cessavit flebile ad aras
Immugire sono, pressamque ad colla bipennem
Incerta cervice ferens altaria liquit.

& Paulus etiam: *Piacularia auspicia appellabant, quæ sacrificanti tristia portendebant: cum aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset.* Vide, quæ ex Festo restituit Scaliger. *Cerda.*

Quales mugitus.] Tollit clamores similes mugitibus tauri, qui ab arâ fugit saucius. Facta autem hæc est comparatio, propter sacerdotis personam. Docet Turnebus l. 15. c. 12. Hostias primum securibus aut clavis cæsas, deinde prostratas suppositis cultris jugulatas à victimariis fuisse. quem vide: ut & l. 6. c. 21. immo etiam l. 27. c. 21. ubi de *Taurobolio* agit, & *Creobolio*, hoc est, sacrificiis taurorum & arietum, qui dejiciuntur immolandi. Ovid. 7. Met.

—— feriuntque secures
Colla torosa boum vinctorum cornua vittis.

Florus lib. 3. *Nec gladio, sed ut victimas, securi percutiunt.* Vide Brisson. Form. lib. 1. Hanc autem Comparationem cum Homericâ contendit Macrob. l. 3. cap. 14. sed accuratius Scaliger l. 3. cap. 3. Poët. Denique Plinius l. 36. c. 5. memorat hoc simulacrum Laocoontis è solido marmore Romæ in Titi palatio abs se visum, opus omnibus picturis & signis merito anteponendum. Traditque Nascimbænius hodieque superare, sed non integrum. *Taubmannus.*

Quales mugitus.] De inmani vociferatione comparatio non invenusta. Apulejus l. 8. Metam. *rugitus firmos iterans* habet, pro quo restituit Pricæus *mugitus.* Qui plura ad illum locum congessit. *Emmenesf.*

Aram.] Antiqui codices pene omnes cum Mediceo *aram* unitatis numero legunt: quæ quidem lectio mihi castior videtur, quam *aras.* Pierius.

224. *Incertam.*] Dubie inlisam: quæ non haberet mortus effectum, inde & *excussit.* Servius.

Cervice.] Cervicem feriebant. Quod locus probat Horatii l. 3. od. 23.

Aut crescit Albanis in herbis
Victima, pontificum secureis
Cervice tinget.

Adi Torrentium rationes ponderantem & inquirentem ex Anatomicis. Ovid. lib. 4. Fast. vſ. 415.

Apta jugo cervix non est ferienda securi.

Emmenesf.

Securim.] Observat Germ. innui Butypon, is erat minister, qui securi bovem cædebat in sacris. Interpres Apollon. βȣτύπος τοὺς θυομένους βοῦς τῷ πελέκει τύπτει καθ' αὐχένος. Inde Ovidius 7. Met.

—— feriuntque secures
Colla torosa boum vinctorum cornua vittis.

& lib. 4. Trist eleg. 2.

Candidaque adducta collum percussa securi
Victima purpureo sanguine tingit humum.

Indicant ista, fuisse securim proprium admodum sacrificantium instrumentum. quod & Prudentius firmat canens in Apotheosi:

Pontificum festis ferienda securibus illuc
Agmina baccarum steterant.

Cerda.

At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, sævæque petunt Tritonidis arcem:
Sub pedibusque deæ, clipeique sub orbe teguntur.

Tum

225. *At gemini.*] Non inertia sua decepti sunt à Sinone, sed iniquo deorum studio, præsertim Minervæ. Petitus est Laocoon, qui equum vulneraverat; & dracones ad simulacrum deæ refugerant. *Donatus.*

Lapsu.] *Labi* proprie serpentum est. *S.*

Delubra.] *Delubrum* dicitur, quod uno tecto plura complectitur numina, quia uno tecto diluitur: ut Capitolium, in quo est Minerva, Jupiter, Juno. Alii, ut Cincius, *delubrum* esse locum ante templum, ubi aqua currit, à *diluendo.* Est autem synecdoche, id est, à parte totum. Varro autem Rerum divinarum lib. 27. *Delubrum* esse dicit, aut ubi plura numina sub uno tecto sunt, ut Capitolium, aut ubi præter ædem area sit adsumpta deûm causa, ut in circo Flaminio Jovi Statori, aut in quo loco dei dicatum sit simulacrum, ut in quo figunt candelam *candelabrum* appellant, sic in quo deum ponant, *delubrum* dicant. Ergo hic cum dicit, *delubra ad summa dracones*, ut esset manifestatum, subtexuit, *dei simulacrum*, adjecit enim, *Sævæque petunt Tritonidis arcem*, nec prætermisit quin dei nomen adderet dicens, *Sub pedibusque deæ Clipeique sub orbe teguntur*; ne sine ratione *delubri* nomen intulisse videretur. Massurius Sabinus, *delubrum* effigies à delibratione corticis, nam antiqui felicium arborum ramos, cortice detracto, in effigies deorum formabant, unde Græci ξόανον dicunt. Alii *delubrum* dicunt templum, ab eo, quod nulli junctum ædificio pluvia diluatur. *Idem.*

226. *Sævæque.*] Fortis aut nobilis, aut ad tempus epitheton additum, aut *sæva* circa Trojanos. *Idem.*

227. *Sub pedibusque Deæ.*] Scilicet majoris simulacri: quod à cunctis videtur. Nam quod colitur, & breve est & latet: sicut Palladium fuerat. Non ergo contrarium est, quod post raptum Palladium intulit deæ. Sane hoc loco, *Sub*, particulam, secundo repetendo, utrique casui junxit. Accusativo cum proprie significavit, ut sit, *prope pedes deæ, & sub orbe clipei teguntur*, ablativo, id est, infra orbem: ut, *Sæpe sub immotis præsepibus.* Idem.

Sub pedibusque Deæ, &c.] Moris fuit antiquorum, ad pedes Deorum effingere monstra, ab ipsis domita. Sic Callimachus Argis induxit signum Junonis, *subjecto pedibus ejus corio leonino.* Verba sunt Tertull. de corona militis. Sed inprimis draco ad pedes Palladis effictus est. Pausan. Attic. loquens de Pallade: *Jacet ad pedes clipeus, ad imam hastam draco.* Græco sunt πρὸς τοῖς ποσὶν ἀσπίς τε κεῖται, καὶ πλησίον τοῦ δόρατος δράκων ἐστίν. Plutarchus de Iside & Osir. τὸ δὲ τῆς Ἀθηνᾶς τὸν δράκοντα Φειδίας παρέθηκε. *Minervæ simulacro draconem Phidias apposuit.* Ibidem numerans varia animalia sacra variis Diis, inter alia, τὸν δράκοντα τῆς Ἀθηνᾶς. Huc pertinet, quod de ærea sphinge sub cuspide Palladis narrat Plin. lib. 36. c. 5. Quam tamen sphingem Pausanias Att. in galea ejus Deæ constituit. Itaque pictura veterum, quæ ad pedes Palladis draconem constituit, docet satis, ex eo more locutum Poëtam, nullius eruditionis ignarum. Hinc, credo, dictum ab Accio in Eriphyla:

Pallas bicorpor anguium spiras trahit.

Et quis scit, an gentiles religionem hanc assumpserint à vagante fama Luciferi, domiti ab Michaële, atque ad ejus pedes sub forma colubri prostrati? *Cerda.*

Clipeique sub orbe teguntur.] Hoc ipso magnitudo clipei indicatur. Putant aliqui, clypeos dictos, ἀπὸ τοῦ κλέπτειν, vel ἀπὸ τοῦ καλύπτειν, quod *celent*, *tegantque* corpus: quibus nonnihil videtur favere carmen hoc Maronis. Sunt, qui

Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor: & scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt; sacrum qui cuspide robur
Læserit, & tergo sceleratam intorserit hastam.

Ducen-

qui sequantur Plinium, lib. 35. cap. 3. qui ait, *scutis enim, qualibus apud Trojam pugnatum est, continebantur imagines, unde & nomen habuere clipeorum: non, ut perversa Grammaticorum subtilitas voluit, à cluendo.* dicit porro, dictos clipeos ἀπὸ τ̃ γλύφειν, quod imaginibus cælati & sculpti essent. *Cerda.*

Clipei sub orbe.] Bene. *Clipei* enim rotundi erant & in orbem relati: contra, *scuta* in longum exibant, παρὰ τὸ σκῦτος, id est, à *loro*, è quo facta. Ita & Græci *Clipeos rotundos* vocabant ἀσπίδας εὐκύκλους: at θυρεοὺς, *scuta*. Vide J. Lipsii lib. 3. Dial. 2. de Milit. Rom. *Taubm.*

228. *Tum vero.*] Tum magis. Nam supra dixerat, *horresco referens*. Donat.

Novus.] Aut magnus, ut, *Pollio & ipse facit nova carmina*; aut repentinus, aut novi generis, id est, qualis nunquam antea. *Servius.*

Cunctis.] Quia ante interemptum Laocoonta dixit timuisse, nisi eos, qui viderant angues, post ejus interitum cunctos dixit, qui Sacerdotem extinctum cognovissent. *Idem.*

Per pectora cunctis insinuat pavor.] Locus timoris pectus Nævius citatus à Nonio: *Magni metus tumultus pectora possidet.* Accius Epigonis: *pavorem hunc meum expectora*, id est, ejice à pectore. *Cerda.*

229. *Insinuat.*] Insinuatur. Clodius scriba commentariorum, *Insinuem intro eam penitus.* Servius.

Insinuat.] Subaudivi, *se*, ex doctrina Budæi & Scaligeri. ita *præcipitat*, & *avertit*, pro, *præcipitat se, avertit se*. Non apte vulgares Grammatici explicant, *insinuat, præcipitat, avertit.* ita, *insinuatur, præcipitatur, avertitur.* quasi verbum activum possit habere passivam significationem. Budæi ratio alibi à me adducta. Ita infra, *accingunt omnes operi*, id est, *accingunt se*, & *lateri agglomerant nostro*, pro *agglomerant se*. Cerda.

Insinuat.] Absolute, ut Vechner. l. 1. Hellenolex. l. 5. Lucret.

Et quibus ille modis divûm metus insinuarit

Pectora —— Emmeneß.

Scelus.] Supplicium: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. *Servius.*

Et scelus.] Nam ex hac conjectura argumentum ducebant. *Donatus.*

Expendisse.] Tractum est à pecunia. Nam apud majores, pecuniarias pœnas constat fuisse, cum adhuc rudi ære pecunia ponderaretur, quod ad capitis pœnam de jure usurpatum est. An quia utriusque rei debitor *reus* dicitur, quis ante hunc *expendisse* pro luisse? *Serv.*

230. *Sacrum robur.*] Non ut supra *lignum*. Et notandum, quot nominibus hunc equum appellet, *lignum*, *machinam*, *monstrum*, *dolum*, *pinea claustra*, *donum*, *molem*, *equum*, *sacrum robur*. Idem.

Sacrum robur.] Non, ut supra contemptim, *lignum*. Et notandum, quot nominibus hunc Equum appellet: *lignum, machinam, monstrum, dolum, pinea claustra, donum, molem, effigiem equi, equum, sacrum robur, simulacrum.* Taubmannus.

231. *Tergo.*] Quare *tergo*, cum dixerit *in latus* & *in alvum*? Ergo *tergo* quasi per significationem equi accipiamus. quidam *tergo* quasi à tergo suo accipiunt. tum quia Laocoon manu reducta à tergo suo, jecerit telum: ut est, *Ecce aliud summa telum librabat ab aure.* Servius.

Sceleratam.] Pro *ipse sceleratus*: ut, *Telumque imbelle*, & est Hypallage. *Idem.*

Sceleratam.] Vult Nasc. fieri allusionem

Ducendum ad ſedes ſimulacrum, orandaque divæ
Numina conclamant.
Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, pedibuſque rotarum
Sub-

nem ad haſtam ſceleratam, quæ, Romano more, ante urbium expugnationem ab Imperatoribus, in hoſtium conſpectu, poni ſolebat, quæ illius excidium ſignificaret. *Cerda.*

Intorſerit.] Id verbum & Tacito uſurpatum 4. Ann. *ſe ad intorquenda pila expedierat vetus miles.* Idem.

232. *Ducendum ad ſedes.*] Eadem omnium, ex cæde Laocoontis, fuit ſententia, & concordi voce clamabant. *Donatus.*

Sedes.] Per hoc oſtendit domum Minervæ. *Servius.*

Ducendum ad ſedes, &c.] Concluſio, in quam omnes ivere. veriſſime Curt. lib. 4. *nulla res efficacius multitudinem regit, quam ſuperſtitio: alioqui impotens, ſæva, mutabilis. Ubi vana religione capta eſt, melius vatibus, quam ducibus ſuis paret.* Veriſſime Livius lib. 39. *Nihil in ſpeciem fallacius eſt, quam prava religio, ubi Deorum numen prætenditur ſceleribus.* Veriſſime Mariana lib. 9. hiſt. Hiſp. c. 18. *Nihil tenacius inhæret, quam quod religionis ſpecie defenditur.* Veriſſime Lucretius lib. 1.

Tantum relligio potuit ſuadere malorum.

Diffidebant prius Trojani, ſed ubi fraudibus Sinonis religio Minervæ, & ſuperſtitio vana acceſſit, omnes conclamant, equum ad arcem ducendum. Eurip. in Troad. de hac eadem re:

Ἀνὰ δ᾽ ἐβόασεν λεώς
Τὸ δ᾽ ἱερὸν ἀνάγετε ξόανον
Ἰλιάδι Διογενεῖ κόρᾳ.
Exclamavit vero populus,
Hoc ſacrum ſubducite ſimulacrum
Iliacæ Jove genitæ Palladi.

Ut Poëta *ducendum*, pari verbo Calaber lib. 12. de hoc equo, *Τριτωνίδι δῶρον ἄγοντες. Cerda.*

Oranda.] Piacanda. *Servius.*

233. *Conclamant.*] Una ſcilicet voce & bene de peritura civitate, *conclamant*, dixit, quia ſemper res perditæ, *conclamatæ* dicuntur. *Idem.*

234. *Dividimus muros.*] Plena deſcribitur Trojanorum dementia. Nam quo tempore bellum nec poſitum fuerat, nec ſopitum, muros dividebant. *Donatus.*

Muros.] Superpoſitos Scææ portæ. Nam ſequitur, *Quater ipſe in limine portæ.* Servius.

Mœnia pandimus urbis.] Non eſt iteratio. Nam dicit, patefacta porta vel diruta, interiora civitatis eſſe nudata, ergo *mœnia* cætera urbis tecta, ut ædes, vel ædes accipiendum. *Idem.*

Dividimus muros & mœnia pandimus urbis.] Nec Thorius putat, nec ego, ex abundanti *muros* & *mœnia* eodem ſpiritu à Marone contexta: nam etſi hæ duæ voces confundantur interdum, tamen *muros* proprie pro ambitu lapideo accipio, urbem cogente: *mœnia* autem, à *muniendo* & *mœniendo* dicta, non tantum urbis eſſe, ſed etiam munitionem caſtrorum, & aliorum ædificiorum, ex illo *Cæſar* 2. bel. civil. *Cum pene ædificata in muris ab exercitu noſtro mœnia viderentur:* & Virg. lib. 9. Æn.

—— Ingenti clamore per omnes
Condunt ſe Teucri portas, & mœnia complent.

Unde & Plautus in Bacch.

Cum Priami patriam Pergamum divina mœnitum manu:

& Lucr. *mœnia mundi. Pandere* non ſimpliciter aperire, ut *dividere*, ſignificare videtur; ſed amplius aliquid, & forte etiam ædificiorum moles complanare, & majore hiatu patefacere: ut ſupra: *Panduntur portæ:* & de Cerbero: *tria guttura pandens.* Germanus.

235. *Accingunt omnes.*] Pro *accinguntur*: vel *accingunt*, pro præparant ſe ad

Subjiciunt labſus, & ſtupea vincula collo

Inten-

ad opus. Terentius Phormione, *Accingere.* Servius.

Omnes.] Ne quis à nefario opere abeſſet. *Donatus.*

Accingunt omnes operi.] Docet Nannius alluſiſſe Maronem ad Thenſas Deorum vehicula, quæ Aſconius à divinitate dici putat, vel quod ante ipſas lora tendantur, quæ gaudent manu tenere, & tangere qui eas deducunt: quæ certe Aſconii verba non implicuiſſe, ſed repræſentaſſe videtur Poëta. *Germanus.*

Accingunt omnes operi.] Vide notas l. 3. G. ẏſ. 46. & l. 1. Æn. ẏſ. 210. ſic *accinge ad molam*, Non. Marcell. cap. 7. *Emmeneſſ.*

Pedibuſque rotarum.] Quærebatur celeritas, ut quamprimum immitteretur interitus. *Donatus.*

Pedibuſque rotarum Subjiciunt labſus.] Ut digeſſi, ſententia eſt clara: non ita ſi dicas, *ſubjiciunt lapſus pedibus rotarum.* ergo ſententia eſt, ſubjectas rotas pedibus equi, ad quas explicandas placuit Poëtæ phraſis mire poëtica, ſic *equi vis*, pro equo, *Herculis virtus*, pro Hercule: & multa, quæ alibi conjungimus ex obſervatione doctorum hominum, Turn. Germ. Giſan. aliorumque. ſic itaque, *lapſus rotarum*, ſunt rotæ, nihil aliud. Nec facile cedam, ſi cui aliter viſum, nam & Tryphiod. de equo Trojano ait, Epeum ſubjeciſſe ſingulis ejus pedibus rotas quaſdam:

Κύκλον εὐκνήμιδα ποδῶν ὑπέθηκεν ἑκάστῳ.

Neque abeunt verba Calabri lib. 12. qui idem ferme: ſignata ſunt,

Ἐπειὸς ποσὶν εὔτροχα δούρατα θῆκεν:
Epeus ſubjecit pedibus currentes rotas ligneas.

Quod enim Tryphiod. dixit κύκλον, Calaber δούρατα εὔτροχα. Itaque qui de equo Trojano ſcripſerunt, tantum rotarum meminerunt, non alterius inſtrumenti; ac perinde non indicabitur in Poëta novus lapſus ad rotas movendas, ſed ipſæmet rotæ dicuntur, *lapſus rotarum.* deinde ſi dicas *ſubjectos lapſus pedibus rotarum*; obſecro, qui erunt *pedes rotarum*? vel quæ hæc phraſis? à me eſt Donatus, qui aperte *lapſus rotarum*, non pedibus rotarum. & Cedrenus, qui clare τετράκυκλον ἱππόμορφον. *Cerda.*

Subjiciunt labſus.] *Lapſus rotarum*, dicit rotas, quibus devolveretur equus. Ita 12. Æn. *Subdideratque rotas.* Vide & Turneb. l. 27, 24. Doctiores uno vocabulo ὑπόκυκλα efferunt. Porro conſtat è Livio, Annibalem plauſtris & rotis naves tranſportaſſe. Et Sillius ſcribit, coria cruda ſubjecta, ut per lubricum facilius laberentur:

Lubrica roboreis aderant ſubſtramina plauſtris,
Atque recens cæſi tergo prolapſa juvenci,
Æquoreamque rota duxit per gramina puppim. Taubm.

Labſus.] Per *b.* ſic *elabſus* l. 2. Georg. ut ex Priſcis codicibus Pierius; ita & *carbſi, ſcribſi* non nulli amant ſcribere, ſed Euphoniæ cauſſa *b* in *p* mutandum cenſet Dauſquius ex Priſciano & aliis. *Emmeneſſ.*

236. *Stupea vincula.*] Calaber σειρῇ appellat, id eſt, catenam, alii interpretantur *funes cannabinos*, pro quibus Feſtus, qui ſtupam dicit *linum implicitum* eſſe, & collo funes aptiores quam catenæ. Iſidor. l. 19. c. 27. ſecundum antiquam orthographiam per duplex *pp*, ſcribendum eſſe cenſet. cum eo ſentit Pier. lib. 2. Georg. ẏſ. 309. Dauſquius adhibet Joſephi verba: πληρώσαντες δὲ στύππης. inde Dioſcoridi l. 5. φύλλα στυπτική. Materia idonea eſt conficiendis funibus, ut ſupra Virg.

Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ.

Vel firmandis navibus, & rimis occludendis uſui eſt, noſtro id ipſum quoque teſtante l. 5. ẏſ. 681.

—— *udo ſub robore vivit*
Stuppa, vomens tardum fumum.

Emmeneſſ.

Intendunt. scandit fatalis machina muros,
Fœta armis. pueri circum innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa

237. *Intendunt.*] Inligant: ut, *Intenditque locum sertis.* Servius.

Scandit.] Transcendit propria magnitudine, vel propter aggerem, quem ruina fecerat mari. *Idem.*

Fatalis.] Mortifera. *Idem.*

Muros.] Ruinas murorum dirutorum. *Idem.*

238. *Fœta.*] Nunc plena, ut in Bucolicis, *Tentabunt pabula fœtas.* alias enixa jam, ut, *Fecerat & viridi fœtam.* Id.

Fœta armis.] i. e. impleta armatis viris. Respexit ad illud:

—— *uterumque armato milite complent.*

Unde & Tryphiodorus perstans in metaphora *Equi obstetricem* vocat Palladem. *Taubm.*

Pueri circum innuptæque.] More Romano, patrimi & matrimi. *Servius.*

Pueri circum innuptæque puellæ, &c. funemque manu contingere gaudent.] Studium hoc ardentissimum enarrat Dictys Cretensis: *destructa murorum parte cum joco lasciviaque induxere equum, feminis inter se atque viris certatim attrahere festinantibus.* Tanquam thensa promota fuit hæc machina loris. de qua Cic. de Harusp. respons. c. 11. plura Scott. nodor. Ciceron. l. 4. c. 6. Adjicio, quæ de equo Trojano, canit Stat. Silv. l. 1.

Nunc age fama prior, notum per secula nomen
Dardanii miretur equi, cui vertice sacra
Dindymon, & cæsis decrevit frondibus Ida,
Hunc neque discißis cœpissent Pergama muris,
Nec grege permixti pueri, innuptæque puellæ, &c. Emmeness.

239. *Sacra canunt.*] Hymnos dicunt. *Servius.*

Gaudent.] Quidam hic *gaudent*, pro *optant* intelligunt, ut, *Veniat quo te quoque gaudet.* Idem.

Funemque manu conting.] Nannius l. 7. Miscell. Cur tanta religione durateum in Urbem induxerint, latens quædam & obscura causa est: ut multa sunt in Virgilio, quæ vulgo minus advertuntur. Quæ enim ὁυλάζεια est in thensis, eandem Virgilius in hoc equo constituit. Sunt autem *thensæ*, deorum vehicula: de quibus Asconius 3. Verr. *Thensa, sacra vehicula, pompa ordinum & hostiarum, Thensas alii à divinitate dici putant: alii, quod ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere & tangere qui eas deducunt.* Vides ipsa verba, quæ Asconius habet, Virgilium suis carminibus implicuisse. *Taubm.*

Funemque manu contingere gaudent.] Scias hic, veteres in parte religionis posuisse, *tangere res sacras.* Tacit. lib. 4. Hist. *Vittas, quibus ligatus lapis, innexique funes erant, contigit,* sermo est de re sacra. Idem de moribus Germ. *est in insula Oceani castum nemus, dicatum in eo vehiculum veste contectum, attingere uni sacerdoti concessum.* Arnob. lib. 6. de Gentium simulacris loquens: *ita enim non videtis hæc signa, quorum plantas, & genua contingitis, & contrectatis orantes.* Liv. lib. 21. *Altaribus admotum, tactis sacris jurejurando adactum, se, cum primum posset, hostem fore populo Rom.* Idem lib. 5. *primo religiose admoventes manus: quod id signum more Hetrusco, nisi certæ gentis sacerdos attrectare non esset solitus.* Apollin. lib. 4.

Ὧρτο δ᾽ ἕκαστος φαῦσαι ἐελδόμενος.
Singuli cupiebant tangere.

Sermo est de aureo vellere. Inde supra dictum de abominando crimine,

—— *manibusque cruentis*
Virgineas ausi Divæ contingere vittas.

& inf. Æneas pius erga numina,

Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas.

Juvenal. Sat. 6.

Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ. Cerda.

240. Mi-

Illa ſubit, mediæque minans inlabitur urbi.
O patria, ô divûm domus Ilium, & inclita bello
Mœnia Dardanidum! quater ipſo in limine portæ
Subſtitit, atque utero ſonitum quater arma dedere.
Inſta-

240. *Minans.*] Vel eminens; ut, *Minæque murorum ingentes*; Vel minitans. *Servius.*

241. *O Patria.*] Verſus Ennianus. Sane exclamatio eo pertinet, quod tanta fuerit vis conſecrationis in porta Trojana, ut etiam poſt prophanationem, ab ingreſſu hoſtes vetaret. Nam novimus integro ſepulchro Laomedontis, quod ſuper portam Scæam fuerat, tuta fuiſſe fata Trojana. *Idem.*

Divûm domus.] Vel quod ejus muros Apollo & Neptunus fabricaverunt, ubi etiam Minerva per Palladium culta eſt: vel propter Ganymedem, Dardanum, Tithonum. *Idem.*

O Patria, ô divûm, &c.] Sententiam ex multis hauſit: inprimis verſus Ennii eſt totus. Deinde Plautus Bacchidibus dixit: *ô Troja, ô patria, ô Pergamum, ô Priame periſti ſenex.* Tertio hærere potuit verſibus incerti Poëtæ, qui apud Tul. leguntur 3. Tuſcul. Sunt qui Ennio attribuant,

O pater, ô patria, ô Priami domus, &c.

Quarto Medea apud Eurip.

Ὦ πάτερ, ὦ πόλις, ὧν ἀπενάσθην
Αἰσχρῶς, τὸν ἐμὸν κτείνασα κάσιν.
O pater, ô patria, unde diſceßi
Turpiter, fratrem meum interficiens.

Ex hac tragœdia multa hîc inſeri poſſent. Inſtitit his locis Silius lib. 1.

O patria, ô Fidei domus inclita, quo tua nunc ſunt
Fata loco? Cerda.

Inclita bello.] Quia ſuperavit Myſiam totam. *Servius.*

242. *Quater.*] Sæpius. *Idem.*

In limine portæ.] Hic *portam* pro ipſo aditu poſuit; nam quod ait *limine*, manifeſtum eſt portæ, nam pars ſuperior diruta eſt, neceſſario remanente limine, quod in ima parte, id eſt, in ſolo, poſitum erat. *Idem.*

Quater ipſo in limine portæ ſubſtitit.] Reſpexit ad hunc locum Sen. Agamem.

Fatale munus Danaûm traximus noſtra
Crudele dextra: tremuitque ſæpe
Limine in primo ſonipes, cavernis
Conditos Reges, bellumque geſtans:
Et licuit verſare dolos, ut ipſi
Fraude ſua capti caderent Pelaſgi.
Sæpe commotæ ſonuere parmæ,
Tacitumque murmur percußit aures.

De hoc tranſcenſu liminis Plautus Bacchidib.

Nunc ſuperum limen ſcinditur, nunc adeſt exitium Ilio.
Turbat equus lepide ligneus.

Tryphiodorus ait, anguſtas portas fuiſſe, ſed Junonis opera factum ἐπίδρομον ὅρμον ὁδοῖο: *facilem acceſſum viæ.* Sunt qui in hac equi ad portas offenſione putent alluſum ad omen, quo quis exiturus ad bellum, aut ad rem aliam, offendebat in limine. quod omen accidit Proteſilao, eunti ad Trojanum bellum, unde ipſi mors. Putatur vero hoc omen traxiſſe malitiam à Furiis inferorum, nam harum ſedes limen eſt. Quod ſæpe Virgilius attingit, ſemel in 4. ſæpius in 6.

Ultriceſque ſedent in limine Diræ.
——— *cernis cuſtodia qualis*
Veſtibulo ſedeat, facies quæ limina ſervet.

Iterum,

Tiſiphoneque ſedens palla ſuccincta cruenta,
Veſtibulum inſomnis ſervat noctesque dieſque.

& adhuc,

Nulli fas caſto ſceleratum inſiſtere limen.

Cerda.

243. *Atque utero ſonitum quater arma dedere.*] Oſtendere vult, non in totum à diis deſertos eſſe Trojanos, quippe quos ſono equi dicit eſſe commonitos,

Inſtamus tamen inmemores cæcique furore,
Et monſtrum infelix ſacrata ſiſtimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris

Ora

monitos, ne Dido ab his animum averteret, quos videbat à ſuis numinibus derelictos:ſed hoc dicit,monuerunt nos dii, ſed nos non intelleximus. Et bene addidit, *ſonitum arma dedere*, ne ei objiceretur, non potuiſſe fieri, ut plena armis machina ſonum non redderet. *S.*

244. *Inſtamus tamen.*] Subaudiendum, *quanquam ſonitum dederint, tamen inſtamus.* Idem.

Inmemores.] Improvidi: vel non memores oraculorum. Vel *inmemores*, dementes; quoniam memoria in mente conſiſtit. Sane ſi peritiam Virgilii diligenter intendas: ſecundum diſciplinam carminis Romani, quo, ex urbibus hoſtium deos ante evocare ſolebant, hoc dixit: erant enim inter cætera carminis verba hæc: *Eique populo civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis.* Unde bene intulit, *immemores, cæcique furore*, tanquam qui deos * prodiderant. *Idem.*

Cæcique furore.] Fato enim omnis prudentia impar eſt: nec ullis vitatur monitis, nec prodigiis. Quia mentem Deus adimit aut obnubilat. Adeo, ut cauſa ejus à nobis eſſe videatur. Ut vere dixerit C. Tacitus: *Quæ fato manent, quamvis ſignificata, non vitantur.* Et Velleius; *Cujuſcunque fortunam mutare* (Deus) *conſtituit, conſilia corrumpit.* Hinc fit, ut *fugiendo in media ſæpe fata ruatur*, quod ait Livius. de quo curioſe J Lipſius l. 1. Polit c. 4. *Taubm.*

245. *Monſtrum infelix.*] Trojanis ſcilicet, quod poſt rem probatam dixit. *Servius.*

Siſtimus.] Conſtituimus, collocamus. *Idem.*

Et monſtrum infelix ſacrata ſiſtimus arce.] Spondeorum numerus hic notandus, qui moram & tarditatem repræſentare ſolent, ut contra dactyli celeritatem. Vide Voſſ. Inſtitut. Poët. l. 3. c. 7. *Emmeneſſ.*

246. *Tunc etiam.*] Sicut antehac ſæpius. Nam Helena veniente, prædixerat futura bella & mala. *Servius.*

Fatis aperit Caſſandra futuris.] Ne putarentur ſtulti, qui vati non credidiſſent, cito ſubjecit, *dei juſſu non unquam credita Teucris:* Sane quidam hic *Fatis*, pro calamitatibus accipiunt. *Idem.*

Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris Ora dei juſſu, non unquam credita Teucris.] In Oblongo codice perveteri, *juſſo* legitur, à recto *juſſum.* Ut illud, *Et jam juſſa facit.* Sed *juſſu* magis placet, ut ſuave magis. Eſt vero illud animadverſione dignum, quod in codicibus aliquot antiquis oratio eo loco punctis diſſita eſt, *Aperit Caſſandra futuris Ora Dei juſſu.* Ut ſit ordo, *Caſſandra non unquam credita Teucris, tunc juſſu Dei aperit ora futuris fatis.* non autem illud, *Non unquam credita Teucris Juſſu Dei.* Cujus rei cauſſam Servius ex commodo ſuo comminiſcitur. Et Donatus ait, reſponſa Caſſandræ Apollinis juſſione fuiſſe damnata. Atqui magis pium eſt dicere, Deum ſemper conſulere humanis rebus, qui divinationem mortalibus elargitus eſt, ut mala cavere poſſemus, cumque ea lectione legere, juſſiſſe deos, ut Caſſandra tunc vaticinaretur. Præterea ſententia hæc ita explicata rem auget: & fatorum vim majorem oſtendit: quum dicat, neque quidem deorum admonitu fieri potuiſſe: ut quæ fata decreverant infortunia, vel ſcientes potuerint evitare. *Pierius.*

Caſſandra, &c.] Apud Lycophronem ἀλεξάνδρα. & vaticinio defungens, dicitur aperire os. οὐ γὰρ ἥσυχος κόρη ἔλυσε χρησμῶν ὡς πρὶν αἰόλον στόμα. Ovidio l. 2. amor. eleg. 8. *Phœbas* dicitur, *Serva Mycenæo Phœbas amata duci.* de hac ἀρνομφὴ γάμους vide Servium & Hyginum fab. 93. & 108. ubi de equo Trojano: *Vates Caſſandra filia Priami & Hecubæ*

Ora dei juſſu, non umquam credita Teucris.
Nos delubra deûm miſeri, quibus ultimus eſſet
Ille dies, feſta velamus fronde per urbem.
Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox,
Invol-

Hecubæ cum vociferaretur, ineſſe hoſtes, fides ei habita non eſt. idem teſtatur præter Apollodorum l. 3. Biblioth. p. m. 227. Græcus Poëta in fine Caſſandræ:

Πίστιν λόγων γὰρ λεψιδὺς ἐνόσφισε
Ψευδηρίοις φήμαισιν ἐγχρίσας ἔπη
Καὶ θεοσφάτων πρόμαντιν ἀψευδῆ θρόνιν
Λέκτρων στερηθεὶς ὧν ἐκάλχαινεν τυχεῖν,
Θήσει δ' ἀληθῆ.

Quare recte Phædrus l. 3. fab. 11. *Caſſandræ quia non creditum, ruit Ilium.* Vide Triphiodorum in Halоſ. Ilii & inter Latinos Poëtas Propert. l. 3. Eleg. 12. & l. 4. Eleg. 1. *Emmeneſſ.*

247. *Dei juſſu.*] Præcepto Apollinis: qui cum amaſſet Caſſandram, petit ab ea ejus concubitus copiam: Illa hac conditione promiſit, ſi ſibi ab eo futurorum ſcientia præſtaretur: quam cum Apollo tribuiſſet, ab illa promiſſus coitus denegatus eſt, ſed Apollo diſſimulata pauliſper ira, petiit ab ea, ut ſibi oſculum ſaltem præſtaret, quod cum illa feciſſet, Apollo os ejus inſpuit; & quia eripere deo ſemel tributum munus non conveniebat, effecit ut illa quidem vera vaticinaretur, ſed fides non haberetur. *Servius.*

Non unquam.] Non aliquando, id eſt, nunquam. Nam ſi *non nunquam* eſſet, duæ negativæ facerent unam confirmativam. licet Terentius Græco more dixerit, *Agrum in his regionibus meliorem, neque pretii majoris, nemo habet.* Idem.

Credita.] Dubium à quo verbo veniat, & an fœminum ſingulare ſit participium, an neutrum plurale. *Idem.*

248. *Nos delubra.*] Tanta amentia fuit, ut quo tempore exitium immineret, lætis frondibus templa non coronaremus ſolum, ſed tegeremus, deorum, qui una nobiſcum perituri erant. *Donatus.*

249. *Feſta fronde.*] Quæ feſtos indicat dies, vel quæ feſtis diebus adhibetur; ut laurus, oliva, hedera. *Serv.*

Velamus.] Coronamus. Ut, *Victori velatum auro, vittiſque juventum.* Idem.

Feſta velamus.] *Feſtâ*, quæ feſtos indicat dies: vel, quæ feſtis diebus adhibetur. Veteres autem non ſolum diebus feſtis & lætis ſolebant deorum templa ramis è lauru, olivâ, hederâ, & ſimili, ornare & velare: ſed & in magnâ lætitiâ familiaribuſque ſacris, & nuptiis ſuos poſtes etiam ſertis inumbrabant, & infulis decorabant: quin & lucernas addebant, &c. Vide Turneb. lib. 25. cap. 4. *Taubm.*

250. *Vertitur interea cœlum.*] Epitheton cœli perpetuum eſt: ſed *vertitur*, eſt *in aliam faciem commutatur.* Quod more ſuo explanat in ſequentibus. *Serv.*

Vertitur.] Verſa re aliqua, funditur quod in ea erat. Ergo *verſato cælo*, quod præbebat lucem, tenebræ ex eo ceciderunt. *Donatus.*

Ruit oceano.] Naſcitur ex Oceano; ut, *Ruat atrum Ad cœlum picea craſſus caligine nubem.* Ideo autem *ruit*, quia altius mare quam terra, aut certe *ruit*, cum impetu, & *feſtinatione*, ut, *Qua data porta ruunt.* Sane ſphæræ ratio hoc habet, ut omnia diverſis vicibus ſicut oriri, ita & ruere videantur. *Servius.*

Vertitur interea cœlum, ruit, &c.] Inter ea, quæ traducta ſunt ex Homero hæc numerat Macrob. l. 5. Saturn. c. 5. ἐν δ' ἔπεσ' ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο Ἕλκον νύκτα μέλαιναν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν. Stat. Thebaid. l. 3.

Nox ſubit, & curas hominum, motuſque ferarum
Compoſuit, nigroque polos involvit amictu.

& l. 5.

Involvens umbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos: fusi per mœnia Teucri
Conticuere: sopor fessos conplectitur artus.
Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica silentia lunæ,

Lito-

& l. 5. utitur contra *vertere*, de adventante die:

Tardius humenti noctem dejecit Olympo
Juppiter, & versum miti, reor, æthera cura.

numerus multarum syllabarum in unam coactus celeritatem designat. Videndus Scal. l.4. c.16. & 48. l. 5. c. 3. ubi hæc cum Homericis comparat. *Emmeness.*

251. *Involvens.*] Nam quæ involuta sunt, non videntur. *Donatus.*

Umbra magna.] Id est, terræ: & definitio est noctis. *Servius.*

257. *Myrmidonumque dolos.*] A generalibus ad specialia venire vitiosum est: nisi forte redeatur ad caussam, ut hoc loco. *Servius.*

Fusi.] Dispersi, * per sunt quisque, jam ad habitum retulit dormientum securorumque. *Idem.*

Per mœnia.] Per domos: ut supra, *Et mœnia pandimus urbis. Mœnia* enim & publica & privata dicuntur. *Idem.*

Conticuere.] Dormierunt; ex consequentibus priora intelliguntur. *Idem.*

Teucri conticuere.] Et labore trahendi equi, & tempore nocturno inciderunt in somnum. *Donatus.*

Fessos artus.] Aut generaliter, quia omnis dormiens, quasi fessus, aut *fessos* trahendo equum, diruendoque muros. *Servius.*

254. *Phalanx.*]Lingua Macedonum, legio. Et synecdoche à parte totum, significat enim totum exercitum. *Idem.*

Ibat.] Veniebat: ut, *Nunc primum à navibus itis.* Idem.

Ibat.] Improprie dixit de navigatione, sed adjunxit *navibus*. Donatus.

Et jam Argiva Phalanx instructis navibus ibat.] Vetera quædam exemplaria, *ibant* legunt: numero multitudinis, quam lectionem agnoscas apud Ti. Donatum, si in integra ejus incidas commentaria. Ita enim illic habetur, Iter per terram dicimus fieri. Hoc tamen loco *ibant* inquit, hoc est navibus ferebantur. quoniam insulam dixerat Tenedum: ne, si navium non fecisset mentionem, putaretur immemor sui, ut terram poneret, quam secundum descriptionem superiorem nullam esse constabat. *Pierius.*

Phalanx.]Phalanx Macedonibus fuit cuneus militaris, videlicet quando pes pedi, clipeus clipeo, vir viro in acie conserebantur. Curt. *Macedones phalangem vocant peditum stabile agmen, quando vir viro, armis arma conserta sunt.* Unde cum de Cæsare dicitur: *Milites nostri è loco superiori pilis missis, facile hostium phalangem perfregerunt*, intelligit, hanc armorum connexionem, quæ efformata erat instar testudinis. sed hoc vulgare satis. *Cerda.*

255. *Tacitæ lunæ.*] Aut more Poëtico noctem significat, cujus tempore tacetur, quoniam nocte silentium est, ut, *Cum tacet omnis ager:* aut physica ratione dixit: nam circuli septem sunt, Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, Lunæ. Et primus, hoc est, Saturni, vehementer sonat: reliqui secundum ordinem minus, sicut audimus in cithara. Ergo *tacita luna* est, cujus circulus terræ vicinus immobili, minus sonat aliorum comparatione. Aut certe *tacitæ*, serenæ, ut, *Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo*; vel ipsi taciti; ut, *Tacitumque obsedit limen amatæ.* Servius.

Amica.] Sibi grata. Et sciendum septima luna captam esse Trojam, cujus simulacrum apud Argos est, quod, relata victoria, constitutum est, ab imagine

Litora nota petens: flammas cum regia puppis
Extu-

gine ejus, quæ tunc erat, dividuo orbis modo. Hinc est quod dicit: *Oblati per lunam.* & alibi, *Per cæcam noctem.* Idem.

Tacitæ per amica.] Nullum est scriptoris vitium, quod nunc dicat *silentia lunæ*, & supra meminerit tenebrarum. Nam elegerunt eam noctem, quæ partim tenebrosa, occultaret insidias: partim adveniente luna, illustris esset, ut sine errore venirent. Ergo & notitia litoris, & luna suffragabatur. *Donat.*

Silentia Lunæ.] Politianus, Miscell. c. 100. *Lunam silentem* hîc accipit pro minime tum lucente. Nec tamen ad vivum vult resecari, ut ipse Lunæ coitus plane intelligatur, cum nox tunc sit tota tenebricosa: hoc autem non fuisse, argumento sit illud; *Oblati per Lunam*, &c. sed Lunam quidem nondum luxisse, quum illi à Tenedo sub vesperam navigarent, sed cepisse lucere, cum jam Urbem occupassent. Etiam *Donatus* tradit, non esse vitium, quod primum dixerit, *Noctem involvisse magna umbra terramque polumque*; & deinde, *tacitæ per amica silentia Lunæ*: Siquidem nonnullæ noctes habeant primas partes tenebrosas, sequentes vero Luna superveniente illustres. Quale tempus de industria, insidiis opportunum, Græci elegerint. Verum istas hariolationes luculentissime refutat J. Parrhasius Epist. 1. Nam, *Luna*, inquit, *silens*, per totam noctem in aspectum non venit. Venisse autem tunc, ostendit illud, *Oblati per Lunam* &c. Non igitur erat *silens*, sed in orbem sinuata: quod euntibus ad opprimendum sopitos hostes adversum tempus non est existimandum, &c. Tandem post longam contentionem ita finit: Quum itaque Lesches, vetustissimus apud Græcos Poëta, pleno orbe Lunæ Trojam captam cecinerit, & Martialis, Val. Flaccus, & Statius Virgilii metaphrastes *intempestivam noctem*, sive *conticinium*, quo omnia tacent, per *silentia Lunæ* describant; idipsum tempus à Virgil. hîc autumno designari. *Lunæ* vero, non *noctis* ab eo dicta *silentia*: ut ostendat, nitidissimam cælo Lunam fuisse, quum Troja capta est. Quanquam *Luna* pro nocte rectissime etiam poni potest: quum Luna sit (Orpheo teste) νυκτὸς ἄγαλμα, i.e. *noctis imago*: & Virgil. lib. 4 Æn. *Post ubi digressi*, &c. Ita & Turnebus l. 12. c. 5. Etsi, inquit, *Luna silere* dicitur, cum intermenstrua est, neque lucet: tamen hîc *tacitæ amica silentia Lunæ* Maro dixit, nocturnum ejus lumen intelligens: quod noctem *silere* dicerent: ut Catull. epigr. 7.

Aut quam sidera multa cum tacet nox, i. e. cum est nox. Dies enim inquietus & clamosus est; nox tranquilla & tacita. Ita Horat. Epod 5.

Nox & Diana quæ silentium regis &c. Petronius Arbiter:

Jam plena Phœbe candidum extulerat jubar,
Minora ducens astra radiante face:
Cum inter sepultos Priamidas nocte & mero
Danai relaxant claustra & effundunt viros.

Quin & Servius (Cujus alioqui subtilitatem de sono Orbium cælestium docti hîc rejiciunt) *silentia Lunæ*, de lucente Luna intellexit, dum notat; *septima Luna captam esse Trojam.* Ergo in istis verbis nuda fuerit periphrasis tacitæ noctis. Quomodo & ἄσυχα δαίμων, *tacita dea*, dicitur Luna, Theocrito: & ἥσυχα νὺξ, *quieta nox*, Plutarcho. Denique vide mihi magnum magistrum *Jos. Scaligerum*, de Emendat. Temp. l. 5. ubi itidem clariss. argumentis probat, Ilion captum esse in plenilunio; fine Veris, paulo ante solstitium, anno Mundi 2767. ubi & hariolationes Politiani super hunc locum rejicit. Sed vide mihi & *G. Merulam* ad annales Ennii, ubi in hæc similiter curiosissime inquirit. *Taubm.*

256. *Litora nota.*] Id est, quæ paulo ante reliquerant. *Servius.*

Flammas cum regia puppis.] More militiæ: ut, *Dat clarum è puppi signum.*
Et

Extulerat: fatiſque deûm defenſus iniquis,
Incluſos utero Danaos & pinea furtim
Laxat clauſtra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus, lætique cavo ſe robore promunt.
Theſ-

Et hic intelligendum eſt, Helenam Agamemnoni vel Græcis ſignum dediſſe veniendi, ſublata face: Agamemnonem contra ſignum Sinoni dediſſe aperiendi equi, ut in ſexto: *Flammam media ipſa tenebat, & ſumma Danaos ex arce vocabat.* Eſt autem tropus: per puppem, navem: per navem, eos qui in navi ſunt, ſignificat. *Serv.*

Flammas.] Quo ſigno adventum Græcorum cognoſcens Sinon rem perageret. *Donatus.*

Flammas cum regia puppis extulerat.] Credi poſſunt ſublatæ hæ flammæ fuiſſe ad eas, quas ſive Helena, aut Sinon, aut uterque ex arce extulerant ad Græcos evocandos: credibile enim hoc ſignum inter eos conveniſſe. Seneca Agamem. Virgilio hærens,

Signum recurſus regia ut fulſit rate, &c.

Cerda.

Flammas cum regia p.] More militiæ. ut 3. Æn. *Dat clarum è puppi ſignum.* Iſta autem face, tanquam ſigno, debuit Sinon, ut prius convenerat, adventum Græcorum prænoſcere. *Taubm.*

257. *Fatis iniquis.*] Voluntate numinum. nam illis propitia, ſed in nos iniqua: ut Lucanus, *Non ille favore Numinis ingenteis ſuperum protectus ab ira.* Servius.

259. *Laxat clauſtra Sinon.*] Odyſſ. 11. Ulyſſes ait hoc ſibi muneris demandatum,

Cæterum cum in equum aſcendimus, quem fabricavit
Epeus,
Græcorum optimates, commiſſa mihi erant omnia.
Ἠ᾽ μὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν λόχον, ἠ᾽ δ᾽ ἐπιθεῖναι:
Sive aperire denſas inſidias, ſive concludere.

Ut Poëta *clauſtra* de hoc equo, ſic Sophoc. in Tyran. κοῖλα κλεῖθρα: *cava clauſtra.* Calaber lib. 12. dat κληῖδα. Petron. *aperitur ingens clauſtrum.* Calaber lib. 13. de eodem Sinone, ἵππου πλευρὰ διεξώϊξεν: *equi aperuit latera.* Ariſtophanes Veſpis de re alia loquens, κλεῖθρα χαλάσθω: *laxentur clauſtra.* Circa orthographiam nominis *Sinon*, ſciendum, Henric. Steph. in libello, de abuſu linguæ Græcæ late probare, omnia nomina, quæ à Græcis proveniunt, & Latini in, *on*, finiunt, efferenda eſſe in, *o.* Liberat vero Maronem à calumnia, qui metri lege coactus *Sinon* dixit, propter ſequentem vocalem, cum alias dicendum eſſet, *Sino.* Pro ſe Stephan. Chariſium adducit. Id ipſum Pythœ. 2. Adverſar. cap. 13. ſentit, probatque ex Varrone, Columella, & Fabio. contra horum ſententiam eſt, in antiquiſſimis Virgilii codicibus inveniri hanc vocem *Tarchon* frequentiſſime, ut lib. 10.

—— *haud ſit mora, Tarchon Jungit opes.* Cerda.

Laxat clauſtra Sinon.] Eadem locutione utitur Juvenal. Sat. 1. ỷſ. 261.

Prodita laxabant portarum clauſtra Tyrannis.

Petron. *inſertans commiſſuris ſecures, clauſtrorum firmitatem laxabit.* & *Danai relaxant cloſtra.* Emmeneſſ.

260. *Reddit.*] Quaſi debitos, vel creditos: ut, *Redditus bis primum terris.* Sic Horatius, *Navis quæ tibi creditum debes Virgilium, finibus Atticis reddas incolumem, precor.* Servius.

Reddit.] Uſus eſt bono verbo, nam quos occultando tenebris acceperat, reddit aëri. *Donatus.*

Reddit equus.] Quaſi debitum, quos ſcil. acceperat. Sic mox, *Fundit equus:* Scal. l. 14. c. 16. Notat etiam Pimpontius, *Reddere*, nixûs eſſe vocabulum: unde

Thessandrus Sthenelusque duces, & dirus Ulixes,
Demissum labsi per funem, Acamasque, Thoasque,
Peli-

unde Lucretius *Duratei equi partum* dixerit: ut superius, *uterum*: & *fœtam armis, &c.* Taubm.

Cavo robore.] Equi, Epexegesis. *Servius.*

Cavo robore.] Sic Sophoc. in Tyran. κοῖλον λόχον, *cavas insidias.* Pulcre Hercule dixit Eurip. in Troad.

— λόχε
Δ' ἐξέβαινεν Ἄρης,
Κόρας ἔργα Παλλάδος:
— *ex insidiis*
Descendebat Mars,
Virginis opus Palladis.

Cerda.

Promunt.] In Longobardico codice *produnt* legitur: quod minime displicet. Sed enim *promere* de iis dicitur, quæ condita fuerint: de his autem superius dictum est, *Nota conduntur in alvo.* Pierius.

261. *Thessandrus.*] Polynicis & Argiæ filius. *Servius.*

Thessandrus.] Quidam codices ex proximioribus editionibus, *Tisandrus* legunt: quum tamen passim apud Græcos celebre sit, Thersandi Polynicis filii nomen. In Romano codice, Vaticanæ bibliothecæ desiderantur paginæ versusque omnes à captura Sinonis, usque ad versum, qui libro quarto incipit, *Instauratque choros mixtique altaria circum.* Pierius.

Sthenelus.] Capanei & Evadnes. *Servius.*

Ulyxes.] Laërtæ & Anticliæ filius. *Idem.*

Ulyxes.] Et ipse dux intelligitur. *Donatus.*

Dirus Ulixes.] In codice Longobardico, *durus Ulyxes*, legitur: quem Horatius patientem, Homerus πολύτλαντα vocant; id vero duri hominis: ut, *Durum à stirpe genus*, & *Dardanidæ duri.* Inferius vero omnino legitur, *Dirus:* videturque proprium epitheton apud Maronem *Dirus Ulyxes*, ut *immitis, & sævus Achilles.* Sunt etiam antiqui codices, in quibus *divus* habeatur: nempe quia toties apud Homerum legere est, δῖος ὀδυσσεὺς, καὶ θεῖος. Sed enim in hostili persona, ubi præsertim improbatur res gesta, non congruit epitheton illud honorificum. Quamvis Fl. Sosipater, ubi de tropis agit, hæc ita, Epitheton dictio est vocabulo adjecta ornandi, aut destruendi, aut indicandi caussa. Ornat, sicut *Dius Ulyxes.* Ita enim in veteribus Sosipatri codicibus habetur. In aliquot & *Divus.* Destruit, sicut, *Scelerumque inventor Ulyxes.* Indicat, sicut, *Larissæus Achilles.* Sed hoc exemplum ita positum, loco non citato, non mihi tanti est, ut propterea lectionem *dirus* loco hoc immutare velim. Carisius enim ad id respexit: quod uti diximus Homerus Ulyxem θεῖον vocat. *Pierius.*

Dirus Ulixes.] Infestus, & quasi deorum ira immissus. Vide P. Victor. l. 2. Var. c. ult. *Taubm.*

262. *Demissum labsi per funem.*] Hunc actum Euripides repræsentavit in Troadib. sub persona Helenæ: ἐφεδρον ἐξ ἐπάλξεων πλεκτοῖσιν εἰς γῆν σῶμα κλέπτουσαν τόδε. Propert.

Per quam demisso toties tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu.

& Lucret. 2.

— mortalia sæcla superne
Aurea de cælo demisit funis in arva.

Aristoph. in Vesp. ἀλλ' ἐξάψας διὰ τῆς θυρίδος τὸ καλώδιον, εἶτα καθίμα δήσας σαυτόν. *Germanus.*

Demissum labsi per funem.] Calaber l. 13. κλίμαξι usos fuisse, nempe scalis. Hinc colligas licet magnitudinem equi. ideoque ἔμφασιν notandam hic monet Quintil. l. 8. c. 3. *Labi per funem* agnoscit quoque Petron. *per funem lapsi descendunt in scapham. demissum* hic pro *desuper missum*, Non. Marcell. *Emmeness.*

Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, & ipse doli fabricator Epeos,
Invadunt urbem somno vinoque sepultam.

Cædun-

Acamas.] Demophoontis filius, Perrechiæ nepos. *Servius.*

Acamas.] In Longobardico, in Mediceo, & quibusdam aliis codicibus antiquis legere est, *Acamas.* Quod quidem nomen inter Græcorum proceres censeri apud Quintum Smyrnæum invenias, qui τὰ παρ' ὁμήρȣ scripsit. Fuit & Acamas Thesei F. à quo Demosthenes agnoscit tribum Acamantida ἐν τῷ πρὸς βοιωτὸν περὶ τοῦ ὀνόματος: quod observat Harpocration. *Pierius.*

Acamas.] In plerisque Codd. *Athamas. Acamas* Antenoris est filius, ut ex Homero l. β. Il. ℣s. 823. qui à partibus fuit Trojanorum & Thracum Dux dicitur ℣s. 844. Hygino tamen est *Acamas* fab. 108. Principum ubi recenset nomina, qui se equo ligneo includi passi sunt: *Menelaus, Ulysses, Diomedes, Thessander, Acamas, Thoas, Machaon, Neoptolemus.* Servius tamen legit *Athamas,* quem Æoli, qui Thebis regnavit, faciunt filium. *Emmeness.*

Thoas.] Andremonis filius. *Servius.*

263. *Neoptolemus.*] Quia ad bellum ductus est puer; *Pyrrhus* vero à capillorum qualitate vocitatus est; Achillis & Deidamiæ filius, Pelei & Thetidis nepos ex patre: ex matre vero Lycomedis, regis Scyriæ insulæ. *Idem.*

Primusque Machaon.] Hic Machaon filius Æsculapii fuit, cujus frater Podalirius. *Primus* autem, princeps, id est, inter primos, aut arte primus: Aut numeri sui, nam per ternos distinxit. *Idem.*

264. *Menelaus.*] Atrei filius, frater Agamemnonis, propter quem bella gerebantur. *Idem.*

Epeos.] Panopei filius. *Idem.*

Epeos.] Homer. Odyss. θ. Theocritus in Securi, & Pausanias in Corinthiacis. Tryphiodor. de isto fabro. *Hartung.*

Epeos.] Græcis ideo dictus μηχανοποιός. de hoc ita Hygin. fab. 108. *Epeus monitu Minervæ equum miræ magnitudinis ligneum fecit.* & sic recte *doli fabricator,* nam idcirco *equus fallax,* Propertio l. 3. eleg. 12. nominatur. eidem autem l. Eleg. 7. *Palladiæ artis equus,* quod supra *monitu Minervæ.* ut hoc lib. ℣s. 15. *divina Palladis arte.* Ferramenta ostentarunt Metapontini, quibus Epeus equum Trojanum fabricavit teste Justino lib. 20. cap. 2. Attingit hunc locum Scal. poët. l. 3. c. 8. *Emmeness.*

265. *Invadunt.*] Ordo est, *Cæduntur vigiles, portisque patentibus omneis Accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt,* deinde *invadunt urbem, somno vinoque sepultam.* Ne sit vitium, ut primum invadant urbem, & postea recipiant socios per portam. Primo enim patefactus est equus, deinde vigiles occisi, & postremo per urbem sparsi sunt: & potuerunt cives latêre, qui duplici malo essent affecti, vino & profundo somno. *Donatus.*

Urbem.] Id est, cives. *Servius.*

Somno vinoque.] Ostendere vult nihil magnum à Græcis factum, quod obtinuerint civitatem. *Somno* autem, quia nox erat, *Vino* quia festus dies. *Idem.*

Somno vinoque sepultam.] Phrasis ista, ante ævum Maronis celebris. Lucret. lib. 1.

Terrificet morbo assuetis, somnoque sepultis.

Enn. lib. 3. Ann.

Nunc hostes vino domiti, somnoque sepulti.

& post illud. Nam Fabius declam. 272. *nobis somno sepultis, & securitate ab omni cogitatione bellorum.* Flac. 2. Argon.

—— *Dapibus vinoque soporos.*

Forma alia extulit Livius lib. 25. *gravatis omnibus vino somnoque.* Cui vicinus Ovid. 3. Met.

—— *Ille mero somnoque gravis.*

Et Calaber lib. 13. πολλῷ ὑπ' ἀκρήτῳ βεβαρηότες: *graves multo mero.* iterum, βαρέθοντο φρένες: *gravabatur mens.*

Tacit.

Cæduntur vigiles, portiſque patentibus omnis
Accipiunt ſocios, atque agmina conſcia jungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Inci-

Tacit. ita 4. Ann. *ſomno & vino procumbere.* quæ deſumpta à Virgil. in 9.

—— *ſomnoque vinoque ſepulti*
Procubuere.

Græcus Theognis ſic expreſſit,

θωρηχθέντ' οἴνῳ μαλθακὸς ὕπνος ἔχει.

Oppreſſum vino ſomnus occupat mollis. Herod. l. 1. ita, πληρωθέντες φορβῆς καὶ οἴνου εὗδον: *pleni cibo ac vino ſoporantur.* Cerda.

Somno vinoque ſepultam.] Petron. in Carm. de Mut. Reip. R. *turba ſepulta mero.* in Haloſi: *Quum inter Priamidas ſepultos nocte & mero.* eſt igitur *ſepultam* interprete Turnebo l. 30. c. 19. obrutam, quietam, tranſlatione ſumpta à ſepultis, quæ terra operiuntur & quieſcunt, inde Lucret. l. 6. *ventos* dixit *ſepultos* pro *quietis.* Emmeneſſ.

266. *Cæduntur vigiles.*] Non actus nomen eſt, ſed officii. modo enim *vigiles* intelligendum, non qui vigilarent, ſed qui ſolebant exercere vigilias, aut certe *vigiles*, quos fefellit Sinon equum ſervantes, & bene oſtendit timiditatem Græcorum, qui paucitate timentes eos primos occiderunt; quod cæteros poterant excitare: aut vigiles portarum; nam paulo poſt, *Vix primi prælia tentant Portarum vigiles.* Servius.

Cæduntur vigiles.] Qui ſcil. Equum ſervabant; non Urbis: nam paulo poſt:

—— *vix primi prælia tentant*
Portarum vigiles. —— Taubm.

Patentibus.] Pro patefactis. *Servius.*

267. *Conſcia.*] Conjurata. Bene autem in inſidiis conſcientiam nominavit. *Idem.*

268. *Tempus erat, quo prima quies.*] Hoc loco noctis deſcribit initium. Alibi totam noctem: ut, *Nox erat, & placidum carpebant feſſa ſoporem Corpora per terras.* Deſcriptiones ſane pro rerum qualitate, vel protenduntur, vel corripiuntur. Illo enim loco protenſio ad invidiam pertinet Didonis, aut vigiliarum. Sunt autem ſolidæ noctis partes ſecundum Varronem hæ, veſpera, concubium, intempeſta nox, gallicinium, lucifer. Diei: mane, ortus, meridies, occaſus. De crepuſculo vero, quod eſt dubia lux (nam *creperum*, dubium eſt) quæritur. Et licet utrique tempori poſſit jungi, uſus tamen, ut matutino jungamus, obtinuit: licet Lucanus dixerit, *Longa repercuſſo nituere crepuſcula Phœbo.* Idem.

Prima quies.] Excuſatur Æneas, ſi ſomnum ea hora capiebat, qua omnia animantia reficit ſomnus: cujus initia tantum ponderis habent, & tanta vi mentes opprimunt, ut omni cura ſubmota, altius ſoporentur. Et cum munus deorum ſit ſomnus, ad refectionem nobis datum, crimen non eſt, ſi conceſſo tempore dormiatur. *Donatus.*

Tempus erat, quo prima, &c.] Concubium deſcribit, quod dicunt eſſe inter primam facem, & noctem intempeſtam. Eurip. in Rheſo: θέλγει δ' ὄμματος ἕδραν ὕπνος; ἄδιστος γὰρ ἔβα βλεφάροισι πρὸς ἀοῦς· & Il. ι. ὕπνου δῶρον ἕλοντο. & Eurip. in Oreſte νύκτα vocat ὑπνοδότειραν πολυπόνων βροτῶν. Certe Academici, Peripateticique veraciora, efficacioraque ſomnia ſomni parte extrema ſub diluculum obverſari aſtruunt, ob minus concitatas turbulentaſque ſenſibus vel αἰσθητηρίοις applicantes imagines, diſcretoque jam ſanguine ſpirituque, diſſipatiſque calidi interventu deciduis vaporibus, cum primo ſomno vaporum caput petentium copia, ſpirituumque contentione conturbentur, confundanturque ſimulacra. Non videtur tamen Poëta ita exacte decori & phyſiologiæ ſecutus hoc loco rationem, quod Æneæ in auroram fugam differre nequiverit, ſed nocte etiam intempeſta Æneæ ſaluti conſulendum primo quoque tempore fuerit. Hoc autem loco, ſunt qui, *Tempus erat cum,* legant,

Incipit, & dono divûm gratissima serpit.
In somnis, ecce, ante oculos mæstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus;
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere,

legant, non *quo.* more Græcorum, ἦν χρόνος ὅτε, Plat. in Alcib. ἆρα οὖν τυγχάνεις ἐπιστάμενος, ἦν χρόνος ὅτε οὐκ ἡγοῦ ἐπίστασθαι· & Tib. *Tempus erat cum me Veneris præcepta ferentem:* & Georgic. I. *Tempus veniet cum finibus illis.* Lucr. quoque. Est cum effert hellenice: Plat. in Gorg. πόλεις γάρ ἐστιν ὅτε ὅλας σώζει. *German.*

Tempus erat, &c.] Sequitur ductum Attii, in Bruto ita loquentis:

Cum jam quieti tempus nocturno impetu
Dedi, sopore placans artus languidos:
Visus est in somnis pastor ad me appellere.
Cerda.

Ægris.] Quantum ad divina, tardis. *Servius.*

269. *Dono divûm.*] Quidam *donum* voluntate dicunt venire, *munus* ex officio. *Donaria* vero loca in templis, in quibus dona ponuntur. *Idem.*

Dono divûm.] Homer. I. Il. ὕπνου δῶρον, *somni donum.* Silius lib. I.

—— *sopor sua munera tandem*
Applicat.

& lib. 7. *Dona soporiferæ noctis.* Cerda.

Gratißima.] Somni elogium Ovid. l. II. Met. ℣ſ. 623. & seqq. *Emm.*

Serpit.] Latenter membris infunditur. *Servius.*

270. *In somnis.*] Aut *per somnos:* aut si *insomnis* legeris, erit synæresis. *Idem.*

Ecce.] Hac particula utimur, quotiens aliquid repentinum volumus indicare: ergo *Ecce*, subito est: ut, *Ecce manus juvenem interea post terga revinctum.* Idem.

271. *Visus adesse.*] Bene *visus:* quia somnia videntur tantum, non sunt naturaliter vera. Quod autem paulo post dicit, *Effer penetralibus ignem:* confirmantis est. Nam illud verum fuisse contendit. *Idem.*

Visus adesse.] Ostendit poëta non veras, sed verisimiles imagines videri, cum dormientibus offeruntur. Ex mœrore autem & squalore imaginis, etiam si nihil verbis nunciasset, conjectura colligeretur funesta portendere. *Donat.*

Visus adesse mihi.] Allusit fortasse ad locum Ennii I. Annal.

Inde mihi species semper florentis Homeri
Exoriens, visa est lacrymas effundere
salsas Cœpisse, &c.

Ab Ennio illustrabitur Lucretius, nam hic ab illo,

Unde sibi exortam semper florentis Homeri
Commemorat speciem lacrimas effundere
salsas Cœpisse.

Signate vero & proprie Poëta *visus adesse*, ut indicet, non quidem apparuisse Hectorem, sed visum ex somni elusione. Refellens Cicero gentium superstitionem, loquens de dracone, qui Alexandro in somnis apparuit, ita ait, *non enim audivit ille draconem loquentem, sed est visus audire* lib. 2. Divinat. *Cerda.*

Largosque effundere fletus.] In Mediceo codice, *refundere* legitur, sed *effundere* acceptius. Quin etiam nonnulli codices, *fluctus* habent. Sed nulli *fletus*, non castior lectio videtur. *Pierius.*

Largosque effundere fletus.] Simplex apud Ovid. l. II. Met. ℣ſ. 672.

—— *fletus quoque fundere veros.* & ℣ſ. 657. *fletu super ora refuso.* & ℣ſ. 418. *lacrimisque genæ maduere profusis.* Emm.

272. *Raptatus.*] Frequentativo utitur, ut supra, id est, tractus. *Servius.*

Bigis.] Secundum artem dixit: quæ exigit, ut quæ de pluribus constant, plurali tantum dicantur: ut *bigas, quadrigas, mappas.* Sed hæc plerunque corrumpit auctoritas; ut Horatius, *Ne sordida mappa.* Item Statius, *Rorifera gelidum tentaverat aëra biga.* Idem.

Raptatus bigis.] Incerti poëtæ versus leguntur apud M. Tullium Tusculan. l. I.

Vide

Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentis.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore; qui redit exuvias indutus Achillei,
Vel Danaûm Phrygios jaculatus puppibus ignis!

Squa-

Vidi videre quod me passa ægerrime
Curru Hectorem quadrijugo raptarier.

Sumpsit autem ab Homero ex Iliad. χ'. *Ursinus.*

Cruento pulvere.] Hunc pulverem cruore & sudore mixtum Græci λύθρον vocant. *Germanus.*

273. *Trajectus lora.*] Trajecta lora habens: ut, *Nuda genu.* Servius.

274. *Hei mihi.*] Ennii versus. Et totum jungendum, ne doloris distinctione frigescat. *Idem.*

Hei mihi qualis erat, &c.] Non dissimilia à Virgilianis sunt illa Ennii in Telamone:

Hiccine Telamon ille est, modo quem
gloria ad cœlum extulit:
Quem adspectabant, cujus ob os Graji ora
obvertebant sua?

Neque Liviana de Horatio, qui Curiatios interfecerat: *Hunccine, quem modo decoratum, ovantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre potestis.* Habentur hæc lib. 1. & dicuntur patris Horatii ore. Ovidius quoque 6. Metam. similes affectus excitat:

Heu quantum hæc Niobe, Niobe distabat
ab illa,
Quæ modo Latois populum summoverat
aris,
Et mediam tulerat gressus resupina per
urbem.

Huc etiam pertinet duplex Senecæ locus, in Hippolyto, & in Oetæo, ubi ex præterita pulchritudine Hippolyti, & præterita virtute Herculis affectus excitantur. *Cerda.*

275. *Exuvias indutus Achillei.*] Hoc est arma, quæ occiso Patroclo ademit, quæ Vulcanus Peleo fecerat. Celavit autem mortem Patrocli ad laudis augmentum. *Indutus* autem accusativo jungitur, ut hoc loco; sed magis septimo casu, quo nunc utimur, ut in decimo, *Prædonis corpore raptis Indutus spoliis.* *Exuvias* autem tantum plurali dicimus numero. *Servius.*

Exuvias indutus Achillei.] In antiquis exemplaribus *Achillis* habetur, recta declinatione, non enim hic ὁμοιοπτώτων illud Servianum timendum est. Suntque aliquot exemplaria, in quibus *exuviis* legatur septimo casu. Utrunque Latinum est. Sed *exuvias* quarto casu placere magis video eruditis viris. Demum & *inductus* ab *induco*, in pervetustis aliquot exemplaribus habetur. Sane scriptum ab Augusto Tranquillus ait, *Si mane sibi sinister calceus pro dextro induceretur.* & apud Plinium, *Divus Augustus prodidit sibi calceum præpostere inductum.* placet tamen *indutus* ab *induo*, ut vulgo habetur. *Pierius.*

Exuvias indutus Achillei.] Hanc fabulam Hyginus narrat f. 106. Ovidius Epist. 1. Heroid. *falsis cecidisse sub armis Mœnetiaden* dicit, quia Achillis erant. rem totam tradit Homer. lib. π. Iliad. *Emmeness.*

276. *Phrygios ignis.*] Flammas Trojanas, quibus Protesilai navis incensa est. Constat enim naves Græcorum flammis oppugnatas ab Hectore. *Serv.*

Phrygios jaculatus ignis.] Hom. l. π. ψς. 81. Il. μὴ δὴ πυρὸς αἰθομένοιο νῆας ἐνιπρήσωσι. ut hoc loco *Phrygios*, Ovid. 14. Metam. *barbarum ignem* appellat, vel *Dardanum*, emendante Nob. Heinsio. quem illic consule. Noster etiam in princ. l. 1. *ipsa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem.* Horat. l. 1. Od. *rubente dextera Sacras jaculatus arces.* pro *petere*, *ferire*, ut Lambinus ibi plura. *Emmeness.*

Puppibus.] Pro *in puppes.* Servius.

Squalentem barbam, & concretos sanguine crinis,
Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios. ultro flens ipse videbar
Conpellare virum, & mæstas expromere voces;
O lux Dardaniæ, spes ô fidissima Teucrûm,
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores

Defessi

277. *Squalentem.*] Modo sordidam, alibi lucentem: ut x. Æneid. *per tunicam squallentem auro.* Serv.

Barbam.] Singulari numero hominum, plurali vero quadrupedum dicimus. Unde dubitatur, de quibus dixerit, *Stiriaque impexis induruit horrida barbis.* Idem.

Et concretos sanguine crinis.] Non sine ratione etiam hoc de crinibus dolet Æneas, quia illis maxime Hector commendabatur, adeo ut etiam tonsura ab eo nomen acceperit, sicut Græci poëtæ docent. *Idem.*

Concretos sanguine crinis.] Sic Stat. l. 2. Theb. de Sphynge.

—— *concretis infando sanguine plumis.* Emmeness.

278. *Vulnera illa gerens, &c.*] Aut *gerens*, velut iniqua proferens, & ostentans, quæ à Græcis pugnans pro patria susceperat, aut quia, ut Homerus dicit, in Hectorem extinctum omnes tela jecerunt more majorum. Unde est, *bis sexta thoraca petitum, Perfossumque locis.* Propter duodecim populos Tusciæ. Duodecim enim Lucumones, qui reges sunt lingua Tuscorum, habebant. Unde est, *Gens illi triplex, populi sub gente quaterni.* Servius.

279. *Accepit.*] *Vulnera accipere* nota locutio, cujus plurima exempla congessit Hadrian. Cardinalis ex optimis scriptoribus. *Emmeness.*

Ultro.] Quia ratio exigebat, ut loqueretur ille, qui venerat. *Servius.*

Videbar.] Et hic ostendit imagines non esse veras. *Donatus.*

280. *Conpellare.*] Adloqui. *Servius.*

Conpellare.] Melius, quam *appellare*: ut alibi, *collucent, congemuit, collustrans, coorta, obtecta, &c.* Scal. lib. 4. cap. 16. *Taubmannus.*

281. *O lux Dardaniæ.*] Quasi dies noster, per quem certi eramus de luce, id est, de vita, tanquam occiso Hectore omnes se extinctos credant. *Servius.*

O lux.] Errorem describit dormientis, ut quod optime norat, quasi nescius, interrogaret. *Donatus.*

O lux Dardaniæ.] In antiquis aliquot codicibus legere est *Dardanidum.* Tametsi non nescimus ex Mnasea *Dardaniam* regionem appellatam, quæ *Teucris* prius vocabatur. *Dardanus* porro Troadis oppidum est Stephano. *Pierius.*

O lux Dard.] Ex Ennio sumptum, docet Macrobius l. 6. c. 2. *Taubm.*

Spes ô fidißima.] Bene per contrarium. Spes enim semper incerta; in Hectore fidissima. *Servius.*

O fidißima.] Ut præteream quod in antiquis codicibus scriptum est ex instituto Augusti, *spes ô fidissuma:* Illud me magis movet, quod in vetustissimo quodam codice litteris, propter vetustatem caducis, difficile est discernere, utrum *Fortißima*, an *Firmißima* sit adscriptum. Sed enim, ut *Firmißima* non improbarim, ita *Fortißima* nunquam admiserim, decenter enim *spes* aut *firma*, aut *fida* ponitur. *Pierius.*

283. *Exspectate.*] Antiptosis est: pro *expectatus. Servius.*

Ut te.] Ordo est, *Ut fessi aspicimus*, id est, * qua fessi. *Idem.*

285. *Indi-*

Defeſſi aſpicimus! quæ cauſſa indigna ſerenos
Fœdavit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?
Ille nihil: nec me quærentem vana moratur:
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hoſtis habet muros: ruit alto à culmine Troja.
Sat patriæ Priamoque datum. ſi Pergama dextra
Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.

Sacra

285. *Indigna.*] Aut te indigna, aut crudelia. *Idem.*

Serenos.] Hilares antiqui, & è contrario triſtes, *nubilos* dicebant. *Idem.*

286. *Fœdavit.*] Cruentavit, ut *Sanguine fœdantem.* Et bene permanſit in tranſlatione, quia ſupra dixerat, *O lux.* Ideo & *ſerenos*, ideo & *fœdavit.* Nam Saluſt. de nubibus, *Fœdavere lumen.* Idem.

287. *Ille nihil.*] Scilicet ad interrogata. Pleraque enim verba ex negotiis accipiunt ſignificationem. *Idem.*

Vana.] Falſa. *Idem.*

288. *Gemitus.*] Nec enim parvus dolor eſt, viro forti fortem virum fugam ſuadere. Et notandum omnes ſuaſoriæ partes hoc loco contineri. *Idem.*

Gem imo de pect. ducens.] Eſt hoc, quod Pindarus Od. 4. Nem. γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας. *Cerda.*

289. *Fuge, nate Dea.*] Propoſitio eſt. *Servius.*

Heu fuge.] Viro forti fugam ſuadet, quam non ſuaderet, ſi ſupereſſet aliquid, cui poſſet ſubveniri. Mox ſubnectit cauſam, quæ omnem vim deſperationis continet. *Donatus.*

His.] Δεικτικῶς. *Servius.*

His.] Δεικτικῶς. Virgilio hæſit Flac. 7. Argon.

Sed magis his miſeram, quantum potes eripe curis. Cerda.

Eripe flammis.] Utile. An neceſſarium, *Hoſtis habet muros:* An honeſtum, *Sacra ſuoſque tibi commendat Troja penates.* Servius.

290. *Hoſtis habet muros.*] Secunda deſperatio. Muros ſcilicet, quibus ſe tutari potuiſſent. *Donatus.*

A culmine.] Vel à dignitate ſua, vel vere *culmine*, id eſt, à tectis ſuis, & ideo *culmina* dicta ſunt tecta, quia veteres de culmo ædificia contegebant. *Servius.*

Ruit alto à culmine Troja.] Tertia deſperatio, id eſt, concidit jam, cui poteſtas ſubvenerat. *Donatus.*

Ruit alto à culmine Troja.] In Mediceo codice non eſt *a* præpoſitio, ſed ſupra *alto*, ab κατ' ὑφαίρεσιν notatum. vulgata tamen lectio, quæ eſt *alto à culmine* ſatis pluribus facere videtur. *Pierius.*

291. *Sat patriæ Priamoque datum.*] Ecce & hoc honeſtum, nam contra fata venire conſtat neminem poſſe. Ergo, *Sat patriæ Priamoque datum*, vel regnaſſe; vel ſat pro patria eſt Priamo militaſſe. *Servius.*

Sat patriæ Priamoque datum.] Ut Priamo veniſſe interitum denotaret. *Donat.*

Sat patriæ Priamoque datum.] Infra lib. 9. *Sat fatis Venerique datum.* Germanus.

Si Pergama dextra.] Quaſi dicat, contra tantam vim, nihil valere humanam virtutem: & probat, quæ ſi poſſent defendi, defenſa fuiſſent hac ſcilicet mea dextra. *Donatus.*

292. *Etiam.*] Multi diſtinguunt, ut ſit adhuc: ut, *Etiam currus, etiam arma tenentem.* Intelligunt enim eum oſtendere voluiſſe, Trojam voluntate divina, certo tempore eſſe defenſam, & nunc ſi ſalutem tenere per fata potuiſſet, ipſius quoque dextera potuiſſe defendi. Sed

melius

Sacra ſuoſque tibi commendat Troja Penates;
Hos cape fatorum comites. his mœnia quære,
Magna pererrato ſtatues quæ denique ponto.
Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,
Æter-

melius eſt, *etiam hac:* ut & particeps gloriæ ſit Æneas, & Hector arrogantiam vitet. Quidam *etiam*, pro *denique* vel *poſtremo* accipiunt. *Servius.*

293. *Tibi.*] Merito *tibi*, quod religioſus es & pius. *Idem.*

Commendat Troja Penates.] Ecce iterum à neceſſario, nam ſacrilegium eſt non liberare commendatos penates. Et non *Ego*, ſed *Troja*, ut videatur patriæ præſtare, quod fugiat. Neceſſarium. Nam ſacrilegium eſt, non liberare commendatos penates. *Idem.*

Sacra ſuoſque tibi commendat.] Non eſt ergo flagitium quod fugiat, cum patria ſuos deos fuga liberandos velit. Nimium etiam religioſum probare voluit, cum ipſis religionibus conſervandis ſit aptiſſimus, aut etiam diis potiorem. Nullus enim commendatur inferiori. De his diis meminit in themate: *Inferretque deos Latio.* Omni ergo culpa vacat fugiturus, ſi fugam ſuadet imago viri fortis: & patria concedit fugam, & deorum ſacrorumque ſocietas. *Donatus.*

Penates.] Id eſt, Deos Trojanos, quibus Romæ ædes poſt exſtructa eſt in Velia in colle Palatino. Vide Donat. de urb. Roma l. 3. c. 3. duos adoleſcentes fuiſſe ligneos ſedentes & pila tenentes affirmat Dionyſ. Halycarn. l. 1. Veſtam in his numinibus numeratam, quæ avecta ſunt, ex ℣ſ. 296 cognoſces. & noſtro adde Macrob. l. 3. Saturn. c. 4. *Emmen.*

294. *Fatorum comites.*] Cæterum à poſſibili, quia occurrebat, *Hoſtis habet muros*, dat ei comites deos, & ſcite ait *fatorum*, ne Æneas diceret, quo mihi eos comites? *Servius.*

Fatorum comites.] Adjuvabunt tua fata, cum tui comites fuerint. Quid enim potuit Æneas, ſi dii ipſi non potuerunt? *Donatus.*

Fatorum comites.] *Poſſibile.* Quia occurrebat, *Hoſtis habet muros:* dat ei comites deos, qui ἄπορον faciunt εὔπορον. Videatur & Scalig. l. 3. c. 11. Poët. *Taubm.*

His mœnia quære.] Hoc eſt, *dum conderet urbem inferretque deos.* & multi *quære*, diſtinguunt, & ſic ſubjungunt, *Magna pererrato ſtatues quæ denique Ponto.* Non enim magna mœnia inventurum promittit, ſed magna facturum. Nam & dii penates in 3. ita monent, *Tu mœnia magnis magna para.* Servius.

Mœnia.] *Lavinium.* Alii *Romam* cenſent innui, quia addiderit, *magna:* & alludi ad Monarchiam Auguſti. *Taubm.*

295. *Magna.*] Quia magni ſunt dii. Et proponit ſpem futuri temporis, ut ſit toleratio præſentis calamitatis. *Donat.*

Pererrato.] Una pars orationis. Hoc autem verbo oſtendit erroris longinquitatem. *Servius.*

Pererrato ponto] Ut oſtenderet ſe vera inſinuare, prædixit proſpera, & his laborioſa addidit. *Donatus.*

Pererrato.] Sic noſter Ecl. 1. *pererratis finibus.* Ovid. Faſt. l. 4. ℣ſ. 589. *orbe pererrato.* Apulej. 8. *non paucis pererratis caſulis.* ſic legit Pricæus, pro *percurſatis.* Emmeneſſ.

Quæ.] In codice Longobardico & aliquot aliis *qui*, non *quæ* legitur, ut ſit, *Qui denique ſtatues ea magna pererrato ponto.* Sed enim magis placet, quod in vulgatis habetur exemplaribus, *quæ* mœnia. *Pierius.*

296. *Vittas.*] Id eſt, pepla Minervæ. Nam ipſum Palladium jam ab Ulyſſe raptum erat. *Hortenſ.*

Veſtam.] Deam ignis, quæ ut ſupra dictum eſt, Terra eſt. Quæ in medio mundo librata, niſi aſtet, & ignem intra ſe habeat. Alii de igne divino hoc volunt dictum; quod è vi ſua ſtet, inde *Veſtam*, ſed in primo libro dictum quos deos penates ab Ænea advectos diverſorum

Æternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diverso interea miscentur mœnia luctu:
Et magis atque magis, quamquam secreta parentis
Anchi-

sorum opinio tradiderit; quod etiam singulis locis, ubi de penatibus varias opiniones poëta securus dixerit, notatum invenitur. Hic ergo quæritur, utrum *Vesta* de numero penatium sit, an comes eorum accipiatur, quod cum Consules & Prætores, sive Dictator, abeunte magistratu, Lavini sacra penatibus simul & Vestæ faciunt. Unde Virgilius, cum præmisisset, *Sacra suosque tibi commendat Troja penates*, adjecerit: *Et manibus vittas Vestamque potentem*: Sed *potentem* potest ad illud accipi θεὺς δυνατὺς, sicut vocari *penates* dictum est. Nonnulli tamen *penates* esse dixerunt, per quos spiramus & corpus habemus, & animi rationes possidemus. Eos autem esse Jovem æthera medium, Junonem imum aëra cum terra, summum ætheris cacumen Minervam, quos, Demarathi Corinthii filius Samothraciis relligionibus mystice imbutus, uno templo & sub eodem tecto conjunxit. His addidit & Mercurium, sermonum deum. Hos Virgilius θεὺς μεγάλυς, ut, *Iunonis magnæ primum prece numen adora*. θεὺς δυνατὺς, ut, *Dominamque potentem*: θεὺς χρηςὺς, ut, *Et bona Iuno*, quæ propter admonitionem locis suis notata sunt. *Servius.*

Vestamque.] De Vesta atque igne inexstincto videatur Cælius Rhod. Antiq. Lect. l. 15. c. 14. Quædam etiam superius è Parrhasio attulimus, ad v. 154. *Vos æterni ignes, &c.* Taubm.

297. *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*] Quod in templo Vestæ ignis æternus est, ecce ipse exposuit, quid est Vesta. *Servius.*

Æternumque adytis.] Hunc ignem Eurip. in Androm. respexit: ὐδ' ἔτι πῦρ ἐπιβώμιον ἐν τροίᾳ θεοῖσιν λέλαμπεν καπνῷ θυώδει. Hunc ignem, Romam Troja delatum ab Ænea, prodiderunt multi auctores: & annuit illud Propertii: *Nam Vesta Iliacæ felix tutela favillæ Culpam alit, & plures condit in ossa faces.* Huic sententiæ astipulatur & Livius, qui Vestæ sacra, ut vetustissima ab Albanis accepta, tradit, à Numa autem primum Romæ instituta. Ignem quoque Vestæ consecratum constat ea cura servatum, ut per negligentiam forte extinctum, nequaquam ex alio igni reconflari & resuscitari fas esset, sed accensa per fomites ex sole flamma, purum & cælestem ignem elici sacra imperasse. Cic. lib. 3. de legib. *Virgines Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici seu paternum.* Germ.

Æternumque adytis effert, &c.] Dubitari potest, an una cum Vesta eductus quoque ignis ab Hectore: an vero, tantum ignis eductus fuerit, qui idem cum Vesta. Vestam enim sub forma ignis Romani coluerunt, dicente Ovid. in Fast. lib. 6.

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.

Cerda.

298. *Diverso interea.*] Hæc est prooeconomia. Ait enim Æneam non fuisse proditorem, sed propter longinquitatem domus, & tarde bella cognovisse, & facilius evitasse discrimen. *Servius.*

299. *Magis atque magis.*] Iteratione sermonis fecit augmentum, ac si diceret, *magis ac plus*: sed propter metrum non potuit. sic etiam & in diminutione, velut si dicat. *& minus atque minus*, & *ut*, pro *utcunque*. Idem.

Et magis atque magis.] Geminatio ista aliis usitata, Catullo inprimis,

Notescatque magis mortuus, atque magis.

iterum *magis, & magis indies*. Ita & Græci geminant, μᾶλλον, μᾶλλον. Vide longam Notam Hieron. Columnæ ad Ennium. *Cerda.*

Anchisæ domus, arboribusque obtecta recessit,
Clarescunt sonitus; armorumque ingruit horror.
Excutior somno, & summi fastigia tecti
Ascensu supero, atque arrectis auribus adsto.

In

300. *Anchisæ domus.*] Satis religiose locis omnibus quamdiu vivit Anchises, ei universa concedit: ut alio loco, *Et pater Anchises dare fatis vela jubebat.* Servius.

Quamquam secreta parentis Anchisæ domus.] Hæc Æneæ domus ubi fuerit Strabo explicat lib. 13. his verbis interpretis: *Scepsius putat Æneæ regiam Scepsin fuisse, quæ media erat inter regionem illi subditam, & Lyrnessum, in quam ab Achille agitatus fuisse dicitur, dicit enim Achilles,*

Nonne memor, cum te sequerer montana per Idæ,
Tu fugeres cursuque celer Lyrnesson adires?

Allusum à Poëta ad procerum Romanorum luxum, ac delicias, qui etiam in urbe lucos in domibus haberent: unde & Tibull. lib. 3.

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.

Habita quoque est ratio decoris, nam principis Æneæ domus esse debuit Augustalis, & permagnifica. In verbo motus *recessit* jucunda est metaphora, cum sermo sit de re hærente; sic Catull. Arg.

—— *quacunque opulenta recessit*
Regia.

& Virg. in 8.

Hic spelunca fuit vasto summota recessu.

Plinius lib. 6. cap. 8. *Longissime hæc Ponticarum omnium introrsus recedens.* & cap. 13. *ad Mæotin lacum discedens.* Alter Plinius lib. 2. Epist. de villa sua ita scribit: *Decem & septem millibus passuum ab urbe recessit.* & lib. 5. loquens de Thuscorum parte quadam, *hi procul à mari recesserunt.* Cerda.

Arboribusque obtecta.] Laus domus. *Servius.*

Recessit.] A frequentia se removit; & est speciosa translatio, quotiens rei mobilis ad immobilem, vel è contra transfertur officium. *Idem.*

301. *Clarescunt.*] In antiquissimo codice legere est, *concrescunt sonitus*, superaddita etiam paraphrasi, *spissantur.* *Crescere* enim & *concrescere* de sonitu non sine horrore dici potest. Hic vero non clamores tantum, sed & armorum concursationes, & corruentium ædium fragores audiebantur. Ut opus esse videatur verbo, plenius aliquid resonante. *Pierius.*

Ingruit.] Invadit: ut, *Ingruit Æneas Italis, & prælia miscet.* Servius.

302. *Excutior somno.*] Ut appareat terroris esse, non satietatis. clamoribus & sonitu interruptus est, ut non ipse somnum excuteret, sed somnus ipsum. *Idem.*

Excutior.] Non dixit *expergiscor*, quod esset aut ex satietate somni, aut ex animi tranquillitate. Quies ergo dormientis abrupta est. *Donatus.*

Excutior somno.] Hom. sæpe ὕπνου ἐξέθορε, & σεύετο· & Od. β. ὤρνυτ' ἄρ' ἐξ εὐνῆφιν Ὀδυσσῆος φίλος υἱός· & Æsch. in Eumen. ἀπολακτίζειν ὕπνον. Et Orph. Argon. δολίου ἐξέσσυτο ὕπνου· & ἆλτο δ' ἄρ' ἐξ εὐνῆς. *Germanus.*

Excutior somno.] Sic Ovid. l. 4. Fast. ℣s. 555. *Excutitur somno stulte pia mater.* & ℣s. 667. *Excutitur terrore quies.* Apulejus l. 4. *somno recussa.* & l. 8. *excussa quiete.* Emmeness.

Et summi fastigia tecti, &c.] Ut posset vel videndo per flammas, vel audiendo cuncta percipere. *Donatus.*

303. *Arrectis auribus.*] Translatio ab animalibus, quæ ad omnem sonum erigunt aures. *Servius.*

Arrectis auribus.] Sic ℣s. 173. *luminibus arrectis.* & l. 1. Æn. ℣s. 152.

—— *silent arrectisque auribus adstant.*

Vide, quæ illic Cerda notavit. *Emmen.*

304. *In*

In segetem veluti cum flamma furentibus austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores;
Præcipitesque trahit silvas: stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum vero manifesta fides, Danaûmque patescunt
Insidiæ. jam Deiphobi dedit ampla ruinam,

Vol-

304. *In segetem.*] Comparatio humilis, quæ tamen plurimum habet energiæ. Videatur Scalig. lib. 5. cap. 3. *Taubm.*

Cum flamma furentibus austris.] Ubique bene vis aquæ & ignis bello comparatur, quia utriusque rei prope unus effectus est. *Servius.*

In segetem veluti cum flamma, &c.] Macrob. l. 5. Saturn. c. 13. Virgilium in hac comparatione non æquare dicit Homerici carminis majestatem, quod invenias l. β. vs. 455. Hic *segetem* Non. Marcell. fructus frumenti interpretatur. *Emmeness.*

305. *Rapidus.*] Quare *rapidus*? Quia montano flumine fluxit, ut, *Largoque humectat flumine vultum.* Servius.

Torrens.] Fluvius qui æstate siccatur; unde & nomen accepit, cui Græci per contrarium dedere vocabulum. Nam χειμάῤῥοον dixerunt, à tempore, quo crescit: sicut æquinoctium ἰσημερία. *Idem.*

306. *Boum labores.*] Ut alibi * *nec tamen cum hæc sint hominum deûmque labores.* Idem.

Boumque labores.] Ἔργα βοῶν. etenim Græcis ἔργον, Latinis *labor* signatissimæ sunt voces, & κατ' ἐξοχὴν pertinentes ad agriculturam. Itaque quod Virgilius dixit, *Hominumque boumque labores*, reddi ex Homero potest βοῶν καὶ ἀνδρῶν ἔργα. Ergo quoties ἔργον in re agresti occurrat, reddes melius *laborem* quam opus. sic Ritt. illud Oppian. 2. κυνηγ. ἔργα βοῶν θαλερὰ βεβρίθεν ἀλωάς, reddit, *labores boum florentes onerant areas.* Et Xenophon de Proventibus ἀργυρεῖα, id est, *fodinas argenti*, vocat ἐνεργά, propter laborem, qui in illis impenditur, & lib. 5. ἀπομνημ. terram cultam vocat ἐνεργὸν, propter eundem laborem. inde ἐργατίναι Oppiano, & ἐργοπόνοι Leonidæ 2. Anthol. agricolæ sunt nulla re addita: & à Bione in Ecl. χειμὼν δύσεργος dicitur, quæ Horatio, *bruma iners*, quod hiems agricolarum laboribus inepta sit. Porro ἐργατίνας appellatos quoque χειρωνάκτας, & ἀποχειροβιώτας notum his, qui libarunt Græca. *Cerda.*

307. *Præcipitesque trahit silvas.*] Hoc speciale fluvii est: supra dicta vero etiam ignis. *Servius.*

Inscius.] Non ignarus. Nam videt, qui non valde sit caussarum peritus, id est, simplex, ἄπειρος. *Idem.*

308. *Saxi de vertice.*] Pro *montis.* Contra in sexto, *montem* pro *saxo* posuit; ut, *Prensantemque uncis manibus capita aspera montis.* Idem.

Saxi de vertice.] Ut hic *vertex* de monte, ita Plinius lib. 2. c. 44. *montium vero flexus, crebrique vertices.* in 6. *caput* dedit, quod vicinum vertici, *capita aspera montis.* Cerda.

309. *Manifesta fides.*] Non somnii, ut quidam volunt, sed fraudis Græcorum. Nam & hoc sequitur. *Servius.*

Danaûmque patescunt insidiæ.] Quamvis alii hoc ad Laocoontis interitum, alii ad responsa Cassandræ applicassent. *Idem.*

310. *Jam Deiphobi.*] Quia ipse post mortem Paridis Helenam duxit uxorem. Unde ei graviter Græcos constat esse iratos, de quo plenius in sexto narratur. *Idem.*

Jam Deiphobi.] Narratis quæ audierat, ponit quæ videbat. *Donatus.*

311. *Vol-*

Volcano superante, domus: jam proximus ardet
Ucalegon: Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virûm clangorque tubarum.

Arma

311. *Volcano superante.*] Id est, minis magna incrementa faciente. inde dictus Volcanus Varr. de L.L. libr. 4. *ab ignis violentia.* eadem locutio *Superante salo.* de *Volcano* pro *igne* actum l. 1. Georg. vs. 295.

— *Volcano decoquit humorem.*
Emmeness.

Proximus ardet Ucalegon.] Proximus Deiphobo, rem domus ad personam transtulit, & est τὸ αἴτιον, hoc est causativum, ideo enim ardet, quia proximus est: ut, *Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.* Bene ergo proximam Deiphobo domum dicit invasam, apud quem Helena fuerat: Secundum Ucalegonem posuit, quem juxta Homerum in consiliis & amicitia constat Priami fuisse. *Servius.*

Proximus.] Ne quis dicat nos super antiqua scriptione curiosos nimis, si *proxumus* in ant. cod. scribi dixerimus. Apud Carisium quoque ita scriptum invenimus antiquo codice. Ubi locum citat Crispi ex 111. unde Virgilius locum desumpserit. Non tu scis, si quas ædis ignis cœpit acriter, haud facile sunt defensu, quin & comburantur *proxumæ.* Pierius.

Ucalegon.] Ejus meminit Hom. Il. γ. οὐκαλέγων τε καὶ ἀντήνωρ πεπνυμένω ἄμφω εἵατο δημογέροντες ἐπὶ σκαιῇσι πύλῃσι γήραϊ δὴ πολέμοιο πεπαυμένοι, ἀλλ' ἀγορηταὶ ἐσθλοί. *German.*

Jam proximus ardet Ucalegon.] Proverbium Horatianum,

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Victorium lege lib. 16. Var. cap. 13. Ucalegontem proverbialiter accepit Juvenalis Sat. 3. ab hoc Virgilii versu, cum dixit,

— *jam poscit aquam, jam frivola transfert*
Ucalegon, tabulata tibi jam tertia fumant. Cerda.

Ucalegon.] Eodem modo Horat. l. 1. Sat. 5.

— *ubi sedulus hospes Pæne arsit.* id est, domus hospitis. *Emmeness.*

312. *Sigea.*] Duo sunt Trojæ promontoria, Rœtheum & Sigæum; quod dictum est propter Herculis taciturnitatem, qui prohibitus hospitio Laomedontis simulavit abscessum, & inde contra Trojam per silentium venit, quod σιγή. *Servius.*

Sigea.] Significatur incendii magnitudo, cum in ipso horrore tenebrarum Sigæa undæ clare cernerentur ab illucente Trojana igne. Sigæi promontorii meminit Plinius lib. 4. cap. 11. & Strabo lib. 13. Geog. à quo promontorio hic freta dicuntur Sigæa: in 7. campi Sigæi,

— *num Sigæis occumbere campis.*

Idem Strabo eodem libro meminit urbis ejusdem nominis, ut cum ait, τὸ Σίγειον, κατεσπασμένη πόλις,
Sigæum Urbs diruta.
Cerda.

Freta lata relucent.] Incendii magnitudinem voluit significare: non hoc quidem describere. *Lata* autem ideo, quia se angustiæ Pontici oris illic dilatant. *Servius.*

313. *Clamorque virûm.*] Sive qui cædebantur, sive qui cædebant. *Idem.*

Exoritur clamorque virûm.] Eo pertinet, quia dixit: *Tum vero manifesta fides, &c.* Quantus autem fuit affectus Æneæ, qui nec somnio Hectoris admonitus, neque manifesta captivitate urbis deterritus, arma cepit? *Donatus.*

Clangor.] Græcorum est. Nam κλαγγὴ dicitur. Illud sane sciendum est, quia morem tetigit expugnationis. Plerunque enim ad tubam evertunt civitates: sicut Albam Tullus Hostilius jussit everti. *Servius.*

314. *Amens.*]

Arma amens capio; nec ſat rationis in armis:
Sed glomerare manum bello, & concurrere in arcem
Cum ſociis ardent animi. furor iraque mentem
Præcipitant; pulchrumque mori ſuccurrit in armis.
Ecce autem telis Panthus elapſus Achivûm,
Panthus Othryades, arcis Phœbique ſacerdos,
Sacra

314. *Amens.*] Qui nec ſomniis credidi; nec rebus aſpectis. Quamvis quidam ſic exponant, Capio non manibus interim, ſed animo, nam intentio erat: ergo *capio*, placet mihi ſumere. *Idem.*

Amens.] Omnibus adverſis, mente turbata, non in fugam, ſed in arma convertitur. Et quærit manum ſociorum, quibus arcem, amiſſis jam mœnibus, defendat. *Donatus.*

Arma capio.] Sic & Græcis ὅπλα λαμβάνειν familiare. *Germ.*

Arma amens.] Notetur anhelitus in iterata vocalis vaſtitate. Sic 5. Æn. *ſale ſaxa ſonabant.* Vide Scalig. lib. 4. cap. 48. *Taubm.*

Sat rationis.] Quoniam amens, ideo nec ſat rationis. aut oſtendere vult primam ei cogitationem fuiſſe de patria, ſed ſubveniendi ei armis nullam fuiſſe rationem, ardente jam patria, quomodo enim incenſam civitatem defenderet? *Servius.*

Nec ſat rationis in armis.] Q. d. Non mirum eſt, me arma cepiſſe ſine ratione: furor enim & ira mentem præcipitant hominum. Forte hoc vult oſtendere, primam ei cogitationem de Patria fuiſſe, ſed ſubveniendi ei armis nullam fuiſſe rationem. Quî enim incenſam civitatem defenderet? Porro ad hunc locum Scal. lib. 3. cap. 11. Acuit, inquit, eam fortitudinem in ſumma rerum trepidatione, atque deſperatione, ita ut etiam exeat in audaciam,

Arma amens capio, nec ſat rationis in armis:

Quippe ſolus. quo? quibus? neque dux, neque ſub duce. Sperat tamen, proponitque ſibi viri fortis factum: *ſed glomerare manum*, id eſt, cives ad bellum cogere: apponit conſilium, *Et concurrere in arcem*: adjungit ferociam, quaſi ſtimulum virorum fortium, *Furor iraque mentem Præcipitant.* Itaque concludit, *pulchrumque mori ſuccurrit in armis, &c.* Vide ibidem plura. *Taubm.*

315. *Bello.*] Ad bellum, *Servius.*

Concurrere in arcem.] Quod inde facile poſſit pugnari * hoſtibus. *Idem.*

316. *Furor iraque mentem Præcipitant.*] Poteſt quidem ſpecialiter accipi, id eſt, mentem meam furor & ira præcipitaverunt: ſed melius eſt generaliter: Non mirum eſt, me arma cepiſſe ſine ratione: furor enim & ira mentem præcipitant. *Idem.*

317. *Pulchrumq; mori.*] Non erat ſpes victoriæ, ſed armatus magis quam inermis, pulchram mortem ignominioſæ vitæ præponebat. *Donatus.*

Succurrit.] Ratio viri fortis, quid enim aliud à bono cive & forti, amiſſæ patriæ poſſit impendi. & *Succurrit*, in animum venit. *Servius.*

318. *Ecce autem.*] Adventu Panthi ſpem conceptam arcis defendendæ amittit. At ille non metu hoſtili deterritus erat, ut non ferret ſecum quicquid deorum in arce colebatur. Portabat enim ſacra, & deos victos, ut oſtenderet humanum auxilium adverſus eam vim non fuiſſe neceſſarium, cui ipſi quoque dii reſiſtere pro ſe non potuerant. *Donatus.*

Elapſus.] Verbum aptum his, qui vix evaſerunt. *Servius.*

319. *Panthus Othryades.*] Everſo Ilio ab Hercule, & occiſo Laomedonte, Priamus judicans vitio potius loci, quam ira deûm calamitatem accidiſſe patriæ,

Sacra manu, victosque deos, parvumque nepotem
Ipse trahit, cursuque amens ad litora tendit.
Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?
Vix

patriæ, misit Delphos filium Antenoris scitaturum, an eversum Ilium fas esset hisdem erigi fundamentis. Erat eo tempore Apollinis Delphici sacerdos Panthus, Othryadis filius, miranda pulchritudine, hunc filius Antenoris, ut dicitur, amore captus, rapuit, & Ilium perduxit, cujus injuriam Priamus volens honore pensare, sacerdotem eum Apollinis fecit, ut quo honore insignis apud suos fuerat, eo apud alios non esset inferior. *Servius.*

Panthus.] Panthum hunc magnæ apud Trojanos auctoritatis fuisse constat ex narratione Dictyis l. 2. Bel. Trojan. ubi post longam Ulyssis orationem de componenda pace, primus omnium loquitur, deinde Antenor, mox seniores alii. Et lib. 5. Epig. dicitur Panthus Τρώων βουληφόρος: *Trojanorum consiliator.* Homer. 3. Il. cum multos Trojanorum proceres constituat in portis Scæis bellum spectantes, post Priamum statim Panthum nominat, cum tamen ibi multorum, & gravissimorum mentio fiat. *Cerda.*

Arcis Phœbique sacerdos.] Aut subrogatum intelligimus: aut quod melius est, morem Romanum tangit. In Capitolio enim omnium deorum simulachra colebantur. Ut sit illius Apollinis sacerdos, qui in arce colebatur. Ideo addidit * alterius, id est, arcis quasi arcani, quia ipsum esse dicunt urbium conditorem. aut *Arcis* Minervæ accipiamus. *Servius.*

320. *Sacra manu.*] Omnino verum, quod Hector dixerat, *Sacra suosque tibi commendat Troja penates.* Idem.

Sacra.] Per *sacra* hic intelligo vittas, velamina, & alia quævis, quæ ad numina pertinent, nam tautologiam non concedam. *Cerda.*

Victosque deos.] Qui egebant sacerdotis auxilio. Simul & Æneæ excusatur abscessus. *Servius.*

321. *Ipse trahit.*] Id est, qui numina liberat, inter pietatem religionemque districtus: Et est septima syllepsis. *Trahit* enim, licet ad nepotem pertineat, tamen & superiora concludit. *Servius.*

Nepotem trahit.] Infra de Andromache: & *avo puerum Astyanacta trahebat.* Germanus.

Sacra manu, victosque deos, parvumque nepotem ipse trahit.] Sanctius *trahit* non vult referri ad superiora, sed supplendum *fert* vel *portat*, nempe manu. Eum vide p. 388. *Emmeness.*

Cursu.] Legitur & *cursum.* Serv.

Amens.] A tutis exclusus, ad intuta fugiens, ostendebat plenam amentiam. *Donatus.*

Ad litora.] Æneæ & religio laudatur, & virtus. *Servius.*

Ad litora.] In Oblongo codice perveteri, & in Mediceo, & plerisque aliis *ad limina* legitur. Quam lectionem Servius agnoscit. Attendendaque est Æneæ virtus, ad quem Sacerdos cum sacris & nepote parvulo confugeret. Eadem lectione sententia diversa, Donatus ait, *Cursuq; amens ad limina tendit.* Tutis exclusus ad intuta confugiens, plenam testabatur amentiam, quum eo fugiens, curreret, ubi cum ipsis diis potuisset incendi. *Pierius.*

322. *Quo res summa loco Panthu?*] Respublica, id est, universus status quo loco positus. & bene civis utilis, de Repub. primum sollicitus est, sed hoc totum admirantis est, non interrogantis, & *Panthu* vocativus est Græcus. *Serv.*

Quo res summa.] Interrogatio brevis, pro ratione temporis sumpta. Quæsita etiam pro persona fugientis, & pro ejus, qui licet adversa maturarent, tamen scire cupiebat. *Summa*, rerum est bonorum & malorum. Concinna diffinitio, qua celerius exprimi possint adversa, vel prospera. *Donatus.*

Quo res summa loco.] Hic plenam locutio-

Vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:
Venit summa dies & ineluctabile tempus

Dar-

cutionem habes, in qua tamen elegans ellipsis est, cum *summa* substantive sumitur. Corn. Nep. in Pelopida cap. 5. *cujus belli cum ei summa esset data.* Vide Sanct. p. 335. Apposite Plaut. in Mercat. 5. 4. 26. *nam si istuc jus est, senecta ætate scortari senes, ubi loci res summa nostra est publica.* Emmeness.

Panthu.] Græca crasis, Πανθόε, Πανθȣ̃. ut & supra, ab Πάνθοος, Πανθȣ̃ς. Illud, *Quo res summa loco?* sumptum fortasse ab Ennio 16. Ann.

Quo res ipsa loco sese ostendatque jubetque. In Ennio legunt, *Quo ressapsa loco.* Vide uti Modicius cap. 7. arrepta ex hoc versu occasione damnet Homeri nimiam loquacitatem in mediis pugnis & bellandi ardore. *Cerda.*

Quam prendimus arcem.] Cum tu eam relinquas. Non enim plures erant arces. Unde admirantis est. *Prendimus* autem, occupamus. Et notanda simul orationis brevitas, quæ in pericula congruit. *Servius.*

Quam prendimus arcem.] Arx est secunda defensio, ut evictis muris ipsa succedat. Recte ergo quæsitum, *quam prendimus arcem?* Intelligebat enim ex fuga Panthi, arcem captam, neque aliam præterea esse. *Donatus.*

Quam prendimus arcem.] Admirantis verba sunt, immo increpantis, quare etiam *amens* dicitur: Ac si dicat, quo nobis fugiendum, cum tu ad mare tendis, vel alio, arce, quæ in urbe una est tantum, relicta: loco urbis firmissimo & munitissimo, spes enim prima in muris solet esse, secunda in arce, cum hostis irrupit. arx, interprete Asconio, vel *sedem tyranni* significat, vel *editum in civitate & munitiorem ad salutem civium locum.* inde enim *arx* ab *arcendo*, ut Servius l. 1. Æn. ℣ſ. 21. & Isidor. l. 10. c. 9. *Emmeness.*

323. *Vix ea fatus.*] Prædicanda artificiosa subtilitas poëtæ in respondendo. Iisdem enim verbis, & eadem brevitate, & instruxit inscium, & quæ summa esset rerum, perdocuit. Ille enim: *Quo res summa loco Panthu?* Hic: *Venit summa dies & ineluctabile tempus*, quod luctando superari non potest. *Donatus.*

Vix ea fatus eram.] Homer. Odyss. π. ȣ̓́πω πᾶν εἴρητο ἔπος. *Cerda.*

Gemitu.] Ut ostendat luctuosam rem se esse dicturum. *Servius.*

324. *Summa dies.*] Ultima, aut suprema, ut *supreme Jupiter.* *dies* autem si fœminino genere ponatur, tempus significat: ut, *Quam ante longa dies:* si masculino vero ipsum diem. Et de masculino genere tria observanda sunt: in qualitate, numero, adverbio. In qualitate, serenus si dies, non serena. Numero, *Bis quinos silet ille dies*, non *Bis quinas:* Adverbio, *hoc die*, non *hac die.* Cæterum *diecula* nihil præjudicat, quia multa diminutiva recedunt à nominibus primæ positionis, ut *scutum*, *scutella: canis, canicula: rana, ranunculus.* Idem.

Venit summa dies.] Hunc locum Macrobius lib. 5. cap. 1. copiosissimæ Orationis citat exemplum. Quis enim fons, inquit, quis torrens, quod mare tot fluctibus; quot Maro verbis hîc inundavit? *Taubmannus.*

Summa dies.] In fœminino, pro temporis spatio, quod hic observatum à Marone Charisius notavit lib. 1. inst. Gramm. inde *diecula* apud Ter. A. 4. 2. 21. pro breviori tempore, ut Donatus. in Masculino autem duodecim horarum tempus juxta Asconium. *Emmeness.*

Ineluctabile.] Quod nemo eluctari possit ut effugiat, cum decem annis luctati simus. *Servius.*

Ineluctabile tempus.] Vide eum locum infra: *Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum.* German.

325. *Dar-*

Dardaniæ. fuimus Troës: fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum. ferus omnia Juppiter Argos
Transtulit. incensa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in mœnibus adstans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet
Insul-

325. *Dardaniæ.*] Trojæ. aut à Dardano Jovis & Electræ filio, quem quidam ab Arcadia profectum venisse ad Phrygiam volunt: Alii de Samothracia ad memorata loca venisse dicunt, qui ex nomine suo Dardanos populares appellavit: qui ex Samothracia Trojam penates dicitur detulisse, quos post secum Æneas ad Italiam vexit: Nam & Samothraces horum Penatium Antistites suos vocabant, qui postea à Romanis Salii appellati sunt, hi enim sacra penatium curabant; quos tamen penates, alii Apollinem & Neptunum volunt, alii Astatas esse, & in regia positos tradunt. Tusci penates Cererem, & Palem, & Fortunam dicunt, aut certe secundum Sallustium, *A rege Dardanorum Mida, qui Phrygiam tenuit.* Servius.

Fuimus.] Periit, quicquid apud nos erat. *Donatus.*

Fuimus Troes, fuit Ilium.] Plane ex imitatione Euripidis in Troad. sub persona Andromaches ad Hecubam: *πρὶν ποτ' ἦμεν. ἐκάβ. βέβακεν ὄλβος, βέβακε τροία. Germanus.*

Fuimus Troës: fuit Ilium.] Unde fluxerit hæc formula, disputat Politian. Miscell. cap. 88. Verbum *fuit* convenire oppidis, quæ esse desierunt, docet Salmas. Plin. exercit. p. 870. inde proverbium ab omnibus decantatum passim Græcis Tragicis ἦμεν τρῶες. Ovid. Epistol. 1. Heroïd.

Nunc seges est, ubi Troja fuit.
l. 13. Met. 429.
Est, ubi Troja fuit, Phrygiæ contraria tellus.
Propert. l. 2. eleg. 8.
Magni sæpe duces, magni cecidere tyranni,
Et Thebæ steterunt, altaque Troja fuit.
Emmeness.

Ingens gloria Teucrorum.] Periit, quicquid apud nos floruit. *Donatus.*

326. *Ferus Juppiter.*] Summæ necessitatis est, quoniam cum esset sacerdos, in convitia ruit deorum: quod servat Virgilius, ne unquam tradat Æneæ. *Servius.*

Ferus.] Invidiose dictum est, & ad tempus epitheton. Nam Juppiter æquus est omnibus; ut, *Rex Juppiter omnibus idem.* Hinc & paulo, *Ipse deos in Dardana suscitat arma*, hoc est, qui æqualis esse consuevit. *Idem.*

Ferus.] Nam in adversis etiam deos male tractamus. *Ferus.* Quia omnibus ad Græcos traductis, nihil nobis reliqui fecit. *Donatus.*

Argos transtulit.] Quasi dicat, qui defendas, quod Juppiter transtulit. *Serv.*

Argos.] Non ad Argos, id est, Græcos, sed in eam urbem. *Donatus.*

327. *Dominantur.*] Non pugnant, sed, ardente urbe, securi de victoria, dominantur. *Idem.*

328. *Arduus.*] Incultus, ut, *Illi ardua cervix*, & ideo *Demissum lapsi per funem.* Servius.

Mœnibus in mediis.] Ubi arx fuerat. *Id.*

Adstans.] Pro *stans*: & est Prothesis. *Idem.*

329. *Fundit equus.*] Homerus ἵππῳ ἐνεκχωμένοι. Et ad voluntatem & ad multitudinem, & sonora, quasi adhuc descendant. *Idem.*

Fundit.] Nam quamvis jam fudisset, tamen ex perturbatione animi, adhuc equum fundere armatos putabat. *Don.*

Fundit equus.] Ita Petronius,
Danai relaxant claustra, & effundunt viros. Cerda.

Victor.] Propositi effector: ut, *Rapidusque rotis insistere victor.* Servius.

Miscet.] Scilicet cædibus. *Idem.*

330. *In-*

Insultans. portis alii bipatentibus adsunt,
Milia quot magnis umquam venere Mycenis:
Obsedere alii telis angusta viarum
Oppositi, stat ferri acies mucrone corusco
Stricta,

330. *Insultans.*] Non dicit illis Græcos insultare, sed Sinonem, qui illis muros patefecerat dolis; & *insultare* est in alienum dolorem gaudere, *exultare* vero gaudere. *Serv.*

Insultans.] Refert gratias, nam interventu ejus Trojani certabant illudere capto. *Donatus.*

Insultans.] Hoc verbo signatur hostile gaudium & præterea ludibrium, quo victi & prostrati afficiuntur. Florus de occiso C. Graccho. l. 3. c. 15. *insultatum quoque mortis reliquiis.* Sic. l. 4. c. 12. de insultatione barbarorum in cæde Variana, Phædr. l. 1. f. 22. *fortes indigne tuli insultare mihi.* Just. l. 5. c. 5. *At dux Lacedæmoniorum, rebus feliciter gestis, fortunæ hostium insultat.* Emmen.

Bipatentibus adsunt.] Quia geminæ sunt portæ. Et quidam *bipatentibus* præsumptum accipiunt, quia, *bi*, particula non præponitur, neque verbis, neque participiis. Nemo enim *Bipateo* & *bipatens*, sed proponitur appellationibus, ut *bipennis*. Servius.

Portis bipatentibus.] Ostendit unam portam, quæ ingredientibus atque egredientibus in muris præparata fuerat: alteram, quæ, dirutis muris, fuerat patefacta, ut equi moles immensa posset induci. Per has portas dixerat poëta immissos hostes: ut, *omnes accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt.* Verum Panthus eadem ratione adhuc immitti dicit. *Donatus.*

331. *Milia.*] Subaudi *tot*, & est ἀνακόλουθον. Nam dixit *quot*, cum non præmiserit *tot.* Et ita vel augendi gratia, vel perturbatus dixit, tantos esse Græcos, quanti olim venerint, quasi nemo perierit decennali bello. *Serv.*

Umquam.] Pro quondam. *Idem.*

Umquam.] Rectius per *n* scribi Dausquius monet. *Emmeness.*

332. *Obsidere.*] Causa ponitur cur Æneas & Panthus fugere non possent. *Donatus.*

Obsedere alii telis, &c. oppositi.] In codicibus antiquis, Mediceo, & aliquot aliis legere est, *oppositis.* quippe *telis.* & ita etiam est in Donatiano codice. Invenio tamen *s* litteram superfluam sæpe alicujus dictionis fini adjectam, si præsertim dictio sequens ab eadem incipiat, dictantium celeritate librariis deceptis: verum hic nihil est, quod offendat, si *Oppositis telis* legere, antiquis magna ex parte codicibus adstipulantibus, cuiquam visum fuerit. *Pierius.*

Angusta viarum.] Angustas vias, id est, vicos, ut, *Strata viarum.* Serv.

Angusta viarum.] Sic Lucret. l. 1. *vera viai*, & noster Æn. ℣s. 422. *Strata viarum.* illic plura. *Emmeness.*

333. *Stat.*] Aut horret: ut, *Stant lumina flamma*: Aut *stat*, adstantibus in medio armatis tenetur. *Servius.*

Ferri acies.] Bene addidit *ferri*, quia homonymum est *acies*, & multa significat, ut exercitus, ferri, oculorum. *Idem.*

Stat ferri acies.] Sunt codices, in quibus legere est, *stat pernicies mucrone corusco:* quod quia nonnullis alienum à Virgiliana phrasi videbatur, eram dissimulaturus, verum ubi in Ti. Donati commentaria incidi, animadverti hominem lectionem hanc agnovisse, longa etiam adjecta paraphrasi. ita enim est, *stat pernicies.* Omnia adversa sunt. & in eum desperationis cardinem ducta, ut nec consistere in patria quisquam sine pernicie possit, nec saluti fugiendo consulere. Sed enim longe magis placet, *stat ferri acies*, ut agnoscit Servius & aures adprobant eruditæ. *Pierius.*

Stricta, parata neci: vix primi prœlia tentant
Portarum vigiles, & cæco Marte resistunt.
Talibus Othryadæ dictis & numine divûm
In flammas & in arma feror: quo tristis Erinnys,
Quo fremitus vocat, & sublatus ad æthera clamor.
Addunt se socios Ripheus, & maxumus armis,
Æpitus:

334. *Stricta.*] Nuda. Unde & *distringere* dicimus. *Servius.*

Parata neci.] Active, ad necem aliis parandam. Scal. lib. 4. cap. 16. *Taubm.*

Vix.] Modo ægre. *Servius.*

Primi.] Vel in primo introitu collocati, vel periculo primi. *Idem.*

335. *Cæco Marte.*] Aut confusa pugna, aut nocturna: aut epitheton Martis est, cujus exitus semper incertus est. Aut quia cæcantur animæ & agmina pugnantium. *Idem.*

Cæco Marte resistunt.] Varie explicant. Ego nocturnum bellum intelligo, quam explicationem secundo loco Servius adhibet. & Germ. νυκτομαχοῦντες, ait, hoc est, *pugnantes noctu.* Cerda.

336. *Othryadæ.*] Patronymici genitivus; nam Panthus Othryadis filius fuit. *Servius.*

Numine divûm.] Subaudis *tali*, hoc est mala injiciente desideria. Nam paullo post ait: *Vadimus inmixti Danais, haud numine nostro.* Cum ergo hoc esset, tamen omisso consilio, *in flammas, & in arma feror.* Idem.

Numine divûm.] Nam sic sum accensus verbis Panthi, quasi deorum numine sim afflatus. *Donatus.*

337. *Erinnys.*] Impatientia animi hoc loco, quæ in furorem impellit. *Servius.*

Erinnys.] Ita per *i* & *y* scribendum, non *Erynnis*, quod ex Græcis, quibus ἐριννὺς est, demonstrat Dausquius hic, quamvis interpretes arguat Nascianbænus, pro furore bellico sumens. *animi impotentiam* significare videtur, seu *impetum immoderatum*, ut colligis ex vs. 314. *arma amens capio.* & paullo post: *furor, iraque mentem præcipitant.* ἐριννύειν enim est τὸν θυμοῦ χρῆσθαι, iram exercere, indignari. *Emmeness.*

338. *Fremitus.*] Perturbatio. *Serv.*

Et sublatus.] Et, unde sublatus. *Idem.*

Clamor.] Ergo ibi major erat cædes, unde mors facilior. *Donatus.*

Sublatus ad æthera clamor.] Sic in 11.
— *immensus surgens ferit aurea clamor*
Sidera.
& in 5. — *ferit æthera clamor*
Nauticus.
Statius 3. Theb. — *it clamor ad auras*
Quantus Tyrrheni gemitus salis.
ibidem: — *rursus fragor insonat ingens*
Hortantum, & vasto subtervolat astra
tumultu.
& Flac. 6. Arg.
Æthera — *lituum concentus adit.*
Cerda.

339. *Addunt se socios.*] Non dixit quæro socios, sed *addunt se*, ut ipse ab illis videatur esse quæsitus. *Servius.*

Addunt se socios.] Ne narratio multorum nominum, ex similitudine fiat odiosa, mirifice distinguit interpositione verborum: sed ordina, *Addunt se socios & lateri adglomerant nostro, oblati per lunam Ripheus, Iphitus, Hypanis, Dymas, & Corœbus per lunam.* Nam principium hujus noctis luna caruit, sequentia habuerunt. *Donatus.*

Maxumus armis Epitus.] In codicibus omnino plerisque, *armis* legitur. In aliquot vero aliis *maximus annis* habetur, quod inferiori sententiæ respondet. Quorum Iphytus ævo jam gravior. In nonnullis etiam ex his antiquioribus & hic & inferius, *Epytus*, scriptum est per *e* prima syllaba, & absque aspiratione. In aliquot *Ephytus* cum aspiratione.

Æpitus: oblati per lunam Hypaniſque Dymaſque:
Et lateri adglomerant noſtro: juveniſque Corœbus
Mygdonides. illis ad Trojam forte diebus

Vene-

tatione. Sed *Iphytus* receptum magis. *Pierius.*

Æpitus.] Nomen idem occurrit in poſteris Æneæ, fuit enim quamvis ab hoc Maronis diverſus, poſtea ſic dictus filius Latini, pronepotis Aſcanii, qui Albam condidit, teſte Ovid. lib. 14. ☩ſ.613.

—— *Clarum ſubit Alba Latinum*
Æpitos ex illa eſt.

ubi codices variant; ſed *Æpitus* ſcribendum, eo in loco Nobiliſſ. Heinſius docet. *Emmeneſſ.*

340. *Oblati per lunam.*] Agniti per Lunæ ſplendorem. *Servius.*

Oblati per lunam.] Qui ſuperius illud *ſilentia Lunæ* accipiunt, de Lunæ coitu, videant in ipſorum capita impluere hoc exemplum. Sed adhuc aliqui ibi intellexerant, non quidem coitum Lunæ, ſed tempus illud, quo nondum illa orta; & tunc dicunt, illa ſilet. Sed hi quidem viris doctis divinare ſunt viſi, neque enim facile exemplum advocabitur, quo ſilentium Lunæ ſic accipiatur, ut ipſi volunt. *Cerda.*

Oblati per lunam.] Sic ſubluſtri nocte viſus eſt Eurialus, de quo l. 9. ☩ſ. 373. quid miramur hos ad ſplendorem lunæ cognitos? qua terram illuminante jam inde longius, præcipue armati, dignoſci poſſunt. Videndus Apulejus l.6. Metam. *Emmeneſſ.*

341. *Adglomerant.*] Adglomerantur; ut, *Nox humida cœlo Præcipitat.* Servius.

Adglomerant.] Pro *adiungere.* A glomere dictum teſte Non. Marcello. Verbum activum pro paſſivo ſumi vult Vechnerus l. Hellenol. ſed ſubaudiri poteſt accuſativus, qui aliis in locis huic additus eſt verbo, ut lib. 9. Æn. ☩ſ. 539.

Dum ſe glomerant.

Emmeneſſ.

Corœbus Mygdonides.] Hic filius Mygdones & Anaximenæ fuit. Ergo patronymicum. Nam ſi gentis eſſet, *Mygdonius* diceretur. Nullius enim gentis nomen in *des* exit. Hunc autem Corœbum ſtultum inducit Euphorion, quem & Virgilius ſequitur: Dans ei, *Dolus an virtus quis in hoſte requirat?* Quum ſit turpis dolo quæſita victoria. *Servius.*

Corœbus.] Poëta Homericos verſus convertit, qui ſunt Il. 13. de Othryoneo.

Ὥς ῥα νέον πολέμοιο μετὰ κλέος εἰ-
ληλύθει.
Ἤτεε δὲ Πριάμοιο θυγατρῶν εἶδος
ἀρίστην,
Κασσάνδρην, ἀνάεδνον· ὑπέσχετο δὲ
μέγα ἔργον,
Ἐκ Τροίης ἀέκοντας ἀπωσέμεν υἷας
Ἀχαιῶν.

Scribit Zenobius hunc Corœbum procerum fuiſſe corpore, ſed ita vecordem, ut undas maris numeraret, quod commeminere Parrhaſ. Eryt. Eraſ. Euſtath. in Odyſſ. 9. hunc εὐήθη vocat, *ſtultum.* Ælian. lib. 13. Var. Hiſt. cap. 15. inter homines *ἀνοήτους admodum fatuos* meminit quoque Corœbi. καὶ Κόροιβον δὲ, καὶ Μελιτίδην, καὶ ἐκείνους ἀνοήτους φασίν: *Corœbum, & Melitiadem fuiſſe hebetiſſimi ingenii memoriæ proditum eſt.* Ariſtides in 2. Platonica illum opponit Palamedi, ſignans Palamedem fuiſſe ſapientiſſimum, Corœbum ſtultiſſimum. Hanc eſſe ejus mentem ſatis liquet ex aliis, quos opponit, adi adagium, ἠλιθιώτερος Κοροίβου: *ſtultior Corœbo.* Hunc interfectum à Diomede Calaber ſcribit lib.13. *Cerda.*

Juveniſque Corœbus.] Hos verſus cum Homericis contendit Scal. lib. 5. cap. 3. *Taubmannus.*

342. *Mygdonides.*] Pauſ. Phocenſ. Κόροιβος ὁ Μύγδονος: *Corœbus filius Mygdonis.* Dubitant merito docti, an hic Corœbus idem ſit, qui dictus

Homero

Venerat, inſano Caſſandræ incenſus amore:
Et gener auxilium Priamo Phrygibuſque ferebat.
Infelix, qui non ſponſæ præcepta furentis
Audierit.
Quos ubi confertos audere in prœlia vidi;
Incipio ſuper his: Juvenes, fortiſſima fruſtra
Pectora,

Homero *Othryoneus*, nam quæ huic Græcus, Corœbo dat Virgilius: ſed hoſtis, à quo extremum fatum, contrarium indicat, nam Homericus ab Idomeneo occiditur, Corœbus à Diomede: Virgilius enim nihil ſignate, tantum ait infra, illum cecidiſſe in tumultu. *Cerda.*

Illis ad Trojam.] Deeſt *qui*. Serv.

Illis Trojam forte diebus Venerat.] In Mediceo & codicibus antiquis pleriſque omnibus, abſque relativo *qui* legere eſt, *illis ad Trojam forte diebus venerat:* quæ loquendi figura etiam alibi eſt apud Virgilium, relativo præterito, *ut Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni*, ſubintelligitur: *quam* ſcilicet Tyrii coloni tenuere. *Pierius.*

Illis ad Trojam forte diebus Venerat.] Pauſ. Phocenſ. ἀφίκετο μὲν δὴ ἐπὶ τὸν Κασσάνδρας ὁ Κόροιβος γάμον: *Venit Corœbus ad Caſſandræ nuptias.* Paria ferme invenies in Calabro lib. I. eo loci, quo Evenor interficitur, qui ad Trojam tunc venerat. Eſt vero locus Poëtæ notandus. nondum Corœbus Caſſandram, imo nunquam duxit, & tamen *gener* dicitur. Itaque fatis deſtinatio ad nuptias, ut quis dicatur gener. Habetur l. 4. §. affines. D. de gradibus. *gener filiæ noſtræ vir, ſed & ſponſus filiæ eo nomine continetur.* Cerda.

343. *Inſano amore.*] Aut perpetuum Epitheton amoris eſt, ut, *Nunc inſanus amor*, aut *inſano*, magno, ut *Inſano juvat indulgere labori.* aut *inſano*, quia belli tempore amabat Choræbus. *Serv.*

344. *Et gener.*] *Gener* dicitur & qui eſt, & qui eſſe vult; ut hic indicat locus, vel certe ſecundum ſpem illius, Neque enim jam, nam ideo ſubjunxit *ſponſæ:* ſic dicitur etiam maritus. Nam inde eſt, *Quos ego ſum totiens jam dedignata maritos.* Idem.

Auxilium Priamo.] Euſtath. in Odyſſ. 9. de Corœbo ait, ὕστατον τῶν ἐπικούρων ἀφικόμενον τῷ Πριάμῳ: *Veniſſe Priamo ultimum auxiliaturem.* Proprie autem *auxilium* datur Corœbo. auxilia enim ſociorum erant. auxiliarius miles, & legionarius directe oppoſiti: ille è ſociis, hic Romanus. *Cerda.*

345. *Infelix.*] Quem mox manebat interitus, vel infelix cauſæ ſuæ, vel qui ſponſam non audierit. *Serv.*

Præcepta.] Propter illud, *Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris.* Idem.

Furentis.] Vaticinantis. *Idem.*

Sponſæ præcepta furentis.] Ἐνθέου. & Hom. Il. δι. οὐγ' ὅγ' ἄνωθε θεῶν τάδε μαίνεται. Nimirum & Eurip. Caſſandram βάκχην vocat, *vatem divino furore afflatam*; ut infra Sibyllam *inſanam vatem*, quam & bacchari dicit Virgilius ſecutus Euripidem: infra item Æn II. *Caſſandræ furiis impulſus.* Germanus.

347. *Confertos.*] Quamvis *confertos* in codicibus aliquot antiquis habeatur: ex codice tamen Mediceo, & ex Longobardico, atque ex aliquot aliis, neque non ex Donatiano exemplari, & Aruſiano, *confertos* legerim eo ſignificato, quo apud Salluſtium legitur, *Catilina memor generis, atque priſtinæ ſuæ dignitatis in confertiſſimos hoſtes incurrit:* & ita apud alios frequentiſſime. *Pier.*

348. *Incipio ſuper his.*] His incipio, id eſt, verbis. *Super* autem, Inſuper: quia jam audebant, unde paulo poſt, *Furor additus.* Servius.

Juvenes fortiſſima fruſtra.] Ordo talis

Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi; (quæ sit rebus fortuna videtis.
Excessere omnes adytis arisque relictis

Di,

lis est, Juvenes fortissima pectora, frustra succurritis urbi incensæ; quia excesserunt omnes dii. Unde si vobis cupido certe est me sequi audentem extrema, *Moriamur, & in media arma ruamus.* Alii *sequi*, pro sequendi accipiunt. Obscuritatem autem facit hoc loco & synchesis, id est, hyperbati longa confusio, & est falsa lectio. Nam multi *Audiendi* legunt, multi *Audentis.* Sed neutrum procedit. Ergo *Audentem* legendum est, & ista sententia synchesis est, Id est, hyperbati longa confusio. *Idem.*

Juvenes.] Ordo est: *juvenes fortissima pectora, Quæ sit rebus fortuna videtis. Excessere omnes adytis, arisque relictis Dii, quibus imperium hoc steterat, frustra, succurritis urbi incensæ. Si vobis audendi extrema Cupido, eamus & moriamur, & in media arma ruamus. Una salus victis nullam sperare salutem.* Ergo juvenes fortes estis, & prompti: sed auxilium vestrum incensæ urbi quid proderit? sed una est salus victis, si salutem, quam tueri non possunt, desperando contemnant. *Donatus.*

349. *Si vobis audentem extrema cupido est certa sequi.*] Donatus *audendi extrema:* videtur agnoscere, & in ordinatione sensus ita digerit structuram, *Si vobis audendi extrema cupido certa sequi.* Sed enim exemplaria vetera pene omnia, *audentem* legunt: ut animositatis laus Æneæ præcipue deferatur. *audentem* quidem prius etiam in Mediceo scriptum fuit: Inde aliena manu & atramento, *audendi* Gerundii voce factum. *Pierius.*

Audentem.] Hic non tam capio θαρραλέον, quam θρασύν, quia audacia ista tota ad temeritatem. in eo signate Poëta *audentem extrema.* ideo de Atheniensi illo, qui quinquaginta tyrannos Athenis expulit, quique dictus Θρασύβουλος, Scholiastes Aristophanis in Plut. ὁ δὲ Θρασύβουλος ἀνὴρ, ob temeritatem. Sed quidem Poëta, Æneæ sui studiosus, abstinuit à temeritate contentus describpsisse. Hinc illustrabis infinita loca Poëtarum, qui una cum audacia conjungunt aliquid, quo temeritatem indicent. *Cerda.*

351. *Excessere.*] Quia ante expugnationem evocabantur ab hostibus numina, propter vitanda sacrilegia. Inde est, quod Romani celatum esse voluerunt, in cujus dei tutela Urbs Roma sit, & jure Pontificum cautum est, ne suis nominibus dii Romani appellarentur, ne exaugurari possint. Et in Capitolio fuit clypeus consecratus, cui scriptum erat, *Genio urbis Romæ sive mas sive fœmina.* Et Pontifices ita precabantur, *Jupiter optime maxime, sive quo alio nomine te appellari volueris.* Nam & ipse ait, *Sequimur te sancte deorum, Quisquis es.* Servius.

Excessere omnes adytis.] Hi versus sapere videntur priscorum ritus & superstitionem; qui in urbium obsidione, ne θεομαχεῖν viderentur, antequam machinas ullas muris admoverent, conceptis carminibus deos tutelares φυλακτῆρας mitigare & evocare solebant. Vide autem de sacrorum evocatione, & qualiter olim fieri sit solita, Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 8. *Germanus.*

Excessere omnes adytis.] Ita Corn Tacitus, de obsidione Hierosolymorum lib. 5. Histor. *Expassæ repente delubri fores, & audita major humana vox; Excedere deos. simul ingens motus excedentium.* Nam proditum est antiquis, cum Troja excidio propinqua esset, visos esse deos è suis templis sua exportare simulacra. Ita Sophocles in Fabula *simulacriferis*, induxit deos, suis humeris sua gerentes simulacra. Et Æschylus aperte dicit, urbes, quæ capiuntur, à suis diis, hominum opinione, deseri.

Di, quibus imperium hoc steterat) succurritis urbi
Incensæ. moriamur, & in media arma ruamus.
Una salus victis, nullam sperare salutem.
Sic animis juvenum furor additus. inde, lupi ceu
Rapto-

deseri. Sic cum Alexander M. Tyrum obsideret, multis Tyriorum visus est in somnis Apollo dicere; se ad Alexandrum abire; non enim sibi placere, quæ in civitate fierent. Servius autem & Macrob. l. 3. cap. 9. & lib. 5. cap. 22. hoc de *Evocatione* illa deorum tutelarium, quæ solemni carmine fiebat, interpretantur. De qua Plutarch. ἐν ῥωμαϊκοῖς, & Livius lib. 5. & Servius Fuld. Quod tamen Turnebo l. 14. c. 15. & Mureto Var. Lect. lib. 5. cap. 19. præ illo altero minus placet. Vere etiam Petr. Arbiter in Halosi Ilii:

Peritura Troja perdidit primum deos.

Taubmannus.

Excessere, &c.] Explanata satis hæc sententia. Faciunt huc illa Silii Ital. l. 12. ỳs. 511.

—— ut Pallatia cernas
Et denigrantem Tarpeja sede tonantem.

pro quo Modius Not. Antiq. lect. Epist. 38. *demigrantem* recte legit. idem etiam l. 2.

Et jam damnata cessit Carthagine Mavors. Emm.

352. *Quibus.*] Et subaudis auxiliantibus, vel per quos stetit. *Servius.*

Moriamur & in media arma ruamus.] Ὕστερον πρότερον. Nam ante est in arma ruere & sic mori. Bene tamen *moriamur*, opportuniore loco posuit: ante enim dixerat, *Quæ sit rebus fortuna videtis.* Servius.

Moriamur.] *Am*, expeditum est: tum autem brevisyllabis ac paucisyllabis, *& in media arma ruamus.* Vide Scalig. lib. 4. c. 48. & Pont. in *Actio.* Taubmannus.

Una salus victis, nullam sperare salutem.] Plerumque desperatione robur augetur, ut Statius. *Est ubi dat vires nimius timor.* Item, *Scimus mortem captivitatis esse remedium.* Hoc ergo suadet, ut aut desperatione vincant, aut vitetur morte captivitas. *Servius.*

Salus.] Nunc remedium. *Idem.*

Nullam sperare salutem.] Mira efficacia. Video enim coram desperatæ vitæ viros fortes esse & animæ prodigos, ut animam ne amittant. Æn. 12. *Usque adeone mori miserum est!* Scalig. l. 3, 26. Ita & Vegetius lib. 3, 21. *Libenter cupit commori, qui sine dubio scit se moriturum, &c.* Taubm.

Nullam sperare salutem.] Ita hos Æneas, ut apud Justinum Leonidas l. 2. c. 12. *suos*, firmabat, *ut ire se parato ad moriendum animo scirent & meminissent, qualitercunque præliantibus cadendum esse.* Tale quibus sedet consilium, & quisquis ita contemsit suam vitam, is alienæ dominus est, teste Seneca Epist. 4. quare cum desperatis non pugnandum rationem dabit, Florus l. 2. c. 8. & Petr. Victor. l. 23. c. 11. nam ut Stat. Theb. l. 1. *dat stimulos animo vis mœsta timoris.* Emmeness.

355. *Lupi ceu.*] Ad ferocitatem pertinet. Ordo tamen est, ceu lupi, & est hoc dictum ab exemplo. Sane apud veteres lupus promiscuum erat; ut Ennius, *Lupus femina fœta repente.* Et bene belli negotium lupo comparavit, qui est in tutela Martis dei bellici. *Servius.*

Inde lupi ceu.] Mira comparatio. Lupus enim improbus & sævus est, & in prædam intentus, præsertim cum catulos habet: cui quidem aptissimæ tenebræ sunt ad complendas insidias: sic & nos auxilio unico noctis, in hostes ferebamur. *Donatus.*

Lupi ceu.] Hanc comparationem cum Homerica comparat Scal. l. 5. c. 3. Efficax est, *lupi raptores*; (ἅρπαγες & ἁρπακτῆρ:) non tamen dices in recto singulari *Raptor*, lib. 4, cap. 16. Et locus; *atrâ in nebulâ*: Et modus dicendi,

rabies

Raptores atra in nebula, quos inproba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis; per tela, per hostis
Vadi-

rabies improba ventris, plus quam *fames*. Et, *exegit*: Et, *cæcos*, id est, securos cujuscunque periculi. Pulchrum vero Epiphonema, —— *catulique relicti Faucibus exspectant siccis*: quorum recordatione parentum rabies acuatur. Vide & Cælium lib. 27. 18. Bene & belli negotium lupo comparavit, qui est in tutela Martis Dei bellici. *Taubm.*

Lupi ceu.] Hac comparatione sæpius usus Homer. 4. Il. λύκοι ὥς, tantum *lupi ceu* nulla addita narratione. in 11. aliquid jam additum,

—— λύκοι ὥς Θᾶνον.
—— *lupi ceu* *Ruebant.*

In 16. pleniore ore cecinit,

—— λύκοι ὥς
Ὠμοφάγοι, τοῖσίν τε περὶ φρεσὶν ἄσπετος ἀλκή.

Et plura, quæ sequuntur uberrime,

—— *lupi ceu*
Crudivori, quibusque circa mentes immensum robur.

Adi Scalig. ubi comparat utrumque vatem, & Latino, ut assolet, victoriam concedit. Eadem comparatione usus Plato 3. de Rep. εἰ πολέμιος, ὥσπερ λύκος, ἐπὶ ποίμνην τις ἴοι: *si hostis, tanquam lupus, ovile invadat.* Cerda.

357. *Raptores.*] Ab actu. *Servius.*

Raptores.] Ἅρπαγες & ἁρπακτῆρες Græce. Ovid. l. 10. Metam. vs. 540. *raptoresque lupos*, &c. Phœdr. l. 1. fab. 1. *Latronem fauce improba incitatum.* Præcipue cum alendi sunt catulis, qui siccis hic faucibus exspectare dicuntur. Optime omnium Longus l. 1. pastor. luporum naturam depingit. Λύκαινα τρέφουσα σκύμνους νέους, ἐκ τῶν πλησίον ἀγρῶν ἐξ ἄλλων ποιμνίων ἥρπαζε, πολλῆς τροφῆς ἐς ἀνατροφὴν τῶν σκύμνων δεομένη. *Emmeness.*

Atra in nebula.] Ab occasione: vel certe nocti comparavit. *Servius.*

Atra in nebula.] Tempus, quo audaciores lupi, & signate ad rem Trojanam, noctu enim fiebat invasio hæc. Homer. quoque Il. 10.

Ἐ'άν ῥ' ἴμεν ὥστε λέοντε δύω διὰ νύκτα μέλαιναν:
Perrexerunt ire velut leones duo per noctem nigram. Cerda.

Inproba ventris.] A necessitate, & sane duplici; una, *Quos improba ventris Exegit cæcos rabies*; altera, *Catulique relicti Faucibus expectant.* Servius.

Exegit.] Exclusit, de latebris scilicet: ut Terentius, *Spectandæ an exigendæ sint vobis prius.* Idem.

Exegit cæcos.] Extraxit è latibulis securos cujuscunque periculi, sic explicat *cæcos* Jul. Scal. verbum *exegit* vim signat, inest enim imperium quoddam in fame. Claudian. apte in Ruf. *imperiosa fames.* Homer. Odyss. 6. κέλεται γαστήρ; *imperat venter.* Cerda.

Rabies.] Non fames, quod commune, sed *rabies.* Oppian. 2. Pisc.

—— ἀτέλεστον
Λύσσαν ἀεὶ βεβρωσιν ἀναιδεῖ γαστέρι φυλάσσει:
—— *inexpletam*
Rabiem semper voracem impudente ventre servat.

Non abit Juven. sat. 19. qui *vacui ventris furorem.* Ipse Poëta in 9. *rabiem edendi.* dixit & Ovid. 8. Met. *ardorem edendi.* & *alti voraginem ventris.* Rittersh. in Opp. *Idem.*

Catuli.] Hoc ad liberos & conjuges pertinet. Sane *catuli*, non solum canum, sed & serpentum, ut, *Catulos tectis, aut ova reponit.* Plautus etiam suûm, *Et ego te conculcabo ut sues catulos suos.* *Servius.*

Relicti.] Deserti & destituti; ut, *Cui pauca relicti jugera ruris.* Idem.

358. *Faucibus exspectant siccis.*] Nimia cupiditate aperiuntur. *Idem.*

Faucibus expectant siccis.] Scientissime, nam qui servant jejunium, quocunque id fiat tempore, siti præcipue

Vadimus haud dubiam in mortem: mediæque tenemus
Urbis iter. nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrimis æquare labores?

Urbs

infestari, quam fame consueverunt. id quisque experimento discit, & rationem Plutarch suggerit lib. 6. Sympos. nam tametsi humanum corpus compactum sit ex elementorum qualitatibus quatuor, una tamen, quæ vel sola, vel omnium maxime viget, commodumque semper alimentum deposcit, calor est, sic illustrat Poëtam Rhod. lib. 27. cap. 18. plura ille. *Cerda.*

359. *Mediæque tenemus Urbis iter.*] Hoc ad audaciam pertinet, & contra ubi de timore agit: *Namque avia cursu Dum sequor & nota excedo regione viarum.* Servius.

360. *Cava umbra.*] Bonum epitheton. Naturale enim est, ut obscurum sit omne concavum; vel *cava*, inani, & hinc apparet occidisse jam lunam. Nam ideo & Androgeos falsus est. *Idem.*

Cava umbra.] Pro inani ut Turneb. l. 12. c. 5. quod non est solidum. sic noster l. 6. *Nox atra cava, circumvolat umbra.* Stat. Thebaid.

Cœloque cavam nox induit umbram.

Emmeness.

361. *Quis.*] Etiam Græcorum: ut, *Quis talia fando.* Et bene interrupta narratione exclamavit, ut affectum moveret. *Servius.*

Quis cladem illius noctis.] Ut supra, *quis talia fando Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulyssi.* Donatus.

Quis funera fando explicet.] Est hoc, quod Demosthenes de falsa legatione dixit ὅλως ἐστὶ, οὐ δ᾽ ἂν εἷς ἐφικέσθαι δύναιτο τῷ λόγῳ τῶν ἐκεῖ κακῶν νῦν ὄντων: *Nemo verbis assequi possit ea mala, quæ nunc illic sunt.* Quod Aristidds περὶ ὁμονοίας, φυγὰς καὶ σφαγὰς οὐ δ᾽ ἂν εἷς λέγων ἐφίκοιτο: *Nemo queat verbis consequi exilia & cædes.* & in Rhodiaca ait, nullum esse tam validum sermonem, qui possit rem exsequi, λόγον ἰσχυρόν. & infra pari filo. τίς γὰρ ἂν τὰς συμφορὰς εἴποι πρὸς ἀξίαν τὰς καινὰς, καὶ ἀτόπους, καὶ πέρα πάσης κακῶν φθορᾶς γεγονυίας: *Quis posset digne explicari recentes, & deformes clades, & omni calamitatis genere majores.* Quod Cedrenus, ποῖος ἱκανὸς λόγος ἐξειπεῖν τὸ πλῆθος τῶν ἀναιρεθέντων: *Quis satis dignus sermo narret multitudinem occisorum.* Quod Silius l. 5.

Qnis Deus ô Musæ paribus tot funera verbis
Evolvet, &c.

Cerda.

362. *Lacrimis æquare Labores.*] Hypallage, pro, laboribus æquare lachrymas; ut, *Dare classibus austros.* Serv.

Aut possit lacrimis æquare labores.] Lascivit sæpe hac occasione Aristides. Nam in 2. Leuctrica, οὐκ οἶδα εἰ ἀδακρυτὶ ταῦτα διεξιὼν ἀρκέσω. & Orat. περὶ ὁμονοίας. ἂν μὴ δ᾽ εἰπεῖν ἔστ᾽ ἀδακρυτί. & in Rhodiac. ὅς τις (præcessit λόγος) ἂν ἀξίως καταθρηνήσειε τὰ παρόντα. & post multa. ποῖοι ταῦτα ποιηταὶ καταθρηνήσουσιν ἀξία τῇ φωνῇ; Dicit in his omnibus, nullas tam uberes lacrymas, nullum tam validum ploratum, quibus possent digne mala recenseri, neminemque esse, *qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat.* Verba sunt Tullii 11. Philipp. Tragice quoque Nazianzenus orat. 23. τίς ἂν τὰ τότε κακὰ πρὸς ἀξίαν ἐκτραγῳδήσειεν; *Quis temporis illius mala pro dignitate queat deplorare?* In voce *æquare* habuit Virgilius imitatorem Statium lib. 4.

Quis numerum ferri, gentesque & robora dicto
Æquarit mortale sonans?

Et Plinium alterum lib. 8. epistol. *una sed maxima difficultas, quod hæc æquare dicendo, arduum.* Cerda.

363. *Urbs*

Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima perque vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora, perque domos, & relligioſa deorum
Limina. nec ſoli pœnas dant ſanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus;
Victoreſque cadunt Danai. crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.
Primus ſe, Danaûm magna comitante caterva,
Androgeus offert nobis, ſocia agmina credens
Inſcius,

363. *Urbs antiqua.*] Vel nobilis: vel quia duobus millibus octingentis annis regnaſſe firmatur: & quod eſt *antiqua*, ipſe ſubjunxit, *Multos dominata per annos.* Sane hoc dolentis eſt, non narrantis. *Servius.*

Urbs antiqua.] Dolet quod periit patria. *Donatus.*

364. *Sternuntur inertia paſſim.*] Aut non repugnantia; ut, *pecora inter inertia votis Optat aprum.* Aut inertia dum occiduntur; ut, *Imbellem avertis Romanis arcibus Indum:* hoc eſt, avertendo oſtendis imbellem. *Servius.*

Perque vias ſternuntur paſſim.] Sic Apulejus l. 4. Met. *paſſim per plateas cerneres plurima jacere ſemivivorum corporum ferina naufragia.* Emmeneſſ.

365. *Relligioſa.*] Aut per ſomnum inertia *Religioſa.* Gradatim aſcendit, vias, domos, templa, videtur enim & de diis invidiam facere, qui templa ſua violari cadaveribus paſſi ſunt. Sane *religioſus*, & homo dicitur attentus ad religionem, & locus, qui divinum cultum & venerationem meretur. Ergo *religioſa*, religionis plena. Significat etiam metum. *Relligio* enim ſcribi debet propter metri neceſſitatem. *Serv.*

Nec ſoli.] Excuſantur Trojani: hoc tamen ad victoriam non poterat eſſe, ſed erat ad ſolatium. *Donatus.*

Pœnas dant.] Moriuntur indigne: hoc enim proprie ſignificat. ut, *Heu nimium virgo, nimium crudele luiſti Supplicium.* Item, *Nunc pareat Teucriſque ſuo det ſanguine pœnas.* Servius.

367. *Quondam.*] Hic præteriti temporis eſt. *Idem.*

Redit in præcordia virtus.] Atqui ait Horatius, *Nec vera virtus cum ſemel excidit, curat reponi deterioribus.* Sed ſententiæ non ſemper generales ſunt: ſed interdum pro negotiorum qualitate formantur. *Idem.*

Victis redit in præcordia virtus.] Πάλιν ἡ θρασύτης ξυνηγείρετο, Plato in Charm. ἀνεθάῤῥησά τε καί μοι ἤδη σμικρὸν πάλιν ἡ θρασύτης ξυνηγείρετο, καὶ ἀνεζωπυρούμην. *German.*

368. *Victoreſque cadunt Danai.*] Generaliter dixit *victores*, & ad fortunam partis retulit, quæ vincebat, neque enim victores erant, qui cadebant. *Servius.*

Crudelis ubique luctus ubique pavor.] Aut utrobique, id eſt, & apud Græcos, & apud Trojanos, aut *ubique*, per totam civitatem. *Idem.*

369. *Plurima mortis imago.*] Aut definitio timoris eſt, aut varietas mortis oſtenditur hic, id eſt, gladio, igni, ruina. Alii intelligunt *plurima mortis imago*, aut frequentiſſima, aut præſentiſſima. *S.*

Mortis imago.] Veteres aliquot codices, *noctis imago* legunt: Sed *mortis* omnino melius judicio doctorum habetur. *Pierius.*

371. *Androgeos.*] Græca eſt & Attica declinatio. Unde eſt, *In foribus lethum Androgeo* τὸν ἀνδρόγεων. *Servius.*

Androgeus.] Per *os* & *us* legi, vetera Maronis exemplaria teſtantur cum Mediceo, ut Dauſquius. *Emmeneſſ.*

 372. *Ver-*

Inſcius; atque ultro verbis conpellat amicis:
Feſtinate viri. nam quæ tam ſera moratur
Segnities? alii rapiunt incenſa feruntque
Pergama: vos celſis nunc primum à navibus itis?
Dixit, & extemplo (neque enim reſponſa dabantur
Fida ſatis) ſenſit medios delabſus in hoſtis:

Obſtu-

372. *Verbis conpellat amicis.*] Sæpe Homerus, *μειλιχίοις ἐπέεσσι.* Itaque *mellitum* Græcorum reddes ex magiſtro *amicum.* Verbum *compello* ſedem habet in lenociniis, & inde ad amicos tradu-ctum. Ulpianus l. 15. de injuriis & famoſis libellis: *Appellare eſt blanda oratione alterius pudicitiam attentare.* Sed de hoc jam ſupra in hoc libro. *Cerda.*

373. *Viri.*] Increpantis eſt, ut ſolet in milites dici. *Servius.*

Sera ſegnities.] Quæ ſeros facit, id eſt, tardos: ut, *Mors pallida.* Sane *ſegnities* juxta antiquos dictum eſt, nam modo *ſegnitia* dicitur; *ſegnis* autem eſt proprie frigidus ſine igni, ut *ſecurus* ſine cura; *ſedulus* ſine dolo. *Idem.*

374. *Alii rapiunt incenſa.*] Obſervat militarem diſciplinam, quæ eſt ut primum victoria gloriaque obtineatur, deinde in prædam eatur. Ait igitur Androgeos, jam bellum confecimus, nos, qui prædam egimus de hoſtibus victis. *Donatus.*

Feruntque Pergama.] Ἐμφατικῶς. Quaſi ipſam funditus civitatem in victoriam ſuam transferunt: ut, *Ilium in Italiam portans victoſque penates.* Serv.

Feruntque Pergama.] Ἐμφατικῶς: ut 1. Æneid. *Ilium in Italiam portans.* ἄγουσι καὶ φέρουσι. Habet ſpeciem Adagii. *Taubmannus.*

Itis.] Pro venitis. ut è contra Terentius, *Niſi ego ad mercatum venio:* pro eo. *Servius.*

Itis.] Sic Stat. Thebaid. l. 7.

— *longo docet agmine Grajos*
Ire duces. —

Sic ἔρχομαι apud Homer. l. β. Iliad. ✠ſ. 457. Quanti ſit momenti in ipſo ardore pugnæ cohortatio P. Victor. l. 35. c. 15. docet, ubi hujus imprudentiæ meminit. *Emmeneſſ.*

377. *Fida ſatis.*] Bene addidit *fida*, ut oſtenderet ſymbolum, quo utebantur in bello. Ergo non dixit *fidelia*, ſed quæ ad fidem habendam pellicere non poſſent. *Servius.*

Neque enim reſponſa dabantur fida ſatis.] Hunc locum & ſententiam ſic imitatur Statius 2. Theb.

Ac prior, inde viro: quidve occultatis in armis,
Non humili terrore rogat: nec reddita contra.
Vox, fidamque negant ſuſpecta ſilentia pacem. Cerda.

Medios.] Manifeſtos; ut, *Medioque ex hoſte recepi.* Ordo autem eſt, ſenſit in medios hoſtes ſe eſſe delapſum. Ergo *delapſus* nominativum pro accuſativo poſuit. ut Horat. *Vir bonus & ſapiens dignis ait eſſe paratus*, pro ait ſe dignis paratum eſſe. *Servius.*

Senſit medios delabſus in hoſtis.] Ut miſſam faciam lectionem, *dilabſus ad hoſtis* quæ minime placet: In antiquis Priſciani codicibus hoc non uno loco citato verſu legere eſt, *medios illapſus in hoſtis.* pro: ſe illapſum eſſe. quod ideo placet, quia *dilapſus* contrarium habere ſignificatum videretur, quippe aut effugere, aut in diverſas partis labi. Sunt, qui per *b*, *delapſus* legant, non ſane improprie. ut in Cariſiano habetur codice, dicente eo ſolœciſmum hic eſſe tranſmutatione per caſum in participiis. Nam & is nominativum agnoſcit pro accuſativo. *Pierius.*

Delabſus.] Helleniſmus, pro, *ſe delapſum.* Græce diceretur, ᾐσθάνετο πεσών. Ita Plaut. Aſin. act. 3, 3. *Quas adoleſcens diabolus ipſi daturus dixit.*

Pro-

Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.
Inprovisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Attollentem iras, & cærula colla tumentem.
Haud secus Androgeus visu tremefactus abibat.

Irrui-

Propert. l. 3. el. 4.

Jurabo & bis sex integer esse dies.

Horatius:

Vir bonus & sapiens dignis ait esse paratus.

Ovidius 13. Metam.

— *sed enim quia rettulit Ajax*
Esse Jovis pronepos. Catullus:
Ait fuisse navium celerrimus.

Lips. Antiq. Lect. l. 2. c. 7. *Medios* autem, est manifestos: ut,

Quanquam in mediâ jam morte tenetur.

Taubmannus.

Delabsus.] Talis Græcismus apud Horat. l. 1. od. 2. *patiens vocari Cæsaris ultor.* Ad quem locum plura Lambinus. & unus, qui instar omnium est, Vechnerus consulendus lib. 1. c. 8. qui verba Maronis hoc illustrat exemplo ἤσθανε πεπλωκὼς pro πεπλωκέναι. Emmeness.

378. *Retroque repressit.*] Aut *retro* vacat, aut in repressit, *Re*, vacat. Sed veteres *retro repressit* dicebant, ut, *Nec nos obniti contra.* Servius.

Retroque pedem.] Hoc Græci, ἀναστρέφειν, ἀναχωρεῖν, ἐπὶ πόδα ἀναχάζεσθαι. *Cerda.*

379. *Aspris.*] Synæresis est, ut, *Compostus.* Servius.

Inprovisum aspris, &c.] Sumptum ab Homer. Il. 3. ubi historiam de Paride adductam hæc sequitur comparatio.

Ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη
Οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα,
Ἂψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρός τέ μιν εἷλε παρειάς:

Quod Latini *improvisum*, Græci ἀπροϊδὲς, ad Virg. aspiravit Papinius 2. Theb.

—— *Tacito sub pectore dudum*
Ignea corda fremunt: jacto velut aspera saxo
Quominus erigitur serpens.

Et Juvenalis Sat. 1.

Pallent, ut nudis pressit qui calcibus anguem.

Cerda.

Pressit.] Græcus quidam, ὄφεις πατεῖν. Habet similitudinem cum hac re adagium illud, *Archilochum calcasti.* Adi Junium Cent. 1. adag. 73. Non inepte huc trahas Hor. illud od. 27. l. 3. *Rumpat & serpens iter institutum, &c.* Idem.

Anguem.] Καταχρηστικῶς Homer. δράκοντα dixit. *Serv.*

380. *Humi nitens.*] Vel tenens, incedens per humum. & est adverbium. *Idem.*

Trepidus.] Vel pavens, vel festinans. *Idem.*

382. *Haud secus.*] Non aliter dicebant veteres, *secus* & *juxta*; unde & *extrinsecus.* Servius.

Androgeus.] Vetera exemplaria pleraque cum Mediceo *Androgeus* Idiomate Latino scribunt. In quo Tritimemeris observanda, *ut Pectoribus inhians spirantia consulit exta.* Qui vero syllabæ timuerunt, *Androgeos* per ω magnum Atticorum more scribere maluerunt: quod etiam, nulla cogente necessitate, inferius factum, *Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.* Alii satis imperite *se* pronomen intrusere superfluum, *Androgeus se offert nobis.* obliti pronomen id paulo supra positum. Nonnullis autem tanta fuit Græcitatis cura, ut alibi genitivum etiam eadem Atticorum scriptione scribendum curarent, ut eo loco, *Comantem Androgeo galeam.* Sosipatro Carisio reclamante. de quo, loco suo dicetur. *Pierius.*

Abibat.] Bene imperfecto usus est, non enim *abiit.* Servius.

383. Cir-

Irruimus, densis & circumfundimur armis;
Ignarosque loci passim, & formidine captos
Sternimus. adspirat primo fortuna labori.
Atque hic successu exsultans animisque Corœbus,
O socii, quæ prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.
Mutemus clipeos, Danaûmque insignia nobis

Apte-

383. *Circumfundimur.*] In codicib. plerisque Veteribus legas, *circumfundimus.* quod minime displicet, quum præsertim legerim apud Ti. Donatum. *Irruimus*, inquit, *densis & Circumfundimus armis*, hoc est, in circulum fundimus, atque universos occidimus. *Pierius.*

384. *Ignarosque loci.*] Palantes, & his circumstantiis ostendit, à paucis plures potuisse superari: Ordo est, passim sternimus. *Serv.*

385. *Adspirat.*] Favet; ut *Adspirant auræ in noctem.* Unde & *favor*, aura dicitur: ut, *Gaudens popularibus auris.* Idem.

Adspirat.] Sic Ovid. in princ. l. 1. Metam. *Di cœptis adspirate meis.* vocabulum nauticum. ita *aura* pro favore vide Salmas. ad Hist. Aug. Script. p. 2. vol. 584. Phœdr. *aura captus frivola.* l. 5. f. 8. *Emmeness.*

Primo.] Quæ postea non fuit. *Serv.*

386. *Successu exsultans.*] Fœlicitate: quod est stultitiæ. *Idem.*

Atque hic successu exsultans.] In Mediceo & antiquis codicibus pene omnibus ordo numerusque dictionum ita habet, *atque hic successu exsultans* pro *atque hic exsultans successu.* Utrunque judicio meo æque auribus adblanditur. *Pierius.*

387. *Quæ prima, inquit, fortuna.*] Non *quæ prima*, sed *qua primum.* Est autem hypallage; ut, *Ibant obscuri sola sub nocte:* pro ipsi soli. Quæ fit non ornatus caussa: ut, *Pars in frustra secant:* sed necessitatis. *Servius.*

Fortuna.] Bene *fortuna*, neque enim consilio Androgeos occisus est. *Idem.*

Salutis.] Efficax adhortatio. *Idem.*

388. *Dextra.*] Vel fortuna dextra, auctrix, propitia: ut læva, contraria: aut dextra, ad manum referendum. *Idem.*

Sequamur.] Observabis, verbum *sequor* Fortunæ dari à Virgilio sæpissimè, in 4.

Si modò, quod memoras factum fortuna sequatur.

In 8. *quem si fortuna sequatur.* alibi sæpe. in quo adlusum, credo ad cognomentum Fortunæ, quæ dicta *Obsequens*, cujus Plutarchus meminit & P. Victor, qui *obsequentis fortunæ* vicum collocat in prima regione urbis, in secunda vero vicum *Fortunæ respicientis.* Variat Vates sequentem fortunam per *aspirantem* supra, per *juvantem* in 10. *Cerda.*

389. *Clipeos.*] Scuta majora quibus latemus, ἀπὸ τοῦ κλέπτειν τὸ σῶμα. *Servius.*

Clipeos.] Varium modo genus, modo diversa scribendi ratio. in hoc nomine *Clipeus*, Grammaticos semper diversos egit. Nam ex veteribus codicibus aliquot per *y clypeos*, aliquot per *i clipeos*, nonnulli per *u clupeos* scribunt. Sed enim inter *clipeum* per *i* & *clupeum* per *u* differentiam ponit Cornelius Fronto. *clupeumque* per *u* imaginis esse dicit, per *i* vero armorum. Quare si Frontonis admittenda sit differentia, quum subsequatur *Danaumque insignia nobis aptemus*, ad imaginem respexisse videtur: Nam & Servius ait in Græcorum Clypeis Neptunum, in Trojanorum Minervam pictam fuisse, hic *clypeos* vel *clupeos*, (idem enim est) scribendum non ægre consenserim. Sed enim alii sunt qui Genus non scriptione differentiam

facere

Aptemus. dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam, clipeique insigne decorum
Induitur, laterique Argivum accommodat ensem.
Hoc

facere putent. Ait enim Labienus *Clypeum* neutro genere imaginem significare, virili vero, inter arma poni. à quo diversus est Pomponius dubii Sermonis libro secundo. ubi *clipeus* & *clipeum* indistincto genere dici ait, sed littera differre, ut pugnatorium per *i* *clipeum* dicamus, imaginem vero per *u* *clupeum*. Ut etiam ex Cornelio dicebamus. Erant vero hujusmodi imagines, quales ad alicujus rei memoriam exsculpi consuerunt. Eam vero differentiam improbat Carisius, quum *Clipeus* per *i*, & *Clupeus* per *u*, non alia ratione dicatur quam *Maximus*, & *Maxumus*, & *Optimus* ac *Optumus* propter communionem *i* & *u* litterarum. quum itaque inter se ita Veteres altercentur, resque parvi sit momenti, & majora nos interpellent, hoc nos interim in medio relinquemus. *Pierius.*

Insignia.] Arma omnia. *Servius.*

390. *Dolus, an virtus quis in hoste requirat.*] Videtur deesse *aliqui*, ut puta, Dolus an virtus in bello proficiat, quis in hoste requirat? *Idem.*

Quis in hoste requirat.] In codicibus aliquot antiquis legere est, *quis ab hoste*, sed melius *in hoste*. Est & *requiret*. Sed longe magis placet, *requirat*, ut in Mediceo & aliquot aliis emendatioribus exemplaribus habetur. *Pierius.*

Dolus, an virtus quis in hoste requirat.] Eandem sententiam habet Pindarus od. 4. Isthm. ubi tranfertur sermo à vulpe ad aquilam. Numerat inter ἀποφθέγματα Virgiliana Macrob. l. 5. c. 16. & singulare acumen his verbis inesse exserit Scal. l. 4. c. 1. *Emmeness.*

391. *Arma.*] Subdistingue, ut sit quasi interroganris: Ut responsio, *Dabunt ipsi.* Servius.

Comantem.] Aut cristatam, quia de caudis animalium habebant cristas, ut, *Cristaque hirsutus equina.* Aut comas habentem, ut Statius; *Non ego in terga comantis Abantiadas.* Idem.

392. *Androgei.*] Modo Latine declinavit, alibi Græce, *Letum Androgeo.* Idem.

Androgei.] Vetera illa exemplaria, quæ *Androgeos* in recto posuere, paternum casum eodem hic idiomate scribunt *Androgeo.* Sed enim Sosipater, qui scriptum asserit à Virgilio libro sexto, *In foribus letum Androgeo.* Loco tamen hoc, ut in Mediceo etiam est, agnoscit *Androgei.* Cujus hæc sunt verba, Si fuerit nominativus *Androgeos*, genitivus erit *Androgeo.* Ut apud Virgilium, *In foribus letum Androgeo.* Sed apud eundem invenimus *Androgei galeam.* Sed non ex eodem nomine. Nam si fuerit hic *Androgeus*, *Androgei* facit genitivo. Ut idem Virgilius, *Penelei dextra divæ armipotentis ad aram.* quum tamen hujus nominis *Peneleos* nominativus sit apud Græcos, βοιωτῶν μὲν πηνέ-λεως. *Pierius.*

Comantem Androgei galeam.] Sic Epigramm. lib. 4. ἀσπίδα ἐναλίκ καὶ κόρυν ἠΰκομον. *Germ.*

Insigne decorum.] Ornamentum decorum. Non enim sunt duo epitheta, quod apud Latinos vitiosum est. Fecit hoc tamen Virgilius in paucis versibus, qui tamen emendati sunt; ut, *Lenta quibus torno facili superaddita vitis.* cum ante *Facilis* fuerit. Sane clypei insigne περιφραστικῶς pro clypeo. *Servius.*

Clipeique insigne decorum.] Sunt qui *decori* scribant, ut sit *clypei decori.* Sed longe melius *insigne decorum*, ut agnoscit Servius. *Pierius.*

393. *Induitur.*] Quia multa inerant in scuto lora, quibus manum inserebant; ut, *Clipeoque sinistram Insertabam aptans.* Servius.

Accom-

Hoc Ripheus, hoc ipse Dymas, omnisque juventus
Læta facit: spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus inmixti Danais haud numine nostro;
Multaque per cæcam congressi prœlia noctem
Conserimus: multos Danaûm demittimus Orco.

Dis-

Accommodat.] Mire *accommodat*, ut ignorares quorum esset. *Serv.*

Accommodat lateri.] Pro *adjungit, adplicat*, ut Non. Marcell. pro eo Plautus Trin. 2. 2. 93. *clipeum accommodare ad dorsum.* Emmeness.

394. *Hoc ipse.*] Multi hîc distinguunt, & ad Æneam referunt. & ideo subjungit, *Cum spoliis se quisque recentibus armat.* Alii, *Hoc ipse Dymas*, distinguunt, ut ignotis personis addita dignitas videatur, út est, Quos Imbrasius ipse nutrierat, & repetitum. *Hoc*, emphasis properantium non figura (* vel rei) epanalepsis à quibusdam traditur. *Servius.*

395. *Læta.*] Quod est πρόστυμον. *Idem.*

Recentibus.] Quia nuper erant detracta mactatis. *Donatus.*

396. *Inmixti.*] Vacat *In*, ut solet frequenter. *Servius.*

Vadimus inmixti.] Dictum hoc in argumentum Trojanæ virtutis, ut libro 1. de Ænea,

Se quoque principibus permistum agnovit Achivis.

Est enim laus maxima versari in ordinibus adversariorum. Hoc prædicat Sallustius de Catilina, qui *longe à suis inter hostilia cadavera repertus est.* Hoc de Diomede Homerus 5. Il.

Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη,
Ἠ' μετὰ μ̃ Τρώεσσιν ὁμιλέοι, ἢ μετ' Ἀχαιοῖς:

Tydidem haud noris, quorumnam in partibus esset
An socius Graiis, an miles in agmine Troum.

Pari fortitudine prædicat Livius lib. 39. Calpurnium prætorem in bello, quod gestum in Hispania. ait enim: *Longe acrius Calpurniani equites pugnabant, & prætor ipse ante alios. nam & primus hostem percussit, & ita se commiscuit mediis, ut vix, utrius partis esset, nosci posset.* Cerda.

Haud numine nostro.] Aut diis contrariis. Hoc est haud nostro, non nobis utili. Et ideo paulo post, *Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis*: ut est, *Nec dii texere Cupentum Ænea veniente sui:* Aut in scutis Græcorum Neptunus, Trojanorum fuerat Minerva depicta. *Servius.*

Haud numine nostro.] *Haud nostro*, id est, adverso, nobis non favente. Ita Ovid. Heroid. 2.

Protinus ipsa meos auguror esse deos.

Tibullus:

Audiat aversa non-meus aure Deus.

Terent. Adelph.

Plebem primulum facio meam.

Ubi *meam* Donatus interpretatur, *mihi faventem*. Ergo, *Numen non nostrum*, fuerit, nobis non utile. Unde mox:

Heu, nihil invitis fas quenquam fidere divis!

Æn. 12.

—— *nec dii texere Cupentum,*
Ænea veniente, sui ——

vel, quia in scutis Græcorum Neptunus, in Trojanorum Minerva depicta fuerat: ut moris erat arma insigniri. Atque ita propter eventum parum prosperum dixerit Æneas; adversantibus & iratis diis in medios hostes se conjecisse. Plura ad hanc rem accuratissime scribit J. Parrhas. epist. 35. *Taubmannus.*

397. *Congressi prælia.*] *Bellum* est totum tempus, ut Jugurthinum, Punicum, Macedonicum. *Pugna* unius diei. *Prælium* pars pugnæ. *Servius.*

398. *Conserimus.*] Id est, adversa fronte

Diffugiunt alii ad navis, & litora curſu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
Scandunt rurſus equum, & nota conduntur in alvo.
Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!
Ecce trahebatur paſſis Priameïa virgo

Cri-

fronte pugnavimus, ne forte nulla virtus videretur Trojanorum, ſi dolo pugnaſſent. *Idem.*

Conſerimus.] Liv. ſæpe uſurpat, in 21. ait de Annibale: *Princeps prælium inibat, ultimus conſerto prælio excedebat.* & *Romanus conſerere pugnam.* loca paſſim occurrent. *Cerda.*

399. *Diffugiunt alii.*] Nam qui non penitus turbati erant, fugiebant ad litora: qui autem erant amentes, timore ſcandebant rurſus equum. *Donatus.*

400. *Fida petunt.*] Sibi ſcilicet. *Servius.*

Formidine turpi.] Epitheton timoris. ſic Saluſt. *Carpo turpi formidine Italiam atque exercitum deſeruit.* Idem.

401. *Conduntur in alvo.*] Nondum erant, ſed cum eſſe cœperint. Unde & ablativo uſus eſt, non accuſativo, ut, *Conditus in nubem.* Tale eſt hoc, quale illud, *Includuntur in carcere:* & *includuntur in carcerem.* Idem.

402. *Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis.*] Generalis quidem ſententia eſt, ſed hoc loco congrua, ſequitur enim & Caſſandræ captivitas fidentis ſacerdotio, & præceſſerat armorum mutatio, quæ nunc deprehenditur, alioquin vitioſa eſt, cum diſcrepat à ſpecialitate: eſt autem caraſceve, non potuiſſe eos vincere, quamvis fortiter dimicarent. *Idem.*

Heu nihil.] Favebat nobis noſter dolus, ſed inefficax redditur. Nequicquam enim humana induſtria adverſus dei voluntatem molitur, quod oſtenditur in Caſſandra. Sed ſingula notentur verba. *Donatus.*

Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis.] Proverbii vim habet *invitis Divis.* ſæpe apud Homerum ἀέκητι θεῶν. pro eo etiam *iratis Diis* Juvenal. Sat. 1. vſ. 49. Ter. Phorm. 12. 24. *memini me relinqui irato Deo.* utimur hiſce formulis, ubi fortunam novercam experimur, ſic Horat. l. 1. Sat. 3. de infelici partu

Iratis natus penes diis ——

& quemadmodum, diis invitis, auſpicantibus nihil recte ſuccedit & πρὸς κέντρα eſt κῶλον ἐκτείνειν, ita è tripode deſumtum illud Saluſtianum: *Diis juvantibus omnia matura ſunt, victoria, præda, laus.* Emmeneſſ.

403. *Ecce trahebatur.*] Bene diſſimulavit de ſtupro Caſſandræ. *Servius.*

Ecce.] Id eſt, dum bene ac proſpere noſtra certamina procederent, repente apparuit, quod multiplici indignitate & ſcelere, noſtros actus turbaret. Trahebatur per publicum, quam paterno merito, ac ſuo, non niſi cum honeſtis quidem officiis multorum decuit efferri. *Donatus.*

Paſſis.] Ut quidam volunt ſacris, quæ ſic vaticinari ſoleret, ut ſi diceret ſacris. *Servius.*

Priameïa.] Patronymicum quidem eſt, ſed ſpecies poſſeſſivi. *Priameis* vero tantum patronymicum eſt, ſicut *Priamides.* Et bene *virgo* non *filia.* Idem.

Ecce trahebatur, &c.] In captis urbibus hoc potiſſimum & frequentiſſimum malum. Eurip. Phœniſſis, de captis Thebis,

Ὄψει δὲ πολλὰς αἰχμαλωτίδας κόρας
Βίᾳ πρὸς ἀνδρῶν πολεμίων πορθουμένας:

Cernes autem multas captivas puellas
Per vim ab hoſtibus duci hoſtiliter.

De clade illata Locrenſibus ab Romanis ita Livius lib. 29. *Omnes rapiunt ſpoliant, verberant, vulnerant, occidunt,*

can-

Crinibus à templo Cassandra adytisque Minervæ,
Ad cælum tendens ardentia lumina frustra:
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.

Non

constuprant matronas, virgines, ingenuos, &c. Cerda.

Trahebatur.] Græce dicas παρασπᾶν. hoc enim usus Demosthenes 1. Olynth. & advertit Ulpianus sumi verbum ab his, qui ad aras confugiunt, & inde abstrahuntur. & Poëta quidem, *trahebatur à templo.* Pausanias tamen l. 5. de eadem re loquens: Αἴας ἕλκων Κασσάνδραν (dixit) ἀπὸ τοῦ ἀγάλματος τῆς Ἀθηνᾶς: & lib. 10. αὐτὴν (Κασσάνδραν) ὁ Αἴας ἀφεῖλκε. In verbo quippe inest contumelia, *trahi* enim noxiorum est. Seneca Rhetor. Controv. 13. lib. :. *Jactatur misera inter satellitum manus, & toto itinere non ducitur, sed trahitur*, & millena alia. *Idem.*

404. *Crinibus.*] Quod fuit virginalis verecundiæ factum profecto inimicum: *Trahebatur virgo*, virorum plurimorum manibus. *Trahebatur sacerdos*, manibus impiorum. *Trahebatur à templo*, & ab ipsius deæ penetralibus rapta, & manibus post terga constrictis: & quamvis hæc perferret, tendebat tamen ad cælum oculos, cum non posset manus, quod faciebat frustra. Quærebat enim in cælo ultores deos, quibus adversantibus imperium ceciderat: & eos quorum cum domus esset Ilium, templis suis prodesse noluerunt, aut non potuerunt. Collige ergo perpetrata primum in Cassandram crimina: quod *regalis*, quod *virgo*, quod *passis crinibus*, quos habuit ad ornatum, quod *per publicum*, quod *vincta*, quod *à plurimis.* In Deos vero, quod *à templo*, quod *sacerdos*, quod à conspectibus deæ. Horum alterum affinitatis causa, alterum regionis, quia antistes esset deorum, movere debebat Æneam. Non tulit etiam Corœbus, & reliqui illi moituræ succurrunt. Hinc error armorum, qui ante juvabat, nocere cepit. Nam à suis, putati Græci, telis, id est, lapidibus & similibus cædebantur. *Don.*

Passis Priameïa virgo Crinibus.] Insignis contumelia. Æschynes in oratione περὶ παραπρεσβείας, ἑλκομένην τῶν τριχῶν, Andromache apud Euripidem hujus tam insolentis contumeliæ conqueritur:

Αὐτὴ δὲ δούλη ναῦς ἐπ' Ἀργείων ἔβην,
Κόμης ἀποσπασθεῖσα:

Ex Euripide itaque, & Virgilio elici mos potest, captivas fœminas crinibus trahi solitas. Juvat plurimum idem Eurip. in Troad. apud quem Menelaus de Helena sic ait,

Κομίζετ' αὐτὴν τῆς μιαιφονωτάτης
Κόμης ἐπισπάσαντες.

Cerda.

Trahebatur passis Priameïa virgo crinibus.] De Cassandra sic canit Ovid. l. 13. ℣ſ 410.

—— *tractata comis antistita Phœbi,*
Non profectura tendebat ad æthera palmas.

Ad quem locum consulendus Nobiliss. Heinsius. Horat. l. 2. od. 4.

Arsit Atrides medio in triumpho virgine rapta.

Πάθος quod his verbis inest, ostendit Macrobius l. 4. Saturn. c. 4. *Emm.*

Adytisque Minerva.] Ostendit illam sacerdotem esse: non enim accedunt ad adyta, nisi religiosi sacerdotes. & ἐμφατικῶς, quasi non sufficeret à templo, addidit *adytis.* Servius.

405. *Tendens ardentia lumina.*] Quod est manuum, oculis dedit. Solent enim homines in magnis molibus manus ad cœlum tendere. *Idem.*

Ardentia lumina.] Est hoc, quod Catul. alio flexu in Nupt. Pelei: *flagrantia lumina.* Virgil. in hoc lib.

Ardentesque oculos suffecti sanguine & igni. Cerda.

Frustra.] Secundum Epicureos: & est separatum. *Servius.*

406. *Arcebant.*] Continebant, vel prohibebant. *Idem.*

407. *Hanc*

Non tulit hanc speciem furiata mente Corœbus,
Et sese medium injecit periturus in agmen.
Consequimur cuncti, & densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima cædes,
Armorum facie & Graiarum errore jubarum.
Tum Danai gemitu atque ereptæ virginis ira
Undique collecti invadunt; acerrimus Ajax,
Et gemini Atridæ, Dolopumque exercitus omnis.
Adversi

407. *Hanc speciem.*] Injuriæ faciem, quod Sacerdos, quod ab adytis, quod relicta, quod passis crinibus trahebatur. Cic. Philip. 2. *Ponite itaque ante oculos P. C. miseram quidem illam & flebilem speciem, sed ad incitandos nostros animos necessariam.* Sane *species*, medium est; Et mala enim & bona est. *Servius.*

Furiata.] *Furiatus* qui furit ex caussa; *Furiosus* vero est, à quo furor nunquam recedit, & est figura Græca μάνιςος φρένας. Quidam sane participium *Furiata*, à verbo figurato apud Horatium *furiare*. sic *fortunare*, sic *scelerare*. *Idem.*

Furiata mente.] Μάνιςος φρένας. Ita Pind. de Ixione, μαινομένῃσι φρεσὶν. *Furiatus*, qui furit ex caussa: *furiosus*, à quo furor nunquam recedit. *Taubm.*

408. *Sese.*] Αὐτὸς αὐτόν. *Servius.*

Periturus.] Melior sensus est, si ad dimicantis referatur affectum: sicut de Tarchonte, de quo dixit; *Et medios fertur moriturus in hostes:* Quum vicerit. & Bene Choroebum non suadentem, pugnandū potius fuerat, * quam loquendum. *Id.*

Periturus.] In Mediceo & plerisque aliis veteribus codicibus, *periturus* in aliis *moriturus* habetur. Dum vero hæc publicari cœpta essent, Camillus Porcius, Antistes Aprutinus, Romanæ decus eloquentiæ, Codicem veterem mihi obtulit: In quo tum alia, Vulgatis à lectionibus diversa, tum hoc ipsum *periturus* scriptum est: Nam *perire* omnino plus est, quam *mori*. Pierius.

409. *Densis.*] Catasceue, merito superati sunt à pluribus. *Servius.*

410. *Culmine.*] Tecto: quod ante culmis tegebatur. *Idem.*

411. *Oritur.*] Quasi aliud initium calamitatis. *Idem.*

Cædes.] Non prælium. *Idem.*

Miserrima.] Quia inter cives. *Idem.*

412. *Facie.*] Veritate. *Idem.*

Jubarum.] Pro cristarum, quæ de caudis fiebant: ut est, *Cristaque hirsutus equina.* Idem.

413. *Tum Danai.*] Ordo est, Undique collecti invadunt. *Idem.*

Tum Danai.] Compendium adhibet, ut non tantum ereptam virginem diceret, verum etiam multos hostes ob eam rem occisos: & connexuit præcipuorum nomina, & aliorum numerum generaliter posuit. *Donatus.*

Ereptæ.] Σχῆμα διανοίας. Non enim dicit à Trojanis sublatam, qui intelligendum reliquit. *Servius.*

414. *Acerrimus Ajax.*] Oïleus sine dubio; quia Telamonius judicio superatus, jam se peremerat. Incertum est ergo, quando ab Ajace vitiata sit Cassandra, quod, sicut dicitur, in templo Minervæ factum est, constat post stuprum Cassandram protractam. *Id.*

415. *Gemini Atridæ.*] Pro *duo:* habet excusationem, quia fratres sunt propter similitudinem: Nam numeri esse non potest: *Gemini* enim sunt proprie simul nati. *Idem.*

Gemini Atridæ.] Ex Euripide: πέμπουσι δέ με δισσοί τ' Ἀτρεῖδαι, καὶ λαὸς Ἀχαϊκός. Soph. quoque nunc δισσοὺς, nunc δισ-

Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque Notusque & lætus Eois
Eurus equis: stridunt silvæ, sævitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
Fudimus insidiis, totaque agitavimus urbe,
Apparent: primi clipeos mentitaque tela
Agnos-

διστάρχας, nunc διπλοῦς vocat Atridas. *Germ.*

Dolopumque.] Exemplaria quædam antiqua, *Dolopumve* legunt, & ita apud Ti. Donatum habetur, quum tamen *que* nihil offendat. *Pierius.*

Exercitus omnis.] Bene excusat propter victi pudorem: ut, *Obruimur numero.* Servius.

416. *Adversi.*] Contrario flantes. *Idem.*

Adversi.] Contrariis è partibus stantes: unde & sævior turbatio existit in pelago. Examinat autem hanc comparationem J.C. Scaliger l. 5. c. 3. ad Homericam Iliad. 9. & in eâ Homerum pro discipulo, Virgilium pro magistro laudat. quem, quæso te, vide. *Taubm.*

417. *Eois Eurus equis.*] Ab Eois equis: unde equi Solis oriuntur. Nam Eurus ab oriente flat. Sciendum sane, quod cum *Eous e* naturaliter longum habeat; metri necessitate correptum est, propter sequentem vocalem. Rarum autem est. Nam nec proprium nomen est, ut *Diana*: nec sermo compositus, ut, *Sudibusve præustis.* Serv.

418. *Stridunt silvæ.*] Excursus poëticus: qui ultra tres versus fieri non debet, ne sit vitiosissimum. *Idem.*

Stridunt.] Quidam antique declinatum tradunt; ut sit prima verbi positio, *Strido, stridis, stridit.* Et faciat *stridimus, striditis, stridunt*, non *strident.* nos autem, *strident* dicimus, à *strideo, strides.* Idem.

419. *Spumeus.*] Pro *spumosus*, Ut *frondea*, pro *frondosa.* Idem.

Atque imo.] Abminal est * id est, ab imo. Ab imis est. *Idem.*

420. *Illi.*] Propter illud, *Hic primum ex alto.* Idem.

Illi etiam.] Alia calamitas, ut ab hostibus cognosceremur, qui acrius etiam, quam cæteri hostes movebantur, quia se deceptos viderant. *Donatus.*

Obscura nocte per umbram.] Per umbram noctis obscuræ: ut, *Molemque & montes.* Servius.

421. *Fudimus.*] Modo fugavimus. Nam sequitur, *totaque agitavimus urbe.* Idem.

Totaque.] Per totam. *Idem.*

Agitavimus urbe.] Alibi interemimus. *Idem.*

Per umbram fudimus insidiis totaque agitavimus urbe.] Antiqui aliquot codices, *sub umbram* legunt. Sed mihi non displicet *per umbram.* In Longobardico etiam legere est *totamque agitavimus urbem.* Ut sit *fudimus per umbram: & agitavimus per totam urbem.* Sed enim vulgata lectio magis recepta est. *Totaque agitavimus urbe.* Pierius.

422. *Apparent: primi clipeos mentitaque tela agnoscunt.*] In codicibus aliquot antiquis, eodem membro legas, *adparent primi* disjunctim. inde, *Clipeos mentitaque tela Adgnoscunt.* Donatus mavult *primi Clipeos, mentitaque tela Agnoscunt.* Idem.

Apparent.] Verbum forense ad bellum traducit. sic apparitores, statores, satellites, stipatores. Istæ omnes voces jam à foro ad militiam abiere. *Cerda.*

Mentitaque tela.] Hoc est, quæ nos Græcos esse mentiebantur; ut solet, sensum dedit rei inanimatæ: Non enim illi poterant tela mentiri. *Servius.*

Mentitaque tela.] Id est, non vere Tro-

Agnoſcunt, atque ora ſono diſcordia ſignant.
Ilicet obruimur numero. primuſque Corœbus
Peneleï dextra, divæ armipotentis ad aram,
Procumbit: cadit & Ripheus, juſtiſſimus unus
Qui fuit in Teucris, & ſervantiſſimus æqui.

Dis

re Trojana. ſic *mentitus color* eſt non verus. Ductum hoc ex Græco fonte, ubi plurima hæc locutio, *χρώματα ψευδόμενα*, & *ἐψευσμένα*. colores, qui mentiuntur nativam ſpeciem. *Cerda.*

423. *Sono diſcordia.*] Sono diſcrepantia. *Servius.*

Sono.] Linguæ Græcæ. *Taubm.*

Ora diſcordia.] Non potuit melius, inquit Scaliger l. 4, 16. Alia enim arma, alia corda gerebant. *Idem.*

Signant.] Deſignant: aut per vocem, aut per ſymbolum, quo utebatur exercitus. *Servius.*

424. *Ilicet.*] Confeſtim, mox: ſed apud veteres ſignificabat, *actum eſt.* Olim enim Judex, ſi dare finem agendis rebus voluiſſet, per præconem dicebat *Ilicet*; hoc eſt, *ire licet*, id eſt, acta & finita res eſt. Terent. In Adelph. *En tibi reſcivit omnem rem, id nunc clamat Ilicet.* Idem in Eunucho, *Actum eſt, ilicet, periiſti.* Idem.

Ilicet.] Ubicumque ponitur *ilicet*, extrema omnia occidere vel occidiſſe ſignificatur. Choroebus denique, primus inſidiarum auctor, primus interficitur, & ante ipſius Minervæ aram occubuit, propter cujus ſacerdotem defendendam eramus collecti. *Donatus.*

Ilicet.] Male multi ſcribunt, *illicet* geminato *ll.* quod ex, *ire licet*, contendant *r* litteram, in *l* abire, vocali *e* detrita. Ait vero Martius Salutaris, qui citatur à Cariſio, *Illicet* loco hoc interjectionem eſſe graviter ingemiſcentis: & ita accipiendum illud ex Eunucho Terentii, *Actum eſt, ilicet, periſti.* Nam & hic non eſt *in loco*, aut *ſtatim*, *continuo.* Sed pro eo, quod eſt *hem*: ut ſit, *Hem periſti.* Libro vero Æneidorum XI. *Ilicet in muros tota diſcurritur urbe.* Celſus ait pro *illico* vel *ſtatim* poſitum, Antiquos pro, *eas licet*, poſuiſſe. Pro *Nunc*, Affranium in Materteris, *Aa tu eloquens Ilicet*, id eſt, *ſubito*, aut *extemplo.* Pierius.

Obruimur.] Livius lib. 21. *obruti ſunt inſuper velut nube jaculorum, à Balearibus conjecta.* Florus cap. 10. lib. 4. *urgentibus telis in modum grandinis.* Cerda.

Numero.] Ne videantur virtute ſuperati. *Servius.*

425. *Peneleï dextra.*] Coroebum à Peneleo interfectum hoc loci Poëta canit. diverſe alii ſentiunt. Pauſan. Phocicis: *venerat Corœbus ad Caſſandræ nuptias, quæ ipſi deſponſa fuerat: interemptum à Neoptolemo fama vulgavit: Leſcheus à Diomede occiſum carminibus prodidit.* De more, quo in extrema neceſſitate ad aras Deorum perfugium erat, alibi à me dicitur. *Cerda.*

Divæ armipotentis.] Bene Minervam Trojanis expreſſit iratam, cum etiam eum periſſe dicat, qui Sacerdotem liberare tentaverat. *Servius.*

Divæ.] Minervæ. *Idem.*

426. *Juſtiſſimus.*] *Juſtum*, ſecundum leges aliqua ratione conſtructum: *æquum*, juxta naturam accipiunt. *Idem.*

Unus.] Non ſolus, ſed præcipuus. *Idem.*

Juſtiſſimus unus.] Perierunt innoxii, & ſceleratis jus vincendi datum eſt. *Donatus.*

Unus.] Id eſt, præcipuus: S. Vide & Scalig. l. 3. c. 2. *Taubm.*

427. *Æqui.*] Pro *æquitatis.* Et eſt optima figura à fœminino genere, in neutrum tranſire. *Servius.*

Dis aliter visum. pereunt Hypanisque Dymasque
Confixi à sociis: nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis insula texit.
Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro, nec tela, nec ullas
Vita-

428. *Dis aliter visum.*] Aut illum non esse justissimum, an aliter visum; sic enim periit ut injustus: Et bene in ingenti indignatione Æneæ, tamen nihil sacrilegum datur. *Serv.*

Visum.] Ubi ponitur hoc, non justum judicium, sed pravæ voluntatis studium & libido significatur. *Donatus.*

Dis aliter visum.] Ita dicere solebant, cum suos casus non sibi, sed diis adscribebant. Sic Horat. 1. Od. 33.

Sic visum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos sub juga aënea
Sævo mittere cum joco.

Turneb. l. 6. c. 21. Et notetur, in ingenti etiam indignatione, nihil dari sacrilegum Æneæ à Poëta. *Taubm.*

429. *Pereunt confixi à sociis.*] Pro *perierunt*. Servius.

Confixi à sociis.] Augetur commiseratio. Interfici enim durum est, sed durius à suis interfici. Et exaggeratur, quod dixerat: *Heu nihil invitis fas quenquam fidere divis.* Donatus.

Panthu.] Vocativus Græcus est. *Serv.*

Nec te tua plurima, Panthu, pietas texit.] Id est, servavit. In fine deos tantum fuisse à Trojanis alienos ait: ut etiam Panthus occumberet vir pius, gravis, religiosus, cum ipsis etiam insignibus sacerdotis. *Donatus.*

431. *Iliaci cineres.*] Naturale est jurare per id, quod charum quis habuit: & excusatur (ut supra diximus) fuga. Ergo fuit necessarium jusjurandum. *Servius.*

Iliaci cineres.] Quia videbat vel crimini, vel esse posse dedecori, quod tot tantisque cadentibus evaserit, jurandi religionem ultro ante objectum, quod metuebat, opposuit. Habet enim majorem fidem, si ante quam exigatur, offertur. Habet & bonæ conscientiæ firmum testimonium, non exorta, sed oblata purgatio. *Donatus.*

Iliaci cineres.] Par juramentum apud Senecam Troadib. ubi Hecuba testatur *patriæ cineres*. Propertius lib. 4. eleg. 12. *Testor majorum cineres tibi Roma colendos.* Stat. lib. 5. Theb.

—— *cineres jurasse sepultos.*

Suetonius de claris Orator.

Juro per patris matrisque cineres, qui inconditi jacent.

Horat. Od. 8. lib. 2.

—— *matris cineres opertos Fallere.*

Seneca Rhet. lib. 1. Controv.

Ergo fame morientem videbo, per cujus cineres juraturus sum.

Itaque hoc juramentum frequentissimum, cui simile per ossa defunctorum. Firmant Tibullus, Ovidius, Propertius. Primus lib. 2. eleg. 7.

Parce per immatura tuæ precor ossa sororis.

Alter in epist.

Per tamen ossa viri subito male tecta sepulcro.

Tertius l. 2. eleg. 20.

Ossa tibi juro per matris, & ossa parentis.

Hæc jam alii libarunt. Non abludunt à toto hoc Maronis loco & obtestatione Æneæ verba Livii lib. 28. *Philippus mœrebat, &c.* Cerda.

Extrema.] Num ideo *Extrema meorum*, quia existimet nihil ex ea superesse. *Servius.*

432. *Testor.*] Testificor: & deest *vos*. Idem.

Testor, &c.] Sic Sil. Ital. l. 6.

—— *testor mea numina manes,*
Dignam me pœnæ tum nobilitate paternæ
Strage hostis quæsisse necem. —— Em.

433. *Vi-*

Vitavisse vices Danaûm; &, si fata fuissent,
Ut caderem, meruisse manu. divellimur inde:
Iphitus & Pelias mecum: quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias & vulnere tardus Ulixi,
Protinus ad sedes Priami clamore vocati.
Hic vero ingentem pugnam, ceu cætera nusquam
Bella

433. *Vices.*] Pugnas: quia per vicissitudinem pugnabatur; ut Salustius docet. Legimus etiam pœnas, *vices* dici. Horatius, *Vicesque superbæ Te maneant ipsum.* Sed de bello usurpatum est. Nullum enim prælium caret periculo, ergo vices periculi. *Servius.*

Vitavisse vices Danaûm.] Servius explicat pugnas, quia per vicissitudinem pugnabatur. non placet Julio Scal. qui sic potius, *vices, vulnera significant, & cædes, ut quemadmodum vel percusserat, vel interfecerat, idem pateretur. ubi igitur ab Argivis tantundem fiebat operis ad pugnandum, eo Æneas sese induebat.* Sed proculdubio Poëta ad ludum gladiatorium contendit. Eo nos ducit verbum *vito*, quod oppositum *peto*, sicut & *vitationes* & *petitiones.* in arena enim ita pugnabatur, ut pene expectato alterius ictu. Consentiunt ista cum explicatione Scaligeri, & Servianam evertunt. Est & alia Servii explicatio hæc: *Legimus etiam pœnas vices dici.* Firmat ex Horatio lib. 1. Oda 28.

—— *Debita jura vicesque superbæ*
Te maneant ipsum.

Cerda.

Et, si fata fuissent, ut cad.] Quasi dicat, si fata permisissent interitum meum. *Donatus.*

434. *Meruisse.*] Id est, fortiter dimicasse. Hi enim merentur occidi. Bene autem evasisse fatis imputat. Cum tam senex, quam debilis Iphitus & Pelias, evaserint occisis juvenibus. *Servius.*

Meruisse manu.] Id est, ita sine aliquo respectu meæ salutis pugnavi, ut meruerim ab hostibus interimi. *Donatus.*

Meruisse manu.] Testor me meruisse, id est, fortiter dimicasse: hi enim merentur occidi. Videatur Turnebus l. 11. c. 19. ubi docet, Mortem aliam esse naturalem, aliam meritam: eumque etiam mori mereri, qui in aciem prodierit. *Taubmannus.*

Divellimur.] Sic dixit, quasi accuset, quod non perierit. *Servius.*

Divellimur.] Inviti, necessitate adacti impellimur abire: ostendit autem meruisse manu mori, cum prius cum paucis, nunc vero solus pugnaret. *Donatus.*

Divellimus.] Ἐπάνοδος sive *Regressio*: qua semel proposita iterat, & dividit. de quo Fabius l. 11. c. 3. & dicit, *divellimur:* quasi accuset, quod non perierit. *Taubmannus.*

436. *Vulnere Ulixi.*] Quia illi Ulyxes inflixerat. *Servius.*

Pelias & vulnere, &c.] Adi Agell. lib. 9. cap. 12. Quod vero hic Poëta: *tardus vulnere*, dupliciter extulit Liv. 21. de Scipione; *gravis vulnere erat.* Et *dum meliorem ex ducibus inutilem vulnus faceret.* Cerda.

437. *Protinus.*] Servavit ordinem, ut primo de patria, post de rege curaverit. *Protinus* hic *statim.* Alibi *porro tenus.* Servius.

Clamore.] Bellico. *Servius.*

Clamore.] Non specialiter ab aliquo, sed clamore pugnantium, quo indicatur opus esse auxilio, ad defendendam regiam: apud quam acrius pugnabatur propter gloriam, & prædam. *Donatus.*

Vocati.] Clamorem secuti. *Servius.*

438. *Ingentem pugnam.*] Merito, quippe in domo regia, ubi aut caput

Bella forent, nulli tota morerentur in urbe:
Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentis
Cernimus, obsessumque acta testudine limen.
Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus, clipeosque ad tela sinistris
Protecti objiciunt: prensant fastigia dextris.

Dar-

Reipub. erat, aut de qua major spes erat prædæ. *Serv.*

439. *Forent.*] Pro *essent.* Idem.

Morerentur.] Non pugnarent, ut supra, *Oriturque miserrima cædes.* Idem.

440. *Martem indomitum.*] Hom. ἄρηα ἀμαιμάκετον. *Germanus.*

441. *Acta testudine.*] Applicata; vel quæ agebatur. *Servius.*

Acta testudine.] Id est, factâ testudine: ut Turnebus l. 9. c. 8. & l. 6. c. 21. qui συνασπισμὸν significari ait: quam Græci χελώνην etiam dicunt. Ita Cæsar: *phalange factâ.* Servius *actâ* interpretatur *applicatâ*, scil. machinâ bellicâ. Videatur Veget. l. 4. c. 14. in eumque Stewechii Comment. Inprimis J. Lipsii lib. Poliorcetικῶν. *Taubm.*

442. *Hærent parietibus.*] Quod illæ, quæ feruntur ad pugnam, clavos habeant vel uncos, & figuntur, ideo hærent. *Servius.*

Scalæ.] Non solum quia in plurali declinantur, sed quia plures essent. *Donatus.*

Hærent parietibus scalæ.] Hoc Tacit. 13. Ann. *Scalas mœnibus admovere.* & 15. *promovere scalas & machinamenta.* Livius lib. 41. *cum scalas ad mœnia erexisset.* Vegetius lib. 4. cap. 27. *appositis scalis.* Eurip. in Suppl. προσβαλών. & in Phœniss.

—— προσφέρειν
Πύργοισι πηκτῶν κλιμάκων πρὸς ἀμβάσεις.

Utrumque possis explicare per *admoveo*, ut & verbum Plutarchi, qui lib. de superstit. κλίμακας προσθέντων. Quod verbum Plutarchus à Thucydide accepit lib. 4. ubi κλίμακα προσθείς. Cedrenus ita: κλίμακας προσερείδειν. & κλίμακας προσάγειν. Cæterum imaginem belli hujus vide in Thucydide lib. 3. ubi Platæenses muros ascendunt. *Cerda.*

Postesque sub ipsos.] Si circa portam, sub postibus: si circa fenestras, circa postes. *Servius.*

443. *Nituntur.*] Pro *nitebantur.* Id.

Gradibus.] Hinc colligi in edito januam fuisse, gradibusque ad eam aliquot ascendi, quod hodie etiam videmus in optimatum ædibus, regiisque principum, Turnebus ait, quod nos firmamus verbis Suetonii in Vitel. c. 15. *statimque pro gradibus Palatii apud frequentes milites cedere se imperio, quod invitus recepisset, professus, &c.* & versu Juvenalis Sat. 3.

—— *nam si gradibus trepidatur ab imis.*

Nescio enim an cum interprete possis accipere tabulata. Et auctoritate Senecæ epist. 84. *Præteri istos gradus divitum & magno aggestu suspensa vestibula.* Cerda.

Ad tela.] Contra tela; & hoc verum est, nam si ad tela, sinistris manibus simul tenent tela & scutum, cum se tegunt. *Servius.*

Ad tela.] Vetera aliquot exemplaria, *ac tela* legunt. Sed *ad tela* agnoscit Servius, dum exponit: *contra tela.* Sunt & codices antiqui, in quibus, *ad tecta* scriptum sit. Sed *tela* omnino castior est lectio. animadversum enim est in oppidorum expugnationibus, milites, dum scalas scandunt, sinistra manu ad tela clipeum objectare, dextera vero, uti ad apprehendendum: idque ipse Poëta graphice describit, dum addit *Prensant fastigia dextris.* Pierius.

445. *Ad*

Dardanidæ contra turris ac tecta domorum
Culmina convellunt (his ſe, quando ultima cernunt,
Extrema jam in morte parant defendere telis)
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt. alii ſtrictis mucronibus imas
Obſedere fores: has ſervant agmine denſo.
Inſtau-

445. *Ad tecta.*] Culmina. *Tecta* participium eſt. Aut eandem rem bis dixit. Quamvis legatur, & *tota domorum.* Veteres *hæc domus*, ut merito ablativus, *ô*, terminatus, genitivum pluralem in *rum* mitteret, ut *bono, bonorum*; ſed mutata poſtea declinatio eſt, ut *hujus domus* faceret, quod cum ita evenerit, ut ablativus in *u* terminaretur, genitivum pluralem per *u* geminat, ut *ab hoc fructu fructuum*, ita & *domuum.* Nam & Juven. *Viſcera magnarum domuum*, ait. Nos tamen de antiqua declinatione præſumimus, ut *ab hac domo, harum domorum* dicamus. *Serv.*

Turris ac tecta domorum.] In antiquis aliquot codicibus, *turres & tecta* legas. Sed hoc parvi eſt momenti. Illud potius dicendum: quod in Mediceo codice *tota* Domorum *culmina* legitur: quanqnam Servius *tecta* agnoſcit. *Pierius.*

Tecta culmina.] Plenam hic habes locutionem, cum ſæpe *tecta* ſine ſubſtantivo invenias. ſed ſubaudi *culmina, faſtigia.* vide Serv. Ecl. I. ℣ſ. 69. & Sanct. Min. p. 294. *Emmenbſſ.*

446. *His.*] Propter quæ pugnabant. Sic Lucanus, *In pugnam fregere rates.* Vel *His*, hujuſmodi. *Servius.*

His ſe.] Ad excuſationem, quare pulchra deſtruerent. *Donatus.*

Quando.] Quatenus, quoniam. *Serv.*

447. *Extrema morte.*] Hoc eſt, ruina civitatis. *Idem.*

His ſe, quando ultima cernunt, Extrema jam in morte parant, &c.] Nihil in extrema calamitate putat reſervatum. inde hic auratæ trabes, turres, tecta divelluntur pro tuenda ſalute. Applaudit mire locus Quintiliani declamat. 368. *ipſorum ſepulcrorum ruina, ſi poſſem, hoſtem repellerem: tecta in ſubeuntes, & ſacra, quin etiam templorum faſtigia, deſperantium tela ſunt. Certum eſt omnia licere pro patria.* Cerda.

448. *Auratasque trabes.*] Sunt antiqui codices, in quibus *æratasque trabes* legitur. Sed *auratas* magis Virgilianum videtur. Libenter enim Poëta noſter omnia ſolet auro decorare. Ut illud, *Pendet Lychni laquearibus aureis*, & *Barbarico poſtes auro.* alia vero ratione alibi *nexas ære Trabes* legas. porro hic pathos eſt à rei precioſæ perditione. *Pierius.*

Auratasque trabes.] Simili affectu dictum à Tacit. lib. 3. Hiſt. in expugnatione Capitolii: *Ambuſtasque Capitolii fores penetraſſent, ni Sabinus revulſas undique ſtatuas, decora majorum, in ipſo aditu vice muri objeciſſet.* Cerda.

Decora.] Ab eo quod eſt *decus*; ut *pecus.* Servius.

Decora alta parentum.] In codicibus aliquot antiquis, *decora illa* legitur, quod emphaſin habet. alibi vero *ſcenis decora alta*, lectum, quod quidem epitheton longe quid ſublimius oſtendit. *Pierius.*

450. *Obſedere.*] Nunc pro præſidio tenebant: ut ſequentia indicant. *Serv.*

Imas fores.] In antiquis aliquot exemplaribus *unas* legitur, hoc eſt, *ſolas*, ut qui putarent non aliunde ingreſſum dari, *imas* tamen, hoc eſt, interiores magis placet, de quibus inferius dictum *Armatosque vident ſtantis in limine primo: Poſteaquam Priami & veterum penetralia Regum apparuere.* Pierius.

Has ſervant.] Alii, *adſervant agmine denſo.* Servius.

Instaurati animi, regis ſuccurrere tectis,
Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
Limen erat, cæcæque fores, & pervius uſus
Tectorum inter ſe Priami, poſteſque relicti
A tergo: infelix qua ſe, dum regna manebant,

Sæpius

451. *Inſtaurati animi.*] Hic oſtenditur eos ſuperius defeciſſe: quod ſupra non dixit. *Serv.*

Levare.] Juvare. *Idem.*

Vimque.] Virtutem: ut Saluſtius, *Sed noſtra omnis vis ut animo & corpore eſt.* Idem.

Victis.] Qui vincebantur: ut, *Et qua vectus Abas.* hoc eſt, ſine vincendi ſpe laborantibus. *Idem.*

453 *Limen erat.*] Contra illud, obſeſſis foribus quomodo ingreſſus ſit: & dicit per poſticum, quod generis eſt neutri: ut, Horatius, *Atria ſervantem poſtico falle clientem.* Nam ſi generis fœminini legeris *poſtica*, augurale eſt: ut, *antica, poſtica.* Idem.

Limen.] Pro *quolibet ingreſſu* interpretante hunc locum Non. Marc. *Emmen.*

Cæca.] Non omnibus notæ. *Serv.*

Cæcæque fores.] Explicui ψευδόθυρον, cum Nannio, qui tamen ψευδοθύρεον, vult efferendum. Ea voce uſus Cicero 4. in Verr. Oroſius lib. 7. cap. 6. Ammianus lib. 14. Græci alii vocant ὀπισθόδομον, quam vocem videtur reddere Poëta infra, cum ait, *poſtes relicti à tergo.* Tacitus 3. Hiſt. & Livius lib. 4. & 26. *averſam portam* dixerunt, Plautus *Poſticulum*, Petronius *Poſticulam.* Adjice ex obſervatione Junii, dici à Plutarcho παρά θυρον, à Galeno κηπαίαν. Sententiam integram ita idem Livius lib. 39. *poſtico, quod devium maxime, atque occultiſſimi exitus erat.* Et Cedrenus, λάθρα διὰ πολίδων ὑπέπιοντες: *Occulte & furtim ſubducunt ſe per portulam.* Ea vero forma dictæ *cæca fores*, qua venti ab Lucretio lib. 1. *cæca corpora.* qua ab noſtro lib. 1. *vada cæca.* & de apibus *ſpicula cæca.* & lib. 3. *cæcis undis* & 6. *cæca veſtigia.* quibus omnibus locis intellige quid ἀόρατον, id eſt, *quod nequit cerni*, quodque eſt occultum, ſed hoc è trivio. *Cerda.*

Uſus.] Verbum juris: *via, actus, uſus.* Has Græci ἀνδρῶνας appellant. *Servius.*

Tectorum inter ſe Priami.] Per quod iter ad utramque domum Priami commeabatur, ut appareat duas domos fuiſſe, alteram regiam Priami, alteram Hectoris, inter quas illi aditus. *Idem.*

Tectorum inter ſe Priami.] Vide ut explicui. Neſcio enim qua lubentia feror, ut intelligam unas & eaſdem fuiſſe ædes Priami, & Hectoris, quæ tamen Priami fuiſſe dicantur à Poëtæ κατ' ἐξοχὴν. Fuerunt unæ, nam Poëta nihil diſcriminans ait, *tectorum inter ſe.* qui potuit magis adunare? Hoc poſito intelligamus, Andromacham uxorem Hectoris verſatam in gynæceo, ut moris fuit ævi illius, diſcretæ enim erant à viris fœminæ, & per pſeudothyrum ingredi ſolitam ad ſoceros. *Cerda.*

454. *Poſteſque relicti.*] Relictum ſpatium cum domus ædificaretur, ubi oſtium fieret. Aut relicti ab hoſtibus, id eſt, quos hoſtes non obſederant. *Serv.*

Poſteſque relicti.] *Poſtes* quidem primitus παραστάδες, latera oſtiorum in ædificiis, quorum fores alter cardinibus ſuſtinet, alter ſeram & repagula recipit: hîc tamen pro oſtio ſumitur, & foribus: ut apud Lucret. lib. 3.

Jam magis exemptis oculis debere videtur.
Cernere res animus, ſublatis poſtibus ipſis: & 4.
Primus enim eſt citra poſtes qui cernitur aër. German.

455. *Infelix.*] Non cum regna manebant, ſed ad præſens retulit tempus. *Servius.*

Dum.] Donec: & abſolutus eſt ſenſus.

Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, & avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis: unde
Tela manu miseri jactabant irrita Teucri.

Tur-

sus. Alii tamen *Cum* legunt: sed *Cum Manebant*, quomodo dicimus; cum constet *Manebant*, modum esse indicativum? Hoc vero sciendum est, quia quando conjunctivus est, necesse est aliquid jungi, aut subaudiri: ut, *cum venirem, vidi illum*. Si autem *Cum veniebam* dicamus; aut modus pro modo est, hoc est, indicativus pro conjunctivo: aut etiam *Cum* non erit conjunctio, sed adverbium temporis: & significat *tempore, quo veniebam*. Idem.

456. *Sæpius.*] Sosipater Carisius ait Soloecismum esse, Transmutatione qualitatis in adverbiis, *Sæpius* pro *sæpe*, hoc citato versu. *Pierius.*

Andromache.] Notum est omnibus hanc de gente Eëtionis, fuisse uxorem Hectoris, matrem Astyanactis, de qua plenius omnia in 3. l. narrantur. *Serv.*

Ferre incomitata.] Ut & ad soceros iret sæpius, & non quæreret exequia famulorum. *Idem.*

457. *Ad soceros.*] Quare *ad soceros*, cum *socer* & *socrus* dicantur; sed meliori sexui respondit: id est, masculino. *Idem.*

Ad soceros.] Uno vocabulo complexum vult Poëtam Servius socerum & socrum: an ita sit, tu videris. Certe Euripides in Androm. eadem forma hoc extulisse videtur, sub persona Menelai, de Neoptolemo loquentis: παρὼν δ' πρὸς παρόντας ἐμφανῶς γαμβροὺς διδάξω, καὶ διδάξομαι λόγους. unicum autem generum voce multitudinis hîc significari, non dubium est: γαμβρὸν autem notum est, tam *socerum*, quam *generum* significare, quamvis & socerum πενθερὸν dicant Græci, si hac ratione paratior & expeditior Virgilio Euripidis imitatio videri posset. Sed & eodem dramate sub numero multitudinis Neoptolemum intelligit eo loco: δίκην ὑφέξομεν ἂν σοῖσι γαμβροῖς, οἷσιν οὐκ ἐλάσσονα βλάβην ὀφείλω, προστιθεῖσ' ἀπαιδίαν. *German.*

Astyanacta.] Hunc quidam ab Ulyxe; alii à Menelao, absente Pyrrho, raptum & præcipitem datum ferunt: Fatis enim prædictum fuerat, puerum, si supervixisset, ultorem patriæ & parentum futurum. *Servius.*

Astyanacta.] Hunc alii Nesum, alii Scamandrum, aut Scamandrium vocant. monuit Delr. in Troad. Senecæ. extremum in Dicty invenies lib. 3. Bel. Troj. Volaterranus lib. 13. *Astyanax quasi urbis princeps, appellatus antea proprio nomine Scamandrus, Hectoris filius & Andromachæ.* Cerda.

Trahebat.] Quasi puerum; ut, *Parvumque nepotem Ipse trahit.* Servius.

Trahebat.] Observat Germ. in Paral. Poëtam voluisse repræsentare familiarem matribus morem, & actum pupos trahendi potius, quam ducendi, renitenten videlicet infantili imprudentia, & infirmitate: metaphora ducta ab onus trahentibus, nam & Eustathius in Il. 7, notavit, ὀχέειν οἴζυν, *trahere ærumnam*, dictum ab Homero ad eundem modum, quo etiam ὀχέειν νηπιάας, id est, νηπιότητας, *infantias trahere.* Lusere porro ad imitationem Virgilianam Statius semel 3. Theb. Claudianus bis, tum 3. Raptus, tum paneg. 4. Honorii: quæ loca, ut præoccupata, omitto. *Cerda.*

458. *Evado.*] *E*, vacat, ut, *emortuus.* Sane minus est. *Hac.*] Id est, hac evado. *Servius.*

Evado.] Pro *adscendo*, ut Non. Marc. sic noster l. 6. Æn. ꝟſ. 127.

—— *Superasque evadere ad auras.*
Emmeneſſ.

459. *Jactabant.*] Spargebant, quasi nil profutura. *Servius.*

Turrim in præcipiti ſtantem, ſummiſque ſub aſtra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri,
Et Danaûm ſolitæ naves, & Achaïca caſtra,
Aggreſſi ferro circum, qua ſumma labantis
Jun-

460. *Turrim.*] Nullum ego exemplar ex vulgatis aſpexi, in quo non *turrim* per *i* vocalem tertiam ſcriptum eſſet. Et cauſativum caſum in *im*, ſemper mittere *Puppim*, *Sitim*, *Securim*, *Turrim* Soſipater ait, Obſervaſſe tamen ſe *turrem* apud Virgilium per *e* vocalem ſecundam, libro ſecundo, *turrem in præcipiti ſtantem*. Hoc, tametſi haud magni alicujus momenti eſt: tam diligentis tamen Scriptoris obſervatio oſtendit, multa adeo eſſe, quæ in hunc modum librariorum incuria lancinarit. *Pierius.*

Turrim.] Gellius l. 13. c. 9. Virgilium dicere teſtatur *turrim* non *turrem*. Non *ſecurem* ſed *ſecurim*. De hiſce cognoſce teſtimonium Dauſquii. *Emm.*

In præcipiti.] In alto: unde quis poteſt præceps dari. Sequitur enim, *ſub aſtra.* Servius.

In præcipiti.] Id eſt, in alto. Meminit hujus turris etiam Hom. Iliad. 3. *Taubm.*

461. *Eductam.*] Extructam. *Serv.*

Unde omnis Troja videri.] Eſt hoc quod Livius lib. 10. *unde in omnes partes conſpectus eſſet.* Dictum vero cum magno affectu, turrem illam dirui, unde conſpici ſolita à Priamo Troja, naves, caſtra. Simili affectu locutus Livius lib. 25. in everſione Syracuſarum. Apud quem Marcellus videns ex edito loco ſubjectam urbem, illacrymat, cum ſubiret cogitatio, illam momento horæ arſuram, redituramque in cineres. Virgilii locus ſumptus eſt ab Homero 13. Il — ἔνθεν γὰρ ἐφαίνετο πᾶσα μὲν Ἴδη,
Φαίνετο δὲ Πριάμοιο πόλις, καὶ νῆες Ἀχαιῶν:

& lib. 12. ait,
Εἱστήκει δ' ὁ γέρων Πρίαμος θείου ἐπὶ πύργου.

Ait Modicius cap. 26. turrem Homericam non eſſe eandem cum Virgiliana. Nam Homerica eſt ad portam Scæam, Virgiliana in regia. Homericam deſcribit etiam Seneca in Troadib.

Eſt una magna turris è Troja ſuper,
Adſueta Priamo, cujus è faſtigio,
Summiſque pinnis arbiter belli ſedens
Regebat acies.

Similem Virgilianæ deſcriptionem de turri quapiam invenies lib. 5. Sibyllinor. carm. *Cerda.*

Inde omnis Troja videri, &c.] Hanc turrim deſcribit Ovid. l. 13. Met. ℣. 415.

Mittitur Aſtyanax illis de turribus, unde
Pugnantem pro ſe, proavitaque regna tuentem
Sæpe videre patrem monſtratum à matre ſolebat. Emmeneſſ.

462. *Solitæ naves.*] Participium eſt ſine verbi origine. *Soleo* enim neutrale eſt: quod caret præterito. *Servius.*

Achaïca caſtra.] Videtur alios Danaos; alios Achaïcos dixiſſe. *Idem.*

Caſtra.] Ubi exercitus ſit, *caſtra* dicuntur. Unde eſt, *Nos caſtra movemus:* ut, *Velorum pandimus alas.* Idem.

Achaïca caſtra.] Adverte κακωπάκισμον in opprobrium poni, Veluti etiam ſuperius *Dorica caſtra.* In codicibus tamen aliquot antiquis, *Achaïa caſtra* legimus diſſoluta diphthongo ἀχαΐα. ἀπὸ τῆς γὰρ ἀχαΐας τὸ ἐθνικὸν ἀχαιός. Nam & in Mediceo codice eo verſu, qui eſt in Quinto, *O miſeras quas non manus inquit Achaïca bello*, ſcriptum eſt *Achaïa.* non tamen hæc efficiunt, ut *Achaïca* mutemus. *Pierius.*

463. *Summa.*] Extrema. ut, ſupremum, *ſummum* dicimus: ut, *Pro ſupreme Juppiter.* Servius.

Labantis.] Faciles ad reſolutionem. Et eſt ordo: *Turrim convellimus, impulimuſque.* Idem.

Qua ſumma labantis.] Id eſt, Turrim

Juncturas tabulata dabant; convellimus altis
Sedibus, inpulimusque. ea labsa repente ruinam
Cum sonitu trahit, & Danaûm super agmina late
Incidit. ast alii subeunt: nec saxa, nec ullum
Telorum interea cessat genus.
Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus
Exsul-

rim ab ea parte, ubi paries, propter foramina, quibus trabium *summa*, sive extrema capita, inserta erant, invalidior videbatur (illis enim tabulatum impositum sedebat) aggredimur dissolvere. Ergo *labantes* significat *faciles ad resolutionem*. Cæterum quæri poterat, ubi illi steterint, qui summum tectum impulerunt. *Taubm.*

464. *Tabulata dabant.*] Quidam *dabant* pro *faciebant* intelligunt: ut, *Ingentem lato dedit ore fenestram.* Olim sane domus de tabulis fiebant, unde hodie in ædificiis surgentibus, *primum* & *secundum tabulatum* dicimus; *summum* autem est, quod tectum sustinet. *Servius.*

465. *Inpulimusque.*] Quidam notant, quod non sit expressum, ubi stantes summum tectum impulerint. *Idem.*

Ea labsa.] In plerisque codicibus, absque pronomine ullo legitur, *elapsa.* quod nequaquam placet. De littera vero *b* in eo participio dictum alibi. *Pier.*

Repente.] Ne provideri, aut vitari possit. *Servius.*

Convellimus altis sedibus inpulimusque, ea labsa repente ruinam, &c.] Et junctura literarum, & pedes ipsi, qui dactyli sunt, ita repræsentant ruinam turris inpulsæ, ut poëta videatur celeritate numerorum ipsam ruinam antevertere voluisse. Videndus Ger. J. Voss. de institut. poët. l. 3. c. 7. *Emmeness.*

467. *Ast alii subeunt.*] Hic ostendit priores periisse. *Servius.*

468. *Telorum interea cessat genus.*] Bene addidit *Genus.* *Telum* enim dicitur secundum Græcam etymologiam ἀπὸ τοῦ τηλόθεν, id est, quicquid longe jaci potest: quamquam legimus de gladio; *At non hoc telum quod vi mea dextera versat*; & sequitur, *Dixit, & sublatum consurgit in ensem.* Sed *telum* illo loco à longitudine dictum est, ut, *mustelum* dicimus. *Idem.*

469. *Vestibulum.*] *Vestibulum* est prima janua. Dictum vel quia januam vestiat: ut dicimus cameram duabus sustentatam columnis: vel quoniam Vestæ consecratum est. Unde nubentes puellæ limen non tangunt. Lucanus, *Translataque vetat contingere limina planta.* Singula enim domus, sacrata sunt diis: ut Culina, diis penatibus: Maceries, quæ ambit domum, Hercæo Jovi. Ante videtur *Vestibulum* & *Limen* pro una re dixisse. *Idem.*

Vestibulum.] Dictum, quod Vestæ sacrum (aliud etymum, quod januam vestiat, quia nec intelligo, nec velim, prætereo) Ovid. 6. Fast.

Hinc quoque vestibulum dici reor, unde precamur:
Quæ famur Vesta est, quæ loca prima tenet.

Agellius lib. 16. c. 5. vestibulum esse ait, *non ipsis in ædibus, neque partem ædium, sed locum ante januam domus vacuum, per quem à via aditus accessusque ad ædes est.* adjuvat vox Græca πρόθυρον, quam pene expressit Plaut. Mostell. *videri vestibulum ante ædes, & ambulacrum cujusmodi?* Cerda.

Pyrrhus.] A colore comæ dictus; qui Latine *byrrus* dicitur, ita & Salustius *crispus.* Servius.

Primoque in limine Pyrrhus.] Ferocem naturam hujus ostendit, & qui plenæ victoriæ fiduciam cerneret. *Donatus.*

470. *Luce*

Exſultat telis, & luce coruſcus aëna.
Qualis ubi in lucem coluber mala gramina paſtus,

Fri-

470. *Luce aëna.*] Pro *luce aheni*; ut 3. Georg. *Saxea procubet umbra.* Serv.

Coruſcus aëna.] Notat Gellius vidiſſe ſe mirandæ vetuſtatis codicem, qui quidem ipſius Virgilii fuiſſe credebatur. In quo, loco hoc *aëna* ſcriptum eſſet *h* littera ſupra addita, quum abſque adſpirationis nota prius ſcriptum eſſet, Sic eo quoque loco, *undam tepidi deſpumat aëni.* verba Gellii nonnulli aliter interpretantur. *Pierius.*

Luce coruſcus aëna.] Ita Homer. l. 7 Il:

Αὐγὴ χαλκείη κορύθων ἄπο λαμπομένων:

Splendor aheneus lucentium galearum.

Pindarus Od. 11. Pyth. loquens de gladio, πολιῷ χαλκῷ: *candente ære*, & Eurip. Androm. Φαεννοῖς δεσπότης στίλβων ὅπλοις: *Herus micans armis fulgentibus*. Cur ahena dixerit Virgilius loquens de armis, alii etiam ante illum, fuſe explicat Magius lib 3. Miſcel. cap. 3. referens ad inopiam ferri, quæ in illo ævo: qua factum, ut ærea, aut ahenea arma eſſent in uſu, interdum ſtannea, ſupplente firmiſſima temperatura æris ſtanni ve mollem naturam. Adi illum. Dici etiam poteſt, poëtas ſuo jure *æs* accepiſſe pro *ferro*. Apud veteres certum eſt, fuiſſe æs in magno pretio, utebantur enim divites æneis poculis, inde illorum repoſitoria χαλκοθῆκαι dicta. *Cerda.*

471. *Qualis ubi.*] Deſcripturus hoſtem natura ferum, ætate inſolentem, ſucceſſu ſuperbum: & ipſe Æneas hoſtilem animum in adverſarium gerens, hinc animali illum comparandum putavit. Sæviebat ut ſerpens, qui vomit venena, qui neſcit aliquando miſereri: qui captat tempora, quibus procedat, aut lateat. Hac igitur comparatione Pyrrhum deformat. Nam ut ſerpens non in virtute, ſed veneno confidit: ita huic, non arma, ſed inſidiæ ad victoriam profuerunt: nec unquam in præliis viſus eſt, niſi cum alienis dolis procurata eſt victoria. *Donatus.*

In lucem coluber.] Deeſt *proceſſit*. Sed *colubrum* nonnulli promiſcuum nomen tradunt, quod, ut ſonantius fieret, finxit maſculinum, ut diceret *coluber*: nam ut alii, promiſcuum eſt. *Servius.*

Qualis ubi in lucem, &c.] Sumptum eſt ex Il. 22. ubi Græcus vates:

Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσι
Βεβρωκὼς κακὰ φάρμακ', ἔδυ δέ τέ μιν χόλος αἰνὸς
Σμερδαλέον δὲ δέδορκεν ἑλισσόμενος περὶ χειῇ:

Ut autem draco in luſtro montanus virum exſpectat
Paſtus mala venena, ſubiitque ipſum ira gravis,
Torvumque tuetur convolvens ſe circa latibulum.

Huic comparationi Poëta addidit novitatem ſerpentis, nitoremque juventutis depoſitis exſuviis. Silius lib. 17. longe utroque inferius,

Qualis in æſtiferis Garamantum fœta veneno
Attollit campis ferventi paſtus arena
Colla Paratonius ſerpens, lateque per auras
Undantem torquet perfundens nubila tabem.

Cerda.

Mala gramina paſtus.] Venenatis herbis, id eſt, pro malis graminibus. *Servius.*

Mala.] Reddit Homericum, βεβρωκὼς κακὰ φάρμακα. Proprie & ſignate uterque vates. Κακὸς enim Græcis, & *malus* Latinis pro venenato & noxio ſumitur. Quod Germanus aſtruit ex Tibullo, qui,

Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas.

Atque ex Nicandro, qui mentham, quæ olfacta muliebrem conceptionem corrumpat, vocat κακὴν. Et ego ex eodem Nicandro, qui in Alexiphar. taxum, quam ipſe facit venenatam, κακὴν nominat, atque ex Platone l. 3. Reip. ubi

ἐν κα-

Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc poſitis novus exuviis nitiduſque juventa,
Lubrica convolvit ſublato pectore terga
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.

Una

ἐν κακῇ βοτάνῃ. *in herba noxia.* & ex Vegetio lib. 3. cap. 2. *malæ aquæ potus, veneno ſimilis, peſtilentiam bibentibus generat.* id eſt, potus aquæ noxiæ. & ex Prop.

Et mala deſertos occupat herba Deos.

Cerda.

Qualis ubi.] Hanc Comparationem expendit Scal. l. 5. c. 3. deque verſuum horum venuſtate in genere magniloquo agit, lib. 4. c. 6. *Taubm.*

Gramina.] *Gramen* hîc pro qualibet herba ſumi, neque tantum ſignari ἄγρωστιν Victorius admonet lib. 6. Var. c. 16. *Cerda.*

Paſtus.] Legimus, *& ſilva paſtus arundinea.* Sed ſciendum eſt, quia licet hoc in uſu ſit, rarum tamen eſt apud antiquos: *Paſtus* autem, pro qui paſcebatur: quia ut ſupra dictum eſt, in hac ratione Latinitas deficit. *Servius.*

472. *Tumidum.*] Qui ſemper iraſcatur. *Idem.*

Bruma.] Id eſt, hiems. Dicta autem *bruma*, quaſi βραχὺς ἡμέρα, id eſt, brevis dies. Eſt autem, ut hic locus indicat, generis fœminini, numeri ſingularis. *Idem.*

Tegebat.] Plin. lib. 8. cap. 23. verbo *occulto* uſus eſt. Ariſt. 8. Hiſt. animal. cap. 15. verbis, φωλέω, & φωλεύω. ait enim: φωλεῖ δὲ καὶ τὰ πολλὰ τῶν ἐναίμων: *Coudunt ſe multa ſanguinei generis.* & ſtatim: Ὄφεις ἐν τῇ γῇ φωλεύουσιν: *ſerpentes latent in terra.* Cum ait *tumidum*, veneno intelligit, à quo tumor. Stat. l. 5.

—— *tumidi ſtat more veneni*
Spuma virens.

Nam, ut bene Seneca ep. 42. de ſerpente, *dum riget frigore, non deſunt illi venena, ſed torpent.* Cerda.

Exuviis.] Bene *corium* quo ſerpens exuitur *exuvias* dixit. *Serv.*

Exuviis.] De pelle Serpentium Græci appellant λεβηρίδα. eodem modo noſter l. 3. Georg. ✠ſ. 437.

Cum poſitis novus exuviis nitiduſque juventa.

vide N. ubi etiam de *linguis triſulcis* idem verſus occurrit. Non. Marc. *ſulcus* appellatur, dicit, *quicquid in longitudine aculeatum eſt.* inde *triſulcum fulmen.* de duplici & triplici anguium lingua Bochart. Hiſt. anim. l. 1. c. 4. *Emmeneſſ.*

Nitiduſque juventa.] Novus; conſtat enim ſerpentes innovari virtute, pelle depoſita. *Servius.*

Nitiduſque juventa.] Hunc nitorem per aurum & purpuram Accius explicat in Pelopidis: *Ejus ſerpentis ſquammæ ſqualido auro, & purpura prætextæ.* Cerd.

474. *Lubrica terga.*] *Lubricum* dicitur & quod labitur, dûm tenetur, ut piſcis, ſerpens: & locus in quo labimur. ut, *Nam ſeſe oppoſuit Salio per lubrica ſurgens.* Servius.

Lubrica convolvit ſublato pectore Terga.] In perveteri quodam codice ſcriptum animadverti, *ſublato pectora tergo.* Sed longe melius, *lubrica terga.* quod Servius etiam agnoſcit. *Pierius.*

475. *Arduus ad Solem.*] Id eſt, Solis appetens, atque apricans: *Scaliger.* Serpens autem ſingulis annis pelle bis exſutus, rejuveneſcit. Tibullus:

—— *ſerpens novus exſuit annos.*

Lucret. l. 4. —— *Cum lubrica ſerpens*
Exſuit in ſpinis veſtem. ——

Statius 4. Thebaid. ✠ſ. 189.

—— *ceu lubricus alta*
Anguis humo verni blanda ad ſpiramina Solis
Erigitur liber ſenio, & ſqualentibus annis
Exſutus, lætiſque minax intervirer herbis.

Plinio dicitur *vernatio annua:* item, *pellis exſuviæ.* Taubm.

Linguis micat ore triſulcis.] Ita enim in ore

Una ingens Periphas, & equorum agitator Achillis
Armiger Automedon; una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, & flammas ad culmina jactant.

Ipse

in ore serpens vibrat linguam, ut tres esse videantur. Seneca in Medea:

trifidamque linguam exsertat.

Statius in Theb. 5.

Livida fax oculis, tumidi stat more veneni
Spuma virens: ter lingua vibrat: terna agmina adunci Dentis.

Ducitur metaphora à sulco, ut etiam in fulminibus, quæ *trisulca*, & *bisulca* Poëtæ appellant. bonique interpretes Græcorum πῦρ δίπαλτον, τρίπαλτον, quod proprie *ignis vibrans*. vertunt, *ignem bisulcum, trisulcum*. Plin. lib. 11. cap. 37. utramque vocem adjungit. *Linguæ non omnibus eodem modo. Tenuissima serpentibus, & trisulca, vibrans, atri coloris.* Notentur Artemidori verba c. 69. l. 4. διπτλῶ γδ' ἔχι τλῶ γλῶτlαν ὁ δράκων: *Duplicem enim linguam Draco habet.* Cerda.

476. *Periphas.*] Ultima accentum non habet, ne fœmininum sit: nec tertia à fine, quia novissima longa est: Ergo *ri* habebit accentum. *Servius.*

Una ingens Periphas.] Periphantis mentio nonnulla Homero, præsertim 5. Il. ubi illum vocat πελώριον, & Spondanus ibi *ingentem* vertit. πέλωρ autem πέλωρος, πελώριος, de carnificina & immanitate frequenter sumuntur: ut jam videatur epithetum Maronis referendum ad magnitudinem cædium, quibus furebat Periphas. de Automed. Il. 9.

Ἵππες δ' Αὐτομέδων καὶ ἄλκιμΘ- ἀμφιέποντες
Ζεύγνυσαν:

Equos autem Automedon, & Alcimus curantes
Junxerunt.

Frequentissima alias mentio. *Cerda.*

Periphas.] Ætolorum Princeps: quem Pallas Orci galeâ texit, &c. *Taubmannus.*

Agitator.] Auriga, secundum usum communem. *Servius.*

Equorum agitator.] Ἱππηλάτης, ἐλάσιππος, ἁρμηλάτης, διφρηλάτης. Simpliciter & Jurisconsulti *agitatores* dixerunt: ut in l. Athletas. Π de iis qui not. infam. his verbis. *Et generaliter omnes opinantur, & utile videtur, ut neque thymelici, nec agitatores, nec qui aquam equis spargunt, cæteraque eorum ministeria, qui certaminibus sacris deserviunt, ignominiosi habeantur.* Germanus.

Equorum agitator.] Græce ἡνίοχος, Lat. *auriga.* Suet. in Nerone c. 22. *Tractum Prasinum agitatorem inter condiscipulos quærens.* vide Scheff. l. 1. de r. vehic. c. 17. ubi, præter hanc, multæ inscriptiones:

M. AURELIO AGITATORI
FACTIONIS PRASINÆ.

Emmeness.

477. *Armiger Automedon.*] Pyrrhi armiger. Nam Achillis auriga fuit. *Servius.*

Scyria pubes.] A Scyro insula, una de Cycladibus: in qua fuit Lycomedes pater Deïdamiæ; quam Achilles, commendatus ibi à matre Thetide, vitiavit, unde Pyrrhus natus est. quamvis alii, volente Lycomede, Deïdamiam Achilli datam in matrimonium dicunt. *Idem.*

Scyria pubes.] Sic Ovid. epist. Heroid. 8. ℣. 12. *ignara tetigi Scyria membra manu.* arguit Hermolaus l. 4. castig. Plin. Sidonium, *Scy* in hac voce corripientem: *vel Scyrias vacuasse colus, vel serica fila.* contemptum annuit. Pyrrhus enim ex furtivo concubitu natus dicitur, ut Senec. Troad. Hyginus fab. 97. Neoptolemum Achillis & Deidamiæ filium ex Scyro insula venisse testatur. ex Cycladibus una est, ut Mela l. 2. c. 7. ubi in Vossiana editione male *Syros* pro *Scyros.* Nunc *Scyro.* Ob antiquitatem commendatur à Strabone l. 9. *Emm.*

478. *Succedunt tecto.*] Pro *sub tectum cedunt.* Et est figura: quia mutatus est casus. *Servius.*

Flam-

Ipse inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, postesque à cardine vellit
Æratos: jamque excisa trabe firma cavavit
Robora, & ingentem lato dedit ore fenestram.
Apparet domus intus, & atria longa patescunt:
Apparent Priami & veterum penetralia regum,

Arma-

Flammasque ad culmina jactant.] In Epig. dicitur πῦρ ὀροφηφάγον, *devorans contignationes, & culmina.* quod habet nonnullam similitudinem cum Maroniano. *Cerda.*

479. *Dura.*] Valida limina, id est, firmiter clausa. Ideoque non aperit, sed perrumpit. *Servius.*

Dura limina.] Quæ facile superari non possent. Potest tamen videri dixisse *duram bipennem*, id est, idoneam, qua frangere potuerit firmitatem æratorum postium. Allusit autem de ostio ad fenestram: sed debuit dicere cavernam factam in ostio, per quam non ingrederetur, sed videret interiora. Ergo videbantur intus armati. Intercepta autem spe, clausa ante domus, patuit. Plangebant fœminæ & summis ululatibus prodebant hostibus suam formidinem, qua augebatur illis spes. Ergo, *Instat vi patria Pyrrhus.* Quis enim non provocaretur audiendo talia? Descriptio autem regiæ, auget nobilitatem & amplitudinem fœlicitatemque Priami. *Donatus.*

480. *Postesque.*] Fere eodem modo Horat. posuit *postes* pro *foribus* l. Epod. od. 11. *Heu, mihi postes & heu limina dura.* Male igitur Donatus *dura* bipenni conjungendum censet. Notanda verba, *perrumpit*, *vellit*, quæ non mediocrem vim designant. Similem sententiam Apulejus lib. 4. Metam. *Latrones aditum tentantes, & domus januas cardinibus obtortis evellere gestientes, &c. claustrisque omnibus violenter evulsis, &c.* pro *perrumpere* Ter. Ad. 1. 2. 22. *fores effringere.* Emmeness.

Vellit.] Non dejecit. Nam sequitur paulo post, *Labat ariete crebro.* Sed movet, ut, *Cynthius aurem Vellit, & admonuit.* Vel certe vellere vult, ut, *Ipsumque trahunt in mœnia regem.* Nam quare facit fenestram? *Servius.*

485. *Cavavit.*] In perveteri codice Longobardico, *cavabat* habetur, neque obstat, quod præteritum subsequatur. ostendit enim hoc celeritatem in conficiendo negotio: Consentiunt tamen omnes in *cavavit.* Pierius.

482. *Dedit.*] Id est, fecit, ut Terentius, *Quas turbas dedit.* Servius.

Fenestram.] Epitheto, ut solet, auxit tapinosim, in dicendo *lato ore.* Idem.

Fenestram.] Id est, ingens fecit foramen in janua, & occasionem invadendæ aulæ. Allusum videtur ad illud Terentianum H. 1. 2. 72. *fenestram ad nequitiam patefacere.* De hac voce accuratius Scefferus ad Phœdr. lib. 2. f. 14. *Emmeness.*

483. *Atria longa.*] Sic l. 1. Æneid. vs. 730. *atria ampla.* vide Serv. l. 4. Æn. vs. 675. *alta atria. fuere proxima januis.* Vitruv. lib. 6. c. 8. de latitudine & longitudine eorum c. 4. Græci iis non usi c. 10. an subdialis fuerit locus, in dubium vocat Phylander, quem c. 4. vide. de atriis templorum agit Salmas. Plin. exerc. p. 1216. 1218. *Idem.*

Patescunt.] Aperiuntur, ac per hoc videntur. *Servius.*

284. *Penetralibus.*] Ideo domorum secreta dicta, ab eo quod est penitus, aut à Penatibus. *Idem.*

Veterum regum.] Ut ostenderet regnum Priamo à majoribus suis provenisse. Quantus autem dolor, ut una nocte conciderit, quod per infinitos reges, multis etiam seculis servatum fuerat? *Donatus.*

485. *Ar-*

Armatosque vident ſtantis in limine primo.
At domus interior gemitu miſeroque tumultu
Miſcetur; penituſque cavæ plangoribus ædes
Femineis ululant. ferit aurea ſidera clamor.
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent poſtes, atque oſcula figunt.

Inſtat

485. *Armatoſque vident ſtantis.*] Ut ſupra, *Strictis mucronibus imas Obſedere fores.* Sic enim datur virtus ubique Trojanis. *Servius.*

486. *At domus interior.*] De Albano excidio tranſlatus eſt locus. *Idem.*

Domus interior.] Ubi feminæ agunt. Corn. Nep. in Præfat. *in interiore parte ædium, quæ gynæconitis appellatur.* Ter. Ph. 5. 6. 22. *gynæceum.* de hoc conclavi mulierum Vitruv. l. 6. c. 10. & Salmaſ. p. 1216. *Emmeneſſ.*

Tumultu.] *Tumultus* dictus, quaſi *timor multus.* Unde alia bella dicta ſunt; ut *Italicus, Gallicus tumultus.* Bene autem addidit *Miſero*, quia eſt etiam terribilis. *Idem.*

487. *Miſcetur.*] Perturbatur. ut, *Nec quiſquam æratas acies ex agmine tanto Miſceri putet.* Idem.

Cavæ ædes.] Tecta camerata. *Ædem* autem numero ſingulari, de templo tantum dicimus: plurali, & de domibus, & de templis. Si aliter invenies, uſurpatur. *Idem.*

Cavæ.] *Cavedium* intelligit, quod poſt atrium erat ſub dio: Græcis ἡ μέσαυλος. *Taubm.*

Plangoribus ædes femineis ululant.] *Ululare* vocabulum medium. ut Serv. l. 4. Æn. ℣ſ. 168. Lucan. l. 6. ℣ſ. 261. *lætis ululare triumphis.* ſed plurimum in luctu & re atroci idem l. 1. ℣ſ. 567.

Sanguinei populis ulularunt triſtia Galli. Lupis & canibus tribuitur ut l. 1. Georg. ℣ſ. 486. *lupis ululantibus.* l. 6. Æneid. ℣ſ. 257. *viſæque canes ululare per umbram.* ſic Hecuba in canem mutata apud Ovid. l. 13. Metam. ℣ſ. 371.

Sithonios ululavit mœſta per agros.

Nec tantum ſic furiarum appellatur ejulatus ſed & feminarum. inde noſter l. 4. Æn. ℣ſ. 677. *gemituque & femineo ululatu.* Stat. Thebaid. l. 5.

——*reſonant ululatibus ædes*
Femineis. Leni ſpiritu ſcribendum, quamvis Pontanus aſperum anteponat contra fidem codicum & Græcam originem ὀλολύζειν. *Emmeneſſ.*

488. *Ferit clamor.*] Secundum philoſophos, qui dicunt vocem corpus eſſe. ideo dixit *ferit*, nam & fluvius habet mugitum res incorporalis. Bene ergo *Ferit aurea ſidera.* Multi ad laquearia referunt, quod ſtultum eſt. *Servius.*

489. *Pavidæ.*] *Pavidus* eſt ſemper pavens: *Timens*, ex cauſſa: ut *furiatus* & *furioſus.* Modo pro paventibus, *pavidas* poſuit. *Idem.*

Matres.] Honoris nomen. *Idem.*

Errant.] Confuſio, Conſilio. *Idem.*

Errant.] Servii locum corruptum arbitror. *confuſo conſilio* legendum conjicio. Ut & ℣ſ. 487. ubi, ſublata diſtinctione, pro *ſi aliter* pono *nec aliter*, & ſenſus reddetur manifeſtior. ſed hoc Augiæ ſtabulum non obiter purgandum. *Emmeneſſ.*

490. *Amplexæque tenent poſtes.*] Apollonii locus, in quo inducitur Medea patrio * Ætæ relinquens domum, ita facere. *Idem.*

Poſtes.] Hoc autem loco, *poſtis* plurimum in antiquis exemplaribus invenitur. Varie vero ſemper diſputatum ab auctoribus, Utrum caſus plur. hujuſmodi nominum tertiæ declinationis per *is* an per *es* enuntiari debeant. Nam ex veteribus Grammaticis non deſunt, qui ſuper hoc caſu præceptum hoc obſervandum eſſe ſentiant. Ut quando genitivus caſus numero plur. *um* litteris

ante

Inſtat vi patria Pyrrhus: nec clauſtra, neque ipſi
Cuſtodes ſufferre valent. labat ariete crebro
Janua,

ante conſonantem concluditur: Tunc accuſativus caſus numeri plur. *es* litteris definiatur, ut puta horum *parietum*, hos *parietes*. At vero tunc Accuſativus caſus numeri pl. *is* litteris concludatur, quum Genitivus caſus numeri plur. *ium* litteris definitur. Ut puta, hos *talis*: quoniam horum *talium* facere demonſtratur. Quod præceptum, ut imperite datum, redarguit Probus in arte. Quandoquidem ſunt nomina, quæ genitivo caſu numero pl. *ium* litteris definiantur, & Accuſativo caſu numero plur. *es* litteris concludantur: Ut puta harum *nubium* (ait ille) Non quidem has *nubis*, ſed has *nubes* facere pronuntiatur. Item ſunt nomina, quæ genitivo caſu num. pl. *um* litteris ante conſonantem concluduntur, & Accuſativo caſu numero plur. *is* litteris concludantur: ut puta horum *parentum*, hos *parentis*. Quo ſono Salluſtius per *liberos atque parentis veſtros*, ſcivit eſſe pronuntiandum. Item ſunt nomina, quæ genitivo caſu numero plur. *ium* litteris definiantur, & Accuſativo caſu numero pl. *es* & *is* litteris concludantur. Ut puta horum *poſtium*, hos *poſtes*, & hos *poſtis*. Quâ ratione præcipuus Maro eoſdem *poſtes* ex utroque ſono pronuntiavit: *Amplexæque tenent poſtes*. Item, *poſtiſque ſub ipſos nituntur gradibus*. Sane quidem in Mediceo caſus hujuſmodi plurimum per *is* ſcribuntur: hoc vero loco, *poſtes* ſcriptum eſt, ex Probi ſententia. *Pier.*

Amplexæque tenent poſtes, atque oſcula figunt.] Romanis religioni fuiſſe videntur limina poſteſque: Fabius ſiquidem Pictor auctor eſt, Janum primum aras, pomœria ſacra docuiſſe, & ad pudorem & ſanctimoniam domorum, primum item valvas, & ſacras claves excogitaſſe, & januis ipſis nomen dediſſe. *Germanus.*

Amplexæque tenent poſtes, &c.] De artificio hujus loci agit Scal. l. 3. poët. c. 13. de religione, quam Romani tribuebant liminibus & poſtibus hæc habet Turneb. l. 12. c. 5. ex Plaut. Mercat. 5. 1. 1. de ſalutatione ſuperi inferique liminis. idem monet etiam Turneb. l. 26. c. 23. Qui Deus *Limentinus* dictus: poſtes igitur amplectuntur & limina oſculantur, quia ea religione ſe tutas fore & immunes ab injuria arbitrantur. ſed Ovidio teſte l. 13. Metam. ✝ſ. 410. ne ſanctiſſimis quidem adytis parcitum à Græcis:

Dardanidas matres patriorum ſigna Deorum
Dum licet amplexas; ſuccenſaque templa tenentes
Invidioſa trahunt victores præmia Graji, &c. & noſter inf. ✝ſ. 517. ubi fruſtra
— *Divom amplexæ ſimulacra tenebant.*
& ✝ſ 515. *nequicquam altaria circum.* E.

491. *Vi patria.*] Secundum fidem generis ſui: ut, *Stirpis Achilleæ faſtus.* Item de Hercule, *Salve vera Jovis proles.* Servius.

Vi patria.] Non. Marc. hoc loco *fortitudinem* & *virtutem* ſignificare docet, ut in his:

Auxilioque levare viros, vimque addere victis. Salluſt. *omnis vis noſtra ſita eſt in corpore & animo.* Emmen.

Neque ipſi cuſtodes.] Vigiles, de quibus dixerat, *Imas obſedere fores.* Poſſumus etiam *cuſtodes*, ipſos poſtes intelligere, quoniam *cuſtodes* à cuſtodiendo appellantur. Cum igitur omnia deficerent, *fit via vi. Vis*, inquit, januam patefecit: *Vis* aditum ad interiora tenenda recluſit. *Donatus.*

492. *Sufferre*] Pro *ſuſtinere* Non. Marcell. *ſufferre pœnam.* Emmeneſſ

Labat ariete crebro.] De uſu arietis Veget. l. 4. c. 14. illius figuram adjicit Stewechius. inde *arietare*. Plaut. Truc. 2. 2. 1. *quis illic eſt, qui tam proterve noſtras ædis arietat.* in *ariete* tertiam literam ex vocali fieri conſonantem docet Scal. l. 2. Poët. c. 37. ſed de his ſupra. *Idem.*

Janua, & emoti procumbunt cardine poſtes.
Fit via vi: rumpunt aditus, primoſque trucidant
Inmiſſi Danai, & late loca milite conplent.
Non ſic, aggeribus ruptis cum ſpumeus amnis.
Exiit, oppoſitaſque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, campoſque per omnis
Cum ſtabulis armenta trahit. vidi ipſe furentem
Cæde Neoptolemum, geminoſque in limine Atridas:
Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
San-

493. *Cardine.*] A cardine. *Serv.*

Emoti procumbunt cardine poſtes.] Non. Marcellus *emoto* agnoſcit. Ubi hoc verſu teſte Virgilium *Cardinem* virili genere protuliſſe dicit: Nulla enim alia dictio eſt, ex qua genus apparere poſſit. Nam ex veteribus ſunt, qui *hanc cardinem* dixerint. Ut illud, *Sonat impulſa Regia cardo.* Pierius.

494. *Fit via vi.*] Ita Livius lib. 4. *Quacunque incedunt, vi viam faciunt.* Taubmannus.

Primoſque.] Quos dixit ſtrictis mucronibus. *Servius.*

496. *Non ſic, aggeribus ruptis.*] Vult oſtendere gravius vaſtatam Trojam, quam agri fluviorum eruptione vaſtantur. Et ſciendum comparationes, aut pares eſſe, aut minores, aut ſimiles; at contra in ſimilitudine negatur comparatio ultro, ut hoc loco vel illo: *Non tam præcipites, bijugo certamine campum Corripuere.* Contrarium eſt, *Si parva licet componere magnis.* Idem.

Non ſic, aggeribus.] Fluminum multos fecit Homerus comparationes: noſter ſemel tantum, illis omnibus anteponendam. *Scal. l. 5. c. 3.* Taubm.

Non ſic, aggeribus, &c.] Hanc comparationem ex Homero deſumtam docet Macrob. l. 5. Saturn. c. 5. *Emm.*

Spumeus.] Pro *ſpumoſus.* Servius.

497. *Exiit.*] Dicimus & *exivit.* Sed *v* ſubtrahit Virgilius, ut brevem faciat ſequentem vocalem. Et proprie plena flumina, cum extra alveum ſuum creſcunt, *exire* dicuntur, ut, *Præſertim incertis ſi menſibus amnis abundans Exit.* Idem.

498. *Cumulo.*] Augmento: Exuberante fluctu, ut, *Cumulo præruptus aquæ mons.* Idem.

499. *Vidi ipſe furentem.*] Ut, *Quæque ipſe miſerrima vidi.* Et hîc *vidi*, pro admiratione poſuit, at vero *Vidi Hecubam*, pro admiratione. Sane *Vidi ipſe*, hac particula addita miſeriorem ſe oſtendit, cujus ante oculos caſus patriæ ſuorumque fortuna conſtiterat. *Idem.*

500. *Geminoſque in limine Atridas.*] Poteſt ſubaudiri *furentes.* Idem.

501. *Centumque nurus.*] Aut finitus eſt numerus pro infinito ὑπερβολικῶς. Aut certe ideo *centum*, quia Barbarorum fuerat non ſingulas habere, ſed plures conjuges. Aut illud dicit plures fœminas: ut Lucanus, *Cultus geſtare decoros Vix nuribus rapuere mares.* Hoc eſt, fœminas. Aut novas nuptas, ut ætatis hoc nomen ſit, non adfinitatis. Aut centum per aras: licet incongruum ſit, quia ſequitur, *Hæc ara tuebatur omnes:* & unus per centum aras occidi non poterat. Eſt autem hæc plena affectu & dolore repetitio. *Idem.*

Vidi Hecubam, centumque nurus.] Reſpondet ad id: *Quæque ipſe miſerrima vidi.* Fuit ergo cædis eorum hominum ſpectator, quos venerat defenſurus. *Donatus.*

502. *Fœ-*

Sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat, ignis.
Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
Barbarico postes auro spoliisque superbi

Pro-

502. *Fœdantem.*] Cruentantem. Sallustius in 1. *Cum aræ & alia diis sacra, supplicum sanguine fœdarentur.* Et Terent. In Eunuch. *Proh deûm atque hominum fidem, facinus fœdum, ô infelicem adolescentem.* Servius.

Sanguine fœdantem.] Ab Ennio in Andromacha:

—— *vidi*
Jovis aram sanguine turparier.

Est hoc, quod Aristophanes in Lysistrat. βωμὸς ϖεριρραίνοντες. Noster in 10. *sanguine turpantem capillos.* Cerda.

Quos ipse sacraverat, ignis.] Ut, *Et relligiosa deorum Limina.* Per quod ostenditur latenter, nihil prodesse religionem. *Servius.*

Quos ipse sacraverat, ignis.] In illa enim ara Jovis Hercei, ad quam occisus fuit Priamus, sacratum fuisse ignem pervigilem & perpetuum constat. Turneb. l. 14. c. 15. *Taubm.*

503. *Quinquaginta illi thalami.*] Illi celebrati ab Homero. Et bene de thalamis verum expressit numerum. Potest enim unus thalamus, plures habere conjuges: & est zeugma; *Quinquaginta thalami* procubuere. *Servius.*

Quinquaginta illi thalami.] Firmat hoc Homerus 6. Il. ubi etiam numerantur πεντήκοντα θάλαμοι. in quibus παῖδες κοιμῶντο Πριάμοιο, *cubabant Priami filii.* Priamus item ipse ad Achillem ultimo Il. Πεντήκοντά μοι ἦσαν, ὅτ' ἤλυθον υἷες Ἀχαιῶν: *Quinquaginta mihi erant, quando venerunt filii Achivorum.* & Eurip. in Troad. vocans Priamum, πεντήκοντα ἀροτῆρα τέκνων, *quinquaginta liberorum seminatorem.* Demum Dictys 3. excidii Troj. *se diversi partus quinquaginta filiorum patrem, beatißimum Regum omnium habitum.* Diffident aliqui, & minorem assignant numerum. Seneca indefinite ore Hecubæ, *liberûm magni greges.* ut vero Virgilius, *spes tanta nepotum*, ita ab illo Propertius lib. 3. eleg. 22.

—— *hic ampla nepotum*
Spes. Cerda.

Quinquaginta illi thalami.] Propter L. liberos, quos habuit: ex quorum conjugio sperabat sibi copiosam subolem nepotum. Alii LI. numerant. Higynus LIV. Alii filios tantum quinque; filias tres. *Thalamos* interpretatur Servius *Cubicula*, ubi mariti cubant. *Taubmannus.*

Spes tanta nepotum.] Aut *nepotes* significant, qui essent futuri magnæ spei, aut connubia, de quibus sperabantur tanti nepotes, ut, *Modo namque gemellos Spem gregis.* Servius.

Spes tanta nepotum.] Sunt qui dicant in codicibus aliquot antiquis scriptum esse, *spes illa nepotum.* ego lectionem eam nusquam in exemplaribus, quæ mihi versare contigit, inveni. Sed *tanta* fere passim. quam lectionem Donatus agnoscit. In uno tantum, *quanta* per exclamationem habetur. & *ampla* scriptum in Mediceo codice vetusto, *tanta* tamen melius. *Pierius.*

Nepotum.] Cum hæc vox sæpe indefinite signet posteros, hîc tamen proprie accipitur, ut in Ovid.

Prima fuit thalami mihi cura, secunda nepotum.

& iterum,

Sæpe pater dixit, generum mihi filia debes,
Sæpe pater dixit, debes mihi nata nepotes. Cerda.

504. *Barbarico.*] Id est, Phrygio. Phryges enim opibus & auro abundabant: ut & Persæ. Quodque duo hæc regna opulentissima essent, *Barbaricum aurum* dixit Maro; & vetus Poëta, *stante ope barbaricâ*, id est, stante Phrygum imperio. Videatur Turneb. l. 9. c. 18. Quomodo autem personæ Æneæ conveniat, ut patrium aurum dixerit *barbarum*, docet similibus exemplis Pimpontius,

Procubuere. tenent Danai, qua deficit ignis.
Forsitan &, Priami fuerint quæ fata, requiras.

Urbis

pontius. Potest & *barbarum* exponi cum Servio *multum*; aut, *à barbaris captum*. Taubmannus.

Et postes superbi auro Barbarico.] Id est, aut multo ait cultu barbaro, quia Barbari copiæ magis, quam elegantiæ student: aut à Barbaris capto, aut vere barbaro, id est, Phrygio, quia πᾶς μὴ ἕλλην βάρβαρος. Nam & Homerus Phrygas *barbaros* appellat. Et Virgilius, *Barbara tegmina crurum*. Aut vere Barbarico: quia πλησμονὴ τῶν βαρβάρων. Aut cultu barbaro, aut Barbaris apto. *Servius*.

Spoliis superbi.] Hoc fuit moris antiqui: ut ipse in septimo, *Captivi pendent currus, curvæque secures*. Idem.

Spoliisque superbi.] Sic lib. 7.

Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra
Spiculaque, clipeique ereptaque rostra carinis.

Nam Romani solebant suos postes ornare hostium spoliis. Livius lib. 38. *& cætera spolia ejus urbis ante currum laturus, & fixurus in postibus suis*. Silius lib. 6.

—— Vos atria raptim
Nudate, & clipeos in bella refigite captos.

idem de Regulo,

Affixi clipei currusque, & spicula nota
Ædibus in parvis, magni monumenta triumphi.

Tibull. lib. 1. ita ad Messalam,

Te bellare decet terra Messala, marique,
Ut domus hostiles præferat exuvias.

Propertius lib. 3. ad Mæcenatem,

Cum tibi Romano dominas in honore secures
Et liceat medio ponere jura foro:
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum.

Cicero in Anton. *An tu illa in vestibulo rostra, & hostium spolia cum aspexisti, domum tuam intrare te putas?* Polybius: ἐν ταῖς οἰκίαις κατὰ τοὺς ἐπιφανεστάτους τόπους τιθέασι τὰ σκῦλα, σημεῖα ποιούμενοι, καὶ μαρτύρια τῆς ἑαυτῶν ἀρετῆς: *in ædibus conspectissima earum parte, ponunt spolia, indicia, & testimonia suæ virtutis*. Monuerunt, firmaruntque Turn. lib. 14. Adv. cap. 11. & Lips. ad Polyb. lib. 5. de Militia Rom. Ad quem morem multa nos alibi. Nunc placuit magnorum in re litteraria principum labor. οὐ γὰρ αἰδὼς ἔχεται τῶν ἰχνῶν τῶν δυναστῶν. *Cerda*.

Superbi.] Ornatu artis & materia. *Donatus*.

505. *Tenent Danai, qua deficit ignis.*] Ignis potuit deficere, Danai non potuerunt. *Servius*.

Quâ deficit ignis.] Omnia occupaverat ignis, sed cum, rebus consumptis, ignis extinguatur, Danai occupabant ea loca, in quibus non dixit, non fuit ignis, sed jam deficiebat. *Donatus*.

Tenent Danai, qua deficit ignis.] Cum his alludit illud Agathiæ lib. 4. in nocturna invasione, & igne: οἱ μὲν γὰρ οἴκοι μεμενηκότες ἐπυρπολοῦντο, ἢ κατεχώννυντο, τοῖς δὲ θύραζε τὰ ἐκτὸς διεκπίπτουσιν, ἑτοιμότερος ὁ ἐκ τῶν ξιφῶν ὄλεθρος ἐφειστήκει: *Qui enim domi manserant, concremabantur, vel ædibus obruebantur; qui vero è domibus proruebant, iis paratior ab ensibus interitus imminebat*. Verbum *tenere* apte hic (est hæc notula in Symbolis) significat enim per vim occupare. Cicero in Vatin. *tenere templum armatis hominibus*. Ad Attic. lib. 10. *Existimat eum, qui mare teneat, necesse esse rerum potiri*. Cerda.

506. *Forsitan &, Priami fuerint quæ fata, requiras.*] Bene de Priamo obtulit narra-

Urbis uti captæ casum, convolsaque vidit
Limina tectorum, & medium in penetralibus hostem;
Arma diu senior desueta trementibus ævo
Cir-

narrationem, quia breviter perstrinxerat, *Priamumque per aras Sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat, ignis.* Et bono usus est ordine: ut ante reipublicæ, post regis, inde privati, hoc est, sua fata narraret: hoc est illud, *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.* De morte autem Priami lectum est. Alii dicunt, quod à Pyrrho in domo quidem sua captus est: sed ad tumulum Achillis occisus, tractusque est juxta Sigæum promontorium. Nam in Rhoetæo Ajax sepultus est: tunc ejus caput, conto fixum, circumtulit. Alii vero quod juxta Hercei Jovis aram extinctus sit, dicunt. Unde Lucanus, *Herceas, monstrator ait, non respicis aras.* Et hanc opinionem plene Virgilius sequitur. Licet etiam illam prælibet; ut suo indicavimus loco. *Servius.*

Forsitan & Priami.] Bono compendio utitur, ut ultro suggerat, quod interrogari poterat: Debebat enim eo tempore, quod omnibus quietem destinaverat, uti brevitate. Exponit igitur, quomodo sanguine aras fœdaverat. *Donatus.*

507. *Urbis ubi captæ casum.*] Bene omnia collegit & captam, & dirutam, & incensam. *Servius.*

Urbis ubi captæ.] Cum jam nihil esset reliqui de urbe regiaque sua, nullaque omnino spes restaret, statuit sapiens & forti animo rex, quacunque morte captivitatem fugere. *Donatus.*

508. *Medium in penetralibus h.*] Hypallage est, hoc est, in mediis penetralibus. Si autem *Mediis* dixeris, non stat versus, nisi excluso *s*: ut, *Inter se coiisse viros, & decernere ferro.* Et bene Priamum nisi in extremis armat periculis, ut magis incitet hostem in necem suam, qua possit captivitatem vitare, quam ut defendat aliquid. Sane *penetralia* proprie Deorum dicuntur, nonnumquam etiam imæ, & interiores partes privatarum domorum vocantur, unde & *Penum* dicimus locum, ubi conduntur, quæ ad vitam sunt necessaria. Hic autem videtur opportunius *penetralia* de domo regis dixisse; quoniam Reges proprie suggestum imitantur deorum. *Servius.*

Et medium in penetralibus hostem.] Quia pluribus in codicibus antiquis legere erat, *mediis in penetralibus*, ea elocutione, quæ sese etiam inferius offert, *Mediis hostem in penetralibus.* Grammatici, ut staret versus, *medium* quippe *hostem* correxere. Quod siquis versus quosdam exleges, vel anapesticos potius, alteriusque generis insertos Virgilio nolit condonare, aut elisionem *s* litteræ cum vocali applicita non admittat: habebit is codices venerabilis antiquitatis Mediceum, & alios in quibus *mediis penetralibus* absque *in* præpositione legatur: elocutione Virgilio admodum familiari. Neque tamen hoc ita dicimus, ut lectionem vulgatam improbemus, quæ recte & ipsa procedit, hoc modo: *medium in penetralibus hostem.* Pierius.

509. *Arma desueta.*] Ab hominis consuetudine, sensum ad arma transtulit. Quia jam pugnare desierant. *Servius.*

Trementibus ævo.] Non timore. *Idem.*

Arma diu senior desueta trementibus ævo Circumdat.] Inde Juvenalis Sat. 10. vs. 265.

Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Eversa, & flammis Asiam, ferroque cadentem.
Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara.

Emmeness.

510 Circumdat nequicquam humeris, & inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostis.
Ædibus in mediis nudoque sub ætheris axe
Ingens

510. *Circumdat.*] Non apte sibi cohærere facit: sed potius oneri sumit. *Servius.*

Circumdat.] Sic Homer. *ἀμφιβάλλεσθαι ὅπλα.* & Eurip. *πάνοπλα ἀμφιβλήματα τὰ τεύχη* vocat. *Cerda.*

Inutile ferrum.] Ipse inutilis. *Ferrum* enim de his est, quæ ex conjunctis sumunt epitheta: ut *venenum.* Servius.

Arma circumdat.] Non ut peteret victoriam, sed, ut in armis positus, viriliter occumberet. Ponit autem & hominem & arma inutilia, quoniam ipse senex jam diu arma non sumpserat. Unde illa rubigine contabuerant, & inutilia reddita erant. *Donatus.*

Inutile ferrum Cingitur.] Hom. sæpe *ξίφος μαψίδιον*, *inutilem gladium*, & alii, *βέλος ἅλεον*: *telum inutile.* Phrasis Græca est. Ostendi alibi. Latine dixisset, *cingitur ferro.* ut infr. *impulit his cingi telis.* Porro describit hominem *ἀπόμαχον*, *bello inutilem.* Cerda.

Ferrum.] Superiori versu *arma*, per quæ intelligas clipeum, loricam, cassidem & ejus generis alia. per *ferrum* autem gladium, ut hoc loco. Consule Salmas. ad Hist. Aug. Script. p. ex edit. Hackiana 435. vol.2. *Emmeness.*

In hostis.] In antiquis aliquot exemplaribus, *ad hostis* legitur non inepte: cui quidem lectioni adstipulatur etiam codex ille pervetus, in quo semper *at* præpositio per *t* notatur. In eo enim, *at hostes* legitur. Agnoscit tamen Ti. Donatus vulgatam lectionem *in hostis.* Pierius.

Ac densos fertur moriturus in hostis.] Mavult mori cum gloria Priamus, quam pati servitutem, & captivus duci. Eurip. Hecub.

Τὸ γδ' ζῆν μὴ καλῶς, μέγας πόνος.
Vivere enim non honeste, ingens est labor.

idem in Troad. de Troja non eversa,

—— στέφανος οὐκ αἰχρὲς πόλει
Καλῶς ὀλέσθαι· μὴ καλῶς δ', δυσκλεές·
—— *gloria non turpis urbi*
Fortiter periisse: non fortiter vero, ignominiosum.

iterum,

Τοῦ ζῆν δ' λυπρῶς κρεῖσσον ἐστὶ κατθανεῖν:
Vita calamitosa melior est mors.

Liv. 22. de Æmilio Consule, ad Cannas mortuo, *Qui se bene mori, quam turpiter vivere maluit.* Porro illi oblatus fuerat equus ad salutem, quem respuerat cupiditate moriendi in strage militum. & lib. 23. *Posthumius omni vi, ne caperetur, obnixus occubuit.* "Nihil frequentius in ore Taciti, quam multos suis manibus fatum gloriose antevertisse, ne aut turpiter viverent, aut turpiter mori cogerentur. Cedrenus, *μετὰ ἀρετῆς ἀπολωλέναι τοῦ σεσῶσθαι ἀμαχητὶ δυσκλεῶς ἄμεινον*: *melius est mori cum virtute, quam servari cum dedecore extra pugnam.* Cerda.

512. *Ædibus in mediis.*] Omne ædificium *ædes* dicuntur, sed Varro locum, quatuor angulis conclusum, *ædem* docet vocari debere. Idem Rerum Divinarum libro sexto intulit, Ideo loca sacra civitates habere voluisse, ne per continua ædificia incendio prolaberentur, & ut essent, quo confugerent plerique cum familia sua in periculis, quod etiam in Comœdiis à servis timentibus legimus factum. Hoc Virgilius hoc loco subtiliter tangit, cum dicit, *Ædibus in mediis nudoque sub ætheris axe Ingens ara fuit: &c.* Ex nomine enim penatium & aræ, intelligitur loci sacri veneratio, ut non immerito illuc confugerit Regina cum suis, nam subjunxit, *Hic Hecuba & nati nequicquam altaria circum Præcipites, &c.* Unde apparet veram consuetudinem fuisse fugiendi à periclitantibus ad ararum præsidium. *Servius.*

Ædibus in mediis, &c.] Describitur ara

Ingens ara fuit; juxtaque veterrima laurus
Incumbens aræ, atque umbra complexa Penates.
Hic Hecuba & natæ nequicquam altaria circum,
Præ-

ara Jovis Hercei, quæ in mediis ædibus in impluvio ſub dio erat, nam hoc eſt, *ſub nudo axe ætheris*, idque more Græcorum. Athen. lib. 5. Ὅμηρος δὲ τὴν αὐλὴν ἀεὶ τάττει ἐπὶ τῶν ὑπαιθρίων τόπων, ἔνθα ἦν ὁ τοῦ ἑρκείου Ζηνὸς βωμὸς: *Homerus ſemper aulam conſtituit in locis ſubdialibus, ubi erat ara Hercei Jovis.* Ad hanc Priamus interfectus eſt. Eurip. Troad.

—— πρὸς δὲ κρηπίδων βάθροις
Πέπτωκε Πρίαμος Ζηνὸς Ἑρκείου θανών.

Ad ſepta ipſa cecidit Priamus Iovis Hercei mortuus.

Dio Chryſoſt. orat. 11. Πρίαμον κατὰ προωθέντα παρὰ τοῦ Διὸς τὸν βωμόν. Ovid. in Ibim,

Nec tibi ſubſidio præſens ſit numen, ut illi
Cui nihil Hercei profuit ara Jovis.

Seneca in Agam.

Sparſum cruore Regis Herceum Iovem.

Hæc ara intus erigebatur in ipſis ædium ſeptis, & inde Juppiter Herceus dictus. ἕρκος enim Græcis ſeptum eſt, & clauſtrum. ſic ferme Pollux. inde eſt, ut Penates etiam vocentur ἑρκεῖοι θεοί, quod ſcribit Dionyſ. l. 1. quod videlicet in ſeptis domorum colerentur. *Cerda.*

Nudoque ſub ætheris axe.] Hoc eſt, ſub divo, quod *impluvium* dicitur. *Axis* autem eſt aut Septentrio, aut pars Septentrionis, aut ſpiritus, quo mundus movetur; ut *Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum*, ſicut docet & Lucanus. *Servius.*

513. *Ingens ara fuit.*] Privatis in ædibus exſtructa fuiſſe altaria, quibus victimas mactabant, docet Feithius antiq. Homer. l. 1. c. 9. Maronis locum etiam attingit Turneb. l. 14. c. 15. fuiſſe, dicens, aram Jovis Hercei, cujus meminit Lucan. l. 9. ỽſ. 979.

Herceas, monſtrator ait, non reſpicis aras? Emmeneſſ.

Veterrima.] Uſurpatum eſt. Ergo, ut ſupra diximus; hoc tantum uti neceſſe ſit, & comparativum non habet, ſicut *deterior* poſitivum. *Servius.*

Laurus.] Daphnis filia Ladonis fluvii Arcadiæ terræ fuit, quæ, aſpernata viro jungi, ſemper venatibus operam dabat. Hanc cum Apollo adamaſſet, & eam, ut comprimeret, inſequeretur: illa à Terra matre petit auxilium, quæ recepta à matre eſt, nec multo poſt in locum ejus, arborem lauri naſci* *Idem.*

Veterrima laurus.] Quam tradunt ſcriptores in medio atrii Priami fuiſſe; & arte mathematica factam: ſtipitemque ejus ex puro puto auro fuiſſe XII. cubitorum. In ſummo, inquiunt, diffundebat ſe in ramos: qui totum atrium tegebant. Flores, rami & folia ejus partim ex auro, partim ex argento erant, & inter gemmas fructus radiabant. Hanc Ulyſſes & Diomedes (vel, ut alii, Palamedes) legati ad Helenam repetendam miſſi ad ſtuporem uſque admirati dicuntur. *Taubm.*

514. *Complexa penates.*] *Penates* ſunt omnes dii, qui domi coluntur. *Serv.*

Complexa penates.] Hic libentius *Penates* pro ædibus ceperim, ad eum modum quo ſæpe Tacit. 3. Hiſt. ad finem: *Utque erat in armis in Paternos Penates deduxit*, & lib. 2. Hiſt. *Nota & familiaria caſtra in modum Penatium diligebantur.* Liv. 2. 1. *in diverſorio hoſpitali, quam apud Penates ſuos.* ubi *diverſorium*, & *Penates* opponuntur. Niſi quis dicat, ad eam quoque aram Penates Deos fuiſſe. ſed non certe hic illorum locus. *Cerda.*

515. *Hic Hecuba, &c.*] Ad aram confugiebant veteres in ſummo diſcrimine. ut infra ỽſ. 523.

Huc tandem concede: hæc ara tuebitur omnis.

Argilius, apud Corn. Nepotem in Pauſania c. 4. *ad fanum Neptuni confugit,*

 in aræ

Præcipites atra ceu tempestate columbæ,
Condensæ, & divom amplexæ simulacra sedebant.
Ipsum autem sumtis Priamum juvenilibus armis
Ut vidit; Quæ mens tam dira, miserrime conjux,
Inpulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget; non, si ipse meus nunc adforet Hector.

Huc

in ara consedit. & paulo post: *ut audivit Argilium confugisse in aram.* sic noster l. 6. Æneid. ℣s. 124.

Talibus orabat dictis, arasque tenebat. Inde apud Ter. H. 5. 2. 22. *nec tu aram tibi, nec precatorem pararis.* in Græcis hæc passim obvia, quæ diligentius congessit Cerda. vide de asyli reverentia etiam Turneb. l. 26. c. 2. & l. 14. c. 15. *Emmeness.*

Nequicquam.] Aut secundum Epicureos, qui dicunt deos nihil curare, aut propter vim bellicam. *Servius.*

Altaria.] Superorum & *aræ* sunt, & *altaria*: Inferorum, tantum *aræ*. *Ara* autem dicitur à precibus, quas Græci ἀρὰς dicunt: ut unde contra imprecatio κατάρα dicitur. *Idem.*

Altaria.] Plura de differentia inter *ara* & *altare* Servius Ecl. 5. ℣s. 65. Sed sæpe confundi, ut *coma* & *capillamentum* docet Salmas. Plin. exerc. p. 155. ubi Solinus hæc c. 9. ara est *in cacumine dicata, cujus Jovis altaribus si qua, &c.* Multa & quidem notatu digna de hoc discrimine observavit Saubertus de Sacrificiis c. 15. *Emmeness.*

516. *Præcipites.*] *Festina* propter tempestatem: & bene. *Servius.*

Atra.] Addidit, quia est & clara; ut, *Unde hæc tam clara repente tempestas.* Idem.

517. *Sedebant.*] Mediceus, & Antiqui fere omnes codices *sedebant* habent, quod est Mulierum proprium, ut apud Homerum, sæpe. pauloque infra, Hecuba Priamum ad sese recipit, & longævum in sede locat. in non nullis *tenebant.* Pierius.

518. *Juvenilibus armis.*] Multorum codicum, & auctorum testimonio, *juvenalibus* per *a* media syllaba legendum, alibi indicavimus. *Idem.*

519. *Dira.*] Modo proprie. *Dira* enim est deorum ira. Ergo quæ mens infusa ex deorum ira. *Servius.*

520. *Telis.*] Armis. *Idem.*

His telis.] Auctorem mortis quærit, non amentia, sed sapientia, ut morte captivitatem fugiat. Ergo sapientissimus poëta, decorum in hoc rege servavit. Dedit & convenientem naturam mulieri, & reginæ, & uxori. *Donatus.*

Ruis.] Aut festinas, aut incedis seniliter. *Servius.*

521. *Non tali auxilio, nec defensoribus istis tempus eget.*] Non dissimilis locus apud Justinum l. 5. c. 6. *sed neque is miles erat, qui nomen Atheniensium tueretur, neque eæ vires, quibus vincere consuerant.* & paulo ante: *non magnam bello moram ætas fecit imbellis, &c.* Emmen.

522. *Non si ipse meus.*] Mire, *meus*, ut matris exprimeretur affectio. Et subaudiri posset, *defendere. Aut moriere simul.* Ut religio, aut pariter omnes servet, aut simul moriantur omnes. *Servius.*

Meus Hector.] Animadverto hic aliquid occultæ eruditionis, cur Hecuba dicit *meus Hector.* non, tuus: non noster? Fortasse itaque allusum ad Hectoris natales: ferebat enim occultior opinio Trojanorum, illum fuisse Apollinis & Hecubæ filium, non Priami, quod Porphyrius testimoniis Ibyci, & aliorum probat, & Lycophron illum à Ptoo, id est, Apolline genitum ait. Adeundus Homeri Scholiastes, Delrius noster in Agamem. Senecæ, Spon-

danus

Huc tandem concede: hæc ara tuebitur omnis:
Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit
Ad sese, & sacra longævum in sede locavit.
Ecce autem elabsus Pyrrhi de cæde Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hostis
Porticibus longis fugit, & vacua atria lustrat
Saucius. illum ardens infesto volnere Pyrrhus
Insequitur, jam jamque manu tenet, & premit hasta.
Ut tandem ante oculos evasit & ora parentum,

Con-

danus in il. 10. Itaque, aliter locutus Noster in hoc libro ore Creusæ ad Ænean,

——— *nati serva communis amorem.*

quia Ascanius utriusque filius. Contraria de Hectore Homerus sentit dicto lib. ubi Agamemnon admiratur Hectorem, non heroëm, ut qui nullius sit Deorum filius, tam magna opera moliri, tantum, quia charus sit Diis. sed & *Hector meus* Græcorum est. illi enim, ὁ ἐμος, aut ὁ ἐμȣ̃, & subaudiunt, παῖς. *Cerda.*

523. *Hæc ara tuebitur omnis.*] Est hoc, quod Servius apud Plautum Mostell. *ego interim hanc aram occupabo.* Ad rem Poëtæ signatissima sunt verba Plutarchi & Quintiliani. ille de superst. Πολεμίȣς φεύγοντες ἀγάλματ@ λαβόντες, ἢ ναȣ̃, θαῤῥȣ̃σι: *Qui hostem fugiunt, simulacrum aut fanum tenentes, recipiunt animos.* Hic Declamat. 265. *Qui jam arma ferre non possunt, qui salutem suam tueri fuga nequeunt, circa aras jacent.* Apud Thucydidem lib. 8. cum nautæ vellent Astyochum interficere, ille hoc prævidens, καταφεύγει ἐπὶ βωμόν τινα, & ita servatus est. Alludens ad rem hanc Philostratus in epist. dixit de pulchritudine esse, ἐλέȣ βωμὸν, *aram misericordiæ.* Idem.

524. *Ore effata.*] Abundat, *Ore:* est autem pleonasmus. *Servius.*

Recepit.] Quam imbecillis esset, ex eo apparet, quod mulier anus, eum ab incepto ad se vocavit. *Donatus.*

526. *Ecce autem elabsus.*] Voluit mori Priamus, vetuit uxor: at casus attulit sibi, quod cupiebat. *Idem.*

528. *Vacua.*] Magna. quæ difficile complentur. An *vacua* quia in unum ad aras omnes confugerant, an *vacua* jam sine defensoribus. *Servius.*

Lustrat.] Id est, circumspectat. V. N. *Lustrat Aventinum, &c. Taubm.*

529. *Infesto volnere.*] Bonum schema, *vulnus* pro *telo.* An vulnus quod inflixit; an quod infligeret. *Servius.*

Infesto volnere.] In perveteri codice Oblongo legere est, *infesto in vulnere.* Saucius enim erat Polytes. Sed enim Servius schema laudat, *Vulnere* pro *telo:* & absque *in*, in aliis codicibus habetur. *Pierius.*

Infesto volnere.] Poni *vulnus* pro *telo*, jam multi explicarunt. ita quoque possis accipere similia Ovidii & Propertii loca. Ait ille 5. Fast.

Semicaper coleris succinctis, Faune, Lupercis,
Cum lustrant celebres verbera secta vias.

Ait iste lib. 4, eleg. 1.

Verbera pellitus setosa movebat arator.

In utroque *verbera*, non sunt plagæ, sed instrumenta & tela ad inferendas plagas. *Cerda.*

530. *Premit.*] Urget; ut, *apri cursum clamore prementem:* alibi *Interfecit.* Vel *opprimit*; ut, *Armigerumque premit.* Servius.

531. *Ut tandem ante oculos.*] Hoc ideo describitur, ut & contra propositum Priamus incitetur. *Idem.*

Evasit.] Pervenit. *Idem.*

Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iræque pepercit.
At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Di, si qua est cælo pietas, quæ talia curet,
Persolvant grates dignas, & præmia reddant
Debita: qui nati coram me cernere letum

Fecisti,

Ut tandem ante oculos evasit, & ora parentum.] In quibusdam veteribus codicibus est, *Ante oculos evasit, & ante parentum.* Sed omnino corrupte: Inde autem emanavit error, quod ea præpositio addita legitur. In plerisque codicibus superne pro paraphrasi. *Pier.*

532. *Vitam cum sanguine fudit.*] Modo eos sequitur, qui sanguinem sedem vitæ volunt. Alibi eos, qui ipsum sanguinem vitam volunt: ut, *Purpuream vomit ille animam.* potest tamen κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligi item vulneratum Polyten. *Servius.*

Fudit.] In antiquis plerisque codicibus, *Fundit* habetur. Res enim hujusmodi per tempus præsens enarratæ, magis movent. *Pierius.*

533. *Hic.*] Id est, tunc. *Servius.*

Hic Priamus.] Voluit fortuna, ut mors Polytæ esset in conspectu suo, ut inde sua mors oriretur. *Donatus.*

Media.] Manifesta, aut certe potest secundum consuetudinem dictum, neque enim est mors prima, media, postrema, & potest referri vel ad Politen. *Servius.*

534. *Non tamen abstinuit, nec voci, &c.*] Bene Priamo animositatem regiam dedit, ut mori honeste velit. *Idem.*

Nec voci iræque pepercit.] Quintilian. declamat. 247. *nunquam ira fere silentio continetur.* Phrasin ab Plauto arripuit, qui in Mil. *Parce voci.* eandem repetit in Pers. *Cerda.*

535. *At tibi pro scelere, exclamat.*] Ordo est atque * dii persolvant grates dignas. *Servius.*

At tibi pro scelere, &c.] Particulam hanc execrationi præviam, ejusque usum in invectivis elegantem esse, asserit multisque adstruit testimoniis Hadrian. Card. de Serm. Lat. *Emmeness.*

Ausis.] Quidam proprie sumptum tradunt, nec posse in prosa dici. *Servius.*

536. *Di.*] Scilicet præsentes, ad quorum se suffragium contulerat: & si est in cælo aliqua pietas, quæ nefaria commissa vindicet. *Donatus.*

Si qua est.] Vel secundum Epicureos, vel desperat: quia impune ante aras conspicit cædem. *Servius.*

Curet.] Ulciscatur. *Idem.*

537. *Grates.*] Pro ut res fuerit, vel in bonis, vel in malis dicuntur, sicut præmia. *Idem.*

538. *Qui nati.*] Non culpat Pyrrhum, quod occiderit, sed quod cædem in conspectum paternum reservaverit. Nam stulte reprehenderet, quod jure belli licebat. *Donatus.*

Qui nati.] Atrocitatem spectaculi amplificat è relatis. Vide P. Victor. lib. 1. cap. 8. *Taubm.*

Qui nati.] Tanto atrocius Ptolomæi Cerauni scelus, qui filios Arsinoes in ipsius matris, ad quam confugerant, gremio trucidavit, narrante Justino l. 24. c. 3. *Emmeness.*

Coram.] Adverbium temporis modo est: quia verbo cohæret: ut, *Coram quem quæritis adsum:* & *coram* ad personam certam refertur; *palam* ad omnes. *Servius.*

Me cernere.] De spectaculo queritur, non de morte. Quia jure belli Polyten Pyrrhus occiderat, sed cur ante oculos patris. *Idem.*

Cernere fecisti.] Hellenismus. Tibullus :

Fecisti, & patrios fœdasti funere vultus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo: sed jura fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exsangue sepulcro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.
Sic

bullus:

Securum in tenebris me facit esse Venus.

Cicero in Lucullo: *Erant qui illum gloriæ caussa facerent sperare.* Conqueritur autem, non de morte, sed de spectaculo. nam jure belli occisus erat Polites. *Taubm.*

539. *Fœdasti.*] Crudeles impiosque fecisti. *Servius.*

Funere.] Cadavere: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. *Funus* enim est jam ardens cadaver. Quod dum portatur, *exsequias* dicimus: crematum jam, *reliquias*: conditum jam, *sepulcrum*. Idem.

540. *At non ille, satum.*] Tribus generibus parentes objicimus filiis, cum bonos eos negamus, æquales ut hoc loco: cum malos objicimus, ut, *Laomedontiadæ*; item cum non solum bonos adimimus, sed insuper malos objicimus, ut, *Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor.* Idem.

At non ille.] Conatur privare eum omni gloria, & nobili genere, quod non sit filius Achillis: quod probat, quod in se non servaverit jura, quæ servaverat Achilles. *Donatus.*

At non ille, satum, &c.] Pertinet ad hanc rem locus Plutarchi in præceptis gerendæ Reip. ὑπομνηστέον δὲ καὶ πατέρων ἀγαθῶν ἐνίοις ὅταν ἐξαμαρτάνωσιν· *Nonnullis peccantibus præclarorum parentum est objicienda mentio*, quod firmat Homeri exemplo, qui, ἦ ὀλίγον οἱ παῖδα ἐοικότα γείνατο Τυδεύς: *Haud similem natum tibi Tydeu magne dedisti*: & Appii in comitiis, ubi contendens cum Scipione Africano, dixit: *quam ingemisceres, Paule, apud manes, si sentires filium tuum censuræ petendæ gratia in campum descendentem à Philonte publicano stipari.* Cerda.

At non ille.] Acerba exprobratio indolis degeneris. De qua re Fabius l. 5. capite de exemplis. *Taubm.*

541. *In hoste Priamo.*] Aut Archaismos est, aut *in hoste*: id est, cum hostem gereret, cum ipse hostis esset. Hic Priamo nomen positum, sensum validiorem fecit, hoc est, Priamo qui tunc fui, quasi jam esse desierit, id est, quem operæ precium fuit occidere. *Servius.*

Talis in hoste fuit.] Pari sententia Propertius lib. 3. eleg. 19.

Victor erat quamvis, æquus in hoste fuit.

Et Ovid. lib. 5. Trist. eleg. 2.

Sæpe suo victor lenis in hoste fuit.

Cerda.

Jura fidemque.] Quia quod Homerus mutat, dicitur, duce Mercurio, Priamus ingressus Achillis tentoria, excitatum rogasse, quem dormientem potuisset occidere. *Jura*, vero, quia rex rogabat. *Fidem.* Quia supplex. Quidam *jura fidemque* ita intelligunt, *Jura* quod Hectorem reddidit, *Fidem*, quod me in mea regna remisit. *Servius.*

Sed jura fidemque erubuit.] De re Grammatica monearis, verbum *erubesce* adhibitum cum actione, ut etiam à Propertio lib. 3. eleg. 14.

Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec patrios erubuisse Deos.

O si jam sapiant Grammatici! qui non ad gustum doctorum fingunt neutra sua, quæ nulla sunt. *Cerda.*

542. *Corpusque.*] In aliquot ex antiquioribus codicibus *corpus exsangue* legitur absque particula *que*. Sed enim ipsa versus dignitas eam particulam hoc loco videtur expetere. *Pierius.*

Sepulcro.] Pro *ad sepulcrum*. Serv.

543. *Reddidit.*] Quod injuste retinuisset. Sola enim anima debetur hosti;

Sic fatus senior, telumque inbelle sine ictu
Conjecit: rauco quod protenus ære repulsum,
Et summo clipei nequicquam umbone pependit.

Cui

sti: corpus autem, quoniam in nullius est potestate, dimittitur sepulturæ. *Reddidit* ergo, quoniam contra humanitatis jura id tenebat. *Donatus.*

Sepulcro reddidit.] Quem
Unxere matres Iliæ addictum feris
Alitibusque atque canibus homicidam
Hectorem
Postquam relictis mœnibus res procidit,
Heu, pervicacis ad pedes Achillei.
Ut Horat. Epod. l. Od. ad Canidiam, interpretem consule illic Torrentium. *Emmeness.*

Remisit.] Comitatus usque ad Trojam est, & mire *in mea regna remisit*, cum potuisset per me mea regna capere. *Servius.*

544. *Sic fatus.*] Est desiderium manifestum mortis, quod post contumeliam etiam armis juvenem senex provocet. *Donatus.*

Inbelle.] Ipse imbellis; ut *Inutile ferrum.* Servius.

Telum inbelle.] Confirmat, quod dixit, *Inutile ferrum.* Donatus.

Sine ictu.] Probat quod dixit, *humeris trementibus æva.* Idem.

545. *Rauco ære.*] Ad scutum retulit. *Servius.*

Protenus repulsum.] Statim prohibitum. *Idem.*

Repulsum est.] In antiquis aliquot codicibus, *sepultum est* legitur. In aliquot *sepultum* absque *est*: quod id videtur innuere; quod ad vivum non pervenerit, sed in summo clipei nulla efficacia pependerit. Sane vero, *Sepultum*, ab iis repositum est, qui olim quæstionem faciebant, non posse pendere, quod repellitur: adversus quos ita Donatus. Nam & repulsum est, & pependit. Missum enim telum constabat, quod vetustatis vitio fuisset hebetatum, quod vigorem perdidisset illius temporis, quo id usu Priami fuit, quum adhuc juvenis esset: nunc emissum ab eo, qui omne virtutis robur cum ipsis Juventæ temporibus amisisset. Talis ergo teli effectus plenus esse potuit: Ut perforato penitus scuto ad hominis corpus, & exitium perveniret, nec tamen in totum inefficax fuit: repulsum est enim, resistente ære, sic tamen, ut pendens inhæreret, penetrato scilicet aliqua ex parte scuti contextu. legamus itaque cum Donato, *Rauco quod protenus ære repulsum est.* Pierius.

Rauco quod protenus ære repulsum.] Si quis Donati mentem defendat, sciat, pro illo posse facere locum hunc Statii lib. 9.
Intorquet jaculum, duro quod in ære moratum,
Transmissumque tamen clipei stetit orbe secundo.
Habet enim hic ictus aliquam vicinitatem cum Virgiliano. Cæterum ictum hunc invalidum, & sine viribus senis Priami, illustrabis loco Silii, lib. 5. quem ego jam attuli ad rem aliam lib. 3. G. ad illud,
Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis, &c. Cerda.

546. *Nequicquam.*] Non. Sic Persius, *Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.* Sane quidam, *nequicquam umbone pependit*, hunc sensum volunt, telum repulsum ne summatim quidem hærere potuit, ut penderet. alii unam eandemque rem bis dictam volunt, & superfluum putant. *Et summo clipei nequicquam, &c.* Eandem rem bis dixit; cum præcessisset, *Rauco quod protenus ære repulsum:* quod idem est, *Et summo clipei nequicquam umbone pependit.* & nihil attinuisse dici putant. *Summo clipei nequicquam u. p.* Tanquam non omnino necesse esset, ut de summo clipei penderet, & potuisse dici, nec de clipeo pependit: Sed duplicationem narrationis per *, ἐπεξεργασίαν excusat. *Servius.*

Pepen-

Cui Pyrrhus: Referes ergo hæc, & nuntius ibis
Pelidæ genitori. illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. Hoc dicens, altaria ad ipsa trementem
Tra-

Pependit.] Stulte dicunt, non posse pendere, quod repellitur. *Donatus.*

Nequicquam pependit.] Id est, non pependit, vel adhæsit umboni minime penetrans. Vel, telum repulsum ne summatim quidem hærere potuit. Sunt, qui velint, eandem rem bis dici. *Taubm.*

547. *Referes ergo hæc.*] Sarcasmos est, locus cum amaritudine. Ut, *En agros, & quam bello, Trojane, petisti Hesperiam.* Asteismos autem, est urbanitas sine iracundia: ut, *Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.* Servius.

Referes ergo hæc, &c.] Similem huic historiam & atrocitatem Suetonius narrat de Tiberio in illius vita, cap. 57. *Scurram, qui prætereunte funere, clare mortuo mandarat, ut nuntiaret Augusto, non dum reddi legata, quæ plebi reliquisset, attractum ad se, recipere debitum, ducique ad supplicium imperavit, & patri suo verum referre.* Hæsit Virg. Silius lib. 1.

Cui sævum arridens, narrabis Hamilcaris umbris,
Hanc, inquit, dextram, quæ jam post funera Vulgi
Annibalem vobis comitem dabit, & ferit alte
Insurgens gladio cristatæ cassidis æra,
Perque ipsum tegmen crepitantia dissipat ora.

Quidam Græcorum apud Calabrum, Thersite ab Achille interfecto, imprecatus sic est:

—— Ἄλλ' ἀπ' Ἀχαιῶν
Ἔρρεε, καὶ ἐν φθιμένοισιν ἐπεσβολίας ἀγόρευε·

Concede à Græcis, & nuntia convitia, quæ in mortuis fiunt.

Hinc illud Turni ad Pandarum lib. 9.

Inventumque alium Priamo narrabis Achillem.

Philostratus 2. Iconum de Agamemnone moriente ita ait: μεμνήσεται γὰρ αὐτῶν καὶ ἐν ᾅδου πρὸς Ὀδυσσέα ἐν τῇ ἀγορᾷ τῶν ψυχῶν: *Hæc enim apud inferos in animarum concione Ulyssi memorabit.* Simile quoque illud Horatii Victoris, qui ad sororem conquerentem de interfecto sponso Curiatio, illam ipsam interficiens, his usus est apud Dionys. lib. 13. *Quando igitur non luges fratres, sed consobrinos, & corpus quidem inter vivos, animam vero apud mortuum habes, abi ad eum, quem toties vocas, neque patrem, neque fratres dedecora.* Similia verba Livii lib. 1. eandem historiam narrantis: *Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum, &c.* Cerda.

548. *Illi.*] *Illi* hic pro *ibi* adverbium positum dicit Donatus interpres Terentianus in Adelphis, *Ut ego illi maxumam partem feram.* Et in Ecyra: *Nam illi non licebat nisi præfinito loqui.* Pierius.

549. *Degenerem.*] Non respondentem moribus patris. *Servius.*

Degeneremque, &c.] Sibi ipsi loquitur, & quidem suo expresso nomine. Sic Ter. Hec. 5. 4. 38.

An temere quicquam Parmenonem prætereat. & Ph. 5. 8. 38.
Age age nunc Phormionem, qui volet, lacessito. Emmeness.

550. *Hoc dicens.*] Ostendit simul dum diceret fecisse. *Servius.*

Hoc dicens.] Antiqua fere omnia exemplaria, *hoc dicens* legunt: non *hæc.* quippe, *nunc morere:* quod majorem quandam habet illusionis efficaciam. *Pierius.*

Hoc dicens, &c.] Egregia αὔξησις, quæ ὑποτύπωσιν habet, i. e. dum adhuc loquitur, iratus traxit Regem: traxit senem: traxit ætatis vitio tremulum: traxit ad aras summi Jovis; ad aras, quas Priamus dixerat vindices fore: traxit crebro labantem: traxit in sanguine filii. Hunc autem casum Priami Euripides

Traxit, & in multo labſantem ſanguine nati,
Inplicuitque comam læva; dextraque coruſcum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit enſem.
Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum

Sor-

pides paſſim lamentatur, præſertim in Troadibus: Juven. etiam Sat. 10. ℣. 267. *Tunc miles tremulus, &c.* Taubm.

Altaria ad ipſa.] Unde ſperabat auxilium, aut quia Achilles in templo occiſus eſt, & ex ſimilitudine vindicta ... *Servius.*

Trementem.] Non formidine, ſed ætate. *Idem.*

551. *In multo labſantem ſanguine nati.*] Similis occurrit locutio apud Sil. Italicum lib. 9.

—— *calido labſantem ſanguine fratrum.*

Fere eadem, quæ l. 11. Æn. ℣ſ. 669.

—— *Morienſque ſua ſe in vulnera verſat.*

Emmeneſſ.

552. *Inplicuitque comam læva.*] Eſt hoc, quod Æſchines contra Cteſiphontem, ἐπιλαβόμενος τῶν τειχῶν. Quod Appianus lib. 4. Ἐμφυλ. τῆς κόμης ἐπισπάσας. Dux enim armatorum in civili proſcriptione caput Salvio abſtulit, arrepta coma. Quod Hippolytus apud Senecam, volens cædem patrare, & novercam interficere:

En, impudicum, crine contorto, caput
Læva reflexi.

Quod idem Seneca, & de Priamo in Troad.

—— *cum ferox* (Pyrrhus) *ſæva manu*
Coma reflectens regium torta caput.

Cerda.

Dextraque coruſcum extulit.] *Coruſcum*, ſi ornatum gemmis caput regis acceperis. ſenſus talis eſt, Sublato capite gladium in vaginam recondit, quæ lateri ſemper cohæret. Si vero *coruſcum gladium* vis intelligere: lateri Priami infixum accipe: & κατὰ τὸ σιωπώμενον: poſtea caput eſſe ſublatum. *Servius.*

553. *Capulo tenus abdidit enſem.*] Seneca in Troadib. de re eadem:

Alto nefandum vulneri ferrum abdidit.

Quæ hic expendit Macrobius, legere eſt apud illum, lib. 4. Saturn. cap. 4. Hic ego duo noto. Primum, cum omnes ſcribant, hanc cædem Priami factam ad aram Jovis (aliquos jam ſupra attuli,) unum diſſidere Leſchæum, ſcribente ſic Pauſania in Phocicis: *Priamum non fuiſſe ad aram Hercei mactatum, ſcribit Leſchæus, ſed ab ara abſtractum, cum pro regiæ foribus obvius eſſet Neoptolemo factus, ab eo obtruncatum.* Alterum pertinet ad ſobrietatem Poëtæ. Laſciviret hic fortaſſe ineptus Poëta, ex rivo ſanguinis, ex cruore undante, & ſimilibus, quibus cædes ſolent decantari à Poëtis. Ab hoc affectu Virgilius abſtinet: nam quid undantem cruore animam deſcriberet in ſene, cui vix cruor, & hic præ ætate gelidus? Ideo Seneca,

Quod (ferrum) *penitus actum cum recepiſſet libens*
Enſis ſenili tractus à jugulo redit.

Ait, *tinctus*, quia non exuberans cruor jam ſene Priamo. *Cerda.*

Capulo tenus abdidit enſem.] Pro eo Stat. Thebaid. l. 2. in princ. ubi Oedipus talem plagam infert Laio, ut totus enſis mergeretur in vulnere:

—— *capulo nam largius illi*
Tranſabiit coſtas cognatis ictibus enſis
Impius. —— Emmeneſſ.

554. *Hæc finis.*] Ut *dies*, ſi tempus longum ſignificat, generis fœminini eſt, & omnia Latina nomina, inanima, ſimplicia, à verbo non venientia *nis* Syllaba terminata, maſculina ſunt. Inanima, propter *canis*: ſimplicia, propter *bipennis*: à verbo non venientia, propter *finis*. Ergo *clunis* Juvenalis bene dixit *Tremulo deſcendunt clune puellæ.* Horat. Male, *Quod pulchræ clunes.* Servius.

Hæc finis.] Servius velle videtur *finis* fœminini tantum eſſe generis, quum tamen

Sorte tulit, Trojam incensam, & prolabsa videntem
Pergama; tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiæ. jacet ingens litore truncus,
Avolsumque humeris caput, & sine nomine corpus.
At

tamen virilis etiam passim inveniatur. Virgilius, *Quem das finem, rex magne, laborum*; &, *Hic finis fandi*, quod agnoscit Nonius. Præterea Probus in Arte quærit, cur hoc loco *finis* fœminino genere positum fuerit à Virgilio: quum veterum Grammaticorum regulæ nomen id masculini generis esse velint. Poetamque ait metro consuluisse, ita enim plerunque rationem musicam appellat. Sane vero Comminianus Solœcismum hic esse per genera nominum asseverat, *Hæc finis Priami*, pro *Hic finis*. Pierius.

Hæc finis.] Aptissime sonat hoc loco epiphonema *hæc finis*, teste Gellio, l. 3. c. 10. ut contra nihil mutandum in illo Maronis:

Quem das finem, rex magne, laborum.

Emmeneſſ.

Hic.] Talis. ut, *Hunc ego te, Euryale, aspicio?* Servius.

Hic exitus illum.] Hunc non vulgatum loquendi modum esse, notat Scalig. lib. 4. cap. 16. *Sorte* autem, est fatali necessitate: Vel, fortuna: Æn. 12. *Utere sorte tua.* Taubm.

555. *Sorte.*] Fatali necessitate. Vel forte fortuna, ut, *Utere sorte tua*, & quidam, *exitus sorte*, pro *sortis* tradunt, ablativum pro genitivo. *Servius.*

Trojam incensam.] Pro Ilium. *Idem.*

Prolabsa.] Non temere quidem in antiquissimo quodam codice, participia hæc à *labor laberis* per thematis characteristicon scribuntur, *prolabsa*, *illabsus*, *labsantem*. Nam Probus hujusmodi participia per *b*, non per *p* scribi debere præcipit. *Pierius.*

556. *Pergama.*] Proprie Trojanæ arces sunt; unde κατ' ἐξοχὴν arces omnes *Pergama* dicuntur: ut *Poëtam* dicimus, & intelligimus Virgilium. *Serv.*

Superbum.] Nobilem. *Idem.*

557. *Regnatorem Asiæ.*] Quia imperaverat & Phrygiæ & Mygdoniæ. *Idem.*

Jacet ingens litore truncus.] *Litore*, Pompeji tangit historiam, cum *ingens*, dixit, non magnus. Quod autem dicit *litore* illud, ut supra diximus, respicit, quod in Pacuvii tragœdia continetur, Priami corpus ad litus tractum. aut *litus* pro solo accipiamus; aut, *Litoraque & latos populos.* Aut ideo *Litore*, ut ostendat litus jam esse ubi fuerat Troja, ut, *Et campos ubi Troja fuit.* Quod autem Donatus dicit, *Litus*, locum esse ante aras, à litando dictum, vel quod lituo illud spatium designatur, ratione caret. Nam à litando, *li* brevis est, & stare non potest versus. *Idem.*

Jacet] Sequuntur mortui ludibria. Itaque quod de Galba ille, *corpus diu neglectum, & licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum*, intueri in Priamo licet. Et signate *jacet*, quia non crematus Rex, qui honos tum dabatur vel vilissimis cadaveribus. Pari conquestione Lysias in oratione pro Atheniensibus, qui bello perierunt, κεκμηκότας ἄνδρας. & quidem Priamum non crematum, ait Seneca, -- *Ille tot regum parens*
Caret sepulcro Priamus, & flamma indiget,
Ardente Troja. Ennius majori ludibrio *semiassum* ait. *Cerda.*

Jacet ingens litore truncus.] Tanquam funus; Ita & Græcis κῆδος funebre est vocabulum. *Taubm.*

558. *Avolsumque humeris caput.*] Hoc est quod κατὰ τὸ σιωπώμενον accipi debet, hoc enim claris & fortibus viris fieri solebat, ut, *Quin ipsa arrectis visu mirabile in hastis Præfigunt capita.* Serv.

Avolsumque humeris caput.] Passus ludibrium hoc Pompeius. Plutarchus: τοῦ δὲ Πομπηΐου τὴν μὲν κεφαλὴν ἀποτέμνουσι,

At me tum primum sævus circumstetit horror:
Obstupui: subiit cari genitoris imago,
Ut regem æquævum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem. subiit deserta Creüsa,

Et

νεπ, τὸ δ᾽ ἄλλο σῶμα γυμνὸν ἐκβαλόντες ἀπὸ τῆς ὁλκάδος, τοῖς δεομένοις τοιούτου θεάματος ἀπέλιπον· *Caput Pompeji desecuerunt, truncum è navicula nudum projecerunt, reliqueruntque id spectare cupientibus.* Passus Gallus Cæsar, de quo ita graviter Ammianus lib. 14. *Colligatis manibus in modum cujusdam noxii latronis, cervice abscissa, ereptaque vultus & capitis dignitate, cadaver est relictum informe, paulo ante urbibus & provinciis formidatum.* De ipso Priamo Auson.

Hic Priami non est tumulus, nec condor in ista
Sede, caput Danai diripuere meum.

& quia sine capite, ideo cadaver ipsum *sine nomine corpus*, deerat enim pars illa, qua cognosci posset. Servius explicat, *sine agnitione:* alii, *sine inscriptione.* Cerda.

Avolsum.] Sic legendum ex Rom. Virgilii codice & antiquioribus aliquot. Vide Dausq. sic *convolsus, revolsus.* Emmeness.

Sine nomine.] Sine agnitione, aut dignitate, aut simpliciter sine nomine, à capite enim quis nomen ducit. *Servius.*

Sine nomine.] Nomen sæpe pro honore. sic supra ℣s. 89.

—— *Et nos aliquod nomenque decusque*
Gessimus. ——

Flor. l. 3. c. 16. *homo sine tribu, sine nomine*, id est, abjectæ conditionis. qui Homero l. 9. Iliad. ℣s. 63. ἀφρήτωρ, ἀνέστιος dicitur: hoc autem loco pro inscriptione & titulo sepulcri, qui, quia nomen defuncti complectebatur, inde *nomen* pro ipso ἐπιταφίῳ, ἐπιτυμβίῳ. Ovid. l. 12. Metam. ℣s. 2.

—— *tumulo quoque nomen habenti*
Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.

Emmeness.

559. *Sævus horror.*] Quia est & bonus: ut, *Lætusque per artus Horror iit.* Est & amoris, ut Terent. *Totus Parmeno tremo horreoque, postquam aspexi hanc.* Servius.

Sævus circumstetit horror.] Græci ἀμφιβέβηκεν ἄχος. & Homerus Odyss. 11. ἐμὲ δὲ χλωρὸν δέος ᾕρει: *Me vero pallidus timor cepit.* Cerda.

560. *Subiit cari genitoris imago.*] In memoriam reducitur, ut Non. Marc. de hac Æneæ pietate Scal. poët. l. 3. cap. 1. *Emmeness.*

561. *Æquævum.*] Amabiliter locutus est; plus enim est *æquævum*, quam *longævum.* Servius.

Æquævum.] Pro eo Juvenal. Sat. 4. ℣s. 94.

Proximus ejusdem properabat Acilius ævi. Emmeness.

562. *Vitam exhalantem.*] Secundum eos, qui volunt animam esse ventum: ut, *Atque in ventos vita recessit.* Serv.

Vitam exhalantem.] Sicut πνεῖν, & ἐμπνεῖν, *inspirare, spirare*, pro vivere, usurpant Græci. & ἐκπνεῖν, *exspirare, exhalare*, pro mori. sic Latini & *spiro* pro vivere, & *exspiro*, atque *exhalo*, pro mori. Plat. in Apol. ἕωσπερ ἂν ἐμπνέω, quod Cicero reddidit: *Dum anima spirabo mea.* & Virgil. *Dum spiritus hos regit artus.* & Lucan.

Dum movet hic calidus spirantia corpora sanguis.

Synes. ep. 44. ἕως ἐμπνεῖ τε, καὶ δύναται: *quandiu spirat, & potest*, hoc est, *quam diu vivit.* De altero Eurip. Orest. ἐξέπνευσεν Ἀγαμέμνων βίον: *exhalavit Agamemnon vitam.* iterum, ἐκπνέων ψυχὴν, *exhalans animam.* idem omnino, quod ἀφιέναι τὸ πνεῦμα, *demittere spiritum.* Cerda.

Subiit deserta Creüsa, & direpta domus.] In Mediceo, & in Antiquis aliquot

Et direpta domus, & parvi casus Iuli.
Respicio, & quæ sit me circum copia lustro.
Deseruere omnes defessi, & corpora saltu
Ad terram misere, aut ignibus ægra dedere.
Jamque adeo super unus eram: cum limina Vestæ
Ser-

quot aliis exemplaribus legere est, *subit & deserta.* neque dicendum ultimam in *subit* ex synæresi longam esse, qui viderimus superius ejusdem formæ præteritum correptum: *Hectore qui redit exuvias indutus Achillis.* Ibi enim pro *rediit*, dubio procul positum est bissyllabum *redit.* est vero venustas aliqua in ea repetitione copulæ: *Et deserta Creusa, & direpta domus:* quanquam neque illud invenustum, quod absque *& subiit*, Trisyllabum in plerisque habetur exemplaribus. Habemus vero in antiquis aliquot codicibus lectionem aliam, *ut direpta domus*, hoc est, venit in memoriam domus, ut direpta ea quippe specie, qua direpta esset: Tali eam imagine concepi. Aliquot alii codices, *& deserta* legunt. Sed hoc parum in tanta calamitate: Quare longe melius *direpta.* Loquitur vero hic ex Epicuri sententia, qui omnium rerum, quæ nostræ insiderent cogitationi, simulacra confingebant, eaque ad cerebrum volitantia species offerre, quibus prædita essent: memoriamque & excogitationem non aliunde in nobis esse. Quæ lectio si faciat satis, non erit dicendum participium esse pro participio. Et *Direpta* positum, pro *diripienda* ut Grammatici comminisci coguntur. *Pierius.*

563. *Casus.*] Aut interitus, aut captivitas. *Servius.*

Et parvi casus Iuli.] Ad φιλοστοργίαν Æneæ cum Ascanio notetur locus Plutarchi in libello περὶ πολυφιλίας, ubi ait, animalia omnia, quæ unum tantum gignunt, prolem suam vehementius amare, & probat testimonio Homeri, qui filium solum natum vocat ἀγαπητὸν, *charum.* Cerda.

564. *Copia.*] De exercitu dixit numero singulari, ut Sallustius * *Con Sertorios neque rumper.* & an Levi copiam avibus: Cum *copias* de exercitu numero plurali dicamus. *Copia* vero aliarum rerum sit. *Servius.*

Copia.] Non devorant Grammatici, nam *copiæ*, ajunt, dicendum fuit. Sed sciant isti, usos hac voce in singulari pro exercitu Tullium lib. 8. ad Attic. epist. 17. & 11. Sallustium in Catilin. Suetonium in Augusto, Varronem 3. rerum humanarum, quem citat Probus in 3. Eclogam Virgilii, Virgilium ipsum in Culice. Abstinui à verbis, nam hæc jam alii advocarunt. Adduco Ammianum, quem alii tacent. Ille lib. 19. ita ait: *Ardens copia nostrorum erupit, iras in hostem perfidum parans, &c.* Cerda.

565. *Deseruere omnes.*] Defessi dolore, vos non accusationis, sic enim se purgat, ut alios non culpet: dicendo autem *defessi*, etiam illos excusat, à quibus desertus est. *Servius.*

566. *Ignibus ægra dedere.*] Post hunc versum, hi versus fuerunt, quos Tucca & Varus obliti sunt, *Jamque adeo super unus eram, &c.* versus enim refert * usque illum, *Talia jactabam, &c.* In quibus hæ variæ lectiones, *Permetuens Trojæ m: s:* Præmetuens T. *aris invisa m: s:* Argis invisa. *Regina triumpho m: s:* Regnata Triumpho. *Sudavit sanguine m: s:* Sudarit sang. *Nec habet victoria. m: s:* Habet hæc victoria. *Sumsisse merentis m: s:* Sumsisse merentes. *Ultricis flamma. m: s:* Ultricis famæ. *Mente ferebar.* Mente loquebar. *Idem.*

567. *Jamque adeo super unus eram.*] Duo illa & viginti carmina, quæ detracta esse constat, in nullo ex iis veteribus codicibus, quos versamus, habentur. placuit tamen nonnullis impresso-

Servantem, & tacitam secreta in sede latentem
Tyn-

pressoribus ea publicare: Donatus porro ita ea dissimulavit, ut sententiæ continuationem longe aliter acceperit, quam fecerint alii. Ea quippe de caussa Æneam, dextra prehensum à matre, contentum esse, ne ipse sibi, quod in extrema ea rerum desperatione plerique fecerant, mortem consciscereet: quo loco Auctoris ipsius verba ponere non pigeat, ubi versus hos interpretatur.

Deseruere omnes defessi, & corpora saltu
Ad terram misere, aut ignibus ægra dedere.
Tum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit
Alma Parens, confessa Deam, qualisque videri
Cœlicolis, & quanta solet, dextraque prehensum
Continuit. roseoque hæc insuper addidit ore.

Dixit omnes deseruisse quod agebant, quum defenderent domum Priami, & id frustra facerent. Ipse quo modo recesserit, dicit: ne videatur etiam ipse operis labore fatigatus recessisse: Omnes inquit laborando fessi, & sine aliqua utilitate certando debiles redditi, tædio adversarum rerum mori maluerunt: & duplicem voluntariæ mortis occasionem nacti, cum altitudo non deesset, & incendia dominarentur, aut præcipites dederant sese, aut petierant flammas: ne & ipse alterum facerem, aut, quod supererat tertium, hostis occideret remanentem: Mater mea non, ut facere solebat, dubia, aut incerta, sed manifestior veniens, me ab ipsis inefficacissimis actibus revocavit. *Pierius.*

Jamque adeo, &c.] Sunt, qui sequentes XXII. versus omittant, ut à Plotio Tucca, & L. Varo, quos Æneida jussu Augusti emendasse constans fama est, rejectos. Cum, quia turpe sit viro forti fœminæ irasci: tum, quia his contraria dicantur, VI. Æn. ÿs. 510. *Omnia Deiphobo solvisti.* Verum enimvero Servius Fuld. hos versus non quidem rejectos dicit, sed Tuccam & Varum eorum oblitos. quod verum censeo. Et eos Poëtæ germanos esse solidissimis evincunt argumentis *Nic. Erythræus*, *Nasc. Nascimbænius*; & præter omnes *Francisc. Campanus* ad Herculem Gonzagam: quod Opusculum Henr. Stephanus edidit, cum *Quæsitis per Epistolam Jani Parrhasii*: quo Auditorem ablego. Unicus nunc, & qui instar omnium sit, audiatur J. C. Scaliger lib. 3. cap. 11. Poëtices: *Grammaticuli, inquit*, qui hosce luculentissimos operosissimosque versus sublatos voluêre, vulgaribus moti affectibus, ignoratis rationibus; *Justitiam* de Sapiente suo abstulerunt. Idem l. 3. c. 23. *Oratio*, inquit, *Æneæ* deliberativa est. Ponit igitur suasiones ad cædem, quam meditabatur: atque eas magnas sanè. *Occiderit Priamus?* magnum est carere Principe. addit, *ferro.* Quid patriæ exscidium? Quid Dardanium toties sudâsse litus sanguine? Quid mirum, si una pereat; propter quam tot interiêre? & cum illis duo rerum omnium maxima; Pudor ac Libertas. Matronæ, inquit, nostræ servæ erunt? hæc earum erit domina? Rationes in contrarium: Fæminæ autem mors non decet virum fortem. Solutio objectionum. *Exstinxisse nefas:* non fæminam, sed crimen; pertinet ad virum Justum: Supplicium autem sumere de facinoroso, & pro suis, & pro patria; ad virum Fortem. Hic sileant Grammatici. *Sic ille Reipub. litterariæ Dictator Scaliger. Pareamus litteratorculi.* Taubmannus.

Limina Vestæ.] Cum enim neque apud Trojanos, neque Græcos illi locus esse videretur, non mirum fuit, si ad aram, & asylum confugerit. *Idem.*

569. Dant

Tyndarida aſpicio: dant clara incendia lucem
Erranti, paſſimque oculos per cuncta ferenti.
Illa ſibi infeſtos everſa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaûm, & deſerti conjugis iras
Permetuens, Trojæ & patriæ communis Erinnys,
Abdiderat ſeſe, atque aris inviſa ſedebat.
Exarſere ignes animo: ſubit ira cadentem
Ulciſci patriam, & ſceleratas ſumere pœnas,
Scilicet hæc Spartam incolumis patriaſque Mycenas
Aſpiciet, partoque ibit regina triumpho?
Conjugiumque, domumque, patres, natoſque videbit,
Iliadum turba & Phrygiis comitata miniſtris?

Occi-

569. *Dant clara incendia lucem.*] Prolepſis, latebat illa, ſed indicabant incendia. *Cerda.*

573. *Permetuens.*] Quod Ciceroni frequens *Pertimeſco.* Scalig. lib.4. c.16. In Ms. Fuld. *Præmetuens.* Taubm.

Trojæ & patriæ communis Erinnys.] Id eſt, fatalis calamitas. Et eſt magna emphaſis. *Scalig. l.*4,16. Idem.

575. *Exarſere ignes.*] *Ignes*, id eſt, Ira, quæ eſt ſanguinis ardor circa cor. Cum autem *Ira* ſit animi perturbatio, modo alio plebejus, alio Nobilis iraſcitur: aliter è vulgo quiſpiam, aliter Sapiens. Atque idem Æneas hic aliter iraſcitur; aliter ob amici atque hoſpitis mortem, in 12. *Furiis accenſus, & irâ Terribilis.* De quo Scaliger. l.3. c.9. *Idem.*

Subit ira.] Non patitur A. Scottus in obſervat. poët. l.2. c.39. quicquam detrahi poëtarum principi, quem non nulli arguunt, quod Æneam, virum fortem & generoſum, vindictæ cauſa deſcribat paratum ad vim inferendam inbelli mulieri. Habet enim auctorem Euripidem, cujus in Oreſte hæc verba ſunt:

Νῦν δ᾽ ὑπὲρ ἁπάσης ἑλλάδος δώσει
δίκην.

Emmeneſſ.

576. *Sceleratas pœnas.*] Pro, ſceleris pœnas. *vel:* de ſceleratâ pœnas ſumere. *Taubm.*

577. *Scilicet hæc Spartam incolumis patriaſque Mycenas.*] Non diſſimile eſt illud Maronianum Ecl. 1. ℣ſ.71. quod ſtomachum & bilem indicat:

Inpius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes, &c.

Emmeneſſ.

Incolumis.] Id eſt, *viva*, ex Propertio, lib.2. eleg.32. qui ait:

Tyndaris externo patriam mutavit amore,
Et ſine decreto viva reducta domum eſt.

Cerda.

Patriaſque Mycenas.] Non ſuam, ſed mariti patriam. *Taubm.*

578. *Regina.*] Παραβολικῶς, tanquam Regina. MS. Fuld. *regnata.* Idem.

580. *Phrygiis comitata miniſtris.*] Eurip. ἔχουσα βαρβάρους ὀπάονας. alludit ad Romanorum morem, quibus familiari in uſu erat ſervitium operaque Phrygiorum mancipiorum, ut inter cæterarum gentium delicatiſſimorum & peritiſſimorum, unde & Phrygiones; & in parœmiam abiit, *Phryx flagris emendatur.* Germ.

 581. *Troja*

Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine litus?
Non ita. namque etsi nullum memorabile nomen
Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem;
Extinxisse nefas tamen, & sumsisse merentis
Lau-

581. *Troja arserit igni.*] Non agnosco pleonasmum. Nam additum *igni*, tum ad αὔξησιν, tum cum oppositione ad ferrum, ut dicantur omnia ferro & igni vastata; homines ferro, domus igni. Itaque hæret Euripidi, qui, ut Virgilius Helenæ, ita Andromachæ attribuit Trojam δορὶ καὶ πυρὶ δηιάλωτον, *ferro & igni vastatam.* Cerda.

582. *Dardanium toties sudarit sanguine litus.*] Sumptum ex Ennio in *Hectoris lytra*, ubi:

Sonitu franguntur hastæ, terra sudat sanguine.

Sidonius ad Avitum,

—— natat obruta tellus
Sanguine.

& Lucan. lib. 7.

Cæsar ut Hesperio vidit satis arva natare
Sanguine.

Calaber lib. 1. αἵματι πάμπαν ἐδεύετο, *undabant omnia sanguine.* Sunt hæc, quæ Ennius Androm. dixit, *terram sanie delibutam*, loquens de Troja ipsa. Vide Artemidorum lib. 5. somnio 6. ubi de Troja loquitur. Ovidius quoque lib. 2. Metam.

—— Sigæa rubebant
Litora. Idem.

583. *Non ita: namque etsi.*] *Non ita:* est similium vocum par pene usurpatio & phrasis frequens apud Græcos. Eurip. in Hec. ubi negat Polyxena, se Ulyssi supplicaturam, quod dicat, servæ, captivæ, & Regiæ virgini mortem vita optabiliorem, tum ob multas causas, tum quod λέχη τ' ἁμὰ δοῦλος ὠνητὸς ποθὲν χρανεῖ, τυράννων πρόσθεν ἠξιωμένα· & consequenter, οὐ δῆτ', ἀφίημ' ὀμμάτων ἐλεύθερον φέγγος τόδ', ἅδη προστιθεῖσ' ἐμὸν δέμας. Cubile meum Servus alicunde emptus polluet regibus ante dignum judicatum? Non ita. quin dimitto oculis liberis lucem hanc. Idem in Med. τί δεῖ με πατέρα τῶν δὲ τοῖς τούτων κακοῖς λυποῦσαν, αὐτὴν δὶς τόσα κτᾶσθαι κακά; οὐ δῆτ' ἔγωγε, χαιρέτω βουλεύματα· & in Heracl. sub persona Macariæ: τί φήσομεν γὰρ, εἰ πόλις μὲν ἀξιοῖ κίνδυνον ἡμῶν οὕνεχ' αἴρεσθαι μέγαν, αὐτοὶ δὲ προσθέντες ἄλλοισιν πόνους, παρὸν σεσῶσθαι, φευξόμεσθα μὴ θανεῖν; οὐ δῆτ' ἐπεί τοι καὶ γέλωτος ἄξια, στένειν μὲν ἱκέτας δαιμόνων καθημένους, πατρὸς δ' ἐκείνου φύντας οὗ πεφύκαμεν, κακοὺς ὁρᾶσθαι. Eadem quoque serie Sophoc. in Tyr. οὐ δῆτα, τοῖς γ' ἐμοῖσιν ὀφθαλμοῖς ποτὲ, οὐδ' ἄστυ γ', οὐδὲ πύργος, οὐδὲ δαιμόνων ἀγάλμαθ' ἱερά. G.

Nullum memorabile nomen, &c. nec habet vict. laud.] Ideo Juno ita aggreditur Venerem, ironia utens, lib. 4. Æn. vs. 93.

Egregiam vero laudem & spolia ampla refertis,
Tuque, puerque tuus. Magnum & memorabile nomen,
Una dolo divûm si femina victa duorum est.

Euripides in Andromache κακόδοξον νίκαν nominat quo prælio non delectatur generosus, sed rusticus, ut Propert. l. 2. eleg. 5. *Emmeness.*

585. *Nefas.*] Helena jure *nefas* dicitur, cujus impuri mores noti. Rapta primum est à Theseo, deinde nupsit Menelao, hunc reliquit, secuta adulterum Paridem: huic non fuit fida, nam in Ilio cum privigno Corytho, Paridis & Oenones filio, incestum commisit. Ejusdem amores cum Achille celebrat Philostratus in Heroicis. Eurip. in Androm. Helenam vocat ἄταν *noxam, damnum, cladem.* Neque enim (ait) Paris sponsam ex Græcia Tro-

Laudabor pœnas; animumque explesse juvabit
Ultricis flammæ, & cineres satiasse meorum.
Talia jactabam, & furiata mente ferebar;
Cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam; qualisque videri
Cælicolis, & quanta solet: dextraque prehensum
Con-

Trojam attulit, sed cladem. ibidem, πασῶν κακίστην, *omnium pessimam.* & in Troadib. ait sub persona Andromachæ, illam non natam ex Jove, aut Tyndareo, sed esse filiam ἀλάστορος, φθόνου, φόνου, θανάτου: *Dæmonis infesti, invidiæ, cædis, mortis.* Cerda.

586. *Animumque explesse.*] Id est, animum inflammatum ad ultionem. *Scaliger l.4. c.16.* Taubm.

587. *Cineres satiasse.*] Pietatis tamen nomine laudabor, qui cæsorum civium manes, & umbras sanguine hostium expleverim. *Idem.*

589. *Cum mihi se.*] Ordo est, cum mihi se videndam oculis obtulit, non ante tam clara. *Servius.*

590. *In luce.*] In nimbo, qui cum numinibus semper est. *Idem.*

In luce refulsit.] Lux & splendor nota est divinitatis Deorum. sic 1. Æn. eadem Venus —— *rosea cervice refulsit.* Hunc splendorem videtur explicasse Homerus Odyss. 3. vocula ἀναφανδὰ: quanquam interpretes, *manifeste* reddant, & Od. 7. θεοὶ ἐναργεῖς. quanquam hic etiam reddant, *Dii manifesti.* nam ut notat in Paral. Germ. Sol olim, & Luna ἐναργεῖς dicebantur. Apud Nonnum lib. 4. Dionys. Venus, ut dissimulet divinitatem, inducitur, λεπταλέον πέμπουσα σέλας, *tenuem mittens splendorem.* Cerda.

In luce refulsit.] Id est, in nimbo, qui cum Numinibus semper est. *Nimbus* enim splendor est circum divina corpora: & hoc modo Imagines etiam Sanctorum cum nimbo aurato pinguntur. Inf. ℣. 616. & Æn. 9. ℣. 111. *Taubm.*

591. *Confessa deam.*] Divino habitu, quia in primo venatricis habitu se obtulerat. *Servius.*

Qualis & quanta.] Qualitas & quantitas hoc loco ad pulchritudinem pertinet. *Idem.*

Qualisque videri.] Nam majores esse credebant habitu corporis deos, quam homines. Tacitus: *Oblata ei species muliebris ultra modum humanum, & audita major humanâ vox:* Turneb. lib. 30. c. ult. *Qualitas* autem hæc & *quantitas* ad pulchritudinem pertinet. *Taubm.*

592. *Dextraque prehensum.*] Ea corporis parte, qua Helenæ ictum minabatur; quæ in templo Vestæ stabat ornata. Ut enim dictum est, versus illos, qui superius notati sunt, hinc constat esse sublatos, nec immerito. Nam & turpe est viro forti contra fœminam irasci: & contrarium est Helenam in domo Priami fuisse, illi rei, quæ in sexto dicitur: quia in domo inventa est Deiphobi, postquam ex summa arce vocaverat Græcos. Hinc autem versus esse sublatos, Veneris verba declarant; dicentis, *Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ.* Sane quidam *Invisa* figurate dictum putant. Adferunt enim ad Trojam Helenam non venisse, id est, non visam à Trojanis, quia cum eam rapuit Paris, ad Ægyptum profectus dicitur. mutato itineris cursu, ne à Græcis, forsan insequentibus, comprehenderetur, ibi à Protheo receptus hospitio; sed cum Helena Protheo suam narrasset injuriam, ab eo retenta est, tum sine ea Paris venit ad Trojam. Græci autem putantes, quod occultaretur à Trojanis, & nollent sibi eam reddere, deleverunt Trojam frustra, cum Trojani vere dice-

Continuit, roſeoque hæc inſuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam noſtri tibi cura receſſit?
Non

dicerent, ſe Helenam non vidiſſe. Alii dicunt à Protheo quidem Paridi Helenam ſublatam, & quibuſdam diſciplinis fantaſma in ſimilitudinem Helenæ Paridi datum, quod etiam Homerum volunt tetigiſſe ſubtiliter, ubi Æneas à Neptuno* appoſita nube liberatur. *Serv.*

593. *Roſeo.*] Pulchro. quidam reprehendunt, non conveniſſe in ruina & exitio civitatis, Venerem roſeo ore loqui cum filio, ignorantes hoc epitheton Veneris eſſe perpetuum. *Idem.*

Inſuper.]Quod continuerat eum. *Id.*

594. *Indomitas.*] Magnas nunc, &c. * & quis, nonnulli admirantis volunt eſſe, non interogantis. *Idem.*

Tantus dolor.] In codicibus aliquot antiquis cum Mediceo legere eſt, *tantus dolor.* non autem *Furor.* Quid enim oportuiſſet ſtatim ſubjungere *quid furis?* Sane *dolor* agnoſcit Donatus, & in paraphraſi ait: *Quid tantum doles, iraſceris, furis?* Pierius.

Tantus dolor excitat iras.] Legendum procnldubio *dolor*, cum pluribus, Servio, & antiquo, & recenter edito, Manutio, Stephano, Naſcimbeno: non *furor*, cum nonnullis. juvat ratio: ex dolore ira naſcitur, ex ira furor. ideo tres iſti affectus ſignati in Poëta; nam dolor iras excitat, & ſtatim, *quid furis?* itaque dolor (ut dixi) præit iram, hæc furorem. Ariſtotel. 5. Polit. cap. 10. ἡ μὲν γὰρ ὀργὴ μετὰ λύπης πάρεστιν, ὥστε οὐ ῥᾴδιον λογίζεσθαι, *ira eſt poſt dolorem, & judicium adimit.* Quo loci conjungit dolorem, iram, furorem, ut Virgilius. Duos primos affectus in 1. Æn. etiam adhibuit:

Nec dum etiam cauſæ irarum, ſævique
dolores
Exciderant animo.

quaſi dicat dolores, qui cauſæ irarum. & Seneca in Furente:

Non ſic abibunt odia, vivaces aget
Violentus iras animus, & ſævus dolor
Æterna bella pace ſublata geret.

Philo Judæus in opere de confuſione linguar. attribuit iræ partum hunc, ἐμμανεῖς καὶ παραφόρους λύττας, *furentes & præcipites rabies.* Cui loco par ferme locus Senecæ 2. de Ira, cap. 36. *Ajacem in mortem egit furor, in furorem ira.* & Ariſtot l. 2. Rhet. ὁ θυμὸς τοῦ λογισμοῦ ἐπισκοτεῖ: *ira rationem obtenebrat.* Eſt hoc, quod Seneca idem dixit epiſt. 18. *ingentis iræ exitus furor eſt.* Epicurus apud eundem, *immodica ira gignit infamiam.* Ut vero Poëta tres affectus conjungit, gradu ſemper creſcente, ita Ariſtophanes in Pluto primo adhibet οὐχ ὑγιαίνειν, deinde μελαγχολᾷς, tertio, κακοδαιμονᾷς. Demum moneo. In hac oratione leviter reſpectum ad illam, qua uſus Apollo apud Eurip. in Oreſt. cum continuit Menelaum & Oreſtem, volentes Helenam interficere: initium eſt, Μενέλαε παῦσαι, &c. *quieſce Menelae.* Cerda.

595. *Quid furis.*] Aut quia furor eſt, virum fortem ruere in mulieris interitum. Aut quid furis, cum extinctos ſocios vides velle pugnare: & bono verbo uſus eſt, virum fortem à prælio revocans. *Servius.*

Noſtri cura.] Et hoc loco, ut ſolet, unam ſe de Æneæ familia facit. Ut, *Unius ob iram prodimur.* *Noſtri* autem & *veſtri* genitivi plurales ſunt antiqui, & ex Græcis convenientes, ſicut ſingulares ſunt *mis* & *tis*. Non eſt poſſeſſivum: ſed à *Nos* venit, ut dicimus, Noſtri cauſa facit, hoc eſt, noſtrum. *Serv.*

Noſtri tibi cura receſſit.] Ait, *cura noſtri*, propter illa credo, quæ ſequuntur: nam Anchiſes, Aſcanius, & tota Æneæ domus, & familia, ſub cura erant Veneris. ideo, quæ mox dicet, hujus verſus explicatio ſunt. ut vero hîc,

—— *quonam noſtri tibi cura receſſit?*

Ita 4. Georg. —— *quo tibi noſtri*
Pulſus amor. Cerda.

596. *Feſ-*

Non prius aſpicies, ubi feſſum ætate parentem
Liqueris Anchiſen? ſuperet conjuxne Crëuſa,
Aſcaniuſque puer? quos omnis undique Graiæ
Circum errant acies: &, ni mea cura reſiſtat,
Jam flammæ tulerint, inimicus & hauſerit enſis.
Non tibi Tyndaridis facies inviſa Lacænæ,

Cul-

596. *Feſſum ætate parentem.*] Eodem modo & Tibul. l. 4. *Quicunque & cantus corpora feſſa levant*, hoc eſt, male habentia, ut Græcis κάμνοντα σώματα tam morbida, quam laſſa: quin & καμόντες, & κεκμηκότες, mortui. *Germanus.*

597. *Superet.*] Supervivat, ſuperſit. *Servius.*

Superet conjuxne Crëuſa.] Eſt quidem hic *ſuperet*, ut *Captæ ſuperavimus urbi.* In Longobardico tamen codice, *ſupereſt* legitur: elegantia haud quaquam pari. Illud etiam animadverti in aliquot ex antiquioribus codicibus primam litteram, quæ eſt in nomine *Conjux*, inverſam eſſe hoc modo, *ɔonjux.* ea quippe nota, qua *ɔlib.* hoc eſt, *conliberta.* In monumentorum titulis paſſim cernitur. Inverti vero ita litteras, in Mulierum nominibus indicandis, plurimum mos fuit. *Pierius.*

598. *Aſcaniuſque puer.*] Filius: ut, *Tuque puerque tuus.* Horatius, *Pueroſque Ledæ.* & eſt Græcum, nam παῖδας dicunt. Interdum tamen etiam ad ætatem refertur. *Servius.*

599. *Circum errant.*] Mire quaſi quærentes tanquam prope ſint & adhuc * ſua opera ſua non avertant. *Idem.*

Circum errant acies.] In 3. Georg. humili verbo dixit de lupo:

— *nec ſtabulis nocturnus obambulat.*

Scalig. lib. 4. cap. 11. *Taubm.*

Ni mea cura reſiſtat.] Lucret. 5. *Ni vis humana reſiſtat.* Germ.

600. *Hauſerit enſis.*] Aut percuſſerit: ut, *Latus haurit apertum.* Aut voraverit. *Servius.*

Inimicus & hauſerit enſis.] In antiquis pleriſque codicibus legere eſt, *inimicus & hauſerit enſis.* pro *inimicuſque hauſerit enſis.* Pierius.

Inimicus & hauſerit enſis.] Sic & Græcis ἀφύειν ejuſdem eſt vehementiæ: Hom. Il. ν. διὰ δ' ἔντερα χαλκὸς ἤφυσε. & Il. ξ. διὰ δ' ἔντερα χαλκὸς ἄφυσε δῃώσας. *Germ.*

Inimicus & hauſerit enſis.] Non dixit; *atque hoſticus hauſerit enſis.* Vox enim *hoſticus* fortaſſe minus valida ad Heroici robur. Idem magis probavit, *inimicus & hauſerit enſis*; quam, *inimicuſque hauſerit enſis.* Ut expediret rem ſimul cum dactylo, non eſt veritus poſtponere conjunctionem, cujus natura eſt præponi. Licet enim Poëtæ contra tum leges tum conſuetudinem loqui. *Scalig. lib. 4. c. 16. & 48.* Taubm.

601. *Tyndaridis.*] Atqui Jovis eſt, non Tyndarei filia. Sed ſic dicimus *Tyndaridis* de Helena, ut de Hercule *Amphytrioniades.* Nam de Jove & Leda nati ſunt Pollux & Helena: de Tyndareo & Leda Caſtor, qui ſolus mortalis fuit. Unde Virgilius in ſexto, *Si fratrem Pollux alterna morte redemit.* qui immortalitatem ſuam cum fratre partitus eſt. Helenam vero immortalem fuiſſe indicat tempus. Nam conſtat fratres ejus cum Argonautis fuiſſe, Argonautarum autem filii Thebano Eteoclis & Polynicis bello dimicaverunt. Item illorum filii contra Trojam bella geſſerunt. Ergo ſi immortalis Helena non fuiſſet, tot ſine dubio ſeculis durare non poſſet. Hanc autem legimus primo à Theſeo raptam: & in Ægypto commendatam Protheo, alia fabula à Paride raptam, & cum ad Ægyptum cum ea iſſet à Protheo, cognito raptu, ſubtractam Paridi dicit. *Servius.*

Facies inviſa.] Pulchritudo Helenæ odioſa,

Culpatusve Paris. divom inclementia, divom
Has evertit opes, sternitque à culmine Trojam.
(Aspice: namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortalis hebetat visus tibi, & humida circum

Cali-

odiosa, id est, Helena. & est Græcum; ut, *vis Herculea:* hoc est, Hercules. Ostendit autem naturæ culpam, non esse hominibus adscribendam. *S.*

Lacænæ.] A provincia Laconica. Et notandum, derivationem minorem esse à principalitate, quod rarum est. *Id.*

602. *Culpatusve Paris.*] Criminosus, reus. Divinam inclementiã latenter hic Venus * suam purgat invidiæ, dicendo Trojam deorum conspiratione subverti. poterat enim ei objici, quod nisi ipse rapiendi Helenam Paridi auctor fuisset, Troja non fuisset eversa. *Idem.*

Divom inclementia divom has evertit opes.] Antiqua pleraque exemplaria habent, *sed enim inclementia.* Aliquot vero alia, & ea quidem castigatiora legunt venustissima repetitione *divom inclementia divom has evertit opes:* Ut illud *Pallas te hoc vulnere Pallas immolat.* In Prisciani etiam codicibus antiquioribus manu scriptis, hoc citato versu, eodem exemplo passim geminari dictionem *Divûm* observari: Atque eandem hanc lectionem Ti. Donatus agnoscit. Est etiam hæc eadem geminatio in codice Mediceo. in non nullis, *verum inclementia divum, &c.* Pierius.

Divom inclementia divom, &c.] *Inclementia* pro *ira* Stat. Thebaid. l. 1.

—— *& sævo tanta est inclementia cœlo.*

Recte *divom* repetit: facit enim ad confirmationem deorum conspiratione Trojam everti. Vide Don. ad Ter. A. 5. 3. 12. *Olim istuc, olim, &c.* Emmen.

603. *Sternitque à culmine Trojam.*] Voces, *culmen* & *sterno*, cum studio quæsitæ oppositione quadam. Urbs, quæ eximia altitudine, strata jam, & æquata humi est, Homer. *κατ' ἄκρης.* *Cerda.*

604. *Aspice.*] De Homero tractum, qui inducit Minervam præstantem ista Diomedi & bene subdistinguit, quia non solum dicitur, sed etiam manu significatur. *Servius.*

Aspice.] Jubet Venus ipsa, ut aspiciat. aliter non tutus aspectus Deorum. Ad rem sunt vers. Callimachi in hymno:

Ὅς γε τιν' ἀθανάτων ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Ἀθρήσῃ μισθῷ ἰδεῖν μεγάλῳ.
Ut quicunque Deum aspiciat, nisi jusserit ipse,
Mercede ingenti scilicet aspiciat.

Versio est Politiani. Actæonis fab. nota omnibus. Cum respectu ad hoc Ovid.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi?

Repetit aliquoties rem eandem. *Cerda.*

Namque omnem.] Ordo est, Omnem tibi nubem eripiam, quæ humida circum caligat, & mortaleis hebetat visus tuenti. Dicitur autem nebula orta de terris obesse nostris obtutibus. Unde aquila, quia supra nebulam est, plus videt. Est etiam theologica ratio: quia ignorantes usum Venerium, videre dicuntur & numina. Unde nunc merito post Veneris abscessum, numina vidisse dicitur Æneas. *Servius.*

Obducta.] Superducta. *Idem.*

Obducta.] Præpositio *ob* pro circum sæpissime. Est enim nubes obducta, circum oculos ducta. Vetus Poëta: *Retia vosmet obsidete, dum percurro cubilia.* Ennius apud Nonium: *Ecce autem caligo oborta est, omnem prospectum abstulit.* Neque aliud est, *obligare, obstrepere, obire,* & mille alia. Phrasis ipsa à Lucretio sumpta lib. 5. *tenebris obducere terras.* Cerda.

Obducta.] Non dixit, *objecta.* Scalig. lib. 4. 16. *Taubm.*

Tuenti.] Modo videnti: alias defendenti. *Servius.*

605. *Hebetat.*] Phrasis Græcorum est. nam illi quoque verbum *ἀμβλυώω*, *hebeto,*

Caligat, nubem eripiam: tu ne qua parentis
Jussa time, neu præceptis parere recusa)
Hic, ubi disjectas moles, avolsaque saxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros, magnoque emota tridenti

Fun-

hebeto, ad oculos traducunt, & verbo ἀμβλυώττω, usi in hac significatione Plato, Lucian. ille 6. Pol. ὀφθαλμοὶ ἀμβλυώττουσι, *oculi hebetantur*. Hic, ἀμβλυώττω πρὸς τὸ φῶς, *hebes ad lucem sum*. Cerda.

Quæ mortalis hebetat visus & humida circum caligat, nubem eripiam.] Hunc locum egregie illustrat Macrob. in somn. Scip. l. 1. c. 3. *anima*, inquit, *interdum aspicit, nonnunquam tendit aciem, nec tamen pervenit: &, cum aspicit, tamen non libero & directo lumine videt, sed interjecto velamine, quod nexus naturæ caligantis obducit.* Emmeness.

606. *Ne qua parentis jussa time.*] Pro *Ne* & hæc particula imperativo jungitur modo: sed interdum præsenti tempori, interdum futuro; prout aliquid volumus ad præsens, vel ad futurum referri: potest sane hoc præceptum, & ad generalitatem, & ad specialitatem referri. *Jussa time.* Veretur enim, ne imperanti sibi fugam non obtemperet. *Servius.*

608. *Saxis saxa.*] Dicendo *saxis saxa*, renovavit narrandi magnitudinem. *Idem.*

609. *Undantem.*] Aut abundantem, aut quia in modum undarum attollitur: ut, *Qua plurimus undam fumus agit.* Id.

Undantem.] Nam ex ruina lateritiorum pulvis, ceu fumus, sive, ad undarum speciem, in aerem erigitur. Æn. 8.

—— *qua plurimus undam*
Fumus agit —— Taubm.

610. *Neptunus muros.*] Hoc autem habet fabula, quod Neptunus cum Apolline Trojæ fabricati sint muros. Sed constat, Laomedontem supradictis diis certam vovisse pecuniam, ad sacra facienda: quam imminentibus Miis vel Mysiis transtulit ad murorum fabricam. Unde dii & fecisse muros, & offensi esse dicuntur. Simul notandum, quod deos facit opera sua evertere, ut Portas Junonem, quarum dea est. Nam & portam luminis nascentibus præbet. ut, *Juno Lucina fer opem.* Arces, Minervam: legimus enim, *Pallas quas condidit arces.* Neptunum, muros: ipsi enim fundamenta sunt consecrata, cujus & moventur arbitrio. Unde ἐννοσίχθων dicitur, hoc est, terram movens aquæ concussione; sicut terræ motus continent opiniones. Ergo cum Neptunus infestus indicatur, Apollo tamen etiam post piaculum Trojanis favet, quia eum propter Chrysis sacerdotis filiam offenderant Græci. *Servius.*

Neptunus.] Cum deos inimicos Trojanis enumerasset, ponit Jovem. Ipse pater, quasi, qui cum vos contra alios, cum & majoris sit potestatis, defendere debuit, supprimat, hujus destituti auxilio cum sitis, cedendum est vobis. *D.*

Neptunus muros, &c.] Triplex notula illustrabit Poëtam, *Cur quatit? cur fundamenta? cur fumus undans?* Neptunus quatit, quia dictus σεισίχθων, proprio attributo, id est, *quatiens terram*, & fundamenta, quia hæc illi sacra, ut ait Servius, & Græci de illo θεμελιοῦχος. itaque versatur in sua potestate. *Fumus undans* ex Græca imitatione, nam Calaber de fumo dixit, ῥοὰς *fluenta*. Tu vide notam Turnebi lib. 26. cap. 33. Sed in hac re etiam Maro Homero institit, 12. Il.

Αὐτὸς δ' Ἐννοσίγαιος ἔχων χείρεσσι τρίαιναν
Ἡγεῖτ', ἐκ δ' ἄρα πάντα θεμείλια κύμασι πέμπε
Φιτρῶν καὶ λάων. *Cerda.*

Neptunus muros.] Sic aquarum rector apud Stat. Achill. l. 1.

 Impel-

Fundamenta quatit; totamque à sedibus urbem
Eruit. hic Juno Scæas sævissima portas
Prima tenet, sociumque furens à navibus agmen
Ferro accincta vocat.

Jam

Impelletque manu nostros, opera irrita, muros,
nec tantum mare,sed etiam terram movere Neptunum tridenti, ex Turn. l. 26. c. 33. videre est. *Emmeness.*

Emota.] Multo efficacius est *emovere* pro eruere, exstirpare quam *amovere*, teste Torrentio ad Horat. l. 4. Od. 14. sic supra ℣s. 493.

—— *emoti procumbunt cardine postes.*
& l. 6. Æn. ℣s. 382.

His dictis emotæ curæ ——
sic *emotæ herbæ*, *emotum solum* apud Columellam. *Idem.*

Tridenti.] Omnia in *ns* exeuntia, aut participia sunt, aut nomina. Sed si participia sunt, ablativum & in *i* & in *e* mittunt pro nostro arbitrio: Juvenalis, *Nec ardenti decoxit aheno.* Contra, *Semperque ardente camino.* Si vero nomina fuerint, omnimodo in *e* exeunt. Si autem eadem sint & nomina & participia, ut *amans*: cum nomina fuerint, omnino in *e* mittunt: quum participia, licenter utimur. Ergo quia *tridens* nomen est, *tridente* debuit dicere. Sed novitatem affectavit, nulla cogente necessitate. Sane in nominibus quæ & propria esse possunt, & appellativa, ut liberalis, fœlix, Juvenalis, ablativus à proprio, in *e* exit: ab appellativo, in i. *Servius.*

611. *Quatit.*] Concutit, commovet. *Idem.*

612. *Juno Scæas sævissima portas.*] Quidam ideo Junonem has portas tenuisse accipiunt; quia eam fatorum arbitrium volunt, & fatum fuit ad exitium Trojæ, per has portas equum introduci. quia ipsa est Curritis, & sub hoc nomine interest bellis. Nam ideo, *Hic illius arma, hic currus fuit.* Idem.

Scæas portas.] Trojanæ urbis portas sex enumerat Dares, *Antenoridem*, *Dardanien*, *Iliam*, *Scæam*, *Catumbriam*, *Trojanam.* Unde autem dicta *Scæa* porta, mire variant scriptores. Alii, quod in læva urbis parte sita; vel quod illac illatus equus, qui exitium attulit; vel quod consultatio quædam Trojanis ibi habita sinistre cesserit. Strab. l 13. censet Thraciam esse vocem: ait enim: *Multa apud Troës & Thraces iisdem nominibus appellantur, ut Scæi, Thraces quidam, & Scæus amnis, & Scæus murus, & Scæa Trojanæ portæ.* Sunt qui nomen ducant ab artifice: alii sic dictas volunt à sepulcro Laomedontis Regis, ille enim ad has portas situs, ii vero ducunt ἀπὸ τοῦ σκηνώματος, tentorio, aut tabernaculo. extremum hoc probaverim. nam hic mos veteribus frequentissimus, cujus me Pausanias sæpe admonet. In Bœoticis ait, ad Neitin portam Thebarum sepulchum esse Menœcei Creontis filii. & lib. 5. *Ætolum matura morte ereptum condiderunt parentes, exstructo monumento in ipsa porta, qua in Olympiam ad Jovis templum iter est.* Cerda.

613. *Prima tenet.*] Pro *primum.* sic in *primis animalibus* interprete τοῦ πάνυ Gronovio l. 1. Observ. c. 7. est *in animalibus primum.* Sed in Georg. de hac loquendi formula. *Emmeness.*

614. *Accincta.*] Ferro armata, ut, *Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus.* Servius.

Ferro accincta.] Ad lucem Poëtæ Statius 5. Theb.

—— *Illa, qua rara silentia, porta*
Stat funesta Venus, ferroque accincta furentes
Adjuvat.

Græci, χαλκὸν, & ὅπλα ζώννυσθαι. *Cerda.*

Ferro accincta.] Non dixit, *cincta:* maluit elisionem. sic mox, *evicta* potius, quam *victa.* Ita post, *accisam ferro.* magnus enim in eâ voce sonus: sicut

615 Jam summas arcis Tritonia (respice) Pallas
Insedit, nimbo effulgens & Gorgone sæva.
Ipse pater Danais animos viresque secundas
Suffi-

sicut *attrectare*, *adservare &c.* Scalig. lib. 4. c. 16. *Taubm.*

615. *Jam.*] Præterea: ut, *Jamque seminibus jactis se sustulit arbos.* Servius.

Arcis.] Ordinem tenuit, primum muros, deinde portas, post arces, à muris enim in arcem convertendus est totus impetus. Ob hoc autem arces Minervæ dantur, quod ipsa sit inventrix ædificiorum: ut, *Pallas quas condidit arces i. e.* Et quia summa quæque possidet sapientia. Præterea in capite esse dicitur, idcirco creditur patris Jovis capite generata. *Idem.*

Tritonia Pallas.] Duo antonomasia sunt sine proprio nomine. Et est nimiæ iracundiæ, cum dicitur: Quanquam irata sit Græcis, nequaquam tamen Trojanis parcere. licet in historia lectum sit vehementius iratam Minervam, quod post Victoriam ei sacrificare noluerint, ut Hor. *Quum Pallas usto vertit iram ab Ilio, in impiam Ajacis ratem.* Idem.

Respice.] Dicendo *respice*, ostendit vere jam caliginem ab oculis ejus esse sublatam. *Idem.*

616. *Insedit.*] Adeo irata, ut ante sacerdotem ibi Cassandram defenderet. *Idem.*

Insedit.] Signatur pondus Deæ prementis, & opprimentis urbem. Homerus, ἐφέζετο Περγάμῳ ἄκρῃ. Vetus Poëta apud Aristidem in 2. Platonica Palladem vocat περσέπτολιν, quasi urbirupam. Cur Pallas dicta *Tritonia*, alibi. *Cerda.*

Nimbo effulgens.] Nube divina, est enim fulgidum lumen, quo deorum capita cinguntur, sic etiam pingi solet. Alii nimbum clavum transversum in veste existimant: Alii *limbum* legunt, Ut *Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:* & est pars vestis extrema, quæ *instita* dicitur: ut Horatius, *Quarum pulsata talos tegit instita veste.* Servius.

Nimbo.] Nube divina. Est enim *Nimbus* fulvidum (*f. fluidum*) lumen, quod deorum capita tinguit, auctore Servio Danielis. Vide & supra, v. 590. Sunt, qui *nimbum* existiment clavum transversum in veste. Alii hic *limbum* legunt, & institam interpretantur, i. e. vestis sequelam & ornamentum. *Taubm.*

Gorgone sæva.] Aut etiam per sævam Gorgonem fulgens, aut ipsa sæva terrore Gorgonis. Sane Gorgones tres fuisse dicuntur, Stehmo, Euriale, Medusa; quarum aspectus intuentes vertebat in lapides; hæ autem miræ pulchritudinis fuisse dicuntur: & quisquis eas vidisset, stupore defigebatur. Ideo fictum est, quia in lapides mutarentur. Sed alia fabula refert Medusam miræ parsimoniæ virginem fuisse, & ob hoc accepta Minervæ, quæ compressa à Neptuno Pegasum equum dicitur edidisse, quod posteaquam Minerva cognovit, ejus caput dicitur amputasse & suo affixisse pectori, eique tribuisse vim, ut quidquid vidisset mutaret in saxum. *S.*

617. *Ipse pater.*] Qui omnibus unus esse consuevit: ut, *Rex Juppiter omnibus idem.* Et bene honesta Æneæ causa fugiendi est. *Idem.*

Ipse.] Non frustra hoc pronomen, auget enim vim. Ita 4. G.

Nunc age naturas apibus, quas Juppiter ipse
Addidit, expediam.

Ita Catull.

—— *non si me Juppiter ipse petat.*

Cerda.

Viresque secundas.] Quia fuerunt & in Trojanis: sed non prosperæ. *Serv.*

Viresque secundas.] Huic voci nata felicitatis significatio ab auguriis. Qui captabant auguria, nunquam unico contenti erant, sed captabant sequens quoque; ut primum, si infelix, mutaretur: si felix, firmaretur. Si sequens itidem esset infelix, dicebatur *alterum*; si felix,

Sufficit: ipſe deos in Dardana ſuſcitat arma.
Eripe, nate, fugam; finemque inpone labori.
Nuſquam abero, & tutum patrio te limine ſiſtam.
Dixerat: & ſpiſſis noctis ſe condidit umbris.
Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna deûm.
Tum vero omne mihi viſum conſidere in ignis
Ilium,

ſi felix, *ſecundum*. Inde vox hæc dilapſa ad infinita alia. Hoc ego alibi copioſius. *Cerda.*

618. *Sufficit.*] Subminiſtrat, ſuggerit. *Servius.*

619. *Eripe.*] Accelera raptim fac. Vel, *eripe te fuga*. Idem.

Eripe, nate, fugam.] Quia ſciebat non facile poſſe perſuaderi fugam Æneæ, idcirco dixerat: *Tu ne qua parentis juſſa time, neu præceptis parere recuſa.* Quapropter cedendum erat, cum qui poteſt omnia, & favere debebat, contrarius eſſet. *Donatus.*

620. *Nuſquam abero.*] Bona œconomia. Nam ſi tenent Danai, qua deficit ignis: neceſſarium eſt præſidium numinis, ut Horatius, *Nec deus interſit, niſi dignus vindice nodus Inciderit.* Serv.

Nuſquam abero.] Nam ſine ſuo auxilio, cum eſſet in flammis, teliſque hoſtilibus circumdatus, quomodo fugere potuiſſet? *Donatus.*

Limine ſiſtam.] In limine; ut, *Silvis te Tyrrhene feras agitare putaſti.* Servius.

Patrio tutum te limine ſiſtam.] Inſigne illud anchoræ, cui funis illigatus, cum his verbis, *tutum te litore ſiſtam*, originem videtur habuiſſe à Virgilii verbis, qui modico flexu:

—— *patrio tutum te limine ſiſtam.*

Eo inſigni uſus eſt Titus Imperator, & ante illum Seleucus Rex Syriæ. *Cerda.*

621. *Spiſſis noctis ſe condidit umbris.*] Abſceſſu enim plerumque numina demonſtrantur fuiſſe, cum ſubito apparere deſierint. *Servius.*

Spiſſis noctis ſe condidit umbris.] Vel in nimbum recepit ſe, de quo Serv. ad ✝ſ. 590. vel tenebris ſe noctis texit, vel, ut Ovid. l. 2. Met. ✝ſ. 301. *Dixerat, &c. ſuumque rettulit os in ſe.* pro quo Apulejus l. 11. Metam. *in ſe receſſit.* recte *ſpiſſis.* ſic *ſpiſſæ nubes*, *ſpiſſa grando*, *ſpiſſus ſanguis.* Vide de hac voce Nobiliſſ. Heinſ. ad l. 10. Met. ✝ſ. 508. *Emm.*

622. *Apparent diræ facies.*] Secundum matheſim, poſt abſceſſum Veneris dicit apparuiſſe numina: cujus præſentes radii intervenientes anæreticos temperant. vel quia *diræ* appellantur, quæ ſunt in miniſterio Jovis, quando morbos, aut lethum, aut bellum hominibus molitur, quia in 12. ait, *Dicuntur geminæ peſtes, cognomine Diræ.* Serv.

623. *Numina magna Deûm.*] Quia Jovem, Junonem, Neptunum & Minervam dixerat. *Idem.*

624. *Tum vero.*] Quia ante & ab Hectore audierat, & per ſe viderat everti Trojam, ſed non omnem, ſingulas enim res viderat; ut, *jam proximus ardet Ucalegon.* vel, Tum vero, quando & diviſi ſunt ſævientes, & ex imo verti, quia ſuperiori excidio, quando ab Hercule expugnata eſt, nec omne Ilium conciderat, nec ex imo fuerat Troja ſubverſa, per hæc ergo fit certior cauſa fugiendi. *Servius.*

Conſidere.] Eurip. in Troad.

—— *Τροία πυρὶ δαίεται·*

—— *Troia igni uritur.*

Majus quiddam, & non vulgariter, *in ignes conſidere*, in quo inſtitit eidem Euripidi, nam de regia Penthei conflagrante in Bacch. *συντεθρόνωται* dixit, *παρὰ τὸ θρόνος*, id eſt, ſedes. tametſi alii legant *συντεθρόνωται*, *conteritur*: ſed lectio prior defendi poſſet Virgilii imitatione. *Cerda.*

625. *Or-*

Ilium, & ex imo verti Neptunia Troja.
Ac veluti summis antiquam in montibus ornum,
Cum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolæ certatim; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat;

Vol-

625. *Ornum.*] P . . . . Oceani filia à Sarpedone, Ilii filio, adamata est, quem cum * veni spreviſſet, faciente Venere, Iasonem tunc ad Colchos euntem inefficaciter adamavit, quo absente * ad luchi conficererur in hanc arborem dicitur commutata. *Servius.*

Ac veluti, &c.] Catull. similem pene adducit comparationem ad casum Minotauri explicandum in Nupt. Pelei:

Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Exuit: illa procul radicibus exturbata
(alii legunt *exstirpata*)
Prona cadit, lateque, & comminus omnia frangit.
Sic domito sævum prostravit corpore Theseus
Nequicquam vanis jactantem cornua ventis.

Seneca in Oetæo mire Maronem æmulans in labore cædendæ arboris, sic ait:

Stat vasta late quercus, & Phœbum vetat,
Ultraque totos porrigit ramos nemus:
Gemit illa multo vulnere impresso minax,
Frangitque uneos: resilit excussus chalybs,
Vulnusque ferrum patitur, & truncum fugit:
Commota tandem est: tunc cadens lenta mora
Duxit ruinam.

Valer. Flacc. 3. Argon. ita se exercuit:

Ac veluti magna juvenum cum densa securi
Silva labat, cuneisque gemit grave robur adactis,
Jamque abies piceæque ruunt: sic dura sub ictu
Ossa virum. Cerda.

Ac veluti, &c.] Similitudo ex Homero expressa Iliad. π. ѵſ. 482.

Ἤριπε δ' ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν ἢ ἀχερωΐς
Ἠὲ πίτυς βλωθρὴ τὴν τ' οὔρεσι τέκτονες ἄνδρες
Ἐξέταμον πελέκεσσι νεήκεσι.

à Virgilio tamen superari Homerum affirmat Macrob. l. 5. Saturn. c. 11. eadem comparatione utitur Horat. l. 4. od. 6. de Achille:

Ille mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus euro,
Procidit late: posuitque collum in
Pulvere Teucro.

Ovidianam his adjungo dubitationem, quæ venusta plane:

—— *& quod agat, non invenit. Utque securi*
Saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat
Quo cadat, in dubio est, &c.

Sanctius in *crebrisque bipennibus* subaudiendum monet *securibus* auctoritate Non. Mar. & Varronis. Eum adi p. 338. Mirifico ornatu in hac descriptione rerum naturam ambivit Maro, atque eventa ipsa ut Scal. 5. poët. c. 3. *Emm.*

627. *Ferro & bipennibus.*] Ἓν διὰ δυοῖν. *Servius.*

Ferro accisam.] Cæsar lib. 6. Bell. Gall. *Omnes à radicibus subruunt aut accidunt arbores, &c.* Taubm.

628. *Eruere.*] Pro *dejicere*; & est Acyrologia. *Servius.*

Usque.] Tam diu. *Idem.*

Minatur.] Aut eminet; ut, *Minæque Murorum*: Aut movetur. *Idem.*

629. *Tremefacta comam.*] Solita figura. *Idem.*

Comam.] Pro *ramis*, per illam metaphoram tondentur Critici. *Idem.*

Tremefacta comam.] Hellenicum esse. ait

Volneribus donec paullatim evicta supremum
Congemuit, traxitque jugis avolsa ruinam.
Descendo, ac ducente deo flammam inter & hostis
Expedior. dant tela locum, flammæque recedunt.
Atque ubi jam patriæ perventum ad limina sedis,

Anti-

ait Budæus, pro, *coma tremefacta*. *Vulnera*, de arbore dixit, sicut Pindarus navem compactam ait, πληγαῖς σιδήρε, *plagis ferri*. Adjunge parœmiam adductam δρῦς πληγαῖς δαμάζεται, *quercus plagis domatur*. De qua locutione ego late in Georg. *Cerda*.

630. *Volneribus.*] Pro *ictibus*. Serv.

631. *Jugis.*] Cacuminibus montium. *Idem*.

Ruinam.] Aliarum scil. arborum. *Id.*

632. *Ac ducente Deo.*] Secundum eos, qui dicunt utriusque sexus participationem habere numina. Nam Calvus, *Pollentemque deum Venerem*. Item Virgilius, *Nec dextræ erranti deus abfuit:* quum aut Juno fuerit, aut Alecto. Est etiam in Cypro simulacrum barbatæ Veneris, corpore & veste muliebri cum sceptro & natura virili, quod ἀφρόδιτον vocant, cui viri in veste muliebri, mulieres in virili veste sacrificant, quamquam veteres *Deum* pro magno numine dicebant. Sallust. *Ut tanta mutatio non sine deo videretur*. Idem.

Descendo, ac ducente Deo.] Non sum nescius, quot ea sint, quæ Servius congerit, ut commune genus esse diis, ostendat. In veteribus tamen aliquot codicibus, *ducente dea* legitur. In Donatiano, *descendo adducente dea*. Mox ita. In domo enim Priami se dixerat fuisse constitutum, & in summa ejus parte, unde se aut præcipites dederant, aut tradiderant flammis, idcirco iratus dixit: *Descendo adducente dea*, voluntate matris adductus, & persuasione receptus. *Pierius*.

Ducente Deo.] Id est, Venere. Secundum eos, qui dicunt utriusque sexus participationem habere Numina. Sunt, (in quis & Macrob. lib. 3. 8.) qui respectum putent ad simulacrum barbatæ Veneris. Jos. Scalig. ad Festum, (ubi docet, novum non esse, Ennium *Pœnos* dixisse, cum de fœminis loqueretur,) affirmat, Virgilium imitatione Græcorum hoc fecisse: apud quos ὁ θεός, καὶ ἡ θεός; aut potius Homeri, qui Iliad. γ. dixerit, ἦρχε δ' ἡ δαίμων, id est, ἀφροδίτη. malletque Macrobium hoc potius, quam sua illa considerasse. Inculcant hîc & Calvi illud: *Pollentemque Deum Venerem* — sed J. Douza legendum censet, *Pollentemque deûm Ven.* ἀντὶ τῶ *deorum:* ut, *pollens animi*, *opum*, *&c.* Ego simpliciter eo sensu capio, quo veteres (auctore Servio F.) *Deum* pro magno numine dicebant. Sallustius: *ut tanta mutatio non sine Deo videretur*. Ita *deus* pro *dea*, apud Arnob. l. 3. *Dianam, Cererem, Lunam, caput esse unius dei, triviali germanitate pronunciant*. T.

Ducente Deo.] Græcorum more *Deo* pro *Dea*, θεός utriusque est generis. apud Hom. l. 1. Iliad. ℣. 516. de Thetide ἀτιμοτάτη θεός εἰμι. Pausan. lib. 1. p. 49. παρὰ τῇ θεῷ. Cic. lib. 1. de Nat. Deor. c. 28. de aurora:

Mortalis visus pulchrior esse Deo.

Masculinum enim genus prævalere solet, ut *dominus* pro *domina*, ad Ter. Ad. 5. 6. 6. hoc docente Donato, quo teste, pleraque repentinis impulsionibus nata, mirisque proventibus deo adscribi solent. *Emmeness.*

Flammam inter & hostis expedior.] Debuit hoc præstare Venus, & quia mater, & quia dixerat: *Nusquam abero*. Don.

633. *Dant tela locum, flammæque recedunt.*] Illi reddidit, *Flammam inter & hostis expedior*, hic est hiatus. *Servius*.

634. *Atque ubi.*] In Mediceo codice, *atque ubi* legitur, quod suavius est, quam *ast*. Pierius.

Dant tela locum flammæque recedunt.] Hoc

Antiquasque domos; genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montis, primumque petebam;
Abnegat excisa vitam producere Troja,
Exsiliumque pati. Vos ô, quibus integer ævi
San-

Hoc est celeberrimum illud prodigium, & ethnicis ipsis decantatum. bis accidit, tum hîc, tum infra, cum, patre humeris sublato, Troja abiit, cujus tamen meminit, non hîc, sed in 6. Æneid.

Illum ego per flammas, & mille sequentia tela
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi.

Itaque recedebant flammæ, neque audebant lædere hominem. *Cerda.*

635. *Antiquasque domos.*] *Charas*, ambitiose dixit. *Servius.*

Expedior.] Id est, evado, conceditur effugiendi occasio. Horat. lib. 3. od. 4.

Curæ sagaces expediunt per acuta belli.

idem de Ænea, tutam viam per medias flammas & tela reddente, l. Epod.

Cui per ardentem sine fraude Trojam,
Castus Æneas patriæ superstes
Liberum munivit iter. Emmeness.

636. *Primum.*] Præcipuum. Vel *primum* ante filium & uxorem. Sed Varro rerum humanarum, ait permissum à Græcis Æneæ, ut evaderet, & quod carum putaret, auferret, illum patrem liberasse, cum illi quibus similis optio esset data, aurum & argentum abstulissent. Sed Æneæ propter admirationem iterum à Græcis concessum, ut quod vellet auferret, ille, ut simile, quod laudatum fuerat, faceret, deos penates abstulisse, tunc ei à Græcis concessum, ut & quos vellet secum, & sua omnia liberaret; quod poëta Veneris præsidio præstitum dicit Æneæ. *Servius.*

Petebam.] Pro *adpetebam* & *optabam.* Idem.

637. *Abnegat excisa.*] Ductum fortasse ex Eurip. imitatione, apud quem in Troad. Hecuba non vult vivere, exscisso Ilio:

Φέρ', εἰς πυρὰν δράμωμεν· ὡς κάλλιστά μοι
Σὺν τῇδε πατρίδι κατθανεῖν πυρουμένῃ.
Age, in ignem curramus: honestum namque est mihi
Urbe hac flagrante, me quoque simul mori.

Exscissa scripsi, non *excisa*, judicio Germ. qui prius mavult. nam de excidio Trojano loquitur Anchises, quod ab *exscindendo*, ducente nos ratione moduli syllabici. *Cerda.*

Vitam producere.] Figurate vitam producturum. *Servius.*

638. *Exsilium.*] Dictum quasi extra solum. *Idem.*

Vos o.] Obliqua oratio est. Nam aperte quidem hoc agit, ut relinquatur: latenter vero aliud, id est, voluntatem fugiendi. per quod nimia Æneæ ostenditur pietas: qui nec justis caussis movetur, ut patrem relinquat. Sane rhetorica suasio est, deliberatur enim de ipsa re, utrum fugiendum sit, & ejus partes ita ponuntur, ut, si qui dissuadent an supervivendum patriæ, quod ideo aperte non dixit, ne cæteros à fuga dehortari videretur; sed ait, *vos fugite qui potestis:* à tempore, *Satis una superque:* an invitis diis, *Jampridem invisus diis & inutilis annos demoror:* Sic quidem & illud colligitur, an debilis patriæ superare debeat. *Idem.*

Integer ævi sanguis.] Plenam ætatem significat ex sanguine, qui non est integer, nisi in juvenibus. Nam dicunt physici minui sanguinem per ætatem. Unde & in senibus tremor est. Sane *ævum* hic ad annos referre debemus, cum alibi tempus significet, ut *Ævoque sequenti*, & *Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas.* Idem.

Quibus integer ævi.] Plenam ætatem significat ex sanguine, qui non est integer, nisi in juvenibus. Plautus Merc. act. 2,3. *Adolescens cum sis, cum est sanguis*

Sanguis, ait, ſolidæque ſuo ſtant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me ſi cælicolæ voluiſſent ducere vitam,
Has mihi ſervaſſent ſedes. ſatis una ſuperque
Vidimus excidia, & captæ ſuperavimus urbi.

Sic

guis integer. Terentius: *ætas integra.* Propert. lib. 4. Eleg. 5.

Dum vernat ſanguis, dum rugis integer annus. Taubm.

Quibus integer ævi ſanguis.] Integer ſanguis à Virgilio Plautoque dictus iis eſſe, quos validos florenteſque viribus oſtendere voluerunt. Videſis Victorium Var. lect. l. 25. c. 21. inde Stat. Theb. l. 2. *toto ſanguine nixus*, id eſt, viribus maximis. De ipſa locutione, *integer ævi Sanguis*, conſule Lambin. ad Horat. l. 1. od. 22. *integer vitæ, &c.* Emmeneſſ.

639. *Suo robore.*] Sine alterius auxilio, quo egebat Anchiſes. Et duas res dicit, & juvenes eſtis & ſani, quorum utrumque mihi deeſt. *Servius.*

Stant.] Perſtant ſolidæque ſunt. *Id.*

Solidæque ſuo ſtant robore vires.] Effectus ſuperioris vocis. quaſi dicat, quia *ſanguis integer*, ideo quoque, *vires ſolidæ*, & cum *ſuo robore.* Nam ſolidæ vires, ſunt integræ vires, ut in Horatio, *ſolido de die*, id eſt, integro. De hac juvenum virtute locus eſt Quintiliani declam. 258. *Non eſt tam admirabile, cum fortiter facit juvenis, hoc ætas poſtulat, hoc robur juventæ poſcit. pene turpe eſt, non feciſſe.* Græci id, quod præſtans eſt, & magnum, vocant ab juvenibus νεανικὸν, ut πόροι νεανικοὶ, ſunt permagni meatus. Unde aliqui illud Ariſtophanis in Pluto, κρέας νεανικὸν, explicant non tam teneram carnem, quam peringentem & fortem. *Cerda.*

640. *Agitate.*] Diſponite, cogitate. Salluſt. *Traditur fugam in Oceani longinqua agitaviſſe.* Servius.

641. *Cœlicolæ.*] Ad quos noſtra pertinet vita: ut, *Haud credo inviſus cœleſtibus auras Vitaleis carpis.* &, *Nos juvenem exanimum: & nil jam cœleſtibus ullis Debentem.* Et, *Igneus eſt ollis vigor & cœleſtis origo. Anima* enim, cœli pars eſt, *corpus* vero umbra inferorum. Adeo ergo non poſuit generale deorum nomen: & addidit *Cœlicolæ*; ne crederentur inferni dii, qui datores vitæ non ſunt. *Idem.*

Me ſi cœlicolæ.] Aperta conjectura, me inviſum ſuperis. *Donatus.*

642. *Satis ſuperque.*] Ad augmentum *Superque* addit. Eſt autem Tmeſis. Sane ſciendum eſt, eſſe aliqua, quæ augmentum non recipiunt, nec minus ſignificent: ut *ſatis perfectus.* Nam quæritur uttum perfectior poſſit facere, ne incipiat. *Satis perfectus* minus ſignificare. *Servius.*

Satis una.] Scelus eſt patriam vidiſſe, & dolor immenſus, quod adhuc poſt ejus interitum vivimus, & adhuc de vivendo cogitamus. *Donatus.*

Satis una ſuperque.] Utraque vox, *ſatis* & *ſuper*, dicta ad augmentum, quæ locutio Ciceroni etiam familiaris. pro Quintio: *ſatis ſuperque habeo, quod mihi dederis.* de Offic. *mihi ſatis ſuperque dixiſſe videor.* Plin. lib. 5. cap. 1. *& ſatis ſuperque de Atlante.* Plautus Amphit. *ſatis ſuperque eſt.* Eaſdem voces in Epidic. ita diſponit, *quantum ſat eſt, & plus ſatis ſuperſit.* Cerda.

Una excidia.] Sub Laomedonte ab Ercole. Sed emphaticῶs dixit *Excidia.* S.

643. *Superavimus.*] Superviximus. *Id.*

Captæ ſuperavimus urbi.] Excidii hujus præter Poëtas, qui paſſim, meminit etiam Dionyſ. lib. 1. Antiquit. eo loci, quo narrat adventum Herculis in Italiam. Et Ariſtides in Rhodiaca, ubi de Troja loquens, δὶς ἁλοῦσα· ἅπαξ μὲν ὑπὸ Ἡρακλέους, δεύτερον δὲ ὑπὸ Ἑλλήνων: *bis capta, ſemel ab Hercule, iterum ab Græcis.* Cerda.

644. Sic

Sic ô, sic positum adfati discedite corpus.
Ipse manu mortem inveniam. miserebitur hostis,
Exuviasque petet. facilis jactura sepulcri.

644. *Sic ô, sic positum adfati discedite corpus.*] Sensus talis est, Præstate mihi vos funebre solatium: hoc est, adfamini me. ut dici mortuis solet, *Vale, vale, vale.* Nam ideo, *positum*, & *corpus* dixit. *Servius.*

Corpus.] Non dixit vivum hominem, sed corpus scilicet ejus, qui non vivendi, sed moriendi cupidus esset. *Donat.*

Positum.] Lib. 4. *sic te ut posita crudelis abessem?* & lib. 11. *Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acœtes Servabat senior.* Germanus.

Positum.] Mortui dicuntur *positi.* ut cum positi sunt aut in feretro aut in pyrâ. Æneid. 11.

Corpus ubi exanimi positum Pallantis ——
Ovid. ad Liviam:

Tene ego sustineo positum scelerata videre. quomodo & Græci τιθέναι & τίθεσθαι, pro tumulo condere, & componi usurpant. *Taubm.*

Adfati.] Non quidem erat Anchises mortuus, sed se compellari pro mortuo cupiebat. Corpora enim ubi erant posita, accedebant & inclamabant, quod Epiphanius προσφωνεῖν τοῖς τεθαμμένοις appellat, utentes hac formula: *surge, ede, bibe, lætare*, &c. quæ erudite observavit Jac. Guther. l. 1. de jure manium c. 28. Kirchmann. de fun. l. 3. c. 9. *Emmeness.*

645. *Mortem.*] Hic ordo est, Ego inveniam mortem manu hostis: ille miserebitur & petet exuvias. *Servius.*

Ipse manu mortem.] Respondet, quæ possunt objici. *Donatus.*

Ipse manu mortem inveniam.] Circumlocutione τὸ διαχειρίζεσθαι reddidit: unde & αὐτόχειρ, hoc est, αὐτοθάνατος. & Sophocl. αὐτουργῷ χερί. Sic & Tacitus lib. 1. *Primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelici dextera & suo ictu mortem invenerit.* Ut autem hîc *miserebitur hostis*, Sophocl. in Tyr. θᾶμ' εἰσόψει τάχα τοιοῦτον, οἷον καὶ στυγοῦντ' ἐποικτίσαι. *Germanus.*

Ipse manu mortem inveniam.] Addidi *mea*, non secutus Servium: durum enim; *inveniam mortem manu hostis:* sed Donatum, sic explicantem: *ego me occidam.* Eadem mens Germ. qui unus pro multis: ait enim, Virgilium circumlocutione quadam reddidisse verbum διαχειρίζεσθαι, unde & αὐτόχειρ, id est, αὐτοθάνατος, *qui seipsum manu sua interficit.* idem sentit Jul. Scal. *Cerda.*

Miserebitur hostis.] Affectu ejus, qui cupiebat interimi, dixit: ut eum hostis, quasi miseratus, occideret. Sic Inix mater Euryali; *Aut tu summe pater divûm miserere, tuoque Invisum hoc detrude caput sub tartara telo, Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.* & , *Vos ô potius miserescite venti.* Alii sic exponunt & *Miserebitur*, id est, quod illi hostili animo fecerint, ego misericordiæ loco ducam. *Servius.*

Miserebitur hostis.] Q. d. Si ego deficiam, non deerit, qui me feriat. Et magno affectu dixit, *miserebitur hostis.* Q. d. Quod ille hostili animo fecerit, ego misericordiæ loco ducam. *Taubm.*

646. *Exuviasque petet.*] Quasi objectio, Sed spoliatum linquet cadaver: & responsio. *Servius.*

Exuviasque petet.] Ut hosti detracta spolia. Est autem hæc oratio viri prudentis, sed in re desperata mortem optantis, plena præfracti spiritus, obstinatique animi, sed φιλοπάτριδος. *Taubm.*

Facilis jactura sepulcri.] Aut secundum Epicureos, qui dicunt nil superesse post mortem: aut *facilis*, contemptibilis & levis sapienti viro, ut sit *jactura* dispendium: Aut hoc dicit, Facilis sepulturæ jactura est, quam potest ruina præstare. *Servius.*

Facilis jactura sepulcri.] In omnibus iis codicibus, quos præ manibus habui, *sepulcri* absque verbo *est*, scriptum animadverti. *Pierius.*

Jam pridem invisus divis, & inutilis annos
Demoror: ex quo me divom pater atque hominum rex
Fulminis adflavit ventis, & contigit igni.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra effusi lacrimis, conjuxque Creüsa,

Asca-

Facilis jactura sepulcri.] Ἀταφίαν non nulli flocci fecerunt. Epicurus negat τῆς ταφῆς φροντιεῖν sapientem, teste in ejus vita Diog. Laërt. Locum hunc Maronis exerit Seneca alibi in excerptis p. mihi 838. *insepultus jacebis; quid aliud respondeam, quam illud Maronis?*

—— *facilis jactura sepulcri.*

Si nihil sentio, non pertinet ad me jactura corporis insepulti: si sentio, omnis sepultura tormentum est. idem disputat. epist. 92. l. de benef. 5, c. 20. & Lucan. l. 7. Cultiores tamen nationes humo condi cadavera voluere, inde apud Horat. l. 1. od. 28.

At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ
Oßibus & capiti inhumato
Particulam dare. & sic paulo post:
Quanquam festinas, non est mora longa: licebit
Injecto ter pulvere curras. Emm.

647. *Inutilis annos.*] Ideo quia debilis fuisse dicitur post fulmen. *Servius.*

Annos demoror.] Quasi festinantes, diu vivendo detineo. *Idem.*

649. *Fulminis adflavit ventis, & contigit igni.*] Tria sunt fulminum genera: est quod afflat, quod incendit, quod findit. De hoc autem siluit. Fulminatus est autem Anchises, quia se cum Venere concubuisse jactabat. Sane afflatitii tactique dicuntur capti membris, ut *Tactus etiam ille, qui hanc urbem condidit Romulus.* Idem.

Adflavit ventis.] Bene dixit, quia scit non jaci fulmina, nisi cum flatu ventorum, ut in VII. *Tris imbris torti radios,* & sequentia. Sane de fulminibus hoc scriptum in reconditis invenitur, quod si quem principem civitatis, vel regem fulmen afflaverit & supervixerit, posteros ejus nobiles futuros & æternæ gloriæ. Fabula sane talis est. Cum inter æquales exultaret Anchises, gloriatus traditur de concubitu Veneris, quod cum Jovi Venus questa esset, emeruit, ut in Anchisem fulmina mitterentur, sed Venus eum cum fulmine posse vidisset interimi, miserata juvenem, in aliam partem detorsit: Anchises tamen afflatus igne cœlesti, semper debilis vixit. *Id.*

Fulminis adflavit ventis, &c.] Macrobius l. 4. Saturn. c. 3. pathos, ait, moveri misericordiæ, & quidem ea debilitate. *Emmeneß.*

650. *Perstabat.*] Livius ex Virgilio lib. 41. *Pertinacius Quintius incepto perstabat.* Cerda.

Fixus.] Immobilis sententia. *Donat.*

Fixusque manebat.] Similis pertinacia Philoctetæ apud Sophocl.

Οὐδέποτ' οὐδέποτ' ἴσθι τὸ δ' ἔμπεδον
Οὐδ' εἰ πυρφόρος ἀστεροπητὰς
Βρονταῖς αὐταῖς μ' εἶσι φλογίζων.
Nunquam hinc movebo,
Ne, si corusco, sævus
Me fulmine urat Juppiter. Cerda.

651. *Nos contra.*] Præpositiones, vel adverbia in *a* exeuntia, modo producunt ultimam litteram, excepto *puta,* & *ita:* quia apud Ennium & Pacuvium brevia sunt. Hinc est, quod etiam numerorum nomina indeclinabilia producuntur: ut; *Triginta magnos volvendis mensibus orbes.* Ea vero quæ declinantur, brevia sunt secundum rationem nominum in *a* exeuntium. *Servius.*

Nos contra.] Quia fuga esset salus petenda, & sine ipso fuga non erat, orabamus, ne universam domum, dum negat se fugiturum, perderet. Ergo omnia ex illius voluntate pendebant. *Donatus.*

Effusi lacrimis.] Pro *effusi in lachrymas.* Servius.

652. *Omnis-*

Ascaniusque, omnisque domus, ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque urgenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque & sedibus hæret in îsdem.
Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.
Nam quod consilium, aut quæ jam fortuna dabatur?
Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui;

Et

652. *Omnisque domus.*] Modo familia, alias domicilium: interdum re vera domum. *Idem.*

653. *Fatoque urgenti.*] Simile est ut *currentem incitare, præcipitantem impellere.* Idem.

Fatoque urgenti incumbere.] Magna emphasis in utroque verbo. simile illi, *Currentem incitare; præcipitem impellere.* Taubmannus.

654. *Sedibus.*] Præclare usus voce ambigua (viderunt jam alii) ut significaret, senem ita tenacem animo, ut erat corpore. *Cerda.*

655. *Rursus in arma feror.*] Quasi quodam doloris impetu, quod pater liberari non acquiesceret. *Servius.*

Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.] Literæ tam vocales, quam consonantes, accommodatæ rebus pronuntiandis, multum venustatis ferunt, præcipue in oratione ligata. Conveniunt ad exprimendum ejulatum muliebrem *o* & *u* in cæsuram incidentes,

—— *Gemituque & femineo ululatu.*

R crebro repetitum iram signat. sed de his J. Ger. Voss. l. 1. institut. poët. c. 8. Hic notabis *r* frequentius positum, quo bilis & dolor pugnaturi declaratur. *Emmeness.*

Mortem opto.] Contra fatorum vim: & matris auxilium. *Servius.*

656. *Nam quod consilium.*] Quasi veluerit regina audito. *Mortemque miserrimus opto,* sic responderet Æneas, *Nam quod consilium, aut quæ jam fortuna dabatur.* Idem.

Aut quæ jam fortuna dabatur.] In antiquis aliquot codicibus legere est, *aut mihi quæ fortuna.* Sed prior lectio magis recepta. *Pierius.*

657. *Mene.*] Probatæ pietatis filium. Nam pronomina habent vim suam, nonnunquam & emphasim: ut, *Cantando tu illum?* Sane, *mene efferre pedem genitor* & cætera, Rhetorice per deliberationem tractantur, an Æneæ, relicto patre, fugiendum sit. *Servius.*

Mene.] Invidiosa dictio, sed quæ plena esset pietatis, & ex affectu religioso profecta. Habet autem gravissimum pondus in pronominibus, ME & TE: ME? Scilicet filium tuum, cujus pietatem, officia, religionemque optime comprobasti. TE? qui sis pater meus, & probe noris quid patres liberis, ac patribus liberi debeant. TE? Qui senectute & morbo gravis sis, & quem ita relinquere, sit scelus hoc tempore, & hoc loco, ubi hostes sint & flamma. Potuisti ergo loqui, quod me faceret parricidam? *Donatus.*

Efferre pedem.] Locutiones tritæ *ferre, inferre, referre, efferre pedem*, de quibus consule Hadr. Cardinal. de L. L. *Emmeness.*

Posse.] Plus est, quam *velle.* Serv.

658. *Nefas.*] Scelus. *Idem.*

Excidit.] Bene excusat patrem, dicendo *excidit*; & ipsam temperat objurgationem. *Idem.*

Patrio excidit ore.] Pro eo Ovid. l. 7. Metam. ℣s. 171. —— *quod, inquit, Excidit ore pio, conjux, scelus?* —— Emmeness.

659. *Si nihil.*] Artificiosa oratio: nam

Et ſedet hoc animo, perituræque addere Trojæ
Teque tuoſque juvat: patet iſti janua letho.
Jamque aderit multo Priami de ſanguine Pyrrhus,
Natum

nam eſſet cauſa interitus omnium: & exemplo oſtendit affuturum, qui filium, nepotemque in ſuo conſpectu interimat, cum jam ea crudelitate uſus in Polyte ſit; qui nunquam patrem interemturus ſit, niſi prius cæſo filio. *Donat.*

660. *Et ſedet hoc animo.*] *Sedere* hîc eſt, firmiter rem hærere animo, ſic & in 5. *idque pio ſedet Æneæ.* & 7.

-- ubi certa ſedet patribus ſententia pugnæ.

Claudian. 1. Rap.

Certa requirenti tandem ſententia ſedit.

Plin. lib. 2. c. 7. *ſedere cœpit ſententia hæc.* Auctor Thebaidos: *Hoc animo ſedet.* hanc locutionem ter reperi in Ammiano, libris videlicet 18. 19. 24. Stat. 1. Theb.

Jam potior cunctis ſedit ſententia.

Eadem ratione *ſedem* pro firmo ac ſtabili rerum ſtatu auctores dixiſſe, notat Lævinus in Sueton. ex Suetonio ipſo, & Horatio. Quod autem Virgilius, *ſedet animo.* Catull. *cordi eſt.* Et Livius lib. 23. *Id Deis cordi non eſſe.* & Sidonius in Burgo,

——— *cordi eſt, ſi jungere greſſum.*

Forma alia Livius lib. 43. *ſtat ſententia non minuere copias.* Herodotus lib. 1. dixit, τί σοι ἐν νόῳ ἐστὶ ποιέειν· *quid tibi in animo eſt hoc ita facere.* Itaque locutus Virgilius ex Græco fonte. *Cerda.*

Et ſedet hoc animo.] Ita Seneca Theb. act. 1. ——— *hoc animo ſedet*

Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam. —— Taubm.

Perituræ.] Bene *perituræ* dixit non *perditæ*, quia adhuc poſſe videatur evadere per ſuam & Anchiſæ fugam; ideo amet addere tanquam magnam portionem exilio Trojæ genus Anchiſæ conjungeret. *Servius.*

661. *Juvat.*] Delectat. Quaſi malum illi voluptati ſit. *Idem.*

Patet iſti.] Apocope eſt, pro *iſtic.* Pronomen enim eſſe non poteſt, quia non præcedit nomen. *Idem.*

Patet iſti janua letho.] In Mediceo codice, & aliquot aliis antiquis legere eſt, *iſtic* adverbialiter, ut dicat non eſſe alio diſcedendum, ſi omnes velit perdere: Quia jam aderit Pyrrhus: qui eum voti conpotem reddet: Qui natum ante ora patris, patrem qui ad aras obtruncabit. *Pierius.*

Patet iſti janua letho.] *Janua* hîc eſt cauſa interitus, & commoda opportunitas, lepida tranſlatione. perinde ac ſi diceret: Si Dii nos volunt perdere, & id tibi placitum, nulla major opportunitas, quam hæc. Lucret. lib. 5.

—— *lethi præcluſa eſt janua cœlo.*

Repetit bis aut ter. Arnob. lib. 2.

—— *Omnis enim paſſio lethi atque interitus janua eſt.* iterum:

Rurſus vero ſi animæ lethi adeunt januas.

Turcius Ruffus:

—— *patuit qua janua letho.*

Sic *limen.* Lucret. l. 2.

—— *Lethi jam limine ab ipſo.*

Et lib. 6.

Languebat corpus lethi jam limine in ipſo.

iterum:

Et graviter partim metuentes limina lethi.

Dixi hæc ex obſervatione Gifan. in Collectan. ad Luc. Ab hac tranſlatione non diſſidet, τὰς αἰσθήσεις appellari θύρας. ſunt enim ſenſus, quædam animorum fores. Noto etiam, locutiones has mere eſſe Poëticas, ex verbis Platonis lib. 1. de Repub. ὃ δὴ ἐπὶ γήρως οὐδῷ φασὶν εἶναι οἱ ποιηταί: *quod eſſe in ſenectutis limine Poëtæ ajunt.* Cerda.

Janua letho.] Sic Sil. Ital. 9.

—— *quam janua mortis*
(Quod patet) & vitæ non æqua exire poteſtas. Emmeneſſ.

662. *Jamque aderit, &c.*] Putant interpretes alluſum ad locum Eurip. hunc in Hecuba:

Ἥξει δ᾽ Ὀδυσσεὺς ὅσον οὐκ ἤδη,
Πῶλον ἀφέλξων σῶν ἀπὸ μαζῶν,

Ἔκ τε

Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis
Eripis,

Ἔκ τε γεραιᾶς χειρὸς ὁρμώμενον·
Veniet vero Ulysses jam jam,
Pullum abstracturus tuis à mammis,
Exque senili manu vi ablaturus.
Cerda.

Jamque aderit multo Priami de sanguine.] In codicibus aliquot, mutato numero, legitur, *Jamque aderit Priami multo de sanguine.* Sed vulgata lectio longe venustior habetur iis, qui dactylum & spondeum alternos amant. *Pier.*

Multo Priami de sanguine.] Quasi bis sanguinem fuderit Priamus, quia & filium ejus Pyrrhus occiderit. * *Serv.*

663. *Natum ante ora patris.*] His rebus terret eum, qui non potest mortem timere. *Idem.*

Natum.] In antiquis pene omnibus exemplaribus, *gnatum* cum *g* littera præposita legas: & ita Veteres scribere solitos ostendit Victorinus, dum dicit: Nos quædam paucioribus litteris scribimus, quam antiqui scribebant, ut *Narus*, *Natus*, *Navus*, *Nosco*: Nam illi has voces & similes istis *g* interposita scribebant. Cujus rei vestigia nos retinemus, cum scribimus *Ignarus*, *Cognatus*, *Ignavus*, *Cognosco*. Pierius.

Obtruncat.] Obtruncare consuevit. *Servius.*

Patrem qui obtruncat ad aras.] Vetera quædam exemplaria legunt, *patremque obtruncat.* Sed pronomen illud relativum majoris omnino ponderis est. *Pierius.*

664. *Hoc.*] Ideo. *Servius.*

Hoc erat, alma parens.] Ostendit materna beneficia converti in perniciem. *Donatus.*

Hoc erat, alma parens.] Prima hujus carminis dictio novos & veteres Grammaticos varie torquere consuevit. Priscianus in hunc locum, Reliquis quoque casibus vetustissimi addebant eandem *ce* syllabam, ut *hicce*, *hæcce*, *hocce*. Unde vocali quoque sequente ablata per synalœphen manentibus duabus *cc* solebant producere. Virgilius, *hocce erat alma parens.* Sed scriptorum negligentia prætermisit unum *c*. Dixerat vero prius idem hoc Velius Longus, qui dubitat versum esse acephalum, si *Hoc* unico *c* scribatur. Sed enim nullum ego ex antiquis codicibus adhuc inveni, in quo sit *hocc* duplicato *cc* notatum. Passim vero *hoc erat.* quo æquior sum Terentiano & Probo, *c* finalem in pronominibus producendi vim asserentibus habere, ut alio loco commodius disputatum est. Nam & Sosipater Carisius ultimum positionis modum ait, quum dictio definit in consonantem *c*, qua pars orationis finitur, & excipitur à vocali, ut *hoc erat, alma parens.* Ne vero mirum sit, quæri à Grammaticis, utrum *hoc*, an *hocc*, an *hocce*, apud Poëtam sit dicendum: quærit quid hujusmodi in Cicerone Fabius. Quippe cur *Hosce* potius quam *Hos* eo loco dixerit, *Neminem vestrum ignorare arbitror, Judices, hunc per hosce dies sermonem vulgi, atque hanc opinionem populi Romani fuisse.* Pierius.

Hoc erat, alma parens.] Ita Propert. lib. 2.

Hoc erat, inprimis quod me gaudere
jubebas.

Prisc. legit, *Hocce*, ne versus sit scil. ἀκέφαλος. Contra quem erudite disputat Nic. Erythæus. Est autem, auctore & verbis *Scalig. l.3. c.26.* in apostrophe & in Interrogatione tanta efficacia, ut subsilire faciat animum Auditoris. Quæ ubi conjunctæ sunt, nihil deest ad summam vim. Cum enim lego illa ex 2. Æn. cæteras omnes mihi excutiunt cogitationes, *Hocce erat, &c.* Sane & Scaliger *Hocce* legit: & ego malim, non, ut numeri aliter deficiant; sed ut sic plenior & robustior sit pronunciatio, in tali præsertim adfectu. *Taubm.*

Hoc.] An per duplex *cc* sit scribendum, propter Synalœpham, cum voca-

 lis

Eripis, ut mediis hostem in penetralibus, utque
Ascanium, patremque meum, juxtaque Creüsam,
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma: vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais: sinite instaurata revisam
Prælia. numquam omnes hodie moriemur inulti.

Hic

lis absorbetur posterior, disputat Dausquius vol. 2. orthogr. *Emmeness.*

Quod.] Propter quod. *Servius.*

667. *Alterum in alterius.*] Simili lusu ab Virgilio Ovidius, Tibullus, Propertius. Primus, 4. Trist. eleg. 4.

Alter ab alterius funere mœstus erat.

Secundus lib. 4.

—— *alter & alterius vires necat aër.*

Tertius lib. 1. eleg. 5.

Alter in alterius mutua flere sinu.

Hinc est, ut in 3. Æn. aliqui legant:

Alter & alterius sequitur de cortice sanguis.

Ubi ego tamen *ater* retineo ex consensione librorum. Cur enim hærentem lectionem commutem facile quavis afflante aura? Seneca dixit, *Alter alterius manu cæsi.* de Provid c. 2. &, *Alter in alterius exitium levi compendio ducitur*, lib. 2. de Ir. c. 7. *Cerda.*

Cernam.] Ad omnia pertinet, & propterea non semel accipiendum est. *Donatus.*

668. *Arma, viri, ferte arma.*] Notant hoc Critici, quia sæpius armari aliquos dicit, cum exarmatos nusquam ostendat: qui nesciunt non omnia à Poëta (ut supra diximus) dici debere. Nam & diem describit, nocte non præmissa. Superfluo enim dicuntur ea, quæ necesse est fieri. Quis enim domum ingressus, non arma deponat. Vel quia ad auferendum patrem arma deposuerat, vel quia armis Græcorum fuerat armatus. *Servius.*

Arma, viri, ferte.] Conabatur flectere patrem in suam sententiam, cum filii periculum cerneret. *Donatus.*

Vocat lux ultima victos.] Id est, victis moriendum est. *Servius.*

Vocat lux ultima victos.] Ut intelligat non sumi arma ad salutem, sed ad mortem: nec inde aliud sperari, quam aliquam ultionem. *Donatus.*

669. *Reddite me Danais.*] Vel quibus me eripuit mater, vel tanquam quærentibus, & invenire cupientibus, & bene *Reddite* quasi retineatur, nam ideo ait *finite.* Servius.

Instaurata.] Renovata. quod verbum & de feriis & de scenis solebat apud veteres usurpari. *Idem.*

670. *Numquam.*] Pro *non*; Ut, *Numquam hodie effugies.* Idem.

Numquam.] In Mediceo & codicibus aliquot antiquis, *nusquam* habetur, hoc est, quocunque loco cadere contigerit, haud quaquam inulti moriemur, Sed *numquam* Donatus agnoscere videtur. Hujus vero sententiæ similitudo locum memoriæ subjicit apud Livium, aliqua dignum animadversione, Libro quinto de 11. bello Pun. *Utrum præsenti torpore pecorum modo inulti trucidentur.* Quod in veteri codice legitur, *utrum præbentes corpora pecorum modo inulti trucidentur.* Pierius.

Numquam omn. hod. mor. inulti.] Tale quid apud Æschylum in Agam. οὐ μὴν ἄτιμοί γ᾽ ἐκ θεῶν τεθνήξομεν. *Germ.*

Moriemur inulti.] Ita Statius 1. Theb. *patiemur inulti.* Ovid. de Fabiis, 2. Fast.

—— *sic non moriuntur inulti,*
Vulneraque alterna dantque feruntque manu.

Livius de Lucio Siccio, qui Decemvirorum fraude à militibus in itinere occisus fuit: *haud inultum interfecere.* Florus lib. 3. c. 22. *Ne inulti perirent, sanguine Senatus sibi parentabant.* Cerda.

Hodie moriemur inulti.] Vindicta animo

Hic ferro accingor rursus, clipeoque sinistram
Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem conplexa pedes in limine conjux
Hærebat, parvumque patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum:
Sin aliquam expertus sumtis spem ponis in armis,
Hanc

mo exacerbato nihil exoptatius, rebus præcipue desperatis. Juv. Sat. 13. *vs.* 181.

At vindicta, bonum vita jucundius ipsa.

Inde Geta Terentianus Ad. 3. 2. 15. satis se id sibi habere supplicii, dixit, modo ulcisceretur. nec *hodie* tam tempus significat (nam dictum hoc nocturno tempore) quam comminationi inservit. Vide Donat. ad Ter. A. 1. 2. 25. & plus asseverationis habet *numquam hodie*, quam *non hodie*. eodem interprete teste A. 1. 4. 7. *numquam hodie tecum commutaturum patrem unum esse verbum.* Emmeness.

671. *Hic ferro accingor.*] Quoniam ne his quidem dictis motus erat. *Donat.*

Hic ferro accingor rursus, clipeoque sinistram Insertabam.] In antiquis exemplaribus legere est, *hinc ferro adcingor.* *Et clupeo* per *u*. Sed per *i* potius, ex Cornelii Frontonis sententia scribendum videtur. De armis enim est sermo. Sed enim hæc levia: illud me potius moveat, quod antiquissimi quidam codices legunt *clipeumque sinistræ insertabam.* pro, *clipeoque sinistram insertabam*: Donatiana præsertim paraphrasi cum antiqua lectione faciente Ita enim est, Jam induebam scutum humero meo. *Pierius.*

Clipeoque sinistram.] Hunc versum explanat Cæl. Rhodig. lib. 10. cap. 4. ubi docet: illud scuti lorum, annuli vice, inter quod, & ipsum scutum, insertamus manum, *insertorium* dici. *Taubmannus.*

672. *Insertabam.*] Cunctationem ostendit hoc verbo ejus, qui nec ire ad prælium velit, nec domum relinquere, sic & *Ferebam*, dixit. *Servius.*

Clipeoque sinistram insertabam.] Clipeus ex sinistra propendebat parte, ut hostem dextra libere aggrederentur. vide Feith. antiq. Homer. l. 4. c. 8. ut hoc loco *insertare clipeo*, sic apud Stat. Theb 5.

—— & artis
Arma inserta toris.

Emmeness.

673. *Ecce autem.*] Pathos ab habitu uxoris, & ætate pueri: de quo Macrobius l. 4. c. 3. Et est muta persuasio, quæ non verbis fit, sed rebus. Plus enim quandoque spectacula movent, quam verba. *Taubm.*

674. *Patri.*] Melius patri, quam mihi. *Servius.*

Patri.] Non dixit, mihi, sed patri: ut si maritum non flecteret, saltem patrium affectum moveret. *Donatus.*

Tendebat.] Offerebat: sed non manibus eum gestans. *Servius.*

Patri tendebat.] Desumpta ex 6. Iliad. ubi Andromache, ut maritum à prælio remoretur, filium patri in sinu ostendit: huic adde exemplo orationem Texenæ, quam Justinus habet l. 23. c. 2. *Emmeness.*

675. *Si periturus abis.*] Argutum dilemma, id est, complexio, quæ adversarium ab utraque parte concludit. *Servius.*

Et nos rape in omnia tecum.] Recte notat Germanus, signari hic uxores, quas αὐτάνδρους & συνάνδρους vocant Græci. Sunt istæ, quæ omnem fortunam cum viro experiuntur. *Cerda.*

676. *Expertus.*] Quidam participium præteriti temporis, sed vim præsentis habere volunt, quia præsens deficit. *Servius.*

Hanc primum tutare domum. cui parvus Iulus,
Cui pater, & conjux quondam tua dicta relinquor?
Talia vociferans gemitu tectum omne replebat:
Cum subitum, dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter, mæstorumque ora parentum,

Ecce

677. *Tutare domum.*] Hoc est, cui defensori relinquimur, si tu deseris. *Serv.*

Cui parvus Iulus.] Interrogantis est: & simul epitheto commendat ætatem. *Idem.*

Cui parvus Iulus, Cui pater, & conj. &c.] Efficacissima hæc ad movendum. proponit enim puerum, senem, fœminam, imbelles omnes. Eodem argumento Penelope revocare Ulyssem nititur apud Ovid. Maroniana forte imitatione:

Tres sumus imbelles numero, sine viribus uxor,
Laërtesque senex, Telemachusque puer.

dixit salse Naso, graviter Maro. *Cerda.*

678. *Conjux quondam tua dicta relinquor.*] *Quondam*, aut aliquando significat: quasi nunc uxor non sit, quæ relinquitur. Aut *quondam* semper significat; ut in Georgicis, *Quod quondam in stipulis magnis sine viribus ignis.* Et est sensus, quam semper conjugem nominasti. Haberi enim quævis poterat: nominari non nisi nobilis. Et bene ex ductu literarum, quod eventurum timet, quasi jam contigerit, deflet, se autem ideo ultimam facit, quod ipsa loquitur, diversam autem ætatem pueri, senis, & fœminæ, ad miserationem commovendam videtur objicere. *Servius.*

Quondam tua.] Nam si discedam, non potero esse deinceps tua. *Donatus.*

Quondam tua dicta.] Quasi nunc uxor non sit, quæ relinquitur. Propert. l.2. c 7.

Nec mea dicetur, quæ modo dicta mea est. Taubm.

679. *Vociferans.*] Non solum verbis, verum etiam gemitu ostendens. *Donatus.*

Replebat.] Veteres aliquot codices, *replevit* legunt. Sed *replebat* melius esse judicant eruditi. *Pierius.*

680. *Subitum.*] Pro *subito*, adverbium est ordinis secundum veteres. *Servius.*

Cum subito.] Talis est locus iste, qualis est, *Talia jactanti stridens aquilone procella.* Item, *Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur, &c.* Item, *Talia fundebat lacrimans, longoque ciebat incassum fletus.* Nam incerta & insperata innectit, non expectans verbosum finem. *Donatus.*

Subitum.] Veteres aliquot codices, *subito* habent. Sed *subitum* interpretes agnoscunt. *Pierius.*

Oritur.] Oriuntur divina * ut Sol ideo & quia dicuntur *oritur.* Servius.

Mirabile monstrum.] Τῶν μέσων est: & à monstrando, id est, monendo dicitur. Et refertur ad præsens ejus significatio. *Prodigium* vero est quod in longum tempus dirigit significationem. *Idem.*

Mirabile.] Nam fiebant multa contra naturam, ut flamma, quæ tangebat, ac non ureret. *Donatus.*

681. *Manus inter.*] Mutavit accentum præpositio postposita. Sane *inter* plerumque præponitur. Sed raro apud Virgilium; ut, *Hunc inter fluvio Tyberinus amœno.* Bona autem œconomia ad Iülum venit, dicens eum fuisse inter manus parentum. *Inter manus* autem, hoc est, inter amplexus. Non enim possumus eum illo tempore portatum dicere, quem & mox pedibus patris comitem fuisse, & post septem annos bella tractasse. *Servius.*

Namque manus inter.] Perperam *inter manus* pro *per manus.* Non adeo displicet interpretatio Servii: *inter manus,*

esse

Ecce levis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lam-

eſſe inter amplexus, &c. Aliam tamen expoſitionem deſiderant illa Plauti. Moſtell. 2. 1. 38. *abripite hunc intro actutum inter manus*, & Phædr. l. 5. f. 8. dextram fregit tibiam, &c. *inter manus ſublatus*, id eſt, manibus portatus è theatro. Scioppium adi l. 3. ſuſpect. lect. epiſt. 5. *Emmeneſſ.*

682. *Levis.*] Pro leviter. *Servius.*

Ecce levis ſummo de vertice, &c.] Ignis regium ſæpe præſagium fuit, & hîc futuram, & regalem Aſcanii dignitatem notavit. Inde facta magna illa animorum commutatio, nam Anchiſes, ut vidit Aſcanium futurum Regem, alacer factus eſt ad fugam, reliquique omnes ſpem eandem concepêre. Firmat hoc hiſtoria Servii Tulli Romani Regis. Plin. lib. 2. cap. 107. *Servio Tullo dormienti in pueritia, ex capite flammam emicuiſſe.* Copioſior Plutarch. de Fortun. Rom. σημεῖον δὲ χρηστὸν ἐπὶ ἀπροσδόκητον ἡγεμονίαν, ἧς ἔτυχε: *bonumque indicium inſperati regni, quod obtinuit.* Huc trahenda narratio de ſimili prodigio Laviniæ, quam per initia 7. Æneid. Virgil. exſequitur. Nec non illa Plinii lib. 2. cap. 27. de Stellis Caſtoribus: *Hominum quoque capita veſpertinis hiſtoriis magno præſagio circumfulgent.* Atque etiam Livii de Marcio duce lib. 25. ad finem, *flammam ei concionanti fuſam è capite ſine ipſius ſenſu cum magno pavore circumſtantium militum.* Tale quiddam de flamma, non urente, legas inter prodigia, relata ab eodem Livio lib. 43. his verbis: *Fregellis in domo L. Atrei haſta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arſiſſe, ita ut nihil ejus ambureret ignis, dicebatur.* Lege verſus Claudiani in 4. Conſul. Honorii:

—— *ventura poteſtas*
Claruit Aſcanio, ſubita cum luce comarum
Innocuus flagraret apex.

In his omnibus vides, aut regiam dignitatem indicari, aut certe excellens quiddam & maximum. Non abiit à prodigio Virgilii ſimile Eurip. in Medea, non in re felici, ſed cui hæſiſſe in ſuo potuit Latinus Vates:

Χρυσοῦς μὲν ἀμφὶ κρατὶ κείμενος πλόκος
Θαυμαστὸν ἵει νᾶμα παμφάγου πυρός.

Cerda.

683. *Fundere lumen apex.*] Proprie dicitur in ſummo flaminis pileo virga lanata; hoc eſt, in cujus extremitate modica lana eſt: quod primum conſtat apud Albam Aſcanium ſtatuiſſe. Modo autem ſummitatem pilei intelligimus. Tangit namque, ut frequenter diximus, latenter hiſtoriam. Item hoc quoque igni, ad Servium Tullum pertinet. Nam quum Tarquinius cepiſſet Oriculanam civitatem: ex captiva quadam in domo ejus natus eſt Servius Tullus Hoſtilius; qui cum obdormiſſet, caput ejus ſubito flamma corripuit. Quam cum vellent reſtinguere: Tanaquil, regis uxor, auguriorum perita, intelligens augurium, prohibuit. Flamma puerum cum ſomno deſeruit. Unde intellexit eum clarum fore uſque ad ultimam vitam. Sane perite lucem dixit, non ut in ſeptimo, *Tum fumida lumine fulvo.* Nam & illic ſplendor quidem eſt: ſed cum fumo, qui ſemper cauſſa lacrimarum eſt. In Aſcanio autem ſolus oſtenditur ſplendor. Suetonius tria genera pileorum dixit, quibus ſacerdotes utuntur, *apicem, tutulum, galerum.* Sed *apicem* pileum ſutile, circa medium virga eminente: *tutulum* pileum lanatum metæ figuræ: *galerum* pileum ex pelle hoſtiæ cæſæ. *Servius.*

Tactuque innoxia molli Lambere flamma comas.] In antiquis aliquot codicibus, *mollis* legitur. Ut vel *mollis comas* dicas, vel *mollis flamma*, tactu innoxia. Sed enim Donatus in Paraphraſi ſua pueriles ait comas, perindeque mollis ac teneras: Cum Donato eſt codex ve-

Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, & sanctos restinguere fontibus ignis.
At pater Anchises, oculos ad sidera lætus
Extulit, & cælo palmas cum voce tetendit:
Juppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,

Aspice

tus Camilli Porcii, in quo *molles* omnino legitur. *Pierius.*

Tactuque innoxia molli Lambere, &c.] Similem descriptionem, & fortasse ad imitationem Maronis habes in Valer. Flac. 1. Argon.

—— *ingenti flammantem nubila sulco*
Direxit per inane facem, quæ puppe propinqua
In bifidum discessit iter, fratresque petivit
Tyndareos: placida & mediis in frontibus hæsit
Protinus amborum, lumenque innoxia fudit
Purpureum.

Ut autem *lambere* de igni, sic Lucret. lib. 2. simillima tralatione:

—— *Ignes celeri flamma degustant ligna.*

& lib. 5.

Ignis enim superavit, & lambens multa perussit.

id est, ambedens. Non recte aliqui legunt *ambiens.* Horatio Satyr. 5. lib. 1 5. Maronianum placuit,

—— *per veterem dilapsa flamma culinam*
Vulcano, summum properabat lambere tectum. Cerda.

684. *Circum tempora pasci.*] *Pasci*, crescere: ut, *Sacrum tibi pascere crinem.* Sunt autem hic infiniti pro indicativis. *Servius.*

Pasci.] Simili tralatione de igne Strabo, lib. enim 6. loquens de Ætna, ἔοικε δὲ λαμβάνειν μεταβολὰς πολλὰς τὰ ἄκρα τοῦ ὄρους διὰ τὴν νομὴν τοῦ πυρός: *Montis culmina multas suscipiunt mutationes ab pastu ignis.* Cerda.

686. *Sanctos restinguere.*] Religiosos: Non quos tunc sacros sciebant: sed quos mox probaturi sunt. Et bene *fontibus* non aquis. *Sanctos* vero ut venerabilius fieret, sane *Sanctum* est interdum non idem, quod sacrum, neque idem quod religiosum, interdum non aliud quam sacrum, hic ergo *sanctos* sacros accipiemus, quippe quo loco auspicia fierent, sicut ex Anchisæ persona ostenditur, cum dicit, *Oculos ad sidera lætus Extulit:* &, *Da deinde pater auxilium atque omina firma.* Aliter *sanctum* accipi per singula loca dicitur. *Serv.*

687. *At pater Anchises.*] Et hic & alibi Anchisen divinandi peritum inducit. *Idem.*

Pater Anchises.] Apud quem cælestium rerum scientia erat. *Donatus.*

Oculos ad sidera.] Contra opinionem Theocriti, qui eum cœcatum fuisse commemorat. *Servius.*

Anchises oculos ad] Aut revera *oculos*; aut, si cæcus fuit, adfectu & gestu habitum eum repræsentavit. *Taubm.*

688. *Et cœlo palmas cum voce tetendit.*] Fugæ defensio est, ut videatur non solum utilis & necessaria, sed & honesta, quoniam divina suadebant: nam & ideo inducitur noluisse, ut quod vincitur & consentit argumentum voluntatis divinæ sit. *Servius.*

Cœlo.] In codicibus aliquot antiquis, *ad cœlum palmas* legitur. Ut illud, *Ad cœlum tendens ardentia lumina.* Præterea non nihil decoris habere videtur repetitio illa: *Oculos ad sidera, ad cœlum palmas.* Sicui tamen placeat, quod in Mediceo codice est *cælo*, Octavus casus, ut figuratior elocutio, non laboro. *Pierius.*

689. *Si flecteris.*] Aut secundum Stoicos

Aspice nos; hoc tantum: &, si pietate meremur,
Da deinde auxilium, pater; atque hæc omina firma.
Vix ea fatus erat senior: subitoque fragore
Intonuit lævum, & de cælo labsa per umbras
Stella

Stoicos locutus est, qui fati asserunt necessitatem: aut secundum Epicureos, qui dicunt deos non curare mortalia. *Servius.*

690. *Aspice nos.*] Quia intuentes dii juvant. Nam de Jove in x. libro sic ait, cum in Africa esset Æneas: *Et Libyæ defixit lumina regnis, Et* contra, *Diva solo fixos oculos aversa tenebat.* Aut secundum Mathematicos, quod, quidquid Jupiter irradiaverit, felix facit: unde est, *Atque oculos Rutilorum rejicit arvis.* Idem.

Aspice nos.] Possit hærere aliquis, an legendum *respice.* Nam hoc verbum potissimum sedem habet inter ea, quibus precatio fiebat ad superos, quod testimonio Ovidii, Tullii, Plauti, Terentii, & aliorum Brissonius firmat. Lege illum. Sed tamen retinenda lectio: in Pindaro enim od. 6. Pyth. in precationibus legas, εὔχομαι βλέπειν, *precor me aspicias.* Cerda.

691. *Atque hæc omina firma.*] Secundum Romanum morem petit, ut visa firmentur. Non enim unum augurium vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili. Nam si dissimilia sint posteriora, solvuntur priora. Unde est, *Quantum Chaonias aquila veniente columbas.* Nam aquila sine dubio columbis plus potest. *Servius.*

Atque hæc omina firma.] Ad morem Romanorum petit firmari omina: quibus omen unum, & augurium non videbatur satis habere ad persuadendum fidei. Proinde ad confirmationem prioris augurii, secundum poscere solebant. Et, si dissimilia erant posteriora, solvebant priora. Servius & Turn. l. 13, 16. Vide & Not. Æn. 8.

—— *& propius tua omina firmes.*
Taubm.

692. *Fatus erat.*] Proprietatem disciplinæ secutus, quod Augurum effata dicuntur. *Servius.*

Vix ea fatus erat.] Ostenditur ex hoc magnum Anchisæ meritum. *Donatus.*

Subitoque fragore.] Signate, nam nubes tonitru frangi dicitur. Plin. lib. 2. c. 43. *Spiritum nube cohibitum tonare, natura strangulante sonitum, dum rixetur, edito fragore, cum erumpat.* Cerda.

693. *Intonuit lævum.*] Sinistrum, prosperum: quia cæleste est. *Sinistrum* autem à sinendo, quantum ad auguria pertinet: quod nos agere aliquid sinat; unde alibi, *Si quem numina læva sinant.* Sed hoc loco pontificalis inducitur disciplina. Nam ostendit Anchisen cum vellet fugam filii sequi, omine quod de Ascanii * pro capite auspicii se obtulit, à diis commotum, petisse de cœlo confirmationem, subjungit enim, *Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore Intonuit lævum:* Prosperum, quia sereno cœlo sive audita, sive visa fuerint, quod hic utrumque ostendit, *Subitoque fragore Intonuit lævum,* quod ad auditum scilicet pertinet. Iterum adjunxit, quod ad visum pertinet: *Et de cœlo labsa per umbras Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit.* Hoc autem auspicium cum de cœlo fit, verbo Augurum *maximum* appellatur. Sinistras autem partes Septentrionales esse, Augurum disciplina consentit, & ideo ex ipsa parte significatiora esse fulmina; quoniam altiora & viciniora domicilio Jovis. *Servius.*

Intonuit lævum.] Sinistra auguria prospera esse docuit Serv. Ecl. 9. ✝︎f. 15.

Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix.

Adde illud Stat. l. 3. Thebaid.

Signa feras, lævusque tones, tunc omnis in astris
Consonet arcana volucris bona murmura lingua.

De

Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam, summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idæa claram se condere silva,
Signantemque vias: tum longo limite sulcus
Dat

De Auguriis lævis ex consuetudine Romanorum Cic. l. 12. de Divinat. c. 39. Grajis vero & barbaris dextra auguria meliora. *Emmeness.*

De cœlo labsa per umbras.] Docte notat Germanus, cadentis stellæ omen veteribus faustum fuisse, ex Theocrito, Homero, Apollonio. Subjicio ego Aristidem orat. 3. sacror. sermon. ἀστέρα λαμπρὸν διάξαι δι' ἀγορᾶς κυροῦντα τὴν θυσίαν· οὕτω θαῤῥήσας ἔθυσα: *splendida per forum visa est transilire stella, quæ sacro subscriberet. Itaque audacter sacrificavi.* Herodotus lib. 3. simili felicitate de Dario loquitur, ad ejus equum hinnientem, & currentem: ἀστραπὴ ἐξ αἰθρίης καὶ βροντὴ ἐγένετο, *sereno cœlo fulgur emicuit, & tonuit.* His contrarium legas in Artemidoro lib. 2. c. 28. apud quem, οὔτε δὲ καταπίπτοντες ἐπὶ γῆν οἱ ἀστέρες εἰσὶν ἀγαθοὶ, οὔτε ἀφανιζόμενοι· πολλῶν γὰρ ὄλεθρον μαντεύονται: *neque cadentes in terram stellæ, neque disparentes bonæ sunt: multorum enim perniciem præsagiunt.* Locum Plinii è lib. 2. c. 26. quo aliqua Poëtæ in hoc loco explicari videntur, jam Beroaldus indicavit. *Cerda.*

694. *Facem ducens.*] Lumen, quod utique ex facibus nascitur. *Servius.*

Facem ducens.] Lucret. lib. 2. dixit, *longos flammarum ducere tractus.* & Valer. 1. Arg. *direxit per inane facem.* Fax ista est, quam alii aut crinem, aut comam vocare solent. Artemidorus dicto loco, ἀστέρες πωγωνίαι, *barbatæ stellæ.* Ibidem quæpiam indicat de mutuo respectu stellarum, ad capillos, & caput. *Cerda.*

Stella facem ducens.] Dixeris hanc periphrasin Cometæ, qui lucidam caudam post se trahit, & tandem labitur, ut 1. Georg. ℣s. 365. Vide. *Sæpe etiam stellas, &c.* Taubm.

Multa cum luce cucurrit.] Nunc theologicam rationem sequitur, quæ asserit flammarum, quos cernimus tractus, nimbum esse descendentis numinis. Alibi physicam: ut, *Vento impendente videbis, Flammarum longos à tergo albescere tractus.* Servius.

Cucurrit.] Alludit ad Græcorum appellationem, qui hujusmodi stellas διάττοντας appellant. Cæterum lucem capit hic locus è Plinio lib. 2. c. 26. ubi ejusmodi sive *lampades*, sive *bolides* describuntur. Et potest fieri, ut sit allusum ad stellam, quæ à nece Julii Cæsaris septem diebus perpetuis fulsit, auctore Suetonio. Sed vide mihi Jos. Scaligerum, lib. 1. Manilii. *Taubm.*

695. *Super labentem.*] Quidam hoc verbum unam partem orationis esse tradunt. *Servius.*

696. *Idæa claram se condere silva.*] Stellæ hujus cursus, significat Trojanos, conglobatos ad domum Æneæ, Idam petere. Quod dicit, *Multa cum luce:* Ostendit claros. Quod *Signantemque vias:* Scintillas quasdam dicit relictas, quæ ostendunt remansuros in diversis partibus socios. Quod, *Longo limite:* Ostendit errorem. Quod, *Sulcum* dicit, significat, *longum maris æquor arandum.* Quod ait, *Sulfure fumant:* divini ignis odor ostenditur. Fulgura enim odor sulphuris sequitur. Ex fumo autem mors Anchisæ cognoscitur, sicut ejus oratio sequens indicat, *Et tenuis fugit seu fumus in auras. Cedo equidem.* Quasi dicat, licet me sciam moriturum, & bene quod divinarit Anchises, totum ei conceditur. Quidam *fumum*, bellum quod in Italia futurum erat, significari tradunt. *Idem.*

697. *Limite.*] In plerisque veteribus codicibus, *lumine* pro *limite* suppositum est, sed probatiora omnia exemplaria

Dat lucem & late circum loca ſulfure fumant.
Hic vero victus genitor ſe tollit ad auras,
Affaturque deos, & ſanctum ſidus adorat.
Jam jam nulla mora eſt. ſequor, &, qua ducitis, adſum.
Di patrii, ſervate domum, ſervate nepotem:
Veſtrum

plaria *limite* habent. *Pierius.*

Sulcus.] Ammianus lib. 21. *ſiderum ſulci.* Cerda.

698. *Loca fulfure fumant.*] Scribit Plin. fulgura habere odorem ſulphuris. Philoſtratus in vita Scopeliani, τὸ τῶν σκηπτῶν πῦρ δριμὺ καὶ θειῶδες: *Ignis fulguris acer eſt, & ſulphureus.* Inde illud Perſii explicatur:

—— quia cum tonat, ocius ilex
Sulfure diſcutitur ſacro.

Idem.

699. *Victus genitor.*] Quaſi pertinax & à priſtino propoſito recedens. *Serv.*

Se tollit ad auras.] Verbum augurum: qui, viſis auſpiciis, ſurgebant ex templo; unde *extemplo.* Idem.

Tollit.] Dictum ex augurum diſciplina, qui obſervatis auſpiciis, ſtatim de templo, id eſt, augurali loco, recedebant. Inde natum adverbium, *extemplo.* Sunt qui hîc legant *aras*, nam ſtatim ſequitur, *affaturque Deos.* Cerda.

Ad auras.] In codicibus aliquot antiquis, quippe Mediceo, & aliquot aliis, legere eſt, *ad auras:* In aliis quibuſdam *ad aras.* Ut etiam in Donatiano, quod forte non diſpliceat, quia ſequitur, *Adfaturque deos.* Sed & *in auras*, veteres habent codices aliquot. *Pierius.*

700. *Affaturque Deos.*] Agit diis gratias, vel certe invocat, *Jam jam nulla mora eſt*, &, *Cedo equidem*, oſtendit eum Æneæ dictis conſenſiſſe. *Servius.*

Affatur.] Eſt qui monuerit, *affari Deos*, in Virg. eſſe, implorare atque obteſtari Deos. in 9.

Ipſa Deum fertur genetrix Berecynthia magnum
Vocibus his affata Jovem, da nate petenti
Quod tua chara parens domito te poſcit Olympo.

Ubi *affata* valet, obteſtata. *Cerda.*

Et ſanctum ſidus adorat.] Philoſtratus in epiſt. τιμῶσι δὲ οἱ σοφοὶ καὶ τῶν ἀστέρων τοὺς κομήτας: *venerantur ſapientes ex aſtris cometas.* Ut videlicet, in quibus inſunt præſagia futurorum. *Idem.*

701. *Sequor, &, qua ducitis, adſum.*] Primum eſt *ducere*, ſecundum *ſequi*; ſed ordinato ſenſu corrigitur, ut ſit, *qua me ducitis ſequor.* Donatus.

Qua.] In aliquot antiquis codicibus, *quo* legas. Sed in pluribus, *qua*, interpretibus præſertim eam lectionem agnoſcentibus. *Pierius.*

702. *Di patrii, ſervate domum, ſ. n.*] Hic oſtendit Anchiſen ea, quæ optabat per impetrationem augurii metuiſſe. *Servius.*

Di patrii ſervate.] Θεοὶ πάτριοι vocantur, qui in patria coluntur noſtra: πατρῷοι, qui à patribus noſtris; & per quorum quaſi manûs religionem accepimus. Certe & Juppiter inde ὁμόγνιος Græcis dicitur, quod *familiis* præſit. Et hoc poſteriore ſenſu Turnebus hæc intelligit, lib. 6. c. 11. & lib. 17. c. 4. cum Xenophonte, qui ita de Æneâ: αἰνείας δὲ σώσας τοὺς πατρῴους καὶ μητρῴους θεούς. Nec aliter Higynus, apud Macrob. l. 3. c. 4. Saturnal. *Taubm.*

Servate.] Verbum *ſervo* adhibitum in precationibus Briſſonius obſervat, 1. Formul. & veterum teſtimonia confirmant. Virg. lib. 3.

—ſerva altera Trojæ
Pergama.

Tibull. lib. 1. *Sed patrii ſervate lares.* Martial. lib. 6.

Dii ſervate, precor, matri ſua vota patrique. Cerda.

703. *An-*

Veſtrum hoc augurium, veſtroque in numine Troja eſt.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuſo.
Dixerat ille: & jam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiuſque æſtus incendia volvunt.
Ergo age, care pater, cervici inponere noſtræ:
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit:
Quo

703. *Augurium.*] *Augurium* eſt exquiſita deorum voluntas per conſultationem avium, aut ſignorum. perite ergo ſignum de cœlo *augurium* dixit, ideo & adjecit *ſervate domum*, id eſt, genus, familiam. *Servate nepotem*, à quo certus * Romanam prolem propagatum iri. *Servius.*

Veſtrum hoc augurium.] Quia veſtrum eſt augurium, veſtrum eſt tueri, quod agimus. *Donatus.*

Veſtroque in numine Troja eſt.] In vobis ea omnia habeo: propter illud, *Has mihi ſervaſſent ſedes.* alii ita exponunt, Augurium numenque veſtrum efficiat, ne putem Trojam periiſſe. *Servius.*

704. *Cedo.*] *Cedere* proprie dicitur, qui contra ſententiam ſuam alteri conſentit: ut, *Cedamus Phœbo.* Idem.

Cedo.] Scilicet potioribus. *Donatus.*

Comes ire recuſo.] Tantum ad ſolatium itineris, quoniam prope moriturus; ut in ſexto Æneas: *Ille meum comitatus iter.* Vult enim Virgilius etiam Æneæ concedere patris peritiam. *Serv.*

705. *Dixerat ille.*] Hic diſtinguendum. Alii & *ignis*, ſed male. *Idem.*

Et jam.] Dum negat, dum oſtenduntur auſpicia. *Idem.*

706. *Propiuſque*] Quamvis ſecreta domus ſit. Propter illud, *Arboribuſque obtecta receſſit.* & ordo eſt: Incendia propius volvunt æſtus, id eſt, calorem. Unde etiam *æſtas* dicitur, à calore. *Id.*

707. *Ergo age.*] Quia conſenſiſti, & ignis propinquat. *Idem.*

Ergo age.] Nam cum impetraſſem paternum aſſenſum, quod difficillimum fuit, arripui ſubitam occaſionem: & omnibus difficultatibus, quas objicere potuiſſet Anchiſes, occurrit. Nam ſe illum ſenem, & impeditum laturum pollicetur, & omnia communia ipſis futura oſtendit, quia nuſquam illum deſeret: & ne quærat, quid de filio & de uxore faciat, juvabo, inquit, filium auxilio dextræ, & uxor veſtigia mea ſectabitur. Quod vero ait, *ſolus Iulus ſit comes & longe ſervet veſtigia conjux*, fuit conſilium, ut tutior fieret fuga. Nam ſi plures fuiſſent congregati, non facile latuiſſent. *Donatus.*

Age.] Non eſt modo verbum imperantis, ſed adverbium hortantis: adeo ut plerunque *Age*, facite dicamus, & ſingularem numerum copulemus plurali. *Servius.*

Cervici.] *Cervix*, cum numero ſingulari dicitur, *collum* ſignificat: ſi plurali utamur *ſuperbiam* oſtendimus; ut in Verrinis Cicero, *Frangere cervices.* Id.

Cervici imponere noſtræ.] Quod hîc *imponi cervici*, & *ſubire humeris*, Suet. in Othon. cap. 6. dixit *ſuccollare.* Græci τραχηλιωτίζεσθαι, & ὠμοτιθεῖσθαι. Strabo lib. 6. ita extulit, *οἱ τοὺς γονέας ἐπὶ τῶν ὤμων ἀράμενοι: hi parentes humeris ſuſtulerunt.* Dio Chryſoſt. orat. 6. *ὑψηλὸν φερόμενον ὑπὸ τοῦ ὄχλου: ſublimem à turba portatum.* Dionyſius de Ænea loquens lib. 13. Antiquit. *οἱ τοὺς πατέρας ἐπὶ τῶν ὤμων ἐνέγκαντες.* Philoſtratus in vita Polemonis, *ὤμοις ἐκφέρειν.* Herodotus verbo *ἐκφόρεε.* Philo in Decalogo, *περὶ τῶν αὐχένων ἀχθοφορεῖν*, & *μετέωροι φέρονται.* *Cerda.*

Nec me labor iſte gravabit.] Euripid. *κάματος εὐκάματος.* *Germanus.*

708. *Ipſe ſubibo humeris.*] Inde Ovid. l. 4. Faſt. vſ. 37.

Hinc ſatus Æneas, pietas ſpectata per ignes,

Sacra,

Quo res cumque cadent, unum & commune periclum,
Una salus ambobus erit. mihi parvus Iulus
Sit comes, & longe servet vestigia conjux.
Vos famuli, quæ dicam, animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus templumque vetustum
Deser-

Sacra, patremque humeris, altera sacra tulit.

Ovid. l. 13. Met. ℣ſ. 625.

Fert humeris venerabile onus cythereïus heros.

Recte *subibo*, nam ea onera subeuntur, quæ imponuntur, & capite, dorso, vel humeris gestantur. Vide Salmas. exerc. Plin. p. 550. *Emmeness.*

709. *Cadent.*] Vetera quædam exemplaria, *quo res cumque cadant* habent, non invenuste. *Pierius.*

710. *Ambobus erit.*] Ad filium & ad patrem potest referri. melius ad patrem: quia de Ascanio post loquetur. *S.*

Unum & commune periclum, Una salus ambobus erit.] Sic l. 10. ℣ſ. 201. pro *idem:*

—— sed non genus omnibus unum.

Horat. l. 1. od. 28. *omnes manet una nox.* Ter. Hec. 2. 1. 4.

Uno animo omnes socrus oderunt nurus.

Ovid. l. 10. Metam. ℣ſ. 33.

Serius aut citius sedem properamus ad unam:

Ubi male *imam* non nulli codices, quos melioribus evincit Nobiliss. Heinsius. Sententiæ Maronianæ congruit illud Taciti l. 1. Histor. in Orat. Othonis: *Adeo manifestum est, neque perire nos, neque salvos esse, nisi una, posse.* Ter. Ph. 33. 23. *noli metuere: una tecum bona, mala, tolerabimus.* quod Ciceroni ad Att. l. 8. Ep. 3. *est consilium cum consilio, fortuna meum fortuna conjungere.* Emm.

Parvus Iulus.] In Donatiano codice scriptum est, *mihi solus Iulus Sit comes.* Consiliumque esse, Donatus ait, ut tutior fieret fuga: si enim plures congregarentur, non facile latere potuissent. Idque præcipue ea de caussa placet, ne tam paucis versibus, ter *Parvos Iulus* repetatur: paulo enim ante, *Cui Parvos Iulus*, dixerat, & paulo post dicturus est, *Dextræ se parvos Iulus Implicuit.* Videmus enim Virgilium impendio evitasse illud Homericum τὸ δ᾽ ἀπαμειβόμενος. *Pierius.*

711. *Et longe servet vestigia.*] *Longe*, valde: ut, *Tyberinaque longe Ostia.* Nam *longe* non potest, quia sequitur, *Pone subit conjux.* Et bene ire singulos facit. Scit enim multitudinem facile posse comprehendi. *Servius.*

Servet.] Custodiat: ut, *Et tantas servabat filia sedes.* vel *longe* ideo, ut sit prooeconomia, quod errare potuerit. *Id.*

712. *Famuli.*] Unde familia. *Idem.*

713. *Urbe egressis.*] Hic ablativo junxit, ut Horat. *Egressum magna me accepit Aritia Roma.* Sallust. Accusativo. Ut, *Raro egressa fines suos.* Ergo utrumque dicimus. *Idem.*

Tumulus.] Modo *terra tumens*: alias sepulchrum. Prudenter autem circa turbatos pluribus utitur præceptis. diversa signa dat, quia scit timoris comitem esse oblivionem. *Idem.*

Tumulus.] Id est, terra tumens & editior: ubi fanum Cereris, non procul à Scamandro. Et bene id *extra urbem* fecit: quia dea rusticorum, & molituræ inventrix. *Desertæ* autem dicit, vel propter bellum: vel à Sacerdote, qui 6. Æn exstinctus inducitur: vel à filiâ Proserpinâ: de quâ Cicero 6. Verr. & 2. de Nat. Ovid. 5. Met. Fab. 9. & Claudianus. *Taubm.*

Templumque vetustum Desertæ Cereris.] Bene Cereris fanum ante urbem esse facit, quæ dea rusticorum est. Et liberat Æneas & Cereris templum, & vetustum elegit, ad quod nec viris erat aditus, sicut hostes putabant. Nam Æneas scit ante esse profanatum: propter quod, nec prædæ spe Græci poterant duci. *Servius.*

714. De

Desertæ Cereris, juxtaque antiqua cupressus;
Relligione patrum multos servata per annos.
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.
Me, bello è tanto digressum & cæde recenti,
Attrectare nefas; donec me flumine vivo
Abluero.

714. *Desertæ Cereris.*] Utrum à sacerdote, qui in sexto extinctus inducitur: ut, *Cererique sacrum Polybetem.* An *desertæ* belli tempore, propter decennalem obsidionem. An *desertæ* à filia; ut, *Nec repetita sequi curet Proserpina matrem.* Serv.

Desertæ Cereris.] Credo equidem hoc templum Cereri consecratum, respiciente nuncupatione raptum Proserpinæ, & spoliatam & orbatam filia matrem à Dite, & ita desertam à carissima virgine, quam ad inferos usque secuta requisiverit. Quam sententiam adjuvat ἕρμιον vel ἑρμιόνη templum in Peloponeso Cereri & Proserpinæ sacrum asyli vice, quod quasi ἐρήμιον, vel ἔρημον Grammatici quidam dictum volunt: etiam si ἕρμιον cum nota multi aspirandi scribant. *Germ.*

Antiqua cupressus.] Ad vetustatem retulit. *Cupressum* autem funebrem arborem bene ante templum deæ lugentis induxit. *Servius.*

715. *Relligione patrum.*] Timore. & est reciprocum. Sic Terentius, *Nam mihi nil esse, religio est dicere*, id est, metus. Item Virgilius contra: *Multosque metu servata per annos.* Connexa enim sunt *metus*, & *religio.* Ut Statius, *Primus in orbe deos fecit timor.* Idem.

Relligione.] Duplicant Latini consonam ad producendam syllabam brevem natura: sic *relligio*, *reppulit*, *repperit*, *rettulit*, *relliquiæ*, &c. Faciunt hoc Græcorum imitatione, qui ἔλλαβεν, ἐλλυσσαμένην, ἐλλιτάνευσεν, ἔλλαχον, ἄλλυτος, σελλάνα. *Cerda.*

Relligione patrum multos servata per annos.] In qua veneratione fuerint antiquæ arbores, una Dodonæa quercus exserit, de qua Homer. l. 16. Iliad. Sed hæc Feithio debentur, quem vide l. 1. Antiq. Homer. l. 1. c. 14. *Emmeness.*

Multos servata per annos.] Ex illo Lucret. lib. 1.

Qualibus ex rebus consistit summa creata,
Et multos etiam magnos servata per annos. Germ.

716. *Ex diverso.*] Ut non sit suspico Græcis. *Servius.*

Hanc ex diver. sedem veniem. in unam.] Ulpianus l. 1. sub tit. de pactis, hunc versum ferme exprimere videtur, his: Conventionis verbum generale est, ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi transigendique causa consentiunt, qui inter se agunt: nam sicuti convenire dicuntur, qui ex diversis locis in unum locum colliguntur & veniunt, ita, qui ex diversis animi motibus in unum consentiunt, id est, in unam sententiam decurrunt. *Germ.*

717. *Cape sacra manu.*] Non est dantis, sed hortantis, ut tollat: quia sequitur, *Me bello è tanto digressum & cæde recenti Attrectare nefas.* Scit enim Græcos ex pollutione Palladii piaculum commisisse. *Servius.*

718. *Bello è tanto.*] Aliquot exemplaria vetera habent, *& tanto.* Aliqua sine ulla præpositione, *bello tanto* legunt. *Pierius.*

719. *Attrectare.*] Mediceus & vetera alia exemplaria legunt, *adtractare.* neque desunt Liviani codices ita scripti: ut primæ Decadis, Libro quinto, *Quod id signum, more Etrusco, nisi certæ gentis sacerdos, adtractare non esset solitus.* quod ea de caussa potissimum adnotavi, ut admonerem lectorem, vulgata exemplaria

Abluero.
Hæc fatus, latos humeros ſubjectaque colla
Veſte ſuper, fulvique inſternor pelle leonis;
Succedoque oneri. dextræ ſe parvus Iulus
Inpli-

plaria *more vetuſto* ſcriptum habere, quod in veteri codice Jani Parrhaſii, quum is Romæ ſummo doctorum applauſu bonas literas profiteretur, *more Etruſco* legi. *Pierius.*

Attrectare.] Verbum quod ſacris competit, ut notavit Hadr. Cardinal. De abluendis manibus, cæde pollutis, Briſſon. de Form. l. 1. *Emmeneſſ.*

Flumine vivo.] Perenni, quia jugiter aqua fluens viva vocatur. Sane, *Cape ſacra manu patrioſque penates: Me bello, &c.* pro abluam. *Servius.*

Vivo.] Sicut dictum eſt, ſemper fluenti, id eſt naturali: ut, *Vivoque ſedilia ſaxo.* eſt autem augurale verbum. *Idem.*

Flumine vivo.] Non enim fas erat Pontificem ſacra illotis manibus attrectare. Neque adeo quavis aqua ad purificationem contenti erant, ſed vivum & perennem & limpidum deſiderabant. De quo Turneb. l. 1. c. 29. & l. 17. c. 13. & l. 19. c. 20. Livius, l. 1. *Quin tu vivo perfunderis flumine? in infima valle præterfluit Tybris.* Nota autem, Æneam, diis ſuperis ſacrificaturum, corpus totum abluiſſe: cum Dido tamen, 4. Æn. ℣ſ. 635. atque adeo ipſe, 6. Æn. ſacrum diis inferis facturus, levi adſperſione ſit contentus. de quo Macrob. lib. 3. cap. 1. *Taubm.*

Flumine vivo abluero.] Donatus pro *abluam*, dictum ait *abluero*, ut Ter. Phor 2. 3. 73. *donec perfecero*, & 4. 1. 24. *donec, quod pollicitus ſum, effecero.* quo pacto illi luſtrandi fuerint, qui ſanguine ſe polluiſſent, docet Feith. Antiq. Hom. l. 1. c. 6. inde Scholiaſt. Sophoclis: ἔθος γὰρ ἦν παλαιοῖς, ὅτε ἢ φόνον ἀνθρώπου, ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος. recte ℣ſ. 717. *Tu, genitor, cape ſacra manu, &c.* ne inquinaret penates à cæde recens. Vide Schedium de dis Germanis Syngramm. 2. c. 27. *Emmeneſſ.*

721. *Latos humeros.*] Aut more Heroum ſe laudat: aut certe ſternendo latos facit. Vel *latos*, ſufficientes vecturæ. Vult enim oſtendere totum ſe ad onus præbuiſſe, & ideo *humeros*, non *humerum*. Servius.

Latos humeros.] Εὐρυώμους fortes & robuſtos Græci vocant. *Germ.*

Subjectaque colla.] In antiquis aliquot exemplaribus, *projecta* legitur. Sed enim, *ſubjecta* magis videtur inſervire ſententiæ. *Pierius.*

722. *Veſte ſuper.*] Pro, ſuperinſternor. *vel*, ſuper veſte inſternor pelle leonina. Heroës autem priſci vel decoris vel horroris gratia pellibus ferarum, præcipue leonum, tegi ſolebant: ut Æn. 1. dictum. *Taubm.*

Inſternor.] Eleganter tanquam onus laturus, ut de animalibus. *Servius.*

Inſternor pelle leonis.] Humeris inſtratam habuerunt pellem heroës & viri fortes. probavit hoc multis exemplis Morellus ad Stat. l. 3. ſilv. ubi *inſtratum* legendum ex Cod. Adr. Turnebi, non *luſtratum*: *inſtratumque humeris dimitte gerentibus hoſtem.* Noſter Æn. l. 5. ℣ſ. 37.

— *Aceſtes*
Horridus in jaculis & pelle Libyſtidis urſæ.

& l. 8. ℣ſ. 552.

Quem fulva leonis Pellis obit totum, &c. Adi Feith. Antiq. Homer. l. 4. c. 8. qui de hoc amictu ex Græcis plura. *Emm.*

723. *Succedoque oneri.*] Figura eſt, ut *Succedunt muro, & flammas ad culmina jactant.* Servius.

Succedoque oneri.] Pietatem in parentes ſimulacro Romani ſignificabant Marci Herennii, patrem humeris impoſitum

Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis:
Pone subit conjux. ferimur per opaca locorum:

Et

positum attollentis, alias Æneæ pari officio Anchisen efferentis, manusque dextra vola Palladium sustinentis. *Germ.*

Succedoque oneri.] Hæc est pietas illa Æneæ, nunquam satis celebrata veteribus, qua ille patrem humeris suis ex incendio eripuit. Quæras, an vere acciderit hoc miraculum? an cum mendacio confictum sit à Poëta, Æneæ sui perstudioso, ad illius pietatem extollendam? Prodidit hoc antiquitas, firmantque multi. Statius 3. Silvar.

Felix, cui magna patrem cervice vehenti
Sacra, Mycenææ patuit reverentia flammæ.

Ovidius lib. 4. Fast.

An magis hunc morem pietas Æneïa fecit,
Innocuum victo cum dedit ignis iter?

de Pont.

Cum foret Æneæ cervix subjecta parenti,
Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.

Propertius lib. 4. eleg. 1.

Cum pater in nati tremulus cervice pependit,
Et verita est humeros urere flamma pios.

Dionys. lib. 10. Antiquit. in oratione Horatii Cons. contra tribunos pleb. *ô vos miseros, ac cives hac patria indignos, cujus conditores parentes suos humeris gestaverunt, quibus per medios hostes armatos, & incendia, Dii tutam viam præbuerunt.* Seneca 3. de Beneficiis c. 37. Huc spectant versus Ovidii lib. 13. Metam. consentiunt enim cum sententia Æliani,

—— sacra & sacra altera patrem
Fert humeris, venerabile onus, Cythereius heros:
De tantisque opibus prædam pius eligit illam,
Ascaniumque suum. Cerda.

724. *Implicuit.*] Puerilem expressit timorem, ne manu excidat patris. *Servius.*

Implicuit.] Exprimit causam & factum: nam puer patris fugientis æquare passus non poterat. Exprimit etiam laborem suum, quod in tanta celeritate patrem ferret, filium traheret. *Donatus.*

Implicuit.] Observavit Maro, illud Venusini de Art. Poët. ☩s. 156.

Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores.

Infantuli, pueri, infirmo gradu fugam morantur, & alienis quasi pedibus ambulant, ut Apulejus l. 8. Metam. inde Stat. l. 5. Thebaid.

—— & tarda quamvis se mole ferentovi
Vix cu su tener æquat Hylas.

Emmeness.

Sequiturque patrem, &c.] Bene de præsente puero, qui, ut putabatur, inter manus reginæ erat positus, expressit affectum. *Servius.*

725. *Pone.*] Post; sed loco tantum non & tempori adjungitur, & est adverbium. Atque ideo ultima syllaba habet accentum. *Idem.*

Subit.] Sequitur. *Idem.*

Opaca locorum.] Quia dixit, *Arboribusque obtecta recessit.* Est autem elocutio: ut, *Strata viarum.* Alii *per opaca* * casu accipiendum putant; vel *opaca*, obscura. alibi *opacum*, amœnum. *Id.*

Opaca locorum.] Vel, quia nox erat: vel, propter illud ☩s. 300.

—— arboribusque obtecta recessit.

Est autem hæc plena locutio. Supra, *angusta viarum.* Æn. 9. ☩s. 82. *alta pelagi.* Catullus: *truculenta pelagi.* Lucret. lib. 1. *strata viarum:* &, *clausa domorum.* Livius: *adversa montis.* Apulejus lib. 1. de Asino aureo: *Postquam ardua montium, lubrica vallium, & roscida cespitum, & glebosa camporum emersi.* Taubm.

726. E

Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent auræ: sonus excitat omnis
Suspensum, & pariter comitique onerique timentem.
Jamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evasisse viam; subito cum creber ad auris
Visus adesse pedum sonitus: genitorque per umbram
Prospiciens, Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant.
Arden-

726. *Et me, quem dudum.*] Naturalia plus timet. Quasi & vir fortis & pius non timet bellicum timorem; sed naturalem: propterea quia sequitur, *Comitique, onerique timentem.* Servius.

727. *Glomerati ex agmine.*] Propter illud, *Undique collecti invadunt.* Idem.

Glomerati.] Ita Cicer. 2. Tuscul. *glomeratam cladem* dixit. Notetur autem obiter, primam in *glomere* produci apud Lucret. l. I.

Nam si tantundem est in lanæ glomere, quantum
Corporis in plumbo est.

Taubmannus.

728. *Nunc omnes terrent auræ.*] Hic ostendit etiam fortes viros pro ratione temporis & causarum, & debere, & decere metuere. *Servius.*

Nunc omnes terrent auræ.] Sententiam Poëtæ alii extulerunt. Hor. lib. I. Car. Od. 23.

Vitas hinnuleo, &c.

Citatur hoc Sophocl. ab Ursino, & Germ. πάντα τοι τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ: *omnia tibi metuenti adstrepunt.* in Apollon. 3. Arg. cor in pectoribus fractum dicitur ad δοῦπον ἢ ποδὸς, ἢ ἀνέμοιο παραθρέξαντα, *Strepitum prætersonantem aut pedis, aut venti.* Loquens Heliodorus lib. 2. Hist. Æthiop. de Cnemone, Græco homine, ita ait: *Magna ex parte insomnem ducens noctem excruciabatur, omnem strepitum, & quamlibet auram, ac foliorum motum Thermutin esse existimans.* Non multum abit sententia Euripidis in Phœniss. ἅπαντα γὰρ τολμῶσι δεινὰ φαίνεται: *Omnia audientibus meticulosa videntur.* De hac pavoris natura ita Philo loquitur, libr. de Exsecrationib. φύλλων κτύπος κουφότατος δι' ἀέρος φερομένων ἀγωνίαν ἐργάσεται: *frondium strepitus levissimus vento agitatus metum incutiet.* & Juvenalis Sat. 10.

Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram.

& Lucanus lib. 8.

— pavet ille fragorem
Motorum ventis nemorum.

Ovidius 5. Met. ubi loquitur de fabula Arethusæ:

— vidi præcedere longam
Ante pedes umbram, nisi si timor illa videbat,
Sed certe sonituque pedum terrebar.

Ad eandem sententiam pertinent, quæ sequuntur in Virgilio,

Visus adesse pedum sonitus, &c.

Cerda.

Sonus excitat omnis.] Consternat. *Servius.*

729. *Suspensum.*] Sollicitum. *Idem.*

Comitique.] Quidam *comiti*, pro *comitibus* accipi volunt. Nam & pro Creüsa eum timere putant intelligi, & singulariter dictum, ut *equitem* & *peditem* de multitudine dicimus. *Idem.*

Comiti.] Creüsæ perdilectæ. De amore conjugis hoc exemplum dictum habe, cui simile est illud Senecæ, quod emendat & illustrat J. Fred. Gronovius Observ. l. 2. c. 20. *Emm.*

731. *Subito cum.*] Hysterologia est *Servius.*

733. *Nate.*] Hæc singula pronun-
Gg 2 ciandа

Ardentis clipeos, atque æra micantia cerno.
Hic mihi neſcio quod trepido male numen amicum
Confuſam eripuit mentem. namque avia curſu
Dum ſequor, & nota excedo regione viarum;
Heu miſero conjux fatone erepta Creüſa
Subſtitit, erravitne via ſeu laſſa reſedit,
Incertum, nec poſt oculis eſt reddita noſtris:
Nec prius amiſſam reſpexi, animumque reflexi,
Quam

cianda ſunt: quia perturbatis, jugis non datur ſermo; nec gaudentibus, nec dolentibus. quidam adfectioſe diſtinguunt. *S.*

Propinquant.] Non dicit qui: propter ſequentem de Corybantibus œconomiam. *Idem.*

734. *Ardentis clipeos atque æra micantia.*] Id eſt, ferreos & candefactos. Sed nec male clipeos *fulgentes*, ut ℣ſ. 749. *Cingor fulgentibus armis.* *Clipeum* etiam in uſu, ut Non. Marc. ex noſtro l. 9. ℣ſ. 709.

— *Clipeum ſuperintonat ingens.* ſic *æra* pro armis. Ex ære, quod in pretio apud veteres fuit, arma conficiebantur: inde Scholiaſt. Homeri l. β. Iliad. ℣. 226. παρὰ τοῖς ἀρχαίοις σφόδρα τίμιος ἦν ὁ χαλκός. Livius l. 1. c. 43. *Arma his imperata galea, clipeum, ocreæ, lorica, omnia ex ære.* Dictum tamen *æs* putat Turneb. l. 26. c. 23. pro ferro. Quum non viderit, quia cæcus, potuit tamen Anchiſes uti verbo (ſunt Turnebi) *cerno.* nam obliti ſui plerumque cæci ea dicunt, quæ videntium ſunt. pavorque ita conſternarat mentem ejus, ut ſe videre putaret, quæ metuebat. quod oculatis etiam accidit, timore perterritis, ut Conſidio apud Cæſ. de b. G. l. 5. *Emmeneſſ.*

Cerno.] Nonnulli quærunt ex cujus perſona *cerno* dictum ſit. Sed altius intuentes, Æneæ dant. Ut ipſe hunc verſum dixiſſe videatur. *Servius.*

735. *Neſcio quod trepido.*] Excuſatio eſt conjugis longius derelictæ. Et bene *neſcio.* Quod ait, quia hoc poſtea à ſimulacro uxoris agnoſcit. *Idem.*

Male amicum.] Non cum utilitate mea favens uxori, quæ in numerum miniſtrarum Matris deûm relata eſt. Vel *male amicum*, iratum: ut, *Statio male fida carinis.* Idem.

Male amicum.] *Amicum* non poteſt dici, quia non ſervavit univerſos. Nec rurſus *inimicum*, quia præſtitit inimicum. *Donatus.*

Male amicum.] Sic *male pinguis arenæ* noſter l. 1. Georg. ℣ſ. 105. plura illic. *Emmeneſſ.*

736. *Mentem.*] Memoriam: quod paulo poſt ait, *Nec prius amiſſam reſpexi.* Servius.

Confuſam eripuit mentem.] Illuſtrat hoc Germanus ex Apollonio, qui ſæpe, σὺν δέ κε νόος κέχυτο, ex Calabro, qui ἀπὸ φρεσὶ σύγχυτο θυμός. ex Homero, qui etiam ſæpe, ἐξελέσθαι θυμὸν, ψυχὴν, φρένας. *Cerda.*

738. *Fatone erepta Creüſa.*] Ordo eſt: *Fato erepta Creüſa, Subſtititne, erravitne via.* Non enim dubitat fato eſſe ſublatam: cum audierit, *Non hæc ſine numine divûm eveniunt.* Servius.

740. *Nec poſt oculis eſt reddita noſtris.*] Conſtat. Nam umbram ejus vidit tantummodo. Alioquin mentiebatur dicendo, *non vidi.* Idem.

741. *Animumque reflexi.*] Animum revocavi, & adverti, ad eum modum, quo Cicero pro Syl. dixit: *Animum incitatum ad ulciſcendam orationem tuam ipſe revoco, & reflecto.* Videtur metaphora ab equis ſumpta, qui reflectuntur, revocanturque freno in omnem partem. *Cerda.*

743. Hic

Quam tumulum antiquæ Cereris ſedemque ſacratam
Venimus. hic demum collectis omnibus una
Defuit; & comites, natumque, virumque fefellit.
Quem non incuſavi amens hominumque deorumque?
Aut quid in everſa vidi crudelius urbe?
Aſcanium, Anchiſemque patrem, Teucroſque Penates
Commendo ſociis, & curva valle recondo.
Ipſe urbem repeto, & cingor fulgentibus armis.

Stat

743. *Hic demum.*] Hic una defuit; Aliter vitium eſt. *Huc* enim dicere debuit. *Servius.*

Una.] Id eſt, ſola: & videtur improprie de neceſſaria perſona *una* dixiſſe, quæ non ſic debet numerari, quaſi numero defuerit, ſed quaſi affectus dolentis; *Sola* enim de multis intelligitur. *Idem.*

Collectis omnibus una defuit.] Advertit Jul. Scal. orationis hujus oppoſitiones, *una*, & *omnibus*: deinde *collectis*, & *defuit*. Cerda.

744. *Comites.*] Utrum natum & virum, an ſeparatim alios, an famulos dixit. *Servius.*

Natumque.] Qui per ætatem, matrem deſiderare debuerat. *Idem.*

Virumque.] Videtur excuſaſſe oblivionem ſuam, & culpam ad deos retuliſſe. *Idem.*

745. *Deorumque.*] Hypermetrus verſus eſt; ideo ne ſi *deum* per genitivum pluralem diceret, ὁμοιοτέλευτον faceret. Dicendo autem, *Quem non incuſavi amens hominumque deorumque*, dat ſibi amentiam, quia in furore incuſavit deos etiam, quod nunquam: cum enim dixit *quem*, non intelligimus etiam deos. *Idem.*

Quem non incuſavi amens, &c.] Moris eſt nimis dolentibus alia incuſare ex aliis, ut hoc obſervavit Donat. ad Ter. Ad. 3. 2. 6. & dum omnia criminantur, ne Diis quidem parcunt; quod ſane dementis eſt. noſter Ecl. 5. ✠ſ. 22.

Cum, complexa ſui corpus miſerabile gnati,
Atque Deos, atque aſtra vocat crudelia mater.

Non abludit Ter. Ad. 5. 3. 4.

—— quid clamem? quid querar?
O cœlum, ô Terra, ô Maria Neptuni!

Stat. Theb. l. 6. *—— alio tibi perfide pacto*
Juppiter hunc crinem voti reus ante dicaram.

Jure merito idem, hunc affectum graphice deſcribens, exclamat l. 2. Silv.

Durum & deſerti prærepta conjuge partem
Conclamare thori. Emmeneſſ.

746. *Vidi crudelius.*] Bene ſe commendat futurus maritus, qui apud fœminam ſic oſtendit priorem ſe amaſſe uxorem. *Servius.*

748. *Valle recondo.*] Hic jam oſtenditur nimia multitudo. *Idem.*

749. *Urbem repeto.*] Qui * *repeto*, pro *repetere* accipiunt. *Idem.*

Ipſe urbem.] Oſtendit affectum puri matrimonii. *Donatus.*

Fulgentibus armis.] Licet intempeſtive *fulgentibus* dixerit, tamen poteſt ſignificaſſe ſcutum & galeam, quibus ſolis caruerat, patrem portans & filium ducens. *Servius.*

Armis.] Id eſt, ſcuto & galea: hæc enim non habebat oneratus patre & filio. cætera armatus erat. De hoc autem toto loco ita divinus Scaliger l. 3. c. 26. Poet. Illa, inquit, in viro forti, *—— non ulla injecta movebant tela:* in viro pio, *Nunc omnes terrent auræ.* & addit, *ſonus excitat omnis.* ſatis erat: hoc addit, *ſuſpenſum.* Apponit cauſſam aliam à ſe, *——comitique onerique timen-*

men-

Stat casus renovare omnis, omnemque reverti
Per Trojam; & rursus caput objectare periclis.
Principio muros obscuraque limina portæ,
Qua gressum extuleram, repeto; & vestigia retro
Observata sequor per noctem, & lumine lustro.
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.
Inde

mentem: & id, *collectis omnibus una Defuit*, Vides; *omnibus:* vides, *una:* &, *collectis:* &, *defuit.* tum quæ sequuntur: *Quem non incusavi!* ponit, *hominum*; ponit, *deorum*; adjungit *amens.* Postremo nihil acerbius sibi vidisse ait: *Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?* Nihil marito funestius, quam uxorem amittere: nihil turpius viro forti, quam prodere hostibus. quare, *stat casus renovare omnes.* Hæc in facto. in verbis autem, & sententiis, & extra sententias quæ Efficacia! *Taubm.*

750. *Stat casus.*] Placet; ut, *Stat quidquid acerbum est, Morte pati.* Serv. *Stat.*] Sic noster l. 12. ℣s. 678.

Stat conferre manum Æneæ, stat quicquid acerbi
Morte pati.

Subaudi *sententia*, *consilium.* quamdiu enim deliberatur, sententia fluctuat & consilium vacillat, ubi certum, ac statutum est, quod quis facere vult, consistit consilium & *stat sententia*, ut plena utitur structura Terent. E. 2. 1. 18. qui Ad. 4. 4. 4. *nihil consilii consistere potest pectore.* Vide Sanct. Minerv. p. 338. *Emmeness.*

Renovare.] Antiqui nonnulli codices, *renovasse* præterito legunt tempore, alii quidam *revocare.* Sed omnes magis approbant *renovare.* Pierius.

751. *Objectare.*] Sic Græcis παραβάλλεσθαι est, projicere se ad periculum, & audere audax facinus, utique ῥιψοκινδυνεῖν, & ἄνθρωπος παράβολος, *audax periclitatorque*, & ἔργον παράβολον, *audax facinus*, in bonam quoque partem. in Poëta frequentativum est ad signandam periculorum frequentiam. in Sallust. quoque est, *periculis objectare* in Jugurthino bello. *Cerda.*

752. *Obscura limina.*] Aut per noctem obscura: aut certe posticum, *limina* significat. *Servius.*

Obscuraque limina.] Subiit, an hic legendum *limina obsessa*, sed cum in nemine viderim, abstineo. conjectura tamen mea defendi possit, nam infra:

—— *Danaique obsessa tenebant*
Limina portarum.

& supra:

—— *obsessumque acta testudine limen.*

Si *obscura* legas, explica, quia per noctem obscura. Quæ hic de postico aliqui, non satis probo. *Cerda.*

753. *Qua.*] Pro unde. *Servius.*

Retro observata sequor.] Relego retro & prosequor mea vestigia. *Idem.*

754. *Lumine lustro.*] Oculos circumfero, non enim facem ferre poterat, quia proderetur. *Idem.*

755. *Ipsa silentia.*] Ipsa quæ terrere non debent, præcipue inter hostes. Sed, ut diximus, naturalibus tantum cedit. *Idem.*

Silentia terrent.] Tacit. lib. 3. Hist. de Vitellio quærente latebras: *Terret solitudo, & tacentes loci.* De Troja ipsa in Troadib. Eurip.

—— ἔν τε δεμνίοις
Ἐρημία νεανίδων:

Similem conquestionem excitat Demosthenes, de falsa legat. χώραν ἔρημον τῶν ἐν ἡλικίᾳ. Quem in locum notat Ulpianus, notari affectum φόβου. inde Poëta in magno silentio *terrent*, quippe omnis vastitas & solitudo terrori est. Orosius lib. 2. cap. 19. *Horror quatiebat animos, silentia ipsa terrebant, siquidem materia ipsa pavoris est raritas in spaciosis.* Xenoph. 2. ἀναβ. φοβερώτατον ἐρημία:

Inde domum, si forte pedem, si forte tulisset,
Me refero. inruerant Danai, & tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur: exsuperant flammæ: furit æstus ad auras.
Procedo, & Priami sedes arcemque reviso.
Et jam porticibus vacuis Junonis asylo

Custo-

μία: & addit rationem, μεςὴ γὰρ πολλῆς ἀπορίας ἐςίν. Cerda.

Ipsa silentia terrent.] Stat. l. 1. Theb. ideo *nigra silentia* appellat, quæ terrorem incutiunt. Verum est, quod Juvenal. Sat. 10. ℣s. 20. *Nocte iter ingressus, gladium, contumque timebis.* Emmeness.

756. *Et forte pedem, si forte.*] Iteratione auxit dubitationem. *Servius.*

757. *Inruerant Danai.*] Quos Venus ante prohibuerat. Unde est, *Et ni mea cura resistat.* Idem.

758. *Ilicet.*] Confestim. Hic significat quod *Ilico:* Sed metri ratione variantur. *Idem.*

Ilicet ignis edax, &c.] Similes victoris ignis, & summopere excrescentis descriptiones attuli in Georgicis: Ut hic *edax ignis*, ita 3. Geor. *ignis edebat.* Horatius lib. 3. Od. 4. *peredit ignis.* Statius 9. Theb. *ignis edat.* Simili verbo Mattius apud Varron. lib. 6. de Ling. Lat.

Corpora Grajorum mœrebant mandier igni. Cerda.

Summa ad fastigia vento.] Qui urget flammas; ut, *Veluti cum flamma furentibus austris.* *Fastigia*, modo de summitate proprie dixit: alibi de imo; ut est, *Forsitan & scrobibus quæ sint fastigia quæras.* Inde est, *Cœlumque profundum:* cujus porro fundus est: cum de imo *fundus*, de summo *fastigium* dicatur. *S.*

Summa ad fastigia vento.] Magnis incendiis & venti implicantur, ut notat J. Camerarius probl. 10. decur. 4. *Emm.*

759. *Furit æstus ad auras.*] Est hoc quod lib. 5. *atram in nimbo volitare favillam.* quod in 9.

—— *aterque ad sidera fumus
Erigitur.*

Quod Silius lib. 1.

Incita sulcatum tremula secat aëra flamma:

Solent enim Poëtæ ad explicandum magnum incendium decurrere ad auras, ad cœlum, ad sidera. *Cerda.*

760. *Priami.*] Patris ejus. *Servius.*

Arcem.] Ne vel illuc confugisset. *Idem.*

Procedo, & Priami sedes arcemque reviso.] In veteribus aliquot exemplaribus, *protinus* omnino habetur; plura tamen ex illis *procedo ad Priami sedes*, legunt. in Longobardico lectio est hujusmodi, *procedo, & Priami sedes arcemque reviso.* Et ita habetur in Mediceo, & in Porcio, & aliquot aliis antiquis. Quam lectionem etiam Ti. Donatus agnoscit. Ait enim, *Procedo*, hoc est, progredior, vel ulterius accedo. *Et Priami sedes arcemque reviso:* ne illa ad domum patris sui, aut ad munitum aliquem locum se contulisset. *Pierius.*

761. *Vacuis.*] Magnis, quippe illic erant omnia. Alii *vacuis*, pro *vacuatis* intelligunt, ut sit nomen pro participio; aut *vacuis* à nobis, aut certe *vacuis*, latis. *Servius.*

Junonis asylo.] Templo: unde nullus possit ad supplicium extrahi. Dictum *asylum*, quasi *asyrum*. Alii, *asylum* ideo dictum, quod nullus inde tolleretur, id est, quod σύλᾶσθαι, hoc est, *abripi* nullus inde poterat, vel quod fugienti illuc spolja non detraherentur: σῦλαι enim Græce aut *furta*, aut *spolia* dicuntur. Hoc autem non est in omnibus templis, nisi quibus consecrationis lege concessum est. Primo autem apud Athenienses statutum est ab Herculis filiis, quos insequebantur ii, qui erant

 à patre

Custodes lecti Phœnix & dirus Ulixes
Prædam adservabant. huc undique Troïa gaza
Incensis erepta adytis, mensæque deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur. pueri & pavidæ longo ordine matres
Stant circum.
Ausus quin etiam voces jactare per umbram

Inplevi

à patre oppressi: sicut docet in duodecimo Statius. Hoc asylum etiam Romulus imitatus est. Unde est, *Quem Romulus acer asylum Rettulit*. Non statuit. Quem locum deus Lucoris, sicut Piso ait, curare dicitur. Sunt quidam qui dicunt, ideo Græcos in templo Junonis, quod Asylum erat, prædam convexisse, vel captivos conclusisse, quod ibi cædem fieri non liceret, & ideo fœminas & pueros clausos, quod imbellis esset ætas & sexus, quibus etiam hostes parcere consueverunt. *S.*

762. *Phœnix.*] Achillis magister. *Id.*

Dirus Ulixes Prædam adservabant.] Hoc etiam loco nonnulli codices manu scripti legunt, *durus Ulyxes*. Sed enim jam *dirum ulyxem* esse Virgilio diximus, ut *immitem Achillem*. Præterea *observabant* cum Porcio aliquot alii habent codices. quæ lectio variat etiam apud Livium, ut l. VII. de II. bel. Pun. *P. Scipio quum observari Numidam jussisset.* Nam & *adservari* aliquot habent codices. Neque me fugit, quid differentiæ statuant Grammatici inter *adservare*, & *observare:* quam tamen ego non adeo acceptam ab auctoribus invenio. *Pier.*

763. *Huc.*] Pro *illuc*. Servius.

Gaza.] Census, Persarum lingua: & est numeri singularis tantum. *Idem.*

Gaza.] Mela lib. I. cap. II. *Gaza. sic Persæ ærarium vocant.* Curtius lib. 3. *Pecuniam regiam Gazam Persæ vocant.* Suidas *gazam* explicat, θησαυρὸν. Servius ait census omnes & divitias Persarum lingua, ea voce explicari. Inde *gazophylacium*, ubi thesauri repositi; & *gazophylaces*, custodes ejus. *Cerda.*

764. *Mensæque deorum.*] Postquam excessere omnes adytis. *Servius.*

Mensæque deorum.] Fortasse hæ sunt, quibus oracula reddebantur, quasque Græci τρίποδες vocant. Certe interpretes non ignobiles τρίποδες vertunt *mensas*. nunc mihi ante oculos Justus Ultejus, qui illud Æliani lib. 3. Var. hist. cap. 43. βαῖν' ἀπ' ἐμῶν τριπόδων, reddit, *cede meis mensis*. verba sunt oraculi. *Cerda.*

765. *Crateresque auro solidi.*] Qui sunt vel inaurati, vel laminis tecti, vel incrustati. *Servius.*

Captivaque vestis.] Pro *captivorum*, & est nota elocutio. *Idem.*

Captivaque vestis.] Sic in 7. *Captivi pendent currus.* Statius 2. Theb.

—— *Nostrisque sub armis*
Captivo moribundus humum diademate pulses.

Ovidius 3. Fast. *captiva cura.* Propertius lib. 2. eleg. I. de Nilo:

Septem captivis debilis ibat aquis.

& Tacit. 14. Annal. *captivum cruorem*, dixit: *cruore captivo adolere aras.* Et Liv. lib. 3. *captiva navis.* & in 6. *pecua captiva.* Vestem hanc accipio Phrygiam, quæ in pretio, ideo peculiaris mentio. *Cerda.*

766. *Longo ordine.*] Longa multitudine, ut in sexto; *Unde omnes longo ordine posset:* quum non dicat per ordinem. Non enim ordo erat in multitudine. *Servius.*

768. *Ausus.*] Quod inter hostes. *Id.*

Ausus.] Vult Germ. participium hoc deductum à Græco fonte à verbo αὔσω, quod est, τολμάω, *audeo.* inde & Reges Ausones. *Cerda.*

Ausus quin etiam.] Scalig. lib. 3. c. II.

Inplevi clamore vias, mæstuſque Creüſam
Nequicquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.
Quærenti, & tectis urbis ſine fine furenti,
Infelix ſimulacrum atque ipſius umbra Creüſæ
Viſa mihi ante oculos, & nota major imago.
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.
Tum ſic adfari, & curas his demere dictis:

Quid

c. 11. Profecto, inquit, me horror capit, atque etiam quatit, ubi videre atque audire videor, in nocte, inter hoſtes, fortem ſimul, atque pium virum etiam clamore cariſſimam uxorem quærere. *Taubm.*

Voces jactare.] Quæ contrariæ ſunt latere cupienti. & hic oſtendit, & ſe fato evaſiſſe, & fato conjugem perdidiſſe, ſed inquirendi officium ad *vocem* tranſtulit, propter noctem: ibi enim voce opus eſt, ubi viſus non ſuppetit. *voces* vero, quia, *Iterumque iterumque vocavi.* Servius.

771. *Tectis.*] Per tecta. Antiptoſis. *Idem.*

772. *Infelix ſimulacrum.*] Mihi, non ſibi: ut, *Quæ potui infœlix?* Per *ſimulacrum* autem apotheoſin oſtendit: quia *ſimulacra* deorum ſunt: *umbræ*, inferorum. ſicut Ulyxes in Homero apud inferos umbram Herculis cernit, qui poſt mortem umbræ inferos, animæ quæ cœlum petunt. *Idem.*

773. *Major imago.*] Quia umbra major eſt corpore. Et per hoc mortuam vult oſtendere, aut ex homine deam factam. *Idem.*

Nota major imago.] Quippe dea. Ita 6. Æn. — *majorque videri, Nec mortale ſonans.* ſupra, ẏſ. 591.

— *qualiſque videri*
Cælicolis & quanta ſolet.

Taubm.

Et nota major imago.] Deam eſſe ex magnitudine concludit Turneb. l. 26. c. 23. quoniam Diis & Deabus ampliorem formam attribuebant. ut Æneid. 4.

Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.

Sed nauci videntur, ut ipſe Turneb. recte. umbram apparuiſſe Æneæ, quæ viſa fuit auguſtior illius oculis ac conſueverat, ex Poëta diſcimus. & Juvenal. Sat. 13. ẏſ. 221.

— *tua ſacra & major imago*
Humana. — Emmeneſſ.

774. *Steteruntque comæ.*] Præ horrore. *Servius.*

Obſtupui, ſteteruntque comæ.] Jam ſæpe dictum, *obſtipui* ſemper haberi in codicibus antiquis. Sed & *ſteterant*, exacta ſpecie, aliquot habent exemplaria: quum tamen Probus *ſteterunt* agnoſcat. *Pierius.*

Steteruntque.] Sic *exciderunt.* vide Modium novant. lect. epiſt. 52. *Emm.*

Vox faucibus hæſit.] Ter. Eun. *lingua hæret metu.* vide 3. Æneid. ẏſ. 48. & lib. 4. ẏſ. 280. *Taubm.*

775. *Tum.*] In antiquis codicibus *tunc* habetur, utrunque idem ſignificat. *Pierius.*

Tum ſic adfari.] Infinitus modus pro indicativo, & hic verſus in pleriſque dicitur non fuiſſe. *Servius.*

Curas demere.] Placitum tibi adjungere ad imitationem, quibus modis idem ſæpe dicat Poëta. in 6.

His dictis curæ emotæ.

in 4. — *Meque his exſolvite curis.*

Ibid. *Et dictis avertere curas.* Ibid.

Hæc ſe carminibus promittit ſolvere curas. 1. Æn.

Solvite corde metum Teucri, ſecludite curas. 4. Æn.

Lenibant curas, & corda oblita laborum.

In 9. *Laxabant curas, & corda oblita laborum.* & 5. Georg.

Nate licet triſtes animo deponere curas.

Itaque *demere, emovere, ſolvere, exſolvere, aver-*

Quid tantum insano juvat indulgere dolori,
O dulcis conjux? non hæc sine numine divom
Eveniunt. nec te hinc comitem asportare Creüsam
Fas, aut ille sinit superi regnator Olympi.
Longa tibi exsilia, & vastum maris æquor arandum.
Et terram Hesperiam venies: ubi Lydius, arva
Inter

re, avertere, secludere, lenire, laxare, deponere. Cerda.

776. *Quid tantum.*] Consolatio est. sequitur etiam divinatio, quæ animis, liberatis corpore, conceditur. Unde etiam morientibus datur. Ut, *Nec longum lætabere: te quoque fata Prospectant paria.* * Acron Mezentio post, atque aut eadem m. ar. *Servius.*

Insano.] Hic sine ratione, aut certe *Magno*: ut, *Insani feriant sine litora fluctus.* Idem.

Indulgere.] Vel permittere, vel, Operam dare; ut, *indulgent vino.* Idem.

Insano juvat indulgere labori.] Idem versus occurrit l. 9. ỷs. 135. Non. Marc. pro *augere* sumit, apud quem est *indulgere iræ.* ut apud nostrum lib. 9. ỷs. 615. *juvat indulgere choreis.* Stat. l. 5. Theb. *indulgere furori.* Lucret. l. 3. *luctibus indulgere.* Emmeness.

777. *Sine numine divom.*] Sine fati necessitate: ut enim Statius dicit, *Fata sunt, quæ dii fantur.* Servius.

778. *Eveniunt. nec te hinc comitem asportare Creüsam.*] Hic versus scansione caret. si non convertatur, ut per eclipses aut synalœphas scandatur ita, *Eveniunt: nec te hinc comitem asportare Creüsam:* unde multi *as* syllabam detrahunt, sic tamen vix fide servata scanditur, conversio; ut, *Nec te hinc comitem asportare*, & potest scandi per synalœpham. Aliter, nec eclipsim, nec hiatum, nec synalœpham recipit. *Idem.*

Non hæc sine numine Divom eveniunt. Nec te hinc comitem asportare Creüsam fas.] Quia repererat Servius, *comitem hinc asportare*: quam varie versus à multis corrigatur, repetit. At esse sane versus aliquot, qui scandendi rationem, tritam in Grammaticorum scholis, non admittant, inficias non ierim. Inveni tamen in codicibus aliquot antiquis, *nec te comitem asportare Creüsam fas.* Nam *Asportare* etiam absque adverbio locali *Hinc*, per se plenum satis esse videtur. In Mediceo, & in Porcio, *comitem hinc portare* legitur. neque desunt ingenia eorum, qui *comitem hinc asportare*, recte legi contendant: versumque esse Pentametrum Choriambicum hypercatalecticum. Choriambum enim habere prima & quinta sede, tertia Anapæstum, paribus duobus locis spondæum. Sed enim de numeris & variis metrorum generibus, quæ versum Heroïcum ingrediuntur, alibi differendum erit. Hoc loco malunt peritiores versum exlegem esse. *Pierius.*

Creüsam.] Quia Latina declinatio est, erit Latinus accentus. *Servius.*

779. *Fas.*] Pro *fato.* Quia sequitur, *Regnumque & regia conjux Parta tibi.* Idem.

Ille.] Superfluum hoc loco pronomen. *Idem.*

Olympi.] Cur in penultima accentus sit, manifesta est ratio apud Latinos: quanquam Græci discretionem velint per accentum facere montis & cœli, quod superfluum est. *Idem.*

780. *Longa tibi exsilia.*] Subaudiendum *obeunda.* Idem.

Arandum.] Quia legimus, *Subtrahiturque solum*: non immerito dixit nunc *arandum.* Idem.

781. *Et terram.*] In vetustis aliquot exemplaribus, *& terram* legitur, & ita etiam habetur apud Donatum. *Pierius.*

Hesperiam.] Sequenti epitheto Italiam ab Hispania segregavit; quæ & ipsa

Inter opima virum, leni fluit agmine Thybris.
Illic res lætæ, regnumque, & regia conjux
Parta tibi. lacrimas dilectæ pelle Creüsæ.
Non ego Myrmidonum sedes, Dolopumve superbas
Aspi-

ipsa Hesperia dicitur. Et videtur per derivationem etiam errori finem dedisse. *S.*

Ubi Lydius.] Qui per Tybrim fluit. Ideo sic dictus à fratre Tyrrheni; Tusci enim à Lydis originem ducunt. Nam Lydus & Tyrrhenus duo fratres, quum eos provincia una non ferret, in sortem miserunt, ut, divisis copiis, proficisceretur unus ad novas sedes quærendas: profectus Tyrrhenus est, qui ex suo nomine Tuscos *Tyrrhenos* vocavit. *Lydia* autem dicta est, in qua frater remanserat. Unde nunc traxit, ut *Lydium* diceret. *Thusci* autem, à frequentia sacrificii dicti sunt, hoc est ἀπὸ τοῦ θύειν. Constat namque illic à Tage aruspicinam repertam; ut Lucanus meminit: *Sed conditor artis Finxerit ista Tages.* Apud Tuscos etiam togæ usus est, nam hoc habitu in Lydia Jovis simulachrum fuisse dicitur. *Idem.*

782. *Leni agmine.*] Leni impetu, vel fluore: & multis rebus hoc nomen adjungitur. *Idem.*

Leni fluit agmine Thybris.] In codicibus aliquot pervetustis, pro *Leni*, *læto* habetur. Sed Ti. Donatus omnino *leni* agnoscit. ait enim, Laus interea fluminis illa est, quod copiosus, quod lenis, quod in ipso aquarum redundanti tractu per agros ubertim fluens nihil lædat. *Pierius.*

Leni fluit agmine Thybris.] Actus ille, quo flumen volvitur, & aquæ succedunt aquis, *agmen* dicitur eleganti tralatione: quæ ante Poëtam in usu. Enn. lib. 1. apud Macr.

Quod per amœnam urbem leni fluit agmine flumen. Et Lucret. lib. 5.

—— *super terras fluit agmine dulci.*

Locutionem de amne leniter fluente, Poëtæ alii variis flexibus. Horatius de Liri, —— *quieta*
Mordet aqua taciturnus amnis.

Ovidius,
—— *sine vertice aquas, sine murmure euntes.*

Ausonius: —— *& amœna fluenta*
Subterlabentis tacito rumore Mosellæ.

Tibullus,
At te Cyde canam, tacitis qui leniter undis
Cæruleus placidis per vada serpis aquis.

Statius in Silv.
Qualis Cinyphius tacente ripa
Pœnos Bagrada serpit inter agros.

Silius lib. 8. de Numico:
Labitur, & leni per valles volvitur amne.

Cerda.

Leni fluit agmine Thybris.] Quædam notavi de hoc amne l. 1. Georg. ỳ. 499. quid sit *leni agmine fluere* docet Sciopp. l. 3. suspect. lect. epist. 22. Servii interpretationem laudans, ubi emendat Apulejum, qui *amnibus* pro *agminibus stagnantibus* male habet, & citat Ennii versum, qui in quinto ait:

Quod per amœnam urbem leni fluit agmine flumen.

De Thybride, leni agmine fluente, sæpe Livius l. 1. c. 3. ubi Albulæ nomen habet, & post *Thybridis*. idem c. 4. *super ripas Tiberis effusus lenibus stagnis.* & l. 2. c. 5. *fudere in Tiberim, tenui fluentem aqua, ut mediis caloribus solet.* De Cocyto Horat. l. 2. od. 14. *flumine languido* errante. *Emmeness.*

783. *Regnumque & regia.*] Cur ergo Æneas horum non meminit, & considit in Thracia & aliis locis. *Servius.*

784. *Parta.*] An parata, an adquisita armis? *Idem.*

Lacrimas dilectæ pelle Creüsæ.] Melius ad posteriora referimus; ut dicat, *Noli flere:* nec enim captiva sum. Male enim plerique dicunt, quia habes uxorem paratam. *Idem.*

Aſpiciam, aut Graiis ſervitum matribus ibo,
Dardanis, & divæ Veneris nurus:
Sed me magna deûm genetrix his detinet oris.
Jamque vale, & nati ſerva communis amorem.
Hæc ubi dicta dedit, lacrimantem & multa volentem
Dicere deſeruit, tenuiſque receſſit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;

Ter

786. *Servitum.*] Ut ſerviam. Verbum finitum & modus gerundi eſt. *S.*

787. *Dardanis.*] Laus à majoribus. *Idem.*

Dardanis.] Laus communis à genere. *Donatus.*

Nurus.] Laus à cognatione. Sane hunc verſum quidam ita ſupplevit, *& tua conjux.* Servius.

Veneris nurus.] Laus propria ipſius. Sum ergo liberata ab hominum infimorum ſervitute, & ei deæ collocata, ex qua ſe ortos omnes dii gloriantur, & habitabo in locis originalibus. Magna ergo conſolatio, qui uxorem nec captivam, nec occiſam invenit, ſed detentam voluntate ejus deæ, qua nulla eſt potior. *Donatus.*

788. *Sed me magna Deûm genetrix.*] Ad hujus loci explicationem ſignatiſſima ſunt verba Pauſan. in Phocicis: *De Creüſa memoriæ proditum eſt, à Deûm matre, & Venere Græcis ereptam, & in libertatem vindicatam. fuiſſe vero eam Æneæ uxorem.* vere itaque rapta eſt à Cybele. *Cerda.*

His oris.] In quibus colitur plus quam in Creta. *Servius.*

789. *Jamque vale.*] Recedentis ſignificatio eſt. Unde & mortuis dicitur, ut, *Salve maxime Palla Æternumque vale.* Idem.

Nati ſerva communis amorem.] Quaſi mater ſollicita, quod dixerat eum aliam habiturum uxorem. Bene ergo propter futuram novercam commendatur Aſcanius. *Idem.*

Nati communis.] Nam & illo poterit levare uxoris amiſſionem: & etiam admonet propter novercæ ſuſpicionem, ut magis indulgeat filio. Ac propterea hoc noviſſimum collocavit, ut magis pectori infixum relinqueret. Non tamen apertius hoc dixit, ne ſi aliter ſentire videretur, receſſuri animum læderet. *Donatus.*

Nati communis amorem.] Epilogus plenus amoris in Aſcanium. Sic & Alceſt. apud Eurip. moriens ad virum Admetum,

— *παῖδας χειρὸς ἐξ ἐμῆς δέχου,*
Σὺ νῦν γενοῦ τοῖς δ' ἀντὶ ἐμοῦ μήτηρ
τέκνοις:
— *liberos cape ex manu mea,*
Tu nunc eſto pro me mater hiſce liberis.

& Propert. lib. 4. eleg. 12. ore Corneliæ ad Paulum:

Nunc tibi commendo communia pignora natos.
Hæc cura & cineri ſpirat inuſta meo.

Cerda.

790. *Hæc ubi dicta.*] Ingratum facinus fuiſſet, niſi demonſtraſſet, & plura ſe fuiſſe dicturum, & ad illius dicta reſponſurum, ac diutius eam retenturum, niſi ipſa deceſſiſſet. *Donatus.*

Hæc ubi dicta dedit.] Habes verba eadem in Lucillio lib. 1. Satyr.

Hæc ubi dicta dedit, pauſam facit ore loquendi.

& in Livio lib. 22.

Hæc ubi dicta dedit ſtringit gladium.

Cerda.

792. *Ter conatus.*] Demonſtrat proprie volentem amplecti, quod corporale non fuerat. *Donatus.*

Conatus.] Ibi enim ponitur conatus, ubi effectus non ſequitur. *Idem.*

Ter conatus.] *Ter*, id eſt, ſæpius. Et bene, *conatus*: nam ibi ponitur conatus,

tus,

Ter frustra conprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Sic demum socios consumta nocte reviso.
Atque hic ingentem comitum adfluxisse novorum
Invenio admirans numerum; matresque, virosque,
Collectam exsilio pubem, miserabile vulgus:

Undi-

tus, ubi effectus sequi non potuit. Hæc autem Scaliger cum Homericis componit, lib. 5. cap. 3. Atque eadem aliter efferuntur, 4. Georg. de Eurydice:

Dixit, & ex oculis subito, seu fumus in auras
Commixtus tenues, fugit diversa, &c.

Et est descriptio spiritus. *Taubm.*

793. *Conprensa.*] In vetustissimis aliquot exemplaribus Vaticanæ bibliothecæ, & nonnullis aliis, præcipueque in Longobardico, & in Mediceo *compressa* legitur, & ita etiam legere est apud Donatum. Facile vero crediderim antiquorum more, *compre'sa*, Sicilico, geminationis nota, superimposito fuisse prius, unde *Comprensa* emanarit eorum errore, qui Sicilicon pro *n* littera, ut plerunque alias, accepere. Neque illud dissimularim, esse veteres codices, in quibus *compressa manu effugit*, absque synalœphe legatur. Sed enim hoc non æque placet, quia versus ita nimium elanguesceret. *Pier.*

Manus effugit imago.] Quasi imago, quæ non tenetur. Naturale enim est, ut non possit teneri. Nam in septimo quod ait, *Da dextram misero*; auxilium significat. *Servius.*

794. *Par levibus ventis.*] Puris & non vehementibus. *Idem.*

Simillima somno.] Pro *somnio*: Sic Cicero, *Simillimum deo judico.* Nam genitivo plurali, debuit jungi superlativus. *Idem.*

Par levibus ventis, volucrique simillima somno.] Non prætereunda fuit lectio Medicei codicis, *par levibus pennis volucrique simillima vento.* licet *somno* dubio procul castior lectio sit & agnita Servio. Et, *Levibus ventis*, alia fere omnia habeant exemplaria. *Pierius.*

795. *Sic demum.*] Novissime. *Serv.*

Socios consumta nocte reviso.] Propert. lib. 1.

Namque ubi longa meæ consumpsti tempora noctis,
Languidus exactis hei mihi sideribus.

Germanus.

797. *Invenio admirans.*] Quum invenissem, admiratus sum. Vel admiratus sum tantos evadere potuisse. Sane adamat Poëta ea, quæ legit, diverso modo proferre. Nævius belli Punici primo de Anchisa & Ænea fugientibus hæc ait, *Eorum sectam sequuntur multi mortales.* Ecce hoc * est, *Invenio admirans numerum.* Multi alii è Troja strenui viri, ecce hi sunt animis parati, ubi foras cum auro illic exibant: Ecce & opibus instructi. *Servius.*

798. *Exsilio.*] *Ad exilium* alii. Donatus contra metrum sensit, dicens *Ex Ilio*, quasi de Ilio. Nam *i* longa est. *Idem.*

Exsilio.] Donati sententiam impugnat Stephanus lect. Virgil. p. 16. peccari in legem metri. producenda enim prima in *Ilium.*

—— fuit Ilium & ingens, &c.

Notari velim, quod moneo alias, Servium Donatumque miris hic modis confundi, adeo ut utrius sententiam sequaris, vix videas. *Emmeness.*

Miserabile vulgus.] Magnum est quod addidit *vulgus.* sic Statius, *Unde hoc examen, & una Tot miseræ.* Servius.

Miserabile vulgus.] Magnus Scaliger, lib. 3. cap. 26. non immerito quærit, cujusmodi facie *hoc vulgus miserabile* describi aut pingi possit? *Taubmannus.*

799. Un-

Undique convenere, animis opibuſque parati;
In quaſcumque velim pelago deducere terras.
Jamque jugis ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem; Danaique obſeſſa tenebant
Limina portarum: nec ſpes opis ulla dabatur.
Ceſſi, & ſublato montem genitore petivi.

799. *Undique convenere.*] Videtur hoc loco tanquam omnium conſenſu regnum ad Æneam eſſe delatum. *Serv.*

800. *Animis opibuſque parati.*] Et volebant & poterant, vel fortes pariter & divites. *Idem.*

800. *Deducere terras.*] Juxta morem Romanum *deduci coloniæ* dicebantur. Bene ergo de Ænea dixit *Deducere*, quod eis civitatem conditurus erat. *Idem.*

801. *Jamque jugis ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ.*] Ut Trojanis videtur. Sic alibi: *Tibi deſerit Heſperus OEtam.* Secundum perſuaſionem eorum, qui circa montes habitant, illic enim vel occidere, vel oriri putant ſidera; unde videri vel incipiunt, vel deſinunt. Hoc eſt autem quod ei Venus promiſit: *Nunquam abero:* Varro enim ait hanc ſtellam Luciferi, quæ Veneris dicitur, ab Ænea, donec ad Laurentum agrum veniret, ſemper viſam, & poſtquam pervenit, videre deſiiſſe. Unde & perveniſſe ſe agnovit. Bene autem Poëta diligentia ſua dierum horis, hic quæ aguntur, accommodat: ut hoc loco quod de patria cum patre & filio diſcedit Æneas, ait *ſurgebat.* Idem.

Jamque jugis ſummæ.] Apoll. 1. αὐτὰρ ὅτ' αἰγλήεσσα φαεινοῖς ὄμμασιν ἠὼς πηλίου αἰπεινὰς ἴδεν ἄκριας. & 3. ἤδη δ' φόως νιφόεντος ὕπερθεν καυκάσου ἠριγενὴς ἠὼς βάλεν ἀντέλλουσα. Vide autem num Virgilius reſpexerit Lucretii illos verſus l. 5. de Ida monte ſolis exortu inſigni, & admirabili: ſunt autem hi.

Aut quia conveniunt ignes, & ſemina multa
Confluere ardoris conſuerunt tempore certo,
Quæ faciunt ſolis nova ſemper lumina gigni,
Quod genus Idæis fama eſt à montibus altis
Diſperſos ignes orienti lumine cerni,
Inde coire globum quaſi in unum, & conficere orbem.

In quem locum Lucretii citat & hanc Diodori Sic. teſtificationem lib. 17. Lambinus: ἴδιον δέ τι καὶ παράδοξον συμβαίνει. *Germ.*

Jamque jugis.] Juga ſeu promontoria montis Idæ quattuor eſſe, *Phalacram, Lectum, Pergamum, Gargaron* docet Cælius lib. 13. c. 29. *Taubm.*

802. *Ducebatque diem.*] Quia Lucifer lucis eſt prævius. *Servius.*


Ducebatque diem.] Quia prævius, & quaſi dux lucis eſt. Ita Aratus, ἄγειν ἦμαρ, de Lunâ. Plaut. Menæch. Luciferum eleganter *diurnam ſtellam* vocat. *Taubm.*

803. *Opis.*] Ferendi auxilii. Vel ad cæteros liberandos, qui non fuiſſent occiſi, vel ad eruendam de captivitate patriam, quia dicit, *Danaique obſeſſa tenebant Limina portarum.* vel *Ceſſi*, hoc eſt, tantis difficultatibus vel malis; & propriè *cedere* dicuntur, qui patriam relinquunt. Ut oſtendit in IX. Idam ſignificat. *Servius.*

104. *Sublato genitore.*] Ubique inventa opportunitate pietatem ſuam erga patrem vult oſtendere. *Idem.*

Montem.] Hoc eſt, Idam. *Idem.*

Et ſublato montem genitore petivi.] Sunt qui *montis* plurali numero legendum adſerant: eam lectionem ex antiquis codicibus, in Mediceo tantum inveni: In aliis *montem* unitatis numero ſcriptum obſervavi. Sed in contextu etiam Donatiano, *montis* eſt, numero multitudinis. *Pierius.*





G. Appelmans. sculp

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS
LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Eversa Troja, Æneas collectis suorum reliquiis, quæ cædi flammisque superearant, parataque apud Antandrum viginti navium classe, primum in Thraciam defertur: ubi cum futuræ urbis fundamenta poneret, territus Polydori à Polymnestore cæsi prodigiis, Delum petit. Consultoque ibi Apollinis oraculo, cum antiquam gentis suæ matrem, hoc est, primam originis suæ terram repetendam didicisset, falsa Anchisæ patris interpretatione adductus, Cretam contendit. Verum cum ibi quoque, positis jam mœnibus, gravissima peste exagitaretur, in somnis monitus à Diis penatibus, relicta Creta, Italiam petit. Ibi, subito oborta tempestate, primum ad Strophades insulas appulsus, ab Harpyis infestatur, mox Actium delatus, in honorem Apollinis ludos celebrat. Inde Corcyram prætervectus, Epirum tenet: quæ id temporis Heleno, Priami filio, parebat, cui post Pyrrhi cædem Andromache in conjugium cesserat. Helenus Æneam hospitio excipit, omnique humanitatis genere complectitur, imminentiumque terra marique periculorum certiorem facit. Æneas, relicta Epiro, Tarentum, primamq; Italiæ oram prætervectus, ad eam Siciliæ partem, quæ Ætnæ monti adjacet, appellitur. Ibi Achæmenidem, ab Ulysse in Cyclopis antro desertum, supplicem recipit, edoctusque ab eo de Cyclopum feritate, inde anchoras solvit: memorque præceptorum Heleni, vitatis Charybdis & Scyllæ periculis, Siciliæ litora longo circuitu circumvectus, tandem Drepanum advehitur, ubi Anchises, tum senio, tum longæ navigationis jactatione fatigatus, fatis concedit. Inde Italiam petiturus, immissa ab Æolo subita tempestate, in Africam ejicitur: quam partem libro primo exequitur.

Postquam res Asiæ, Priamique evertere gentem
Inmeritam visum Superis, ceciditque superbum
Ilium,

1 *Postquam res Asiæ, Priamique evertere gentem.*] Secundum interrogationem Didonis post insidias Græcorum, & casus suorum, proprios errores exequitur, quos pertulit antequam ad Africam perveniret: ordine, ut supra diximus, commutato. Nam rectum operis initium est, *Fracti bello, fatisque repulsi.* Fuga autem ejus hæc est, relinquens Ilium, Idam tenuit. Inde Antandrum civitatem: juxta quam factis navigiis tenuit Thraciam, in qua Ænum constituit, ut multi putant. Mox prodigiis territus, Delum tenuit. Illic accepto augurio, errore patris prætervectus Cycladas, venit ad Cretam: ubi cum pestilentia laboraret à diis penatibus monitus, ad Strophadas devectus est insulas. Inde prætervectus maritima Græciæ, apud Epirum susceptus est Heleni hospitio. Unde profectus Calabriam tenuit: & illinc statim territus adventu Diomedis, abscessit; navigavitque usque ad Scyllam, & Charybdim, quæ sunt Ætnæ vicinæ. Unde vento pulsus, circumita maxima parte Siciliæ, Drepanum venit. Ubi secundum Virgilium, perdidit patrem. Inde (ut est in primo) ad Didonis regna pervenit. *Servius.*

Postquam.] Hæc particula connectendis adjungitur rebus: ut, *Postquam altos tetigit fluctus.* Sic enim dictis sequentia copulantur. *Idem.*

Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja;

Diversa

Postquam.] Propositio μελαγχολικὴ: à qua sæpicule libros suos orditur Maro: sicut Homerus à χειρογραφία. Strictim autem tangit jam dicta, & summatim proponit post dicenda: in utrisque quidem calamitosa sibi omnia; tam præterita, quàm futura. Cæterum, versus hos sonoros esse cum majestate, docuit Scaliger lib. 2. cap. 29. Poët. *Taubm.*

Res.] Quamvis multa, prout locus exegerit, significet; modo tamen imperium, aut *res* hic pro universo statu Asiæ. Bene autem *Asiæ*, quasi orbis tertiæ partis. Nam Phrygia in Asia est: Ilium in Phrygia minore. *Servius.*

Res Asiæ.] Id est, Imperium Iliense. ita ℣. 54. *Res Agamemnonias*, dixit. Et ambitiose, *Res Asiæ:* quasi tertiæ Orbis terrarum partis. *Taubm.*

Priamique evertere gentem.] Non est iteratio. Nam potuit aliud sine alio fieri, ut vel Phrygia tota everteretur; vel solum Ilium periisset. *Servius.*

Gentem inmeritam.] Bene *gentem.* Nam Laomedontis, & Paridis culpa, universa gens perire non debuit. *Idem.*

Priamique evertere gentem inmeritam.] Ait Ursin. allusum à Poëta ad versus plures Homeri Il. 4. apud quem Juppiter fatetur, nullam esse urbem, nullam gentem, quam ille æque dilexerit ac Trojam, ac Priamum, & Priami populum: cujus rei rationem assignans, ait: (ἐίσης,

Οὐ γάρ μοι ποτὲ βωμὸς ἐδεύετο δαιτὸς
Λοιβῆς τε κνίσσης τε:

Non enim mihi unquam ara carebat convivio pari
Libationeque nidoreque.

Immerita ergo everti urbs, Rex, & populus, qui tam impense colebant Numina. *Cerda.*

2. *Visum Superis.*]Ut ipse ait, Neptunum, Junonem, Minervam vidisse se eversores Trojæ: Laus Ilii est, quod non nisi dii potuerunt subvertere. Quotiescunque autem ratio, vel judicium non apparet, *sic visum*, interponitur: ut Horatius, *Sic visum Veneri:* cum amorem ostenderet non esse pulchritudinis. Et bene accusatio in deos habet quandam venerationem, alioquin sacrilegium est. *Servius.*

Visum Superis.] Invidiose, ut apud Horatium lib. 1. od. 33.

Sic visum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos sub juga ahenea
Sævo mittere cum joco.

Et apud Claud. 3. Rapt. in querelis de rapta filia, Ceres, *sic placitum patri.* Reddit Græca Sophocl. in Ajac. θεοῖς γὰρ ὡς ἔδοξε. Et est laus Ilii, quod non nisi à Diis everti potuerit. *Cerda.*

Visum Superis.] Quotiescunque ratio non apparet, *Sic visum*, interponitur. Vide Not. 2. Æn. ℣. 428. *Diis aliter visum:* item Turneb. lib. 6. c. 21. Et occulte purgat & laudat suos: ut qui non à Græcis, sed à diis vinci potuerint. *Taubm.*

Superbum Ilium.] Nobile. *Ilium* autem Virgilius, neutro tantum genere declinat. Horatius etiam fœminino, ut, *Non semel Ilios vexata.* Sane modo *Ilium* proprie de civitate dixit. Nam regio Troja est: quamvis interdum pro civitate provinciam ponat: ut, *Et campos ubi Troja fuit.* Servius.

Superbum Ilium.] Id est, nobile, sive magnum. *Ilium* autem (auctore Servio) noster genere neutro tantum declinat: Horatius, & Græci, etiam fæminino. Epod. Od. 14.

—— *quod si non pulchrior ignis*
Accendit obsessam Ilion.

Idem 4. Od. 9.

—— *non semel Ilios vexata.*

Homer. sæpe ἴλιον ἱρὴν. Et notavit princeps litterarum Joseph. Scaliger, Latinos in commune omnes Urbis fæminino genere recte efferre. Ita Catullus, *regia Cranon: Sirmo venusta.* Sillius, *regia Pleuron.* Juvenalis, —— *quam Dorica sustinet Ancon.* Ovidius, *defensa est Ilion armis.* Idem: *Vestris disjecta lacertis Ilion.* ubi vulgo *Ilios* supponunt, perperam. *Taubm.*

3. *Humo fumat Neptunia Troja.*] *Humo,*

Diversa exsilia, & desertas quærere terras

Augu-

mo, ab humo, id est, funditus: ut significet patriæ suæ solum quoque arsisse. *Servius.*

Fumat.] Sane quæritur quomodo dixerit *Cecidit*, & *Fumat*. Sed aut per licentiam poëticam, tempus pro tempore posuit: ut, *Meminisse horret, luctuque refugit*. Aut certe naturam rerum expressit. Nam *ruina* fit brevi, *fumus* vero longo permanet tempore. *Idem.*

Fumat.] Soloecismum esse *cecidit* & *fumat* Probus & Charisius opinantur. Sed non raro præsens pro præterito invenias, præsertim si res necdum finem habere videntur. Ex ingenti incendio fumus diuturnior esse solet. Idcirco hoc loquendi genus exaggerandi vim habet, eo nempe tempore flammas necdum cessare. Ita Ter. Ad. 3. 3. 11. *enarramus* pro *enarravimus*. Apud Pers. Satyr. 2. ✠ſ. 59. *impulit & mutat*. & Ov. l. 1. Trist. eleg. 9.

Dardaniamque petit auctoris nomen habentem.

Præcessit *reliquit*. De hocce Maronis loco, qui Euripidi, apud quem κατασκάφθαι Τροίαν, debetur, agit Petr. Victor. lib. 34. cap. 11. *Emmeness.*

Neptunia Troja.] Bene & subtiliter etiam diis invidiam commovet, ut ea cecidisse dicat, quæ putabantur deorum. Sane fabula talis est, Laomedon, rex Trojanorum, sollicitus pro opibus suis, petit Apollini & Neptuno, ut Ilium cingerent muris, mercede promissa; quo impetrato, quæ diis promiserat, denegavit. Sed Neptunus iratus, cetos, id est, belluas marinas immisit; quod malum Trojani passi sunt, nece filiarum, quas bellua consumebat, donec, apertiore responso, Hesiona, Laomedontis filia, monstro exponeretur, quam Hercules, Troja eversa, liberavit, & amico suo Telamoni dedit uxorem. Sane, Laomedonte occiso, Priamo Phrygiæ donavit imperium. *Neptunia* autem *Troja*, quia Neptunus & Apollo eam cinxit muris, sicut prædiximus. *Serv.*

4. *Diversa exsilia.*] Multi ad illud referunt, *Magnum quæ sparsa per orbem*. Constat namque diversas partes orbis tenuisse Trojanos, ut Helenus & Antenor: Sed melius est, ut specialiter hoc Æneæ daret, qui compulsus auguriis est, diversas terras, hoc est, in diversa regione positas, quærere. ideo, *Incerti quo fata ferant*. Idem.

Desertas.] A Dardano accipe. Nam ubique uberes esse legimus: aut *desertas*, ut quidam volunt, quas & tenuimus & deseruimus; ut Cretam & Thraciam. *Idem.*

Terras desertas.] *Desertas* Sanctius pro *deserendas* dici asserit p. in Min. 55. ubi plura, quibus sententiam firmat. Turnebus l. 17. c. 6. intelligit *loca sola*, in quibus antea oppidum non fuerat conditum. Pierii lectionem tamen, quæ sequitur, non aspernamur. *Emmeneßius.*

Diversa exsilia & desertas quærere terras Auguriis agimur Divum.] In codicibus aliquot manu scriptis, & vetustate ipsa venerabilibus legere est, *Diversa exsilia, & diversas quærere terras*. Sed *desertas* Ti. Donatus agnoscit, ut in integris ejus in Virgilium commentariis legimus. Ex hisque duo pessima Æneæ proposita dicit. Avellebantur quippe a cineribus patriæ, diversa exilia & terrarum solitudines petituri. hoc enim modo *Desertas terras* interpretatur. Servius vero, quum videret Terras, Æneæ fatis debitas, hominum robore, & frequentia, & hubere glebæ commendari, commentus est, non solitudinarias, aut incultas, sed a Dardano desertas, interpretari: quæ sententia, sicui magis adrideat, non laboro. Sane vero sunt, qui respexisse Virgilium dicant, ad primam urbis Romæ ædificationem: quam Strabo dicit non apto, neque idoneo loco positam, solo neque feraci, neque agro satis ad alendum spacioso, sed quem Romulus & Remus necessitate coacti potius, quam voluntate, coluerint. ita enim Strabo, Κτίσαι τὴν Ῥώμην ἐν τόποις

Auguriis agimur divûm, classemque sub ipsa
Antandro & Phrygiæ molimur montibus Idæ;

Incerti

ἐν τόποις οὐ πρὸς ἄρσιν μᾶλλον, ἢ πρὸς ἀνάγκην ἐπιτηδείοις, οὔτε γὰρ ἐρυμνὸν τὸ ἔδαφος, οὔτε χώραν οἰκείαν ἔχον τὴν πέριξ ὅση πόλις πρόσφορος. In superioribus autem quod vulgata legunt exemplaria, *visum Superis:* Vetera quædam habent, *visum est Superis*, substantivo verbo interjecto: quod quamvis versum numerosiorem faciat: absque eo tamen structura videtur elegantior. Missa vero sint, quæ multa super *fumat* disputant Grammatici. Si dixero Comminianum asserere *fumat*, hoc loco solœcismum esse per tempus. *Pierius.*

5. *Auguriis agimur divûm.*] Pro ostentis; id est, Ex flamma, quæ tempora Ascanii pasta est, cursu stellæ: Crëusæ admonitione, quæ dixit, *Ad terram Hesperiam venies.* Servius.

6. *Sub ipsa Antandro.*] Juxta Antandrum. Est autem civitas Phrygiæ, dicta *Antandros*, vel quod de Andro insula eam condiderunt coloni, quasi ἀντὶ ἄνδρου: vel quia Græci venientes per Thraciam, ceperunt Polydorum: pro cujus pretio hanc accepere civitatem, quæ ex facto nomen accepit. *Antandros*, id est, propter virum data. Fertur tamen quod post acceptum pretium à Græcis occisus sit lapidibus: Quamvis huic opinioni Virgilius non consentiat. Nonnulli adserunt Antandron insulam esse vicinam Trojanis regionibus, ab hac populos Medos, coactos loci angustia, ad vicina littora profectos, civitatem *Antandron* ex nomine patriæ condidisse. Alii à Polymnestore occisum dicunt post eversam Trojam, & in maria præcipitatum. Cujus quum mater Hecuba agnovisset cadaver: cum captiva duceretur, flendo in canem conversa est, cum se præcipitare vellet in maria. Quod ideo fingitur, quia nimio dolore inaniter Græcis convitiabatur. *Idem.*

Antandro & Phrygiæ mol. mon. Idæ.] In exemplaribus aliquot antiquis, absque *et* particula copulativa legitur, *Antandro, Phrygiæ molimur montibus Idæ.* Verum ea particula nimirum loco hoc & necessaria est, & ad venustatem facere videtur. *Pierius.*

Sub ipsa Antandro.] Ob commoditatem & copiam (utor verbis Turnebi l.17. c.6.) navalis materiæ ex Ida monte quasi ex ὑλοτομίῳ Maro Æneam Antandri classem ædificasse scribit. Quo loco plerumque naves struebantur teste Xenephonte 1. Hellen. ἐκέλευσε ναυπηγεῖσθαι ἐν Ἀντάνδρῳ. Iterum, καὶ ἄλλαι ἐν Ἀντάνδρῳ ἐναυπηγεῖτο. His adde Strabonem lib. 13. qui docet eundem fuisse locum, ubi à Paride diffidentes judicatæ Deæ sunt. Stephanus πόλιν statuit ὑπὸ τὴν Ἴδην. Nec aliter Strabo l. 13. Ἄντανδρος ὑπερκείμενον ἔχουσα ὄρος, ὃ καλοῦσι Ἀλεξάνδρειαν. à *Paride*, qui etiam dictus fuit *Alexander.* Antandrus nunc *S. Dimitri* scriptore Sophiano. De origine nominis disputat Is. Vossius ad Melam l. 1. c. 18. Meminit hujus Ovid. Met. l.13. ℣. 627.

—— *profugaque per æquora classe*
Fertur ab Antandro. Emmeness.

Phrygiæ Idæ.] Ad discretionem Cretensis. *Servius.*

Molimur.] Fabricamus, paramus. Et bene petit loca, in quibus & lateret, & navigia præpararet. *Idem.*

Molimur.] *Moliri*, est operari, & industrie aliquid conari, aut tractare: ut hic explicat *J. Gulielm. Plaut. Quæst. Epid.* cap. 4. Cicero: *Nihil agit, nulla opera molitur.* Plautus Bacchid. *Insanum magnum molior negotium, metuoque ut possim emoliri.* Taubm.

Idæ.] Cælius Rhod. lib. 28. cap. 1. docet, quemlibet montem, unde circumjecta spectari valeant, recte dici *Idam*, auctore Didymo: & *Idæum* capi pro montano. Trojam item dici *Idæam*, παρὰ τὸ ἰδεῖν. *Idem.*

7. In-

Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur,
Contrahimusque viros. vix prima inceperat æstas;
Et pater Anchises dare fatis vela jubebat:
Litora cum patriæ lacrimans portusque relinquo,

7. *Incerti.*] Quia quisquis navigat, licet mente destinet locum, quo tamen feratur, incertus est. Ergo non ignari, quibus dictum erat, ut Italiam peterent; sed incerti ubinam esset Italia. *Servius.*

Quo fata ferant.] Quia nec in Thracia permansit, nec in Creta. *Idem.*

Ubi sistere detur.] Propter diuturnum errorem, & quia sicut dictum est, ad multa delatus loca est; aut propter dubietatem oraculorum, certum enim erat, nos à Troja debere proficisci, incertum tamen, ubi esset consistendum. *Idem.*

Ubi sistere detur.] Pro eo Ovid. lib. 1. Metam. ℣. 107. *ubi sidere detur.* Quam lectionem ex Ovidianis codicibus firmat Nob. Heinsius. Hanc tamen genuinam lectionem agnoscere videtur. *Emmeness.*

8. *Contrahimusque viros.*] Colligimus. Eos scilicet, qui ad auxilium venerant. Unde est, *Unam quæ Lycios fidumque vehebat Orontem.* Item, *Et fratres Lycia missos, & Apollinis agris.* Servius.

Contrahimusque viros.] Sic Græci ἀνδρολογεῖν, στρατολογεῖν, καταλέξασθαι τὴν στρατιὰν, συνάγειν, & συναγείρειν στράτευμα dicunt, contrahere, & comparare exercitum. Homer. Od. ξ. ὅσσα ξυναγείρατ᾽ ὀδυσσεύς. Et Xenophon: συνάγειν ἀνθρώπους εἰς κηδείαν, & σύλλογον ποιεῖσθαι. Videri potest pari forma Pindarus Od. 10. Olymp. ὁ δ᾽ ἄρ᾽ ἐν πίσα ἔλσαις ὅλον τε στρατὸν, &c. ἀντὶ τοῦ ἕλξας, nisi conflatum sit, pro ἐλάσας. *Germanus.*

Vix.] Mox: ut, *Vix è conspectu Siculæ telluris in altum Vela dabant læti.* Serv.

Vix.] Nam fugitivi maturum tempus expectare non possunt, & quia definita loca non habuimus, navigamus, quo fata ducebant. *Donatus.*

Prima æstas.] Ut prima pars æstatis, quia est ea adulta & præceps. Aut vernum tempus dicit, quamvis Palefatus tradat, capto Ilio, Ænean post triennium navigasse, & hæc conjunctio velocitatem videtur ostendere. *Servius.*

Prima æstas.] Accipe ver primum, id est, initium veris, ex nota, quam jam dedi in Georgicis. Veteres enim cum annum in duas tantum partes dividerent, eas nominabant hiemem, & æstatem, abstinebantque à nomine veris & autumni. *Cerda.*

Vix prima incep. æstas.] Sequitur eos, qui fine veris Ilion captum volunt, paulo ante solstitium: ut disputat Jos. Justus Scaliger, De Emendat. Tempor. lib. 5. *Taubm.*

9. *Et pater Anchises.*] Ut agendarum rerum auctoritatem adsignet Anchisæ. Et ut diximus, τὸ πρέπον servat, ut pater jubeat. *Servius.*

Dare fatis vela.] Id est, navigare, *quo nos cunque ferat melior fortuna:* ut loquitur Horat. 1. od. 7. *Taubm.*

10. *Litora cum patriæ lacrimans.*] Amat Poëta quæ legit, immutata aliqua parte vel personis, ipsis verbis proferre. Nævius enim inducit uxores Æneæ & Anchisæ cum lacrimis, illum relinquentes his verbis, *Amborum uxores noctu Troja de exibant, capitibus opertis, flentes ambæ, abeuntes lacrimis cum multis.* Hoc iste Ænean eodem in tempore ejusdem rei causa inducit fecisse, cum dicit, *Litora tum patriæ lacrimans portusque relinquo;* & multi tradunt hoc in primo dictum, *Trojæ qui primus ab oris.* Servius.

Litora.] Nam patria perierat, & commuto terram, locum stabilem & certum, & sequor incerta maris. *Donatus.*

Et campos ubi Troja fuit. feror exsul in altum
Cum sociis, natoque, Penatibus, & magnis dîs.

Terra

11. *Campos ubi Troja fuit.*] Hoc est, quod ait, *omnis humo fumat Neptunia Troja.* Servius.

Et campos.] Non sine summo dolore videt latitudinem camporum, in qua mœnia diruta jacebant. Et tria posuit, quæ per naturam suam non potuerunt perire: *litus, portum, campum.* Donat.

Et campos ubi Troja fuit.] Testatur Rudolph. Agricola, his verbis summam totius Æneidos contineri. Est autem exemplum miræ brevitatis, tantæque adeo, ut arctari magis & contrahi brevitas ipsa non possit. Quippe verbis paucissimis maximam civitatem hausit & absorpsit: non reliquit illi nec ruinam. Simile illud Cic. ad Herennium: *Lemnum præteriens cepit: inde Tharsi præsidium reliquit: post urbem in Bithynia sustulit: inde pulsus in Hellespontum, statim potitur Abydo.* Macrob. lib. 5. c. 1. & Quintilian. Institut. Rhet. Ovid. in Epist. Penelopes:

Pergama captivo jam bove victor arat.
Jam seges est, ubi Troja fuit. ——

Hanc tantæ urbis vastitatem tantam significantissime Strabo ἀφανισμὸν τέλειον appellavit: Suetonius ἄλωσιν Ilii, ut & Petronius. Nam Strabone & aliis auctoribus, Troja urbs ita funditus eversa est, ut indicium sui vix reliquerit: quippe cum illius lapides etiam translati sint, quibus vicina oppida instaurarentur: additis insuper, pro more veterum, diris & imprecationibus: ne quis eam postmodum incoleret. Horat. 1. Oda 16. Habet autem vox *Troja* emphasin: quasi dicat nobilis illa urbs & antiqua, & armis virisque potens, totius Asiæ opibus florentissima, &c. Scaliger, lib. 3. cap. 45. *Evasionis* sive *Perstrictionis*, quæ brevitas est figurata, exemplum hoc adducit. Et versus, inquit, divinus: quem adeo probavit Maro, ut seipsum, in decimo, sit imitatus:

Atque solum, quo Troja fuit.

Etiam Lucanus lib. 6.

Nunc super Argos arant. ——

Taubmannus.

Exul.] Quasi trans solum missus, aut extra solum vagus. *Servius.*

12. *Penatibus & magnis Dîs.*] Alii deos magnos *cœlum* ac *terram* putant, ac per hoc *Jovem* & *Junonem.* dii penates à Samothracia sublati, ab Ænea in Italiam advecti sunt; unde Samothraces cognati Romanorum esse dicuntur, quos inter cætera ideo *magnos* appellant, quod de Lavinio translati Romam, bis in locum suum redierint; quod Imperatores in provincias ituri, apud eos primum immolabant: quod eorum nomina nemo sciat; quod præsentes * sentiantur. Nam cum ambæ virgines in templo deorum Lavini simul dormirent: ea, quę minus casta erat, fulmine exanimata, alteram nihil sensisse, quos immani, * penitus in cultu habent, quos nisi sacerdoti videre fas nulli sit; qui ideo *Penates* appellantur, quod in penetralibus ædium cœli sedeant; nam & ipsum penetral *penus* dicitur, ut hodie quoque *penus Vestæ claudi*, vel *aperiri* dicitur. *Idem.*

Cum sociis, natoque, Penatibus, & magnis dîs.] Duo humana posuit, & duo divina: patris non fit mentio, quia secundum Virgilium ad Italiam non venit. *Idem.*

Cum sociis, natoque, &c.] Tacuit patrem, quia jam eum nominaverat. *Donatus.*

Cum sociis, natoque, Penatibus & magnis Dîs.] In antiquis aliquot codicibus, *gnato* cum *g* ante *n*: prout veteres scriptitasse Victorinus auctor est, & *dis* unico *i*, κατ' κρᾶσιν. Probus tamen mavult *diis* per duas *ii* literas scribi. *Pier.*

Penatibus & magnis Dîs.] Varro unum esse dicit, *Penates & magnos deos.* Nam & in basi scribebatur, *Magnis diis.* Potest tamen hoc & pro honore dici. Nam & dii magni sunt, Juppiter, Juno, Minerva,

Terra procul vastis colitur Mavortia campis, (Thra-

Minerva, Mercurius: qui Romæ colebantur. Penates vero apud Laurum Lavinium. Unde apparet non esse unum. Idem Varro & alii complures *magnos deos* adfirmant simulachra duo virilia, Castoris & Pollucis, in Samothracia ante portum sita, quibus naufragio liberati vota solvebant. *Servius.*

Penatibus, & magnis dis.] Conjungunt aliqui hoc argumento, quod Penates dicerentur θεοὶ μεγάλοι. Quamvis hoc sit verum, sed nihil suadet, ut hoc credamus: imo dissuadet Poëta, qui inaniter eandem rem bis diceret. Ergo hic *magni Dii* sunt Juppiter, Neptunus, Apollo, Vulcanus, Juno, aliique hujusmodi. nam 2. Æn.

Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna Deûm.

Et mox commemorat Neptunum, Junonem, Palladem, aliosque hujusmodi. Eodem traho versum illum,

Numina magna vocat, meritosque indicit honores.

Item illum 12.

Hoc habet, hæc melior magnis data victima Divis.

Neque enim his versibus ulla necessitas, ut Magnos Deos, id est, Penates, intelligamus. Demum à me contra nonnullos interpretes Turnebus est, qui lib. 15. c. 21. explicans versum, in quo sum, sic ait: *magnos Deos à Penatibus diversos facit Maro, et si multi eosdem censent: sed Penates Dii penetrales videntur fuisse, Diique familiæ: Dii magni illi, qui maximum imperium, & Numen habent, publiceque coluntur, ut Juppiter, Juno.* Quod deinde firmat duplici testimonio Arnobii: *Non denique Dii Magni, aut fugientes se Deos genus omne mortalium territant.* &, *Hoc ergo Dii magni monuerunt, perpetiuntur, sentiunt.* sic mihi visum de hoc loco, erunt qui confundant cum Macrobio. Non indigna, quæ audiatur Passeratii Nota lib. 2. in Prop. el. 34. Dii Magni dicuntur tribus modis. Uno, cum omnes Dii ornantur hoc epitheto: altero, cum Dii majorum gentium intelliguntur, & hi sunt duodecim illi Ennii versibus inclusi: tertio, cum Divi potentes significantur, δυνατοὶ θεοὶ, de quibus ita Varro lib. 4. Ling. Lat. *Ops, & Saturnus, id est, Cœlum, & Terra, Dii Magni.* Cerda.

Cum sociis, Penatibus, &c.] *Socios* nominat, quorum tamen Dux erat. quod mire facit ad benevolentiam. Vide 1. Æn.

O socii, neque enim ignari. &c.

Cur autem Patrem tacuit? Caussam putat Servius, quod is ad Italiam non pervenerit: Donatus, quod Pater modo, ut solverent, imperaverit. Jam de *Penatibus* & *magnis diis* mirifice variant auctores. Consulatis interea Macrob. lib. 3. c. 4. Saturn. & Alexandr. l. 6. c. 4. Turnebus lib. 15. c. 21. ad hunc locum; *Magnos*, inquit, *deos*, à Penatibus diversos facit Maro; etsi multi eosdem censent. Sed *Penates* fuisse videntur dii penetrales, diique familiæ. *Dii magni,* illi, qui maximum Imperium ac numen habent, publiceque coluntur, ut Juppiter, Juno, Minerva, Mercurius, &c. *Taubm.*

13. *Terra procul.*] *Procul* est quasi *porro ab oculis.* Unde potest & *satis longe* significare: & *non valde.* Hic tamen, pro *non valde longe*, ponitur: Brevis est enim Hellesponti transitus. *Servius.*

Terra procul.] Optime ignoranti Didoni terram exponit: in qua situs loci, & incolarum persona, & opportunitas, cum propter propinquitatem laborem longioris itineris levaret: propter fertilitatem indigentibus posset opitulari. Quoniam autem Thraces amiserant Lycurgum regem, videbatur, quod nullus adversarius venientes prohibere posset. Firmabat autem spem religio fœderis, diuturnitate temporis roborata. *Donatus.*

Procul.] De hac voce vulgus putat tantum esse, longe, non sic est. *procul*

(Thraces arant) acri quondam regnata Lycurgo;
Hospitium antiquum Trojæ, sociique Penates,

Dum

idem est, quod pro oculis, modo sit longe, modo prope. Servius 6. Æn. in illud,

horrendæque procul secreta Sibyllæ.

sic ait: *procul: haud longe, procul enim est, quod præ oculis est* (mallem diceret, pro oculis) *& quod porro ab oculis, unde duplicem habet significationem.* Hæc ille. quo loci, ut vides, *procul*, explicat, *haud longe*. & 6. Ecl. ad illud, *serta procul*, ita ait: *modo prope, id est, juxta*. Eodem modo explicat 10. illud, *procul ærea ramis Dependet galea*, id est, juxta. & hic etiam ait, *procul* sumi pro *non longe*, quia brevis transitus Hellesponti. Sed firmo hoc aliunde. Liv. lib. 40. *Postero die Perseus, cum primum conveniendi potestas patris fuit, Regiam ingressus perturbato vultu in conspectu patris tacitus procul constitit. Cui cum pater: Satin' salvus? & quænam ea mœstitia esset? interrogaret eum. De lucro tibi, inquit, vivere me scito.* Non potest esse longa loci intercapedo, ubi pater & filius ita facile verba commutant. *Cerda.*

Vastis.] Vastatis, & per hoc desertis, aut magnis. *Servius.*

Vastis colitur Mavortia, &c.] Maro imitatus Euripidem Thraces *gentem Martiam* dicit; & campos frumentarios. *vasti* enim *campi* sunt *magni campi*: quod arabantur & serebantur, frugiferi intelligi debent, auctore *Turnebo* lib. 11. c. 19. Mela, & alii Geographi, eam regionem nec cælo, nec solo lætam, nisi qua mari propior sit, adserunt. hinc alii *Thraces arant*, simpliciter interpretantur, habitant: alii, *arant*, id est, improbo & assiduo labore exercent, & ad frugem quasi cogunt. *Taubm.*

14. *Thraces arant*] Figurate, nam minus est *Quam.* Servius.

Acri.] Sævo & cruento. *Idem.*

Regnata.] Participium est sine origine verbi. *Idem.*

Regnata.] Passive, ut Hom. Od. δ. αἳ περιναιετάουσιν ἀνάσσονται δ' ἐμοὶ αὐτῷ. Idem Virg. regnandam acceperit Albam: & Epig. lib. 6. ἀπολύολβος ἠμαθία τοίῳ κραίνεται ἡγεμόνι· & Eurip. in Supp. οὐ γὰρ ἄρχεται ἑνὸς πρὸς ἀνδρός, ἀλλ' ἐλευθέρα πόλις· & Horat. Carm. 3. *Quid Seres, & regnata Cyro Bactra parent:* ut βασιλεύω, & βασιλεύομαι passive. Et Ovid. Metamorph. 8. *arva suo quondam regnata parenti.* Germ.

Lycurgo.] Lycurgus vero, ut alii dicunt, cum indignaretur Liberum ab omnibus gentibus coli, ut primum eum Thraciæ fines cum socio comitatu introiisse cognovit, comprehensas baccas ejus flagellis verberavit, ipsum vero insequi, ut occideret, cœpit. Sed postquam se Liber fugiens, ut evaderet, præcipitavit in mare, & Athen. * nympha exceptus liberatus est. Lycurgus autem hic filius Dryantis, rex gentis Bistonum fuit: qui, ut habet fabula, dum contemnens Liberum patrem, vites manu sua semper abscinderet, immisso à Libero furore, ipse sibi crura succidit. Revera autem abstemius fuit: quos constat acrioris esse naturæ, quod etiam de Demosthene dictum est. *Serv.*

Regnata Lycurgo.] Sic l. 6. Æn. v. 793.

—— regnata per arva
Saturno quondam ——

Horat. l. 2. od. 6. *Regnata Phalanto rura.* Fabulam Lycurgi, qui fuit παῖς Δρύαντος, Rex Thraciæ, Divorum & præcipue Bacchi contemptor, homo crudelissimus, de quo Petron. in Satyrico, tradit Apollod. l. 3. Bibl. p. in Edit. Fabri 174. Hyginus Fab. 132. & 242. idem est, de quo Horat. 2. od. 19. alius est legislator Lacedæmoniorum. *Licurgus* scribendum ex optimis codicibus adstruit Torrentius. Nonnulli retinent quidem *y*, sed *c* in *g* mutant, ut Dausquius in Orthogr. *Emmeness.*

15. *Hospitium antiquum.*] Aut carum: aut re vera antiquum. Nam tanta inter ipsos familiaritas fuit, ut Ilione filia

Dum Fortuna fuit. feror huc, & litore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis:
Æneadasque meo nomen de nomine fingo.

Sacra

filia Priami, Polymnestori nuberet Thracum regi. *Servius.*

Antiquum.] In antiquo admodum codice legere est, *anticum*: & ita inferius, *Terra Antica*, per *c* eadem proportione, qua *posticum* dicimus. Ait tamen Velius Longus, in uno ex his *u* insertum esse: In altero minime, ne quis novam hanc esse quæstionem putet. *Pierius.*

Sociique Penates.] Vel propter supra dictam conjunctionem Iliones & Polymnestoris; vel quia cum omni hereditate majorum; diviserant etiam deos penates Dardanus & Iasius fratres; quorum alter Thraciam, alter Phrygiam incoluit occupatam. *Servius.*

16. *Dum fortuna fuit.*] Scilicet bona: & simul ostendit fidem cum felicitate deficere. Sane sciendum, quod quotiescunque *fortunam* solam dicimus, felicitatem intelligi. Unde & *fortunatos* tantum felices: & *infortunatos* solos infelices vocamus. *Idem.*

Dum fortuna fuit.] Gnome pulcherrima. Cum florent opes & fortuna, amici suppetunt; illæ ut fugiunt, isti avolant. Jocasta apud Eurip. in Phoeniss. rogat Polynicem: φίλοι δ' πατρὸς, καὶ ξένοι σ' οὐκ ὠφέλουν; *Amici vero patris, & hospites te non adjutabant?* Cui ille, εὖ πρᾶσσε· τὰ φίλων δ' οὐδὲν, ἤν τις δυστυχῇ: *Felix sis. officia enim amicorum nulla erunt, si infelix fueris.* De his Lucian. in Dial. Mort. ἀρχῆς ὄντες φίλοι, καὶ πρὸς τὸν καιρὸν ἀποβλέποντες: *amici imperii, & tempori servientes.* Et in Misanthropo socios vocat, ἐπὶ τῆς τραπέζης μόνον: *tantum ad mensam.* Horat. od. 35. 1. Carm. —— *diffugiunt cadis*
Cum fæce siccatis amici
Ferre jugum pariter dolosi.

Paterculus lib. 2. *Sed quis in adversis beneficiorum servat memoriam? aut quis ullum calamitosis deberi putat gratiam?* Nazianzenus epist. ad Amphilochium advocat versus istos Theognidis:

Πολλοὶ πὰρ κρητῆρι φίλοι γίνονται ἑταῖροι,
Ἐν δὲ σπουδαίῳ πράγματι παυρότεροι:
Ad calices multi sese profitentur amici,
Rebus at in dubiis rarus amicus erit.

Petron. in Fragm.
Cum fortuna manet, vultum servatis amici:
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Lucan. 8. Civ.
Nulla fides unquam miseros elegit amicos.

Tritum Ovidianum,
Si fueris felix, &c. *Cerda.*

Feror.] Nam non suo consilio venit. *Donatus.*

Litore curvo.] Perpetuum epitheton litorum est. Nam quod in sexto ait, *Tunc se ad Cajetæ recto fert litore portum*: significat eum ita navigasse, ut non linqueret litus. *Servius.*

17. *Prima loco.*] Quia apud Cretam alia fecit. Modo autem *Ænum* significat: ut Salustius, *Ænum & Maroneam: viamque militarem.* Quanquam Homerus dicat inde auxilia ad Trojam venisse. Ergo jam fuerat. Euphorion, & Callimachus hoc dicunt etiam, quod *Ænum dicatur à socio Ulyssis, illic sepulto, eo tempore, quo missus est ad frumenta portanda.* Idem.

Fatis iniquis.] Bene, quid sit futurum, præoccupat. *Idem.*

Fatis iniquis.] Hoc exitus rerum, non initia docuerunt. *Donatus.*

18. *Æneadas.*] Ecce nec Virgilius *Ænum* dicit. *Æneadas* autem hic secundum accusativum nomen derivatum, aliter juxta nominativum. *Servius.*

Æneadasque meo nomen de nomine fingo.] Adnotat Servius *Æneadas* non *Ænos* à Virgilio dictum, quippe quod constet *Ænum* ante Trojana bella celebrem fuisse urbem. Homerusque Il. δ. Ductorem Thracum ex Æno venisse dicit, ὃς ἄρ᾽ Αἰνόθεν εἰληλούθει. Is vero forte ad sua

 sua

Sacra Dionææ matri, divisque ferebam
Auspicibus cœptorum operum: superoque nitentem
Cælicolûm regi mactabam in litore taurum.

Forte

sua tempora respexit. Quod & Virgilius eo loco fecit, *Portusque require Velinos.* Nam Plinius omnino *Ænos oppidum* Thraciæ memorat. Ubi Polydori tumulus, & ab Ænea conditum, cui sacrificium quotannis, ut conditori fieret, etiam apud Livium legas his verbis ex antiquo codice desumptis: *Proficiscuntur ab Thessalonica Ænum ad statum sacrificium, quod Æneæ conditori cum magna cerimonia quotannis faciunt.* Pierius.

Æneadas.] Ne repetam, quæ Pierius elucidavit, nomino duntaxat Turneb. lib. 17. c. 6. ubi quod oppidum *Ænean* Græce *αἰνείαν* (non autem Ænum) Æneas condiderit, exserit, quod male etiam *Hæmus* à Solino, expungente hoc mendum, asserente verum nomen in Plinius exerc. Salmasio p. 161. *Emm.*

19. *Sacra Dionææ matri.*] Veneri, à matre Dione secundum Homerum. Et bene dispensat, ut si adversa navigatio sequatur, Dionæam Venerem dicat, ut hoc loco: si prospera, de mari eam dicat esse procreatam; ut, *Unde genus ducit.* Huc autem, in quantum potest, reservat. *Servius.*

Sacra.] Primo invocabam auxilium maternum, deinde aliorum deorum, qui auspicio novorum fundamentorum essent necessarii. *Donatus.*

Sacra Dionææ matri.] Id, quod Deorum est, *sacrum* dicitur, distinguente Trebatio apud Macrob. 3. Saturn. c. 3. inter *Sacrum, Sanctum, & religiosum.* De Dionæa Venere dictum Ecl. 9. ℣. 47. *Emmeness.*

20. *Auspicibus cœptorum operum.*] Jovi, qui arcis deus est: Apollini, propter auguria: Libero, causa libertatis. Nam dii alii si invocentur, ad privatam pertinent causam. Unde de Didone legimus, *Junoni ante omnes cui vincla jugalia curæ*, propter nuptias. quamvis enim reipublicæ utilitas simularetur, erat tamen specialis caussa Didonis. Similiter & hic Æneas sacrificat Veneri. Quod autem de Libero diximus, hæc causa est: ut signum sit liberæ civitatis. Nam apud majores aut stipendiariæ erant, aut fœderatæ, aut liberæ. Sed in liberis civitatibus simulachrum Marsiæ erat, qui in tutela Liberi patris est. Sed *auspicia* omnium rerum sunt; *auguria* certarum: *auspicari* enim cuivis, etiam peregre licet; *augurium agere*, nisi in patriis sedibus non licet. Peritissime ergo Virgilius veteris consuetudinis meminit, cum facit Æneam, quia peregre, id est, in Thracia agit, auspicantem, id est, *Auspicibus cœptorum operum.* Servius.

Nitentem.] *Nitere* dicuntur, quorum cutis, corpore bona fide facto & extenso, splendet; qui splendor proprie *nitor*, ut Ter. E. 2. 2. 11. Phædr. l. 3. f. 8. Canis ad Lupum: *unde sic quæso nites.* unde *nitidus* pro probe saginato. Horat. lib. 1. epist. 4. *Me pinguem & nitidum bene curata cute vises.* sic Turneb. lib. 4. c. 22. *nitentem* interpretatur *opimum.* & noster ad agros transtulit lib. 1. G. ℣. 153. —— *inter nitentia culta.* Em.

21. *Mactabam in litore taurum.*] Contra rationem, Jovi taurum sacrificat: adeo ut hinc putetur subsecutum esse prodigium. Ubique enim Jovi juvencum legimus immolatum; ut, *Statuam ante aras aurata fronte juvencum, Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.* Item Juvenalis, *Qui vexat nascendi robora cornu.* Nam in victimis etiam ætas est consideranda. *Servius.*

Taurum.] Cur *taurum*? cum Jovi tauro, verre & ariete immolari non licuerit, sed tantum juvenco. Respondetur: Poëta non ignorantia, sed, ut monstro locum faceret secuturo, argute fecit hostiam contrariam. Nam & Deo non litatum esse ostendit, ideo secutum *Horrendum dictu, &c.* Videatur Macrobius lib. 3. cap. 10. Saturnalium. *Taubm.*

22. *Forte*

Forte fuit juxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta, & densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi, viridemque ab humo convellere silvam
Conatus,

22. *Forte fuit juxta tumulus.*] Excusat dicendo *Forte fuit*, quod juxta eum locum sacrificaverit: *Tumulus* autem dicendo, uno sermone, & collem & sepulchrum fuisse significat. Potest enim *tumulus* & sine sepulchro, interpretatione collis interdum accipi. Nam & terræ congestio super ossa, *tumulus* dicitur. Sane apparatus mortuorum *funus* dici solet; exstructio lignorum *rogus*; subjectio ignis *pira*; crematio cadaveris *bustum*; locus *ustrina*; operis exstructio *sepulchrum*; nomen inscriptum *monumentum*. Servius.

Quo summo.] In quo summo. *Idem.*

Cornea virgulta & myrtus] Bene legit, *hastis apta virgulta*. Nam legimus, *Et bona bello cornus*. Et alibi, *ac myrtus validis hastilibus*. Ergo si telis fuerat confixus, merito illic hæc coaluere virgulta. *Cornus* autem declinatur ut *ficus*, si arbor sit. Nam *cornu* animalis, indeclinabile est: licet genitivum usurparit Lucanus: ut *Cornus tibi cura sinistri Lentule*. Sic Cicero in Arato, *Hujus genus*: pro genu. *Idem.*

23. *Virgulta.*] Copiose *virgulta*, *hastilia*, *silvam*, *ramos*, *arborem*, *vimen*, *corticem*, *stipitem*, *segetem*, *jacula*. Idem.

Horrida myrtus.] *Horrida* ad loci faciem retulit, nam ad arboris naturam vel certe umbrosam. *Idem.*

Myrtus.] Sane de myrto fabula talis est. Hæc Myrtus ex fama de plebe antiquorum nata, Græco vocabulo *Myrene* vocitata est, forma pulcherrima: hanc cum quidam popularium dives & nobilis adamasset, à parentibus ejus postulavit uxorem. Interea latrones urbem occupaverunt, quam cum depopulantur, Myrenem, fratribus ejus occisis, captivam duxerunt, & in latebris condiderunt, donec alia loca vastarent: Sed hæc Myrene, inventa occasione, fugit, & ad cives reversa est: Gratulati cives, eam sacerdotem Veneris esse jusserunt; quæ cum sacra celebraret, unum de latronibus, per quos abrepta fuerat, in plebe cognovit, eumque comprehensum in medium vulgus extraxit. Latro pœnis adactus, omnia, quæ intendebantur, confessus est, socios quoque ubinam essent prodidit. Sed juvenis qui eam ante amaverat & petierat sibi conjugem, ad investigandos latrones sibi negotium deposcit; quos cum inventos cepisset & præmium posceret, data ei potestas est à populo, ut virginem, quam amaverat, in matrimonium duceret: ob quam rem irata Venus, illum mori fecit; virginem autem in Myrtum arborem vertit, eique, quod sacerdos fuisset, præstitit, ut perpetuo, & suavi odore gauderet. *Idem.*

Densis hastil. horr. myrtus.] Myrtum etiam sepulcralem fuisse constat ex hoc loco, & Theophrasti: qui auctor est primo visam in tumulo Elpenoris socii Ulyssis: & illo in Culice: *myrtus veteris non nescia fati*: ubi alludit Poëta ad myrtum in Veliterno conspicuæ magnitudinis ab Africano satam, non ita procul à specu quodam, ubi draco manibus Scipionis servandis præfectus dicebatur. *Germ.*

Myrtus.] De utraque arbore idem testatur l. 2. G. vs. 447.

At Myrtus validis hastilibus & bona bello cornus.

Vide etiam Turn. l.13.c.22. præter alia virgulta Myrtum veteres Græci tumulis imponebant, eodem notante hanc consuetudinem l. 4. c. 22. *Emmeness.*

24. *Accessi.*] Non ad cornum, sed ad myrtum, quæ inter verbenas est. Et bene matri sacrificaturus aras coronat ex myrto. *Servius.*

Silvam.] Sicut dictum est, bene variat, ut nunc *silvam*, nunc *vimina*, nunc *virgulta*, nunc *arborem* dicat. *Id.*

25. *Ramis*

Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras:
Horrendum, & dictu video mirabile monstrum.
Nam, quæ prima solo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant. mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus & alterius lentum convellere vimen

Inse-

25. *Ramis tegerem.*] Excusatio à voluntate. *Serv.*

Ramis tegerem ut frondentibus aras.] Antiqui exornarunt aras fronde aliqua felici, quam verbenam appellabant, de qua Turneb. l. 21. c. 21. vide Notas ad ℣s. 65. ecl. 8. *Emmeness.*

26. *Mirabile.*] In codicibus aliquot manu scriptis, *miserabile* legitur. Sed *mirabile* id fuisse Ti. Donatus ait, quod sanguis ex ligno flueret. *Pierius.*

Monstrum.] Bene *Monstrum*: nam statim quid esset apparuit, & hoc proprietatis est: abusione tamen plerumque corrumpitur. *Servius.*

Mirabile monstrum.] Macrob. l. 3. Saturn. c. 11. contrariam hanc hostiam nominat. Non enim Jovi taurus immolandus. *Emmeness.*

27. *Nam, quæ prima solo ruptis radicibus arbos Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ.*] In antiquo admodum codice scriptum erat, *namque ubi prima.* & pro *huic atro*: *hinc atro*, ut adverbium adverbio responderet: recenti vero emendatione repositum id, quod in vulgatis habetur exemplaribus. Pro *liquuntur* autem sunt vetera exemplaria, quæ *linquuntur* habent. Sed enim *liquuntur* magis omnino placet, quod etiam agnoscit Servius. *Pierius.*

28. *Atro.*] Hic pro corrupto sanguine. *Servius.*

Atro.] Sic Grat. Cyneg. ℣s. 353.

—— *atroque cadant cum sanguine fibræ.*

Græci *μέλαν αἷμα.* Vide Vlitium legentem pro *utro* recte *atro.* Emmeness.

Liquuntur.] *Li* in verbo producitur, ut hoc loco. In nomine vero corripitur, ut *liquor.* Servius.

Liquuntur sanguine guttæ.] Non. Marcellus supra lib. Georg. 2. eo loco: *Huc summis liquuntur rupibus amnes*: & hoc quoque, *linquuntur* legit; ubi *linquere*, inquit, defluere est. *Germanus.*

29. *Tabo.*] Corrupto sanguine. *Servius.*

Et terram tabo maculant.] Præclare: nam cum allusione ad atrum sanguinem, ater enim cruor ex corruptione, & pulvere, proprie est tabidus. Quod Virg. *maculant*, Lucret. lib. 3.

Terram conspergere tabo. Cerda.

Tabo.] Cur *tabo* potius, quam *tabe*, quo contentus fuit Ovidius? quærit Scalig. lib. 4. c. 16. Poët. *Taubm.*

30. *Membra quatit.*] Causa pendet ex causa. Nam timor sanguinem gelat, qui coactus frigus gignit. *Servius.*

Gelidusque coit.] Physice loquitur & rationabiliter, nam hinc & pallor nascitur, cum se ad præcordia fugiens contrahit sanguis. *Idem.*

Gelidusque coit formidine sanguis.] Sic & Æschyl. in ἑπτά· *κακόν μου καρδίᾳ τι περι —— πίτνει κρύος.* nimirum propter abscessum, & constipationem spirituum cum sanguine, ut fit per contrariam passionem dilatatio, eorundemque diffusio. *τὰ γὰρ λυπηρὰ καὶ ἡδέα* auctore Aristot. *πάντα σχεδὸν μεταψύξεως τινὸς, καὶ θερμότητος.* *German.*

31. *Lentum vimen.*] Molle & flexuosum. Unde & qui incurvi sunt per senectutem. *Servius.*

Lentum vimen.] Ad hunc locum consule Rob. Tit. l. 3. *Emmeness.*

32. Ten-

Insequor, & caussas penitus tentare latentis:
Ater & alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animo Nymphas venerabar agrestis,
Gradivumque patrem, Geticis qui præsidet arvis,
Rite

32. *Tentare latentis.*] Miraculum enim est ex arbore sanguinem fluere. *Servius.*

33. *Ater & alterius.*] In codicibus antiquis plerisque, *alter* non *ater* habetur. Animadverti vero in aliquot exemplaribus, *l* litteram abrasam esse. In aliquot additam aliena manu, ut in Mediceo discernitur. *Pierius.*

34. *Multa movens.*] Non dicit quæ, sed ex sequentibus intelligimus. Cogitabam, inquit, ne forte bellum immineret, quod sanguinem vidissem, ne lucum Nympharum violassem, ne forte sanguis ex Nymphis esset. Hamadryades namque cum arboribus & nascuntur, & pereunt. Unde plerunque, cæsa arbore, sanguis emanat. Nam Ovidius ait, quum Erisichton arborem incideret, primo sanguis effluxit: post ululatus secutus est. Inde Statius, *Nec amplexæ dimittunt robora Nymphæ.* Item, Cogitabam ne forte ex terra Martis jure sanguis efflueret: Nam quod dicit hæc se veneratum esse numina, illas constat præcessisse cogitationes. *Servius.*

Venerabar.] Id est, precabar, orabam. vide Lambinum ad Horat. l. 1. Sat. 2. *Emmeness.*

35. *Gradivumque patrem.*] *Gradivum*, exilientem in prælia: quod in bellantibus fit, necesse est. Aut gravem deum patrem: aut ideo, quia apud Pontifices, Mars *pater* dicitur. Alii *gradivum*, quod gradum inferant, qui pugnant: aut quod impigre gradiantur. Alii à gratitudine, quod huc & illuc gradiatur; unde Martem communem dici: Nonnulli eundem Solem & Vulcanum dicunt: Sed Vulcanum generis esse omnis principem, Martem vero Romani tantum stirpis auctorem. Alii *gradivum*, quia nunquam equester, aut à gradu dictum. *Servius.*

Geticis.] Thraciis. Getæ autem populi sunt Mœsiæ: quæ quia lata est, multas continet gentes. *Idem.*

Geticis qui præsidet arvis.] Getica arva Thraciæ interpretatur Turnebus, cujus partem Getæ olim tenuerunt ex Thucydide. Sæpe autem à Poëta dicitur Martia Thracia, & Rhesi Mavortia tellus: ut & Eurip. in Hecub. sub persona Polymnestoris, ἰὼ Θρῄκης λογχοφόρον, ἔνοπλον, εὔιππον, Ἄρει κάτοχον γένος. Quos autem locis præsidere deos Latini dicunt, Græci προστατηρίους θεοὺς, & προστάτας. *German.*

Geticis, &c.] Val. Flac. 5. Arg.

Ecce autem Geticis veniens Gradivus ab antris.

Et Claudian. Pan. in Probum, Probin. & Olib. fratres:

Qualis lethifera populatus cæde Gelonos
Procubat horrendus Getico Gradivus in antro.

Stat. 3. Theb.

Gradivum acciri propere jubet, ille furentes
Bistonas, & Geticas populatus cædibus urbes. Cerda.

Geticis qui præsidet arvis.] Id est, Thraciis arvis, cujus partem olim tenuerunt Getæ: ut scribit Thucyd. lib. 2. Videatur Turneb. l. 4. c. 22. sed cur potissimum *Nymphas* & *Martem* rogabat, ut visa prosperarent, omenque bonum ac leve facerent? Quia cogitabat, an forte sanguis esset Hamadryadum Nympharum, quæ cum arboribus nasci & mori credebantur, an vitium esset regionis à Marte sanguinario habitatæ. *Visus* autem dixit pro *visa*: ut Livius lib. 1. *Hoc velut domestico exterritus visu.* Taubmannus.

36. *Rite*

Rite ſecundarent viſus, omenque levarent.
Tertia ſed poſtquam majore haſtilia niſu
Adgredior, genibuſque adverſæ obluctor arenæ;
(Eloquar, an ſileam?) gemitus lacrimabilis imo
Audi-

36. *Rite ſecundarent.*] Recte proſperos facerent. *Servius.*

Viſus.] Pro *viſa* poſuit. Tunc enim maſculino utimur genere, cum de his loquimur, quibus videmus: ut ſi dicas, *Nubecula obeſt viſibus meis.* Si autem neutro utamur, ea, quæ videntur, ſignificamus: ut ſi hoc loco diceret, *Rite ſecundarent viſa.* quod propter metrum non potuit. *Idem.*

Secundarent viſus.] Præclare. Poſt primum infauſtum malumque omen, petebant veteres, ut ſecundum eſſet, non alterum. explicatius. ſi ſequens omen fauſtum eſſet, *ſecundum* dicebatur; ſi adverſum, *alterum.* Itaque *omen ſecundum* proprie eſt, omen felix poſt malum: ſed, *omen alterum*, erit, poſt malum omen malum alterum. Inde adjectivum *ſecundus*, & verbum, *ſecundo, as*, traducta ad felicitatem ſignandam. Ergo, petit Æneas, ut viſus ſecundentur, id eſt, felices ſint, ſic lib. 7.

Dii noſtra incepta ſecundent.

Et Seneca in Furente:

Votum ſecundet, qui poteſt, noſtrum Deus,
Rebuſque laſſis adſit. Cerda.

Omenque levarent.] Bonum ac leve facerent. Id eſt, in bonum converterent. *Servius.*

37. *Tertia ſed poſtquam majore haſtilia niſu Adgredior.*] *Niſu* unico *s* ſcribi placere Valerio Probo, qui nomen appellativum *niſus*, nihil differre ait ſcriptione à nomine proprio *Niſus.* & plura ita exemplaria vetuſta convenire: dictum. Majoris illud momenti, quod Soſipater Cariſius, ubi de adverbiis per ordinem agit, verſum hunc citans agnoſcit *tertio* adverbium. Cujus ut ſtet ſententia: vel Creticus Heroico condonandus, vel manifeſta Synizeſis admittenda. Vel *o*, breve fuerit ea ratione quod ajunt Grammatici, *o* finalem ſæpe corripi, quando in adverbium tranſeat, ut *Cito, Sero, Modo.* Statius: *Sero memor thalami.* Martial. *Accipe quomodo das.* Sed enim vix tanti fuerint Grammatici veteres, ut *tertia haſtilia* cuiquam diſplicere poſſit. Sit ſane locus adverbii, ut *Tertia* pro *Tertio* poſitum ſit: nomen pro adverbio poſitum ſæpe apud auctores omnes reperimus. *Pier.*

Niſu.] Ea voce etiam utitur Horat. l. 4. od. 4. *inſolitos docuere niſus.* de avibus dici monet illic Torrent. utrumque tamen *niſus* & *nixus* probat Dauſq. in orthograph. *Emmeneſſ.*

38. *Obluctor.*] Acrius nitentem oſtendit. *Servius.*

Genibuſque adverſæ obluctor arenæ.] Hunc actum Græci ἐγκονεῖν dicunt, conatu à genuum niſu deducto: quamvis aliis ἀπὸ τῆς κονίας vel κονίδος· quod properantes pulvere pedes inficiant: unde & κονιῶ & κονίποδες, & γονυπετεῖν Græci ingeniculari dicunt: & ἐγγόνασις ſignum in cælo, Ingeniculus aſtronomis, hoc eſt, Hercules qui dextro genu nixus, ſiniſtro pede capitis draconis dextram partem opprimere conatur. Græcî item ἀποπρηνίζειν, quod Apulejus *appronare in genua.* German.

39. *Eloquar an ſileam.*] Parentheſis ad miraculum poſita. Qua magnitudinem monſtri oſtendit, & bene, auditorem adtentum vult facere. *Servius.*

Gemitus lacrimabilis.] Poteſt enim eſſe etiam iraſcentis. Et *lacrimabilis* cum lacrimis, an dignus lacrimis. *Id.*

Gemitus.] Moraliter primo gemitus, deinde voces auditæ ſunt. *Donatus.*

Imo auditur tumulo.] Ex imo tumulo, ut longe vox cum quodam defectu ſonans, auditu ipſo miſerabilior videtur. *Servius.*

Auditur.] Vetus codex habet *auditus.* Idem.

40. *Vox*

Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad auris:
Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepulto:
Parce pias scelerare manus. non me tibi Troja
Externum tulit: aut cruor hic de stipite manat.

Heu

40. *Vox reddita.*] Pro *data.* Redditur enim quicquid ad nos per alterum transit, quanquam hic etiam hoc possit intelligi. Nam ad eum vox missa per tumulum est. *Serv.*

41. *Quid miserum, Ænea.*] Artificiosa res: si enim Æneas loqueretur, diceret *feci*, & absoluta qualitate sese defenderet, quia nescius fecerat: sed Poëta eum inducit defensorem, qui accusator esse debuit. Ideoque acerbitatem latius extendit, & ex uno crimine multa posse exoriri evidenter ostendit: sed instruit, & non arguit. Primum crimen est, sepulchrum violatum: & hoc ratione loci, temporis, & personarum. Addit miseriam, quæ sublevatione & non oppressione digna est. *Donatus.*

Ænea.] Ex nomine proprio apparet, notum cum noto loqui. *Idem.*

Laceras.] Per membra discindis. Nam *lacerare* est sæpius vulnerare. *Serv.*

Parce.] Id est, parce tibi: Vel sepulto parce, cui vivo nemo pepercit. *Idem.*

Sepulto.] Modo mortuo vel jacenti significat. Nam *sepultus* est quasi sine pulsu. Nom enim hunc sepultum possumus dicere, cujus sepultura non sit rite perfecta, sed fortuita est obrutus terra. *Idem.*

Jam parce sepulto.] Lex erat xij. tab. *Defuncti injuria ne afficiantur: deorum manium jura sancta sunto.* Ex Solonis sanctionibus, *Ne in vita defunctos convitia jaciantur; ne quis sepulchra dileat, aut violet etiam, &c.* Violatoribus sepulchrorum supplicia erant proposita ex Pauli I. C. sententia: humilioribus, capitis mulctatio: honestioribus, in insulam deportatio, relegatio, aut in metallum damnatio. *Pontan.*

Sepulto.] Sunt codices antiqui, ubi *sepulcro* legatur. Quam lectionem Ti. Donatus agnoscit, nisi ter eadem pagina eodem verbo peccatum est. *Pierius.*

42. *Pias.*] Bene etiam ille, qui læditur, excusat Æneam: quod pietatis grande testimonium est. *Pias* autem propter Penates de excidio liberatos, aut quia sacrificabat. *Servius.*

Parce pias manus.] Cur *parce*, si jam patrata res fuerat? Quia quod ignorans fecerat, merebatur veniam. Non autem mereretur, quod deinde esset facturus. Sic: *Si mihi parces, te crimine solves.* Donatus.

Scelerare.] Polluere: nomen tamen fecit sine verbi origine, non enim dicitur *scelero.* Servius.

Parce pias scelerare manus.] Hunc versum omnino vertisse videtur Epigr. Græc. 4. in Medeam: *ἅιματι μὲν χεῦσαι φειδόμενος παλάμαν·* ut supra, *natorum sanguine matrem Commaculare manus.* Germanus.

Non me tibi Troja.] Peccares enim in hominem, in miserum, in defunctum, in civem, in tuum. Ergo, non tulit me tibi Troja externum, id est, non solum civem, sed affinem: frater enim Creüsæ erat. *Donatus.*

43. *Externum tulit.*] Ordo est, Troja me tibi tulit, & bene *tulit*, hoc est educavit, non externum. Nam & civis Æneæ fuerat & cognatus. Et cito se & Trojanum esse, & adfinem ostendit. *Servius.*

Externum tulit.] Sunt codices nonnulli, in quibus *extremum* scriptum est: Sed enim Servius cur *externum* legendum sit, rationem adjicit, Polydorum civem & cognatum Æneæ fuisse. Eadem apud Livium sententia, ubi Scipio milites ad Ilergetum excidium ferociter accendit. Non enim eos, ait, esse neque natos in eadem terra, nec ulla

secum

Heu fuge crudelis terras, fuge litus avarum.
Nam Polydorus ego. hic confixum ferrea texit
Telorum seges, & jaculis increvit acutis.

Tum

secum societate conjunctos. Et eruditus ille vir qui Virgilium in ædibus Aldi tertio editum emendavit, in recognitione, *externum* subjecit. Quæ dicta volui, quia nonnullos esse scio, qui lectionem *Extremum* ament, referrique ad nobilitatem generis dicant, clamante scilicet Polydoro, se non extremo loco natum, quo debeat ita contemptui & injuriæ expositus esse, quod ridiculum est. *Pierius.*

Externum.] *Civi* opponitur *externus*, ut apud Stat. l. 1. Theb.

—— *quæ caussa furoris*
Externi juvenes? neque enim meus audeat istas
Civis in usque manus. *Parce scelerare* pro noli, vide N. Ecl. 3. ✝. 94. *Emmeness.*

Aut.] In antiquis aliquot codicibus, *haud* legitur puncto firmo præfixo. In multis vero observes aspirationem abrasam. Quo quidem loco *Aut*, pro *Neque* positum ait Priscianus, de constructione. *Pierius.*

Aut cruor hic de stipite manat.] Mire quasi ostendens cruorem suum de stipite. De ligno ait; nam *stipes* vere est lignum sectum siccum. *Servius.*

De stipite manat.] Personarum & temporis posuerat partes, nunc ponit loci. *Donatus.*

44. *Crudelis terras.*] Id est, crudelium & avarorum. Ex moribus enim cultorum, terræ laudantur vel vituperantur: ut, *Devenere locos lætos.* Serv.

Crudelis terras.] Demostrat hoc esse vitium terræ parentis, ut per hoc omnes eodem vitio laborare significaret. Ergo & ab aliis poterat eandem injuriam expectare, atque etiam si tutus permansisset, pium inter impios versari. *Donatus.*

Fuge fuge.] Ex duplicatione verbi, necessitatem ostendit fugiendi. *Idem.*

45. *Polydorus ego.*] Sive *ego* distinguas. sive *Ego hic*: subaudias *sum* necesse est. Et quasi dicticas, id est, Polydorus sum, non stipes. *Servius.*

46. *Telorum seges.*] Multitudo. Plautus Aulularia, *Stimulorum seges.* Sane putatur non verisimile jaculis conjectis puerum occisum; nam repugnat cum illo, *Polydorum obtruncat*, nam emisisse radices jacula mirum est, nisi monstruosum sit. *Idem.*

Telorum seges.] Per segetem telorum, silvam innuit densissimam, non aliter ac Catullus plurima oscula cum dixit:

Non si densor aridis aristis
Sit nostræ seges osculationis.

Ita in 7. Æn.

—— *atraque late*
Horrescit strictis seges ensibus. in 12.
Strictisque seges mucronibus horret
Ferrea.

Quibus & aliis locis multitudo signatur. *Cerda.*

Increvit.] Reviruit. Traxit autem hoc de historia Romana. Nam Romulus, capto augurio, hastam de Aventino monte in Palatinum jecit: quæ fixa fronduit. *Servius.*

Increvit.] In codicibus aliquot antiquis, *implevit* habetur: paraphrasi etiam adjecta, *habundavit.* Ti. Donatus, ut in integris ejus commentariis habetur, verbum id exponit: *crebro percussit*, accipiendumque esse, ut non remanserit locus immunis à vulnere: & paulo superius dixerat ad illius funus accumulato ferro multitudinem sævam confluxisse. Tu quæ Servius de hasta Romuli dicat, videris. *Pierius.*

Increvit.] Id est, reviruit. Maro ab Euripide, in Hecuba: cum noster dicat Polydorum jaculis confossum; ille autem ab educatore Polymnestore clam cæsum, & in mare projectum fuisse. Videatur Turneb. l. 11. c. 19. item Ovidius Met. l. 13. fab. 5. *Taubm.*

47. *Tum*

Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threïcio regi; cum jam diffideret armis
Dardaniæ, cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fractæ Teucrûm, & Fortuna recessit,
Res

47. *Tum vero.*] Quia supra dixerat: *Mihi frigidus horror membra quatit.* Nam ad illum horrorem, qui fuit ex sanguine, accedens vox lamentabilis Polydori mentem in hebetudinem convertit, & vox in silentium transit. *Donat.*

Vero.] Adfirmative. *Servius.*

Ancipiti.] Duplici, quod & sanguinem viderat, vel ancipiti formidine, una quod sepulchrum læserat, altera quod metuere cœperat l . . . . * ipsum. *Idem.*

48. *Obstupui, steteruntque comæ.*] In antiquis aliquot codd. legere est, *Obstipui steteruntque.* Sed enim *steterunt* & receptum est à doctis viris, & agnoscitur à Valerio Probo. De syllaba vero, quæ pene ultimam præcedit, in *Obstipui* satis alibi dictum, ne toties eadem repetamus. *Pierius.*

49. *Hunc Polydorum auri.*] Licet de Polydoro superius sit relatum, tamen propter varietatem rei necesse est repeti. Priamus cum videret longa obsidione res suas in ultimo constitutas, filium parvulum Polydorum, Polymnestori, regi Thraciæ, genero suo per Ilionam filiam, cum magno auri pondere nutriendum commendavit; qui victa Troja, auri cupiditate impulsus, Polydorum obrutum telis occidit. *Servius.*

Hunc.] Ea ratione misit Priamus, ut cum se in summis periculis cerneret, saltem posteritas sua in hoc filio remaneret, & auri vim magnam dedit, ut esset, quo viveret: & ex se naturam Polymnestoris conjectans, tutum filium apud veterem amicum credidit. Infelix ergo, qui dum filium in tuto collocare putat, eum perdidit. Ergo Priamus nec incautus, nec imprudens, nec in filii causa indiligens fuisse demonstratur. Dederat enim vicino, affini, amico veteri: dederat cum divitiis, dederat regi. *Donatus.*

50. *Infelix.*] Aut qui jam infelix esse cœperat: aut cui etiam provisa nocuerunt. Aut *infelix*, quia superstes liberis fuit; aut quia illi perfidia non ab hostibus tantum est. *Servius.*

Furtim.] Ne Græci scirent. *Idem.*

Mandarat.] Aphæresis est, sive dixeris *commendarat*, sive *amandarat*: Et *mandarat* est amoris; *amandarat* vero odii est; & *amandare* est sub specie legationis aliquem relegare. *Idem.*

Furtum mandarat alendum.] Eurip. superiori exemplo ὑπεκπέμπειν· ut & Sophocli, ὑπεξεπέμφθη. *Germanus.*

51. *Threïcio regi.*] Auxit ex provincia crudelitatem, ex qua fuerunt Diomedes, qui equos habebat, qui humanis carnibus vescebantur; Lycurgus ob injuriam Liberi patris punitus; Tereus, qui Philomelæ sorori uxoris, post inlatum stuprum linguam abscidit. *Threïcio* autem pro *Thracio*, ut supra pro *Thracia*, *Threïssa*. Nam solutio est Ionicæ linguæ. Cum enim sit θρᾴξ, Iones dicunt θρεῖξ: cujus solutio facit *Threïcius*, vel *Threïssa*. Servius.

52. *Cingique urbem obsidione videret.*] Inter ipsa principia obsidionis, nam postea jam minime poterat. *Idem.*

Obsidione.] Et neutro genere utitur Ennius teste Non. Marc. *cum suo obsidio magnus Titanum premebat.* Emmenessius.

53. *Ille, ut opes fractæ & Fortuna.*] Bene utrunque innexuit, sæpe enim alterum sine

Res Agamemnonias victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames? postquam pavor ossa reliquit,
Dele-

sine altero valet, aut opes, aut fortuna. *Servius.*

Ille ut.] Vel postquam, vel tantum quod deest statim, ut sit, *Ille statim ut.* Idem.

Ille.] Scilicet qui speraretur humanus, cujus fidei commissus fuerat, qui dives, qui ex plurimis delectus, qui susceperat innocentem amici filium. notatur hic persona scilicet avara. Item locus. Nam mare interpositum erat, inter se & Trojam. Item tempus, scilicet, in quo perierat imperium, ut non timeret ultionem. Ostendit præterea Poëta in rebus adversis, ne amicis quidem fidendum. Damnat avaritiam, tanquam quæ ad omnia scelera impellat. *Donatus.*

Ille, ut opes fractæ, &c.] Revoca, quæ supra ad illud, *Dum fortuna fuit*, & adde ista Clementis Alex. lib. 6. Strom. cap. 1. ex Theognide, & Euripide, quorum prior,

Οὐκ ἔστιν φεύγοντι φίλος, καὶ πιστὸς ἑταῖρος:
Exulanti nullus est amicus, & fidus socius.

Posterior,

Πάντα φεύγει πᾶς τις ἐκ ποδῶν φίλος:
Procul fugit quivis amicus pauperem.

Item illud Epigr. Græc.

Πάντα τύχης τε ῥοπαῖς μεταβαλλόμενα:
Omnia commutantur ad momentum fortunæ.

Cæsar quoque 2. Civ. de Varrone dixit: *se quoque ad motum fortunæ movere cœpit.* Faciunt ad rem Ovidii versus 13. Met. de eadem hac historia:

Ut cecidit fortuna Phrygum, capit impius ensem
Rex Thracum, juguloque sui demisit alumni. Cerda.

Fortuna.] Melior scilicet. *Servius.*

Teucrûm & fortuna recessit.] In codicibus aliquot antiquis, non habetur *et* copulativa particula, quæ quidem non sine læsione tam numeri, quam elegantiæ judicio meo ex hoc versu detrahi potest. *Pierius.*

Et fortuna recessit.] Cæsar quoque de Varrone lib. bel. Civ. 2. *se quoque ad motum fortuna movere cœpit:* imitatione, credo, illius in Troadib. Eurip. *εἰς τὴν τύχην δ' ὁρῶσα, τοῦτ' ἤσκεις, ὅπως ἕποι' ἅμ' αὐτῇ·* & Epigr. Gr. *πάντα τύχης τε ῥοπαῖς συμμεταβαλλόμενα.* *Germanus.*

54. *Res Agamemnonias.*] Hoc est, imperium, vel partes Agamemnonis. *Servius.*

Victricia.] Omnia nomina à verbo venientia, cum in *or* exeunt; masculina sunt, ut *victor*; cum in *trix* fœminina sunt, ut *victrix*. Neutra vero non faciunt, nisi tantum ex numero plurali. Unde est *victricia*. Idem.

55. *Fas omne.*] Et cognationis, & juris hospitii. *Idem.*

Obtruncat.] Pro *occidit*. Nam *obtruncare*, proprie est capite cædere. *Idem.*

56. *Vi.*] Violentia. *Idem.*

Potitur.] Verbum de his est, quæ permiscent conjugationes: cum enim sit tertiæ, infinitum modum à quarta facit, ut *potiri*. Idem.

Quid non mortalia pectora cogis.] Ad quod flagitium homines non compellis, detestandi auri cupiditas. *Idem.*

57. *Auri sacra fames.*] *Sacra*, execrabilis: Alii *sacra* devota accipiunt, unde & *ver sacrum*. Alii *sacrum* pro *scelestum*, vel *sacrilegum*. Tractus est autem sermo ex more Gallorum: Nam Massilienses, quotiens pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis & purioribus cibis. Hic postea ornatus verbenis & vestibus sacris, circumducebatur per

Delectos populi ad proceres, primumque parentem
Monſtra deûm refero; &, quæ ſit ſententia, poſco.
Omnibus idem animus ſcelerata excedere terra;
Linqui pollutum hoſpitium, & dare claſſibus auſtros.
Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus: ſtant manibus aræ,

Cæru-

per totam civitatem cum execrationibus, ut in ipſum reciderent mala totius civitatis, & ſic projiciebatur. Hoc autem in Petronio lectum eſt. Sane ſciendum latenter Æneam hoc agere, ut Trojanos Didoni ex infelicitatis ſimilitudine commendet. Nam & ejus marito, auri cauſſa intulit necem. *Serv.*

Quid non mort. pect. co. auri ſac. &c.] Inter ſententias Maronianas numerat hanc Macrob. l. 5. Saturn. c. 16. ſic Stat. l. 2. Thebaid. *Sacro præculta ſupervenit auro.* pro execrabili. Perſ. in Prol. *doloſi ſpem auri* nominat. Juvenal. Satyr. 14. ỳſ. 173.
Inde fere ſcelerum cauſſæ, nec plura venena
Miſcuit, aut ferro graſſatur ſæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quam ſæva cupido
Immodici cenſus, &c.
De hac apoſtrophe vide Quint. l. 9. c. 2. & 3. Scal. l. 13. c. 16. Cœl. Rhod. l. 20. c. 23. *Emmeneſſ.*

58. *Proceres.*] Qui proceſſerunt ante alios. *Servius.*

Primumque parentem.] Bene *primum*, id eſt, ante proceres. *Idem.*

Primumque parentem.] Vetera quædam exemplaria, *parentum* legunt: hoc eſt primum ex patribus, aut ex ſenioribus. Sed *parentem* magis omnino placet. *Pierius.*

59. *Monſtra Deûm.*] Quæ oſtenderant. & modo mala, nam medium eſt, quia interdum dicuntur & bona. *Serv.*

60. *Omnibus idem animus.*] *Idem*, plus eſt quam ſi diceret *ſimilis*. Eſt unus animus, aut idem conſilium, & hoc juxta diſciplinam auguralem dixit, quæ appellatur conſenſio; ſicut in libro ſecundo dictum eſt. *Idem.*

Idem.] Solet decerni, quod majori parti placet, ſed hic tam manifeſtum ſcelus fuit, ut omnes fugiendum cenſerent inde, ubi per ſcelus fuerat ſoluta amicitia, quæ fœdere devincta erat. non ergo utile illic morari, nec religioſum, cum ſanguine pueri pollutus eſſet locus. *Donatus.*

Scelerata terra.] Pro *ſceleratorum*, ut ſupra, *Captiva veſtis.* Servius.

61. *Claſſibus auſtros.*] Hypallage eſt; nam claſſes auſtris damus. *Servius.*

Dare claſſibus auſtros.] Sic Calpurn. 5. c. —— *campos ovibus, dumeta capellis*
Orto Sole dabis.
Pro, dabis campis oves, dumetis capellas. *Cerda.*

62. *Inſtauramus funus.*] Modo ſepulchrum, quod virgulta à vellendo diruerat. Nam proprie *funus* eſt incenſum cadaver. *Servius.*

63. *Aggeritur tumulo tellus.*] Ut oſtenderet verum tumulum, ne forte aliquis alius illud errore violaret. *Idem.*

Stant.] Poſitæ ſunt. *Idem.*

Manibus.] *Manes* ſunt illo tempore animæ, quo de aliis recedentes corporibus, necdum in alia tranſierunt. Sunt autem noxiæ, & dicuntur κατ' Antiphraſim. Nam *manum* bonum eſt, unde & *mane* dictum eſt. Similiter etiam *Eumenidas* dicimus, *Parcas*, *bellum*, *lucum*. Alii *Manes* à manando dictos intelligunt. Nam Manibus plena ſunt loca inter lunarem & terrenum circulum, unde & defluunt. Quidam *Manes*, deos infernos tradunt. Quidam alios *Manes*, alios *deos infernos* dicunt: plurimi *deos cœleſtes* ut vivorum, ita *Manes* mortuorum tradiderunt. Alii *Manes nocturnos* eſſe ejus ſpatii, quod inter cœlum ter-

 ramque

Cæruleis mœstæ vittis atraque cupresso;

Et

ramque est, & ideo humoris, qui noctu cadit, potestatem habere; unde *mane* quoque ab iisdem Manibus dictum. *Serv.*

64. *Cæruleis mœstæ vittis.*] Cato ait, deposita veste purpurea, fœminas usas cærulea, cum lugerent. Veteres sane *cæruleum* nigrum accipiebant. Vittæ autem cæruleæ in acerbo funere præcipue filiorum familias adhiberi solebant, sicut hic; nam Polydori funus, utpote adhuc pueri, acerbum est, & quia ejus ætatis erat, ut filiusfamilias adhuc esse potuisset. *Idem.*

Mæstæ aræ.] Cicero pro Murena, *Imaginem lugentem.* Idem.

Cæruleis mæstæ vittis.] Vides, cæruleum colorem solitum usurpari & in luctu, & in acerbo puerorum funere. Eundem in genere ad res sacras destinari, disces ex multis, nunc mihi in mente Val. Flacc. I. Arg.

—— *multa pallens ferrugine taurus*
Stabat adhuc, cui cæruleæ per cornua vittæ.

Notam Magii lib. 3. cap. 14. & quæ ibi ex Theocrito adducit, lege ipse. *Cerda.*

Atraque cupresso.] Nigra, funesta. Nam inferis consecrata est, quia cæsa nunquam reviresicit. Fabula autem de cupresso talis est: Cum haberet in deliciis Cyparissus puer cervum, & ipse ab Apolline diligeretur, imprudens cervum suum jaculo occidit, eumque dum luget, neglecta consolatione Apollinis, dolore consumptus est; cujus ut exstaret memoria, in luctuosam arborem, id est, cupressum, mutatus est, quæ defunctis adhibetur. Moris autem Romani fuerat ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus. Hinc Horatius: *Nec te præter invisam cupressum ulla brevem dominum sequetur.* *Atra* autem, quod atratos lares significet. *Servius.*

Atraque cupresso.] In antiquis plerisque codicibus, *cupressu* est: Non tam, quia nomen quartæ olim fuerit declinationis, quam quod multa hujusmodi passim reperiuntur apud veteres *o* in *u* mutasse, prout multi adhuc loquuntur populi, maximeque à Piceno in Brutios usque. Testimonio vero sunt monumenta pleraque, in quibus antiqua scribendi ratio sese fidelius, quam in libris ostentat. Vidi ego Spoleti extra portam divi Petri dejectum ad ripam fluminis lapidem, in quo scriptum erat pulcherrimis characteribus:

IN. FRONT
P. XIIX
IN. AGRV
P. XIIX.

In monte vero Tarpeio, antiquissimo sane monumento legitur, *Hercules invictæ cautius hoc tuo donu*, pro *dono*. Quid quod *annus* pro *annos* Romæ pluribus locis legas. In Æde Divæ Sabinæ: *justa quæ vixit annus* L. *mensis* V. *dies* XX. Et alibi *Nicephorus Pitinnus qui vixsit annus duo.* In quo illud etiam adnotatione dignum, quod in *vixsit*, *s* litera adjecta est post *x*, veluti sæpe alibi *auxsilium*, *maxsumus.* & hujusmodi pleraque reperiuntur eodem modo scripta. Sed ut ad Virgilianam lectionem redeamus, in Mediceo prius *cupresso* per *o* scriptum erat, nunc ea abrasa vocalis *u* superaddita est aliena manu. *Pierius.*

Cupresso.] Maro hic *atram* vocat, & 6. Æn. *feralem*, sicut & Ovid. lib. 3. Trist. eleg. 13. & Petron. Satyr. Horatius *funebrem*, Epod. Od. 5. idem l. 2. od. 14. *invisam.* Papinius *deploratam*, lib. 4. Theb. demum hic idem Maro *funeream*, 4. Æn. Arbores, quas ferales facit Virgilius, & mortuis dicat, hæ fere sunt: Cupressus, arbutus, quercus, fraxinus, ilex, picea, robur, ornus in 11. *Molle pheretrum.* Cerda.

Atraque cupresso.] Nihil notius hanc arborem inter indicia funestarum ædium numeratam fuisse, ne lectorem fatigemus exemplis poëtarum, & aliorum,

Et circum Iliades crinem de more ſolutæ.
Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri pateras: animamque ſepulcro
Con-

rum, legendos commendamus Kirchm. de Fun. Rom. l. 1. c. 14. & Guther. de jure Man. l. 1. c. 19. qui, quid ſit *inſtaurare funus*, docet l. 2. c. 18. ſolenni nempe iterum ritu ſepelire. de Cæruleis vittis in luctu, idem l. 3. c. 28. *Emmeneſſ.*

65. *Crinem de more.*] Aut de more gentis, ut etiam in Ægypto eſt. Aut certe de more plangentium. *Servius.*

Crinem.] In antiquis aliquot codicibus, *crinis* legitur numero multitudinis. Sed magis poëticum eſt *crinem* per figuram intellectionis. *Pierius.*

Crinem de more ſolutæ.] Erat hic habitus flentium fœminarum. Ariadne apud Ovid.

Aſpice demiſſos lugentis more capillos.

Idem Faſt. 6.

Attonitæ flebant demiſſo crine miniſtræ.

Lucanus mœſtam Romam deſcribens:

Turrigero effundens canos à vertice crines.

Silius lib. 12. —— *ſolutis*
Crinibus exululant matres, atque ubera nudant.

Seneca in Oet.

Et comas nullo cohibente nodo
Fœmina exertos feriat lacertos.

Ita commutato rerum ſtatu, & redeunte lætitia, capilli colligebantur. Ovidius enim pacatam Germaniam indicans: —— *ſparſos Germania crines*
Colligit. Cerda.

Crinem de more.] Hunc ritum exemplis illuſtravit Kirchmann. de Funer. Rom. lib. 2. c. 12. inſignis locus apud Terent. H. 2. 3. 49. cum dixiſſet virginem veſtitam fuiſſe veſte lugubri, poſtea hæc addit: *capillus paſſus, prolixus, circum caput rejectus negligenter.* Emmeneſſ.

66. *Inferimus.*] Inferias damus proprie. *Servius.*

Tepido lacte.] Statim mulcto. *Idem.*

Cymbia.] Pocula in modum cymbæ facta. *Idem.*

Cymbia.] Pocula ſunt, teſte Iſidoro l. 20. c. 6. ex ſimilitudine cymbæ navis. Non. Marc. Maronis citat hunc verſum l. 5. Æn. ℣ſ. 267.

Cymbiaque argento perfecta atque aſpera ſignis.

In libello de vaſis & poculis, de quibus etiam agit Macrob. l. 5. Saturn. c. 21. ubi *κυμβίον* Græcum eſſe, Latinoque ſermone non uſitatum docet. *Emm.*

Inferimus tepido, &c.] Unde & *inferiæ*, juſta quæ mortuis ſolvuntur. Notat autem Turnebus *χοὰς* conſtitiſſe ex lacte, melle, aqua, vino, olivis, floribus. Virg. quoque alibi:

Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho,
Fundit humi, duo lacte novo, duo ſanguine ſacro,
Purpureoſque jacit flores.

Non temere autem videtur Servius ſenſiſſe elicitam his ſacris fuiſſe Polydori animam, cum iiſdem pene Ulyſſes Tireſiæ animam exciverit Od. λ. Quod autem frequentius lacte, vino, oleo libarent veteres, *χοὰς τρισπόνδους* Sophoclem vocaſſe, interpres aſſerit eo in Antigone loco: *χοαῖσι τρισπόνδοισι τὸν νέκυν στέφει.* *Inferre* autem funebre eſſe vocabulum ſæpe apud hunc & cæteros auctores conſtat: unde & *inferiæ* dictæ, more Græcorum, qui *χοὰς θανοῦσιν ἐπιφέρειν* dicunt. Plutarch. *ἐν παραμυθ. τοῖς δὲ πατρίοις καὶ παλαιοῖς ἔθεσι καὶ νόμοις ἐμφαίνεται μᾶλλον ὑπὲρ τούτων ἀλήθεια. τοῖς γὰρ αὐτῶν νηπίοις ἀποθανοῦσιν οὔτε χοὰς ἐπιφέρουσιν, οὔτε ἄλλα δρῶσι περὶ αὐτῶν, οἷα εἰκὸς ποιεῖν ὑπὲρ θανόντων ἄλλους.* *Germanus.*

67. *Sanguinis ſacri.*] De victimis ſumpti. Ideo autem lactis & ſanguinis mentio facta eſt, quia adfirmantur animæ lacte & ſanguine delectari. Varro quoque dicit mulieres in exſequiis & luctu ideo ſolitas ora lacerare, ut ſanguine oſtenſo inferis ſatisfaciant; quare etiam inſtitutum eſt, ut apud ſe-

 pul-

Condimus, & magna supremum voce ciemus.

pulchra & victimæ cædantur. Apud veteres, etiam homines interficiebantur; sed mortuo Junio Bruto, cum multæ gentes ad ejus funus captivos misissent; nepos illius, eos qui missi erant, inter se composuit, & sic pugnaverunt, & quod muneri missi erant, inde *munus* appellatum: Sed quoniam sumptuosum erat & crudele, victimas vel homines interficere; sanguinei coloris cœpta est vestis mortuis injici, ut & ipse testatur VI. Æneid. *Purpureasque super vestes velamina nota:* & V. Æneid. *Purpureosque jacit flores.* Alii sanguinis inferendi ad adescendas defunctorum animas illa ratione consuetudinem tradunt, ut, quod amiserunt, videantur accipere. Sanguis enim velut animæ possessio est, unde *exsanguines* mortui dicuntur. Nam & Homerus in Necromantia non prius facit loqui animas, nisi sanguine gustato. Alii lac & sanguinem ab hoc accipiunt, quod una res nutrit, alia nutriatur. *Servius.*

Sanguinis.] De liquoribus, quos inferebant mortuis, videndus Kirchm. de Fun. Rom. l. 4. c. 2. de lactis usu in Sacris dicta quædam Ecl. 5. ℣. 67. Locus l. 5. Æn. ℣. 71. & seqq. inferias veterum illustrat, quem inter alia adhibet Guther. de Jure Man. lib. 2. cap. 11. *Emmeness.*

Pateras.] Sic vasa appellata quibus sanguis excipiebatur à popa. Græce σφάγιον, vel ut non nullis, ἄμνιον. Consule disputantem Bochart. Hist. anim. l. 2. c. 32. *Idem.*

Animamque sepulcro Condimus.] Bene animam lacte & sanguine ad tumulum dicit elicitam. Lacte namque corpus nutritur post animæ conjunctionem: & anima sine sanguine nunquam est, quo effuso, recedit. Legimus præterea in sexto, insepultorum animas vagas esse: & hinc constat non legitime sepultum fuisse: Rite ergo reddita legitima sepultura, redit anima ad quietem sepulchri, quam Stoici herciscundi, id est, medium secuti; nam diu durari dicunt, quam diu durat & corpus. Unde Ægyptii periti sapientiæ, condita diutius reservant cadavera; scilicet ut anima multo tempore perduret, & corpori sit obnoxia, nec cito ad alia transeat. Romani contra faciebant, comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, id est, in suam rediret naturam. Dicit ergo nunc sacrificiis quibusdam elicitam animam & sepulchro conditam, obnoxiamque factam corpori: quod ante horrebat, quasi per vim extorta. Ideo autem Stoicos medium sequi diximus: quia Plato perpetuam dicit animam, & ad diversa corpora transitum facere statim pro meritis vitæ prioris. Pythagoras vero, non μετεμψύχωσιν, sed παλιγγενεσίαν esse dicit: hoc est, redire, sed post tempus. *Servius.*

Condimus.] Erant placandi Manes læsi, præsertim illius qui civis & affinis & regis filius erat: & qui recte monuerat Trojanos, ut sceleratam terram relinquerent. Docet autem Poëta, quæ possint curare, quod male sint gesta, esse curanda. *Donatus.*

Animamque sepulcro Condimus.] Quod Virgil. *animam condere*, Plin. 7. Epist. *Manes condere*, dixit. Ovid. *umbras*. 5. Fast. ex nota Dalecampii:

Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras.

Inde est, ut sepulcrum (quæ nota est Rittershus. in Opp.) & *conditorium* dicatur: & Senecæ, atque Petronio *conditivum.* Cerda.

Animamque sepulcro Condimus.] Turneb. l. 4. c. 22. hunc locum interpretatur, & è veterum opinione poëtam dixisse, asserit, qui sepulcrum mortuorum domicilium credebant, & portum corporis appellabant. Cicero: *neque sepulcrum quo recipiat, habeat portum corporis, ubi, remissa vita, corpus requiescat malis.* leges etiam ad hunc locum Magium l. 4. c. 12. Misc lect. *Emmeness.*

68. *Supremum.*] Non est nomen, sed adverbium: ut, *Torvum clamat.* Serv.

Ciemus.]

Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria, & lenis crepitans vocat auster in altum;
Deducunt socii navis, & litora conplent.
Provehimur portu: terræque urbesque recedunt.

Sacra

Ciemus.] Est autem hoc loco quod dicimus more solenni, id est, tertio vale: nos te ordine, quo natura permiserit, cuncti sequemur. Quidam dicunt eorum mortuorum nomina ter vocari, qui in aliena terra dimittuntur; ut in VI. *Et magna Manes ter voce vocavi.* S.

Magna supremum voce ciemus.] Voces supremæ in funeratione, *Salve, vale*, ut Græcis χαῖρε, ὕλε. Vide eum locum: *Salve æternum mihi maxime Palla, Æternumque vale.* A vocando autem & ciendo mortuos προσρήσεις & προσκλήσεις Græcos dixisse constat ex Plutarcho. *Germanus.*

Supremum voce ciemus.] More post exsequias solenni conclamamus: VALE: *Nos te ordine, quo Natura permiserit, cuncti sequemur:* Videatur & Turneb. lib. 22. cap. 10. *Taubm.*

69. *Fides pelago.*] Hoc est, ubi fidem pelago habere cœpimus, nos tuto navigaturos. *Servius.*

Inde ubi prima fides pelago.] Observandum, esse idem in Virgilio, *inde ubi*, & *inde ut.* Nam ut hic, *inde ubi prima fides*, &c. & in 6. *Inde ubi venere ad fauces*, &c. & in eodem 6. dixit,

Navita quos jam inde ut Stygia prospexit ab unda, &c.

Ait autem Germ. videri respectum fieri ad illam navigationem, quæ classicis auctoribus dicitur prima, quæ videlicet post sævitiam hiemis vel tempestatis, navigantibus aperitur: quam & Græci vocant πρῶτον πλοῦν, referentes ad δεύτερον. ut autem hic pelago *fidem* dat, sic 1. G. dixit,

Et quando infidum remis impellere marmor.

Transferenda huc, quæ ibi. Herodotus vocat mare δολερὸν, lib. 7. *dolosum.* Cerda.

70. *Lenis crepitans auster.*] Duo epitheta posuit vitiose, ut diximus supra. Fecit autem hoc improprie in decem versibus. *Servius.*

Et lenis crepitans vocat auster.] In codicibus aliquot antiquioribus, *lene crepitans.* quod quidem & placeret, & erudite positum videretur, nisi *lenis* agnoscerent interpretes: quorum hæc paraphrasis. Nam tempus fiduciam dabat, quo & mare placidum fuerat, & flatus ita temperati, ut lenitate sua, etiam invitos hortari potuissent ad navigandum. *Pierius.*

Auster.] Quivis ventus. Nam ad Thraciam Aquilone navigatur; *lenis* autem ideo, quia superius ait, *vix prima inceperat æstas*, & lenes venti per æstatem sunt. *Servius.*

71. *Deducunt.*] Proprie, ut è contrario *subducunt.* Idem.

Deducunt.] Quas miseri subduxerant. *Donatus.*

Deducunt.] Proprie *deducere* est naves de terra in aquam ducere. Stat. Achill. l. 4.

Nec non & geminas regnator Scyrius alnos,
Deducit genero.

Contrarium est *subducere*, vide N. l. 1. Æn. ✱f. 551. *Emmenesf.*

72. *Terræque urbesque recedunt.*] Physicam rem dicit: hoc enim navigantibus videtur, quasi ab his terra discedat. Item aliter, Juno, cum vidisset Latonam à Jove adamatam, juravit eam non parituram in terris: Juppiter mutavit eam in coturnicem, quæ Græce ὄρτυξ appellatur, & monstravit ut veniret Delon, quæ illis temporibus circa omnia litora ferebatur ventis. Post partum * vero Latonæ quod Dianam & Apollinem peperit, *Ortygia* dicta est, quæ ante *Delos* nominabatur, & postea *Delos*, cum eam Apollo

Sacra mari colitur medio gratissima tellus

Nerei-

revinxisset Gyaro & Mycone altissimis montibus. *Servius.*

Recedunt.] Solventibus terræ ipsæ & portus videntur recedere. Tale illud Sen. in Troad. ex mss. quod Delrius animadvertit:

Cum semel ventis properante remo
Prenderint altum, fugietque littus.

in vulgatis legitur, *fugient.* Apte ad hanc sententiam versus Lucret. lib. 4.

Qua vehimur navi, fertur, cum stare videtur;
Quæ manet in statione, ea præter creditur ire,
Et fugere ad puppim colles, campique videntur.
Quos agimus præter navim, velisque volamus.

Videat itaque Lector, an verba hæc Livii, lib. 29. *Vento secundo vehementi satis profectis celeriter conspectu terræ ablati sunt*, legi ex conjectura nostra sic debeant, *Vento secundo vehementi satis profectis celeriter conspectu terræ ablatæ sunt.* Nam *profectis*, & *ablati* nescias, qui incongruum. Deinde magis proprie *conspectus* dicitur de hominibus, quam de terra. Itaque Poëta dicit, terras ablatas è conspectu navigantium, non ipsos è conspectu terræ. Pindaro tamen, Od. 4. Pyth. trita locutio placuit, εἰρεσία ὑπεχώρησε, *Recessit navigatio.* Cerda.

Terræ urbesque recedunt.] Hanc opinionem attingit Cicero in Lucullo. eodem autem verbo utitur Ovid. lib. 11. ℣s. 466. Met. —— *ubi terra recessit*
Longius, atque oculi nequeunt cognoscere vultus.

Pro eo idem l. 6. ℣s. 512.

Admotumque fretum remis, tellusque repulsa est.

Emmeness.

73. *Sacra mari colitur medio.*] Ordo est, In mari medio Ægæo colitur tellus sacra Neptuno, Nereidum matri, id est, Doridi gratissima. Fabula autem talis est: Post vitiatam Latonam, Jupiter cum etiam ejus sororem Asteriem vitiare vellet; illa optavit à diis, ut in avem verteretur; versaque in coturnicem est. Et cum vellet maria transfretare, quod coturnicum est, adflata à Jove, & in lapidem conversa, diu sub fluctibus latuit. Postea supplicante Jovi Latona, elevata est super aquas: hæc primo Neptuno & Doridi fuit consecrata. Postea cum Juno gravidam, Pythone immisso, Latonam insequeretur, terris omnibus expulsa Latona, tandem applicante se litoribus sorore, suscepta est: & illic Dianam primo, post Apollinem peperit. Qui statim occiso Pythone, ultus est matris injuriam. Sane nata Diana, parturienti Apollinem matri dicitur præbuisse obstetricis officium. Unde cum Diana sit virgo, tamen à parturientibus invocatur: hæc namque est Diana, Juno, Proserpina. Nata igitur duo numina terram sibi naturalem errare non passa sunt, sed eam duabus insulis religaverunt. Veritas vero longe alia est: Nam hæc insula, cum terræ motu laboraret, (qui fit sub terris latentibus ventis, sicut Lucanus, *Quærentem erumpere ventum Credidit*) oraculo Apollinis, terræ motu caruit. Nam præcepit, ne illic mortuus sepeliretur, ut in Vulcano: & jussit quædam sacrificia fieri: postea è Mycone & Gyaro vicinis insulis populi venerunt, qui eam tenuerunt, quod etiam Virgilius latenter ostendit. Quod autem diximus Dianam, primo natam, rationis est. Nam constat primam noctem fuisse: cujus instrumentum est Luna, id est, Diana: post diem, quem Sol efficit, qui est Apollo. Ut autem Delos primo *Ortygia* diceretur, factum est à coturnice, quæ Græce ὄρτυξ dicitur. *Delos* autem, quia diu latuit, & postea apparuit. Nam δῆλον Græci *manifestum* dicunt. Vel quod verius est, quia cum ubique Apollinis responsa obscura sint, manifesta illic dantur oracula. *Delos*

autem

Nereidum matri, & Neptuno Ægeo:
Quam pius arcitenens, oras & litora circum
Erran-

autem civitas dicitur & insula. Unde interdum recipit præpositionem. *Serv.*

Sacra.] Ut ostenderet vittas & laurum non esse signa lætitiæ, quæ tristitiæ Trojanorum non conveniebat, sed sacerdotii. Magna autem exempla posuit malæ bonæque amicitiæ: Polymnestorem & Anium, quæ nos ad bonum hortentur, & à malo revocent. *Donatus.*

Sacra mari.] Sane *sacrum* dicitur, quod rite sacratur Deo, ut ædes, aræ, simulacra, dona. Hic igitur ædium sacrum, etsi non aperte, attamen ejusdem ritus meminit, cum de insula loqueretur, in qua præterquam ut *sacra* dixerat, id est, sacrata, gratiam quoque posuit non solum Doridi matri Nereidum, quæ traduntur deæ maris; sed Neptuno etiam addidit dominatori videlicet omnium in mari deorum. *Serv.*

Sacra mari colitur medio.] Sita Delos in medio Clycladum, & veluti aliarum domina. Strabo lib. 10. ἐν δὲ τῷ Αἰγαίῳ μᾶλλον αὐτή τε Δῆλος, καὶ αἱ περὶ αὐτὴν Κυκλάδες: *In Ægeo magis Delos eminet, circumstant illam Cyclades.* Plin. lib. 4. cap. 12. *Ipsaque longe clarissima Cycladum media, templo Apollinis, & mercatu celebrata Delos.* Solin. cap. 17. *Cyclades in orbem circa Delum sitæ sunt.* Cerda.

Tellus.] Major dignitas est *tellus*, quam si dixisset *insula.* Servius.

74. *Nereidum matri.*] Doridi, quinquaginta Nympharum matri, conjugi Nerei. *Idem.*

Neptuno Ægæo.] Quia in Ægæo mari hæc insula posita est. Sane inter Ellespontum & Adriaticum mare, omne illud *Ægæum* appellatur; quod nomen à patre Thesei Ægæo rege Atheniensium traxit, qui in mari se præcipitavit, sperans mortem filii. Cum enim in labyrintho Minotaurus esset inclusus, & quotannis ex nobilitate Atheniensium, septem pueri vel puellæ ad vescendum Minotauro mitterentur, tandem dolor Theseum subiit. Profectus itaque est ad Minotaurum perimendum, placuitque cum patre, ut si illud monstrum vicisset, vela candida navibus daret; si forte à Minotauro fuisset oppressus, navigium cum atris velis rediret. Sed cum extinxisset Minotaurum, oblitus non cum candidis, sed cum nigris velis reverti cœpit; & patri in specula constituto, triste sui interitus signum dedit, qui extinctum filium credens se præcipitavit in mare, unde *Ægæum* pelagus appellatum est. *Idem.*

Nereidum matri, & Neptuno Ægæo.] Ut missas faciam varias multorum lectiones & sententias in hoc versu, quum alii *Neptuno* legendum velint, alii *Ægæo*, ut in codice Longobardico est, *Neptuno Ægæo* absque synalœphe, veluti etiam *matri &* ad Græcorum imitationem posita non inerudite docti omnes arbitrantur. *Pierius.*

75. *Pius arcitenens.*] Apollo est. Bene *pius*, aut qui ultus est matrem de Tityone, de Niobe, de Pithone: aut quia patriam stabilivit errantem. Legitur & *prius.* Servius.

Pius.] Antiqui aliquot codices, *prius* legunt: ut sit *prius errantem.* Sed magis placet *pius*, ut ostendat Apollinem eo beneficio insulam promeruisse, ob officium matris suæ toto orbe erranti præstitum: cujusmodi pietas filium addeceat. *Pierius.*

Arcitenens.] Sic dictus Apollo ab arcu. Nævius lib. 2. belli Punici,

Deinde pollens sagittis inclytus Arcitenens,
Sanctusque Delphis prognatus Pythius Apollo.

Hostilius lib. 2. Belli Histrici: *invictus Apollo, Arcitenens, Latonius.* Accius in Astyanacte:

Utinam unicam mihi antistitam Arcitenens suam tuetur.

Errantem, Gyaro celsa Myconoque revinxit,

Immo-

Homero κλυτότοξ☉ dicitur, *arcu inclytus*. & τοξοφόρ☉. sic & Diana *Dea Arcitenens* ab Accio dicitur, hoc versu:

Quod utinam me suis Arcitenens telis mactasset Dea. Cerda.

Oras & litora circum Errantem.] Hujus aut fabulæ aut historiæ plures meminerunt. unum tantum adducam. Plin. lib. 4. Hist. c. 12. *Ipsaque longe clarissima, Cycladum media, templo Apollinis, & mercatu celebrata Delos, quæ diu fluctuata, ut proditur, sola motum terræ non sensit ad M. Varronis ætatem.* Adi Strabonem, qui lib. 10. Geogr. eadem narrat ex Pindaro. Inde dicta & Delos. *Idem.*

76. *Gyaro Myconoque revinxit.*] Quidam per historiam dictum putant, nam inter Myconum & Gyarum, Syrum unam de Cycladibus esse dicunt: unde fuit Ferecides philosophus. Alii nullum auctorem alium esse adferunt, qui Delon ab Apolline religatam dicat. Constat enim eam ante evagare, & propter Latonæ partum restitisse. Alii hanc insulam inter Myconum & Gyarum humilem esse dicunt, ut his quasi vinculis contineatur. *Servius.*

Errantem, Gyaro celsa Myconoque revinxit.] Antiqui codices plerique omnes hoc dictionum ordine versum legunt, *errantem Gyaro celsa My. q. re.* non nulli: *errantem Mycone celsa Gyaroque revinxit.* Gyaron enim, genere muliebri dici, Auctor Stephanus. Neque vero tacendum *Gyaro* nomen aptoton esse Probo Grammatico, *Hæc Gyaro, hujus Gyaro* declinanti. Cujusmodi esse etiam *Celeno* tradit. Illud sane scitu dignum, quod Antigonus Caristius esse in ea insula mures tradit, qui ferrum abrodant. Pro *Mycone* autem *Mycono* passim in veteribus exemplaribus inveni, ita quidem Græce scribitur, καὶ μυκόν☉ λέγε) μία τῶν κυκλάδων. Et eo casu quippe in *os* finitum nomen apud Strabonem & Thucydidem reperitur. Quod vero Gigantes illos, quos postremo Hercules confecerit, in ea positos fabulantur, ut apud Strabonem libro x. legere est, animadvertendum est codices etiam Græcos variare. In aliquibus enim legitur, τῶν γιγάντων τοὺς ὑστάτους, quod nimirum postremos significaret. Sed in aliquot aliis τοὺς ὑγιεινοτάτους legas, hoc est, validissimos. Unde forte sit proverbio locus, *Omnia sub unam Myconum*, quum superfuisse adhuc aliquid longe difficilius ad expugnandum innuamus. Vel id denique confectum esse, quod se nostris conatibus difficillimum objecisset. Neque vero hæc à me dicuntur, ut alterius cujuspiam sententiam improbem, sed quia non temere scriptum crediderim validissimos Gigantum in ea positos. *Pierius.*

Gyaro celsa.] Gyarus hic *celsa* dicitur, ut apud Juvenal. Sat. 10. ✠ſ. 170. Scopuli ejus celebrantur, intra quos exules, qui alicujus rei erant, consenescebant. Inde idem Sat. 1. ✠ſ. 73.

Aude aliquid brevibus Gyaris aut carcere dignum.

Et Sat. 13. ✠ſ. 246.

— nigri patietur carceris uncum
Aut maris Ægæi rupem scopulosque frequenteis
Exulibus magnis.

Ob paupertatem nobilis, teste Strabone l. 10. (ubi etiam Deli descriptionem invenias) vix enim tributi nomine centum Denarios imperare ausus est legatus Cæsaris. λυπροτάτη sterelissima omnium Ægæo mari insularum fuit, una ex Sporadibus, de quibus videndus Mela l. 2. c. 7. *Emm.*

Myconoque revinxit.] Apud Stephanum & Strabonem μύκον☉ l. 10. Melam *Myconos* & una ex Cycladibus est, l. 2. c 7. vulgo *Micoli.* 15. mill. pass. abest à Delo. *Humilem* illam nominat Ovid. l. 7. Metam. ✠ſ. 463. respectu fluctuantis Deli. ubi *Myconon* legendum docet Nob. Heinsius & adstruit epist. Heroid. 21. ✠ſ. 81. & quæ alligatam Delum fuisse testantur duabus insulis, Mycono & Gyaro, illic vide.

Turpes

Inmotamque coli dedit, & contemnere ventos.
Huc feror: hæc fessos tuto placidissima portu
Accipit. egressi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos,
Vittis

Turpes fuisse ob calvitiem Myconios, docet Strabo. *Emm.*

Revinxit.] Putant num retraxit. *Serv.*

77. *Coli dedit.*] A vicinis scilicet populis. *Idem.*

Inmotam.] Ἀκίνητον. Herodotus in Erato tale oraculum narrat, Κινήσω καὶ Δῆλον, ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν: *Movebo Delum, quamvis jam immotam.* Callimachus in hymno ad Delum, eam vocat ἄτρεστον, *immutabilem.* quia videlicet ἀκίνητος καὶ ἄσειστος, ut ait interpres, *immota, inconcussa.* Addit idem interpres, καὶ Θουκυδίδης σεισμὸν γενόμενον μέγαν βουλόμενος ἐξηγήσασθαι, φησὶν, ὅτι τοσοῦτον ἦν μέγας, ὥστε τὴν Δῆλον νῆσον σεισθῆναι: *Thucydides narraturus magnum terræ motum, ait, ita magnum fuisse, ut quati quoque potuisset Delos.* De eadem Delo, contrario verbo ἐκινήθη dixit Herodotus lib. 6. ab motu. Aristides oratione in Serapim ἀμφιῤῥύταν, quasi circumfluam. Sed hoc Poëta *errantem.* Idem Aristides oratione in Asclepiadas, Δῆλον φερομένην. *Cerda.*

Inmotamque coli dedit.] Quæ erraverat ante, fixa fuit loco stabili. Locum adde Statii, qui l. 2. Achill. fere simili modo de Creta:

—— te longus honos, æternaque cingent
Templa, nec instabili fama superabere Delo
Et ventis, & sacra fretis, interque vadosas
Cycladas, Ægææ frangunt ubi saxa procellæ
Nereidum tranquilla domus, &c.

De Delo Latonia, quæ Servius habet l. 3. Georg. ℣. 6. adi, quomodo incolis frequentata fuit, expedit Strabo l. 10. *Emmeness.*

Contemnere ventos.] Propter terræ motum. *Servius.*

79. *Egressi.*] Sunt antiqui codices in quibus, *eggressi*, *g* litera geminata scriptum invenias: quod verbi compositio sit ab *extra* & *gradior*, non ab *e* & *gradior*: ideoque sit ea littera geminanda, ut ex compositæ dictionis singulis partibus aliquid appareat. *e* quippe & *c*, quod in *x* duplici litera latitabat *ecgressi.* Inde *c* ob cognationem in *g* abeunte *eggressi.* Ita olim *Exfatus*, mox *ecfatus*, tactum à Ter. Scauro: & omnium denique usu *effatus* receptum. *Pierius.*

Apollinis urbem.] Delon. & est definitio. Ejusdem nominis & urbs, & insula *Delos* dicitur. *Servius.*

80. *Rex Anius.*] Anius autem rex Deli, Apollinis sacerdos, cum trium filiarum esset parens, ne unius tantum Dei esset totas * auxilio filia numini Liberi patris devovit, qui parem ei gratiam reddens, effecit, ut quidquid una adtigisset verteretur in fruges, altera in vinum, tertia in oleum; id cum comperisset Agamemnon dux Argivorum, cum mille navibus oppugnaturus iret Trojam; misit, qui eas accerserent, ut posset alere Græciæ exercitum. quæ cum vinctæ tenerentur, invocaverunt Liberum patrem, quas ille in columbas vertit, & ita vincula fecit effugere: unde hodieque Deli columbas violare nefas est: hunc tamen Anium, Palefatus etiam propinquum tradit Anchisæ. Alii dicunt hujus Anii filiam occulte ab Ænea stupratam, edidisse filium nomine An. * *Idem.*

Rex & sacerdos.] Hic Anius, Apollinis filius, rex Deli & sacerdos fuit, qui habuit filium Andron nomine: unde *Andros* insula appellata est, ad quem Anchises ante Troicum bellum consultum venerat; an Salaminam peteret comes Priamo, unde & agnoscitur. Sane majorum hæc erat consuetudo, ut rex

Vittis & sacra redimitus tempora lauro,
Occurrit: veterem Anchisen agnoscit amicum.
Jungimus hospitio dextras, & tecta subimus.
Templa dei saxo venerabar structa vetusto.

Da

rex esset etiam sacerdos, vel pontifex. Unde hodieque imperatores, dicimus *pontifices*. Serv.

Rex Anius, rex & sacerdos.] Olim Reges etiam sacerdotes erant: ut docent Plutarchus & Plato in Polit. Et sacerdotium pontificatus Maximi in gente Julia multis sæculis perduravit. De hoc *Anio* Apollinis F. Cælius lib. 7. cap. 15. & Turneb. lib. 4. cap. 22. *Taubmannus.*

Rex Anius, rex idem, &c.] De hoc Ovid. l. 13. Metam. ℣s. 630. & seqq. Quod reges & sacerdotio functi sint, discas ex Livio l. 1. c. 20. Justino l. 36. c. 2. ad quem locum consule Berneggerum. Hæc sacra Apollinis non tantum culta in Delo, sed inde ad alias nationes pervenerunt, ut Mela l. 3. c. 5. *E.*

81. *Vittis & lauro.*] *Vittæ*, sacerdotis sunt: *laurus* vero etiam imperatoris victoris. *Servius.*

Occurrit.] Magna benevolentia, ut rex & sacerdos non expectaverit peregrinos ad se venire, sed ultro occurrerit. *Donatus.*

82. *Anchisen amicum.*] Κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus: Nam quomodo fuerint amici, palam poëta non dicit. *Servius.*

Veterem amicum.] Quasi dicat: illum talem tunc habuit amicum, qualem habebat, stante Trojanorum felicitate: neque secutus est fortunam, ut Polymnestor, & tantum habuit amicum, quantus fuit, non quantus veniebat. *Donat.*

Occurrit: veterem Anchisen agnoscit amicum.] In antiquissimo codice *obcurrit* præpositione incolumi scriptum est, quod improbat Scaurus. Eodem modo, *adgnoscit.* quamvis in Mediceo, & in plerisque aliis *adgnovit* præterito tempore positum est, quæ quodammodo reditio caussæ videtur esse, cur occurrerit. Sane præteritum *agnovit* hoc loco Pontanus etiam agnovisse videtur. *Pierius.*

Occurrit.] Vetustissimi codicis fide hic legendum monet Dausquius *obcurrit, &c.* Emmeness.

83. *Hospitio.*] Licet Probus quærit, quid sit *Iungimus hospitio dextras*; tamen casus septimus est, id est, jure hospitalitatis. Nam ad hospitium non potest intelligi, quia jam amicus fuit; aut sicut quidam tradunt, *jungimus dextras, & hospitio tecta subimus.* Servius.

84. *Templa Dei.*] Hoc juxta augurii genus, quod *stativum* dicitur, retulit, in quo considerantur, quo in loco auguria peragi debeant. Nam ideo ait, *Templa dei saxo venerabar structa vetusto*, & subjunxit, *Quove ire jubes.* Et exinde, *Da pater augurium.* Sane quæritur cur *saxum vetustum* dixerit. Sed traditur à plurimis, inter quos etiam Epafus vir peritissimus refert, Delphis quodam tempore evenisse, ut templum religiosum ante & intactum, spoliatum incensumque sit; ac post multas Corinthii urbes singulasque proximas terræ motu haustas; Delon neque antea, neque postea hoc incommodo vexatam, sicut Tuthrodes, quod etiam Cicero in prætura Verrinarum ita ait, *Tantaque vis hujus religionis est & semper fuit, ut ne Persæ quidem cum bellum totum Asiæ diis hominibusque indixissent, & mille navium classem Delum appulissent, quicquam conarentur, aut violare, aut adtingere.* Non mirum ergo, si aut ad tempora poëta respondit, aut ad pristina; utpote quod religio nunquam omnino vexata illo suo antiquo & vetusto saxo colebatur; vel *vetusto*, religioso: Et quod *Venerabar* ait, ostendit se precatum. *Idem.*

Tecta subimus. Templa, &c.] Dissiti sunt

Da propriam, Thymbræe, domum: da mœnia fessis,
Et

sunt hi versus, nec cohærent. De quibus J. C. Scalig. lib. 4. cap. 23. & Servius Danielis. Sæpe, inquit, discontinuatos versus legimus in Æneide: quos idcirco præcisis sensibus videamus, quod auctor morosissimo judicio alios de medio sustulerit, quibus illi cohærebant: quoad excogitaret atque insereret meliores. Sicut nec illi quidem cum cæteris colligantur, infra vs. 639. *Sed fugite, ô miseri, fugite, atque ab litore funem Rumpite.* Quare? *Nam qualis, &c.* Atquin illo occupato non est fugiendum. Certe alii versus intercedebant. *Taubmannus.*

Saxo vetusto.] Cur templum *vetusto saxo* structum dixerit, disputat Macrob. lib. 3. 6. Saturn. & Servius Daniel. Sunt qui templum vetus interpretentur: sunt, qui religiosum. *Idem.*

Venerabar.] In plerisque codicibus antiquis, *veneramur* numero plurium habetur. Sed multi supra *bar* ultimam syllabam *mur* notatum habent, non tam variandæ lectionis caussa, quam paraphraseos. Quippe ut *Venerabar* pro *Venerabamur* positum innuant: quia verba reliqua eadem periodo contenta, sunt in pluralitatis numero, *Jungimus, Subimus.* Sed enim quia subsequuntur preces, in persona Æneæ nuncupatæ, mihi non displicet: *Venerabar*, unitatis numero. Nam etiam in VI. reliquis hoc vel illud procurantibus, *Pius Æneas arces quibus altus Apollo Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ, Antrum immane petit.* Quod vero saxum vetustum appellavit, id redigit in memoriam mihi, quod apud M. Tullium in Verrinis legere est: ubi de hac insula loquitur, & Apollinis templo. Est enim tanta apud eos ejus fani religio atque antiquitas, ut in eo loco ipsum Apollinem natum esse arbitrentur. *Pierius.*

85. *Da propriam.*] *Da*, dic, indica; Apollo enim non dandi, sed dicendi habet potestatem. Quæritur etiam cur Æneas cum Delum venisset, nullis prius hostiis cæsis, statim à precibus cœperit: quia tradunt multi, inter quos & Varro, esse aras tam Apollinis, quam filii ejus non tantum Deli, sed in plurimis locis, apud quas hostiæ non cædantur; sed consuetudo sit deum solemni tantum prece venerari: quod autem ait, Neptuno & Apollini tauris postea sacrificatum, apud alias aras hoc factum accipi oportet. *Servius.*

Propriam.] Perpetuam, stabilem, firmam; ut, *Propriamque dicabo.* Et bene post experimentum male conditæ civitatis, perpetuas postulat sedes. *Idem.*

Propriam.] Nam incerti hactenus vagabantur, ut, *Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur.* Est autem precatio brevis, & quæ omnia contineat. nam petit & movet commiserationem. *Don.*

Thymbræe.] *Thymbræus* Apollo dicitur à loco Trojæ, id est, agro vicino pleno Thymbra, quæ *Satureja* dicitur; & bene Deli positus, *Thymbræum* appellat, quem in Troja adsueverat colere in agro, in quo ejus & nemus est, & templum: ubi à Paride Achilles occisus est. Unde fingitur manu Apollinis vulneratus. Ergo *Thymbræus*, ut *Delius*: nam numina à locis frequenter nomen accipiunt. Alii *Tymbram* locum in Delo consecratum Apollini tradunt. Sane quia Græce τύμβρη facit: in derivatione η in diphthongum mutat: ut αἴτνη, Ætnæus, δίρκη, Dircæus. *Servius.*

Thymbræe.] Apollo Thymbræus in campo erat Trojano. Strabo lib. 13. Geograph. ἐστὶ τὸ πεδίον ἡ Θύμβρα, καὶ δι' αὐτοῦ ῥέων ποταμὸς Θύμβριος, ἐμβάλλων εἰς τὸν Σκάμανδρον κατὰ τὸ τοῦ Θυμβραίου Ἀπόλλωνος ἱερόν: *campus est Thymbra, quem Thymbrius fluvius interfluit, emittens se in Scamandrum, ad Apollinis Thymbræi templum.* Papinius quoque sic ad Apollinem:

Seu Trojam Thymbræus habes.

Cerda.

Domum.] Familiam: ut, *Domus tenet à quo Sergia nomen.* Servius.

Da

Et genus, & mansuram urbem. serva altera Trojæ
Pergama, relliquias Danaûm atque immitis Achillei.
Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedes?
Da, pater, augurium; atque animis inlabere nostris.

Vix

Da mœnia fessis.] Lucan lib. 1.

Quæ sedes erit emeritis, quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret, quæ mœnia fessis?

Ubi Budæus *fessis*, τῷ στρατεύειν πεπαυμένοις exponit. *Taubm.*

86. *Mansuram.*] Perpetuam. Duo ponit epitheta, & urbem & perpetuitatem. *Mansuram* autem ideo, vel propter Trojam: vel propter eam, quam in Thracia condidit. *Servius.*

Serva altera.] Non quia prima servavit: sed quia servare voluit, ut Homerus dicit. *Idem.*

Serva altera Trojæ Pergama.] Censet Salmas. exercit. Plin. p. 289. eandem esse loquendi formulam ac *altera Salamis, altera Tingi*, de qua Mela l. 2. c. 6. ad discrimen pervetustæ urbis Tingi, de qua l. 1. c. 5. quam lectionem speciosam quidem, sed veram non esse asserit Isaacus Vossius ad Pomponium p. 197. *Emmeness.*

87. *Achillei.*] Sic veteres declinabant. *Servius.*

88. *Quem sequimur?*] Quia Cadmus oraculo Apollinis bovem secutus, in Hyantheo Boëtiam condidit. Veteres enim oraculis signa, quibus civitatem conderent, accipiebant. *Idem.*

Quem sequimur.] Notavit Brissonius lib. 1. Form. his duobus versibus contineri formulas quasdam augurum, qui plane optabant, petebantque à Diis, certa sibi, & clara, & prospera è cœlo signa dari. advocatque Dionysium l. 2. & Livium, 1. ille enim Romulum infert deprecantem Jovem, Deosque alios, quos duces sibi fecerat coloniæ deducendæ, ut, si volentibus ipsis, urbem ipse moderaturus esset, σημεῖα οὐράνια φανῆναι καλά, *prospera signa è cœlo apparerent.* hic autem augurem sic auspicantem inducit: *Juppiter pater, si fas est, hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, Regem Romæ esse, ut tua signa nobis certa ac clara sint inter eos fines, quos feci.* Ex eodem ritu in 4. dixit Virgilius:

Adsis, ò placidusque juves, & sidera cœlo
Dextra feras. Cerda.

89. *Da pater.*] *Pater* religionis, ut supra diximus, nomen est. Nam & hominibus datur: ut, *Inde toro pater Æneas.* & montibus, ut, *pater Apenninus.* & fluminibus, ut, *Tybri pater.* numinibus etiam: ut, *Quidve pater Neptune paras.* Item, *Ipse pater Danais animos viresque secundas Sufficit.* Item, *Odit & ipse pater Pluton.* Servius.

Da.] Id est, ostende. *Donatus.*

Da pater augurium.] Paterno animo infunde animis nostris aperta & perspicua oracula. Usus est autem imperativo *da* & *illabere*, quod est deprecantis ex fiducia Apollinem, qui Trojanis favebat. *Idem.*

Augurium.] Modo oraculum: sed usurpative. *Augurium* enim est, exquisita deorum voluntas per consultationem avium aut signorum; quod tunc peti debet, cum id, quod animo agitamus, per augurium à diis volumus impetratum; ut in hoc loco Æneas, postquam omnia, quæ volvebat animo, petit; ait, *Da pater augurium*, & est species ista augurii, quæ *legum dictio* appellatur: *legum dictio* autem est, cum conditio ipsius augurii certa nuncupatione verborum dicitur, quale conditione augurium peracturus sit, quod hic facit exsequens formas petitionis versibus supradictis; tunc enim quasi legitimo jure legem adscribit, *Da pater augurium.* Servius.

Animis illabere nostris.] Quia Apollinis responsa semper obscura sunt, vera tamen.

Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,
Liminaque, laurusque dei; totusque moveri
Mons

ra tamen. Unde cum intelligentia oraculum postulat. *Serv.*

90. *Tremere omnia.*] In consequentibus quid sit *omnia* docuit, dicendo, *Liminaque laurusque dei.* & hoc augurium juxta auguralem disciplinam dictum est, quod appellatur *tripudium sonubium*, id est, à sono, ad quod pertinet, si arbor sponte radicibus cadat, si terra tremat, quod hic Æneæ factum ostendit, antequam voce divina responsa perciperet. *Idem.*

Visa repente.] Stoicos & Academicos sequutus est, qui dicunt ea, quæ contra naturam sunt, non fieri, sed fieri videri. Unde magica ars est exclusa omnis: sicut Plinius Secundus docet in naturali historia. *Idem.*

Tremere omnia visa repente.] Hæc Deum præsentem esse indicio erant. Et tum vera reddebantur Oracula; sicut eo absente, falsa. De quo Turneb. l. 4. c. 22. Lucan. l. 5. de Phœbade:

——*non rupta trementi*
Verba sono, nec vox antri complere capacis
Sufficiens spacium, nulloque horrore comarum
Excussæ laurûs, immotaque culmina templi,
Securumque (astantes nullo fragore terrens) *nemus veritam se credere Phœbo*
Prodiderunt. ——

Hoc autem augurium appellabatur *tripudium sonubium*, à sono, &c. de quo Serv. Daniel. *Taubm.*

91. *Liminaque.*] *Que* brevis, est pro longa posita: quæ hac ratione defenditur: aut quia omnia monosyllaba ad artem non pertinent, & his licenter uti possumus. Aut certe, quia omne μόριον, id est, particula, quæ sui substantiam non habet, membrum putatur superioris orationis, quod si est: *liminaque*, quasi una pars orationis est: & potest *que* finalitatis ratione, vel produci, vel corripi. *Servius.*

Laurusque dei.] Aut ideo singulariter, quia in Delo Insula laurus Apollini consecrata est; aut lucum dicit, aut quia traditur Latonam, duas Laurus amplexam, Dianam & Apollinem enixam. Fabula sane de Lauro talis est: Daphnis Penei, vel, ut alii dicunt, Latonis filia, ab Apolline adamata est; à qua cum precibus & promissis non potuisset Apollo, ut secum concumberet, impetrare; vim ei adhibere conatus est, cumque eam insequeretur, & illa fugiens defecisset lassata, terræ imploravit auxilium, quam terra hiatu facto recepit, & pro ea arborem edidit, quæ Græce nomen suum retinuit, Latine *Laurus* dicitur; sed Apollo eam etiam mutatam ita dilexit, ut adscriberet efficeretque, ut propter virginitatem servatam semper vireret. *Idem.*

Liminaque laurusque dei.] Illud ego sane præteriturus eram inveniri codices manu scriptos, in quibus *leimina* per *ei* prima syllaba scriptum sit: & ita alibi, ut in 11. *leimen erat:* nisi Probus Grammaticus interpellasset, nomina esse dicens, quæ plenitudinem patiuntur, hoc est, quæ *e* littera plus scribantur: ut puta, *limen leimen.* In Carisii sane codice, quem lectitavi, ubi ex C. Julii Ro. sententia, *laurus* hoc loco numero multitudinis positum asseritur, animadverti *numinaque laurusque* citatum esse, non *limina:* quod quidem memoriæ lapsu factum crediderim à librario, donec quid magis fide dignum invenero: quam *limina* castior omnino lectio videatur, quam tot veteres codd. ostendant, Quintilianus agnoscat. Et Val. Probus octavum positionis modum observet in *Liminaque laurusque Dei*, sicuti septimum in eo versu: *Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.* Pierius.

Tremere omnia, &c. liminaque laurusque dei.] Locus debetur Callimacho, qui sic in hymno Apoll. ℣s. 1.

Οἷον

Mons circum, & mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram, & vox fertur ad auris:
Dardanidæ duri, quæ vos à stirpe parentum
Prima

Οἷον ὁ τῷ 'πόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος ὅρπηξ,
Οἷα δ' ὅλον τὸ μέλαθρον.

ad quem locum Vulcanium adhibe. *Em.*

Moveri.] Quia opinio est sub adventu deorum moveri templa. *Servius.*

92. *Mons.*] Cynthus. Unde *Cinthius* Apollo. *Idem.*

Cortina.] Locus unde oraculum datur. Dicitur autem *Cortina*, vel quod Apollinis tripos corio Pythonis tectus est: vel quod certa illinc responsa fundantur, quasi *certina*, vel (quod est verius) quod cor illic vatis tenetur, Nam caverna quidem in templo Apollinis fuit, ad quam Phœbus rapta vaticinabatur; ut Lucan. ostendit. Alii *cortinam* quasi *ortinam* tradunt; quod inde vox oriatur. *Idem.*

Cortina.] In explicando hoc loco insistam vestigiis viri docti Gisan. in Coll. ad Lucret. Tripus erat vas ingens, tripodem tegebat cortina, quæ nihil aliud, quam integumentum & operculum tripodis; huc ascendebat Pythia, editura oraculum, quæ ideo dicebatur loqui ex tripode. Aperit hoc Prudentius Poëta:

Delphica damnatis jacuerunt sortibus antra:
Non tripodas cortina tegit, non spumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.

Hanc laminam, seu cortinam impositam tripodi, Græci *ὅλμον* vocant, teste Polluce lib. 10. Græca signata ad rem sunt: *τοῦ Δελφικοῦ τρίποδος τὸ ἐπίθημα, ᾧ ἐγκάθηται ὁ προφήτης, ὅλμος καλεῖται*: *Delphici tripodis tegumentum, cui vates insidet, holmos dicitur.* Itaque cortina Prudentii, & *ὅλμος*, idem. Hinc lux ad Plin. lib. 34. cap. 3. *ex ære factitavere & cortinas tripodum nomine Delphicas, quoniam donis maxime Apollinis Delphici dicabantur.* ubi qui per *cortinas* capiunt pelves, non ita probe. *Cerda.*

Reclusis.] Nunc apertis: alias denuo clusis. *Servius.*

93. *Submissi.*] Utrum corpore an anima? an quia supplices rogamus, an quod verum est, *Inclinati*? Et sciendum pro qualitate numinum, orantes interdum ima, interdum summa respicere. Nam potestates aliæ cœlestes sunt, aliæ terrenæ, aliæ permixtæ. Unde nunc Apollinem deprecantes, terram petunt. Ipse enim est & Sol, & Liber pater, qui inferos petiit: ut Horat. *Te vidit insomnis Cerberus.* Idem.

Petimus terras.] Bene ergo terram petunt, unde ad eos responsa perveniunt: & quia Apollo etiam inferis notus est. *Idem.*

Submissi petimus terras.] Imitatur phrasim Lucretianam lib. 1.

Muta metu, terram genibus submissa petebat.

& lib. 3.

—— insequitur languor, terræque petitus.

Notat Turn. ex Diomede & Varrone, dictum ab Ennio *terram pinsere*, de eo, qui in genua cadit, eisque terram petit. quod Homero dictum *ἕλε γαῖαν ἀγοστῷ*. *Cerda.*

Ad auris.] Codices antiqui omnes ii, qui *aures* admittunt, *auris* per *i* scribunt ex Velii sententia. Sed sunt etiam vetera quædam exemplaria, in quibus *ad auras* scriptum invenitur: quod quidem non ita placet. *Pierius.*

94. *Dardanidæ.*] Ut diximus, obscura quidem, sed vera sunt omnia. Nam dicendo *Dardanidæ*, ostendit Italiam, unde Dardanus fuit: quod si Cretam significaret, *Teucridæ* diceret. *Servius.*

Duri.] Vel futurum ostendit laborem: vel eorum arguit insipientiam, qui intellecturi non fuerant. *Idem.*

Stirpe.] Hoc verbo, Trojanis factus est terror. Sane *stirps*, genere fœminino *originem* significat; ut *Heu stirpem invisam.*

Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet reduces. antiquam exquirite matrem.
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.
Hæc Phœbus: mixtoque ingens exorta tumultu
Lætitia: & cuncti, quæ sint ea mœnia, quærunt;

Quo

invisam. Masculino, *arborem*: ut, *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum.* Sed Horatius contra regulam nititur: ut, *Stirpesque raptas & specus & domus.* Serv.

A stirpe.] In codicibus aliquot antiquis legere est, *de stirpe*: Sed *à stirpe* jam omnes recipiunt. *Pierius.*

A stirpe parentum.] Libet hic verba Caji adducere J. C. explicantis, quid intelligatur hac voce *Parentes*, in L. appellatione parentis, de verborum & rerum significatione: *Parentis appellatione non tantum pater, sed etiam avus, proavus, & deinceps omnes superiores continentur*, &c. Recte itaque Poëta de superioribus Æneæ, & longe remotis ab ejus ævo, dixit, *parentes.* Dardanus enim longe ultra tritavum erat. & lib. 5. Acestes dicitur fuisse

— veterum non immemor ille parentum.

quo loci Trojani omnes intelliguntur. *Cerda.*

95. *Prima tellus.*] Italia, unde Dardanus venit. Teucer enim de Creta post venit. *Servius.*

Prima tellus.] Turneb. l. 7. c. 9. Adversar. *Taubm.*

Ubere læto.] Quod est Italiæ proprium: ut alibi, *Atque ubere glebæ.* Serv.

96. *Matrem.*] *Matrem* autem, *terram* Apollo significat. Tractum autem est de historia: nam Brutus & filii Tarquinii, cum oraculum Delphici Apollinis peterent; responsum est, ejus imperium fore, qui primus matrem reversus oscularetur: quod solus Brutus agnoscens, de navi egressus, simulans casum, osculatus est terram: unde & potitus imperio est. *Idem.*

Antiquam matrem.] Uno verbo Euripides παλαιομάτορα dixit, id est, terram. ita Lucret. lib. 2.

Humorum guttas mater quum terra recepit,
Fœta parit fruges, &c.
Quapropter merito maternum nomen adepta est.

Intelligit autem Italiam, unde Dardanus, auctor gentis Trojanæ, primum in Troadem commigravit. Teucer vero de Creta post venit. Videmus igitur, in quantum errorem unius verbi negligentia Anchisen ex affectu & tædio peregrinationis Oraculum interpretantem conjecerit. De quo etiam Macrob. lib. 7. c. 7. in somn. Scipionis. *Taubm.*

Exquirite.] Dicens *exquirite*, ostendit difficultatem. *Servius.*

97. *Hic.*] Pro *illic.* Idem.

Domus Æneæ.] Ad illud respicit, *Da propriam Thymbrae domum.* Idem.

98. *Nati natorum.*] Propter illud, *Mansuram urbem.* Nam oraculum semper ad petita respondet. Sane hic versus Homeri est, quem & ipse Orpheo sustulit. Item, Orpheus de oraculo Apollinis Hyperborei. Mire autem sequenti versu hoc ostendit; dicendo, *Hæc Phœbus.* Idem.

Nati natorum.] Idem quod Ovid. l. 13. Metam. ỳs. 624.

Nec tamen eversam Trojæ cum mœnibus esse
Spem quoque fata sinunt.

Ea adi, quæ de posteris Æneæ notata l. 1. Æn. ỳs. 278. *Emmeness.*

99. *Tumultu.*] Quia dixit, *Exquirite.* Servius.

100. *Lætitia.*] Propter promissam imperii

Quo Phœbus vocet errantis, jubeatque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,
Audite, ô proceres, ait, & ſpes diſcite veſtras.
Creta Jovis magni medio jacet inſula ponto;
Mons

imperii æternitatem: finis enim auſpicii in demonſtratione comprehenſus, dedit petentibus lætitiæ optandam gratulationem. *Serv.*

Cuncti quæ ſint ea mœnia quærunt.] Poſt ejuſmodi reſponſum, quo ſolum continebatur incertum, ut conſtaret, quæ eſſet illa regio, ad quam tendere deberent, læti quidem fuerunt omnes, quod optata cognoviſſent, ſed univerſi quærebant nomen loci. Antiqua enim memoria fuit, quam poſterioris ævi homines ignorabant: Quam cum nemo noſſet, Anchiſes, qui longe cæteris ſcientia & annis præſtabat, revoluta priſcorum familia, expoſitionem reſponſi audacter eſt ingreſſus. *Donatus.*

101. *Vocet.*] Aut revocet, aut hortetur. *Servius.*

102. *Monumenta virorum.*] Hiſtorias.

103. *Spes diſcite veſtras.*] Aut quaſi ſenex loquitur: aut quia (ut ſupra diximus) ſcit ſe eſſe moriturum. Ubique enim ſciens futurorum inducitur. *Serv.*

104. *Creta.*] Dardanus Jovis filius & Electræ, profectus de Corytho civitate Tuſciæ, primus venit ad Trojam: & illic parva ædificia collocavit. Poſt cujus obitum Teucer venit ex Creta, & invenit Dardani ſocios, habitantes in vallibus, qui conſtituit arces & mœnia. Modo ergo errat Anchiſes: nec reſpiciens adventum Dardani, oraculum Cretam ſignificare credit. Argumentatur ex his, quæ ſolent ab advenis fieri. Ida, inquit, illic eſt: quæ in Troja ad ſimilitudinem dicta: ut, *Effigiem Xanthi Trojamque videtis, Quam veſtræ fecere manus.* Item ſacrorum ſimilitudo: quam apud majores nefas erat perire. Unde Æneas in duodecimo, *Sacra deoſque dabo, ſocer arma Latinus habeto.* Idem.

Jovis magni.] Quia illic dicitur nutritus eſſe: quod (ut Saluſtius dicit) ideo fingitur, quia *Primos Cretenſes conſtat inveniſſe religionem.* Sane nati Jovis fabula hæc eſt: Saturnus poſtquam à Themide oraculo comperit à filio ſe poſſe regno depelli, natos ex Rhea uxore filios devorabat, quæ natum Jovem, pulchritudine delectata, Nymphis commendavit in monte Cretæ Dictæo: ubi eum aluerunt apes. Pro quo involutum lapidem glutiendum Saturno dedit, quem cum Saturnus, fraude cognita, vehementius quæreret. Et adhibiti ſunt Curetes & Corybantes, qui tinnitu æris, id eſt, luſus excogitato genere, ut cum clipeis æreis inter ſe currerent & prohiberent audiri pueri vagitum, unde ipſi ſunt matris deûm miniſtri: ſed nonnulli eoſdem *Curetes* & *Corybantes* dicunt. Ut autem fingatur Saturnus filios ſuos comeſſe, ratio hæc eſt: quia dicitur deus eſſe æternitatis & ſeculorum. Secula autem annos ex ſe natos in ſe revolvunt. unde Græce κρόνος quaſi χρόνος, id eſt, *tempus* dicitur *Idem.*

Creta Jovis.] Jovem in Creta natum, certum eſt, ideo Creta dicta ejus inſula, & ipſe *Creticus.* Minutio Felici: *Mars Thracius, vel Juppiter Creticus, vel Juno Argiva.* à Cicerone de Nat. Deor. *Cretenſis*, ut eſt etiam apud Lactantium lib. 1. cap. 11. Sed ſciendum, rem hanc incertam, ut pleraque fabularum. Nam Demetrius Scepſius, ut eſt apud Scholiaſtem Apollonii lib. 3. tradit, Phrygas Jovem apud ſe natum & educatum contendere cum Cretenſibus & Arcadibus. ex qua fabula Delrius in Troad. Sen. lucem dat Propertio lib. 3. eleg. 1.

Idæum Simoënta, Jovis cunabula parvi. Lege Pauſaniam in Arcadicis, & Meſſenicis, apud quem utraque hæc gens ſibi vindicat natales Jovis. *Cerda.*

Medio ponto.] Poteſt quidem intelligi ſecun-

Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ.
Centum urbis habitant magnas, uberrima regna:
Maxi-

secundum Salustium, longe à continenti; sed altior est hoc loco poetæ intuitus. Nam apud Chorographos legimus, quæ insula in quo sit mari: ut Sardinia in Africo, Delos in Ægæo: & de aliis omnibus. De Creta omnes dubitant, in quo sit mari. Nam parte Libycum, parte Ægyptium, parte Achaicum, parte Ionium respicit. Ergo *medio ponto*, ac si dici possit, *medio pontorum*: quod Latinitas non recipit. *Servius.*

Medio ponto.] Homerus Odyss. 19.

Κρήτη τις γαῖ' ἐστὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ.

Creta tellus est medio in nigro ponto.

Ab Homero Aristides in Cyzicena, de eadem Creta ait, κεῖται μέσῃ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ. De illa Mela lib. 2. c. 7. *in medio mari ingens.* Qui legat Strabonem lib. 10. plane noverit, cur ea dicta esse in medio maris. numerat enim, quæ maria hinc inde alluant. *Cerda.*

Creta Jovis magni medio jacet insula ponto.] Non temere quærit Servius, cur *medio ponto* dixerit Virg. Neque insulse dubitationem solvit, dum tot maria enumerat, quæ Cretam insulam adluunt. Dicamus itaque *medio ponto*, id est, ambiguo. Hic enim est Latinitatis modus, ut ea in medio esse dicamus, quæ nulli adhuc parti sint adjudicata. Sed in Virgilianam hanc sententiam nemo proclivius ivit quam Solinus. Ait enim is: *Pronius est Cretam dicere, quam absolvere, in quo mari jaceat. Ita enim circumflui illius Græci nomina permiscuerunt, ut dum alia aliis ingerunt, pene oblimaverint universa.* Pierius.

Creta Jovis, &c.] Sic Ovid. lib. 8. Metam. ✠. 99.

Certe ego non patiar Jovis incunabula
Creten.

Adi Callimachum in hymno Jovis. *Emmeness.*

105. *Mons Idæus ubi.*] *Idæus* derivativum est pro principali: & est ἴδη *Idæus*, ut Αἴτνη *Ætnæus.* Servius.

Mons Idæus ubi.] Montem hunc in Creta omnes agnoscunt, & Virgilius ipse in 12.

Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida.

Plin. lib. 4. cap. 12.

Montes, Cadiscus, Idæus, Dictæus, Morycus. Cerda.

Gentis cunabula.] Nutrimenta. Nam ubi jacent infantes, *cunæ* vocantur. Et latenter dat gloriam Trojanis, dicens eos à diis originem ducere. Unde est, *Ab Jove principium generis.* Ibi enim & de Dardano, & de Teucro intelligimus, quasi Jovis cives. *Servius.*

Cunabula.] Occulte laudat Trojanos, ut qui à diis originem ducant. unde 7. Æneid.

Ab Jove principium generis: Jove Dardana pubes
Gaudet avo.

Primi autem Cretenses religionem instituêre, auctore Sallustio: ideo putari educasse Jovem. *Taubm.*

106. *Urbis habitant.*] Non dicit *Qui*; sed intelligimus Cretenses: aut certe *habitant* pro *habitantur*: ut, *Insinuat pavor.* Et primo quidem centum habuit civitates: unde *Hecatompolis* dicta est: post viginti quatuor: inde, ut dicitur, duas, Gnoson & Hierapidnam. Quamvis Livius plures à Metello expugnatas dicat. *Servius.*

Centum urbis.] Exponit quod dixit *jacet*: & ostendit magnitudine & ubertate præcipuum regnum, ut & intimet, quod dixit, *gentis cunabula nostræ*, ponit Teucrum. *Donatus.*

Centum urbis.] Gellius l. 13. c. 19. hic *urbes* legendum putat εὐφωνίας causa, non *urbis*. Cretæ descriptionem accuratam tradit Mela l. 2. c. 7. *Super eas jam in medio mari ingens, & centum quondam urbibus habitata Crete.* Inde Homero l. 2. Iliad. ✠. 649. Κρήτη ἑκατόμπολις. Horat. lib. 3. od. 27.

Quæ simul centum tetigit potentem oppidis Creten.

Maximus unde pater, si rite audita recordor,
Teucrus Rhœteas primum est advectus ad oras.

Opta-

Et Epod. l. od. 19. *Cretam centum urbibus nobilem*. Sed de hac insula curæ Meursii testantur uberius. *Emmeneß.*

Uberrima regna.] Hic decipitur, qui audit, *Ubere glebæ*. Servius.

Uberrima regna.] Ad hoc pertinent verba hæc Solini c. 16. *Nonnulli etiam à temperie cœli* μακαρόνησον *appellatam prodiderunt, est vero* μακαρόνησος *felix ac beata insula*. Et hæc item Plinii l. 25. c. 1. loquentis de Dictamno: *procedente persuasione illa, quicquid in Creta nascitur, infinito præstare ceteris ejusdem generis alibi genitis*. Facile in hanc opinionem venerit, qui legerit Strabon. l. 10. Homerus Odyss. 19. καλὴ, καὶ πίειρα, *pulchra & pinguis*. Cerda.

107. *Maximus unde pater.*] Fallitur. Nam antiquior dicitur Dardanus. Alii *maximus*, *antiquißimus* tradunt; per *patris* autem appellationem, majorum cognationem ostendit. *Servius.*

Maximus.] Ubi deest nomen consanguinitatis, dicimus *majores* & *patres*. Ergo *maximus*, est pater ipsorum majorum. *Donatus.*

Si rite audita recordor.] In dubitatione excusat errorem. *Servius.*

Rite.] Bene advertit Passerat. hac voce signari hic ordinem, ut in Catull.

Manes carpebant rite laborem.

& in Horat.

Rite crescentem face Noctilucam.

In quibus locis frustra ad religionem confugias. *Cerda.*

108. *Teucrus.*] De hoc fabula duplex est, nam & de parentibus ejus dupliciter traditur. Alii enim Curetas & Idæ nymphæ. Alii, inter quos & Trogus, Scamandri filium tradunt, qui Scamander, cum Creta frugum inopia laboraret, cum parte tertia populi ad exteras sedes quærendas profectus est, ab Apolline monitus, ibi eum habiturum sedes, ubi noctu à terrigenis oppugnatus esset: cum ad Frigiam venisset & castra posuisset, noctu mures arcuum nervos & labramenta armorum adroserunt. Scamander hos interpretatus hostes esse terrigenas, in Idæ montis radicibus ædificia collocavit, qui cum adversus Bebrycas finitimos bellum gereret, victor in Xantho flumine lapsus non comparuit, qui post à Cretensibus in honorem regis sui, *Scamander* appellatus est, filioque ejus Teucro regnum traditum, qui cives è suo nomine *Teucros* appellavit; qui post à rege Troo *Trojani* dicti sunt, & templum Apollini constituit, quem *Sminthium* appellavit. Cretenses enim murem *Sminthicem* dicunt. Alii non Scamandrum, sed Teucrum ipsum sub conditione supradicti oraculi profectum Creta dicunt, & civitatem & templum condidisse, & *Sminthos* mures vocari à Frigibus. Tradunt præterea nonnulli Dardanum, à Teucro in Frigia inventum, filiam suam ei sociasse, & Dardanum populares suos socero cognomines fecisse. Quidam Teucrum Dardani filiam uxorem duxisse tradunt, & ideo *Teucros* appellatos: *Trojanos* autem à Troo Rege. *Servius.*

Teucrus.] Promiscue *Teucer* & *Teucrus* dici docet Charis. lib. 1. Gramm. *Emmeneß.*

Rhœteas.] Rhœteum promontorium Troados, licet alii *Retias* legunt, propter Retiam Ritonis filiam. Et amat Virgilius declinationes Græcas, salva reverentia, in Latinas convertere, *ei* Græcam diphthongum in *e* longum mutans: ut Αἰνείας *Æneas*, Μήδεια *Medea*, Ῥοίτειον *Rhœteum*. Servius.

Teucrus Rhœteas primum est advectus ad oras.] In codicibus aliquot antiquis, *Teucros* idiomate Græco scriptum est, in Longobardico *Teucer*. Sed enim Sosipater Car. ex Aurelii sententia, nomina, quæ apud Græcos aut per ρος, aut per τρος, aut per δρος, aut per κρος, efferuntur, ea omnia, omissa Græca extremitate, per *er* apud nos efferri, & per secundam declinationem declinari docet:

Optavitque locum regno. nondum Ilium, & arces
Pergameæ steterant: habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybelæ, Corybantiaque æra,

Idæum-

docet: ut, ἀγρός, Ager agri. ἀντίπατρος, Antipater Antipatri. μένανδρος, Menander Menandri. τεῦκρος, Teucer Teucri. Quanquam ait ille, Virgilius *Teucrus*, & *Evandrus* extulerit. Præterea duo tantum nomina designat, quæ semper in suo statu permaneant, *Codrus* & *Congrus*. non enim dicitur *Coder*, neque *Conger*. Priscianus etiam hoc citato versu Virgilium ait *Teucrus* & *Evandrus* protulisse. Quod vero vulgata plurimum exemplaria legunt, *ad oras*, Antiqui plerique codices cum Mediceo *in oras* habent. Sed etiam *ad* reperitur. *Pierius.*

Rhœteas.] Rhœtei oppidi Troadis, & promontorii meminit Strabo eodem libro. Ut de oppido, ῥοίτιον πόλις ἐπὶ λόφῳ: *Rhœteum urbs in colle sita*, & Livius lib. 37. *Dardanum primum, deinde Rhœteum, utraque civitate obviam effusa, venit.* Ut de promontorio tam ipse Strabo, quam alii sæpe. *Cerda.*

109. *Optavitque.*] Elegit: ut, *Pars optare locum tecto.* Servius.

110. *Habitabant.*] Hi sunt qui cum Dardano venerant. *Idem.*

Habitabant vallibus imis.] Ad montium radices habitabant, qui cum Dardano olim venerant: quos Teucer postea Ilio & mœnibus circumsepsit. Turneb. lib. 4. 22. & Pimpont. *Taubm.*

111. *Hinc.*] Id est, de Creta, unde venerat Teucer. *Servius.*

Mater cultrix Cybelæ.] *Mater* proprie, *cultrix* autem *Cybeli*, id est, Montis Phrygiæ, in quo colitur, à quo *Cybele* dicta est. Alii dicunt Cybelum sacerdotem ejus primum fuisse in Phrygia, & ab eo *Cybelem* dictum. Nonnulli *Cultrix Cybele* legunt, ut sit quasi *Cybeleia*. Alii *Cybele*, ἀπὸ τῆ κυβιστᾶν τὴν κεφαλὴν, id est, à capitis rotatione, quod proprium est ejus sacerdotum. *Idem.*

Hinc mater Cybelæ.] Ab observatione sacrorum, arguit eos esse majores suos. *Donatus.*

Hinc cultrix Cybelæ.] Quia varia literarum versura totus hic versus in antiquis codicibus deluxatus est, lectio ea nonnullis magis adridet, *hinc matris cultri Cybeles.* ut adludatur ad evirandi ritus, quum præsertim sequatur ad sacrificii supplementum *Corybantiaque æra.* Alii legunt *cultrix Cybeli.* Quæ scilicet Cybelum, Phrygiæ montem, incoleret, à quo Dea sit Cybele cognominata. Porro Cybelum Ti. Donatus agnoscit in XI. locum, in quo Cybele colebatur. Sane Κυβέλην Phœniciæ oppidum agnoscit Herodianus. *Kybella* vero oppidum ajunt Phrygiæ, & Κύβελλον sacellum, à quo Rhea sit Cybele appellata, neque non Κυβεληΐενης & Κύβελις, ut Pisander in X. Quantum vero pertinet ad *l* literam in eo nomine nunc simplicem, nunc geminatam, Poëtæ id ex commodo suo factitare solent, non quod ea scriptione Phrygiæ oppidum ab altero Phœniciæ discernatur. Legamus itaque *hinc mater cultrix Cybeli.* Quam lectionem Servius etiam videtur agnovisse. Est autem *colere*, inter alia significata, locum aliquem præsentia sua honorabilem reddere, ut eo loco, *Posthabita coluisse Samo.* & *Pallas quas condidit arces Ipsa Colat.* Et apud Livium, *Vos Ceres mater, ac Proserpina precor, cæteri superni infernique Di, qui hanc urbem, hos sacratos lacus, lucosque colitis.* Pierius.

Mater.] Orpheus in hymnis:

Μήτηρ μέν τε θεῶν, ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων,

Mater Deorum, ac mortalium hominum. Dicitur etiam, μεγάλη μήτηρ, *magna mater.* Lucretius lib. 2.

Quare magna Deûm mater, materque ferarum,
Et nostri genitrix hæc dicta est corporis una.

 Græci

Idæumque nemus: hinc fida silentia sacris,
Et juncti currum dominæ subiere leones.

Ergo

Græci Pasitheam vocant, quod nimirum] esset πᾶσι θεοῖς μήτηρ, *omnibus Deis mater*. Cerda.

Cultrix.] Achilles Statius in Catull. ait, Cybelem dici cultricem, id est, versantem in montibus, sicut Catullus ipse est locutus,

Unigenamque tuam cultricem montibus Idæ,

aitque Servium aliena ab hoc loco comminisci. *Idem.*

Cybelæ.] Unde dicta sit Cybele lege Lilium 4. Syntag. Sanctum Augustinum lib. 7. Civitatis. *Idem.*

Corybantiaque æra.] *Corybantes* dæmones, ministri matris deûm. Quos dicit *Corybantes*, quasi δαίμονες, qui totum sciant. Ærea autem cymbala Corybantibus Iasonis filiis, quibus vagitum Jovis celaverunt, quos quidam *Corybantes* dictos tradunt, ἀπὸ τῆς κόρης, *Corybas* enim Proserpina quæ κόρη dicitur: Græce, sine patre natus. Alii *Corybantes* ab ære appellatos, quod apud Cyprum mons sit æris ferax, quem Cypri *corium* vocant. *Servius.*

Corybantiaque æra.] Corybantes ministri fuerunt Cybeles. Hi sonitu cymbalorum sacra Deæ hujus peragebant. Inde κορυβαντιᾶν *furere*, ac insanire, & divino furore percelli. Origo Cymbalorum hæc esse traditur. Corybantes adhibiti sunt custodes Jovis cum is infans, ne ejus vagitus audiretur patri Saturno. Minut. Felix: *Quæ Jovis sacra sunt. Nutrix capella est, & avido patri subtrahitur infans, ne voretur: & Corybantum Cymbalis, ne pater audiat vagitus, tinnitus eliditur.* Inde est, ut κορυβαντιᾶν etiam pro *vigilare*, accipiant, quia hi patentibus oculis dormiebant, cum custodiebant infantem Jovem. De qua re adjungo locum Plinii lib. 11. cap. 37. *Oculis patentibus lepores dormiunt, multique hominum, quod Corybantian Græci dicunt.* Qui genus & nomina Corybantum volet, adeat Lilium 1. Syntag. & Cæsarem Calcagninum in Dialogis, quibus titulus est, *Equitatio*, ubi late & docte; tum etiam Natalem, aliosque, qui obvii. *Cerda.*

Corybantiaque æra.] Locus est de his apud Horatium l. 1. od. 15. *Non Dindymene non adytis quatit, &c. non acuta sic geminant Corybantes æra.* Vide Lambinum, qui hic multa de Corybantibus, & Schedium de dis Germ. &c. p. 146. 147. *Emmeness.*

112. *Idæumque nemus.*] Ut ostenderet Idæum montem, qui sit in Troja: de Cretæ Ida cognomen indeptum. *Servius.*

Fida silentia sacris.] Hinc, inquit, inventum est servare sacris fidele silentium. *Idem.*

Fida silentia sacris.] Ad hoc alludit illud Horatianum l. 3. od. 2. *Est & fideli tuta silentio Merces. Vetabo, qui Cereris sacrum vulgarit arcanæ, sub iisdem sit trabibus*, &c. Inde eodem lib. od. 30. *Dum Capitolium scandit cum tacita virgine pontifex.* Sed nulla sacra, quam Cereris, silentio magis tegenda, de quibus Just. l. 5. c. 1. *Mysteria Cereris initiorum sacra, nullo magis quam silentio solemnia.* Vide Brisson. l. 1. de Form. *Emm.*

113. *Et juncti currum dominæ subiere leones.*] *Dominas* deas dicunt: ut alibi, *Hi dominam ditis thalamo deducere adorti.* Sane *dominam* proprie matrem deûm dici, Varro & cæteri adfirmant; nam & ibi Proserpinam ideo à Virgilio *dominam* appellatam, quod ipsa terra esse dicatur, sicut & mater deûm. Sane fabula talis est: Scyros civitas est, exinde fuit virgo Atlantes, Cyrinei filia, præpotens cursu: adeo ut cum responsum accepisset, se post nuptias, ut quidam volunt, interituram; ut quidam vero, in naturam aliam commutandam, sponsos provocatos, ac victos occideret. Postea Hippomenes Venerem, ut sibi in eo certamine adesset, rogavit: à qua cum accepisset de horto Hesperidum

Ergo agite, &, divûm ducunt qua jussa, sequamur:
115 Placemus ventos, & Cnossia regna petamus.
Nec longo distant cursu: modo Juppiter adsit,

dum tria mala aurea, provocavit puellam ad cursum, & cum se videret posse superari, singula cœpit jacere. Tunc Atlante cupiditate colligendorum malorum retenta, superata est. Sed Hippomenes potitus victoria, cum gratiam Veneri, vel oblitus esset, vel neglexisset referre, impulsu ejus, in luco matris deûm, amoris impatientia, cum victa concubuit. Unde irata dea in leones eos convertit, & suo currui subjugavit; & præcepit, ne secum unquam leones coirent. Nam & Plinius in naturali historia dicit, leonem cum parda libenter, & pardum cum leæna concumbere. Ideo autem mater deûm curru vehi dicitur: quia ipsa est terra, quæ pendet in aëre. Ideo sustinetur rotis, quia mundus rotatur, & volubilis est. Ideo ei subjugantur leones, ut ostendatur maternam pietatem totum posse superare. Ideo Corybantes ejus ministri cum strictis gladiis esse finguntur, ut significetur omnes pro terra sua debere pugnare. Quod autem turritam gestat coronam: ostendit superpositas terræ esse civitates, quas insignitas turribus constat. Hanc eandem *Eram* appellari, hoc est, *dominam*, tradunt. Alii ipsorum leonum dominam à Virgilio dictam arbitrantur. *Servius.*

Et juncti currum, &c.] Cybele terrarum omnium Dea curru vehi dicebatur, quia mundus rotatur & volubilis est. Eidem subjugabantur leones, quia materna pietas omnia potest superare, sic Mythologici. Ovid. 4. Fast. causam reddit his versibus:

— cur huic genus acre leonum
Præbeat insolitas ad juga curva jubas.
Nimirum feritas quoniam mollita per illam
Creditur: id curru testificata suo est.

Causam aliam adducit Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 21. aliam item Lucret. l. 2. Historias Heliogabali apud Lampridium, Marci Antonii apud Plinium, adi ipse. *Cerda.*

Dominæ.] Apta ad hunc locum verba Serv. Petri Dan. *dominas Deas dicunt*, ut alibi:

Hi dominam ditis thalamo deducere adorti.

Sane dominam propriè Matrem Deûm dici, Varro & ceteri affirmant, nam & ibi Proserpinam ideo à Virgilio dominam appellatam, quod ipsa terra esse dicatur, sicut & Mater Deûm. Plato Leg. 6. Terram, & Patriam θεὸν δέσποιναν vocat *Deam dominam.* quod notavit Germ. unde proprie (ait Briss. lib. 1. Form.) Ovid. locutus est 4. Fast.

Almonis dominam, sacraque lavit aqua. Cerda.

114. *Divûm ducunt.*] Et necessarium posuit, & honestum. *Servius.*

Divûm ducunt qua jussa, sequamur.] Nam non amplius sunt incerti quo fata ferant. *Donatus.*

115. *Placemus ventos.*] Non quia tunc essent asperi, sed ut deinceps illis prosperis utantur. Facit autem rem facilem à brevitate navigationis. *Idem.*

Placemus ventos.] Nunquam veteres se mari committebant sine hoc munimine. Justinus l. 11. qui de Magno Alexandro: *Priusquam ulla navis litore excederet, hostias cadit.* Alludit vero Poëta vel ad διαβατήρια, erant hæc sacra, quæ pro felici maris trajectu peragebantur, vel ad ἡγεμόσυνα, erant hæc sacrificia quædam, quæ alicui Deo persolvebantur pro felici ductu itineris. Horum mentio est in Xenophonte lib. 4. ἀναβ. ubi ἡγεμόσυνα fiunt Jovi, Herculi, Diis aliis. *Cerda.*

Cnossia regna.] Cretensia, à Gnoso civitate ejus, & est argumentum à possibili. *Servius.*

116. *Nec longo distant cursu.*] A Delo scilicet; est argumentum à facili. *Idem.*

Modo Juppiter adsit.] Aut aër: ac si

 diceret,

Tertia lux classem Cretæis sistet in oris.
Sic fatus, meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo;
Nigram

diceret, tantummodo sit serenum: ut Horatius: *Manet sub Jove frigido venator teneræ conjugis immemor.* Aut quia Jupiter præest insulæ Cretæ, quam petebant: aut quia ventos prosperos Jupiter præstat. *Idem.*

Juppiter.] Temerarium enim est polliceri aliquid de futuro, cujus sumus incerti, nisi deus faveat. *Donatus.*

Modo Juppiter adsit.] Aut revera Juppiter, qui Cretæ præest: aut *Juppiter*, pro cælo, aut vento ponitur: ut Horat. od. 1. —— *manet sub Jove frigido Venator*, id est, sub dio. item 3. od. 10. *puro numine Juppiter*, id est, sereno cælo. Ita Catullus Carm. 4. pro vento:

—— *sive utrumque Juppiter*
Simul secundus incidisset in pedem.

Taubm.

117. *Tertia lux.*] Hoc quidam juxta speciem auguralem positum tradunt, quæ appellatur *condictio*, id est, denunciatio, cum denunciatur, ut ante diem tertium quis ad inaugurandum adsit: quod Anchises post impetrationem augurii, & Apollinis responsum, suadens in Cretam eundum, ostendit condictionem in tertium diem; addit enim: *Modo Juppiter adsit*, hoc & pro civitate dicitur. *Servius.*

Cretæis.] Quia Κρήτη: ideo *Cretæus*, ut Æneis. *Idem.*

118. *Meritos honores.*] Unicuique aptos. *Taurum* figurate dixit: varietas enim ipsa idem significat. Ratio enim victimarum, fit pro qualitate numinum. Nam aut hæ immolantur, quæ obsunt eorum muneribus, ut porcus Cereri, quia obest frugibus: hircus Libero, quia vitibus nocet. Aut certe à similitudine, ut inferis nigras pecudes, superis albas immolent: item tempestati atras, candidas serenitati. Sane hic ostendit dicendo *meritos* rite Neptuno & Apollini tauros. *Idem.*

Meritos.] Convenientes. Neptuno, propter ingruentem navigationem: Apollini, propter acceptum oraculum. *Donatus.*

Meritos honores.] Hic *honor* pro ipso sacrificio. De hac voce & significatione disputat Heraldus animadvers. in Jamb. cap. 5. noster,

Ne qua inter sacros ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omina turbet.

Emmeness.

119. *Taurum Neptuno.*] Propter futuram navigationem. *Servius.*

Taurum Neptuno.] *Brissonius* etiam ex Plutarchi Symposio ostendit, *Taurum* Neptuno immolari solitum. Vide & Agell. lib. 13. cap. 25. inprimis Macrob. lib 3. cap. 10. Cur autem *nigrum*, cum unus sit deorum cælestium, quibus *alba* conveniunt, docet Interpres Hom. qui ait: *Taurum* quidem immolari, ob maris violentiam; *nigrum* vero, propter eum, qui ex profunditate fit, aquæ colorem. Idem ad Iliad. α. recenset victimarum genera, quibus ἡλίῳ ἀπόλλωνι faciebant. atque inter *Solares* istas *victimas* numerat etiam *agnos*, *oves*, *asinos*, *equos*; ratione hostiarum sigillatim reddita, cur θεῷ νομίῳ (*pastorali*) καὶ ζωδότα promiscuis variisque victimis sacrificarint. Quanquam Xenophon ubique fere *equos* Soli victimas adsignat. Sacrificat autem Æneas *Neptuno*, propter instantem navigationem: *Apollini*, propter responsi beneficium. *Hiemi* denique sive *Tempestati* mactat pecudem: (id est, ovem: nam, ut ad Plauti Mercat. act. 3. 1. docuimus, *pecus* maxime oves significat) quomodo & Horatius Epod. 10. *Tempestati*, quæ ritu Romano dea erat, *agnam* immolat. De quo & Turnebus lib. 4. c. 22. *Taubm.*

Pulcher Apollo.] Propter oraculum datum. Sane hoc loco Virgilius sequutus veterum opinionem, Neptunum tantum & Apollinem nominavit; dicuntur enim hi dii penates fuisse, quos

secum

Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretæ:
Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.

Lin-

secum advexit Æneas, quamvis diversis locis alias opiniones aliorum secutus poëta de diis penatibus diversa dixerit; & quidam *pulcher Apollo* epitheton datum Apollini reprehendunt, *pulchros* enim à veteribus *exsoletus* dictos, nam & apud Lucilium Apollo *pulcher* dici non vult. *Servius.*

320. *Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.*] Bono usus est ordine, ut prius averteret mala, sic conciliaret optanda. Frustra enim ptofutura poscuntut adversis sequentibus: Nam & Romani veteres, Diis asperioribus sacrificabant, ne nocerent. *Idem.*

Nigram Hiemi pecudem.] Avertit prius mala, ut mox optanda conciliet. Tale illud 5. Æn.— *& tempestatibus agnum,* adi. Inde hic *hiemem*, pro tempestate capio, & capiunt nonnulli interpretes. Versus integer factus ad Homeri imitationem:

Οἴσετε δ' ἄρν' ἕτερον λευκὸν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν:
Feretis (agnos) alterum album, alteram nigram.

Morem Poëtæ firmat Aristophanes in Ranis:

Ἄρν', ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε·
Τυφὼν γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται:
Agnam, agnam nigram afferte pueri:
Vortex enim parat erumpere.

Ceterum Gyraldus de Navigiis cap. 9. ex Græcorum commentariis adducit, procellosis ventis, quos Typhonas vocant, nigrum agnum immolari, ut iis spiritus desinat. & inde fortasse dictum à Virgilio, *nigram hiemi pecudem.* Videndus Turnebus dicto loco, & in Plin. Dalecampius. *Cerda.*

Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.] Ad hunc locum consule Leopardum emendat. l. 2. c. 23. qui Servium in hunc locum justo concisiorem affirmat. *Emmeness.*

121. *Fama volat.*] Opportunitatem convenientem oblatam ostendit. Favebat ergo Trojanis locus, quia secundum Anchisen, fata Cretam portendebant. Item tempus, quia regnum vacabat, erantque domus paratæ, ne essent cum magno labore ædificandæ. *Donatus.*

Pulsum regnis cessisse paternis.] Non dicit quare. Sed talis historia est: Idomeneus, de semine Deucalionis natus, Cretensium rex, cum post eversam Trojam reverteretur, in tempestate devovit diis sacrificaturum, sed de re, quæ primum occurrisset. Contigit ut filius ejus primum occurreret: quem quum immolasset; ut alii vero, immolare voluisset: & post orta esset pestilentia, à civibus pulsus est regno, Sallentinum Calabriæ promontorium tenuit, juxta quod condidit civitatem: unde est, *Et Sallentinos obsedit milite campos Lictius Idomeneus.* Relatio ergo historiæ ad injiciendum Trojanis Cretam eundi desiderium pertinet: & re vera aliter ad hostis provinciam ire non poterat. *Servius.*

122. *Idomenea.*] Hujus nominis penultima syllaba natura brevis, contra regulam producta est. Sed quia quinque Græcæ linguæ sunt, Æolica, Ionica, Dorica, Attica, Communis: hinc fit ut in uno nomine varietas inveniatur: ut ecce in *Idomeneos* Communis lingua facit genitivum ἰδομενέος, Dorica, ἰδομενεῦς; Attica ἰδομενέως; Ionica ἰδομενῆος. Unde est hic in versu accusativus, sicut & *Ilionea.* Idem.

123. *Hoste.*] Multi hic distinguunt. *Idem.*

Hoste vacare domos.] In exemp. admodum vetustis *domum* legi numero unitatis. Sed plenius est *domos* dicere,

quod

Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus,
Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donysam,
Olearon,

quod satis universa facit multitudini, commodumque ita omnibus hospitium pollicetur. *Pierius.*

Adstare.] *Esse* sub hoc tunc significat, quando de his loquimur quæ cadere non possunt; ut si dicas *terras adstare.* Et ostendere vult se non temere credidisse. *Servius.*

124. *Ortygiæ.*] De hac plenius supra dictum est. *Idem.*

Pelagoque volamus.] Quia ut alibi, *Mare velivolum.* Idem.

Volamus.] Ostendit ex prospera navigatione, quantum valuerint obsequia sacrificiorum. *Donatus.*

Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus.] *Linquimus* pro *dimittimus* dici monet Non. Marc. sed rectius *discedimus, solvimus.* *Volare* autem pro *celeriter navigare.* inde navis currens pansis velis, avi volanti comparatur, ut notavit Schottus Nod. Cic. l. 1. c. 24. *Emmeness.*

125. *Bacchatamque jugis Naxon.*] Aut vitibus consitam, aut celebratam Bacchis: aut ubi Bacchus ex Indis, vel, ut quidam volunt, post devictos Gigantes egit triumphum. Nam, ut supra diximus, ipsi consecrata est, quæ & *Dia* dicitur. *Bacchatam* ergo in qua bacchatus sit Liber; aut ideo gratam Baccho, quod ibi cum relicta Athesiona duc * libentissime concubuerit, cui etiam coronam donavit, quæ postea inter sidera collocata. *Servius.*

Bacchatamque jugis Naxon.] J. Parrhasius, ad illud Claudiani lib. 1.

—— *ululatibus Ida bacchatur*;

notat: *Bacchatur*, id est, à fanaticis per furorem quatitur. Et passive dixit, ut Maro, *Bacchatamque jugis Naxon*: ubi per epitheton nominis rationem Poëta expressit, ex Euphorionis sententia, qui *Naxon* dictam tradit à verbo νάξαι, quod est *bacchari*, atque rem divinam facere. quamvis alii nomen insulæ datum velint ab Endymionis filio *Naxo, &c.* Sunt, qui *bacchatam* Virgilio *Naxon*, ἁπλῶς dictam putent, eo, quod in ea Liberi patris orgia celebrarentur; eadem ratione, qua *Cithæron* à Papinio 4. Theb. —— *& te, bacchate Cithæron.* In 2. G. *Virginibus bacchata Lacænis Taygeta*, id est, à bacchantibus frequentata. Vide & Turneb. lib. 21. cap. 21. Nic. Erythræus docet, hanc insulam *Strongylon*, deinde *Dian*, mox *Dionysiada*, à vinearum fertilitate dictam: alios *Siciliam minorem*, aut *Callipolin* appellasse: hodie *Nixian* vocari. *Taubm.*

Naxon, viridemque Donysam.] In codicibus aliquot antiquis, *Donusam* per *u* Latinam vocalem in pene ultima scriptum legas: non hic, quia ut Verrio Flacco placet, eadem apud nos *u* litera sit, quæ apud Græcos *y* psilon. Sed quia insula ea δονουσία, Græcis est, κατὰ παραφθορὰν ex Dionysia: quippe quod Bacchus in eam ex Naxo trajecerit Ariadnam, quam Minos pater insequebatur. Est & *Donusam* legere in antiquo Taciti codice iis libris, quos Leo x. Pontif. Opt. Max. ab interitu vindicavit, pro hac eadem insula. *Nason* vero in codicibus aliquot per *s* notatum invenies. Græci tamen per ξ nomen hoc scriptitare solent. Eodem hoc modo apud Livium in captivitate Syracusarum corrigendus locus ex veteri codice, *Epicides ab insula, quam ipsi Naxon vocant.* Nam *Nason* per *s* in impressis codicibus habetur. Sed ut ad Naxon alteram, qua de nunc agitur, redeam, illud minime præterierim, traditum ab Asclepiade, Naxias mulieres solas hominum octimestrem fœtum vitalem parere. Sive quod Bacchus sibi Junonem conciliaverit: sive quod eo temporis spatio sit ipse natus, cujus rei memoriam ita voluerit illustriorem fieri. *Pierius.*

Viridemque Donysam.] Vel à colore marmoris Lacedæmonii, vel silvestrem. *Servius.*

Viridemque Donysam.] *Viridem*, vel à pabulo,

Olearon, niveamque Paron, sparsasque per æquor
Cy-

pabulo, quod ibi abundantissimum: vel à colore marmoris viridi: ut & *niveam Paron* dixit, à candido marmore. Ceiri, ℣. 478.

Marmoreamque Paron, viridemque allapsa Donysam. Taubm.

Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donysam.] De utraque insula ex Stephano & Eustathio, qui eam inter Sporadas ponunt, mentionem facit Vossius ad Melam, qui inter Cycladas numerat l. 2. c. 7. In Naxo relicta à Theseo fuit Ariadne, ejusque insulæ meminit Ovid. epist. 10. Heroid. qui ob sterilitatem vituperat:

Quid faciam? quo sola ferar? vacat insula cultu:
Non hominum video, non ego facta boum.

Baccho consecrata: inde apud Stat. Achill. l. 4. *Bacchica Naxos. Donusa* scribendum non per *y*, quia Græce δόνȣ̃σα, quod commoveri hæc terra soleat monet cum Vossio Dausquius in Orthogr. *Emmeness.*

126. *Olearon.*] Nam adjecit epitheton caussa varietatis. *Servius.*

Olearon.] In antiquis aliquot exemplaribus, *Oliaron* secunda vocali per ἰῶτα scriptum invenias, uti etiam scribitur apud Græcos: de qua ita traditur,

Ὠλίαρος νῆσος τῶν κυκλάδων μία:

Solent tamen Latini ἰῶτα libenter in *e* vertere, vocali alia præcipue subsequente, ut in nomine *Ætherevs.* Fuit vero Oliaros Sidoniorum Colonia, ut Ponticus Heraclides tradit, in libro de Insulis. Ea vero à Paro distat octo & L. stadia. *Pierius.*

Olearon.] Inter Sporadas nominat Mela l. 2. c. 7. ut hoc in loco, ita Stat. Achill. l. 4. & *Paron* & *Olearon* conjungit tanquam vicinas insulas. *Emmeness.*

Niveamque Paron.] Unde candidum marmor; ut, *Pariusve lapis circundatur auro.* Servius.

Paron.] In codicibus aliquot antiquis, *Parum* idiomate Latino scriptum inveni. Sed enim propria nomina Græce declinata, plerunque nescio quid venustius sonare videntur. Sic *Paron* magis placet. Ita etiam apud Historicos, ut in ant. Livii cod. *Corinthon* legi, & *clam Cypron profugit*: & alia hujusmodi pene innumera. *Pierius.*

Niveamque Paron.] Propter candicans marmor, cujus frequens mentio. Strabo, lib. 10. ἐν δὲ τῇ Πάρῳ ἡ Παρία λίθος λεγομένη ἀρίστη: *In Paro lapis Parius, qui optimus.* Meminit & Callistratus in statuis. sed coloris candidi signatior in aliis, Ovidio 1. Am.

Astitit illa gemens albo, & sine sanguine vultu,
Cæduntur Pariis qualia saxa jugis.

Horatio, qui splendorem dat. 1. Carmin. Od. 19.

Urit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purius.

Seneca in Hipp. qui claritatem,

Lucebit Pario marmore clarius.

Ab hac insula omnes Cycladas Horat. *nitentes* vocat lib. 1. Od. 14.

interfusa nitentes,
Vites æquora Cycladas.

Sed quidem Strabo lib. 15. candidissimum marmor non tam in Paro, quam in Proconnesso constituit. ἔχουσα καὶ μέταλλον μέγαν λευκοῦ λίθου σφόδρα ἐπαινούμενον: *habet & albi lapidis venam magnam, & inprimis laudatam.* Sed nobilitas Pari effecit, ut sibi tribueretur nobilissimi marmoris dignitas. *Cerda.*

Sparsasque per æquor Cycladas.] Et hæ, quas dixit, Cyclades sunt: Unde minus est & *Alias. Sparsæ* autem, quia nullo ordine continentur, ut Stœchades: quæ ἀπὸ τοῦ στοίχου dictæ sunt: Rectæ enim sunt. *Cyclades* vero non ideo dicuntur, quia in rotunditate sunt, sed quod longo ordine eas circumire necesse est. Alii *Sparadas*, nomine Cycladum dictas tradunt, quod sparsæ sunt. *Servius.*

Sparsasque.] Post specialia transit ad generalitatem. Nam cum dixisset nomina aliquarum insularum, addit, *crebris legimus freta concita terris*: quia nec cogni-

Cycladas, & crebris legimus freta consita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor.

Hor-

cognitionem habere Æneas omnium vocabulorum potuit, & odiosum fuit relationem ipsam, facere longiorem. *Donatus.*

Sparsasque per æquor Cycladas.] Frequens opinio scriptorum est, Cycladas dictas, quod circum Delum sint, & veluti in orbem conglobatæ, Strabonis, Plinii, Solini, Ammiani. Quorum, primus lib. 10. περὶ τὴν (Δῆλον) Κυκλάδες. *Cyclades circum Delon.* Alter, *circa Delum in orbem sitæ, unde & nomen traxere, Cyclades.* Tertius, *in orbem circa Delum sitæ sunt, & orbem Κύκλον Græci loquuntur.* Quartus lib. 22. *Cycladas sic appellatas, quod omnes ambiunt Delon.* Sed omnibus opponitur Servii auctoritas, qui non vult Cycladas dictas, quod sitæ in rotunditate, sed quod longo ordine eas circuire necesse sit, propter promontoria. Nam Virgilius *sparsas per æquor* dixit, tanquam nullo certo & composito ordine constitutas. Deinde, epithetum *sparsas* Sporadas respicit, quæ insulæ sunt ad Cretam, non in orbem coarctatæ, sed sparsæ per maria. Ergo sicut illæ, Sporades, id est, sparsæ dicuntur: cur non id etymi Cycladibus conveniet, quæ sparsæ quoque à Poëta dicuntur? De numero Cycladum lege Strabonem lib. 10. & Plin. lib. 4. c. 12. uterque plures nominat. Orosius lib. 1. c. 2. ait esse quinquaginta tres. *Cerda.*

127. *Legimus.*] Præterimus: ut, *Litoraque Epiri legimus.* Tractus autem sermo à nautis, quod funem legendo, id est, colligendo, aspera loca prætereunt. *Servius.*

Legimus.] Est nauticum verbum, cum colligunt funes, cum pelagi prolixa transmittunt: & pertinet ad omnes insulas, & ad freta pertinent. *Donat.*

Freta consita terris.] Vel propter promontoria: vel quod naturale est, ut concitatiora sint maria vicinitate terrarum: quas constat anhelitum quendam ex se emittere. Unde in quinto navigaturus Æneas, Eryci sacrificat. *Serv.*

Et crebris legimus freta consita terris.] In codicibus aliquot manu scriptis legi, *freta concita remis.* in quibusdam *consita.* Frequenti quippe navigatione sollicitata, quod quidem fieri in multarum insularum, earundemque passim habitatarum, vicinitate, par est. Sed neque displicet *terris*, ut freta dicat crebris incursationibus tam frequentium insularum concitari. *Pierius.*

Freta consita.] Multi *consita*, multi *concita.* His hæreo. certe illud genus epitheti Insulis potius conveniret, quæ disseminatæ & sparsæ dicuntur per pelagus quam fretis: ergo legamus *concita* cum Servio, Donato, aliis; & apte. freta enim tot insulis interjecta, non possunt non esse concitata crebris undarum reciprocationibus. Denique lectionem, quam sequor, firmat in nonnullis m. s. legi *crebris freta concita remis*, cum qua lectione nequit consistere *consita.* Firmat etiam auctoritas Paulini epist. 34. ubi loquens de navi quapiam: *Siciliam transcurrit, circa quam concita & verticosa crebris, ut ferunt, insulis freta.* In quibus hærens Virgilio, *concita* dixit, non *consita.* iterum epist. 42. *Si concitata ferverent ventis freta.* Cerda.

128. *Nauticus exoritur.*] Id est, *Celeusma.* Martial. lib. 4. epigr. 64.

Quem nec rumpere nauticum celeusma,
Nec clamor valet helciariorum.

sunt autem *helciarii*, qui moliuntur moles funibus, navesque ducunt. Scalig. lib. 4. cap. 28. versus hosce exemplum proponit Orationis ἀσυνδέτως, id est, diffitæ & divulsæ: quæ hic faciat ad celeritatem. *Taubm.*

Certamine.] Sunt naris admodum emunctæ viri, qui pro *certamine* legendum autument *hortamine*, sustinerique versum adspirationis vi contendant, Eam ego lectionem nusquam in antiquis

Hortantur socii, Cretam proavosque petamus.
Prosequitur surgens à puppi ventus euntis,
Et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.
Ergo avidus muros optatæ molior urbis,
Pergameamque voco, & lætam cognomine gentem

Hor-

quis codicibus inveni. Legi vero apud Ti. Donatum, in navi varia esse officia, & tamen omnia cum certamine & labore. Quare quem is lectionem agnoverit, meridiana luce clarius apparet. *Pierius.*

Vario certamine.] Nam varia officia sunt, & omnia cum certamine & labore. *Donatus.*

Clamor.] Vel morem nautarum expressit, vel eorum gaudium, qui, suffragantibus ventis, prospera sperabant. *Id.*

129. *Cretam proavosque.*] Sane *proavos* appellando, cognationem declarat. Celeumaticum est hoc hemistichium. Et bene metro Celeumatis usus est, id est, Anapæstico trimetro hypercatalecto. *Celeuma* autem quasi præceptum. Unde Salustius, *Impediebant jussa nautarum.* Servius.

130. *Surgens.*] Flans: ut, *Et flando surgentes demoror austros.* Et contra, non flans, *ponens* & *residens* dicitur: ut, *Cum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus.* Idem.

Surgens à puppi ventus.] Quem Latini vocant *secundum ventum*, & *à puppe*. Græci οὖρον & οὔριον nominant, quasi à cauda; nam videlicet ab animalium caudis puppim vocant οὐράν. Inde ἐξ οὐρίας πλεῖν, *secundo vento navigare*, puppimque feriente. Idem omnino, qui ab Homero φέρων ἄνεμος non semel dicitur, & *ventus ferens* à Seneca de vita Beat. & *venti ferentes* à Virgilio 4. Æn. & à Plinio in Panegyr. Pollux lib. 1. vocat φορὸν ἄνεμον, ἐπίφορον, ἐπικάιρον, ἐπιπνέοντα, προσπνέοντα, προπέμποντα, παραπέμποντα, συμπροπέμποντα. Versus Poëtæ affinitatem habet cum illis Homericis Odyss. 11.

Ἡμῖν δ' αὖ κατόπισθε νεὸς κυανοπρῴροιο
Ἴκμενον οὖρον ἵει πλησίστιον, ἐσθλὸν ἑταῖρον. Et cum illo 1. Il.
Τοῖσιν δ' ἴκμενον οὖρον ἵει ἑκάεργος
Ἀπόλλων. *Cerda.*

131. *Et tandem.*] Ad desiderium pertinet: nam sequitur, *Ergo avidus muros.* Servius.

Tandem.] Non prolixæ navigationis fuit, sed cupiditatis navigantium. Nam cupienti omnia tarda sunt, etsi summopere properentur. *Donatus.*

Curetum.] Hi Curetes primi cultores Cretæ esse dicuntur. Alii tradunt *Curetes* & *Corybantes* matris deûm ministros, custodes, sicut dictum est, pueri Jovis ad plurimas res maxime usus hominibus extitisse. *Servius.*

Adlabimur.] Ostendit prosperam navigationem fuisse. *Idem.*

Curetum adlabimur oris.] Pro eo Ovid. l. 8. ℣s. 153.

—— *ut egressus ratibus Curetida terram Contigit.* ad illum locum consule Nob. Heinsium. De Curetibus ipsis notavimus quædam l. 4. G. ℣s. 151. *Emm.*

132. *Ergo avidus muros.*] Ordo est, *Avidus urbis optatæ muros molior*; non, *avidus molior.* Servius.

Avidus.] Non avarus, sed quasi ocii cupidus. *Donatus.*

133. *Pergameamque voco.*] Zeugma à superioribus, hoc est, urbem. Legitur sane in libris antiquioribus, Æneam vere Cretam tempestate delatum locum Trojam nomine Pergamum appellavisse. Alii dicunt, Pergamum in Creta conditam à Trojanis captivis qui ex classe Agamemnonis illo erant delati, ibique putant Æneam quendam generis auctorem, Ilio incolumi, cum eo ad sacrum Apollinis venisse, & gravidam hospitis filiam fecisse; ex qua ortus eodem nomine Æneas, classem

Aga-

Hortor amare focos, arcemque attollere tectis.
135 Jamque fere sicco subductæ litore puppes,

Con-

Agamemnonis est adgressus hieme disjectam; cui se feruntur junxisse hi, qui Cretam secesserant deserto Agamemnone; unde loco nomen Pergamum ab illo conditum, quod obtinuisse desertores feruntur, juxta Cydoniam: quod poëtam latenter attigisse debemus accipere. *Servius.*

Pergameamque voco & lætam cognomine gentem.] In pluribus antiquis exemplaribus versus hic in duo membra dispescitur: cum superiori enim versu, *Ergo avidus muros optatæ molior urbis*, hemistichium adjungunt, *Pergameamque voco:* coma mox interjecta subjungunt, *& lætam cognomine gentem Hortor amare focos.* Pontanus versum pro unico membro citat: non taciturus, si & illud insertum agnovisset. *Pierius.*

Pergameam.] Pergami in Creta oppidi Plin. meminit lib. 4. c. 12. *Oppida ejus insignia Phalasame, Elæa, Cysamum, Pergamum.* De eo nihil Servius vulgaris, sed multa Petri Danielis, quæ & locum Plinii,& hunc Virgilii illustrent. *Cerda.*

Lætam.] Propter Pergama restituta. *Servius.*

Gentem.] Sociorum multitudinem. *Idem.*

134. *Amare focos.*] Sacrificia celebrare. Quidam *focos* lares, & per hoc domicilia tradunt. Ergo *focos* pro *penates* posuit. At è contrario, *penates* pro *focis*, ut *Flammis adolere penates.* Sane Varro rerum divinarum, refert inter sacratas aras, *focos* quoque sacrari solere, ut in Capitolio Jovi, Junoni, Minervæ, nec minus in plurimis urbibus oppidisque,&id tam publice,quam privatim solere fieri; *focum* autem dictum à *fovi*, ut *coli*; nam ab eo quod ibi ignis colatur, nec licere vel privata, vel publica sacra sine foco fieri, quod hic ostendit poëta, *focorum* enim commemoratione, instantium sacrificiorum mentio inducitur: quod ita esse multis locis docetur. Quidam *aras* superorum deorum volunt esse, Medioximorum, id est, marinorum *focos*, Inferorum vero *mundos.* Idem.

Focos.] Ut haberent cum laribus novis affectus. *Donatus.*

Hortor amare focos.] Id est, sacrificia celebrare: ut quidem Servius, & Pimpon. exponunt. fortasse, quod *focus* pro Vesta interdum sumatur: (Glossar. *Focus*, Ἑστία) hæc autem sit ignis inexstinguibilis, &c. vel, quia nihil novi sine sacris aggrediebantur veteres. At Turneb. lib. 28. cap. 5. ex Onomastico veteri P. Danielis, *Focos amare*, interpretatur, domos construere. Etiam Servius Daniel. *Focos* lares intelligit, & per hos domicilia. *Taubm.*

Arcemque attollere.] Poëtica periphrasis, id est, domos ædificare. Nam *arx* est locus in civitate munitus. *Serv.*

Arcemque.] Quæ præcipue amavit in Troja, hæc reparare cupiebat. *Don.*

Arcemque attollere tectis.] Minore opera potuisset dicere Poëta; *atque arcem tollere*, sed efficacia in attollendo periisset: ut erudite disputat Scalig. lib. 4. cap. 48. Idem cap. 46. de *Pleno* & *Vacuo:* Maluit, inquit, Poëta, *Attollere*, quam *Tollere.* opera enim multa eget arcis ædificatio. *Taubm.*

135. *Fere.*] *re*, longa est. *Servius.*

Sicco subductæ litore puppes.] In siccum subductæ litus. *Idem.*

Sicco.] Nam udum etiam est litus. *Donatus.*

Sicco subductæ litore puppes.] Tria in hoc versu nomina geminatis consonantibus notata, in antiquis codicibus simpliciter scribuntur, *sico*, *litore*, & *pupes:* sive ita deposcat analogia: sive quia, ut Victorinus ait, antiqui consonantes geminare non consuerunt: ut in his *Annus*, *Lucullus*, *Memmius*, & his similibus. Supra vero consonantem, quam geminari oportebat, Sicilicon

Connubiis arvisque novis operata juventus;
Jura domosque dabam: subito cum tabida membris,
Corrupto cæli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, & lethifer annus.
Linquebant dulcis animas, aut ægra trahebant
Cor-

licon imponebant: cujus figura hæc, ', est Victorino. *an'us*, *Lucu'lus*, *Mem'ius:* idque signum geminandi apparere in multis veteribus adhuc scriptis libris attestatur. Sed enim de *litore* cur unico omnino *t* scribi debeat, in VII. disputatum. *Pierius.*

136. *Connubiis arvisque.*] Quæ res ostendebat magnam fiduciam manendi. *Donatus.*

Operata juventus.] Perfecit sacrificia propter connubia, & novas sedes: quia apud veteres, neque uxor duci, neque ager arari sine sacrificiis peractis poterat. ut alibi, *Lætis operatus in herbis.* Item Juvenalis, *Et matutinus operatur festa lucernis.* Servius.

Operata juventus.] In Sacris usum habet sæpe hoc verbum, ut ex Non. Marcell. & N. ad l. I. G. ỳs. 339. simpliciter etiam pro opus facere, quemadmodum Horat. l. I. epist. 2.

In cute curanda plus æquo operata juventus.

Emmeness.

137. *Jura domosque.*] Leges vivendi & domos: aut ipsarum domorum jura, id est, dominos à legibus deputans. *Donatus.*

Jura domosque dabam.] Aut, Leges vivendi & domos: aut, ipsarum domorum jura, hoc est, dominia Legibus deputans. Sed V. N. ad illud I. Æn. ỳs. 430.

Jura magistratusque legunt ——

Taubm.

Subito cum.] Id est, cum subito. *Servius.*

Subito cum tabida membris.] Securis ac dispositis omnibus, subita pestilentia coorta est ex aëris corruptione, non hominibus solum, sed & arboribus, & satis, victus causa. supra enim dixerat: *Arvis operata juventus.* Languore autem corporis, letum effugere non poterat. *Donatus.*

Subito cum tabida.] Descriptio pestilentiæ, à caussis suis & effectis: quam breviore quidem ambitu concludit, sed versu sublimi. Eandem lib. 3. G. descripsit larga vena, sed casta, quas inter se comparare operæ pretium censet Scalig. lib. 4. cap. 23. De origine morborum & pestilentiæ luculentissimis versibus tractavit etiam Lucretius lib. 6. sub finem. *Taubm.*

138. *Corrupto cœli tractu.*] Hic est ordo pestilentiæ, ut Lucretius docet, primo aëris corruptio, post aquarum & terræ; mox animalium. Notandum sane, Apolline offenso, pestilentiam creari semper: quod etiam Homerus ostendit, cum eum armatum inducit sagittis. Unde & *Apollo* dicitur secundum aliquos ἀπὸ τοῦ ἀπολεῖν. Contra si cytharam teneat, mitis est. Unde Horatius, *Condito mitis placidusque telo Supplices audi pueros Apollo.* Servius.

Miseranda.] Metonymia, quæ miseranda facit. *Idem.*

139. *Arboribusque satisque lues.*] Quidam dicunt diversis numinibus, vel bene vel male faciendi potestatem dicatam; ut Veneri conjugia; Cereri divortia; Junoni procreationem liberorum: sterilitatem horum, tam Saturno quam Lunæ, hanc enim sicut Saturnum orbandi potestatem habere. *Idem.*

140. *Linquebant dulcis animas.*] Item alibi, *Et cum frigida mors anima seduxerit artus.* Quare anima dicitur relinqui, & non magis relinquere? Secundum eos scilicet, qui dicunt animam esse perpetuam, & ad diversa corpora transitum facere: quod si est, bene dicimus nos animas linquere, quorum

Corpora. tum sterilis exurere Sirius agros.
Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat.
Rursus ad oraclum Ortygiæ Phœbumque remenso

Hor-

rum nihil præter corpus est. Nam anima perpetuitatis est. Unde Palinurus in sexto, *Nunc me fluctus habet:* hoc est, corpus, quod solum meum est. Aut certe simpliciter animæ eos linquebant, quia morientibus maxime dulces videntur. Terent. *Animam relinquam potius quam illum deseram.* S.

Linquebant.] Ex principali malo hæc proveniebant: aut moriebantur homines, aut corporibus tabe dissolutis trahebant miserabilem vitam. *Donatus.*

Linquebant dulcis animas, aut ægra trahebant Corpora.] In codicibus aliquot antiquis una eademque periodo concluduntur: *Et lætifer annus Linquebat dulcis animas, aut ægra trahebat Corpora*, ut *Lætifer annus* sit subjectum. In aliis tamen exemplaribus curiosioribus legi, *linquebant animas dulcis, aut ægra trahebant Corpora.* quæ lectio recepta. *Pierius.*

Linquebant.] Adumbrat Lucretium, qui lib. 5.

Dulcia linquebant labentis lumina vitæ.
verbum *linquo* nescias quo veterum omnium consensu traductum est ad mortem, quod Hieronym. Columna in lib. 3. Annal. Ennii probat ex Ennio ipso, ex Virgilio bis, ex Lucretio bis, ex Cicerone, Nævio, Lucilio semel. *Cerda.*

Aut ægra trahebant.] Duo mala significat, aut mortem, aut ægritudinem prolixam. *Ægra* autem ægrota: & bene addidit *corpora*, quia & animus æger potest esse. *Servius.*

141. *Exurere Sirius agros.*] *Sirius* stella est in ore canis posita: quæ annis omnibus oritur circa octavum Kalendas Julii: quæ orta plerunque pestilentiam toto anno facit, plerunque paucis diebus, interdum innoxia nascitur. hinc est, *Et in totum regnaret Sirius annum.* Item supra, *& lethifer annus.* Tunc autem pestilentiam creat, si in hanc rem etiam cæterorum consentiat cursus astrorum. Sane *Canicula*, in cujus ore est, tantum generis fœminini est: cum sit *Canis* communis generis, unde hoc nascitur. Nam in diminutione mutavit genus. *Servius.*

Exurere Sirius.] Ergo qui spem evadendi habebant fame perituri videbantur, cum Sirius exurendo omnia sterilia redderet. *Donatus.*

Sterilis exurere agros.] Exurendo steriles reddere. *Servius.*

142. *Arebant herbæ.*] Signum pestis atrocissimæ, quæ non in homines tantum & pecora, sed in herbas quoque & agros grassatur. Seneca Oedip.

—— *denegat fructum Ceres*
Adulta, & altis flava cum spicis cremat,
Arente culmo sterilis emoritur seges.
Iterum,
Non rura virent ubere glebæ,
Non plena suo vitis Iaccho
Brachia curvat.
Manilius lib. 1. in sua peste:
Squallidaque elusi deplorant arva coloni. Cerda.

Seges ægra.] *Seges* interdum terram significat: ut Horatius, *Hæc seges ingratos tulit, & feret omnibus annis.* Interdum frumentum: ut, *Quod faciat lætas segetes.* Hoc loco utrunque potest intelligi. *Servius.*

143. *Rursus.*] Pater, qui prudentia alios præibat, primus sensit aliquid factum contra præcepta Apollinis. *Don.*

Rursus ad oraclum Ortygiæ.] In antiquis plerisque codicibus *oraculum* integra dictione scriptum invenias. In quo forte putabant *a* secundam syllabam à principio corripi posse ratione polysyllabicæ dictionis. quod ajunt quidam in hujusmodi vocabulis medias plerunque ad placitum poni, ut *Sidonia Dido*, & *Sidoniam picto.* Sed enim omnes jam probant *oraclum*, κατὰ συγκοπήν. *Pierius.*

144. *Hor-*

Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quam fessis finem rebus ferat: unde laborum
Tentare auxilium jubeat: quo vertere cursus.
Nox erat, & terris animalia somnus habebat.
Effigies sacræ divûm, Phrygiique Penates,
Quos mecum à Troja, mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos adstare jacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se

Plena

144. *Hortatur pater ire mari.*] Bene filium mittit, quia erroris causa pater fuerat. *Servius.*

Veniamque precari.] Et beneficium: ut, *Orantes veniam.* & re vera veniam erroris Anchisæ, qui oraculum male interpretatus est. *Idem.*

145. *Quem fessis finem.*] In antiquis aliquot codicibus *quam* legitur f. g. ut hoc loco No. Marcellus agnoscit: quamvis alibi dictum sit à Virg. *hic finis fandi.* *Finem* porro f. g. proferre maluerunt Varro, Cassius, Cæcilius, Attius, & Lucretius. *Pierius.*

146. *Laborum Tentare auxilium.*] *Laborum*, periculorum, ut, *Non tamen ulla magis præsens fortuna laborum.* Temptari autem laborum auxilium propter pestilentiam dixit: & quidam, post *auxilium* distinguunt; ut sequatur, *Jubeat quo vertere cursus.* Servius.

Vertere cursus.] Propter sedes ait. *Idem.*

147. *Nox erat.*] Virtutes animi sui & meritum, gratia deorum commendat: & ostendit, quod cæteris dormientibus, ipse acriter rebus publicis invigilaret. *Donatus.*

148. *Effigies sacræ divûm, Phrygiiq; Penates.*] Ἓν διὰ δυοῖν. Varro sane rerum humanarum secundo, ait, Æneam deos penates in Italiam reduxisse, quædam lignea vel lapidea sigilla, quod evidenter exprimit dicendo; *Effigies sacræ divûm, Phrygiique penates.* Quamvis alio loco alias opiniones secutus diversa dixerit. Sane hos deos Dardanum ex Samothracia in Frygiam, Æneam vero in Italiam ex Frygia transtulisse, idem Varro testatur: quos quidam dicunt, ideo inductos à poëta monere per somnum: monitu nam eorum per quietem jussum cum Latino fœdus fecisse: eorum etiam monitu Latinum Æneæ se conjunxisse, eosdem tradit visos aliquotiens in somnis, quid fieri vellent imperasse, eaque nostros publice curasse majores. *Servius.*

149. *Mediisque ex ignibus urbis Extuleram.*] Hoc quibusdam videtur ad majestatem potius deorum referendum, quam ad jactantiam virtutis Æneæ; & significantius erit, si quæ non legeris intelligas. *Idem.*

150. *Visi adstare.*] Non adstabant sed videbantur. Unde & *visa* dicuntur: non enim sunt, sed videntur. *Idem.*

151. *In somnis.*] Multi hic distinguunt, & volunt unam partem esse orationis, id est, vigilantes. Nam quemadmodum videbat Lunam infusam fenestris. Multi *somniis* dicunt, & posterioribus jungunt, unde & *visi*, sed corpus post somno vinci volunt, mentem vero vigilare & meminisse omnium: ideo etiam dormiens de Luna scire potuit. Sane *in somnis* collisio est, quomodo *peculi* pro *peculii*. Idem.

Multo lumine.] Cum nimbo suo: qui circa deos solet videri. *Idem.*

Multo lumine.] Cum nimbo suo, qui cum Numinibus semper est: ut dictum 2. Æn. Græce μηνίσκος vocatur, ut Scalig. ad Catalecta annotat. Isidorus: *Lumen, quod circa Angelorum capita pingitur, nimbus vocatur.* Ita nostri pictores Apostolos, Virginem θεοτόκον, ipsum Servatorem *Christum*, nimbo & orbi-

Plena per insertas fundebat luna fenestras.
Tum sic adfari, & curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit; & tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti;

Nos

orbiculo splendenti & radiato pingunt: more à Paganis traducto. *Taubm.*

Multo lumine.] De nimbo, id est, de lumine, quod circa deorum & imperatorum capita exsplendescere videtur, agit Cuperus in Observat. l. 2. c. 16. *Emmeness.*

Qua se Plena.] Voluit demonstrare, quomodo in nocte videre potuit, scilicet per radios Lunæ. *Donatus.*

152. *Insertas.*] Aut clatratas: aut non seratas; ut sit quasi *inseratas*, id est, non clausas: & dictum, quomodo *Asprosque molares*, pro *asperos*: *compostus* pro *compositus*: *vixet* pro *vixisset*: vel *insertas fenestras*, quasi lumine suo Luna inseruerat, ab inserendo, quod, se per rimas insereret. *Servius.*

Insertas.] Servius exponit clatratas, aut non seratas: ut *insertas* sit, quasi *inseratas*, id est, non clausas: ut *asprum* pro *asperum*. Turnebus lib. 4. cap. 22. *insertas fenestras* exponit, quæ ædibus insertæ & interpositæ erant. Sed rectius hoc interpretatur Pimpontius ex illo Lucretii l. 2.

Contemplator enim, quem Solis lumina cunque
Insertim (ita enim & Gifan. legit, & vett. cod. & Serv. in 6. Ecl. non *inserti.*)
—— fundunt radios per opaca domorum.

ut *insertas* accipiamus pro trajectis & penetratis: ut pellucida corpora à lumine aut corpore luminoso, ut Sole & Luna, transmitti solent. Vel dic simplicius; *Luna inserta*: ut sit ἐναλλαγή. Cur autem *Luna plena* dixerit, docet Cælius Rhodig. lib. 20. cap. 7. nempe, quia canonica pestilentiæ ratio ab siderum positu ex cælestium rerum præcipue studiosorum observatione producatur, &c. Videas licet. Ego *plenam Lunam* simplicissime ceperim, claro & copioso lumine lucentem. *Taubm.*

Fundebat.] Scilicet abundans lumen. *Servius.*

153. *Tum sic adfari.*] Hic versus in multis non invenitur. *Idem.*

Tum sic.] Ne ulterius recurrentibus curis frangeret. *Donatus.*

154. *Quod tibi delato.*] Ne geminetur labor redeundo, Apollo facit; ut hæc referentibus nobis, hic audias, quæ apud eum esses auditurus. Magnus ergo numinis favor: non rogatur, & favet. Non navigas, neque domo egrederis, & dei jussa famulantibus diis, ad tuas aures veniunt. *Idem.*

Ortygiam.] Ad Ortygiam: more suo detraxit præpositionem, ut paulo post; *Cretæ* pro *in Creta*. Sane quibusdam visum est rarum auxilium deorum penatum; Cur enim ante pestilentiam non monuerunt mutandas sedes? ideo aliquibus videtur somnium fuisse appetitum. *Servius.*

155. *Canit.*] Proprie, quia oraculum. *Idem.*

Hic canit.] Versus decem accentuum, quos totidem dictiones singulæ singulos secum afferunt: quod est rarissimum. Similis Æn. 2.

Jam jam nulla mora est: sequor, &, qua ducitis, adsum.

item, 12.

Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas?

Taubm.

En.] Quasi demonstrantis est, ut fidem faciat, ne somnium putetur, ut paulo post, *haud dubitanda refer.* Serv.

156. *Nos te.*] Ad hominem errore jam à patre imbutum debuit mitti persona, cujus auctoritate ac meritis, etiam incredibilia credi possint. Dii ergo penates hujuscemodi erant, qui præterita

memo-

Nos tumidum ſub te permenſi claſſibus æquor:
Idem venturos tollemus in aſtra nepotes,
Imperiumque urbi dabimus. tu mœnia magnis
Magna para, longumque fugæ ne linque laborem.
Mutandæ ſedes. non hæc tibi litora ſuaſit
Delius, aut Cretæ juſſit conſidere Apollo.

Eſt

memorando, futura meliora pollicerentur. Artis eſt igitur excludere ante ſollicitudinem primam, & liberato angoribus animo, alterius navigationis labores ingerere. *Donatus.*

Dardania.] Derivativum nomen à conſtitutore, & ſciendum regionem pro civitate poſitam. *Servius.*

Tuaque arma ſecuti.] Ac ſi diceret, tuas partes vel imperium; ut, *Socer arma Latinus habeto.* Idem.

157. *Tumidum.*] Ita 1. Geor.

—— *freta tumeſcere.* & 2. Geor.

—— *maria tumeſcant.* & 1. Æn.

—— *tumida æquora.*

Non abhorret,

—— *mare turgidum,*

apud Hor. Od. 3. lib. 1. Signant iſtæ voces iras maris, tumor enim iram ſequitur. *Cerda.*

Sub te.] Sub tuo jure agentes. *Serv.*

Permenſi.] Evecti. ut eſt contra, *Pelagoque remenſo.* Multi autem *permenſi* ſine *n* legunt, à verbo *permetior.* Hic verſus variaſſe dicitur. *Idem.*

Permenſi.] Phraſis Livii Andron qui in Helena:

Tu qui permenſus ponti maria alta velivola.

Sed qui non ſic locuti, & ante Poëtam, & poſt illum? Ad aërem traduxit Xenophon lib. 5. Memorab. ἀερομετρεῖν. De eo videlicet, qui nugatorius eſt, & inanis, ut qui velit aërem metiri, ἀδολεσχεῖν τε δοκῶ, καὶ ἀερομετρεῖν. *Cerda.*

158. *Idem.*] Nos ſcilicet, qui te ſumus ſecuti. *Servius.*

Venturos.] Plus eſt quam ſi dixiſſet *futuros.* Nam quaſi eos jam eſſe ſignificat. *Idem.*

In aſtra nepotes.] Significat Cajum Julium Cæſarem, qui primus inter deos relatus eſt. Et bene *in aſtra:* cujus ſidus apparuit: ut, *Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum.* Idem.

159. *Urbi.*] Κατ' ἐξοχὴν Romæ: ut ſupra diximus. *Idem.*

Magnis.] Id eſt, nepotibus: & bonum ornatum à ſermonis fecit ſimilitudine: *magnis* vero dixit, vel penatibus, ut *Magnis diis:* vel nepotibus; ſed ad exhortationem Æneæ pertinet, *magna para,* dicendo. *Idem.*

160. *Fugæ.*] Profectionis. Dicens autem *fugæ,* videtur crimen proditionis excuſare. *Idem.*

161. *Mutandæ ſedes.*] Argumentum à neceſſitate. Simul arguitur error Anchiſæ. *Idem.*

Suaſit.] Deeſt *capere.* Idem.

162. *Delius.*] Ordo autem eſt, Delius Apollo. *Idem.*

Aut Cretæ juſſit conſidere.] In codicibus aliquot antiquis replicata negatione legitur, *haud Cretæ.* uti prius etiam erat in codice Mediceo, quod Interpretes non admittunt. Sunt etiam codices, in quibus *conſiſtere* legatur. Sed *conſidere* magis placet: ut illud, *Vultis & his mecum pariter conſidere regnis.* Quod vero *Cretæ* adverbialiter, ut urbium propria nomina poſitum ſit: ne quis carminis id neceſſitati condonandum dicat: oratores etiam eadem uſos elocutione ſcimus. Apud Varronem libro primo de Agricultura: *Itaque Cretæ ad Cortinam dicitur platanus eſſe, quæ folia hieme non mutat.* Pierius.

Cretæ.] Non ſic dicitur *Cretæ,* quemadmodum *Romæ:* neque enim bene, ſicut dictum eſt, ſine præpoſitione Inſulæ ponuntur, niſi hæ tantum, quæ

 ejuſ-

Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.
Oenotri coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem.
Hæ nobis propriæ sedes; hinc Dardanus ortus,

Iasius-

ejusdem nominis civitates habent. *Servius.*

Cretæ.] Grammaticorum superstitionem ridet Sanctius in Minerva p. 352. ubi regionum, insularum nomina ab optimis in genitivo usurpata, veluti urbium, docet. *Emmeness.*

163. *Est locus.*] Ut ante diximus totius orbis comparatione. *Servius.*

Hesperiam.] Deest *Quam.* Idem.

Cognomine.] Ab Hespero Hispaniæ rege: vel stella, quam intuentur, petentes Italiam. *Idem.*

164. *Antiqua.*] Nobilis, ut jam dictum est. *Idem.*

165. *Oenotri.*] Dicti, vel à rege ejusdem nominis, vel à vino. Italis enim primus vitem ostendit Saturnus: ut in septimo legimus, *Vitisator curvam servans sub imagine falcem, Saturnusque senex.* Idem.

Oenotri.] In antiquis plerisque codicibus, *Oenotri* unico *i* scriptum est: ut in primo diximus. Quanquam etiam si *Oenotrii* scribatur, *ii* geminato, duo illa *ii* unica pro syllaba per eam, quæ frequentissima est apud veteres Poëtas, figuram Synizesin, accipientur. Non aliter ac *dii* unica syllaba Grammatici quidam veteres enuntiari jubent, duabus quantumvis scriptum vocalibus, quæ minime coire in diphthongum possint. In monumentis autem veterum sæpe videas eam literam geminari Attiano more, pro unica vero proferri: ut illud Romæ: *libertis libertabusque suiis.* Quam tamen dictionem (liceat hæc in doctorum quorundam gratiam inserere) etiam per *ei* scriptam ex instituto Lucillii non semel invenias. Ut illud, *Monumentum fecit & sibi & sueis.* Eandem porro scribendi varietatem in nominativo plurali masculini generis à pronomine *Is, ea, id,* observavi. Nam in arcu Aquæ ductus, qui est in Celio monte, scriptum est: *P. Cornelius P. F. Dolabella,* & quæ sequuntur, *faciundum curaverunt: eidemque probaverunt.* Attiano vero more in arcu quodam legitur inter Aventinum & Tyberim, *P. Lentulus. C. N. C. Scipio. T. Quintus Crispinus, Valerianus cos. R. S. C. faciundum curavere, iidemque comprobavere.* Ut ex hoc etiam terminationes illas *curaverunt,* & *curavere: probaverunt,* & *probavere:* eodem accipi significato videamus, quum alteram in *re* scilicet exeuntem, nonnulli dualis esse numeri voluerint. *Pierius.*

166. *Italiam dixisse.*] Bene omnia Italiæ nomina in unum contulit, propter errorem Æneæ. *Servius.*

Dixisse.] Quod in codicibus aliquot antiquis *duxisse* legatur, librariorum omnino negligentia factum puto. Nam tota hæc sententia super nominis nuncupatione versatur. *Pierius.*

Propriæ sedes.] Perpetuæ: quia infirmas & in Creta & in Thracia condidit. *Servius.*

Hinc Dardanus ortus, Iasiusque pater.] Iasius & Dardanus fratres fuerunt, Jovis & Electræ filii: vel, ut quidam volunt, Dardanum de Jove, Iasium de Corytho procreatum; de cujus nomine & mons & oppidum nomen accepit: postea Iasium dicitur Dardanus occidisse. Hi tamen fratres cum ex Etruria proposuissent sedes exteras petere, profecti: & Dardanus quidem, contracta in Troja juventute, Dardaniam urbem condidit, à qua Trojanorum origo crevit. Iasius autem Samothraciam cepit, & ibi liberum locum imperio tenuit. Alii dicunt utrumque ex Corytho, Jovis filio, procreatos, & sicut dictum est, re-

licta

Iasiusque pater, genus à quo principe nostrum,
Surge age, & hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Corythum, terrasque require
Auso-

licta Italia, profectos; sed Iasium Samothraciam imperio tenuisse; Dardanum vero in Frygiam pervenisse, ibique auxilio fuisse Teucro, Scamandri filio, qui tum finitimas gentes bello subigebat, filiamque ejus duxisse in matrimonium, & post mortem soceri regnum adeptum, *Dardaniam* Trojanam regionem ab suo nomine appellasse. Græci & Varro humanarum rerum, Dardanum non ex Italia, sed de Arcadia urbe Pheneo oriundum dicunt: alii Cretensem: alii circa Trojam & Idam natum. Sane per patris appellationem cognationem.... * *Servius.*

Hinc Dardanus ortus.] Ostendit, cum Apollo dixit: *Quæ vos à stirpe parentum Prima tulit tellus*, non de Creta & Teucro: sed de Italia & Dardano esse intelligendum. *Donatus.*

168. *Genus à quo principe nostrum.*] Non ab Iasio, sed à Dardano: nam anteriori respondit. Quod autem dicit, *A quo principe genus nostrum est:* potest tamen & generaliter intelligi, id est, unde originem ducimus, ut Deos penates, quasi Trojanos intelligas: & ad ritum referri, de quo dicit Labeo in libris, qui appellantur, *De diis quibus origo animalis est:* in quibus ait esse quædam sacra, quibus animæ humanæ vertantur in deos, qui appellantur *animales*, quod de animis fiant. Hi autem sunt dii penates & viales. *Servius.*

169. *Surge age.*] Ostenditur per somnium hoc vidisse, quamvis aliqui exponant *insomnis*, id est, vigilans. *Donat.*

Lætus.] Id est, omissa tristitia, quam de sociis habebat amissis; vel quia ei designatus evidenter fuerat locus, ad quem sine errore & pergere & pervenire deberet. *Servius.*

Longævo.] Occulte corripit ipsum senem; de origine suorum non debuisse falli. *Donatus.*

170. *Haud dubitanda refer.*] Ideo dicunt si forte non crederet, quod per somnium vidit. Aut quia dubitaverant ex consilio Anchisæ: aut ne propter somnium non crederent: aut quia non dubie, ut Apollo noverunt. *Servius.*

Corythum.] Designant civitatem ne erraret, & partem provinciæ, ne alter error procreetur ex magnitudine locorum. Quidam autem de Corytho hanc fabulam tradunt: Dardanus cum equestri prælio, ab Aboriginibus pulsus, galeam perdidisset, propter quam resistens, & in audaciam suos reducens, victoriam adeptus est; tum ob rem feliciter gestam, oppidum, ubi galeam amiserat, condidit; cui Corytho nomen indidit, eo quod Græce *Coris* galea dicitur; vel Corythum montem, in quo Corythus sepultus est. Alii Corythum à Corytho Paridis & Oenones filio conditam ferunt. *Idem.*

Corythum terrasque require.] In codicibus aliquot antiquis, *requiras* legitur. Sed plura sunt exemplaria, manu scripta, quæ cum Mediceo & eo, quem mihi Camillus Porcius legendum dedit, *requirat* tertia persona legant. Ad Anchisen enim hæc referenda sunt, & ejus acquiescendum est sententiæ: quam lectionem Ti. Donatus etiam agnovisse videtur. *Pierius.*

Corythum.] Sunt qui per *i* scribi volunt, inter quos Dausquius. non nullis est Helenæ & Menelai, aliis est filius Paridis & Helenæ. de hoc Eustath. Odyss. 8. meminit hujus urbis sive montis Noster l. 7. Æn. vs. 209.

Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum.

& l. 10. vs. 719.

—— *antiqui Corythi de finibus Acron.*

Non procul abest ab Arretio, teste Sil. Italico l. 5.

—— *Pœnus nunc occupet altos*
Arreti muros, Corythi nunc diruat arcem.

Emmeness.

Ausonias. Dictæa negat tibi Juppiter arva.
Talibus attonitus visis, ac voce deorum,
(Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus,
Velatasque comas, præsentiaque ora videbar:
Tum gelidus toto manabat corpore sudor)

Cor-

171. *Ausonias.*] Appellata *Ausonia* ab Ausonio Ulyxis & Calypsûs filio: & primo pars, postea omnis Italia nominata. *Servius.*

Dictæa.] Dictæus mons est in Creta, ubi herba Dictamnos nascitur; quæ admota vulneribus, ferrum inhærens solet expellere, qui mons dictus est à Nympha Dicte, quæ ibi colitur, quam cum minus * rex amaret, & insequeretur per loca avia, illa se amore castitatis præcipitem dedit, & excepta piscatorum retibus invita reducta est, à qua rex abstinuit, & nomine ejus *Dictæa* loca appellari jussit, in hoc monte dicitur altus Jupiter: ut, *Dictæo cæli regem pavêre sub antro.* Idem.

Negat tibi Juppiter arva.] Ex definito. Et bene *Juppiter:* quasi ipse qui Cretensibus præest. *Idem.*

Juppiter.] Qui Cretæ peculiaris amator est. *Donatus.*

172. *Talibus attonitus visis.*] Hoc est, talibus deorum vultibus, propter *Visi ante oculos adstare.* Unde sequitur, *Et voce deorum.* Nam & voce se dicit attonitum & visis. *Attonitus* vero est stupefactus. Nam proprie *attonitus* dicitur, cui casus vicini fulminis & sonitus tonitruum dant stuporem. *Serv.*

Attonitus.] Duo erant miranda: & deos videre, & optata loquentes audire. *Donatus.*

Visis ac voce.] In antiquis plerisque codicibus, *&* *voce* legitur, prout etiam est in Donatiano codice. Verum *ac* minime displicet. *Pierius.*

173. *Nec sopor illud erat.*] Soluta elocutio. *Servius.*

Nec sopor.] Non enim pleno somno viderat, aut audiverat; nam nec plene vigilabat, nec plene dormiebat. *Donatus.*

174. *Velatas comas.*] Vittatas: ut, *Victoris velatum auro vittisque juvencum.* Aut coronatas, ut, *Velat materna tempora myrto.* Nam dii, qui erant apud Laurum Lavinium, non habebant velatum caput. *Servius.*

Velatas.] Id est, vittatas. ut Plautus Amphitr. Scena 1. *velatis manibus pacem orant:* Turn. lib. 4. c. 22. *Velati,* auctore Scaligero, dicebantur, qui caput cinctum licio laneo habebant. *Taubmannus.*

175. *Manabat.*] Fluebat. Hinc & *lapis manalis*, quem trahebant Pontifices, quoties siccitas erat. *Servius.*

Gelidus sudor.] Et hoc confirmat, deos vidisse Æneam. *Donatus.*

Gelidus manabat corpore sudor.] Hæc timoris nota Poëtis frequentissima, Ennio apud Macrob.

Tum timido manat ex omni corpore sudor.

Valerio Æditui in Epigram.

Per pectus miserum manat subito mihi sudor.

Ovidius 3. Am. eleg. 13.

Mens abit, & morior quoties peccasse fateris,
Perque meos artus frigida gutta fluit.

Sappho:

— Ἰδρὼς ψυχρὸς χέεται, τρόμος δὲ
Πᾶσαν αἱρεῖ:

— *effluit sudor gelidus, tremorque*
Occupat totam.

Sed cur in timore sudor fit gelidus, ratio clara. quippe ex affluxu caloris ad intima, fit ut partes extimæ, eo destitutæ, succedente frigore, emittant frigida liquamina. Adi Cæl. Rhod. lib. 6. Lect. Ant. cap. 5. Sudoris frigidi meminit Aristoteles in Problem. ubi quærit, διὰ τί τῶν ἱδρώτων οἱ θερμοὶ κρίνονται βελτίους εἶναι τῶν ψυχρῶν; *Cerda.*

176. *Cor-*

Corripio è ſtratis corpus, tendoque ſupinas
Ad cælum cum voce manus, & munera libo
Intemerata focis. perfecto lætus honore
Anchiſen facio certum, remque ordine pando.
Agnovit prolem ambiguam, geminoſque parentes,
Seque

176. *Corripio è ſtratis corpus.*] Ne ſatietate videatur reliquiſſe ſomnum. Et ſciendum, quia quotiens ex abrupto ſomnus aufugerit, ſignificat omen infelix: ut ecce hoc loco tempeſtas ſequitur. Item in ſecundo, *Excutior ſomno:* & ſtatim ſequitur civitatis excidium: nec ſine ratione: nam ſi ſomnus munus deorum eſt: ut, *Et dono divûm gratiſſima ſerpit:* non ſine infœlicitatis ſignificatione ex abrupto deorum munus abſcedit. *Servius.*

Corripio è ſtratis.] Oſtendit prope vigilantem. Nam poſuiſſet *expergefactus ſum*, ſi dormiſſet. Exprimit autem feſtinantem. *Donatus.*

Corripio è ſtratis.] Antiqua aliquot exemplaria, *corripio ſtratis* abſque præpoſitione ſeparativa legunt: ut, *Haud ſegnis ſtrato ſurgit Pal.* Pierius.

Tendoque ſupinas Ad cælum cum voce manus.] Honeſta elocutio, cum uno ſermone reſpondemus duobus: ut, *Interea feſſos ventus cum Sole reliquit. Ad cælum* autem ideo, quia dii penates, & Jovis & Apollinis fecerunt mentionem. *Servius.*

Tendoque ſupinas.] Livius lib. 26. *ſupinas manus ad cœlum, ac Deos tendentes.* Supinæ manus eſſe videntur, ita ſublatæ, ut palmæ ſpectent cœlum. Ita in 4. Iarbas dicitur oraſſe *manibus ſupinis.* Quem locum vide. *Cerda.*

Tendoque ſupinas ad cœlum cum voce manus.] Nonnulla notavimus ad ℣ſ.93. l. 1. Æn. Similem locutionem Petron. habet: *Protendo igitur ad genua veſtra ſupinas manus.* Idem, *Lycas trepidans ad me ſupinas porrigit manus.* Emmeneſſ.

Munera.] Quæ ſunt vinum & thus. *D.*

178. *Intemerata.*] Rite perfecta: ut ſi leniter fundendum vinum eſt, aut mola injicienda, ſic fiant, ut ratio exigit ſacrificii: aliter ſi fiant, temerata, ac turbata ſunt ſacra: unde Helenus, *Ne qua inter ſanctos ignes in honore deorum Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet.* Item in octavo; *Audax quos rumpere Pallas Sacra vetat, raptoque volat.* Servius.

Focis.] Et hic, ſicut ſuperius dictum eſt, oſtendit cum aris etiam focos ſolere numinibus conſecrari: ſed hic, ideo *focis*, non *aris*, quia privatum ſacrificium ſequitur, nam penatibus ſacrificat. *Idem.*

Perfecto honore.] Peracto ſacrificio: qui eſt honor deorum. Et bene ordinem ſervat, ut ante ſacrificet, quam ſomnium narraret. *Idem.*

Perfecto honore.] Id eſt, ſacrificio, quo dii honorantur. Videtur autem innuere τὸ τέλειον ἱερὸν, id eſt, ſacrificium plenum perfectumque: de quo Cælius lib. 12. cap. 1. *Taubm.*

179. *Certum.*] Quia primæ interpretationis vitio reddebatur incertus. Oſtendit autem Poëta divinas admonitiones referendas non eſſe, niſi primo patri ſacrorum: & precis obſequia ſunt, ut proſperentur, quæ bona ſunt, quæ autem mala, vertantur in melius. Deceptus autem fuerat Anchiſes: quia memoria Dardani antiquior erat, quam Teucri, & propterea obſcurior. Apollo autem cum dixiſſet *antiquam:* oſtendit fuiſſe recentiorem. notat enim & primam eſſe, & ſecundam. *Donatus.*

Anchiſen facio certum.] Hoc iſti notent, qui negant Latine dici, *Facio te certum*: ſed tantum, *certiorem.* JCti *Certiorare* dicunt, & *Certificare.* Ut autem *certiorem facere*, dico; ita *certiorem reddere*, non dici, Manutius docuit, lib. 2. Epiſt. 4. Fam. Vide & Floridum, Succiſiv. Lect. lib. 1. c. 2. *Taubm.*

180. *Ambiguam.*] Non incertam, ſed

Seque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate Iliacis exercite fatis,
Sola mihi talis casus Cassandra canebat.
Nunc repeto hæc generi portendere debita nostro;
Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare.

Sed

sed modo duplicem: ut in sequentibus probat, dicens, *Geminosque parentes.* Ergo *geminos* hic duos, ut *gemini Atridæ.* Servius.

Prolem ambiguam.] Sic Horat. lib. 1. od. 7. *promisit Apollo ambiguam tellure nova Salamina futuram.* Illic consule Torrent. *Emmeness.*

181. *Seque novo.*] Adventu scilicet Teucri. *Servius.*

Veterum locorum.] Id est, Italiæ; deest sane *esse*, ut sit deceptum esse. Sane novo errore veterum locorum: Aut per contrarietatem sermonum declaravit: aut *Novo* pro *magno* posuit. *Idem.*

Errore locorum.] In antiquis aliquot codicibus, *errore parentum* legitur. Sed quia sermo est de sedibus fato præmonstratis *locorum:* In multis etiam reperitur, atque ea lectio plurimum subditicia priori abrasa, quæ *parentum* fuerat. *Pierius.*

182. *Iliacis fatis.*] Non proprio fato laborabat. Excusans igitur laborem irritæ navigationis ad Cretam, *Fatis* adnectit: ut invidiam, qua afficiebatur, quod illi frustra laborassent, purget excusatione, cum factum negari non possit. *Donatus.*

Exercite.] Fatigare, exercitate: nam *exercitatus*, peritus significat: ut *expertus* & *expers.* nam *expertum rerum* si dixero, significo peritum: si *expertem*, ignarum. *Servius.*

Exercite.] Sic Ter. H. 1. 1. 22. *exercere servos.* Ad. 4. 2. 48. *exercere silicernium*, est ad laborem cogere, ut Noster, l. 1. G. 210. *exercere tauros*, pro defatigare. lib. 1. Æn. vſ. 430. *Qualis apes æstate nova per florea rura Exercet sub sole labor.* —— Plura Pricæus ad Apulejum p. 503. & eleganter, quando in adversis versamur, exerceri dicimur, quod observavit Schott. l. 2. Nod. Cic. c. 20. *Emmeness.*

183. *Sola mihi.*] Uni enim Cassandræ credendum non fuit: deinde non videbatur verisimile, tam longinquas sedes esse petendas. *Donatus.*

Casus Cassandra canebat.] Hæc compositio jam vitiosa est, quæ majoribus placuit: ut, *Anchisen agnovit amicum.* Et, *Sale saxa sonabant.* Et bene Cassandræ inseruit testimonium, quæ divinationem ab Apolline acceperat. *Servius.*

Casus Cassandra canebat.] Brevissima Anchisæ errorem confitentis & probabiliter excusantis Oratio. Neque vero est, cur vel hic Maronis, vel ille Ciceronis versus,

O fortunatam natam me consule Romam, à Quintil. lib. 9. cap. 4. & Juven. S. 10. irrideatur, ob iterationem earundem syllabarum. Cum hoc veteres in deliciis habuerint. Ita & Cicero in Lælio: *Eo loco locati sumus, &c.* Quam venustam figuram à posteris inepte fastiditam, conqueritur Turneb. lib. 7. c. 19. Videantur & Notæ nostræ, ad illud Plauti Menæch. act. 2, 3. *Quasi supellex pellionis, palus palo proximus est.* Etiam Servius, Hæc, inquit, compositio jam vitiosa est, quæ majoribus placuit. Æn. 1. —— *sale saxa sonabant.* Taubm.

184. *Portendere.*] Significari *debito portendere:* Minus est *deberi*, ut in septimo, *Portendi generum.* Servius.

Portendere debita.] Hæc, inquit, deberi generi nostro, & hos casus nobis imminere, sicuti nunc recordor, sola mihi prædixerat Cassandra, &c. Sunt, qui censeant, *portendere* κατ' ἐναλλαγὴν dictum, pro *portendi.* Taubm.

185. *Regna vocare.*] Satis proprie, unde in octavo; *Expectate solo Laurenti arvisque Latinis.* Servius.

186. *Teu-*

Sed quis ad Hesperiæ venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phœbo, & moniti meliora sequamur.
Sic ait: & cuncti dicto paremus ovantes.
Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis
Vela damus, vastumque cava trabe currimus æquor.
Postquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullæ
Appa-

186. *Teucros Crederet.*] Scilicet propter longitudinem spatii. *Idem.*

187. *Tum vates Cassandra moveret.*] Bene *Tum*, quia jam probavit. Et duo argumenta posuit, quibus purgavit errorem. *Idem.*

Cassandra moveret.] In codicibus aliquot antiquis, *moneret* scriptum est. Magis vero placet *moveret*; ut sit: cui nam hoc ea persuasisset, Trojanis rebus tunc adeo florentibus? *Pierius.*

188. *Cedamus Phœbo.*] A necessario & utili scilicet. Cujus instinctu dii penates profuturas dixerunt: ut, *Hic canit, & tua nos en ultro ad limina mittit.* Servius.

Meliora sequamur.] Potest bis subaudiri *Meliora*: Meliora moniti, aut meliora sequamur. *Idem.*

189. *Cuncti.*] Hoc est, cuncti adsentimur, nam *cuncti profecti*, pugnat cum *paucis relictis.* Idem.

Dictis.] Vel Apollinis, vel Anchisæ. *Donatus.*

Ovantes.] Alacres, non atique gaudentes. *Servius.*

Ovantes.] Propter ereptum laborem iterum in Delum enavigandi, & propter magnam spem propositam. Est autem hæc descriptio navigationis, in qua eadem res sæpius dicitur, diversa & splendida compositione verborum. Tempestas autem egregie descripta est, cum uno pulsu omnia simul elementa turbantur. In hoc & initium posuit: ut, *Cæruleus supra caput adstitit imber.* Et augmentum: ut, *noctem hiememque ferens.* Et quæ solent consequi ex hujuscemodi rebus: ut, *Inhorruit unda tenebris*, &: *Continuo volvunt fluctus mare*, & reliqua, quæ maximam ostendunt violentiam, ut, quamvis multum laborarent, tamen à cursu detorti, quo volebant, non pervenirent. *Donatus.*

190. *Hanc quoque.*] Quemadmodum Trojam & Thraciam: & cum dolore dictum accipe, *Hanc quoque deserimus. S.*

Sedem.] Expressit enim miseriam totius sedis relictæ. *Idem.*

191. *Cava trabe.*] Navium periphrasis optima. *Currimus æquor.*] Sicut, *Tyrrhenum navigat æquor.* Idem.

Cava trabe currimus æquor.] *Trabs* pro navi Horat. l. 1. od. 1. *ut trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare.* Noster l. 4. Æneid. vs. 566. *Jam mare turbari trabibus.* Juvenal. Sat. 14. vs. 296. *Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur Obrutus.* Festus *trabem* dicit proprie esse *duo ligna compacta.* inde apud Pacuvium *Trabica navis*, quæ trabibus confixa est. ut hoc loco *currere æquor*, sic Sanctius Min. p. 154. *Currere iter, currere stadium.* Notum est Græcum θέω. apud Homer. Il. α. vs. 483. sic Ovid. epist. Heroid. 18. *Currere me nota nec patiantur aqua.* Emmeness.

192. *Postquam altum tenuere rates.*] Tempestatis copiosa & splendida descriptio: qualis est 1. Æneid. vs. 85. (quanquam hanc tempestatem tantum per ὑποτύπωσιν, illam vero in 1. libro, per διατύπωσιν repræsentavit: de quo Scalig. lib. 3. cap. 32.) desumpta ex Odyss. 12. & 14. Et repetuntur hi versus 5. Æneid. initio. Talis & apud Livium lib. 21. *Transeuntem Apenninum adeo atrox tempestas exorta est, &c.* Quod autem hic *altum*, Æn. 5. est *pelagus.* Taubm.

Apparent terræ, cælum undique & undique pontus:
Tum mihi cæruleus ſupra caput adſtitit imber,
Noctem hiememque ferens; & inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque ſurgunt
Æquora. diſperſi jactamur gurgite vaſto.
Involvere diem nimbi, & nox humida cælum
Abſtulit. ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur curſu, & cæcis erramus in undis.

Ipſe

193. *Cælum undique, & undique pontus.*] Theocrit. εἰδ. 20. de Europa navigante in dorſo tauri: Ἀλλ' ἀὴρ μὲν ὕπερθεν, ἔνερθε δὲ πόντος ἀπείρων: *ſed aër quidem deſuper, ſubter autem immenſus pontus.* Virgilius aërem mutavit in cœlum. Plato in Protagora aliud agens, altum ita deſcribit, φεύγειν εἰς τὸ πέλαγος τῶν λόγων ἀποκρύψαντα γῆν: *fugere ad mare altum orationis, occultata terra.* Ariſtides in Rhodiaca, ita: ἀλλ' ἦν ταῦτα θάλαττα ψιλή ποτε: *erant hæc omnia merum mare.* Nazianzenus oration. 21. ita πέλαγος οὐχ ὁρίζον τοῖς ὀφθαλμοῖς: *pelagus non circumſcriptum oculis.* Lucret. lib. 4. hoc idem ſic:

Quippe ubi nil aliud, niſi aquam cœlumque tuentur.

Ovid. 1. Triſt. 2. eleg.

Quocunque aſpicio, nihil eſt niſi pontus & æther. Cerda.

194. *Supra caput.*] Capitalis, pernicioſus. *Servius.*

Cæruleus imber.] Id eſt, ater, more Græcorum, qui κυάνεον pro cæruleo & nigro uſurpant. ita & 6. Æneid.

—— *cæruleâ ſubvectat corpora cymba,*

id eſt, atra, nigra. Turn. l. 14. c. 4. *Taubm.*

195. *Noctem hiememque.*] Pluviamque cum obſcuritate. *Hiemem* autem Græce dixit, nam χειμὼν etiam *tempeſtas* dicitur à Græcis. *Servius.*

Ferens.] Adferens. *Idem.*

Inhorruit unda tenebris.] Horridior eſt facta per tenebras. *Idem.*

196. *Magna æquora.*] Aut epitheton eſt, ut ſurgant æquora, quæ magna ſunt; ut *Magna æquora*, magni fluctus. *Idem.*

Magna æquora.] *Mare magnum* non idem eſſe Græcis, quod Latinis, contendit Robert. Tit. controverſ. l 6. c. 2. *Emmeneſſ.*

197. *Gurgite vaſto.*] Epitheto auxit Tapinoſim. *Servius.*

198. *Involvere diem.*] Aſpectum ademerunt. *Idem.*

Nimbi.] Nubes. *Idem.*

Nox humida.] Nubes caliginoſæ. *Id.*

199. *Abrupti nubibus ignes.*] Ἀπερρωγότες, *abrupti ignes.* Ita enim legendum, è MSS. & vett. editis probant Lambin. & Giſanius: non, *abruptis.* ut & in illo Lucret. lib. 2.

Tranſverſoſque volare per imbreis fulmina cernis:
Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus ignes
Concurſant: cadit in terras vis flammea vulgo:

Et notat Turneb. lib. 5. c. 27. eodem modo Græcos πῦρ ἀπερρωγὸς dicere, id eſt, ignem abſciſſum: quod fulmen nubes dividat ac rumpat. Ita Cicero 2. de divinat. *Cum ſe in nubem induerunt* (ſcil. anhelitus frigidi terræ) *ejuſque tenuiſſimam quamque partem ceperunt dividere atque diſrumpere, idque crebrius facere & vehementius, tum & fulgores & tonitrua exiſtere. Si autem nubium conflictu ardor expreſſus ſe emiſerit, id eſſe fulmen, &c.* Taubm.

200. *Excutimur curſu.*] A propoſito itinere avertimur. *Servius.*

Cæcis in undis.] Incertis: quia ſidera non apparebant, id quæ * non viderentur. *Idem.*

201. *Ipſe.*]

Ipſe diem noctemque negat diſcernere cælo,
Nec meminiſſe viæ media Palinurus in unda.
Tris adeo incertos cæca caligine ſoles
Erramus pelago: totidem ſine ſidere noctes.
Quarto terra die primum ſe attollere tandem
Viſa,

201. *Ipſe.*] Hoc eſt, navigandi peritus. Hoc enim ſignificat emphaſis pronominis. *Idem.*

Ipſe.] Maximum habet intellectum, id eſt, qui peritiſſimus eſſet gubernator, qui viam in fluctibus obſervatione ſiderum norat. Deſcriptis autem omnibus, quæ orta tempeſtate perpeſſi erant, ut finem oſtendat, addit: *Vela cadunt.* Verum contraria videntur, quod cum dixerit: *Ipſe diem noctemque negat diſcernere cælo*, deinde addat: *Tris adeo incertos cæca caligine Soles.* Quomodo enim hæc ſcire potuit, ſi nulla erat diſtinctio noctis & diei? Sed reſpondet, voluiſſe Poëtam obſcuritatem aëris nimis ſatiare. Nam quî fieri potuit ſic accidere tenebras, ut inter ipſas & veram noctem, nihil intereſſet? Vel intellige dierum & noctium numerum diſtinxiſſe crebris coruſcationibus, quæ vel ſtellas vel Solem oſtendere potuerunt. *Donatus.*

Negat diſcernere cœlo.] Figurate, ut 2. Æn. *Exſciſſa vitam producere Troja.* Servius.

202. *Viæ.*] Mari dedit, quod proprium terræ eſt; ut alibi *ſulcari* ait, unde & terra *æquor.* Idem.

Palinurus.] Hic Iaſii filius gubernator Æneæ fuit; qui, Ænea de Sicilia ad Italiam veniente, præcipitatus in mare; nomen in Lucania monti celebri dedit. *Idem.*

203. *Incertos ſoles.*] Bene *Incertos*, quia quantavis ſit obſcuritas, tamen noctis eſt manifeſta diſcretio. Unde ſuperflua quæſtio eſt eorum, qui dicunt tres dies quomodo tranſiſſe ſcierunt, ſi noctem à die diſcernere non poterant? Ergo *incertos* obſcuros dixit; ut VI. Æn. *Quale per incertam lunam.* Idem.

Tris adeo incertos cæca caligine ſoles.] Vetera quædam exemplaria, ad Kappaciſmum declinandum dictionum ordinem ita diſponunt: *Tris adeo cæca incertos caligine ſolis.* Servius tamen cacephaton illud videtur agnoviſſe. *Pierius.*

Cæca caligine.] Cacephaton in ſermone. *Servius.*

Soles.] Pro diebus, ſic apud Catull.

Soles occidere, & redire poſſunt.

Et: *Fulſere quondam candidi tibi ſoles.*

Et Seneca Trag. in Theb.

—— *nate poſt multos mihi*
Remiſſe ſoles.

Græci etiam uſi hoc lepore. Pind. Od. 13. Olymp. *ἀλίῳ ἀμφὶ ἑνὶ*: *ſole in uno.* Exempla alia alii conjunxerunt. ut Catullus *candidi ſoles* pro diebus fauſtis: contra Horatius *nigrum ſolem* dixit, pro die infelici Sat. 9. lib. 1. *Cerda.*

Tris adeo, &c.] Diurno tempore veteres moderabantur navigationem è curſu ſolis, nocturno ex ſiderum motu; quod docet Apollonius l. 1. verſ. 107. *ἐσθλὸς δ' ἀνέμοιο θυέλλας καὶ πλόον ἠελίῳ τε καὶ ἀστέρι τεκμήρασθαι.* ad hæc verba Scholiaſtes: *ἀγαθοὶ μὲν καὶ ἡμέρας τῷ ἡλίῳ, νυκτὸς δὲ πρός τινα τῶν ἀστέρων*, &c. *Soles* pro *dies* alibi notatum. Perſ. Sat. 4. *memini conſumere ſoles.* Emm.

204. *Erramus pelago totidem ſine ſidere noctes.*] *Hinc Pelopis gentes male æquiſonantia ſaxa, Circunſtant pariterque undæ terræque minantur, Pulſamur ſævis & circumſiſtimur undis*; Hi verſus circumducti inventi dicuntur, & extra paginam in mundo. *Servius.*

Pelago totidem.] In codicibus aliquot antiquis, *& totidem.* In aliquot *totidem & ſine.* Sed enim magis placet, ſi particula ea penitus ſubmoveatur: quæ lectio eſt etiam codicis Medicei. *Pierius.*

205. *Quarto terra die, &c.*] Quam compte & graviter, quæ Homerus multis

Visa, aperire procul montis, ac volvere fumum.
Vela cadunt; remis insurgimus: haud mora, nautæ
Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Acci-

tis his Od. 5.

Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ τρίτον ἦμαρ ἐϋπλόκαμος φέρεν ἠώς,
Καὶ τότ᾽ ἔπειτ᾽ ἄνεμος μὲν ἐπαύσατο, ἠδὲ γαλήνη
Ἔπλετο νηνεμίη, ὁ δ᾽ ἄρα σχεδὸν εἴσιδε γαῖαν,
Ὀξὺ μάλα προϊδών:

Sed quando iam tertium diem pulchricoma adduxit Aurora;
Deinde tunc ventus quievit, atque serenitas
Erat tranquilla, ipse vero prope conspexit terram,
Valde acute prospiciens. Cerda.

Attollere visa.] *Visa* naturaliter dixit. Quotiens enim propinquamus litoribus, & exurgere terra videtur, & fumum emittere. *Servius.*

206. *Aperire.*] Ostendere: ut Salustius, *Caput aperire solitum.* Idem.

Volvere fumum.] Pro, aperiuntur montes ac fumus volvitur. *Idem.*

Volvere fumum.] In Mediceo codice, *ac ducere fumum* legitur. proprium tamen est fumi tortuose volvi ob crassitudinem, dum cum aëre colluctatur. *Pierius.*

Ac volvere fumum.] Homericum versum ex Odyss. 10. contulit in hemistichium satis elegans:

Καπνὸν δ᾽ οἶον ὁρῶμεν ἀπὸ χθονὸς ἀΐσσοντα:

Fumum autem solum videbamus è terra erumpentem.

Et alterum ejusdem libri:

Καί μοι ἐείσατο καπνὸς ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης:

Et mihi apparebat fumus à terra lata.
Cerda.

207. *Remis insurgimus.*] Cum remos, ane * remos, id est, exurgentes fortius remittamus. *Servius.*

208. *Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.*] Pro eo Sil. Ital. l. 13. *obnixi torquent obices.* sic *obnixi* hoc loco agnoscit Non. Marcell. *cærula* pro mari cæruleo, ut Græce γλαυκὴ simpliciter pro mari, quod notavit Cl. Grævius in lectionibus Hesiodeis p. 124. ex Ennii l. 14. Annal. locum sumsit Maro, teste Ursino,

Verrunt extemplo placide mare marmore flavo
Cæruleum spumat sale conferta nave pulsu.

Pro *cærula* Noster l. 6. ẏs. 320. *vada livida verrunt*, id est, feriunt, percutiunt, interprete Non. Marcello. *Emmeness.*

209. *Servatum ex undis.*] Ac si diceret, de periculis in graviora se pervenisse discrimina. *Servius.*

Servatum ex undis.] Non perseveravit mala fortuna, sed nec in totum prospera provenit. Nam in litus fertile venerunt, quod fuisset felicissimum, nisi Harpyis esset occupatum. *Donatus.*

Strophadum me litora.] Fineus, Agenoris filius, Thracum rex; vel, ut quidam volunt, Arcadiæ, Cleobulam, Aquilonis & Orythiæ filiam, habuit uxorem, & ex ea duos filios, quibus superduxit novercam: quos noverca ad patrem, tanquam stupri adfectores, detulit, ob quam rem eos Fineus cœcavit: quare irati dii, vel, ut quidam volunt, Aquilo, veneno propter nepotum injuriam, eum cœcavit: & ad Pelagias insulas detulit; adposuitque Harpyias, quæ cum ei diu cibos abriperent, somnosque inquietarent; hic Iasonem cum Argonautis, propter vellus aureum Colchos petentem, suscepit in hospitio: cui etiam ductorem propter Sympligiadas petras dedit. Hoc ergo beneficio inlecti Argonautæ, cum ei gratiam vellent inferre, Zethum & Calain filios Boreæ & Orithyæ, alatos juvenes, ad fugan-

Accipiunt. Strophades Graio ſtant nomine dictæ,
Inſulæ Ionio in magno: quas dira Celæno,
Harpyiæque colunt aliæ, Phineïa poſtquam
Clauſa domus, menſaſque metu liquere priores.

Triſtius

fugandas Harpyias miſerunt: quas cum ſtrictis gladiis perſequerentur, pulſæ de Arcadia pervenerunt ad inſulas, quæ appellantur Plotæ. Et cum ulterius vellent tendere, ab Iride admoniti ut deſiſterent à Jovis canibus, & ſuos converterent volatus: quorum converſio, ſtrophe, nomen inſulis dedit. Quod Apollonius pleniſſime exequitur. Ut autem canes Jovis dicerentur, hæc ratio eſt: quia ipſæ Furiæ eſſe dicuntur: unde etiam epulas prohibentur abripere, quod eſt Furiarum: ut, *& manibus prohibent contingere menſas.* Unde & avari finguntur Furias pati: qui abſtinent partis. Item ipſas Furias eſſe paulo poſt ipſe teſtatur dicens; *Vobis Furiarum ego maxima pando. Furias* autem canes dici, & Lucanus docet, dicens; *Stygiaſque canes in luce ſuperna Deſtituam.* Et in ſexto Virgilius, *Viſæque canes ululare per umbram, Adventante dea.* Sane apud inferos *Furiæ* dicuntur, & *canes:* apud ſuperos *diræ* & *aves:* ut ipſe in XII. oſtendit. In medio vero, *Harpyiæ* dicuntur. Unde duplex in his effigies invenitur: & has Virgilius tres dicit, quarum nomina ſunt Aëllo, Ocypete, Celæno. Apollonius duas dixit, quem in XII. Virgilius ſequitur: ut, *Sunt geminæ peſtes.* Quidam autem dicunt, hunc Fineum ob divinitatem à Thracibus regem cooptatum, conſilia divina prodidiſſe: & obcœcatum adpoſitis Harpyiis. *Servius.*

Strophadum me litora.] Græci Στροφάδες, ſed Latini in multis illud *a* corripiunt, teſte Dauſquio, qui exemplis illuſtrat. in *Epiro*, inquit Mela l. 2. c. 7. *Echinades & Strophades, olim Plotæ.* Strabo l. 8. αἱ τῶν Κυπαρισσίων πελάγιαι πρόκεινται δύο, νῆσοι περιστρεφόμεναι Στροφάδες, ἀπέχονται μάλιστά πως τῆς ἠπείρου, &c. hodie *Strituli* appellantur. *Emmeneſſ.*

210. *Accipiunt.*] In veteribus aliquot exemplaribus, *excipiunt* legitur. Quia dixit, *Servatum ex undis.* Sed enim & *accipere* in hoc ſignificato non improprium: ut, *Hinc Drepani me portus & inlætabilis unda Accipit.* Pierius.

Stant.] Sunt. *Servius.*

211. *Ionio in magno.*] In magno mari Ionio. Et ſciendum Ionium ſinum eſſe immenſum ab Ionia uſque ad Siciliam: & hujus partes eſſe Adriaticum, & Achaicum, Epiroticum. Maria enim vel à provinciis, vel ab inſulis, vel à civitatibus nomen accipiunt. Bene ergo *in magno*, quaſi etiam in quo alia maria ſunt. Quidam ſane *Ionium* ab Io Inachi filia dictum volunt, quod amata hoc mare tranaverit; quod in VII. ubi de ſcuto Turni loquitur, plenius invenies. Nonnulli *Ionium* ab Ionio rege, qui in inſula, quæ ante Illyricum jacet, regnaverat, dictum tradunt. *Idem.*

212. *Harpyiæque colunt aliæ.*] Ergo & Celæno Harpyja. Has Heſiodus dicit Thaumantis & Electræ filias, quas, ſicut dictum eſt, quidam Furias putant, cum Furiarum mater, ſecundum Heſiodum Terra, ſecundum Æſchylum Nox ſit. *Idem.*

Phineïa.] Verſio Græca eſt. *Idem.*

Harpyiæque, &c.] Thaumantis & Electræ filias dicit Hyginus in præfatione, & Heſiod. in Theogon. ỳſ. 265. quarum hæc ſunt nomina, *Iris, Harpyiæ, Celæno, Ocypete, Podarce.* de numero non convenit. Fabulam Harpyjarum Phinei narrat Apollodorus Biblioth. l. 1. Ovid. l. 7. Met. in principio. *Emm.*

213. *Menſaſque metu.*] Hoc eſt, ſicut dictum eſt, pulſæ à Zetho & Calai. *Servius.*

214. *Tri-*

Triftius haud illis monftrum, nec fævior ulla
Peftis & ira deûm Stygiis fefe extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdiffima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida femper
Ora fame.

Huc

214. *Triftius haud.*] Non poteft ab inferis triftius quicquam excitari, quam Harpyiæ. *Donatus.*

Nec fævior ulla Peftis, & ira Deûm Stygiis fefe extulit undis.] Ut pœna in Statio. * Et non dicit has de inferis effe natas, fed pejores effe omnibus inde procreatis. *Servius.*

216. *Virginei volucrum vultus.*] Si fubdiftinguas *virginei*, major erit admiratio. *Idem.*

Virginei vultus.] Non effet hoc monftrofum, fi cætera effent fimilia. *Donat.*

Virginei volucrum vultus.] Ovid. l. 7. Metam. ℣f. 4. nominat *virgineas volucres.* Idem l. 13. ℣f. 710.

—— Strophadumque receptos
Portubus infidis exterruit ales Aëllo.

Πτερωταὶ ἦσαν, ut Apoll. & Noft. ℣. 226.

—— magnis quatiunt clangoribus alas.

Et l. 12. ℣f. 876.

Obfcœnæ volucres; alarum verbera nofco.

De his etiam Cœlius l. 16. c. 27. ant. Lect. *Emmeneff.*

Fœdiffima.] Hic turpis, ut Terentius in Eunucho, *Nunc heu videtur fœdus, quia aliam non habet.* Alibi *fœdum* cruentum, ut, *Sanguine fœdantem:* &, *fœdatique ora Galefi.* Servius.

217. *Proluvies.*] Sordis effufio. Et vitavit, ne diceret *ftercus*; & per hoc nimiam edacitatem oftendit; & quidam volunt *proluvies* cum *ftercus ventris* fignificet, à Virgilio hoc loco figuram ventris fignificatam; Ergo quafi annofum & panticofum ventrem. Aliquando *proluvies* fola effufio. Terentius, *Quod proluvium, quæ hæc eft fubita largitas.* Aliquando pro aquis multis ponitur. *Idem.*

Proluvies.] Nihil in inteftinis morari patiuntur, fed ftatim effundunt. Ergo non folum non fatiabantur, fed femper famefcebant. Indeque erat pallor. *Donatus.*

Fœdiffima ventris Proluvies.] *Proluvies ventris*, funt retrimenta alvi & fordes. fic Lucret. lib. 6.

Et nigra proluvie alvi.

Serv. ait, *proluviem* effe, fordium effufionem, vitatumque à Poëta, ne diceret ftercus. Quam magna fuerit illa effufio indicat Græcus Poëta in Epig. qui volens exprimere *δυσωδίαν καὶ δυσοσμίαν* maximum *tetrum peftiferumque odorem*, ait non poffe conferri Ἁρπυιῶν περισσὰ, *Harpyiarum proluviem, & fordes.* De hac voce *venter*, non te prætereat nota If. Cafauboni in lib. 8. Athen. cap. 11. Eft enim vox Græca. Græcis γέντερ, eft locus τῶν ἐντέρων *inteftinorum*, eft autem in γέντερ, γ, Æolicum digamma, quod fæpe in *v*, vertitur. *Cerda.*

Ventris proluvies.] Magis proprie Lucretio lib. 5. *Proluvies alvi* dicitur. nam *alvus* ea pars eft ventris, per quam fordium five retrimentorum fit effufio. Donato in Heaut. & Nonio idem eft *illuvies.* Veteres etiam *proluvium* dicebant: ut & *diluvies, diluvium*, &c. ut notat Gifanius. Gloffæ: *proluvies*, κοιλίας ὑπαρέκτρωσις, ἔκχυσις: ῥύπος. Arnob. lib. 6. *In quafcunque fe detulerit deonerati proluvies podicis.* Ita autem Poëta vitavit, ne diceret *ftercus:* & per hoc nimiam edacitatem oftendit. Et volunt quidam hoc loco figuram ventris fignificatam: quafi anofum & panticofum dixiffet. *Taubm.*

Uncæque manus.] Pro unguibus *manus* pofuit: hoc eft γαμψώνυχας. *Servius.*

218. *Fame.*] Veluti fame. Nam abundare dicit armenta. Aut re vera *Fame*, quam eis inferebat non inopia, fed avaritia. Alii fami præfides effe tradunt; quia & Fineo propterea adpofitæ

Huc ubi delati portus intravimus; ecce
Læta boum passim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus, nullo custode, per herbas.
Inruimus ferro, & divos ipsumque vocamus
In prædam partemque Jovem. tum litore curvo
Exstrui-

sitæ sunt, & Trojanos ab epulis prohibent, & his tantum famem prænuntiant, & ipsæ sunt famis pallidæ. *Idem.*

219. *Delati.*] Quod necessitatis est. Nam voluntate aliquo non deferimur, sed venimus. *Idem.*

220. *Læta.*] Pinguia. nam in animalibus, in quibus cognosci non potest sensus, lætitiam pingue corpus ostendit: non mens, ut in hominibus. *Idem.*

Ecce læta boum.]Omnia convenerant, quibus illa invadere cuperemus: Diversitas generis animalium, abundantia, pinguedo ex copia herbarum. *Donatus.*

Passim campis.] Ulyxis socii boves Solis occidisse inducuntur, Virgilius credibilius finxit. *Servius.*

221. *Caprigenumque pecus.*] Satis nove, & affectate. *Idem.*

Caprigenumque pecus.] *Caprigenum* formam neutri generis esse putant: sed *concinnator* Annotationum Edit. Fabricianæ (qui *Jo. Camerarius* non obscuris indiciis esse colligitur) Genitivum potius censet esse, κατὰ συγκοπὴν, pro *caprigenarum.* Taubm.

Nullo custode.] Deest *cum.* Servius.

Per herbas.] Ordo est, non per herbam, sed per campos in herbis videmus armenta. *Idem.*

Per herbas.] In antiquis aliquot codicibus, *per herbas* numero multitudinis legitur: quod parvi tamen momenti est, an legas *herbam*, quod non nulli codices habent. *Pierius.*

222. *Et divos.*] Ut quod fiebat illicitum, esset nobis commune cum diis. *Donatus.*

Ipsumque vocamus.] *Ipsum*, id est, regem deorum, aut certe prædatorem; hoc est, cui de præda debetur aliquid. Nam Romani moris fuit, ut bella gesturi, de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur: adeo ut Romæ fuerit unum templum Jovis prædatoris: non quod prædæ præest, sed quod ei aliquid ex præda debeatur. Vel quod hic Deus justitiæ præest. Ergo cum eum invocant, testantur se nihil mali facere, cum sine custode interimunt armenta. *Servius.*

223. *In partem prædamque.*] In partem scilicet prædæ. *Idem.*

In prædam partemque Jovem.] In plerisque pervetustis codicibus dictionum ordo mutatus est in hunc modum, *in partem prædamque.* Et hanc lectionem agnoscit Servius. *Pierius.*

In prædam partemque.] Ἓν διὰ δυοῖν, pro, in prædæ partem. *In partem* autem *vocare*, Juris verbum est, pro, participem facere. Cicero pro Cecinna: *Mulieres in partem vocatæ sunt.* Nam & de præda diis immolabatur,& partes etiam quasdam eis interdum suspendebant de tholo & consecrabant: ut Dianæ aprorum capita & cervorum cornua: ut in 7. Ecl. & 9. Æn.

——si qua meis venatibus auxi,
Suspendive tholo,aut sacra ad fastigia fixi.

Turneb. lib. 4. c. 22. Et Romæ templum erat *Jovis prædatoris:* quod ei aliquid ex præda debeatur: unde & ληΐστωρ, Juppiter dictus, & λαφύστιος. sicut ληῖτις, Minerva, quæ prædationibus præesse, Homero dicitur. Vide Alexand. lib. 3. c 22. *Taubm.*

Tunc litore curvo.] Tacuit de apparatu epularum, quem descripsit in primo de cervis. Ibi enim nulla necessitas exigebat brevitatem: hic autem, quia proposuerat, *Et breviter Trojæ supremum audire laborem*, & propter noctis tempus, in quo auditores quærebant quietem, erat properandum. *Donatus.*

224. *Ex-*

Exstruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
At subitæ horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas,

Diri-

224. *Extruimus.*] In primo dixit: *Fusique per herbam*, quia lassitudine & fame naufragi urgebantur. hinc dicit: *Extruimusque toros.* quia in magna copia herbarum, non fuit magnum, congeries cespitum struere, quibus discumbi posset: & magna properandi ad epulas necessitas urgeret. *Donat.*

Extruimusque toros.] Græci toros extruere quia ex herbis & frondibus fiunt στιβάδας & πεδάδια ὑποστορεννύειν appellant. Vide Bisetum ad Aristoph. Plutum. *Emmeness.*

Dapibusque epulamur.] *Dapes*, deorum sunt. *Epulæ*, hominum. Bene ergo utrumque posuit: nam & sacrificiis & conviviis operam tribuunt. *Servius.*

Opimis.] Pinguibus. *Idem.*

Dapibusque epulamur opimis.] Dapes opimæ in re sacra sunt, ut opimæ victimæ, hostiæ, &c. Videlicet, optimæ, egregiæ, lectæ, eximiæ. Festus: *Hostiæ opimæ, præcipuæ, pingues; & spolia opima, magnifica, & ampla.* Varro 2. Rei Rustic. *Boves altiles ad sacrificia publica saginati, dicuntur opimi.* Inde *cœna dapalis, dapsilis, dapsatica,* celebrata veteribus, ut opipara & lauta. voces istæ obviæ sunt in Latinis auctoribus. Græci δαψιλὲς dicunt, λαμπρὸν, λιπαρὸν, πολυτελές. *Cerda.*

225. *Subitæ.*] Pro *subito*, adverbium in nomen deflexum. *Servius.*

At subitæ.] Res omnino abominabilis, insultus inprovisus: sonitus alarum: unde metus, contactus fœdus, odor teter fugiendas faciebat. *Donat.*

At subitæ horrifico, &c.] Notum est, Virgilium hæsisse Apollonio lib. 2. Arg. & utrique Valerium Flaccum 4. Argon. omnes conferamus in his tantum quæ attingit Virgilius. Quod hic, *Harpyjæ adsunt de montibus horrifico lapsu:* Græcus,

Διὰ νεφέων ἄφνω πίλας ἀΐσσουσαι Ἅρπυιαι:

E nubibus subito ruentes Harpyjæ. Val.

— *in mediis dapibus videre volucres.*

&, — *ilicet omnes*

Deveniunt, niger intorto seu turbine nimbus.

Quod Virgil. *diripiuntque dapes*; Græcus,

Χειρῶν τ' ἀπὸ γαμφηλῇσι συνεχέως ἥρπαζον·

Manuum curvitatibus continenter rapiebant.

Valerius,

Diripiunt, vertuntque dapes, fœdataque turbant

Pocula.

Quod Virg. *contactuque omnia fœdant Immundo*, Valerius,

Tum sola colluvie, atque illusis stramina mensis

Fœda rigant.

Quod Virg. *odorem tetrum.* Græcus,

— ἐπὶ μυδαλέην ὀδμὴν χέον,

— *odorem putremfundebant.*

& ἀπέπνει λείψανα δαιτὸς, *exhalabant epularum reliquiæ.* Valer. *flagrat odor.* &

Flagrat acerbus odor, putrisque exspirat Averni

Halitus.

Reliqua Græci Virgilius contempsit, Valerius utrique multa addidit. Variat nonnulla ex his Virgilius in sequentibus. *Cerda.*

At subitæ.] Hos versus cum Apollonianis Græcis comparat Scaliger lib. 5. c. 6. Poët. *Taubm.*

Lapsu.] Celeritate: ut supra. *Serv.*

Adsunt.] Velocitatem ostendit. *Idem.*

226. *Harpyjæ.*] Υi Græca diphthongus est. Nam Latina esse non potest: quia ne *v* quidem habemus. *Idem.*

Clangoribus alas.] Deest *Cum*: ut sit, alas quatiebant cum clangoribus: ut, *Atque Ixionii vento rota constitit orbis*, id est, cum vento. Aliter Acyrologia est, si *Clangorem* dixit alarum sonitum. Plau-

tus

Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Inmundo: tum vox tætrum dira inter odorem.
Rursum in secessu longo sub rupe cavata,
Arboribus clausi circum atque horrentibus umbris,
Instruimus mensas, arisque reponimus ignem.

Rur-

tus in Querulo de anseribus, *Cuncti alas quatiunt diris cum clangoribus.* Servius.

Clangoribus.] Antiqui nonnulli codices *plangoribus* legunt: hoc est, alarum quassationibus strepitum cientibus. Nam *clangor* diversum quid significat: nisi velimus intelligere additas etiam voces horribiles alarum strepitui, ut utroque modo territarent. Quod tamen aliorum judicio relinquimus. *Pier.*

227. *Contactuque omnia fœdant.*] Subaudiendum, *quæ relinquebant.* Serv.

228. *Tum.*] Præterea: deest *erat*, vel *audiebatur*: & tria mala ipsarum posuit, vocem, tactum, odorem; sed sane hic versus, qui circumductus est, talis auditur, *Resonant magnis stridoribus alæ.* Idem.

229. *Rursum.*] Ad illud solum pertinet, *Instruimus mensas*: Nam ante in speluncis non fuerant. Et sciendum hanc particulam interdum sic poni, ut iteratum aliquid significet: ut si dicas, *Veni ad te mane, rursum veni.* Interdum sine iteratione est: ut, *fui apud te, rursum veni:* non ideo dicis *Rursum*, quia etiam primo venisti, sed quia illic fuisti. *Idem.*

Rursum.] Antrum & rami, volatum Harpyjarum impedire credi poterant. Ibi igitur securiores dapes & sacrificium restaurarunt, sed frustra. Nam per insperatas cæli partes ad occultas latebras venerunt, & cibum rapuerunt, & quicquid reliquerant, ore polluerunt. Ergo deficiente industria, fuit necessitas, ut ad vim recurreremus. *Don.*

Rursum in secessu longo.] Quod in codicibus plerisque veteribus legere est, *rursus in secessu*: & ita inferius, *rursus ex diverso*, non ita absurdum est, ut non suos fautores habeat. Aliique pedem Amphimacrum, quo etiam alibi usus sit Poëta noster, esse contendunt: alii collisionem ex *u* & *s* fieri, ut alias nonnunquam. Tametsi non sum nescius veteres quosdam Grammaticos negare *rursus* per *s* dici, sed *rursum* per *m*, ut *Iterum*, proferri debere. Cui quidem opinioni ita adhærescunt, ut illud etiam *rursus ad oraclum* superius habitum, *rursum* absque ecthlipsi legi contendant. Sed video apud doctos hæc jam ex usu recessisse, paucissimosque esse, qui veterum hujusmodi figuras ferre possint. *Pierius.*

Cavata.] Pro *cava*, nam *cavatum* proprie manu factum dicimus. *Serv.*

231. *Instruimus mensas.*] *Struo*, & composita de conviviis: in 1. *cura penum struere.* Papin. 5. Sylv.

— *propere mensasque torosque*
Instruit.

sic Græci σκευάζω, & παρασκευάζω. Athenæus 2. Dipnosop. afferam vero integrum testimonium, ut morem obiter scias: ἔθος ἦν τοῖς δείπνοις τῷ ἑστιάτορι κατακλιθέντι προδίδοσθαι γραμματίδιόν τι περιέχον ἀναγραφὴν τῶν παρεσκευασμένων, ἐφ᾽ ᾧ εἰδέναι, ὅ, τι μέλλοι ὄψον φέρειν ὁ μάγειρος: *Consuetudo in conviviis fuit, ut accumbenti jam illi, qui convivio alios excipiebat, daretur schedula, in qua descripta erant universa, quæ structa erant, ut sciret, quod prius obsonium coquus deberet mittere.* Redeo. inde *structor.* Martialis:

Et quæ non egeant ferro structoris Ofellæ.

hic ab aliis *scissor*, & *carptor*: Eundem Juvenalis Græco nomine *Chironomonta* appellavit. verba, quæ huic muneri respondeant, si quæras, hæc sunt, *carpere, concerpere, discerpere, lacerare, secare, dissecare.* Vult Ursinus eum esse structorem, quem Athenæus vocat τραπεζοκόμον. *Cerda.*

Arisque reponimus ignem.] Ecce quod dixit,

Rursum ex diverso cæli cæcisque latebris
Turba sonans prædam pedibus circumvolat uncis:
Polluit ore dapes. sociis tunc, arma capessant,
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus ac jussi faciunt, tectosque per herbam
Dispo-

dixit, *In partem prædamque Jovem.* Sane sciendum iterationem hanc fieri secundum ritum sacrorum; nam displicuisse prima ex prodigiis indicatur. Sunt autem hæ animales hostiæ, quæ tantum immolantur, & caro sacerdotibus proficit. Alibi tantum sanguinem in aras fundi significat: ut, *Sanguinis & sacri pateras.* Alibi partem corporis: ut, *Extaque salsos Porriciam in fluctus.* Alibi integras victimas: ut, *Et solida imponit taurorum viscera flammis.* Servius.

232. *Ex diverso cæli.*] Ut, *ex secreto montium*: subaudis *loco.* Idem.

233. *Turba sonans.*] Imperium ostendit. nam de tribus loquitur. Et alludit ad Furias, de quibus ait alibi, *Vocat agmina sæva sororum.* Ergo *turba*, tanquam turba, quare *turba* cum tres dixerit? quia apud Græcos, qui dualem numerum habent, pluralis numerus à tribus incipit. Ergo bene *turba* quasi plures; vel *turba* propter tumultum & strepitum alarum. Alii tradunt ideo *turbam*, quod plures, non tres tantum Harpyjæ sint. Alii quod eis cum Furiis consortium; unde, *Vobis Furiarum ego maxima.* Alii eas etiam Parcas esse, unde & divinatio ei data est. *Idem.*

Turba sonans prædam.] In antiquis aliquot exemplaribus, sublata dictione *prædam* legere est, *turba sonans pedibus subito circumvolat uncis*: quod itidem superius dixerat. Sed enim mihi magis placet legere *prædam*, ut & rem, qua dolebant, tangat, & varietur versus, ne in Homericum τὸ δ' ἀπαμειβόμενος recidat. *Pierius.*

Prædam pedibus circumvolat uncis.]. Aut circum prædam dixit volat uncis pedibus: aut intra volam interiorem manus amplectitur prædam. Unde & *involare* dicimus, *intra volam tenere.* Unde pyra quædam *volema* dicuntur, eo quod volam impleant. *Servius.*

234. *Polluit.*] Contingit, & pollutum sacrificium *contactum* dicitur; & hoc est, *Contactuque omnia fœdant Inmundo.* Idem.

Polluit ore dapes.] Est hoc, quod Petronius Sat. —— *maduere veneno*
Fallaces epulæ.
Cerda.

Sociis tunc, arma capessant.] Ex more Romanorum, quo milites, ubi impetus faciendus esset, jubebantur arma capere, ad quem & morem & verborum formulam hoc loci Poëta allusit. Ita Silius lib. 7. 12.

—— *propere capere arma maniplis*
Edicit. & lib. 8.
Ite igitur, capite arma viri.

Tale quiddam Homerus Odyss. 2.

Τηλέμαχος δ' ἑτάροισιν ἐποτρύνας ἐκέλευσεν
Ὅπλων ἅπτεσθαι· τοὶ δ' ὀτρύνοντες ἄκουσαν.

Telemachus autem socios hortatus jussit
Arma aptare, hi vero adhortantem audiverunt. Idem.

235. *Dira.*] Sabini & Umbri, quæ nos mala, *dira* appellant. *Servius.*

Dira cum gente.] Excusat crimen violentiæ, quam Celæno, faciens pro causa sua, plenissime exequitur. *Donat.*

236. *Ac jussi.*] Hic *jussi*, utrum verbum an participium sit; id est, utrum illi jussi sint, an ego jussi? *Servius.*

Jussi.] Verbum est, non Participium. *Donatus.*

Tectosque per herbam Disponunt.] Hoc est, disponunt & tectos faciunt. Sicut & scuta condendo latere faciunt. *Serv.*

Disponunt enses.] Brevissima fuit narratio, in qua solum videt, & bellum esse

Disponunt ensis, & scuta latentia condunt.
Ergo ubi dilapsæ sonitum per curva dedere
Litora; dat signum specula Misenus ab alta
Ære cavo. invadunt socii, & nova prœlia tentant,
Obscænas pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt; celerique fuga sub sidera lapsæ
Semesam prædam & vestigia fœda relinquunt.
Una in præcelsa consedit rupe Celæno

Infe-

esse gerendum, & propterea arma capiunt. *Donatus.*

Tectosque per herbam.] In antiquis aliquot exemplaribus, *per herbas* legitur plurali numero: Sed hoc parvi est momenti. *Pierius.*

239. *Signum.*] Utique militare. *Serv.*

Misenus.] Bene Misenum dicit tubicinem. Ipse est enim, qui filius fuisse Æoli dicitur: unde ait, *Misenum Æolidem:* quia constat sonum omnem ex vento creari. *Idem.*

240. *Nova.*] Mira. ut, *Pollio & ipse facit nova carmina.* Nam *novum* non est, cujus extat exemplum. Hercules enim in monte Arcadiæ Stimphalo vicit Stimphalidas: ut Statius, *Et arisonum Stimphalon,* Aut *Nova* ideo; quia vulnerari non poterant. *Idem.*

241. *Obscænas.*] *Obscœnæ* sunt *aves,* quæ canendo adversa significant:ut paulo post, *Infœlix vates.* Idem.

Obscænas.] Proprie existimo accipiendum propter proluviem ventris, qua mensas fœdabant, sic inf. *vestigia fœda relinquunt.* sic sup.

—— *fœdissima ventris*
Proluvies. de iisdem Flacc. l.4. Arg.
—— *fœdataque turbant*
Pocula: flagrat odor. iterum,
flagrat acerbus odor.

Itaque *obscœnæ volucres*, ab immunditie, & sordibus effusis ventre. Sunt qui malint respectum ad omina, ut *obscœnæ* dicantur, quia male ominentur. omnia enim mali ominis sic dicebantur veteribus, ut est apud Festum, & Varronem. Accius in Oenomao apud Non.

Cives ominibus faustis augustam adhibeant
Faventiam, ore obscœna dicta segregent.

Ac perinde obscœnitas faventiæ opponetur. *Cerda.*

Pelagi volucres.] Quia dicuntur Ponti & Terræ filiæ: unde in insulis habitant, partem terrarum, partem maris tenentes. Alii dicunt eas Neptuni filias: qui fere prodigiorum omnium pater est, nec immerito. Nam secundum Milesium Thaletem, omnia ex humore procreantur: unde est, *Oceanumque patrem rerum.* Hinc fit, ut quotienscunque desunt parentes, redeatur in generalitatem. Sic & peregrinos, Neptuni filios dicimus; quorum ignoramus parentes. Quidam *Pelagi* adverbialiter accipiunt, ut *belli*, ut *domi*, propterea quod res in Insula geritur. Alii vero dicunt, Harpyjas esse filias Thaumantis & Electræ. *Servius.*

Fœdare.] Cruentare. Ennius: *Ferro fœdati jacent.* Idem.

242. *Vim plumis ullam.*] Naturale enim est, ut eludat ictum plumarum levitas. Unde & addidit *Plumis.* Nam quod alii dicunt, ideo eas fuisse invulnerabiles, quia de Styge erant natæ; non probatur. *Idem.*

244. *Semesam.*] Semicomesam. *Id.*

Vestigia.] Vel pedum signa: vel indicium sordium, quibus epulas discedentes polluebant. *Idem.*

245. *Præcelsa rupe.*] Quia viderat parari vehementiam belli. *Donatus.*

Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro cæde boum stratisque juvencis,
Laomedontiadæ, bellumne inferre paratis,
Et

246. *Infelix vates.*] Nuntia infœlicitatis: ut Homerus μάντι κακῶν. Hoc est, nobis infœlix, ut, *sis fœlix*, id est, nobis, & videtur hic auspicii genus inducere secundum augures, quod de diris colligitur; quorum unum genus est, quod ex signis colligitur, quo nunc utimur. Diram autem esse Harpyjam duplici modo memorat, & oscinis & alitis: etenim cum facit loquentem oscinem, auspicium expungitur, *dirum* tamen quod futuram famem denuntiat; nam ipse ait, *Sive deæ, seu sint diræ obscœnæque volucres.* Et, *Quam vos dira fames.* Verum cum ait, *Pinnis ablata refugit*; ab alite auspicium factum docuit: aliter enim certa genera avium ab auguribus appellantur, quæ pinnis vel volatu omnia possunt facere; quæ si fuerint prosperæ, *præpetes*; si adversæ, *inhibræ* dicuntur; quod etiam in XII. significat, cum dicit, *Alitis in parvæ subito collecta figuram,* ubi vere diram vult videri. *Serv.*

Rumpit vocem.] Cum indignatione loquitur: ut, *Quid me alta silentia cogis Rumpere?* Et notandum (ut supra diximus) *Rumpit vocem:* cum hoc de silentio melius dicatur fieri: An *rumpit,* quia tantum humanam habens faciem, contra naturam sui corporis loquitur? *Idem.*

247. *Bellum etiam pro cæde boum stratisque juvencis.*] Iteratum est ad augendum invidiam; ut, *Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum.* Aut num ætates boum voluit comprehendere? *Id.*

Bellum.] Invectio, quam non oportuit habere principia. fuit enim irascentis. Fuit brevis invectio, sed omnia continet. Nam asseruit personam suam innoxiam, deformavit adversam, appellando *Laomedontiadas.* Dixit causam: Juvencos stratos, & proposuit invasionis crimen. Dixit criminis augmentum: ut, post violentiam in armenta, etiam de expugnatione dominarum cogitaverint. Dixit insontes, dixit factum. Non tamen factum fuit, sed pro facto tenet, quod facere cogitarunt. Nam, invadere greges, armare juventutem, eo tendit, ut reperirent alienum imperium, non male quæsitum, sed relictum à parentibus. Ultio autem est, quod diu expectent, quod metuant. *Donatus.*

248. *Laomedontiadæ.*] Perfidi: à rege natum opprobrium, qui deos fefellit. Sane alibi indifferenter hoc nomen ex persona poëtæ ponitur, ut, *Laomedontius heros*, *Laomedontia pubes.* *Serv.*

Bellumne] Necessario iteravit, ut verbum in quo culpa consistit. *Idem.*

Bellumne inferre paratis] In antiquis aliquot exemplaribus affirmative non interrogative legitur *bellumque inferre paratis*, elocutione eleganter continuante cum *&* quod subsequitur, *& patrio Harpyias.* Diximus enim alias Homericum & omnium apud Græcos præstantium Auctorum esse, post τε addere καὶ. Quod & diligenter & frequenter admodum Virgilius imitatur. Quamvis non negarim in interrogatione plus esse ponderis, & majorem objurgationis vim, quæ minas etiam tacite secum trahat, & confessionem criminis. Quare lectionem eam *bellumne* nequaquam immutarim. Quod vero in vulgatis habetur exemplaribus, *& patrio insontes Harpyjas*, ut leve præteriissem, nisi multorum veterum codicum consensu monitus essem ad vocalitatem facere, quod in eis alio dictionum ordine legitur, *& patrio Harpyjas insontis pellere regno.* Illud autem minime dissimulandum, quod in *Harpyjæ* nomine scribendo variant Librarii. Multi siquidem Servium secuti, pene ultimam diphthongum ponunt impropriam, ut apud Græcos scribitur ἅρπυιαι. Quorum à sententia longe diversus est Sosipater Carisius, qui negat *i* literam coalitam in diphthongum esse *y* literæ præcedenti: Sed pro consonante

Et patrio Harpyias insontis pellere regno?
Accipite ergo, animis atque hæc mea figite dicta:
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit:
Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem,
Quam vos dira fames nostræque injuria cædis

Ambe-

nante accipi debere. Syllabam enim eo etiam inquit modo positione longam fieri, si vocalem brevem sequatur: *I* vice consonantis posita, ut *Harpyjæ*. Quare si diligentissimo Grammatico credimus in eo nomine, *jæ* ultima syllaba per tris literas erit enuntianda, quam alii in unam tantum diphthongum puram abire contendunt. *Pierius.*

249. *Patrio regno.*] Aut Neptuno; aut sicut alii dicunt, quia Thaumas pater earum ex Electra Ponti & Terræ filius fuit. Alii *patrio*, proprio accipiunt; ut, *Et patrios cultusque locorum*, id est, proprios, non quos patriam agri habeant: Aut, ut alii, quoniam Neptuni filiæ fuerunt. *Servius.*

250. *Accipite ergo.*] Quia nos bellis appetistis: ac si diceret, ut futuram famem jam nunc possitis timere. *Idem.*

Figite.] Id est, quæ infixa vos vulnerent. dat autem orationi auctoritatem, cum veluti ex præcepto Jovis illa dicere demonstret, & Apollinis jussu: & sibi aliquam tribuit potestatem, cum dicit: *Furiarum maxima.* Nam propter hoc digna videtur, propter quam tristia nunciarentur. *Donatus.*

251. *Quæ Phœbo pater omnipotens.*] Tribuit auctoritatem, ne possint à se dicta quasi ab irata conficta contemni. Simul notandum, Apollinem, quæ dicit, ab Jove cognoscere. *Servius.*

Phœbus Apollo.] Purus, impollutus: & est Apollinis fixum antonomasivum: quod alii dari non potest. Nam sunt & alia communia; ut, *Pater omnipotens.* Id.

252. *Furiarum ego maxima.*] Adeo ipsæ sunt Furiæ, ut & unum epitheton habeant, & causis consentiant. Nam ait de Tisiphone, *Furiarum maxima juxta Accubat: & manibus prohibet contingere mensas.* quod etiam hæ faciunt, & inferentes Trojanis famem & prænuntiantes. Alii dicunt ideo adsumpsisse sibi Furiæ nomen Harpyjam, ut terreat. *Idem.*

Furiarum ego maxima pando.] In plerisque veteribus exemplaribus, non est pronomen in contextu. Sed ita legitur, *Furiarum maxuma pando.* Sed pronomen illud & emphasim habere, & sententiam adjuvare, & numerum vocaliorem efficere videtur. *Pierius.*

Furiarum ego maxima.] Hoc pro iis facit, qui Harpyjas censent Furias: quas Suidas ἁρπακτικὰς δαίμονας vocat: Æschylus inter canes Actæonis (de quo Ov. 3. Met. Fab. 4. & 5.) recenset. *Taubm.*

253. *Italiam cursu petitis.*] Ex his quæ norunt, fidem dicendis accommodat. Id est, ex hoc mihi fidem habebitis futurorum, si præcedentia vera sunt. *Servius.*

Italiam.] Hæc posuit, ut ex iis faceret fidem sequentibus. *Donatus.*

255. *Datam.*] Fatis concessam. *Serv.*

Sed non ante datam.] Ostendit, quod necessitati famis, non licito remedio, sed sacrilegio essent subventuri. Nam *mensas* dicit, quæ ex frumento confectæ, diis penatibus consecrantur. Et ne hoc genus pœnæ ab ultione Harpyjarum discretum videatur: addit, *Nostræque injuria cædis.* Donatus.

256. *Quam vos dira fames.*] Ut Varro in secundo divinarum dixit, *oraculum hoc à Dodonæo Jove apud Epicurum*

 accepe-

Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit: & in silvam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Deriguit: cecidere animi: nec jam amplius armis,
Sed votis precibusque jubent exposcere pacem,
Sive deæ, seu sint diræ obscœnæque volucres.

Et

acceperunt : quod modo dixisse fingit Harpyjas, sed tamen colorate tangit historiam dicendo, *Quæ Phœbo pater omnipotens.* Servius.

Nostræque injuria cædis.] Quidam injuriam, pro *vindictam* accipiunt, & Harpyja ista mentitur. Nam imminens Trojanis est fames fatalis. *Idem.*

257. *Ambesas.*] *Undique esas*, hoc est, rotundas. Majores enim nostri has habebant in honore deorum: panicias scilicet. *Idem.*

258. *In silvam.*] In codicibus plerisque vetustioribus *in silvas* legitur, numero multitudinis: utcunque parvi hoc refert. *Pierius.*

Refugit.] Non metu (nec enim minantibus convenit) sed ne possit rogatu placari. *Servius.*

260. *Gelidus deriguit.*] Id est, gelidus factus, diriguit. *Idem.*

Cecidere.] Qui spe prosperorum fuerant in sublime producti. *Donatus.*

Nec jam amplius armis.] Subaudi, *usi sunt.* Nec enim potest esse ab inferioribus zeugma: quod plerunque fit, ut per omnia unus sermo sufficiat: ut, *Trojugena interpres divûm: qui Numina Phœbi, Qui Tripodas Clarii lauros, qui sidera sentis.* per omnia *Sentis*, intelligis. Plerunque aliud subauditur: ut hoc loco. Item, *Disce puer virtutem ex me, verumque laborem; Fortunam ex aliis:* Subaudis *opta.* Nam fortuna non discitur. *Servius.*

261. *Sed votis precibusque.*] Duplici ratione placantur numina: aut votis, aut precibus. Unde est, *Junonis magnæ primum prece numen adora.* Item, *Junoni cane vota libens.* Idem.

Sed votis precibusque.] Duplici ratione placantur Numina, votis & precibus: nam hæc distinguunt: quæ tamen Græcis communi vocabulo sunt εὐχαί. Val. Max. lib. 1. c. 1. *Prisco instituto, Rebus divinis opera datur. Cum aliquid commendandum est, precatione: cum exposcendum, voto: cum solvendum, gratulatione: cum inquirendum vel extis vel sortibus, impetrito: cum solemni ritu peragendum, sacrificio.* Quid autem sit, *pacem exposcere*, diximus 1. Æn. vs. 523. *Orantes veniam*, &c. *Taubm.*

Jubent.] Volunt: ut, *Infandum regina jubes renovare dolorem.* Terentius, *Jubeo Chremetem.* Servius.

262. *Sive deæ.*] Quia divinant. *Idem.*

Sive deæ.] Quasi dicat, non erat respiciendum, an deæ essent, an monstruosæ volucres: dummodo fierent ea, quibus imminentia mala removeri possent. *Donatus.*

Sive deæ, seu sint.] In hoc versu hærens Scaliger, sic ait lib. 5. c. 12. *Præterea cum videret Harpyjas, atque una ex ipsis sese diceret maximam furiarum, summa modestia, parique scientia dixit, Sive Deæ, seu sint diræ obscœnæque volucres.* Vult nimirum probare, Virgilium rerum omnium naturam calluisse. Tu huc transfer, quæ nos late 1. Æn. ad illud,

An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis una. Cerda.

Obscœnæque volucres.] Quia in his ventris cernebant proluviem. Bene autem etiam si aves sunt, eas dicit placandas, propter pessima omina. *Serv.*

Obscœnæ.] Aliqui putant dici *obscœnum* ex *ob* & *cœnum*, & *cœnum* dici à Græco κοινόω, id est, *sordidum reddo*: unde nos

Et pater Anchiſes, paſſis de litore palmis,
Numina magna vocat, meritoſque indicit honores.
Dî, prohibete minas: dî, talem avertite caſum:
Et

nos dicimus in Quinto. Ergo per *æ* diphthongon ſcribendum eſſet. Alii volunt ex *ob* & *cano*: & tunc careret diphthongo. Varro tamen ait ex *ob* & *ſcæna*: & ſic habere diphthongon *æ*. Alii dicunt *obſcœnos* dici ab *Oſcis*, qui eſſent populi malis moribus. *Donatus.*

263. *Et pater Anchiſes.*] Huic ſemper dat partes conſiliorum & ſcientiam ſacrorum. ſic in flamma Aſcanii, ſic in piaculo Polydori. Ergo & hic omiſſo errore aliorum, non rogat Harpyjam, quam conſtat eſſe monſtruoſam, & quæ aliorum juſſiones pertuliſſe profitetur, ſed magna numina. Ipſa enim placanda fuerant, à quibus diri nuncii eſſet origo. *Idem.*

Paſſis.] Apertis, ſolutis. *Servius.*

264. *Numina magna vocat.*] Hoc eſt, Jovem, Minervam, & Mercurium; ut, *Penatibus & magnis diis.* Ita autem invocat, ut *magna* dicat. *Idem.*

Meritos.] Congruos, i.e. expiatorios. unde ſequitur, *Dî prohibete minas.* Idem.

Meritos.] Pro magnitudine peritionis convenientes: vel *meritos*, ſecundum interiorem ſacrorum ſcientiam. *D.*

Indicit.] Sacrorum verbo uſus eſt, nam ſupplicationes & dies feſti *indici* dicebantur. *Servius.*

Indicit.] Verbum *indico* ad ſacra ſpectare admonet Servius his verbis: *ſacrorum verbo eſt uſus, nam ſupplicationes, & dies feſti indici dicebantur*, & ex illo Briſſonius I. Form. additque Silium & Livium: hunc lib. 27.

Dum Roma antiquos templis indicit honores:

illum lib. 27. *ſupplicatio omnibus Diis, quorum pulvinaria Romæ ſint, indicta eſt.* eſt vero *indicere*, ſollemni ritu (ait Hortenſius) denuntiare, προαγγέλλειν, ἀπαγγέλλειν. ſic indicitur jejunium, bellum, feſtum, honores, ludi, funus, ſpectacula. *Cerda.*

265. *Dî, prohibete minas.*] Hoc per ſpeciem auguralem, quæ *invocatio* appellatur, nonnulli dictum putant. *Invocatio* autem eſt precatio, uti avertantur mala, cujus rei cauſa id ſacrificium augurale peragitur, & hic de auſpicio Harpyjarum invocatione ſuſcepta. *Serv.*

Dî prohibete.] Poterant hæc eſſe vera & non vera: hocque cognoſcebat Anchiſes, quod ex verbis ſuis apparet. Nam cum dicit *Di prohibete minas*, oſtendit nihil fuiſſe diſpoſitum: ſed prohibete, inquit, minas, ne oriretur favor divinus. *Donatus.*

Avertite caſum.] Bene etiam ſi contingat, caſum credit eſſe, ultionem: Aut certe ideo *caſum*, ne ſi fatalis averti non poſſit. *Caſum* autem, id eſt, periculum; nihil eſt enim fame gravius, quod ait poſtea, *obſcœnamque famem, quæ prima pericula vito.* Saluſtius, *Sin vis obſiſtat, ferro quam fame æquius perituros.* Servius.

Avertite caſum.] Ut ſi vere eſſet caſus ejuſmodi, qui potuiſſet exiſtere, averteretur. Ergo ſingula ſingulis dedit. Supra dixit *prohibete*: hic *avertite*, ut prohiberetur naſci, quod non erat: Averteretur autem, quod credebatur ingruere. *Donatus.*

Di, prohibete minas: dî, talem avertite caſum.] Antiqui aliquot codices, *prohibite nefas, & avertite peſtem* legunt. Cujuſmodi hemiſtichium habemus inferius de Cyclope. Sed *minas & caſum* ut in Mediceo, & in vulgatis codicibus legitur, omnino melius eſt. *Pierius.*

Dî prohibete minas.] Eſt hoc, quod Herodotus dixit lib. 3. τὸ μέλλον ἀποτρέπειν. Quod Demoſth. in Æſchylo. De verbi *averto* ſignificato, quo hic Poëta, ſatis multa Briſſ. Adi illum. Deum avertentem mala, *Averruncum* Latini dicunt, Græci Ἀλεξίκακον. *Cerd.*

Mm 4 266. *Ser-*

Et placidi servate pios. tum litore funem
Deripere, excussosque jubet laxare rudentis.
Tendunt vela Noti: fugimus spumantibus undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabant.
Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, & Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacæ Laërtia regna,

Et

266. *Servate pios.*] Propter facta sacrificia. Merito ergo servate nos, qui pii sumus, ut, initio VII. Æneid. *Quæ ne monstra pii paterentur talia Troës.* Serv.

Tum litore funem Deripere.] Placet Virgilium comparare cum Livio lib. 22. ubi similem celeritatem proponit. hunc in modum: *Vixdum omnes conscenderant, cum alii resolvunt oras, aut anchoram vellunt, ne quid teneat, anchoralia incidunt, rapiuntque omnia præpropere agendo: militum apparatu nautica ministeria impediuntur; trepidatione nautarum capere & aptare arma miles prohibetur.* Cerda.

268. *Tendunt vela noti.*] Scalig. lib. 5. c. 3. Diffluentiam, inquit, Homericam coercuit Maro duobus hisce mirificis versibus. Et divinus alter est, qui dat classem & vento & gubernatori. *T.*

Fugimus.] In codicibus aliquot antiquis, *ferimur* legitur. Interpretes vero *fugimus* agnoscunt, quod festinationi apte congruit. *Pierius.*

Ventusque gubernatorque vocabant.] Honestius hac elocutione per pluralem utimur numerum, licet possit singularis esse. *Servius.*

Vocabant.] Verbum id numero plurali fere passim habetur in vulgatis codicibus: Sed in antiquis aliquot, *vocabat*, ut propinquiori adhæreat. *Pier.*

270. *Jam medio apparet fluctu.*] Juxta morem cotidianum, dixit *medio*; ut si dicamus, in medio mari naufragium fecit, cum interdum non longe à litore contingit. *Servius.*

Nemorosa Zacynthos.] Hæ omnes insulæ Græciæ sunt, quas, Homerum secutus, mutatis tantum conjunctionibus, de Græco in Latinum transtulit. *Nemorosa* autem ὑλήεσσα Ζάκυνθος commemorat. *Idem.*

Zacynthos.] Vulgata pleraque omnia exemplaria, *Zacynthos* idiomate Græco scribunt. Sed in antiquis nonnullis, *Zacynthus* Latino casu scriptum est: delectat tamen casus ille Græcus in propriis præsertim nominibus. Præterea Probus in Arte, eo capite, quo agit de nominibus fœminini generis in *os* rectum terminantibus, & ablativum in *o* in exemplum ponit nomen hoc *Zacynthos.* Pierius.

Nemorosa Zacynthos.] Ovid. Epist. 1. Her. *alta Zacynthos.* quia silvosa est, ut Strabo l. 10. Hodie *il Zante.* Mela l. 2. c. 7. in Ionio mari ponit & reliquas hasce insulas: *in Ionio Prote, Hyria, Cephalenia, Neritos, Same, Zacynthos, Dulichium.* De his Hom. Odyss. α. ✓. 246.

Δουλιχίῳ τε, Σάμῃ τε, καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ.

Same & *Samos*, utrumque in usu esse ex Strabone discimus. *Neritos* non *Nericos* scribendum monet Dausquius. *Emmen.*

271. *Sameque.*] Cephaleniæ civitas est ista: nam Samos in Asia est. *Serv.*

Neritos.] Mons Ithacæ. *Idem.*

Dulichiumque, Sameque, & Neritos.] Sunt codices aliquot antiqui, in quibus *Samosque* legitur. Sed *Same* alia, alia vero *Samos* Servio est. Apud Homer. tamen, qua de nunc agitur, *Samos* scribitur, σάμοιό τε πετταλοέσσης. Od. δ. Et in Catal. de iis, qui Ulyssem secuti sunt, *ἰδδὲ σάμον ἀμφενέμοντο*, itaque *Samos* recte. *P.*

272. *Effugimus.*] Celeriter traximus. *Id.*

Effugimus scopulos Ithacæ.] In antiquis fere omnibus legas, *effugimus scopulos Ithacæ.* Non recte in aliis *effugimus Ithacæ scopulos.* Nempe quia Tritimeme-

Et terram altricem ſævi execramur Ulixi.
Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis,
Et formidatus nautis áperitur Apollo.

Hunc

memeri timuerunt. Atqui, niſi cæſuræ ſuam velimus auctoritatem eſſe incolumem, certe *ἰῶτα* ut Græci tradunt, & Latini, vel in principio dictionis, etiam pro vocali collocata, vim habet producendi precedentem ſyllabam natura brevem: cujus rei exemplum ponunt ex Il. ξ.

Νέστορα δ' οὐκ ἔλαθεν ἰαχὴ πίνοντά περ ἔμπης.

Ita illud, de quo ſupra, apud nos volunt: *Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.* Sed utcunque hæc accipiantur, paſſim tamen obſervamus tam Græcos quam Latinos auctores cæſuris plurimum tribuiſſe. In Mediceo autem codice non tantum eſt *ſcopulos Ithacæ*, verum una plus dictione legitur *& Laërtia regna.* magis tamen placet appoſitive poſitum, abſque *&* copulativa. *Pierius.*

Laërtia regna.] Irriſorie, cum præmiſerit *ſcopulos*: ut, *Immania ſaxa, Veſtras Eure domos.* Serv.

Scopulos Laërtia regna.] Per hunc enim tractum maris Ionii, immo per totum fere Epirum regnabat olim *Laërtes* Ulyſſis pater. Verum ad contemptum & irriſionem *Scopulos* ac *regna* dixit: & imitatus eſt Ciceronem, qui de Ulyſſis patriâ ſic ſcribit, lib. 1. de Oratore: *Ut Ithacam illam in aſperrimis ſcopulis ſeu nidulum affixam ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret.* Turneb. lib. 4. c. 23. Ita & 1. Æn. Æoli regnum irriſorie *antrum* vocat. *Taubm.*

Scopulos Ithacæ, &c.] Per unum Ulyſſem nobilis eſt, ut ex Mela l. 2. c. 7. *& inter non ignobiles, Ulyſſis nomine Ithaca maxime illuſtris.* Hunc Maronis locum imitatus eſt Sil. Ital. l 15. *Em.*

273. *Ulixi.*] In Mediceo codice *Ulyxei*, ut *Ajacis Oilei.* Pierius.

274. *Leucatæ nimboſa cacumina.*] Leucata eſt mons altiſſimus prope peninſula, in promontorio Epiri, juxta Ambraciam ſinum & civitatem: quam Auguſtus Nicopolin appellavit, victis illic Antonio & Cleopatra. Ibi & templum Actiaco Apollini conſtituit, & ludos Actiacos. Unde nunc Virgilius, in honorem Auguſti, quæ ipſe fecit, dat ejus origini. Nam Æneam illic dicit ludos celebraſſe: ut alibi inducit Æneam templum promittentem Apollini, quod feciſſe conſtat Auguſtum: ut, *Tum Phœbo & triviæ ſolido de marmore templum Conſtituam.* Sane de hoc Leucate amatores ſe in mare, ad excludendum amorem, præcipitare dicebantur. *Servius.*

Nimboſa cacumina.] Semper enim quamvis aliis cœli partibus ſerenis, Leucatis montis cacumen nubibus tectum eſt. *Idem.*

Leucatæ, &c.] Plinius lib. 4. cap. 1. promontorium Leucatem nominat. Nomen huic loco ab albo lapide, in eo templum Apollinis. Strabo l. 10. poſtquam dixit Leucadem ſumpſiſſe nomen à Leucate: Πέτρα γὰρ ἐστὶ λευκὴ τὴν χρόαν, προκειμένη τῆς Λευκάδος εἰς τὸ πέλαγος, καὶ τὴν Κεφαλληνίαν, ὡς ἐντεῦθεν τοὔνομα λαβεῖν. ἔχει δὲ τὸ τοῦ Λευκάτα Ἀπόλλωνος ἱερὸν, καὶ τὸ ἅλμα τὸ τοὺς ἔρωτας παύειν πεπιστευμένον: *eſt enim albicanti colore petra Leucadi adjacens, projecta in pelagus, & in Cephalleniam, ut inde nomen ſumpſerit. Habet inſuper & Apollinis Leucatæ fanum, ſaltumque illum, qui ad ſedandos amores valere creditur.* Itaque ab hiſtoria Poëta meminit tum rupis tum Apollinis, qui in ea rupe. De Apolline formidato dixi jam in explicatione, quid alii ſenſerint. Addam à me, poſſe accipi cum reſpectu ad religionem, quæ horrorem & formidinem incutit. Itaque huc transfer, quæ jam dedi lib. 1. ad illud,

—*horrendique atrum nemus imminet umbra.* Cerda.

275. *Et formidatus nautis.*] Aut quod locus hoſtilis: aut propter aſperitatem locorum, quia ſaxoſa ſunt: aut, ut quidam volunt, quia moris erat aliquem

Hunc petimus fessi, & parvæ succedimus urbi.
Anchora de prora jacitur. stant litore puppes.
Ergo insperata tandem tellure potiti
Lustramurque Jovi, votisque incendimus aras;
Actia-

ci de nautis immolari, ac per hoc qui formidaretur. *Servius.*

Formidatus.] Non fugerunt, quia fessi indigebant refectione: & fuit occasio, ut ludos celebrarent in honorem ejus Dei, cui tantum debebant. Ergo non luxus fuit causa ludorum egentibus & peregrinantibus, sed gratulatio servatæ salutis. *Donatus.*

Aperitur Apollo.] Nauticum verbum, quotiens cedente eo, quo impeditur aspectus, aliquid patescit; ut, *Portusque patescit Jam propior.* Servius.

276. *Hunc petimus.*] Occurrebat, Cur formidatum petistis? Ideo addidit *Fessi.* Vel quia hiemis imminebat adventus: nam ideo & parvæ urbi successit, quia terra erat hostilis; aut ideo hostili terræ, quia erat parva. *Idem.*

Parvæ urbi.] Ambraciæ scilicet: *Parvæ* autem in adulationem Augusti dictum, nam hanc Augustus diruit primo, quod ei bello Actiaco fuisset inimica. *Parva* ergo, quam parvam fecerat Cæsar, sed postea instauravit, & appellavit Nicopolin. *Idem.*

Urbi.] Ambraciæ. Porro hanc Æneæ profectionem descripsit etiam Ovid. lib. 13. Met. Fab. 11. & 12. ubi & hi leguntur versus:

Sævit hiems, jactatque viros: Strophadumque receptos
Portubus infidis exterruit ales Aëllo.
Et jam Dulichios portus, Ithacamque Samumque
Neritiasque domos, regnum fallacis Ulyssei,
Prætereunt vecti: certatam lite deorum
Ambraciam, versique vident sub imagine saxum
Judicis, Actiaco quæ nunc ab Apolline nota est, &c. Taubm.

278. *Insperata tellure.*] An quia saxosa loca, an quia per medios hostes navigaverant, an quia tempestate, an quia cum Græca natione? *Servius.*

Tellure potiti.] *Potior* & *illa re* dicimus, & *illius rei*: sed per septimum casum in usu est, per genitivum figurate ponitur. Salustius, *Ut prius quam legatos conveniret, Atherbalis potiretur.* Legimus & per accusativum: sed uti non possumus. Terentius, *Patriam potitur commodam.* Idem.

279. *Lustramurque Jovi.*] Aut *lustramur*, id est, purgamur, ut Jovi sacra faciamus. Aut dubium est utrum faciendis, an solvendis votis: Aut certe *lustramur Jovi*, id est, expiamur. Piaculum enim commissum fuerat, tauro in Thracia immolato, ut diximus supra, & licet multa fuissent secuta sacrificia, intelligebatur tamen adhuc numen iratum, non desinentibus malis. Sciendum sane moris fuisse, ut piaculo commisso ludi celebrarentur. Nam cum Romani iracundia Matris deûm laborarent, & eam nec sacrificiis, nec ludis placare possent: quidam senex statutis ludis Circensibus saltavit: quæ sola caussa fuit placationis. Unde & natum proverbium est, *Omina secunda, saltat senex.* Quamvis hæc ex alio ordine & alia ex causa narretur historia. * aut *lustramur Jovi*, quia supra dixerat: *Ipsumque vocamus, In partem prædamque Jovem*, & postea pœna Harpyjarum secuta est. Ergo quoniam non ad justum sacrificium Jovem invocaverint, ideo illi piaculum solvunt, hoc est enim *diis lustrari*, offensa eorum liberare. Sane *lustramur* apto verbo usus est, mentionem ludorum facturus, horum enim certaminum sacra celebratio, *lustrum* vocatur: lustrato enim populo, dii placantur. *Idem.*

Lustramurque Jovi.] Καθαιρόμεθα, ἁγνιζόμεθα. Aut, *lustramur*, i.e. purgamur, ut Jovi sacrificemus: aut certe, *lustramur Jovi*, i. e. sacrificando Jovi expia-

Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palæstras

Nudati

expiamur. Et hoc factum censet Nascimbænius, contra Servium & omnes: ut Anchisæ vota & promissa curarentur, qui territus Harpyiæ minis, *magnis Numinibus*; i.e. Jovi inprimis, sacra indixerat. Idem negat, Apollini ludos hic celebrari, sed tantum ad istos Agonales ab Augusto, in honorem Apollinis institutos, alludi. Quæ sententia & Servii fuit. *Iliacis* autem *ludis*, i.e. eo ritu, quo apud Ilium celebrari solebant. Verum enimvero Jos. Scalig. in Eusebium, pag. 143. *Iliacos ludos* vocari ait, quod ille Agon revera ab Ænea institutus fuerit. Et frigidum & frivolum ait esse, quod Servius dicat, κατὰ πρόληψιν, in honorem Augusti hoc dictum. Templum igitur antiquitus ibi erat, & ludi trieterici: qui postea ab Augusto pentaeterici facti. *Taubm.*

Votisque incendimus aras.] Id est, vota facientes. Dubitatur vero, utrum Jovis aras, alii Veneris dixerit: Varro enim templum Veneri ab Ænea conditum, ubi nunc Leucatem dicit; quamvis Menander & Turpilius comici à Phaone Lesbio id templum conditum dicunt, qui cum esset navicularius, solitus à Lesbo in continentem proximos quosque mercede transvehere, Venerem mutatam in navis formam gratis travexit, quapropter ab ea donatus unguenti alabastro, cum se in dies inditum ungeret, fœminas in sui amorem trahebat, in queis fuit una quæ de monte Leucate, cum potiri ejus nequiret, abjecisse se dicitur, unde nunc auctuarare se quotannis solent, qui de eo monte jaciunt in pelagus; quidam id fieri propter Leucaten puerum dicunt, quem cum Apollo vellet rapere, in mare se projecit, montemque cognominem sibi fecit. *Servius.*

280. *Actia litora.*] Ut supra diximus, propter Augustum hoc dicit, qui illic ludos statuit & agona, devicto Antonio & Cleopatra. *Idem.*

Iliacis.] Atheniensibus: unde Ilienses didicerunt. Nam & Vestam ideo Trojani colunt, quia eadem terra est: terrigenas autem Athenienses nemo dubitat. *Idem.*

Actia Iliacis.] In plerisque veterum exemplarium codicibus, *Accia* duplici *cc* notatum inveni, & ita nomen proprium *Accius*, quod Victorinus per duo *tt Attium*, ut *Vettium*, & hujusmodi quædam alia scribi debere contendit. Sed enim loco hoc *Actius* & *Actiacus* per *ct* scribendum. In nummo enim Augusti Divi F. qua parte Apollo cum lyra spectatur, cum literis à lateribus *imp.* x. sub pedibus Dei, *Act.* hoc est, *Actiacus* legitur. De *ludis* vero *Actiis* Harpocration ait, *Actia* antiquos esse ludos, de quibus Callimachus meminerit in libro de Certaminibus. *Pierius.*

Actia Iliacis, &c.] Cum Servio de ludis Actiacis dici, qui celebrabantur in memoriam Actiacæ victoriæ Turn. l. 14. c. 17. affirmat. *Emmeness.*

281. *Patrias palæstras.*] Palæstræ usus primus apud Athenienses repertus est. Trojani autem propter Dardanum & Teucrum, etiam ab Atheniensibus originem ducunt. Unde & Minervam colunt. Hinc est in secundo, *Neu populum antiqua sub relligione tueri.* *Antiqua* scilicet ab Atheniensibus tradita. *Servius.*

Oleo labente.] Explicat, quales isti ludi fuerint. Lucanus lib. 4.

— perfudit membra liquore
Hospes Olympiacæ servato more palæstræ.

Docet autem P. Faber JC. lib. 2. Agonist. c. 5. solos luctatores atque pancratiastas, qui in palæstra dimicarent, ungi solitos. Solos quippe pelo, (πηλὸς) id est, luto atque ceromate opus habuisse. atque hinc à *Pelo Palam* & *Palæstram* nomen invenisse auctore Plutarcho. Statius lib. 6. Theb.

Ante alios erat uncta Pale,

id est, dea palæstræ, quam & ipsam *Palæstram* Mercurii filiam dixerunt. Ibid.

Post-

Nudati ſocii. juvat evaſiſſe tot urbis
Argolicas, medioſque fugam tenuiſſe per hoſtis.
Interea magnum ſol circumvolvitur annum,
Et glacialis hiems aquilonibus aſperat undas.

Ære

Poſtquam oleo gaviſa cutis, petit æquor uterque
Procurſu medium, atque hauſta veſtitur arena.
Tunc madidos artus alterno pulvere ſiccant,
Collaque demerſere humeris, & brachia late
Curva tenent, &c.

Per *æquor* autem (ut hoc obiter notem) *ſcamma* intelligit, ſive locum, in quem deſcendebant agoniſtæ, poſtquam ſe denudaſſent, oleoque palæſtræ roboraſſent, atque ceromate perunxiſſent. Porro ex qua materia hoc unctionis genus confectum fuerit, diſcamus ex Plinio lib. 11. cap. 14. & lib. 15. cap. 4. & lib. 28. cap. 9. Ideo autem athletas perungi oleo conſueviſſe docet *Hier. Mercurialis*, artis gymnaſticæ diligentiſſimus reſtitutor, lib. 1. c. 8. ut membra emollita ſine ullius rupturæ periculo labores ſuſtinerent. *Taubm.*

282. *Nudati ſocii.*] Reſpicit ad apodyterium; erat locus, ubi ſe veſte ſpoliabant: ex apodyterio ingrediebantur alipterium, quo loco ungebantur. *Cerda.*

283. *Fugam tenuiſſe.*] Fœliciter navigaſſe. Nam *tenere* eſt implere; ut, *Ni teneant curſus certum eſt dare lintea retro:* id eſt, impleant. Et poteſt intelligi ſecundum communem ſenſum: ob hoc eos luſtratos, id eſt, expiatos, ob hoc ſacrificaſſe, & ludos celebraſſe, quia hoſtiles terras proſpera navigatione tranſierant. *Servius.*

284. *Magnum ſol circumvolvitur annum.*] *Magnum*, ne putemus lunare eſſe, propterea dixit: Antiqui enim tempora ſideribus computabant, & dixerunt primo lunarem annum triginta dierum. Unde invenitur in aliquibus vita nongentorum annorum, ſcilicet lunarium. Poſtea ſolſtitialis annus repertus eſt: qui XII. continet menſes. Mox majore cura *magnum annum* eſſe voluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum. & hoc fit, ut diximus, ſecundum Ciceronis Hortenſium, *poſt annos* XII. (millia) *nongentos quinquaginta quatuor*, ſolſtitiales ſcilicet. Bene ergo nunc *magnum* addidit: ne lunarem intelligeremus. Bene *Solis* nomen, ne quia dixerat *magnum*, illum VII. planetarum acciperemus: de quo varia & à Metone, & ab Eudoxo, & à Ptolomæo, & ab ipſo Tullio. Nam in libris de deorum natura tria millia annorum dicit magnum annum tenere. Poſſumus tamen accipere Trojanos ibi annum duodecim menſium feciſſe. *Idem.*

Magnum.] Deeſt *per.* Donat.

Magnum annum.] Ita paſſim Heſiodus *μέγαν ἐνιαυτόν.* Intelligit autem *annum Solſtitialem* ſive *Solarem*; non *Lunarem*, ideoque dixit, *magnum.* Et addidit; *Sol circumvolvitur, ἀμφιεπίζεται*; ne illum *Planetarum* & nugatorium intelligas, de quo Macrob. lib. 3. cap. 11. in ſomnium Scip. *Taubm.*

285. *Et glacialis h.*] De temporum ratione Poëtæ ineundo, vide Scalig. lib. 3. c. 6. Poët. *Idem.*

Aſperat.] Proprie admodum. Aſperitas lævori aut lævigationi opponitur: illa enim ſunt aſpera, quæ abeunt à lævore. Mare itaque cum æquum eſt & placidum, leve eſt: cum ventis intumeſcit, ac perinde non æquum eſt, jam tum neceſſe eſt eſſe aſperum. Valerius lib. 5. cap. 2. *placidum mare ex aſpero.* Senec. ep. 14. de Auſtro: *Siculum pelagus exaſperet.* Livius lib. 37. *Medio in curſu Aquilone in Septentrionem verſo, exaſperato fluctibus mari, jactari cœperunt.* Iterum: *Nec ante hoſtium portus in ſalo ſtare poterant, aſpero mari, & nocte imminente.* Eadem phraſi uſi Græci vo-

Ære cavo clipeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo, & rem carmine signo:
Æneas hæc de Danais victoribus arma.

Lin-

ei vocantes θάλασσαν ἀγριαινομένην. Nec alia mens Horatii Od. 9. lib. 1. *aut mare Caspium Vexant inæquales procellæ.* Ista enim inæqualitas nihil aliud quam asperitas hujus libri, atque etiam 6. ubi Palinurus jurat *maria aspera.* Eodem pertinent verba Sen. de Prov. cap. 5. *Multa accident dura & aspera, sed quæ molliat & complanet ipse.* vides opponi *aspera*, & *complanet.* Cerda.

286. *Ære cavo clipeum.*] Æris cavi: ut, *Pulchra prole.* *Clipeum* hic masculino, at neutro alibi, *Clipeum superintonat ingens.* Servius.

Magni gestamen Abantis.] Hunc Abantem possumus intelligere cum Androgeo apud Trojam occisum: ut, *Mutemus clipeos.* Sed Virgilius amans, inventa occasione, recondita quæque summatim & antiquam contingere fabulam, de Abante dixit; Abans namque Lyncei Hypermnæstræ filius, viribus præstans, cum vicinas civitates subvertisset, magnusque terror universis esset, diem supremum obiit: populi autem, quos ille devicerat, regno ejus infesti, manu facta urbem dirituri muros subiere; cumque in eo essent, ut jam civitatis potirentur, senex quidam juvenem egregiæ formæ, securum in publico excidio, notavit in foro, cumque ex eo quæsisset, cur patriæ non succurreret, & respondit, quod arma non haberet; tunc senex ei Abantis arma consecrata demonstrat, hortatusque ut eis uteretur: quibus tunc sumptis juvenis properat in aciem. Hostes vero, viso Abantis clipeo, fugerunt. Quidam sane Abantem inventorem clipei ferunt, sed hoc nomen in penultima syllaba habet accentum. *Idem.*

Ære cavo clipeum magni gestamen Abantis.] Ovidiana illa respexit,

Cognovi clipeum lævæ gestamina nostræ
Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.

Ad quem locum Hygini fabulam de Abante tradit Nob. Heinsius. *Emmen.*

287. *Postibus adversis figo.*] Proprie, *figi* enim *dona* dicuntur; ut, *Sacra ad fastigia fixit*: & sciendum inter sacratas res etiam *dona* esse, sicut in libris sacrorum invenitur, quæ tamdiu *dona* dici possunt, quamdiu non profanentur. Rite ergo dicendo, *Æneas hæc de Danais victoribus arma*, ostendit clipeum quem dono obtulerat consecratum. Sciendum tamen hunc clipeum ab Ænea apud Samothraciam in templo consecratum, quod poëta per transitum tetigit. *Servius.*

Postibus adversis figo.] De figendis armis pauca notata l. 1. Æn. ℣s. 248 plura dabit Thomasinus de Donar. cap. 22. *Emmeness.*

Rem carmine signo.] *Rem*, votum, id est, voluntatem. *Carmine* autem, epigrammate. Et sciendum *carmen* dici quicquid pedibus continetur. Nam & hic unum versum, *carmen* dixit: & in Bucolicis duo, ut, *tumulo superaddite carmen, Daphnis ego in silvis hinc usque ad sidera notus, Formosi pecoris custos, formosior ipse.* Servius.

288. *Æneas hæc de, &c.*] Scil. detracta consecravit: usitata hujusmodi Inscriptionibus ellipsi. Et ut magna brevitas est hujus tituli: ita intellectus uberrima latitudo. Æneas posuit, Æneas scripsit: idque in agro hostili, & quidem tutus. Habuit arma victoribus Græcis erepta: & in ipsorum sedibus eadem ostentationis caussa affixit: addidit epigramma, quod testaretur scribentis gloriam, & eorum qui superiores recesserant, ludibria demonstraret: superesse item Trojanos, qui Græcos ulcisci possint. *Taubm.*

De Danais victoribus.] Irrisio est, ut, *Victoresque cadunt Danai.* Subaudis autem *Arma.* Consecravit, vel posuit. Sane hic *arma* clipeum solum dicunt, ut,

Linquere tum portus jubeo, & considere transtris.
Certatim socii feriunt mare, & æquora verrunt.
Protenus aërias Phæacum abscondimus arces,
Litoraque Epiri legimus, portuque subimus
Chaonio, & celsam Buthroti ascendimus urbem.
Hic

ut, *Ac Lausum socii exanimem super arma ferebant.* Servius.

289. *Linquere tum portus.*] Id est, post insultationem carminis necessario statim fugit. *Idem.*

290. *Certatim feriunt mare.*] Scil. remis. ita & Græci τύπτειν ἅλα. Infra ℣s. 668.

Verrimus & proni certantibus æquora remis. Taubm.

291. *Protenus.*] Trium temporum significationem capit. Hoc loco præsentis. De præterito & futuro dici Charis. Inst. Gramm. c. 2. *Emmeness.*

Aërias arces.] Id est, altas. *Servius.*

Phæacum.] Corcyram insulam dicit, sitam contra Epirum & *Vetereum*, ubi regnavit Alcinoüs, quam incoluerunt Phæaces. *Idem.*

Phæacum.] Mediam producit, ut & Juv. *Qualia perpetuum Phæacum autumnus habebat.*

Propertius tamen lib. 3. corripuit,

Nec mea Phæacias æquant pomaria silvas.

Ex venia Poëtarum Prop. Nam Græci Φαίηκες, per vocalem longam. Nisi quis contendat in Propertio legendum *Phæacas.* Cerda.

Phæacum.] Phæacia primum appellata *Scheria*, saltem, ejus oppidum, ut Schol. Homer. Odyss. ζ. ℣s. 8. Σχερίη πόλις φαιάκων. posterioribus seculis Corcyra, de qua Livius l. 26. nunc *Corfu* sub imperio Venetorum. *Emmeness.*

Abscondimus.] Nauticus sermo est, & mira bene usus est celeritate; ut, ante absconditam quam visam insulam diceret. *Servius.*

Abscondimus.] *Abscondimus* est, prætterimus. videntur enim quæ navigando præterimus, abscondi & evanescere. Lucanus:

— *tectumque cacumen*
Nubibus, & dubios cernit vanescere montes.

Porro *Phæaces* populi sunt ad sinum Ambracium, in finibus Epiri, contra Thesprotas, quorum oppidum maritimum est *Buchrotum.* Hinc *Phæacia*, quæ nunc *Corcyra:* nobilitata olim Alcinoi Regis hospitio, & Ulyssis appulsu. Epirum autem ab Ambratiotis dividit Acheron fluvius, qui è Pindo oriens ad Nicopolin mare ingreditur. *Taubm.*

292. *Portuque subimus Chaonio.*] Ut, *Subeunt muro.* Nam si *Chaonios* legeris, non *Chaonio*, difficilis est scansio, non excluso *s.* Servius.

Portuque subimus Chaonio.] Valerius Probus legit *portusque subimus Chaonio* per ω mega genitivo casu, ut *Androgeo:* quum tamen non inficietur esse etiam qui legant *Portusque subimus Chaonios*, utrunque accusativo casu. Sed enim Serviana sententia minime displicet, quæ cum veteribus exemplaribus *Portu Chaonio* lectionem agnoscit. Ut, *subeunt muro.* Pierius.

293. *Buthroti urbem.*] Id est, Buthrotium, ut, *Fontem Timavi.* Hæc autem civitas est in Epiro, cujus pars est Chaonia, quæ ante *Molossia* dicta est: posita est autem in saxo, quod mari cingitur, in quo fons hujus naturæ esse perhibetur, ut cum mare quietum fuerit, crescat; cum vero fluctibus attollitur, decrescat. *Servius.*

Buthroti.] In Epiro positum est oppidum. Plinius l. 4. c. 1. Coloniam nominat Strabo lib. 7. ἐποίκους ἔχον Ῥωμαίους. qualis fuerit Colonia & à quo deducta eruit L. Holstenius in Not. ad Steph. recte scribitur secunda afflata teste Dausquio, nec tantum adspirationem postulat ratio nominis, sed & Mela l. 2.

Hic incredibilis rerum fama occupat auris,
Priamidem Helenum Graias regnare per urbis,
Conjugio Æacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum:
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui; miroque incensum pectus amore,
Conpellare virum, & casus cognoscere tantos

Pro-

la l. 2. c. 3. *Buthroton* appellat. an *portu* legendum disputat Schott. observ. poët. l. 2. c. 2. *Emmeness.*

Ascendimus] Vetera pleraque omnia exemplaria, *accedimus* legunt: nondum enim portu progressi sunt. Dixerit tamen *celsam urbem*, atque ita, *ascendimus* non improprie. *Pierius.*

294. *Incredibilis rerum fama.*] Incredibilium rerum fama. Et bene non credidit. Unde & postea interrogat, *Pyrrhin' connubia servas?* Servius.

295. *Priamidem Helenum.*] Mira res à persona, quod frater Paridis victus regnaret inter victores. A loco, ut Trojanus in Græcia. A numero, ut non per unam urbem, sed per plures. A fortuna, ut regnaret potitus Pyrrhi conjugio ac sceptro. Ergo incredibile uxorem, Pyrrhi eversoris Trojæ, hominem ex Priami genere habere. & cum Pyrrhus vita cessisset, Andromachen iterum patrio marito cessisse. Ergo obstupuit Æneas potius, quam miratus sit. *D.*

Priamidem, &c.] Euripides fallitur, qui Helenum in expugnatione Trojæ occubuisse cum reliquis fratribus docet, sed hujus errorem corrigit Cuperus observ. lib. 1. c. 20. Hyginus fab. 128. eum inter augures numerat, quemadmodum infra vs. 369 auguris fungitur munere. de Heleno vate & de urbe Buthroto Ovid. l. 13. Met. vs. 720. *Emmeness.*

297. *Patrio marito.*] Atqui Thebana fuit de Thebis Frigiis: sed aut provinciam pro patria posuit, ut, *Italiam quæro patriam.* Item Salustius, *Hispaniam sibi patriam esse.* Aut certe secundum jus locutus est: quia uxor, viri domicilium sequitur. Juncta ergo Hectori, facta Trojana est. Nam & *cessisse*, de jure est. *Cedi* enim *hereditas* dicitur, ergo merito dicta est Heleno civi nupsisse. *Servius.*

Cessisse marito.] Sic ait, ut dicimus, *ex hereditate paterna illud mihi cessit.* Consuetudinis sane regiæ fuit, ut legitimam uxorem non habentes, aliquam licet captivam, tamen pro legitima haberent: adeo ut liberi, ex ipsa nati, succederent Pyrrhus hanc quasi legitimam habuit, & ex ea filium Molossum suscepit. Postea cum vellet Hermionem Menelai & Helenæ filiam, Oresti jam ante desponsam ducere uxorem; Orestis insidiis, in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens præcepit, ut Andromache (quæ apud eum conjugis locum tenuerat) Heleno daretur (quæ peperit Molossum prius Pyrrho) propter supra dictum beneficium, quo eum à navigatione, cæteris Græcis navigantibus, quos tanquam vates sciebat tempestate perituros, prohibuerat. Inde factum est, ut teneret Helenus regnum privigni, qui successerat patri: à quo *Molossia* dicta est pars Epiri; quam sicut dictum est Helenus postea à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, *Chaoniam* nominavit. quasi ad solatium fratris extincti, quamvis de hoc nomine etiam aliæ causæ apud diversos alias inveniantur. *Idem*

298. *Obstupui; miroque incensum pectus amore.*] Ut missum faciam *obstipui*, de quo sæpe dictum, codices nonnulli admodum vetusti legunt, *incensum est pectus*: sed forte illud ex paraphrasi huc insertum. *Pierius.*

300. *Pro-*

Progredior portu, claſſis & litora linquens.
Sollemnis cum forte dapes, & triſtia dona,
Ante urbem in luco falſi Simoëntis ad undam
Libabat cineri Andromache, Maniſque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem ceſpite inanem,
Et

300. *Progredior portu, claßis & litora linquens.*] Hyſteroproteron in ſenſu: ante enim linquitur litus, & ſic à portu proceditur. Sane ſecuritatem verbo oſtendit; dicens, *Claſſes & litora linquens*, quippe cum regnum civium peteret. aliter in primo, *Exire locoſque Explorare novos.* Notandum ſane finitum eſſe verſum participio: quod raro apud Latinos eſt, apud Græcos vitioſiſſimum. *Servius.*

Linquens.] Judicium Servii de verſibus participio terminatis refutat Voſſ. Inſtit. poët. lib. 3. c. 7. tam Latinis, quam Græcis exemplis. *Emmeneſſ.*

301. *Sollemnis.*] Non feſtas, ſed legitimas, anniverſarias. *Servius.*

Triſtia dona.] Acerba: tale eſt illud, *Quem ſemper acerbum, Semper honoratum (ſic dii voluiſtis) habebo.* Idem.

302. *In luco.*] *Lucum* (ut ſupra diximus) nunquam ponit ſine religione. Nam in ipſis habitant manes piorum, qui lares viales ſunt: unde in ſexto, *Nulli certa domus: lucis habitamus opacis.* Et in v. *Tumuloque ſacerdos, Ac lucus late ſacer additur Anchiſeo*; & hic lucus, qui ad reddenda ſolennia Hectori & Aſtyanacti fuerat dicatus. *Idem.*

Falſi.] Simulati. *Idem.*

Falſi Simoëntis.] Qui vel ſponte in alias terras migrant, vel pulſi patria novas ſedes quærunt, eadem nomina urbibus, fluminibus, &c. imponunt, quibus ea fuerunt appellata loca, in quibus ante habitarunt, ut ita amorem patriæ conſolentur, vel id dent dignitati & reverentiæ natalis ſoli, ut hunc ritum exponit P. Victor. var. lect. l. 5. c. 3. *Emmeneſſ.*

303. *Libabat cineri.*] Non dixit cujus, ſed exin latius intelligitur. *Serv.*

Libabat.] Verbum *libo* in re mortuorum ſollemne. Apuleius lib. 4. Aſin. *poculis aureis memoriæ defunctorum commilitonum vino mero libant.* & lib. 8. *Ad ego ſepulcrum mei Leopolemi tuo luminum eruore libabo.* Cerda.

Maniſque vocabat.] Sacrificiis inani ſepulturæ conciliabat manes Hectoreos: & bene in luco, ut diximus ſupra. *Servius.*

Maniſque.] Per *manes* intelligit proprie Salmaſ. in Plin. exerc. p. 412. defunctotum parentum & eorum animas, qui fortiſſimi in vita extiterant. unde manes appellentur, Sanct. in Min. 433. *Emmeneſſ.*

304. *Ad tumulum.*] Id eſt, cenotaphion. *Servius.*

Hectoreum ad tumulum.] De Hectoris cadavere ſciendum, non illud perſeveraſſe apud Ilium in ſepulcro ibi exſtructo, ſed tranſlatum ad urbem Thebanam, ſcribente ſic Pauſania in Bœotic. *Eſt etiam ad eam, quæ Oedipodia appellatur, aquam, Hectoris, Priami filii, apud Thebanos monumentum: ejus enim oſſa ex hujuſmodi oraculo ab Ilio ſe deportaſſe tradunt:*

Excelſa incolitis Cadmi qui mœnia Thebas,
Si patriam optatis nunquam non eſſe beatam,
Ex Aſia transferte domum magni Hectoris oſſa:
Hîc Jovis imperio Heroï ſua juſta manebunt. Cerda.

Inanem.] Τȣτέςι κενοτάφιον: cujuſmodi ſolebant erigi iis, quorum corpora haberi non poterant: ne ſcil. ómni ſepulturæ honore deſtituti Stygiam paludem tranare non poſſent. Scipio Gentilis, lib 2. c. 16. Parerg. contra Martianum J. C. hoc Poëtæ noſtri allegantem, éruditiſſime docet, hoc genus

Ceno-

Et geminas caussam lacrimis sacraverat aras.
Ut me conspexit venientem, & Troïa circum
Arma

Cenotaphii, quo de Virgilius loquitur, *sepulcrum* potius esse appellandum, quam *inanem tumulum*, qui tantum ad memoriam mortui peregre fiat, quemque Suetonius *honorarium* vocet *tumulum*: cum & aræ hîc, ut in sepulcris, excitatæ: & *vocati* sint *manes*: de quo Ausonius:

Voce ciere animas, funeris instar habet.

Quare & sepulcrum nominetur Catullo:

Alta Polyxenia madefient cæde sepulcra,

id est, Cenotaphium Achillis: *sepulcrum* tamen; quod illi, ut sepulcro, sacrificium additum fuit, immo & animæ conditæ: uti supra,

—— *animamque sepulcro*
Condimus: & magna supremum voce ciemus.

Cicero Philipp. 9. extrema: *sepulcrorum*, inquit, *sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri, neque deleri potest: Cenotaphiorum in ipsa religione & reverentia vivorum: quæ & mutari & deleri potest.* Alciatum etiam Parerg. lib. 10. c. 12. refutat Nascimbænius. *Taubm.*

Inanem.] Meursius ad Lycophronem p. 189. de Sepulcro & Cenotaphio disputat uberius. ad inanem tumulum respicit Ovid. l. 11. Met. ✝︎. 429.

Et sæpe in tumulis sine corpore nomina legi.

Vide Kirchm. de Fun. Rom. l. 3. c. 27. locum Maronis imitatus est Stat. Thebaid. lib. 12.

Nomina, quod superest, vacuis datis orba sepulcris,
Absentesque animas ad inania busta vocatis. Emmeness.

Viridi cespite.] Herboso. *Servius.*

Cespite.] Vix dici potest, quam multis in rebus olim *cespes* in ministerio fuerit, veluti res sacra antiquis. En hic ex cespite sepulcrum. in 11. Metabus de gramineo cespite Triviæ donum vellit. Militibus pro mensa fuit. Lucanus lib. 4.

Pax erat, & castris miles permistus utrisque
Errabat, duro concordes cespite mensas
Instituunt.

Adeo hoc sollemne, ut Tiberio quoque principi hoc det Suetonius in ejus vita c. 18. *trans Rhenum eum ordinem vitæ tenuit, ut sedens, in cespite nudo cibum caperet.* Exstructas aras in cespite, vulgare. Horat.

—— *positusque carbo*
In cespite vivo.

Et Apulejus lib. 7. *aram cespite virente Marti Deo faciunt.* idem aggestus ad conciones militares pro tribunali erat, de qua re alibi. quid, quod mirere, res agrestis adhibita est ad fastum, & luxuriam: Cæsar enim 3. civil. sic loquitur cum exprobratione Pompejanæ luxuriæ: *in castris Pompeji videre licuit triclinia strata, magnum argenti pondus expositum, recentibus cespitibus tabernacula constrata.* Sed ad rem mortuorum, de qua hic sermo, signatissima sunt verba Taciti lib. 1. Ann. *Primum exstruendo tumulo cespitem Cæsar posuit, gratissimo munere in defunctos.* Et Prudentii versus in Peristeph. hymno 4.

Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Cespes includat suus, & paterno
Servet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.

Et nota illum loqui de honorario tumulo, ut etiam Poëta. *Cerda.*

305. *Geminas.*] Unam marito, alteram filio. Aut certe illud respicit: nam inferi, pari gaudent numero. ut, *Ecce duas tibi Daphni.* Superi vero impari: ut, *numero Deus impare gaudet*; vel geminas Diti patri & Proserpinæ; aut quia elatæ mortuorum aræ, deorum *altaria* dicuntur; ut, *En quatuor aras, Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phœbo.* Quamvis hoc frequenter poëta ipse confundat. *Servius.*

Geminas aras.] Unam marito Hectori, alteram filio Astyanacti. sed Turneb. lib. 27. cap. 6. docet, veteres manibus honoratorum virorum aras esse solitos

Arma amens vidit; magnis exterrita monſtris
Deriguit viſu in medio: calor oſſa reliquit.
Labitur, & longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius adfers,
Nate dea? viviſne? aut ſi lux alma receſſit,
Hector ubi eſt? dixit, lacrimaſque effudit, & omnem
Inple-

ſolitos conſecrare duas; quæ vide ad 5. Æneid. ℣ſ. 48. *Taubm.*

Geminas aras.] Vide ad hunc locum Gutherium de jure Manium, l. 2. c. 19. ubi inferos pari numero gaudere affirmat. *Emmeneſſ.*

Lacrimis ſacraverat.] Hoc tantum, ut cauſam lachrimarum haberet. *Serv.*

307. *Monſtris.*] Rebus ſcilicet inſperatis, & hoc ad Andromachen refertur, quæ putat monſtrum: aut certe *Monſtris*, quod tunc advenerat Æneas, cum illa Manes invocaret, & eum crederet eſſe defunctum. *Idem.*

Monſtris.] Monſtrum fuit, ut quo tempore manibus parentaret, Æneas appareret, ut & ipſe mortuus putari poſſet. *Donatus.*

308. *Deriguit viſu in medio.*] Dum me cernit, obſtupuit, aut antequam nos manifeſtius videret. *Servius.*

Calor oſſa reliquit.] Id eſt, extimuit: ut, *Solvuntur frigore membra.* Idem.

Calor oſſa reliquit.] Nam turbata mente recedit calor. Eſt autem ſapiens conſilium Poëtæ, tractantis perſonam mulieris, ſolventis inferias mortuo, & illius amorem retinentis. Ex confuſione autem mentis, quia perfecte videre non potuit, incidit in errorem, ne eſſet mortuus. Prior vidit mulier; prior loquitur Æneæ, verecundia intemerata reſervatur. *Donatus.*

309. *Labitur.*] Hoc verbo frequenter Poëta λειποψυχίαν ſignificat. ut 4. Æn. *deficit*, συγκόπτεται. *Taubm.*

310. *Verane te facies.*] Ordo eſt, O nate dea afferſne te mihi vera facies, verus nuntius; & opportunum principium fœminæ, quam incertam timor fecerat. *Servius.*

Verane te facies.] Et quia armatus, & quia in die, in qua non ſolent videri mortui, apparuit, exiſtimavit vivum. Ex occaſione autem loci & parentationis cauſa, putabat mortuum. *Donatus.*

Verane te facies, &c.] Illuſtrat Nannius Miſcelan. l. 2. c. 1. hunc locum duplici Terentiano. Omitto, & addo duo alia, alterum Senecæ Trag. in Furent. alterum Euripid. in Androm. Ergo Amphitryo reverſo Hercule ab Inferis, ſic ait:

Utrumne viſus vota decipiunt meos?
An ille domitor orbis, & Grajum decus,
Triſti ſilentem nubilo liquit domum?
Eſtne iſte natus? membra lætitia ſtupent.
O nate certa, & vera Thebarum ſalus,
Verumne cerno corpus?

Brevius idem Seneca in Oedip.

An æger animus vera pro falſis videt?

Oreſtes vero viſa Hermione apud Eur.

Ἔα τί χρῆμα; μῶν ἐσφάλμεθ᾽; ἢ σαφῶς ὁρῶ
Δόμων ἄνασσαν τὴν τοῦ Μενέλεω κόρην;
Ehem, quid rei eſt; fallor ne, an manifeſte video
Domuum Reginam hanc Menelai filiam?

Cerda.

Verus mihi nuntius adfers.] Quidam ſic exponunt, prout adferris, id eſt, vivus mihi nuntiaris. *Servius.*

311. *Viviſne.*] Et ſecundum muliebrem adfectum, ſicut ſupra dictum eſt, interrogat, & bene ſuſpicatur. Nam & inferis ſacrificat, & in luco, in quo habitant manes. *Servius.*

312. *Hector ubi eſt? dixit, lacrimaſque effudit.*] Hoc ad Æneæ pertinet gloriam, ut ab Hectore nunquam diſceſſiſſe videatur. Senſit autem hoc, ſic um-

Inplevit clamore locum. vix pauca furenti
Subjicio, & raris turbatus vocibus hisco.
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Ne dubita: nam vera vides.
Heu, quis te casus dejectam conjuge tanto
Excipit? aut quæ digna satis Fortuna revisit?
Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?

Deje-

umbræ videntur in sacris: cur non eorum magis quibus sacrificatur? *Idem.*

Dixit, lacrimasque effudit.] Bene postquam ad mentionem Hectoris ventum est, tacuit & flevit. *Idem.*

Lacrimasque effudit.]Hæc omnia provenerunt ex mariti recordatione. Nec debuit de alio quam de mortuo, in tanto dolore quærere. *Donatus.*

313. *Inplevit.*] Nihil omnino mediocre in sexu fæmineo. Semper enim aut minus quam canem, aut plus quam senionem jacit. Ita hîc Andromache *implevit clamore locum.* Non enim mediocris vox, clamor: nec mediocris clamor, qui locum implet. De quo Scalig. lib. 3. c. 13. Poët. *Taubm.*

Pauca.] Vel quia plura turbatus non possem: vel quia ipsa ex dolore non fuisset plura auditura. *Donatus.*

Furenti.] Insolabiliter & impatienter dolenti. *Servius.*

314. *Turbatus.*] Lugente scilicet Andromache: Cato ait, *Verba tertiato & quartato quempiam dicere præ metu.* Idem.

Hisco.] *Hiscere* est hiare, nec loqui posse. Vel *hisco* hic, loquor. *Idem.*

Hisco.] Ita Seneca in Controvers. *Semesa & tenui atque elisa jejunio voce ut vix exaudiri posset.* *Semesa* enim *vox* singultantis est, & qui sua ipsius verba fere devorat. Ejusmodi semesam & terrore elisam vocem hîc in Virgilio intelligas. Ita Apulejus lib. 5. Metam. *Tremensque & exsangui colore lurida, tertiata verba semianimi voce substrepens, &c.* ubi, *tertiata verba* sunt ejusmodi lapsantia & cum pavore nutabunda. Singulis autem propositis strictissime respondet Æneas, fortunæque suæ miserias brevissima insinuatione designat. *T.*

315. *Vivo equidem.*] Hoc enim ethos legendum est: Ac si diceret, si tamen vita est infœliciter vivere. *Serv.*

316. *Nam vera vides.*] Propter illud, *verane te facies?* Idem.

317. *Heu.*] Disjungendum ab interrogatione, ut separatim luctuosa vox audiatur. *Idem.*

Heu.] Et ipse incipit à gemitu propter Hectoris recordationem. *Donatus.*

Casus.] Hic *eventus*; ut, *Tot casibus actos.* Alii *periculum.* Servius.

Dejectam conjuge tanto.] Dapnas, per comparationem virorum factum. *Idem.*

318. *Excipit.*] Signate locutus est, quia *dejectam* dixerat, excipiuntur enim quæ cadunt. *Idem.*

Digna.] Congrua & priori conveniens. *Idem.*

319. *Hectoris Andromache.*] Si *Andromache*, sequentibus junge: si *Andromachen*, superioribus. Sed cum supra Heleno nuptam dixerit, cur hic *Hectoris* dixit; sed ipse quæstionem solvit, dicendo *incredibilis.* Idem.

Hectoris Andromache.] Cum laude hæc duo nomina extollenda sunt. *Don.*

Connubia servas.] Tenes: ut, *Et nunc servat honos sedem tuus ossaque nomen.* Aut certe omis* ut, *servantem ripas.* Aut quia audierat nuptam Heleno. *Serv.*

Servas.] Pro *servasti.* Consuetudinis regiæ fuit, ut legitimam uxorem non habentes, aliquam licet captivam, tamen pro legitima haberent, adeo ut liberi ex ipsa nati succederent. Pyrrhus hanc quasi legitimam habuit, & ex ea filium Molossum suscepit. Postea cum vellet Hermionem Menelai & Helenæ

 filiam,

Dejecit vultum, & demissa voce locuta est:
O felix una ante alias Priameïa virgo,

Hosti-

filiam, Oresti jam ante desponsatam, ducere uxorem, Orestis insidiis in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens præcepit, ut Andromache, quæ apud eum conjugis locum tenuerat, Heleno daretur: propter supradictum beneficium, quo eum à navigatione prohibuerat. Inde factum est, ut teneret regnum privigni, qui successerat patri; à quo *Molossia* dicta est pars Epiri, quam Helenus postea à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, *Chaoniam* nominavit: quasi ad solatium fratris extincti. *Serv.*

Pyrrhin' connubia servas.] In antiquis aliquot codicibus legere est, *Pyrrhi an conubia servas.* Ut sit, Andromache servas ne connubia Hectoris, an Pyrrhi. Sunt qui & *Andromachen* legant, ut uno membro totum id colligatur: *Quæ digna satis Fortuna revisit Hectoris Andromachen?* Sed enim longe magis placet eruditis ingeniis, quod vulgata habent exemplaria, *Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?* Hoc est, fieri ne potest ô Andromache, ut quæ Hectoris uxor fueris, Pyrrhi connubia servare possis. Antiqua vero fere omnia exemplaria, *conubia* unico *n* scribunt. *Pier.*

320. *Dejecit vultum.*] Decenter, quia de concubitu admonita est. *Serv.*

Dejecit vultum.] Mota pudore: & quoniam factum negare non poterat, summissæ vocis purgatione defendit. *Donatus.*

Dejecit vultum.] Hoc indicium pudoris attribuit Lucretiæ Dionys. lib. 4. demisit enim vultum cogitabunda, & præ mœrore. Eadem pudoris nota Philostratus in Heroicis: ἐρυθριῶντα τε καὶ ἐς τὴν γῆν βλέποντα. vides ut ad præmissum pudorem sequatur dejectio oculorum. *Dejicere vultum* & *oculos* Græci dicunt, in his Plato 2. Alcib. εἰς γῆν βλέπειν. Alii, ἀτενεῖς ὀφθαλμοὺς. Philostratus lib. 6. Apoll. cap. 6. ὀφθαλμοὺς ἐρείσας. Plutarchus in lib. de vitioso pudore vocat κατήφειαν mœstitiam illam, quæ cogit humum intueri. Optime vero Poëta cum hac dejectione vultum conjunxit, qui index effectuum. Vide Isidorum lib. 11. c. 1. ubi loquitur de vultu. *Cerda.*

Demissa.] Humili, tenui; & verecunde, quia de Pyrrho dictura est. *Serv.*

321. *O felix.*] Bene, nec ad interrogata respondit & virginitatem laudat, & mortem: ut ostendat invitam Pyrrhi pertulisse connubium, & esse superstitem suis miseriis. *Idem.*

O felix.] Ex comparatione ostendit, miserrimam esse felicem, comparatione sui, quæ pudorem amiserit, quando mors in illa exclusit violentiam pudoris: & cum illam solam felicem dicit, non se solam ostendit in causa turpi. *D.*

O felix una ante alias.] Pathos est, ut ait Quintilianus in VI, quo gravem rem interdum efficimus, si magnis malis gravius id esse, quod perpessi sumus, ostenditur. Quam miser enim casus Andromaches, si comparata ei felix Polyxena, hostilem ad tumulum jussa mori. *Pierius.*

O felix, &c.] Quotuplex πάθος sit in hoc versu exponit Macrob. l. 4. Saturn. c. 6. *Emmeness.*

Una ante alias.] Ideo felicior, quia virgo extincta est. Et *alias* hic absolute junxit; ut, *filia ante alias.* Jungitur tamen & comparativo; ut, *Scelere ante alios immanior:* & superlativo: ut, *ipse ante alios pulcherrimus omnes.* Servius.

Priameïa virgo.] Quia notum est nomen, omisit. *Servius.*

Virgo.] Ergo periit salva castitate. *D.*

Priameïa virgo.] Bene nec ad interrogata respondit, & virginitatem laudat & mortem, ut ostendat se invitum pertulisse connubium, & esse superstitem miseriis suis. Discrepat autem hic ab Euripide Maro: cum hic ad bustum Achillis, & in Troade, cæsam Polyxenam

Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis
Jussa mori, quæ sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!

Nos,

nam scribat: ille in Cherroneso ad honorarium ejusdem Achillis tumulum. Philostratus autem eam ultro ad sepulcrum Achillis sponsi sui gladio incubuisse tradat. Notat Turneb. l. 11. c. 19. Quam sive Fabulam sive historiam eleganstissime etiam descripsit Ovid. Met. lib. 13. *Taubm.*

322. *Hostilem ad tumulum.*] Quia grande est mortis solatium, præmissus hostis interitus. Fabula talis est: Achilles dum circa muros Trojæ bellum gereret, Polyxenam visam adamavit, & conditione pacis in matrimonium postulavit. Alii dicunt, quod cum ad redimendum corpus Hectoris ab Achille, etiam ipsa cum patre venisset, adamata est. Quam cum Trojani fraude promisissent, Paris post Tymbræi Apollinis simulacrum latuit, & venientem Achillem ad fœdus, missa vulneravit sagitta. Tunc Achilles moriens petiit, ut, devicta Troja, ad ejus sepulchrum Polyxena immolaretur; quod Pyrrhus implevit. Et alius ordo fabulæ hujus: Cum Græci victores in patriam vellent reverti, è tumulo Achillis vox dicitur audita, querentis, quod sibi soli de præda nihil impartivissent. De qua re consultus Calchas, cecinit Polyxenam, Priami filiam, quam vivus Achilles dilexerat, ejus debere manibus immolari; quæ cum admota tumulo Achillis occidenda esset, manu Pyrrhi æquanimiter mortem dicitur suscepisse: Invenitur enim apud quosdam, quod etiam ipsa Achillem amaverit, & ea nesciente, Achilles fraude & insidiis sit peremptus. *Servius.*

Ad tumulum.] Et non ad cubile: unde nulla voluptas potuit pervenire ad mortuum. *Donatus.*

Trojæ sub mœnibus altis.] Solatium dedit mortuæ, quod licet ad hostilem tumulum, sed in ore patriæ perierit; unde duplex felicitas, quod & virgo, & in patria meruerit interire. *Servius.*

323. *Jussa mori.*] Bene hoc ex præcepto Achillis, quam ad tumulum suum jussit occidi. *Idem.*

Sortitus.] Quia captivi & præda inter victores sorte dividebantur; ut est, *Et prædæ ducere sortem.* Idem.

Quæ sortitus.] Quæ victori, more militiæ, per sortem non cessit. Hoc autem Pathos à majori & minori, præter Quintil. lib. 6. c. 3. expendit Macrob. lib. 4. c. 6. *Taubm.*

324. *Nec victoris heri tetigit captiva cubile.*] Singula habent emphasim suam. Nam parum erat dominum dicere, nisi & victoris adderet fastum. Merito ergo fœlix, quæ sola morte tot pœnas refugit. *Serv.*

Heri.] Ut qui inimicus fuerat, esset dominus. *Donatus.*

Heri.] Ita etiam in re amoris Catullus in Epithal. Juliæ, imo ab eo Virgilius, ut liquidum ex affinitate vocum *heri*, & *cubile*. Ait ille:

O cubile, quod omine
Candido pede lectuli,
Quæ tuo veniunt hero
Quanta gaudia, quæ vaga
Nocte, quæ media die
Gaudeat. Cerda.

Tetigit captiva cubile.] *Tetigit*, non cum fiducia conjugali secure ascendit, sed ut solent captivæ dominorum toros paventes leviter contingere; & *cubile* dixit, non *lectulum genialem*. Servius.

Captiva cubile.] Novissime posuit, qua maxime premebatur, causam. *Donat.*

Cubile.] Non ad honestatem, sed ad ludibrium est invita perducta. *Idem.*

Nec victoris.] Singula habent emphasin suam. Nam parum erat, *dominum* dicere, nisi & *victoris* adderet fastum. *tetigit*; non cum fiducia conjugali secure adscendit; sed ut solent captivæ dominorum toros paventes leviter contingere: & *cubile*, quod pecu-

Nos, patria incensa, diversa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum
Servitio enixæ tulimus. qui deinde secutus
Ledæam Hermionen Lacedæmoniosque Hymenæos,
Me

dum est, dixit; non, lectum genialem. *Taubm.*

325. *Nos patria.*] Conclusa comparationis parte, qua se purgavit, redit ad se & opponit sua his, quæ evenerant Cassandræ. Illa enim incolumem patriam reliquit. *Donatus.*

Diversa per æquora vectæ.] Tanquam parum fuerat patriam incensam. *Serv.*

326. *Stirpis Achilleæ.*] Cum magno dolore dictum *Achilleæ.* Quia ab eo Hector occisus est, & idem bis dixit. *Idem.*

Fastus.] Superbiam: & est quartæ declinationis. Nam liber, qui dierum habet computationem, secundæ declinationis est. Unde erravit Lucanus dicendo, *Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.* Idem.

Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum Servitio enixæ tulimus.] In codicibus aliquot antiquis, *fastum* unitatis numero legitur, sed longe calamitosius videtur numero multitudinis *fastus* dicere. Quod vero ait *Servitio enixæ*, ut missa faciam, quæ Servius tradit: Non. Marcellus hoc loco teste, *enixam* dici, partu levatam ait. Quamvis etiam *enixam*, labore exercitam exponat alibi, eodem hoc loco teste. Idem alibi, *Enixæ* dicuntur fœminæ dolendi labore perfunctæ, quod vinculis quibusdam periculi, quibus implicarentur, fuerint exsolutæ. *Nexum* enim dici artum & colligatum ostendit Plautus in Amphitryone dicens: *Uno labore exsolveret ærumnas duas.* Hæc ad eos dicta volui, qui *Enixæ* participii voce legi contendunt. Sed enim Ti. Donatus *Enixe* ait adverbium esse debere, ut sit, Fastus ejus intolerabiliter servitio tulimus. Ex eo vero quod dixit *tulimus*, ostendit nimium fuisse servitii pondus. *Enixe* ergo, & *Tulimus* hoc idem significant, ait ille in commentariis integris. Neque prætereundum quod hoc loco Sosipater ait, *servitium* esse multitudinem servorum, *servitutem* vero conditionem serviendi, sed veteres indifferenter *servitium* pro *servitute* posuisse. Ut Virgilius III, *Servitio enixæ tulimus.* In eandem sententiam Tibullus, *Sic mihi servitium video dominamque paratam.* Pierius.

Superbum.] Ex victoria. Servitium autem nimis ponderosum fuisse ex eo ostendit, quod dixit *tulimus* & *enixæ.* Donatus.

327. *Servitio enixæ tulimus.*] Hoc est, pertulimus, donec in servitio positæ eniteremur. Fabula autem est, ut prædiximus. Et bene plurali utitur numero, ad excusandum pudorem. *Servius.*

Qui deinde.] Ostendit necessitate Pyrrho, necessitate etiam Heleno fuisse conjunctam. *Donatus.*

Qui deinde secutus.] Narrat, quo pacto e Pyrrhi servitio liberata, Heleno nupserit: item, quomodo ad hunc regni potestas pervenerit. Quæ quidem ita fere describuntur ab Euripide initio Andromaches. *Taubm.*

328. *Ledæam Hermionen.*] Id est, Ledæ neptem, Tyndarei uxoris, quam Juppiter, in Cygnum mutatus, gravidam fecit, quæ ovum peperisse dicitur, unde nati sunt Helena, Castor & Pollux. *Servius.*

Ledæam Hermionen.] Id est, Helenæ ex Menelao filiam, Ledæ neptem. Hanc autem Hermionem, aureæ Veneris speciem referentem, Pyrrhus amare cœperat, post susceptum ex Andromache secum Molossum sive Amphialum. Sed postquam rescivit eam Oresti datam, Lacedæmonem profectus a Menelao Virginis patre sibi desponsatam poscit conjugem. Quam ille ab Oreste abductam,

Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.
Ast illum ereptæ magno inflammatus amore
Conjugis, & scelerum Furiis agitatus Orestes,
Exci-

ctam, Pyrrho tradidit. Hac contumelia Orestes motus, Pyrrhum Neoptolemum Delphis obtruncat, suamque Hermionem repetit. Legatur & Epistola *Hermiones ad Orestem*, apud Ovid. in Heroid. 8. *Taubm.*

Lacedæmoniosque Hymenæos.] Cum ingenti felle: ac si diceret, Infœlices maritis semper: ut Paridi, ut Deiphobo. *Servius.*

329. *Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.*] In Mediceo, & in Porcio, & antiquis fere omnibus exemplaribus dictiones in hunc sunt ordinem collocatæ, *Me famulo famulamque Heleno.* Et eodem legit ordine Ti. Donatus. in non nullis *me famulam famuloque, &c.* Pierius.

Transmisit habendam.] Herili voluntate, non lege conjugii: vel quia inter captivos matrimonio fides non stabat: unde & *habendam* dixit, & *transmisit*: quia alii tradidit, quidam *permisit* accipiunt. *Servius.*

Habendam.] Amantibus solemne verbum. Ovid. l. 10. Met. ℣s. 363.

Qualem optet habere virum.

Petron. *per quod te habere potui.* ubi in notione minus honesta. Sed plura Ecl. 1. ℣s. 31. *Emmeness.*

330. *Ereptæ conjugis.*] Hanc Hermionen quidam dicunt cum Oresti esset desponsata, post à Menelao, apud Trojam admirante virtutem Pyrrhi, eam promissam. Alii dicunt à Menelao quidem apud Ilium Pyrrho desponsatam, sed à Tyndaro Oresti, morante apud Trojam Pyrrho, ut quidam promissam, ut quidam conjunctam tradunt: quam cum Pyrrhus confisus voluntate Menelai, armatus multitudine rapuisset, ab Oreste insidiis interfectus est. Si ergo Orestes eam uxorem non duxerat, cur *conjugis* posuit? Sic ergo intelligendum est, quam sperabat conjugem; ut in secundo, *Et gener auxilium*, cum adhuc sponsus esset. *Servius.*

331. *Scelerum Furiis.*] Matricidii scilicet. Orestes enim Agamemnonis filius, cum interfecto patre à Clytemnestra conjuge & adultero Ægisto ipse subtractus periculo esset, apud Stroficum, patrem Pyladis, educatus est: Qui cum adolevisset cum amico Pylade, tam Ægistum, quam matrem peremit; ob quam causam furiis agitatus est, nec ante furore liberatus, quam pervenisset in Tauricam regionem, ubi soror ejus Iphigenia, subducta à Diana, apud Aulidem sacrificio templo Dianæ præerat, & more gentis, deæ hospites immolabat. Ibi cum ad aras pertractus esset, ut tanquam hospes occideretur, agnitus à sorore, subtractus est morti: post, accepto responso, sublato Dianæ simulacro, sororem reduxit in Atticam; ubi in honorem conservati numinis, Tauropolin appellavit. *Idem.*

Agitatus.] Stimulatus. Cicero in Rosciana, *Agitari & perterreri Furiarum tedis ardentibus.* Idem.

Scelerum Furiis agitatus Orestes.] De Oreste, Furiis agitato, Fab. Hygini 119. 120. insignis locus apud Ciceronem pro Roscio c. 24. ubi Furias scelerum horrorem esse, & animum sibi conscium, docet. De Nerone narrat Suetonius c. 34. *eum exagitatum materna specie verberibus Furiarum ac tedis ardentibus. Tres sunt affectus* (inquit Lactant. l. 6. c. 19.) qui &c. *propterea Poëtæ tres Furias esse dixerunt, quæ mentes hominum exagitant, &c.* De tribus Furiis agit Apollod. l. 1. Biblioth. Parricidium Neronis & Orestis attingit Juvenal. Sat. 8. ℣s. 215. inter altaria Dei insidiis Orestæ interiisse Pyrrhum testatur Justinus lib. 17. cap. 3. pro quo noster ℣s. 332. *patrias obtruncat ad aras.* Emmeness.

Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.

Morte

332. *Excipit.*] Dolo interficit, ut VI. Æneid. *Æmulus exceptum Triton.* Servius.

Patrias aras.] Alii *Achilleas* intelligunt, ubi ille adorabat Apollinem, aut quod ibi Achilles occisus sit, aut, quod historia loquitur, Pyrrhus, occiso patre, in templo Apollinis Tymbræi, reversus ad patriam, in numinis insultationem, in templo ejus Delphico aras patri constituit; & illic ei cœpit sacrificare: neque enim aut Pyrrhus, aut Apollo Delphis oriundi sunt. Alii *patrias* Apollineas volunt à Patris Achajæ civitate, in qua Patrius Apollo colitur. Nec debemus quærere cur non *Delphicas* dixerit, quia epitheta in alieno negotio plerumque alia ponuntur, ut in quarto, *Italiam magnam Grinæus Apollo, Italiam Lyciæ jussere capessere sortes:* cum à Delio eum tantum constet accepisse responsum. Sunt qui dicunt ab Æsculapio aras Apollini statutas, *patrias* nominatas. Alii in templo Apollinis aram fuisse inscriptam, ΠΑΤΡΙΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ: Ab hoc quod Icadios Apollinis, & Nymphæ Lyciæ filius, cum in adultam ætatem venisset, primo regionem, in qua natus erat, à matre Lyciam nominavit; deinde in ea urbem quoque Apollini condidit, sortes & cortinam consecravit, &, ut illum patrem esse testaretur, *Patora* cognominavit. Inde cum Italiam peteret, naufragio vexatus, Delphini tergo exceptus, dicitur, ac prope Parnassum montem delatus, patri Apollini templum constituisse, & à Delphino locum *Delphos* appellasse: aras deinde Apollini, tanquam patri, consecrasse, quas ferunt vulgo *patrias* dictas. Hinc ergo & Delphinum ajunt inter sacrata Apollinis receptum, cujus rei vestigium est, quod hodieque quindecim virorum cortinis Delphinus in summo honore ponitur, & pridie quam sacrificium faciunt, velut symbolum, Delphinus circumfertur, ob hoc scilicet, quia quindecim viri librorum Sibyllinorum sunt antistites. Sibylla autem Apollinis vates & Delphinus Apollini sacer est. Invenitur tamen apud Cornificium Longum, Iapydem & Icadium profectos à Creta in diversas regiones venisse; Iapydem ad Italiam; Icadium vero, duce Delphino, ad montem Parnassum, & à duce *Delphos* cognominasse, & in memoriam gentis, ex qua profectus erat, subjacentes campos *Crisæos* vel *Cretæos* appellasse, aras constituisse. *Idem.*

Patrias obtruncat ad aras.] Eusebius de temporibus. Pyrrhus Delphis in templo Apollinis ab Oreste occiditur proditione sacerdotis Macarei. Cur vero *patrias* dixerit Poeta, Servius multas rationes adducit. At Macr. primo Saturnal. Apollinem πατρῷον olim cognominatum ait, non propria gentis unius aut civitatis religione, sed ut Auctorem progenerandarum omnium rerum: quod sol, humoribus exsiccatis, ad progenerandum omnibus præbuerit causam, de quo Orpheus,

Πατρὸς ἔχοντα νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν.

Placuerit vero Macrobio hæc Philosophice commentari. Sane Athenienses, ut Harpocration tradit, πατρῷον ἀπόλλω coluere auspiciis Ionis, qui quum in Atticam migrasset, Athenienses Iones vocati sunt. Ab eisque *Apollo Patrous* cognominatus. *Pierius.*

Obtruncat.] Hunc autem morem trucidandi plenissime videre est Æneid. 6. vs. 494. *Atque hic Priamiden, &c.* Statius Theb. I.

— abruptis & nunc inhumata procorum
Relliquiis trunca ora rigent.

Quintil. Declam. II. *Laceros video manes, & truncas partibus suis umbras, &c.* Atque eo modo mutilati, *Laceri* dicebantur. Asconius Verr. 2. *Lacer dicitur amputatis à corpore sensuum membris, hoc est, auribus oculisve.* Festus: *Lacerum, quodcunque in corpore imminutum est.* Id autem ideo faciebant illis, quos è medio sustulissent, ne à manibus eorum infe-

Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Trojano à Chaone dixit:
Pergamaque, Iliacamque jugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?
Aut quisnam ignarum nostris deus appulit oris?

Quid

infestarentur. Credebant enim species mortuorum vagari, & homines, maxime inimicos, noctu terrificare. Æn. 4. Dido:

Omnibus umbra locis adero. dabis, improbe, pœnas.

Illud vero *truncare* Græci vocabant *μασχαλίζειν*, & *ἀκρωτηριάζειν*. Vide J. Meurs. Comm. in Cassandram Lycoph. *Taubm.*

343. *Reddita.*] More veteri pro *data* accipiendum, *re* ergo abundat. Ennius in Annalibus, *Ut Ilia reddita nuptum.* Et alibi: *Isque dies post aut Marcus quam regna recepit* Et pro *accepta*, ut *Reddita.* Quod Heleno debebatur imperium. *Servius.*

Cessit pars Heleno.] Per privignum, ut diximus. *Idem.*

334. *Chaonios cognomine campos.*] Epirum campos non habere omnibus notum est, sed constat ibi olim regem nomine *Campum* fuisse, ejusque posteros *Campylid* * dictos & Epirum *Campaniamque* vocatam, sicut Alexarchus historicus Græcus & Aristonicus referunt. Varro filiam *Campi Campaniam* dictam, unde provinciæ nomen; post vero, sicut dictum est, *Chaoniam* ab Heleno appellatam, qui fratrem suum Chaonem, vel ut alii dicunt comitem, dum venaretur, occiderat. Alii filiam Campi Cestriam ab Heleno ductam uxorem, & de nomine soceri *Campos*: de nomine Chaone, *Chaonas* dixisse. *Id.*

Chaonios.] Distinguit Victor. var. lect. l. 22. c. 20. inter *Chones* & *Chaones*, hos Epiri esse dicit incolas, illos Italiæ. de Chaonia terra Justinus l. 17. c. 3. ubi tota hæc historia, quam Maro attingit. *Emmeness.*

335. *Trojano à Chaone.*] Vel fratre Heleni, vel, ut alii volunt, hunc Chaonem, licet superius causa hujus nominis dicta videatur, tamen quidam dicunt hunc Chaonem pro omnium incolumitate, cum pestilentia laborarent socii Heleni, ex responso immolandum se obtulisse, unde in honorem ejus Epirum, quæ *Campania* dicebatur, *Chaoniam* nominavit Helenus, & hoc fuit quando navigaverunt à Troja cum Pyrrho. Alii dicunt, quod cum Pyrrho ab Ilio navigaret & tempestate jactarentur, Dianæ unum è Trojanis amicum Heleni vovisse, ut si illi periculum evasissent, se pro eorum incolumitate interimeret, qui se, postquam illi evaserunt, sicut promisit, occidit: Unde factum est, ut ejus nomine Helenus adeptus regnum, Epirum *Chaoniam* nominaret. *Servius.*

Dixit.] Nominavit, ut, *Fluvium cognomine Tybrim Diximus.* &, *Italiam dixisse ducis de nomine gentem.* Idem.

336. *Pergamaque.*] *Pergama* legendum, non, ut plerique *Pergameam*; qui per imperitiam etiam contra metrum sentiunt. Decipiuntur autem cum utrunque derivativum volunt: cum sit *Pergama* principale. *Idem.*

337. *Qui cursum venti.*] Servat hunc ordinem, ut, à sui persona incipiens, mox quærat alienam; ut, *Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris.* Et hoc totum cum admiratione dictum est. *Qui venti*, id est, tam prosperi. *Idem.*

Quæ fata.] Tam nobis fœlicia. *Idem.*

338. *Quis deus.*] Qui præstitit, ut te videre possemus. Tale est & illud Æneæ ad Didonem adulatorium, *Hinc me*

Quid puer Ascanius? superatne, & vescitur aura?
Quem tibi jam Troja * * * *
Ecqua tamen puero est amissæ cura parentis?

Ecquid

me digressum vestris deus appulit oris. Idem.

Quisnam.] In antiquis aliquot codicibus legere est, *aut quis nam ignarum.* Fuerat vero *te* pronomen forte additum à Paraphraste: Nempe, *quisnam* etiam apud Ti. Donatum habetur. Et ita scriptum est in codice Mediceo. in aliis *quis te.* Pierius.

Ignarum.] Aliud disponentem. *Serv.*

339. *Puer Ascanius.*] Filius, quia Græci παῖδας etiam *filios* dicunt. *Idem.*

Quid puer, Ascanius.] Locus expressus ex Euripid. Electra. P. Victorius lib. 1. cap. 19. *Taubm.*

Superatne.] Vivit. Sane nove dictum est, & caret exemplo, ut pauca in Virgilio. Alii dicunt *Superat*, superstes est: sed *Superstes* præsentem significat: ut Cicero in Muræniana, *Suis utrisque superstitibus*, id est, præsentibus. *Servius.*

Vescitur aura.] In antiquis plerisque codicibus, *auras* accusativo casu legitur: cum elocutione Tibulli, *Sic usque sacras innoxia lauros vescar.* Pierius.

Vescitur aura.] Ita Lucret. lib. 5. *Nam quæcunq; vides vesci vitalibus auris.* Idem *vesci sermone*, i. e. uti. Cicero; *vesci voluptatibus.* Taubm.

Vescitur aura.] *Vesci singulas* habet Phædr. l. 1. fab. ult. ubi consule Schefferum. *Emmeness.*

340. *Quem tibi jam Troja.*] Hemistichium: nec in sensu plenum. Sunt autem duo talia: ut hoc, *Concessere deum:* quem quidam ita complevit, *Concessere deum profugis nova mœnia Teucris.* Servius.

Quem tibi jam Troja.] In antiquis aliquot codicibus versus absolutus legitur, sed candore haudquaquam Virgiliano. In nonnullis enim *Troja obsessa est enixa Creusa.* In aliquot aliis, *Quem tibi jam Troja peperit fumante Creusa.* Utrunque ridiculum. Sed plurimum supplementum illud aliena manu additum est, ut cernere est in Mediceo codice, & aliquot aliis. *Pierius.*

341. *Amissæ cura parentis.*] Si parentis Creusæ accipis, occurrit illud: Unde sciebat eam periisse? Et alii dicunt potuisse hoc vel Heleno divinante cognosci; vel Ænea requirente per Trojam: ut, *Implevi clamore vias.* Sed utrunque viribus caret. *Parentem* ergo patriam accipiamus: ut Tullius, *Si tibi patria, quæ communis omnium parens est.* Et est sensus, Doletne perditam patriam? *Servius.*

Ecqua tamen puero est amissæ cura parentis.] Codices nonnulli veteres legunt, *& quæ.* In nonnullis etiam pervetustis scriptum observavi, *ecqua tamen puero est am. c. p.* Et ita est etiam in codice Donatiano. In Mediceo, *quæ tamen & puero est.* Apud Fl. Sosipatrum non solum *ecqua tamen*, sed & *amissi* virili genere, non *amissæ* positum à Virgilio citatur. Propterea quod *heres*, *parens*, & *homo*, etsi in communi sexu intelliguntur, tamen masculino genere semper dicuntur. Nemo enim inquit ille: aut *secundam heredem*, dicit, aut *bonam parentem*, aut *malam hominem*, sed masculine, tametsi de fœmina sermo habeatur: Pacuvius in Medo cum ostenderet à Medeo, Medeæ filio, matrem quæri, ait: *Te sol invoco, ut mihi potestatem duis inquirendi mei parentis.* Sed *Gracchus suos parentes amat*, cum dicit, in significatione Matris accipitur. Citat & alia exempla: denique apud Virgilium sic asseverat legi, *ecqua tamen puero est amissi cura parentis.* Sed codices nonnulli, librarii nimirum incuria, *Puero amissæ est.* una lectione transposita legunt. Sed utcunque ea sint, nemo tamen inficiari potest apud eundem Virgilium legi, *alma parens confessa deam.* Et *salve sancta parens.* Nisi quis dicere velit his locis *parens* nunc participii quodammodo vicem habere, nunc

per

Ecquid in antiquam virtutem animosque virilis
Et pater Æneas & avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lacrimans, longosque ciebat
Incassum fletus: cum sese à mœnibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus adfert,
Agnoscitque suos, lætusque ad limina ducit,
Et multum lacrimas verba inter singula fundit.

Pro-

per appositionem dici, ut *Sancta tellus parens frugum*, vel figurate, ut *Lepus fœta.* De nomine autem *heres*, nemo, quod sciam, ambigit. Sed *hominem* quandoque fœminino epitheto positum a junt. Ut apud Servium Sulpitium in epistola ad M. Tullium: *Quoniam homo nata fuerat.* Sed enim hoc elocutionis modo, quum *nata* suppositum sit, & *homo* appositum, nihil cum genere commune habere videntur. *Nata* enim ad *filiam*, non ad *homo* refertur. Sed enim hæc alii viderint: nos ad institutum opus revertamur. *Pierius.*

Parentis.] Retuli ad Creüsam, non ad patriam. Hoc idem efficit Germanus ex imitatione Euripidis, percontante Hecuba Polymnestorem, num filius Polydorus meminisset sui:

Εἰ τῆς τεκούσης τῆσδε μέμνηταί τί μου ;

Ex eodemque in Electra, *ἦ καί τι πατρὸς, σῶντε μέμνηται κακῶν*, idem sentit P. Victor. lib. 2. Var. cap. 9. *Cerda.*

34.. *Animosque virilis.*] Atqui supra dixerat, *puer*: sed *animos viriles* ait parentum consideratione. Inde & in nono de ipso, *Ante annos animumque gerens curamque virilem.* Servius.

343. *Avunculus.*] Quidam *avunculus* humiliter in heroico carmine dictum accipiunt. *Idem.*

344. *Talia fundebat.*] Ad vestigia Ennii:

Talia commemorat lacrimans exterrita somno.

Habetur in Tullio 1. Divinat. *Cerda.*

345. *Incassum fletus.*] Et *longos*, & *incassum* bene addidit, ut fœmineos monstraret adfectus. *Servius.*

Incassum.] Quoties hoc Seneca epist. 22. *Lacrimæ nihil profuturæ cadunt.* Cerda.

346. *Priamides multis Helenus comitantibus adfert.*] In codic. aliquot antiquis legere est, *Priamides Hel. mult. comit. adfert.* Simplicior quidem hic sermo, & narranti aliquid accommodatior. Ille autem prout ut in vulgatis habetur exemplaribus, & comptior & aliquanto lascivior pluribus magis placet. Superius tamen eadem usus est simplicitate Virgilius, quum dixit, *Priamidem Helenum Grajas regnare per urbis.* Qui si altius insonare voluisset, *Priamidem Grajas Helenum regnare per urbis*, dubio procul scriptum reliquisset. Sed qui stilum narrationis pressiorem, purioremque expeti non ignoraret, *Priamidem Helenum* absque fucco dicere maluit. *Pierius.*

Adfert.] Fortasse ex Plauto, qui Amphit. Scen. Concedite: *ejus jussu nunc huc me affero.* Jussu Jovis. *Cerda.*

348. *Et multum lacrimas.*] Ordo est, Lachrymas multum fundit inter verba singula. Nam si *lacrimans* dixeris, quid fundit? Et bene verba Heleno post Andromacham non dedit, ne frigeret; sicut in libro quinto, Acestæ. *Servius.*

Et multum lacrimas.] In Mediceo & codicibus aliquot antiquis, participii voce *lacrumans* legitur. Quæ lectio Servio non satisfacit, qui malit nomen, quam participium. Sunt tamen erudita ingenia, quibus minime displicet ejusmodi elocutio. Interfundit verba singula multum lacrimans. Illud vero minime placet, quod in veteribus plerisque codicibus, *fudit* legitur tempore præterito. *Pierius.*

349. Par-

Procedo, & parvam Trojam, simulataque magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco, Scææque amplector limina portæ.

Nec

349. *Parvam Trojam, simulataque magnis Pergama.*] Multi putant Æneam de ea venisse ad Epirum & ibi hæc loca per licentiam poëticam esse conficta: Varro Epiri se fuisse dicit, & omnia loca hisdem dici nominibus, quæ poëta commemorat se vidisse, unde apparet hæc non esse fabulosa. Idem etiam Varro *Trojam Epiri* ab Ænea, sive à comitibus ejus *Byspator* nuncupatam docet, ubi Trojana classis Æneam expectasse sociosque ejus castra in tumulis habuisse memoratur, quæ ex illo tempore *Trojana* appellantur, unde apparet divinum Poëtam, aliud agentem, verum semper attingere. *Servius.*

Parvam Trojam.] In omnibus istis versibus, ne minuat magnitudinem Trojæ patriæ, ostendit hanc non tantam esse, sed similem. nam dixit *parvam Trojam*, & *simulata Pergama, arentemque rivum Xanthi.* Donatus.

Simulataque Pergama.] Pro eo Ovid. l. 13. Metam. ℣s. 72.

—— Epiros ab his, regnataque vati
Buthrotos Phrygio, simulataque Troja tenentur. inde ℣s. 497.
Effigiem Xanthi, Trojamque videtis.

Vide ad Maronis locum Turneb. l. 15. c. 4. *Emmenesf.*

350. *Arentem.*] Pro *aridum.* Participium vice nominis. *Servius.*

Arentem Xanthi cognomine rivum.] Xanthum Scamandrumque eundem esse multi tradunt, interque hos Aristoteles lib. 3. Hist. Animal. cap. 12. δοκεῖ δὲ καὶ ὁ Σκάμανδρος ποταμὸς ξανθὰ πρόβατα ποιεῖν. διὸ καὶ τὸν Ὅμηρόν φασιν ἀντὶ Σκαμάνδρου Ξάνθον προσαγορεύειν αὐτόν: *Scamander fluvius dicitur reddere oves flavas, inde est ut Homerus credatur illum fluvium pro Scamandro nominasse Xanthum.* Hoc de rufis ovibus Xanthi Vitruvius quoque scripsit lib 8. c. 3. Hinc allucet, cur Poëta *Xanthum cognominet*, quia nomen Scamander, Xanthus à successu ovium cognomen. Quare autem Poëta fluvium hunc *arentem* dixerit, explicat Germ. non quod arens & parvus fuerit, respectu ejus Xanthi, qui in Troja, quasi magnus Trojanus fuerit: sed quia vere Xanthus Trojanus parvus quoque fluvius fuerit, & delectationi magis, & aquationi accommodatus, quam navigationi. Quod firmat & illo Virg. in 1. *Xanthumque bibissent.* & Horat. in Epod. Od. 13.

Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina.

Et Lucan. qui tale quiddam lib. 9.

Inscius in sicco serpentem pulvere rivum
Transierat, qui Xanthus erat. Cerda.

Xanthi.] Scamandrum etiam appellari testatur Scholiast. Homeri ℣s. 465. l. 6. Iliad. ubi & unde fluat & quo, idem docet accurate. *Fama majus, quam natura est*, ut Mela l. 1. c. 18. qui tamen Xanthum ponit in Lycia, & alium à Scamandro videtur facere amnem l. 1. c. 15. *Emmenesf.*

351. *Agnosco.*] Aut cognomine agnosco, nam ea cognoscimus quæ jampridem vidimus: aut certe quia reparatam audierat Trojam. ut, *Hic incredibilis rerum fama occupat aures.* Servius.

Scææque amplector limina portæ.] Scæa porta dicta est, non à pugnis ante se factis scævis, id est, malis; (Nam & ante sic dicta est) nec ab itinere ingressis scævo, id est, sinistro, quod ingressi non recto eunt itinere, sed sinistro. Sed à cadavere Laomedontis, hoc est, Scenomate, quod in ejus fuerat superliminio. Tamen hanc portam ex nece Achillis *Scæam* appellatam volunt. *Id.*

Amplector.] Pro *teneo.* Quasi ad Trojam venisset: ut, *Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.* Idem.

Scææque amplector limina portæ.] Et postes domorum & portarum limina amplecti solebant, qui profugi exulatum

tum

Nec non & Teucri socia simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulai in medio libabant pocula Bacchi,
Inpositis auro dapibus; paterasque tenebant.
Jamque dies, alterque dies processit; & auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus austro.

His

tum ibant, aut peregrinatum diu abfuturi domo. iidem etiam reduces osculari & amplecti ea solebant. Flaccus lib. 1. Argon.

— *patriæque amplecti limina portæ.* Quod & faciebant in patriæ imagine & assimulatione; & in coloniis: Turneb. lib. 22. c. 28. Nominat autem *Scæam* portam κατ᾽ ἐξοχὴν: quod in ea fuerit sepulcrum Laomedontis, unum ex Trojanorum fatis. Eo enim integro, Troja capi non poterat. Vide Notas ad ℣. 13. Æn. 2. & Plautum Bacchid. act. 4. Sc. 9. *Taubmannus.*

352. *Teucri.*] Pro *Teucriadæ.* Serv.

Nec non & Teucri.] Æneam, Anchisen & Ascanium duxit in suam domum: Reliquos hospitia per civitatem acceperunt. *Donatus.*

353. *Accipiebat.*] Pascebat. ut Terentius, *Accipit homo melius nemo neque prolixius.* Servius.

Accipiebat.] Pascebat. aliter enim non *in amplis porticibus*, sed *in amplas porticus* dicendum fuerat. *Donatus.*

Accipiebat.] Id est, pascebat, invitabat: ut intelligas de convivio. Si enim de introductione Trojanorum capias, dicendum erat, in amplas *porticus*, non *porticibus*. Quippe *Accipere* hic est, ἑστιᾶν γαμικῶς, invitare facillime atque ampliter. ut apud Terent. Eun. act. 5. sc. 9. *Accipit homo nemo melius prorsum, neque prolixius*, id est, liberalius ac benignius. Et τὸ *melius* quidem apparatum indicat; *prolixius*, copiam. *Taubm.*

In amplis.] Quod est regiæ magnitudinis. *Servius.*

354. *Aulai.*] Pro *aulæ*, & est Diæresis de Græca ratione veniens: quorum *ai* diphthongus resoluta, apud nos duas syllabas facit: *Aula* autem proprie dicitur, quæ concluditur *porticibus* quatuor, unde superius *porticibus* dixit. *Idem.*

Aulai in medio.] In veteribus aliquot, *aulai medio* absque *in* præpositione legitur: quod non ita placet. Quantum vero pertinet ad diæresim, Quintilianus libro Institutionum primo, *æ* syllaba ait, cujus secundam nunc *e* litteram ponimus, varie per *a* & *i* efferebatur. Quidam semper ut Græci, quidam singulariter tantum, quum in Dativum vel Genitivum casum incidissent. Unde *Pictai vestis*: & *aulai* Virgilius amantissimus vetustatis, inseruit carminibus. Eorum vero scribendi morem, qui, ut Quintilianus ait, Græcos sequebantur, Ti. Claudius Drusi F. præcipue adamavit, cujus inscriptio quædam, de auctis populi Romani finibus, Pomerioque ampliato Romæ inspicitur ad cloacam D. Luciæ in hunc modum: TI. CLAVDIVS DRVSI. F. CAISAR AVG. Nam de digammo, quo etiam usus est eodem monumento in dictionibus AMPLIAℲIT, TERMINAℲITQVE, alibi diximus. *Pier.*

355. *Inpositis auro dapibus.*] Id est, cum impositas auro dapes haberet. *Servius.*

356. *Jamque dies.*] Argumentum benignitatis, cum non unius, sed plurium dierum sit hospitium. *Donatus.*

Processit.] Exactus est. *Servius.*

Auræ vela vocant.] Hypallage est pro *auras vocant.* Idem.

357. *Carbasus.*] Utrum aliorum qui navigabant, an ipsorum, & utrum *tumide*, an *tumidus auster*; ut *pallidus orcus*? *Carbasus*

His vatem aggredior dictis, ac talia quæso:
Trojugena interpres divûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis,

Et

basus autem genus lini est, quod abusive plerunque pro *velo* ponitur. Sane in numero singulari *hæc carbasus* dicimus: in plurali *hæc carbasa*. Serv.

358. *His.*] Mediceus & alii quidam codices vetusti, *His vatem aggredior dictis* legunt, sed *hic* non displicet. *Pierius.*

359. *Trojugena.*] Ac si diceret, generose: ut alibi, *Dardanidæ magni genus alto à sanguine divûm.* Sciendum tamen, sicut veteres auctores adfirmant, peritissimos auguriorum & Æneam, & plurimos fuisse Trojanos. Nonnulli tamen dicunt à Marsya rege missos à Phrygia, regnante Fauno, qui disciplinam auguriorum Italis ostenderent. Ergo *Trojugena* sine dubio auguriorum & divinationis peritus est *. *Servius.*

Trojugena.] Plurimum dat ei generi, ex quo fuit etiam ipse, qui laudabat. *Donatus.*

Trojugena.] Lucret. lib. 1.
—— *belloque subactas*
Trojugenas gentes.
Ibid. *equus Grajugenarum.* Ad quod Gifanius notat: *Grajugenæ*, id est, Graji, sive Græci: quasi à Græcis geniti: ut *ventigeni crateres.* Sic & *Pœnigena* dixisse Virgil. lib. 7. vult Servius. Est autem Adjectivum & Substantivum; ut *nuntius.* Pacuvius, apud Ciceronem 2. De Nat. deor. *Grajugena de isto aperit ipsa oratio.* dicit, *Grajugena*, pro *Grajigena*: *Trojugena*, pro, *Trojigena*, ut *primigenus*, *ventigenus*; antiqua consuetudine mutandi *i* in *u.* ut, *dissupare*, *optumus*, &c. Taubm.

Interpres.] Vaticinator: Qui mentem deorum mortalibus publicas. Sed quia *interpres* generale nomen est, currit per species. Nam, ut ait Cicero, *Omnis divinandi peritia in duas partes dividitur.* Nam aut furor est, ut in vaticinantibus: aut ars, ut in aruspicibus, fulguritis, sive fulguratoribus, auguribus. Et omnia ista ex se pendent, licet propriis finibus contineantur: unde Virgilius omnia ei dat, quem vult perfectum intelligi: ut hoc loco Heleno. Item alibi, Asilæ in decimo, *Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent, Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes.* Varro autem quatuor genera divinationum dicit, terram, aërem, aquam, ignem, geomantis, aëromantis, pyromantis, hydromantis. Virgilius tria genera complexus est, per lauros geomantis; per sidera pyromantis; per præpetes aëromantis. *Servius.*

Interpres.] Quid felicius quam nosse quid velint dii, & dignum esse, per quem loquatur in hominibus? *Donatus.*

Divûm qui numina.] Potest & *interpres divûm* distingui. Sane per omnia Zeugma est ab inferioribus *Sentis.* Serv.

Qui numina Phœbi.] Qui suspicis numen, & futura prædicis. *Idem.*

Qui numina Phœbi.] Helenum in divinandi peritia perfectum vult intelligi Poëta. licet ipsum Cicero auguriis tantum divinasse dicat; ut Cassandram mentis incitatione & furore: quod notat Turneb. l. 5. c. 22. Talem facit & *Asylam*, 10. Æn. ỳs. 175.
Tertius ille hominum divûmque interpres Asylas,
Cui pecudum fibræ, cæli cui sidera parent;
Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes.
Taubmannus.

360. *Qui tripodas sentis.*] *Tripodes* mensæ fuerunt in templo Delphici Apollinis, quibus superpositæ Phœbades vaticinabantur. Vel quod in eodem templo tripos est, cum ossibus & dentibus Pythii serpentis. *Servius.*

Tripodas.] Trium pedum sunt. Alio nomine *cortina* appellatur. est autem laus plena: nam cum sint diversa

vatum

Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ:
Fare age (namque omnem cursum mihi prospera dixit
Relli-

vatum genera, & vix singula vaticinationis, in singulis reperiantur, ipse erat in omnibus versatus. est color rhetoricus, repetitio. *Donatus.*

Qui tripodas, Clarii lauros.] Sosipater Caris. ait quosdam *laurus* hoc loco agnoscere quarto declinatu: quod omnia arborum genera quartæ declinationis esse censerent: adversus quos disputat, & Virgiliano præsertim exemplo eo, *Et vos ô lauri carpam, & te proxuma myrte*, rationem suam confirmat: licet illi auctoritate mutari in vocativo dicant. Præterea in Mediceo codice una plus dictione *Clarii & lauros* legitur. Erat tamen *Clarl* prius, eo modo, quo Veteres passim *ii.* geminum per unum oblongum scriptitare consuerant, etiam si duo enuntiarent, ut exempla indicant alibi recitata. *Pierius.*

Clarii lauros.] Et hic *qui sentis* subaudis, & Clarium oppidum est in finibus Colophoniorum, ubi Apollo colitur: unde *Apollo Clarius.* Sane quæritur, utrum *Clarii* geminata sit *i*: & sciendum aliter non procedere. Nam *Cla* brevis est: ut Statius, *Nec Clarias hac luce fores Didymæaque quisquam.* Per *lauros* autem, oraculum intelligimus. *Servius.*

Lauros.] Id est, Oracula. Vates enim δαφνηφάγοι, & laurivori. Tibullus lib. 2. el. 5.

Vera cano. sic usque sacras innoxia laures
Vescar.

Eandem & Apollini sacram esse: eandem & divinationis esse symbolum: Lauri item foliis somniorum veritatem conciliari; & alia, docet Cælius Rhod. lib. 5. c. 7. Vide & Plinium lib. 15. c. 30. *Taubm.*

Qui sidera sentis.] Qui es peritus Astrologiæ. *Servius.*

Sentis.] Signat hoc verbum primos illos vaticinantium impetus, quibus jam illi adesse Deum sentiunt afflatu propinqui numinis. Pari verbo Propertius eleg. 1. lib. 4.

Aut si quis motas cornicis senserit alas.

Ovid. 3. Fast.

Quis tunc aut Hyadas, aut Pleiadas Atlanteas
Senserat.

Ante omnes in re etiam divina Cato apud Festum: *Domi cum auspicamus, honorem me Deûm velim habuisse, servi, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit.* Cerda.

361. *Et volucrum linguas.*] Qui es augur oscinum. *Servius.*

Et præpetis omina pennæ.] Præpetes sunt, quæ secundo auspicio ante eum volant, qui auspicatur: *Aves* autem, aut *oscines*, quæ volatu augurium significant, cum sunt prospera. sed *præpetes* aut superiora tenent, & *præpetes* vocantur: aut inferiora, & dicuntur *inferæ*: *præpetes* autem ideo, quia omnes aves priora petunt volantes. *Idem.*

Præpetis omina pennæ.] Qui ex volatu avium potes augurium captare. Vide Agell. lib. 6. cap. 6. & P. Crinitum lib. 21. c. 15. & Interpretes ad illud Horatii 3. Od. 27.

Oscinem corvum prece suscitabo.

Pennam autem pro *ave* noster hic posuit: uti Propert. lib. 3.

Tuque ô cara mihi felicibus edita pennis,

id est, bonis avibus. *Taubm.*

362. *Fare age.*] Hortantis est *Age*, id est, dic celeriter. Et est ordo, *Trojugena fare age quæ prima pericula vito, Quidve sequens tantos possim superare labores.* Cætera per parenthesim dicta sunt. *Servius.*

Fare age.] Non jubet, sed hortatur. *Prodigia* autem dicuntur, quibus nunciantur adversa. Poscit inde remedium, quo adversa tolleret, aut possit fugere. *Donatus.*

Namque omnem cursum.] Hypallage nam non omnem cursum prospera dixit religio: sed omnis religio dixit prosperum

Relligio, & cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere, & terras tentare repostas:
Sola novum dictuque nefas Harpyia Celæno
Prodigium canit, & tristis denuntiat iras,
Obscænamque famem) quæ prima pericula vito?

Quidve

sperum cursum. *Servius.*

Omnem cursum.] In veteribus aliquot exemplaribus legere est, *namque omnis cursum mihi prospera dixit religio.* Sequitur enim, & *cuncti Divi*, ubi nulla opus erit Hypallage: Eandem hanc lectionem reperi in Donatiano contextu. *Pierius.*

363. *Relligio.*] Sæpe idem, quod *deus.* Phædr. l. 4. Fab. 10. *repente vocem Sancta misit religio.* ubi plura Sceffeus. *Emmeness.*

Cuncti divi.] Quia quicquid audivit à diversis, ad Jovem recurrit: ut diximus supra; ut, *Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo prædixit:* *Numine* autem, oraculo significat. *Servius.*

364. *Repostas.*] Πάθος, pro *repositas*, id est, longe positas, remotas. *Idem.*

365. *Novum.*] Magnum, more suo. *Idem.*

366. *Prodigium canit.*] *Prodigium, portentum* & *monstrum*, modico fine discernuntur: sed confuse pro se plerunque ponuntur. Varro sane hæc ita definit; *ostentum*, quod aliquid hominibus ostendit: *Portentum*, quod aliquid futurum portendit; *prodigium*, quod porro dirigit; *miraculum*, quod mirum est; *monstrum*, quod monet. *Idem.*

Prodigium.] Prodigium semper dictu pessimum esse, quasi *porro adigendum*, hoc loco teste, Nonius affirmat, quum *Monstra* & *Portenta* similiter intelligantur, quod imminentia *monstrent*, & *ostendant*. *Portentum* vero non solum quod *portendat*, sed quod etiam apportet: & faciat in iis, quæ significationibus, auspiciis, auguriis, & extispiciis ostenduntur. Sed enim Cornelius Fronto *Prodigium* esse dicit, quod mores faciunt, per quod detrimentum expectatur, prodigosque vocari, qui prodigia faciunt. Quod Virgilianæ sententiæ pulcherrime quadrat. Celeno enim rem præter mores minabatur, ut scilicet sacrum libum malis audacibus mandere adgrederentur, quod unum maxime reformidabat Æneæ pietas. Sunt & prodigiosa crimina etiam memoratu religiosa, de quibus apud auctores sæpe. *Monstrum* vero esse, Cornelius idem ait, in quo rectus ordo naturæ vitiatur: ut si Minotaurus, aut aliquid hujusmodi nascatur. *Ostentum*, quod præter consuetudinem offertur, ut puta si videatur terra ardere, vel cælum, vel mare, in quo raritas admirationem facit. *Portentum* vero quod porro & diutius maneat, futurumque porro aliquid significet: ejusque esse eventum differri. Has autem vocabulorum differentias, & proprietates interim adnotare non gravamur: quum præsertim apud Auctores diversa est eorum interpretatio, unde aliqua suboriatur controversia, in quo lucubrationis genere docta & elegantia ingenia sese exercere sæpe consueverunt. *Pierius.*

Tristis iras.] Deorum scilicet, propter injurias suas. *Servius.*

367. *Obscænamque famem.*] Aut quæ homines etiam ad obscœna compellit: ut, *Male suada fames.* Aut certe quam obscœna avis prædixerat. *Idem.*

Quæ prima pericula vito? Quidve sequens tantos possim superare labores.] Quid observans. Duo petit, quemadmodum aut periculis careat: aut quibus consiliis par esse laboribus possit: Et totum hoc per interrogationem legendum est. *Idem.*

368. *Tan-*

Quidve sequens tantos possim superare labores?
Hic Helenus, cæsis primum de more juvencis,
Exorat pacem divûm, vittasque resolvit
Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phœbe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit:

Atque

368. *Tantos.*] Quantos Harpyja prædixerat. *Serv.*

369. *De more.*] Sacrificantum. *Idem.*

Cæsis primum de more juvencis.] Ita etiam 6. Æn. antequam edatur oraculum, admonetur Æneas,

Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.

Cerda.

370. *Exorat pacem divûm.*] Aut de sacrificantum more requirit utrum tempus consulendi esset. (Nam & hoc vehementer quæritur: ut in sexto, *Cum virgo poscere fata Tempus ait*) Aut, quod melius est, de sacrificantum more, ante nefas expiat ab Harpyja prædictum: & sic venit ad vaticinationem. Ut autem hic expiatam famem intelligamus, sequens efficit locus: ut, *Aderitne vocatus Apollo:* cum constat, nisi in hoc intellexeris loco, famis causa nusquam invocatum esse Apollinis numen. Dubitationem autem in hoc loco, *exorat*, facit. nam *orare*, est petere; *exorare*, impetrare. Ergo impetrat pacem, aut ad inquirendum tempus, aut ad mitigandum famis periculum. *Servius.*

Vittasque resolvit.] In ratione sacrorum par est & animæ & corporis causa. Nam plerunque quæ non possunt circa animam fieri, fiunt circa corpus: ut solvere, vel ligare quo possit anima, quod per se non potest ex cognatione sentire. inde est, *Unum exuta pedem vinclis in veste recincta.* Bene ergo Helenus cuncta corporis solvit: ne qua parte animo religato ad numen accedat. *Idem.*

Vittasque resolvit.] Post cæsos juvencos, & impetratam pacem, inducitur habitus sacerdotis locuturi oracula. vittarum usus apud veteres sollemnis his, qui curarent sacra. De Ilia Vestali lib. 3. Amor. eleg. 6. Ovid.

Quo cultus abiere tui? quid sola vagaris?
Vitta nec evinctas impedit alba comas?

& de eadem 3. Fast.

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

Hinc sacerdos Lucano lib. 1. *vittata* dicitur,

Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos.

Cerda.

371. *Sacrati capitis.*] Diis & vaticinationibus dicati. *Servius.*

Limina.] Proprie cape. de quo explicatius libro 6. ad illud,

—— *tua limina adirem.*

Cerda.

372. *Manu.*] Quod est aptum signum benevolentiæ. *Donatus.*

Multo numine.] Multa veneratione numinis. *Servius.*

Suspensum.] Si *Suspensus*, ipse numinis plenus. Si *Suspensum me*, sollicitum & attentum. *Idem.*

Suspensum.] Aut numinis veneratione turbatum: aut inde *suspensum*, ne magis contraria, quam optaret, audiret. *Donatus.*

Ducit.] In antiquis codicibus, *duxit* præterito tempore scriptum observavi. Sed ipsa narrantis continuatio præsens potius tempus exigere videtur. *Pierius.*

Ipse manu ducit.] Χειραγωγεῖ. Id quod apertum in Heleno benevolentiæ; in Ænea animi religiosi indicium erat. *Suspensum* autem, id est, sollicitum & attentum de futuris: sive etiam religione Numinis & loci veneratione motum. *Taubm.*

Atque hæc deinde canit divino ex ore ſacerdos:
Nate dea, (nam te majoribus ire per altum
Auſpiciis manifeſta fides: ſic fata deûm rex
Sortitur, volvitque vices: is vertitur ordo)
Pauca tibi è multis, quo tutior hoſpita luſtres
Æquora, & Auſonio poſſis conſidere portu,
Expediam dictis. prohibent nam cetera Parcæ

Scire

373. *Deinde canit.*] Poſt peracta ſolennia. *Servius.*

Divino.] Quia divina canit. *Donatus.*

374. *Nate dea.*] Ordo eſt, *Nate dea pauca tibi expediam dictis: prohibent nam cætera Parcæ Scire Helenum, farique vetat Saturnia Juno.* Omnia, inquit, vates novit: ſed non omnia permittitur dicere, fatis prohibentibus: etiam ex his, quæ novit, multa vetat dicere Juno Saturnia. *Servius.*

Nam.] Cum ſit conjunctio rationalis, non debet prima conſtitui, ergo lege: *Nate dea majoribus te ire per altum Auſpiciis manifeſta fides, &c. nam ſic fata deûm rex Sortitur, &c.* Donatus.

Majoribus.] Cœleſtibus, propter ſideris curſum: cujus fuit explanatio per Creuſam. Ergo majora ſunt, quibus præter tripudium auſpicari jus ſit, neque precatio adhibetur; ſicut hoc loco nullum deum precatur Æneas, ut his verſibus, *Nam te majoribus ire per altum Auſpiciis manifeſta fides. Auſpiciis,* quia auſpicia majora, aut majoribus dicuntur, quibus augurium avium aliarumque rerum eripitur, ut puta ſi parra vel picus auſpicium, & deinde contrarium aquila dederit, auſpicium aquilæ prævalet. Ergo quia notum eſt eſſe apud augures auſpiciorum gradus plures, & augur loquitur auguriorum perita, ideo *majoribus auſpiciis* dixit. *Auſpicium* autem eſt volatus avium, qui indicat agendum, vel omittendum eſſe, quod quis cœperit; dictum ab ave inſpicienda, quaſi *aviſpicium.* Servius.

Altum.] Per limitem fortunæ ſuperioris. *Idem.*

376. *Sortitur.*] Diſponit, ordinat; id eſt, ſorte decernit, vel ſortitione diſtribuit. Bene adluſit quaſi Apollinis ſacerdos: cujus propriæ ſunt ſortes, id eſt, reſponſa divina. *Idem.*

Volvitque vices.] Definitio fati, ſecundum Tullium, qui ait, *Fatum eſt connexio rerum per æternitatem, ſe invicem tenens, quæ ſuo ordine & lege ſic variantur; ita tamen ut ipſa varietas habeat æternitatem.* Et hic *vices*, viciſſitudines, alibi pericula: ut, *Vitaviſſe vices Danaum.* Idem.

377. *Pauca tibi è multis.*] Duo dicit eſſe dicturum, quemadmodum poſſit tuto navigare: & quibus ſignis Italiæ regna cognoſcat. *Idem.*

Pauca.] Multa inſtructionis cauſa fuerant referenda, ſed ne id fiat, dii prohibent me ſcire, & Juno aliqua referre non patitur: tamen dicam, quæ poſſunt eſſe in earum poteſtate. deinde narrat, quod quamvis Italia proxima ſit, tamen longo circuitu ambienda eſt Sicilia. *Donatus.*

Hoſpita æquora.] Vicina, nihil enim nobis hoſpitio eſſe vicinius conſtat. *Servius.*

378. *Auſonio portu.*] Ut in Auſonia, quaſi in portu & in litore conquieſcat. *Idem.*

379. *Prohibent nam cetera ſcire.*] Hoc diſtinguendum. Et eſt ſenſus, *Cetera te ſcire non ſinunt fata.* Helenum vero Juno prohibet dicere etiam quæ audire poteras. & vacat *que*, ut ſolet frequenter. Male autem ſentiunt, qui diſtinguunt, *ſcire Helenum:* cum legerimus in Lucano, *Venit ætas omnis in unam Congeriem: miſerumque premunt*

Scire Helenum, farique vetat Saturnia Juno.
Principio Italiam, quam tu jam rere propinquam,
Vicinosque ignare paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante & Trinacria lentandus remus in unda,

Et

munt tot secula pectus. Item alibi, *Nec tantum prodere vati, Quantum scire licet.* Et adeo repletus numine novit omnia sacerdos, ut refrenetur ad certa dicenda. nam dicendo, *Helenum farique vetat Saturnia Juno*; ostendit præmissum ad Æneam pertinere, aliter suum non interponeret nomen. Prohibet autem scire mortem patris ad augendum inopinatum dolorem, tempestatem ab Æolo immissam: amorem Didonis, in quo & gaudium quidem est: quod improvisum, vile creditur. Et si sciret Æneas, se de Africa exiturum, non facile Didonis consentiret amoribus. Novimus autem hoc Junonem agere, ut, si possit fieri, regnum Italiæ Libycas averteret oras. Inopinatum vero dolorem etiam Æneas conqueritur; ut, *Nec vates Helenus cum multa horrenda moneret, Hos mihi prædixit luctus.* Servius.

Prohibent nam cetera Parcæ Scire Helenum farique vetat Saturnia Juno.] In antiquis fere omnibus codicibus invenias punctum firmum adnotatum esse post *scire.* ut sit, *Prohibent nam cetera Parcæ scire.* mox altera coma totum illud complectatur, *Helenum farique vetat Saturnia Juno.* Quam lectionem Servius etiam agnoscit: & ita distinguendum esse, multis rationibus ostendit. Sed enim Ti. Donatus *scire Helenum* legit. Multa, inquit, tibi instructionis causa fuerant referenda, sed ne id fiat, dii prohibent me scire, & Juno aliqua referre non patitur. *Pierius.*

Prohibent nam cetera Parcæ scire, &c.] Ad hunc locum consule Macrobium in somn. Scip. l. 1. c. 7. fere eadem Lucanus l. 5. in Phœbade: *cetera suppressit faucesque obstruxit Apollo.* Emm.

382. *Ignare.*] Pro *ignarus*, casus pro casu: dicit autem ignarum fati. Persius, *Censoremve tuum vel quod Trabeate salutas.* Servius.

383. *Longa procul.*] Non situ, quam pene videt, sed necessitate fatali. Significat autem difficilem circuitum. *Idem.*

Via invia.] Æneæ scilicet. *Idem.*

384. *Trinacria.*] Quæ Latine *Triquetra* dicitur, quam multi *Trinaciam* dicunt. Sub hac differentia, ut quotienscunque *Sicilia* significatur, *Trinacria* totum per *r* dicatur; quotiens *Sicula*, per unam *r*; ut, *Trinacia cernitur Ætna.* Idem.

Lentandus.] Aut lente tibi navigandum: nam totam Siciliam circumiit: aut *lentandus tibi remus est*, id est, flectendus: unde *lentum vimen* dicimus, *flexibile.* Et quidam *lentandus* nove verbum fictum putant; sed in Annalibus legitur, *Confricati, oleo lentati, paratique ad arma*, à verbo *lentor.* Idem.

Lentandus remus.] Incurvandus, flectendus vi magna, ut remiges solent remis incumbere, cum omnibus viribus navem propellunt. Seneca Trag. in Agamemn. *properat juventus omnis abductos simul lentare remos.* ideoque Catull. in nupt. Pelei docente Turn. l. 4. c. 22. *remos* vocat *lentos*, ut noster *vimen lentum.* & l. 1. G. ℣ſ. 265. *lenta vitis. lenta massa* l. 4. G. ℣ſ. 170. quæ ductilis est. Vel *lentandus remus* propter moras, amfractus & difficultates superandas in mari Siculo, de quo Justinus l. 4. c. 1. *lentare* etiam pro ducere, trahere, apud Sil. Ital. l. 8. de Fabio,

Lentanda fervida bella.

Emmeneff.

Et salis Ausonii lustrandum navibus æquor,
Infernique lacus, Æææque insula Circes,
Quam tuta possis urbem conponere terra.
Signa tibi dicam: tu condita mente teneto.
Cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus

Tri-

385. *Lustrandum.*] Est hoc quod Strabo lib. 6. περιπλεόμενον χωρίον, *locus navigatione circumdandus.* Iterum: Κάμπτειν τὴν ἄκραν: *circumflectere promontorium.* Cerda.

386. *Infernique lacus.*] Lucrinum & Avernum dicit: inter quos est spelunca, per quam ad inferos descendebatur, unde eos dixit *infernos.* Serv.

Ææaque insula Circes.] Qui nunc *Circejus mons* à Circe dicitur. aliquando, ut Varro dicit, insula fuit nondum siccatis paludibus, quæ eam dividebant à continenti. *Ææa* autem dicta ab aspernantium voce, propter celebratas illic corporum mutationes: unde est, *Inaccessos ubi Solis filia lucos.* *Ææa* autem tres sunt diphthongi: nam genitivus est ab *Ææa.* Quidam *Ææa* pro *Eoia*, id est, orientalis, quæ Solis filia traditur, accipiunt. Alii non Circe *Ææa*, sed insula, quæ & *Ææa.* Idem.

Circes.] In codicibus antiquis modo *Circe* per abjectionem *s* literæ: modo *Circæ* cum diphthongo Latino declinatu scriptum inveni: quod prorsus rejicitur. *Circes* vero omnium consensu recipitur. *Pierius.*

Ææa Circes.] Turneb. l. 7. cap. 14. Maronem, Homeri exemplo, Circen *Ææam* vocasse putat. Erat autem *Æa* ad Phasin amnem peninsula, metropolis Colchorum: ut sit *Ææa Colchica:* atque ejusdem nominis etiam erat insula Circes. *Æa* Colchorum & Herodot. lib. 1. meminit. Vide & Hom. Odyss. lib. 12. initio. Jam MSS. vett. legunt *Circæ*, Latino declinatu. *Taubm.*

387. *Quam tuta possis urbem componere terra.*] Ante cuncta lustrabis, quam possis urbem tuta terra componere. *Tuta* autem, propter Thraciæ & Cretæ discrimina. *Servius.*

388. *Signa tibi dicam.*] Deest *ergo:* Et notandum quia non eo ordine quo præmiserat, dicit. Ante enim dicit de civitate condenda: sic de tuta navigatione. *Idem.*

Signa tibi dicam.] Commendat, quod fuerat dicturus, ut ostenderet id magnum esse & verum: deinde dat signa fluminis, dat porcæ, dat numerum foetus, dat colorem. quod si est præter naturam porcam edere xxx. multa persæpe, quæ bonum aut malum portenderent, evenerunt præter naturam, ut ignis ex capite Ascanii mitis & innoxius, ut in Polidori sepulchro sanguis ex viminibus: ut vox humana ex pecudibus. *Donatus.*

389. *Secreti ad fluminis undam.*] Id est, Tyberini. *Servius.*

Undam.] In codicibus aliquot antiquis *undas* legitur, sed pluralitas hujusmodi mari potius videtur convenire. *Pierius.*

390. *Litoreis.*] *Litus* dicitur quicquid juxta aquam est: unde ripam fluminis *litus* vocavit. *Servius.*

Litoreis.] De flumine loquitur & tamen litus dicit, quod proprium maris; sicut & ripa fluminum, quod notum vel ex versiculo Ovidii 1. Metam. —— *pro ripis litora pulsant.* Ita tamen hoc verum, ut etiam voces commutentur. Nam in hoc loco *litus* dicitur de flumine. & in Horatio *ripa* de mari:

Hostium uxores puerique cæcos
Sentiant motus Orientis Austri, &
Æquoris nigri fremitum, & trementes
Verbere ripas. Cerda.

Sus.]

Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Alba, ſolo recubans, albi circum ubera nati:
Is locus urbis erit: requies ea certa laborum.
Nec tu menſarum morſus horreſce futuros:
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quæ noſtri perfunditur æquoris æſtu,
Effuge: cuncta malis habitantur mœnia Graiis.
Hic

Sus.] Naturaliter longa eſt; licet in genitivo corripiatur: ut *bos*, *pes*, *res*, *ſpes.* De hac autem ſue alii dicunt ſecundum Virgilium, quod in Italia inventa ſit. Alii quod ſecum eam more navigantum Trojani portaverint: & oraculo cognoverint ibi eſſe condendam civitatem, ubi ſus illa poſt fugam fuiſſet inventa. Dicitur ergo in Campaniam fugiſſe, & inventam in Lauro Lavinio: à qua Aſcanius poſt Albæ nomen impoſuit. *Servius.*

391. *Triginta capitum fœtus enixa.*] Prodigiale eſt hoc, quo ſignificatur triginta annis regnaturus Aſcanius. *Idem.*

392. *Albi circum ubera nati.*] Varro dicit etiam hoc ſigni fuiſſe, quod cum etiam alterius coloris porci, in fœtu hujus porcæ fuerint, albi tantummodo circa ubera ſint reperti. *Idem.*

393. *Is locus urbis erit.*] Id eſt, in ipſa regione: nam & Lavinium & Alba longe à litore ſunt. *Idem.*

Is locus urbis erit.] Nimirum Alba hinc dicta: Proper. 4. *Et ſtetit Alba potens albæ ſuis omine dicta.* Germ.

Requies.] Errorum ſcilicet, alioquin bello conflictatus eſt. *Servius.*

394. *Nec tu menſarum.*] Oſtendit futuram famem, ſed non nocituram. *Donatus.*

Horreſce.] Pro *horrueris.* Servius.

395. *Viam.*] Id eſt, rationem: & non dicit, quam, quia etiam profutura eſt fames: ut, *Hæc erat illa fames: hæc nos ſuprema monebat, Exitiis poſitura modum.* Idem.

Fata viam invenient.] Locutio nota. Ter. E. 2. 2.16. *ego adeo primus hanc inveni viam.* Stat. Silv. l. 5. *invenere viam liventia fata.* Emmeneſſ.

Aderitque vocatus Apollo.] Nunc vocatus, quia ut ſupra diximus, expiatorium fecit ſacrificium. *Servius.*

396. *Has autem terras.*] Quaſi oſtendentis eſt: nec enim Calabria ab Epiro longo diſtat ſpatio. *Idem.*

Has autem terras.] Oſtendentis quaſi eſt. Helenus enim in Epiro conſtitutus proximam habebat Apuliam & Calabriam. Cælius l. 7. c. 6. *Taubm.*

397. *Noſtri æquoris.*] Epirotici, quo Calabriæ litus adluitur. *Servius.*

398. *Effuge.*] Similis locus ille,

Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum.

Tale & illud:

Effugimus Ithacæ ſcopulos, Laërtia regna. Cerda.

Malis Grajis.] Aut à perſona Æneæ epitheton eſt, aut ad diſcretionem malorum, id eſt, bonorum: à multis ſane amphibolia putatur, poteſt enim aut catholicon eſſe epitheton Grais; vel eis habitantibus Grais, qui mali ſunt, ut eſt III. Georg. *Illud ſæpe malæ legere novercæ.* Servius.

Malis.] Ut Æneam abſterreat, qui per multas urbes Græcas tranſierit: & etiam ipſe, qui captivus fuiſſet, hoſtium perſonam deformare debebat. *Donatus.*

Malis Grajis.] Accipio *malos*, aut hoſtes, ut vere erant Trojanorum, aut, ex Græcorum ingenio, doloſos. Inde *Græca fides* pro mala, & perfida, in

Hic & Narycii posuerunt mœnia Locri,

Et

in proverbium abiit. De unis Lacedæmoniis Aristoph. in Irena: δόλιαι ψυχαὶ, δόλιαι φρένες: *Dolosæ animæ, dolosæ mentes.* Eosdem ibi comparat ἀλωπεκίδεσι, *vulpibus.* Et Euripides in Andromacha (citat hunc Scholiastes Aristophanis) Σπαρτῆς ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια: *Spartæ incolæ, dolosa conciliabula.* Ab hoc ingenio non abeunt reliqui Græci. *Cerda.*

399. *Hic & Narycii posuerunt mœnia Locri.*] Socii Ajacis Oilei fuerunt, Epizephyri & Ozolei: sed post tempestatem montis财arei, Epizephyri tenuerunt Brutios: & hos nunc dicit. Ozolei vero tenuerunt Pentapolim: inde est: *Lybicove habitantes litore Locros.* Quinetiam de Ozoleis legitur, quod delati Tinnejam ulterius accesserint, & civitatem condiderint, quæ nunc Uzalis dicitur. *Narycii* autem à loco dicti sunt provinciæ suæ. *Ozolei*, à putore paludis vicinæ. Alii *Narycios Opuntios* eosdem & *Epicnemydas* dicunt, namque prius *Naryx*, Opuns postea dicta, eadem autem & *Epicniminina* vocatur. Est enim *Cnemis* promontorium, in quo Opuntii Locri positi sunt, à quibus originem trahunt, qui in Italia sunt, & appellantur *Epizephyrii*, quod Zephyrum promontorium vocatur à Græcis, in quo sunt conditi Locri, qui in Græcia sunt. Hi vero qui juxta Delphos colunt, *Ozolei* nuncupantur, sive à fœtore draconis, quem Apollo interemit, seu quod uxores eorum Veneris ira, viris suis fuerint fœditate tetri odoris invisæ, qui autem Libyam delati sunt *Nasamones* appellantur, ut Cornelius Tacitus refert, oriundi à Naryciis, quod ibi invenies: ubi ait *Lybicove habitantes litore Locros.* Servius.

Narycii posuerunt mœnia Locri.] Plin. lib.4.cap.7. Naritii oppidi meminit in ea parte Atticæ, qua est Locrorum ora. De his vero Locris, qui fuerunt in Italia, hunc in modum Strabo loquitur lib. 6. *Post Herculeum Locri agri promontorium offertur, quod Zephyrium appellatur, portum habens venientibus ab occasu ventis commodum, qua ex causa & nomen assequitur. Deinceps Locri Epizephyrii urbs insignis. Quoniam à Locris Crisæum habitantibus sinum, coloni huc profecti sunt, Euanthe ductore.* His vides quem ortum habuerint Locri, qui in Italia; unde venerint, quo ductore. Rursus in lib. 8. in Græcia constituit illum Crisæum sinum, Locrosque, ex quibus ortum habuere, qui venere in Italiam. Solinus cap. 8. commemorans quam originem habuerit quodque Italiæ oppidum, ait: *à Naritiis Locros.* Ergo dicamus Locros Virgilii eosdem esse, quos Epizephyrios nominat Strabo. Naritios vero dici ab eo oppido, quod in Græcia posuit Plinius, quod & consentit cum Solino. ita ut ex uno Naritio, Locrorum oppido, profecti credantur illi, qui Locros urbem in Italia condidere: quod & consentit cum Servio, qui hic scribit: *Naritii autem à loco dicti sunt provinciæ suæ.* Lycophron quoque utramque vocem sic conjungit:

—— καὶ Ναρύκειον ἄστυ, καὶ Θρονίτιδες
Λοκρῶν ἀγυιαί:
Narycium urbs, & Thronitides Locrorum vici.

De orthographia hujus vocis inclinamus debere scribi *Narycium*, nam in Græcis correctissimis invenimus, Ναρύκειον, non Ναρίτιον. Quæ in hunc locum interpretes scripserunt, omisimus omnia, quia illa in promptu. & quia ad explicationem vatis, hæc tantum visa necessaria. *Cerda.*

Narycii posuerunt mœnia Locri.] Narycii & Opuntii Locri iidem sunt, qui à promontorio Zephyrio ἐπιζεφύριοι, quorum meminit Ælian. Hist. Misc. l. 2. c. 37. & Mela l. 2. c. 4. alii sunt ὀζόλαι apud Corinthium Sinum inter Ætolos & Phocidem prope Delphos, de quibus Mela l. 2. c. 3. multi Opuntios, poëtice Narycios, & Epicnimidios Locros eosdem faciunt. Eruditissime de hisce Locris & Maronis loco dispu-

Et Sallentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus: hic illa ducis Meliboei
Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.

Quin,

disputat Salmas. exercit. Plin. p. 66. quem si adeas, operæ facturus es pretium. an *Narycius* sit scribendum per *y* expediet tibi Dausq. in Orthogr. *Emm.*

400. *Sallentinos obsedit milite campos.*] *Sallentinum* promontorium Italiæ est inter Calabriam & Brutios. Nam ut ait Salustius, *Omnis Italia coacta in angustias, funditur inter duo promontoria, Brutium & Sallentinum.* Servius.

Obsedit campos.] Arripuit. Tibull.
Prædator cupit immensos obsidere campos. Cerda.

Sallentinos obsedit milite campos.] A *Salo* appellati juxta Sext. Pomp. Stephanus per geminum *ll* scribit Σαλλεντία πόλις Μεσσαπίων. quam lectionem probat Pighius 6. annal. Sunt tamen qui in Maronis codicibus *Salentinos* exaratum volunt, quos nominat Dausq. in Orthogr. de Salentinis *campis*, litoribus, promontoriis agit Mela l. 2. c. 4. à Lyctiis oriundos esse Salentinos docet Salmas. exercitat. Plin. p. 65. non alienus tamen videtur apud Solinum legendum Salentinos à *Lyciis* pro Lyctiis. Lyctos urbs Cretæ, cujus Mela l. 2. c. 7. mentionem infert. *Emmeness.*

401. *Lyctius Idomeneus.*] A Lycto Cretæ civitate, unde propter supradictam pulsus est caussam. Ad Italiam venisse, ac post dicitur in Asiam profectus decessisse. Alii hunc regressum consedisse apud Apollinem Clarium tradunt. *Servius.*

Ducis Meliboei Philoctetæ.] A Meliboea civitate Thessaliæ, de qua fuit. *Meliboei* ergo dixit pro *Meliboensis*. Id.

402. *Subnixa Petilia muro.*] Civitas cincta muro modico: ut, *Crinemque madentem Subnixus rapto potitur.* *Petilia* dicta vel ἀπὸ τ̃ πέτεσθαι, id est, volare: quod captato augurio est condita: vel quod, post relictum Ilium, quo ducebatur à Græcis, eam petivit civitatem. *Petilia* sane numeri est singularis. Multi ita intelligunt non *Philoctetæ Petilia*, sed *Philoctetæ muro*; nam ait Cato, à Philocteta condita jampridem civitate, murum tantum factum. Alii *subnixam* ideo accipiunt, quia imposita est excelso muro, ut Coelius historicus ait. Philoctetes autem fuit Pæantis filius, Herculis comes: quem Hercules cum ignem sibi in Oeta monte componeret, petiit ne alicui sui corporis reliquias indicaret. De qua re eum jurare compulit: & ei pro munere dedit sagittas, hydræ felle tinctas. Postea Trojano bello responsum est, sagittis Herculis opus esse ad Trojæ expugnationem. Inventus itaque Philoctetes, qui cum negaret primo se scire, ubi esset Hercules: tandem confessus est, mortuum esse. Inde cum acriter ad indicandum sepulchrum ejus cogeretur, & primo negaret, pede locum percussit, ne loqueretur: juraverat enim nolle dicere. Postea pergens ad bellum cum exerceretur, sagittæ unius casu vulneratus est pedem, quo percusserat tumulum. Ergo cum putorem insanabilis vulneris Græci ferre non possent, diu quidem eum pro oraculi necessitate sustinuerunt: ductum tandem apud Lemnum sublatis reliquerunt sagittis. Hic postea horrore sui vulneris, ad patriam redire neglexit: sed sibi parvam Petiliam in Calabriæ partibus fecit: Alii eum adductum à Græcis ad occidendum sagittis Paridem dicunt, quia etiam Paridis mors, inter fatalia dicitur fuisse Trojana. *Servius.*

Philoctetæ subnixa Petilia.] *Petilia* est Lucanorum metropolis, quam Philoctetes, à Meliboea profugus, ædificavit, Samnites muniverunt. Martial. Ep. l. 12.
Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire,
Petilianis delicatus in regnis:
Quamvis alii referant ad domum Petilii, quæ in summo Ianiculo erat. *Germanus.*

Petilia.] Sunt qui scribunt per duplex *ll.*

Quin, ubi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris jam vota in litore solves,
Purpureo velare comas adopertus amictu;
Ne qua inter sanctos ignis in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto:

Hac

plex *ll*. Turnebus derivat à *Petilus*, quod exile & parvum est. Eum vide l. 30. c. 28. De hac urbe in Bruttiis posita Mela l. 2. c. 4. *Petelliam* vocat Livius l. 23. c. 20. cum nemo in fide manentibus adesset & opem ferret, ab Himilcone præfecto Annibalis expugnata & Pœnis magno stetit. idem c. 30. inde Sil. Ital. l. 12.

Fumabat versis incensa Petilia tectis
Infelix fidei, miseræque secunda Sagunto.
Ac quondam Herculeam servare superba
pharetram. Emmeness.

403. *Transmissi.*] Quidam *transmissæ* legunt, ut sit præpositio; *trans* autem adverbium, ut sit *transtulit*. Servius.

404. *In litore.*] In Italia scilicet. *Id.*

405. *Purpureo velare comas.*] Subaudis *cura*, aut *memento*: aut certe quod est melius, *velare* imperativus sit, non infinitivus. *Idem.*

Purpureo velare comas.] Quod in sacris operuerint caput disce ex Plutarch. in Numa & Macrob. l. 1. Saturn. c. 10. docet Plautus in Amphitr. 5. 1. 41. Etiam Juvenal. Sat. 6. ℣s. 388.

—— *Stetit ante aram, nec turpe putavit,*
Pro cithara velare caput.

Nec non Ovid. l. 1. Metam. ℣s. 382. *& velate caput, &c.* Saturno cum sacra facerent ei caput aperiebant, teste Brodæo Misc. l. 5. c. 8. plura de hoc ritu observarunt Brisson. l. 1. form. Saubert. de Sacrif. c. 12. Kircher. de Fun. Rom. l. 2. c. 16. *Emmeness.*

406. *In honore.*] In sacrificio. *Servius.*

407. *Hostilis facies occurrat.*] Quidam Ulyxen dicunt, alii Diomeden. *Idem.*

Occurrat.] Proprie & signate. Ideo enim *occurrat*, quia *facies hostilis*: Est enim huic verbo vis in rebus adversis; itaque hostilia & mala dicuntur occurrere. Ita Horatius Od. 5. Epod.

Nocturnus occurram furor.

Tibull. lib. 1. eleg. 2.

Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora
ferro
Vulneret,

Non abit illud,

Occursare capro, cornu ferit ille, caveto.

Cerda.

408. *Et omina turbet.*] Sacrificii ordinem rumpat, quod est piaculum. Significat autem, ut dictum est, Diomedem, qui cum multis casibus adfligeretur, Palladium, quod apud ipsum erat, Trojanis oraculo jussus est reddere: quod cum vellet implere, Æneam invenit sacrificantem: qui, ut supra diximus, sacrificii ordinem non rupit: & Palladium Nautes accepit. Unde Nautiorum familia Minervæ sacra servabat. Sane sciendum, sacrificantes diis omnibus, capita velare consuetos, ob hoc ne se inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio esse videretur. Et Herculi in templo suo, quia & ipse capite operto est. vel quia hæ aræ ante adventum Æneæ, à Junone vel Evandro consecratæ sint. Sane quidam dicunt ab Heleno Diomedem suppressum, sed intelligendum est de industria factum, ne terror injiceretur Æneæ. *Servius.*

Omina turbet.] Omnino, *omina* ex antiquis codicibus legendum est, non *omnia*. Pierius.

Omina turbet.] De hac lectione disputat G. Canterus N. l. lib. 1. c. 8. *Emmeness.*

409. *Hac*

Hac casti maneant in relligione nepotes.
Ast ubi digressum Siculæ te admoverit oræ
Ventus, & angusti rarescent claustra Pelori;
Læva tibi tellus, & longo læva petantur
Æquora circuitu: dextrum fuge litus, & undas.
Hæc loca vi quondam, & vasta convolsa ruina
(Tan-

409. *Hac casti.*] Pii: ut, *Nulli fas casto sceleratum insistere limen.* Servius.

Hac casti maneant.] Ἁγνοὶ, quibus opponitur ἄναγνοι. *Castum* Latini non semper relatione ad libidinem aut Venerem facta dicunt: ut Cic. pro leg. Manil. *Labor meus in privatorum periculis caste, integreque versatus*, ἁγνῶς. Sæpe etiam ἁγνείαν ἱερῶν memorat Plato 2. leg. 9. καὶ τοῖς ἱερεῦσι τε καὶ ἱερείαις ἐγχειριζέτω τὰ θύματα· οἷς ἁγνεία τούτων ἐπιμελής· & post: καθαρότητος καὶ ἁγνείας τὰ περὶ τοὺς θεούς. Videtur autem hîc Poëta religionem, ritusque illibatos immutatosque posteris nepotibusque transmittendos decernere, ex Platonis doctrina leg. 5. qui veluti perpetui cautione edicti legislatores, non modo cives, vetat immota hæc movere, his verbis: δεῖ δὲ αὐτὰ ῥηθῆναι τὸν δι' ἕνεκα κατοικίζοντι πόλιν, &c. *Germanus.*

In relligione.] In observatione perpetua. *Servius.*

In relligione.] In antiquis exemplaribus observatum plurimum est *religione* unico *l* scribi. Sed enim Fl. Sosipater, hoc præcipue citato versu, gemino *ll* scribendum ostendit, dum ait in hanc sententiam: Parenthesis, quum vel littera vel syllaba interponitur. littera, *Hac casti maneant in Relligione nepotes.* Syllaba, *Mavortis in antro*, pro Martis. *Pierius.*

Nepotes.] Appellando *nepotes*, gradus futuræ cognationis ostendit. *Servius.*

410. *Ast ubi.*] Pro *postquam.* Et est temporis adverbium. *Idem.*

Digressum.] A litore Calabriæ. *Idem.*

411. *Angusti rarescent claustra Pelori.*] Quia à continenti, id est, à columna usque ad Faron tribus millibus distat. *Rarescent* autem ideo, quia venientibus de Ionio propter curvaturam litorum clausæ videntur angustiæ, quæ paulatim propinquantibus aperiri videntur. *Idem.*

Pelori.] Promontorium Siciliæ est secundum Salustium, dictum à gubernatore Hannibalis, illic sepulto, qui fuerat occisus per regis ignorantiam, cum se ejus dolo propter angustias freti crederet esse deceptum, veniens de Petilia: quanquam legerimus, etiam ante *Pelorum* dictum. *Idem.*

412. *Læva tibi tellus.*] Venientis personam respexit. Nam de Ionio navigantes, si fretum petant, dextrum teneant litus, necesse est: sin alias, sinistrum. *Idem.*

Læva tibi.] Advertendum est, quod tendentibus ad Italiam dicitur lævum latus & dextrum: cæterum redeuntibus sinistrum fit, quod fuerat dextrum. *Don.*

Læva tibi tellus.] Nullo pacto placet, quod in antiquis codicibus legitur, *læta tibi tellus.* Primum quod ea alibi Æneæ dicitur *Illætabilis ora.* Deinde quia & *Tellus læva* & *æquora læva* inferiori sententiæ per correlativum quodammodo respondent, *Dextrum fuge litus & undas.* Pierius.

413. *Æquora circuitu.*] Totam enim transiturus est Siciliam. *Servius.*

414. *Hæc loca.*] Ut etiam Salustius dicit, Italiæ Siciliam conjunctam constat fuisse: sed medium spatium, aut per humilitatem obrutum est, aut per angustiam, scissum. Ut autem curvum sit, facit natura mollioris Italiæ, in quam asperitas & altitudo Siciliæ æstum relidit. *Idem.*

Hæc loca.] Hujus loci descriptionem

eum

(Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt; cum protenus utraque tellus
Una foret: venit medio vi pontus, & undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque & urbis
Litore diductas angusto interluit æstu.

Dex-

cum omni cautela prosequitur. Dicit enim veterum sequi opinionem, facitque verisimile: quia vetustate temporis multi situs locorum mutati sunt. *Don.*

Quondam.] Tria tenet tempora, sic ut *Olim.* Præsentis, ut, *Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.* præteritum; ut, *Quondam Cretæ fertur Labyrinthus in altæ.* futurum, *Nec Romula quondam ullo se tantum tellus jactabit alumno.* Servius.

415. *Tantum ævi longinqua valet.*] Parenthesis. Nam ordo est: Hæc loca vi quondam dissiluisse ferunt. *Idem.*

Ævi.] *Ævum* pro tempore posuit: ut, *Ævoque sequenti.* Alibi pro annis, ut, *Vos ô quibus integer ævi Sanguis ait.* Id.

Tantum ævi, &c.] Pertinent ad hoc versus Sophocl. in Oed. in Col.

Ὦ φίλτατ' Αἰγέως παῖ, μόνοις οὐ γίνεται
Θεοῖς τὸ γῆρας, οὐδὲ κατθανεῖν ποτε.
Τὰ δ' ἄλλα συγχεῖ πάνθ' ὁ παγκρατὴς
χρόνος:

O charissime fili Ægei (Theseu) *solis non accidit*
Diis senectus, neque mori aliquando.
Alia autem omnia confundit domitor omnium tempus.

Et Lucret. lib. 2.

Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo,
Ex oculisque vetustatem subducere nostris.

Ennii 16. Ann.

Postremo longinqua dies confecerit ætas.

Verba quoque oratoris illius, qui ad Cæsarem de ordinanda Rep. *Ego sic existimo, quoniam orta omnia intereunt, &c.* Et Ausonii in Epig.

Miremur periisse homines? monimenta fatiscunt,
Mors etiam saxis nominibusque venit.

Cerda.

416. *Dissiluisse ferunt.*] Hinc apparet bene dictum, *Unctos saluere per utres.* Nam ut *dissilui*: sic *salui* facit. Cicero in Miloniana, *Cum hic de rheda rejecta penula dissiluisset.* Est enim positio *salio, salis, salui.* Item in compositione *dissilio, dissilui.* Servius.

Dissiluisse ferunt.] Vide Justin. l. 4. c. 1. Plinium l. 2. c. 89. Diod. 4. 87. Mela l. 2. c. 7. *Sicilia, ut ferunt, aliquando continens, & agro Brutio annexa: post freto maris Siculi abscissa est.* & quidem vi, nam recte ille: *Vis illic ingens pelagi: semperque laborant Æquora, ne rupti repetant confinia montes.* Emmeness.

Cum protinus.] Continue: & modo adverbium loci est; alibi temporis est, ut, *Protinus aërias Phæacum ascendimus arces.* Servius.

417. *Foret.*] Ab infinitivo est: sed modo præteritum significat tempus, quod rarum est: sæpius enim futurum significat. *Idem.*

Venit medio.] In medium: ut, *It clamor cœlo.* Idem.

418. *Hesperium Siculo latus abscidit.*] Hypallage est. Nam minora à majoribus segregantur: sed contra dixit. *Id.*

Abscidit.] Propter metrum, *ci* corripit per poëticum morem. *Idem.*

Abscidit.] Apud Sil. Ital. Modius in novantiq. lect. epist. 44. pro *disjicit* legendum docet *discidit*, ubi agit de Siciliæ avulsione ab Italia. *Emmeness.*

419. *Interluit.*] Interlabitur, pontus scilicet. *Servius.*

Æstu.] *Æstum* poëtæ maris angustis * artati ideo appellant, quod ibi commotione reciproci cursus, mare videatur æstuare. *Idem.*

Angusto interluit æstu.] Lucan. lib. 2. in eandem sententiam,

Extenditque suas in templa Lacinia rupes
Longior Italia, donec confinia pontus

Solve-

Dextrum Scylla latus, lævum inplacata Charybdis
Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat unda.

At

Solveret incumbens, terraſque repelleret æquor.
At poſtquam gremio tellus eliſa profundo eſt,
Extremi colles Siculo ceſſere Peloro.
Germannus.

420. *Dextrum Scylla latus, lævum inplacata Charybdis.*] De Ionio venientibus. Scylla enim in Italia eſt: Charybdis in Sicilia. Scylla autem ipſa Phorci & Cretidis Nymphæ filia fuit. Hanc amabat Glaucus, quem Circe diligebat. is, quoniam pronior in Scyllam fuerat, irata Circe, fontem in quo illa conſueverat ſe abluere, corrupit venenis: in quem illa cum deſcendiſſet, pube tenus in varias mutata eſt formas. Horrens itaque ſuam deformitatem, ſe præcipitavit in maria. Alii à Glauco cum ſperneretur à Scylla rogatam Circen, & jam ita ut legatur mutatam dicunt. Alii à Neptuno amatam cum illa Glaucum amaret rivalitatis dolore in hoc monſtrum mutatam. Homerus hanc dicit immortale monſtrum fuiſſe. Saluſtius ſaxum eſſe dicit, ſimile formæ celebratæ procul viſentibus. Canes vero & lupi ob hoc ex ea nati eſſe finguntur, quia ipſa loca plena ſunt monſtris marinis, & ſaxorum aſperitas illic imitatur latratus. Sane alia Scylla fuit, de qua in Bucolicis plenius dictum eſt. Legimus etiam, *Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.* Si ergo *plangunt* dicimus, & *latrant* non incongrue poſuit. *Charybdis* autem in Siciliæ parte poſita, fœmina fuit voraciſſima, ex Neptuno & Terra genita, quæ quia boves Herculis rapuit, fulminata à Jove eſt, & in mare præcipitata. Unde naturam priſtinam ſervat. Nam ſorbet univerſa quæ prehendit: & ſecundum Saluſtium, ea circa Tauromenitanum egerit litus. De hac Cicero in Philippicis, ait, *Charybdis quæ ſi fuit animal, fuit unum in Philippicis.* Servius.

Lævum inplacata Charybdis.] In vetuſtis aliquot exemplaribus, *impacata* legitur: Sed plus feritatis habere videtur *inplacata.* Pierius.

Dextrum Scylla.] De Ionio venientibus. Scylla enim in Italia eſt, Charybdis in Sicilia. Ita Ovid. 13. Met.

Scylla latus dextrum, lævum irrequieta Charybdis, &c.

Hunc ſitum Apollon. l. 4. μιξοδίαν vocat. *Taubm.*

Dextrum, &c.] Locum ſumtum ex Homero notavit Macrob. l. 5. Saturn. c. 6. de utroque ſcopulo dicam ℣ſ. 559. *Emmeneſſ.*

421. *Obſidet.*] Ad tranſeuntium inſidias. *Servius.*

Barathri.] *Barathrum* eſt immenſæ altitudinis nomen. Unde ſequitur, *Sorbet in abruptum:* quod Græce βάραθρον dicitur. *Idem.*

Ter gurgite vaſto.] Aut *ter* pro *ſæpe* poſuit, finitum pro infinito; aut *ter,* uno die. *Idem.*

Ter gurgite vaſto ſorbet.] Utrumque perniciosum navigantibus, aut cum ſorbet navigium, aut cum eructat & excutit. *Donatus.*

422. *In abruptum.*) In codicibus aliquot antiquis, *in abruptu.* Eam enim in antro maxime cavernoſo habitare Homerus fingit. Magis tamen placet *in abruptum,* ut vulgata habent exemplaria. *Pierius.*

423. *Rurſuſque ſub auras Erigit alternos.*] Fuere ætate noſtra non illiterati viri, qui *egerit*, hoc eſt, eructat, ex Homeri ſententia legendum autumarent. Quique locum illum inſpexere Carybdim, ajunt profundiſſima voragine undas abſorbere, quas viciſſim mox eructat. Sed enim quia ſequitur hyperbole ea,

At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris,
Ora exſertantem, & navis in ſaxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus: poſtrema inmani corpore priſtis,
Delphinum caudas utero commiſſa luporum.

Præ-

le ea, *& ſidera verberat unda*: longe magis placet *erigit*, prout etiam in veteribus codicibus, quos præ manibus habuimus, ſcriptum invenitur. *Pierius.*

Erigit.] Quod Poëta, *erigit*: Ovid. *revomit.* Hom. ἐξεμέσειε, ἀναβρώξειε: *ejectaret, evomeret.* iterum, ἀνίησιν, *remittit.* Salluſt. apud Serv. *egerit*, & poſſet aliquis dubitare, an ſic legendum in Virg. ex oppoſitione cum verbo *ſorbet.* Cerda.

Alternos.] Singulos, non omnes ſimul, ut 11. Æneid. *Vix hoſtem alterni ſi congrediamur habemus*; aut *alternos* viciſſim, quia accipit ut vomat; rurſus vomit, ut accipiat. *Servius.*

424. *Scyllam.*] Hanc ut monſtrum more Poëtarum deſcribit, ſcilicet pube tenus, id eſt, uſque ad inguina facie humana eſt: pro pedibus autem habere ſævorum animalium genus, luporum ſcilicet feritate armatum. Eligit autem animalium naturam, quæ inſatiabilia ſunt. Cæterum locus eſt in mari, ſaxa habens latentia, cujus natura ſit, ut de longinquis partibus navigia trahat, & contineat aſperitate ſaxorum; & retenta comminuat. *Donatus.*

Cohibet ſpelunca.] Hypallage in ſenſu: nam ipſa ſe tenet intra ſpeluncam ſecundum fabulam. *Servius.*

425. *Trahentem.*] Saluſtius, *Quod forte in lata naufragia ſorbens gurgitibus occultis milia ſexaginta Tauromenitana ad litora trahit.* Ergo & ſorbet, & trahit, & detrahit, Saluſtio. *Idem.*

426. *Prima.*] Nominativus eſt pluralis à neutro, & eſt Græca figura, τὰ πρῶτα ἄνθρωπος. *Idem.*

Prima hominis facies.] Græca eſt figura: τὰ πρῶτα ἄνθρωπος: primæ corporis partes. Sic, *poſtrema*, τὰ ἔσχατα. *Taubm.*

427. *Pube tenus.*] *Tenus* præpoſitio ablativa quidem eſt, ſed figurate etiam genitivo cohæret: ut, *Et crurum tenus à mento palearia pendent.* Sane gaudet poſtpoſitione. *Servius.*

Priſtis.] Si navem intelligas, *priſtis*, *hujus priſtis* facit: ſi de belua, *hæc priſtrix*, *hujus piſtricis* facit. *Idem.*

Priſtis.] In codicibus aliquot antiquis, *priſtis* ſcribitur. Sed plura de hoc, libro x. eo verſu dicemus, *In Priſtin deſinit alvus.* Pierius.

Priſtis.] *Priſtes*, belluæ ſunt marinæ, quæ pilis veſtiuntur: ea corporis magnitudine, ut ducenum cubitorum in mari Indico reperiantur. ita appellatæ, quia mirum in modum corporis tenuitate fluctus ſecent: Græci autem πρίσιν *ſectionem* πρίστην *ſectorem* nominant. Dicitur & *piſtrix* à Cicerone in Aratum:

Et ſparſam ſubter caudam piſtricis adhæſit.

Hoc ſignum cæleſte *Cetum* Græci, & vulgus Aſtrologorum, nominat. Atque ab hujus beluæ ſimilitudine *priſtin* quoque appellavit navim Virgilius. Denique ſunt, qui piſtricem velint eam eſſe belluam, quam vulgo *Capidolium*, de olei copia, quod caput ejus exprimentibus uberrime reddit, nominant. De quibus omnibus accurate *Erythræus.* Et poteſt fieri, ut ad hiſtoriam alluſerit, qua traditur Scylla claſſis piratica fuiſſe, quæ ſit inſidiata navibus hoſpitum. *Taubm.*

Priſtis.] Gronov. in Obſerv. L. 1. c. 17. *piſtris*, *priſtis*, & *piſtrix* eadem eſſe aſſerit. ubi plura quæ ad hujus monſtri faciunt deſcriptionem. *Emmeneſſ.*

428. *Commiſſa luporum.*] Conjuncta & coagmentata: ipſa ſcilicet. ut, *Portam quæ ducis imperio commiſſa recludunt.*

Et

Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos & circumflectere cursus,
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, & cæruleis canibus resonantia saxa.
Præterea, si qua est Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum si veris inplet Apollo,

Unum

Et figurate locutus est: *Oculos suffusa.* Est autem hæc elocutio postremum, unde est τὰ ἔσχατα commissa erat luporum utero caudas delphinum, id est, commissas habebat. Et quidam volunt *commissa* dici, quæ diu exesa junguntur. *Servius.*

Commissa.] Ordo est: Commissa est utero caudas delphinum luporum, id est, conjunctas & coagmentatas habet caudas utero: sive, infra uterum pristim referebat caudis luporum. Porro Moralem expositionem hujus figmenti Cælius lib. 14. c. 3. ita tradidit: Homo, inquit, Scylla est. Prima pars, rationalis est Anima: huic committitur inutilis caro & fluida, & receptandis tantum cibis habilis. Virtus illa divina in lubricum definit: & superioribus partibus venerandis atque cælestibus animal iners & marcidum attexitur. quodque horribilius est, captivam ducit Rationem. Plurimis Corpus voluptati est, Anima oneri: quamvis illud Natura, ut quandam vestem ac velamentum circundedisset animo. Ex hac voluptuaria officina mirum est quanta se promant fœditatum agmina, quæ libidinum turpitudo, &c. *Taubm.*

429. *Præstat.*] Melius est. *Serv.*

Præstat metas.] Propositis utriusque lateris malis, indicat eundum qua Charybdis est, malum levius, & labores subire longioris cursus, quam compendio navigare per Scyllam. *Donatus.*

Metas lustrare.] Quis non videt sermonem ductum à Circo; ubi metæ, ubi circumflexio, ubi cursus? *Cerda.*

Pachyni.] Trinacii Priscianus, vel potius Rheminius Fannius in Dionysium, media correpta enunciavit, *Eminet ad Zephyrum Lilybe, Pachynusque sub ortum.* Item primam Ovid. 12. Metam. produxit: ut, *Et quibus imbriferos versus Pachynus ad austros.* quam rursus contraxit in 5. *Læva Pachyne tibi, Lilybæo crura premuntur.* Vulgo *Capo passaro.* Erythræus.

430. *Cessantem.*] Morantem: quod sequentia indicant, *Longos & circumflectere cursus.* Terentius, *Si abis usquam, aut ubi si cesses.* Sed alibi, *Quid illic natus cessat cum Syra.* Servius.

431. *Semel.*] Quia iterum videri, cum perieris non potes. *Donatus.*

Informem.] Hic, quæ confusæ sit formæ. Alibi deformem: *nec sum adeo informis.* Alibi monstrum; ut, *Monstrum informe ingens*, quod humanam excedat formam. *Servius.*

432. *Cæruleis canibus.*] Variavit nunc *canes* dicendo, cum supra dixit *lupos.* Idem.

433. *Præterea.*]Hinc ostenditur cuncta scire Helenum, & jam infensam Junonem: sed prohiberi dicere, ut diximus supra. *Idem.*

Præterea.] Dicturus rem magnam, & ad Æneæ salutem imprimis pertinentem, commendat altis sensibus tenaciter retinendam. *Donatus.*

Heleno prudentia, vati.] In homine prudentia est: in vatibus fides. *Serv.*

Prudentia.] Quod ad eum pertinet, cum nondum numine percitus sit. *Don.*

Heleno prudentia, v.] Ita Donatus distinxit: & probat Fabricius. ut *prudentia* ad Heleni experientiam; *fides*, ad divinandi scientiam referatur. Non dissimile illud Sophocl. εἰ Ζεὺς ἔτι Ζεύς, χ' ὡ Διὸς Φοῖβος σαφής. *Taubm.*

434. *Fides.*] Hoc pertinet ad perso-

nam

Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum
Prædicam; & repetens iterumque iterumque monebo.
Junonis magnæ primum prece numen adora:
Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis. sic denique victor
Trinacria finis Italos mittere relicta.
Huc ubi delatus Cumæam accesseris urbem,
Divinos-

nam vatis. *Donatus.*

Si veris inplet Apollo.] Id est, si veris implet oraculis: ut Lucanus, *Atque hominem tota sibi dicere jussit Pectore.* Servius.

435. *Proque omnibus.*] Pro commodo omnium desideriorum. *Donatus.*

Proque omnibus unum.] Mss. lectio est, *proque omnibus*: non *præque omnibus.* eandem approbantibus Diomede & Donato. quorum ille, *pro omnibus*, idem esse ait, quod ὑπὲρ πάντων: hic, *pro omnibus*, exponit, pro commodo omnium desideriorum. Nec displicet Fabricio. *Taubm.*

437. *Junonis magnæ.*] Id est, supernæ: nam legimus, *Junoni infernæ dictus sacer.* Servius.

Junonis magnæ.] Ostendit Poëta majoris potentiæ inimicos obsequendo potius, quam resistendo posse superari. Quapropter precibus & donis placandam admonet Junonem, ut possit in Italiam venire. *Donatus.*

Junonis magnæ.] Docet Macrobius Poëtam expressisse supra, vs. 12. θεοὺς μεγάλους: hîc etiam *Junonem Magnam* τὴν δυνατὴν: uti 1. Æn. τὴν χρηστὴν, — *& bona Juno.*
quibus nominibus Romanorum Penates proprie dici, Cassium tradidisse. Sed & Sophocles in Elect. *dominam Junonem* vocat δέσποιναν ἄρτεμιν. *Taubmannus.*

438. *Junoni cane vota libens.*] *Cane* autem de historia est, nam & bello Punico matrimi & patrimi cantaverunt Junoni, & bene tria posuit, quæ ad religionem pertinent, *prece, votis, donis.* Servius.

Cane vota.] Hymnis enim & prece Juno præcipue delectatur. Et Scalig. l. 4. c. 16. istud, *Junoni cane vota*, notat, ut non vulgatum. *Taubm.*

Dominam.] Hic abusive *dominam* Junonem appellavit, cum proprium hoc nomen matris deûm sit. *Servius.*

Dominam.] Ita Sophocles in Electra, δέσποιναν Ἄρτεμιν. Vide in 6. ad illud: *dominam Ditis.* Cerda.

439. *Supera donis.*] In codicibus antiquis, *votis* non *donis* legitur. Et ita apud Ti. Donatum habetur: quem locum etiam repetit in duodecimi libri commentariis eo loco, *Et tu Saturnia Juno*: quorum nihil est in impressis codicibus. *Pierius.*

Supera donis.] Id est, votis & hostiis expugna ejus animum, ut tibi sit propitia. Videtur respicere illud Græcorum à Platone lib. 3. De Repub. adductum: δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας. Et Euripid. in Medea: πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος. Bene autem tria posuit, quæ ad religionem pertinent, *prece, votis, donis.* Taubm.

Victor.] Propositi tui effector: ut, *Illi victor ego, & Tyrio conspectus in auro.* Servius.

440. *Mittere.*] In codicibus aliquot antiquis *metire* legitur: ut in hanc sententiam, *Iter emensi*, & *pelagoque remenso.* Sed *mittere* loco hoc magis omnino congruit, ubi de fatis agitur, quorum auspiciis Æneas sit omnia peracturus. Huic simile est illud, *Missus in imperium magnum.* Pierius.

441. *Cumæam urbem.*] Euboea insula est: de cujus civitate Calchide, incolæ profecti sunt ad novas sedes quærendas:

Divinosque lacus, & Averna sonantia silvis;
Insanam vatem aspicies: quæ rupe sub ima
Fata canit, foliisque notas & nomina mandat.
Quæcumque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit

das: & haud longe à Bajis (qui locus à socio Ulyssis Bajo illic sepulto nomen accepit) invenerunt vacuum litus, ubi, visa muliere gravida, civitatem condiderunt: quæ res fœcundam ostendebat fore rempub. & eam *Cumas* vocaverunt: sive ab ἐγκύε, id est, prægnante: sive ἀπὸ τῶν κυμάτων, id est, ab undis. Nam κύματα dicuntur. υ autem Latini in *u* vertunt: ut *byrria*, *burria*, *Cymæam* autem *urbem*, sicut *Buthroti arcem*, *fontem Timavi*. Servius.

Cumæam urbem.] Hanc ponit in sinu Puteolano Mela l. 2. c. 4. de ea etiam agit Salmas. Exercit. Plin. p. 75. *Emmeness.*

442. *Divinosque lacus.*] Consecratos, Avernum & Lucrinum. *Avernus* autem, in plurali numero *Averna* facit: ut *tartarus*, *tartara*. unde &, *Averna sonantia silvis.* Sane hic lacus ante silvarum densitate sic ambiebatur, ut exhalans inde per angustias, aquæ sulphureæ odor gravissimus supervolantes aves necaret. Unde & *Avernus* dictus est, quasi ἄορνος: quam rem Augustus Cæsar intelligens, dejectis silvis, ex pestilentibus, amœna reddidit loca. *Servius.*

Silvis.] Quibus ambiebatur Avernus. quam tamen silvarum densitatem Augustus postea dejecit, & ex pestilentibus amœna loca reddidit. Quod postmodum quibusdam *opus Julium*, vel, *unda Julia* appellata est. *Taubm.*

443. *Insanam vatem.*] Alii *magnam* dicunt: quia duo genera vaticinandi sunt, aut simplex, ut Heleni; aut per furorem, ut Sibyllæ: Quia *vates* à vi mentis appellatos; Varro auctor est: sed melius deo plenam, & vaticinatricem intelligimus: A Græcorum tractum etymologia, qui μάντεις, ἀπὸ τῆς μανίας appellaverunt: nam supra sensus humanos intelligentia, furor & insania dicitur, teste Cicerone de Divinatione: *Huic præstantissimæ rei nomen, nostri à divis; Græci, ut Plato interpretatur, à furore dixerunt; prorsus furoris divinationem Sibyllinis maxime versibus contineri arbitrati*; Unde adhuc qui inspirari solent, *fatuari* dicuntur. Virgilius: *Magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates.* Servius.

Insanam.] Plenam numinis. Morem dixit Sibyllæ, & in quo loco sit, & quo ordine singulorum desideriis respondeat. Scribit in foliis, ordinat, & dimittit, homines in illis futura legunt. Sed si vento perturbatur ordo foliorum, pereunt consulta, & dubii remanent, qui venerant consulturi. *Donatus.*

Sub ima.] In ima: ut: *Namque sub ingenti lustrat dum singula templo:* &, *Exercet sub sole labor.* Servius.

444. *Fata canit, foliisque notas & nomina mandat.*] Tribus modis ait futura prædicta: aut voce, aut scriptura, aut signis, id est, quibusdam notis, ut in obeliscis Romæ videmus: vel, ut alii dicunt, notis literarum: ut per unam literam significet aliquid. In foliis autem palmarum Sibyllam scribere solere, testatur Varro. *Idem.*

Foliis.] Palmæ. *Notas.*] Literas. *Nomina.*] Verba. *Idem.*

445. *Carmina virgo.*] Quævis responsa versibus scribebantur. Virgo vero *Phemonoe* dicta est. nam *Sibylla* appellativum est nomen: adeo ut Varro quot Sibyllæ fuerint, scripserit. *Sibylla* autem dicitur omnis puella, cujus pectus numen recipit: nam Æoli σιὸς dicunt *deos*: βουλὴ autem *sententia*: ergo σιβύλλας quasi σιοβούλας dixerunt. Inde est, *Magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates.* Sane sciendum

Digerit in numerum, atque antro seclusa reliquit.
Illa manent inmota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verso tenuis cum cardine ventus
Inpulit & teneras turbavit janua frondis;
Numquam deinde cavo volitantia prendere saxo,
Nec revocare situs, aut jungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllæ.
Hic tibi ne qua moræ fuerint dispendia tanti:
Quamvis increpitent socii, & vi cursus in altum
Vela vocet, possisque sinus inplere secundos:
Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas.
Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat.
Illa tibi Italiæ populos, venturaque bella,

Et

dum omnia responsa Sibyllæ plus minusve centum contineri sermonibus. Unde Virgilius ait, *Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum: Unde ruunt totidem voces responsa Sibyllæ.* Serv.

446. *Digerit.*] Ordinat, disponit. *Idem.*

In numerum.] In ordinem, ut continuatio carminum fiat; unde est, *Numeros memini si verba tenerem.* Idem.

Seclusa.] Pro *inclusa*: præpositio pro præpositione. *Idem.*

448. *Verso cardine.*] Aperta janua, per Periphrasim. *Idem.*

449. *Turbavit janua frondis.*] Non janua: sed ventus qui per januam ingreditur. *Idem.*

451. *Situs.*] Positiones & ordines: alibi *situ*, vetustate: ut, *En ego victa situ*: alibi squalore, *Per loca senta situ.* Idem.

452. *Inconsulti.*] Inscii rerum, ignari, sine consilio. Sine responso, quibus consultum non esset; ut *inconsultos*, incautos dicimus, qui sine consilio aliquid adgrediuntur. *Idem.*

453. *Ne qua moræ.*] *Ne qua* pro *non*, aut *nulla*, id est, nullum damnum te ex mora fecisse credideris. *Idem.*

Dispendia.] Dispendium viæ, & compendium opponuntur. Ov.3. Met.

——— *per compendia montis*
Præcipitata via est.

Manil. in 4.

Et vitia, & clades; damna & compendia rerum.

quem versum sic legit Ludov. Carr. *Cerda.*

455. *Vela vocent.*] Valde nove. *Serv.*

456. *Oracula.*] Fata, responsa. *Id.*

457. *Ipsa canat.*] Ne te mittat ad ea quæ in foliis notat. *Idem.*

Volens.] Quæ velle habet. Nam *volitura*, propter asperitatem sermonis noluit dicere. Aut *volens*, quia cogi non potest si nolit, ut in sacrificiis: *Uti volens propitiusque.* Idem.

Volens.] Hoc non pertractate dictum, sed ex religione prisca & solemni sacrificantium formula petitum. Cicero: *Mars pater, te precor quæsoque, uti sies VOLENS PROPITIUS mihi, domo familiæque nostræ, &c.* Quod notavit Servius, & J. Douza Succidaneis ad Horat. *Taubmannus.*

458. *Illa tibi Italiæ populos.*] Bene hæc ad Sibyllam distulit, quia ipse de cursu tantum interrogatus est, & quia *bella* terribile nomen intulerat, statim evadendi spem adjecit, *Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem.* Serv.

Illa tibi.] Edicet illa, quæ ego pro-

Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,
Expediet; cursusque dabit venerata secundos.
Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri.
Vade age, & ingentem factis fer ad æthera Trojam.
Quæ postquam vates sic ore effatus amico est,
Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto

Impe-

prohibeor aperire, quæ bella sint ventura, & quomodo singulos labores vel tolerando transeas, vel superando compescas. *Donatus.*

459. *Quo quemque modo fugiasque.*] In antiquis aliquot codicibus *effugias* legitur: sed *fugias* magis placet: *quemque* vero per *m* in iisdem fere omnibus codicibus. *Pierius.*

460. *Venerata.*] Quam tu veneratus sis, vel venerata pro te deos, id est, rogatis pro te diis. *Servius.*

Venerata secundos.] Sic & passive Horat. *Et venerata Ceres ut culmo surgeret alto.* Nimirum veteres *venero*, & *advenero* active dicebant, quasi *veniam oro*, ut in Apulejum observavit Memmius. *Germanus.*

Venerata secundos.] Mediceus codex, & vetusti plerique alii *venerata sacerdos* habent. Et eodem modo legi in antiquo Prisciani codice, hoc citato versu: quanquam & *secundos* in aliquibus legi non negarim; præsertimque in Donatiano. *Pierius.*

Venerata.] Quæ de hac voce & similibus Agellius admonet lib. 15. cap. 13. capienda sunt de participiis tantum, juxta mentem Budæi, & Jul. Scal. Quin adhuc participia ipsa, si significatu passivo reperiuntur, id certe est, quia veteribus in usu fuerunt activa quoque. itaque in hunc locum docte ait Germ. *Nimirum veteres, venero & advenero active dicebant, quasi veniam oro, ut in Apulejum observavit Memmius.* Testimonium, quo Germanus caret, advoco ex Plauto, qui in Trucul. *Datæ mihi huc stacten, atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam.* Cerda.

461. *Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri.*] Bene cum præscriptione, ne falsidicus, vel minus peritus postea putaretur. *Servius.*

462. *Vade age, & ingentem.*] Quædam prædicit ut vates, quædam admonuit ut amicus, cessantibus partibus vatis. *Donatus.*

463. *Amico est.*] Poëta divinus peritiam suam, inventa occasione, semper ostendit, *effatus* ergo verbo augurali usus est, quia scit loca sacra: id est, ab auguribus inaugurata, *effata* dici: Ergo religioso verbo voluit uti, qui potuit dicere, *Quæ postquam vates sic ore est fatus amico. Effatio* dicta ex prolocutione, quod ubique loquimur, famur. *Serv.*

464. *Dona dehinc.*] Mos veterum repræsentatur, qui abeuntes donis prosequebantur; qui alibi illustratur à nobis, ubi de viatico scripsimus. nunc addam Homeri locum ex Odyss. 13. cui omnino Virgilius institit, ubi à Phæacibus Vlysses discedit. sic enim Alcinous,

Ἀλλ' ἄγε οἱ δῶμεν τρίποδα μέγαν, ἠδὲ λέβητα
Ἀνδρακὰς,

Sed age ei demus tripodem magnum, & lebetem
Viritim. Cerda.

Gravia.] Vtrum aurea, an quibus non totis aureis addito auro pondus accesserit? & *Gravia*, *a*, finalitatis ratione producitur: sed satis aspere. Nam in nullam definit consonantem: ut, *Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.* Et, *At tibi Thymbre caput Euandrius abstulit ensis.* Servius.

Elephanto.] Pro *ebore* posuit, Græce dixit. *Idem.*

Sectoque elephanto.] Hom. Odyss. 18. & 19.

Imperat ad navis ferri, ſtipatque carinis
Ingens argentum, Dodonæoſque lebetas,
Loricam conſertam hamis auroque trilicem,
Et conum inſignis galeæ, criſtaſque comantis,

Arma

& 19. πειστοῦ ἐλεφάντου. Plinium lege lib. 8. cap. 10. & lib. 16. c. 43. *Hart.*

465. *Stipat.*] Denſat. Vnde *ſtipatores* dicuntur, qui in navibus componunt, à *ſtipa*. Servius.

Stipat.] Largitorem præcipuum indicat, qui tantum donaſſet argenti, quantum naves niſi ſtipatæ, capere non poſſent. *Donatus.*

466. *Dodonæos.*] Id eſt, Epiroticos. A civitate Epiri Dodona: laudavit à regione, ut *vaſa Corinthia:* quidam dicunt ita, ubi æs optime fuſum, ſicut & apud Corinthum, vel *Dodonæos*, quales ſunt in templo Dodonæi Jovis; hæc autem regio in finibus Ætolorum eſt, ubi Jovi & Veneri templum à veteribus fuerat conſecratum. Circa hoc templum quercus immanis fuiſſe dicitur, ex cujus radicibus fons manabat, qui ſuo murmure inſtinctu deorum diverſis oracula reddebat: quæ murmura, anus, Pelias nomine, interpretata hominibus differebat. Sed cum hic ordo oraculorum per multa tempora ſtetiſſet, ab Arce, latrone Illyrio, excidi quercus præcepta eſt. Unde factum eſt, ut poſtea fatidica murmura ceſſaverint. Narratur & aliter fabula. Juppiter quondam Hebæ filiæ tribuit duas columbas, humanam vocem edentes, quarum altera provolavit in Dodonæ glandiferam ſilvam Epiri, ibique conſedit in arbore altiſſima, præcepitque ei, qui tum eam ſuccidebat, ut ab ſacrata quercu ferrum ſacrilegum ſubmoveret: ibi oraculum Jovis conſtitutum eſt, in quo ſunt vaſa ænea, quæ uno tactu univerſa ſolebant ſonare. Altera autem columba pervenit in Libyam, & ibi conſedit ſuper caput arietis, præcepitque, ut Jovis Ammonis oraculum conſtitueretur. *Servius.*

Lebetas.] Ollas æreas. Græce dixit: *Zemas* enim vulgare eſt, non Latinum. *Idem.*

Lebetas.] Id antiquis codicibus *lebetas* legimus. Et Servius hoc à Virgilio græce dictum ait. Illud addam lebetem poculorum genus eſſe Ti. Donato. non nulli legere amant *lebetes.* Pierius.

Dodon. leb.] *Lebes*, hic pollubrum, ſeu malluvium, item olla ærea exponitur à Servio. Alii *Lebetes Dodon.* interpretantur vaſa rebus variis apta, ex ære Dodonæo & præſtantiſſimo conflata: vel, quales ſunt in templo Dodonæi Jovis. Adagium eſt, *Dodonæus lebes*, in garrulos: de quo J. Parrhaſius, & Cælius lib. 19. c. 11. *Taubmannus.*

467. *Loricam.*] Et dona quæ augeant ſuas opes dat, & ea quibus ſe ab hoſte tutetur, & omnia cum decoro: & dicit arma fuiſſe illius, qui Trojam vicerat, ut ſit inſultatio, arma victum ferre victoris. *Donatus.*

Loricam conſertam hamis.] Hæc fuſe alibi ſcribuntur, explicantur, illuſtrantur, Græci θώρακα ἁλυσιδωτὸν, κρικωτὸν, πολυάγκιστρον. Hic ἐκ παρέργου te moneo legas cap. 22. Leopardi lib. 9. emendatio. ubi enodat illud Iuvenalis ſat. 14.

Diſpoſitis prædives hamis.

Grammaticis ante illum non intellectum, ſeque torquentibus in expedienda quantitate Syllabica. *Cerda.*

Hamis auroque.] Hamis aureis, per Endyadim. *Hamis* autem catenis, vel circulis ſignificat. *Servius.*

Trilicem.] Trino nexu intextam. *Idem.*

468. *Conum.*] A parte totum: nam *conus* eſt curvatura, quæ in galea prominet: ſuper quam criſtæ ſunt. *Coni* tamen appellationem ſciendum à Græco tractum. *Idem.*

Et conum inſignis galeæ, criſtasque comantis.]

Arma Neoptolemi. sunt & sua dona parenti.
Addit equos, additque duces:
Remigium supplet: socios simul instruit armis.
Interea classem velis aptare jubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phœbi interpres multo conpellat honore:
Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo,
Cura deûm, bis Pergameis erepte ruinis,

Ecce

mantis.] Proprie, sicut dictum est, Græcorum erant, ut, *Deinde comantem Androgei galeam,* & est participium *comantes* notum, non enim est verbum *como.* Idem.

469. *Sua dona parenti.*] Id est, Anchisæ: *sua* autem, congrua meritis, apta ætati. *Idem.*

Sua.] Ætati convenientia. *Donatus.*

470. *Duces.*] Itineris scilicet equorum, vel quos vulgo *agasones* vocamus, ut, *Effunditque ducem:* alii duces itinerum accipiunt. *Servius.*

471. *Remigium supplet.*] Bene verbo militiæ usus est, ut supplementum diceret: nam multos in Creta perdiderat. *Idem.*

Supplet.] In codicibus aliquot antiquis, *suplet* unico *p* scriptum legas. Circumfertur vero epitaphium à Pontano in Pelignis inventum: ubi *suplet* unico *p* notatum est. Quod nulla non ratione factum à majoribus, nomen *supellex,* ab eo verbo, ut Pontanus idem affirmat derivatum, ostendit. *Pierius.*

Socios.] Nullum indonatum reliquit, dans quæ competebant viris fortibus. *Donatus.*

472. *Velis aptare jubebat.*] Subaudis *socios,* à superioribus, & bene servat τὸ πρέπον, ut ubique Anchisen inducat in navigationem; ut, *Et pater Anchises dare fatis vela jubebat.* Servius.

473. *Ferenti.*] Pro secundo flanti, vel cum flare cœpisset. *Idem.*

475. *Anchisa.*] Bene cum Veneri libidinem non objicit, dicendo *conjugium,* majorem honorem Anchisæ tribuit. *Anchisa* autem vocativus hic non est Latinus, nam brevis esset *a*, ut *Catilina.* Græcus est ergo, de quo valde apud eos quæritur, quemadmodum exeat ab his nominibus, quæ in *es* mittunt nominativum. Nam *Tydides Tydide* facit: ut, *Danaum fortissime gentis Tydide.* *Atrides* cum sit simile, *Atrida* facit: ut Horatius, *Ne quis humasse velit Ajacem Atrida vetas cur;* Tale est ergo *Anchisa.* Sane apud Latinos horum nominum causa manifesta est: nam nominativus ipse in *a* mutatur, & recipit Latinam declinationem: ut, *Atrides Atrida*; *Scythes Scytha.* Idem.

Dignate.] Digne habite, digne judicate. Nam modo non agentis habet, sed patientis imaginem: unde est in primo, *Haud equidem tali me dignor honore.* Idem.

Dignate.] Quasi, qui dignus sit inventus qui filiæ Iovis jungeretur. *Donatus.*

Conjugio dign.] Sic & Peleus suum cum Thetide conjugium γλυκεῖα συγκοιμήματα vocat apud Eurip. in Androm. Vt autem hic *dignate* passive extulit, ita & Manil. lib. I. *An fortes animæ dignataque nomina cælo.* Vt autem *felix nati pietate*: Aristoph. in Vesp. ὦ μακάριε εὐπαιδίας. *Germanus.*

476. *Cura deûm.*] Id est, Amor. ut alibi, *Veneris justissima cura.* Servius.

Cura deûm.] 4. Georg.
Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura. in 10.
Ipse inter medios Veneris justissima cura.

 Tibull.

Ecce tibi Ausoniæ tellus: hanc arripe velis.
Et tamen hanc pelago præterlabare necesse est.
Ausoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, ô felix nati pietate. quid ultra
Provehor, & fando surgentis demoror austros?
Nec minus Andromache, digressu mæsta supremo,
Fert

Tibull. lib. 3. *salve cura Deûm.* Auson. Epigr. *superûm cura secunda Valens.* Sic & Græci μέλημα, & μέλειμοι amatoria verba usurpant. Reges enim & principes Deus tuetur. Pindarus Od. 5. Pyth.

Διός τοι νόος μέγας κυβερνᾷ
Δαίμον' ἀνδρῶν φίλων.

Jovis mens magna gubernat sortem virorum, qui sibi in precio. hinc Agamemnoni apud Homer. Il. spes maxima exsurgit, nam cum minitatus Achilles fuisset, abiturum se Phthiam, & exercitum relicturum, prudenter respondit Agamemnon:

—— παρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι
Οἵ κέμε τιμήσουσι' μάλιστα δὲ μητίετα
Ζεύς:

—— *Apud me & alii erunt,*
Qui me honorabunt, maxime autem prudens Juppiter. Cerda.

Bis Pergameis erepte ruinis.] Probavit curam deorum. Et sciendum rhetorica esse argumenta, quæ à contrariis laudant. Quod enim Anchises infœlicitatis putavit; ut, *satis una superque Vidimus excidia:* hoc iste argumento convertit in laudem. *Bis* autem, propter Herculem & Græcos, qui expugnavere Trojanos. *Servius.*

Bis Pergameis.] Ostendit, quod sit cura Deûm, qui cum debilis esset, liberatus tamen sit periculis patriæ, in qua perierunt viri fortes. *Donatus.*

477. *Ecce tibi.*] Aut vacat *tibi:* ut in Tullio, *Qui mibi accubantes in conviviis.* Aut certe altius dictum est *tibi:* ac si diceret, qui Italiæ hanc tantum visurus est partem, non etiam eam, quam Æneæ fata promittunt; aut certe *tibi*, id est, quod ad te attinet, nam ita veteres ponebant, ut Terentius in Adelphis, *En tibi autem: quid est, lupus in fabula:* & cur ut Æneæ non dicit, aut sufficere putat, quæ illi vaticinatus est, ut retineat illa: aut ambobus dicit ad unum loquendo. *Servius.*

Arripe.] Invade. Illic enim est sacrificaturus. Et tamen ἀνακόλουθον est, non enim præmisit, quanquam vicina sit. *Idem.*

478. *Præterlabare necesse est.*] Prænaviges, & bene positum, *necesse est*, ne fatigato longæ navigationis denunciatio dura videretur. *Idem.*

479. *Ausoniæ.*] Italiæ, à Rege Ausonio. *Idem.*

Quam pandit Apollo.] Laurolaviniæ agrum significat, ad quem venturus est. *Idem.*

480. *Vade, ait.*] Bis hæc est in Virgilio iteratio; ut in hoc loco. Nam cum supra *compellat* dixerit, intulit modo *Ait.* Item in quinto cum præmiserit, *Fidam sic fatur ad aurem:* subjecit rursus: *Et sese ostendat in armis, Dic ait.* Idem.

O felix nati pietate.] Latenter ostendit mortem futuram. Non enim ait felicem vitæ longinquitate, vel adventu ad Italiam: sed tantum nati pietate: quasi qui poterit exequiarum munus implere. *Idem.*

481. *Provehor.*] Sermone progredior: ut ostendunt sequentia. *Idem.*

Demoror austros.] Id est, vos demoror, quo minus ventis utamini. *Idem.*

482. *Supremo.*] Ultimo: postquam eorum desperabat aspectum. *Idem.*

Digressu supremo.] Sic apud Flaccum 2. Arg. Hypsipile abeuntem Iasonem chlamyde exornat:

—— *dixit*

Fert picturatas auri subtemine vestis,
Et Phrygiam Ascanio chlamidem: nec cedit honori,
Textilibusque onerat donis, ac talia fatur:

Accipe

—— *dixit lacrymans hæsuraque chare Dona duci promit chlamydem, textosque labores.* Cerda.

483. *Picturatas.*] Participium sine verbi origine; vel à fœminino genere derivatum, pro *pictas*, id est, pictura decoratas. *Servius.*

Fert picturatas.] Γραφὰς ὅπλων, & ἐσθήτων sæpe Græci Poëtæ usurpant. Textilia autem dona videtur dixisse, ut Hom. Od. ν. χρυσόν τε ἅλις ἐσθῆτά θ' ὑφαντήν. Sed & Catullus *linum catagraphon* dixit, quasi picturatum: & Lucret. *Textilibus picturis ostroque rubente.* Tales & *variegatas vestes* θρόνα Græci Poëtæ: ut Hom. Il. χ. δίπλακα μαρμαρέην ἐν δὲ θρόνα ποικίλ' ἔπασσε. *Germanus.*

Auri subtemine.] Id est, filo, quod intra stamen currit: quod Persius *tramam* dixit, *Mihi trama figuræ Est reliqua: ast illi tremat omento popa venter.* Nam male quidam *subtegmen* stamen accipiunt, quum stamen de auro esse non possit. *Servius.*

Auri subtemine vestis.] Sunt antiqui codices, in quibus *subtegmine* una dictione legatur. Sunt ubi præpositio *sub* divisa est à *tegmine*: Sed Grammatici *subtemine* absque g littera legendum contendunt. Dici vero *subtemen subteminis*, ut *stamen staminis*, ait Carisius. *Pierius.*

Auri subtemine.] *Subtegmine* alii, item alii *substemine* legunt, quod posterius mihi probatur, quia *stamen* & *substemen* sapere Græcam derivationem videntur, ἀπὸ τοῦ στήμονος καὶ ὑποστήμονος; nam στήμων & στάμων dicitur, in substemine η in e longum verso: quod substemen ἐρυφὴ Plat. leg ε. & ὕφασμα, κρόκη, *trama* Servio Catullus autem eo loco, *Currite ducentes substemina, currite fusi*; fusos respicit, quibus involvitur substemen, qui πλωία dicuntur. *Germanus.*

Fert picturatas auri subtemine vestis.] De vestibus διαχρύσοις, de subtemine & stamine dissertationes habet eruditas Salmas. ad Script. Hist. Aug. p. 545. 979. & vol. 2. p. 551. *Emmeness.*

484. *Et Phrygiam Ascanio chlamidem.*] Aut acu pictam. Hujus enim artis peritos *Phrygiones* dicimus secundum Plautum. In Phrygia enim inventa est hæc ars. Aut ob hoc addidit *Phrygiam*, quasi per quam patriæ memoria retineretur. *Servius.*

Chlamidem.] Notat in Sueton. Lævinus, chlamydem non solum militare esse vestimentum, sed inter puerilia quoque ab Ulpiano apponi, nam hæc donabatur pueris ad faustum quoddam omen futuræ militiæ. Suet. Tiber. loquens de pueritia Tiberii, c. 6. *Munera, quibus à Pompeja Sexti Pompei sorore in Sicilia donatus est, chlamis, & fibula, &c.* Cerda.

Nec cedit honori.] Id est, tanta dat munera, quanta merebatur Ascanius: hoc enim honoris est, non cedere, parem esse meritis accipientis. Scaurus *Honore* legit: & intelligit, honore non cedit Heleno, qui patri ejus vel avo donaverit multa. *Servius.*

Nec cedit honori.] Duo notat in chlamide: & quod esse sibi solatio, quia esset de originalibus terris: & quod conveniret honori Ascanii. nam digna fuit qua uteretur. Tali etiam dignus Ascanius, qui tantam rem applicaret usibus suis. Sunt enim quidam abjecti, qui utuntur vestibus sibi non convenientibus: sunt rursus adeo excellentes, ut cum suis vestibus pari honore contendant. Laudavit autem solam chlamidem, cætera generaliter dixit. *Donatus.*

485. *Textilibus.*] Sibi congruis. Quid enim magis conveniebat donare mulierem? *Serv.*

Onerat.] Ut in Heleno dixit, *sti-*

Accipe & hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum
Sint, puer, & longum Andromachæ testentur amorem,
Conjugis Hectoreæ. cape dona extrema tuorum,
O mihi sola mei super Astyanactis imago.
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat:

Et

patque carinis. Ille vir fortis donat aurum, argentum, arma viro forti. Hæc mulier donat puero textilia. Ergo habuit rationem personarum. Hæc etiam duo genera munerum ponit: chlamidem auri subtegmine variatam, quæ esset ex antiquis. Item alia munera, quæ non essent tanti precii, sed suis manibus. Unde cum hæc offerret, dixit: *accipe & hæc*, præter chlamidem & prædicta: ut alterum haberet precium, alterum amoris religionem & dantis affinis affectum. Ergo si non valent dona, valeat persona Andromaches, tui avunculi uxoris. *Donatus.*

486. *Accipe & hæc.*] Aut intelligimus ante à se aliqua fuisse donata: aut certe secundum jus locutus est. Omnia enim quæ vel avus, vel pater acceperat, ad Ascanium hereditatis jure deveniunt. An *& hæc*, præter illa quæ Helenus tibi dedit? *Servius.*

Monumenta.] Memoria. *Monumenta* autem à mentis admonitione sunt dicta. *Idem.*

487. *Longum amorem.*] Et de præterito & de futuro, ut agnoscas quantum te vel amaverim, vel amatura sim. Potest & pro *diu* accipi. *Idem.*

488. *Conjugis Hectoreæ.*] Dictum est hoc, habita ratione personæ, cum qua loquebatur: ac si diceret, uxoris avunculi tui. *Idem.*

Extrema tuorum.] Ut quæ Ilio extulit. vel sicut supra, *Digressu mœsta supremo.* Idem.

489. *O mihi sola mei super Astyanactis imago.*] *Super*, id est, valde, vehementer, expresse: hoc est, valde mihi es imago Astyanactis. quo sermone etiam Homerus in simili utitur significatione; vel deest *ut sitque superest*. id est, restet, ut in octavo: *Neque enim fuga jam super ulla pericli est.* Fabula autem de Astyanacte ista est: Superato Ilio, cum Græci ad patriam redituri contrariis flatibus prohiberentur, Calchas cecinit dejiciendum ex muris Astyanacta, Hectoris & Andromachæ filium, eo quod si adolevisset, fortior patre futurus, vindicaturus esset patris interitum. Hunc Ulyxes occultatum à matre, cum invenisset, præcipitavit è muro, & ita Græci Troja profecti sunt. *Idem.*

O mihi sola mei super.] Etiam hæc contendit Scalig. lib. 5. cap. 3. cum Homericis. Et divina, inquit, illa sunt: Statius Silvarum 5. ✠ſ. 10.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Et quanquam Græcus ibi, ὀφθαλμῶν βολὰς, mirifice dixit: non potuit Latine noster. at alio verbo compensavit. gestum enim apposuit, cum dixit, *Ferebat.* Et mirum quod addit,

Et nunc æquali tecum pubesceret ævo.

ut augeat affectum memoriæ, ex repræsentatione rei, quæ non est, & esset. *Hæc Scaliger.* Videatur & Macrob. l. 4. c. 5. Saturn. item Cælius lib. 29. c. 24. Porro illud, *super*, exponit Servius, item Nonius; *valde, vehementer, expresse.* q. d. valde mihi es imago Actyanactis. Turnebus tamen lib. 23. c. 5. ut & Pimpontius, *super* hic pro Participio *superans*, περιγινομένη, id est, *reliqua*, seu ὑπερισταμένη, id est, *superstes*, accipiunt: quo pacto Græci Præverbia pro Verbis eleganter ponere soleant: ut μέτα, pro μέτεστι: πάρα, pro πάρεστι. Ita Valerius l. 8. *Nec spes ulla super:* pro, *superest.* Taubm.

490. *Sic oculos, sic ille manus.*] Hom. de Telemacho; κείνη γὰρ τοιοίδε πόδες, τοιαίδε τε χεῖρες, ὀφθαλμῶν δὲ βολαὶ, κεφαλὴ

Et nunc æquali tecum pubesceret ævo.
Hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis:
Vivite felices, quibus est Fortuna paracta
Jam sua: nos alia ex aliis in fata vocamur.

Vobis

κεφαλῆς δ' ἐφύπερθεν χαίτη. *German.*

491. *Pubesceret ævo.*] Ut etiam in secundo diximus, prooeconomia est; ut verisimile sit, Ascanium in octavo potuisse jam bella tractare. *Servius.*

Et nunc æquali.] Hic versus videtur esse ex Eurip. in Ione sub persona Creusæ ad filium: σοὶ ταυτὸν ἥβης, εἴπερ ζῶ, εἶχ' ἂν μέτρον. *Germ.*

492. *Digrediens.*] Pro *cum digrederer*, participium pro verbo modi conjunctivi. *Servius.*

Hos ego digrediens adfabar.] Sic Cyzicus apud Valer. Flacc. lib. 3. cum ab eo Iason discedit,

Ipse agit Æsonidæ junctos ad litora gressus
Cyzicus abscessu lacrymans.

Apud eundem lib. 2. cum Argonautæ discedunt ab Hysipyle, similis tristitia & lacrymæ inducuntur,

Nec minus Orphea tristis (Hypsipyle) *cervice tuaque*
Æacide, & gemino conjux à Castore pendet:
Has inter lacrymas legitur piger uncus arenis.

Opportune autem monet Rittershus. in Opp. Cyneg. discrimen inter *digredi*, & *degredi*: ut prius sit discedere ex loco aliquo, posterius descendere de superiore loco, cui contrarium sit, ascendere. Sic Sallust. 4. Hist. *ut primum Algus degressus est.* in Iugurth. *monte degrediens.* &, *colle degredi.* Florus l. 3. *ab arce degressus.* itaque male confunditur horum verborum usus. *Cerda.*

Lacrimis adfabar.] Non poterat ab iis, qui & cives, & in se liberales essent, sine lacrimis discedere. *Donat.*

Obortis.] In antiquis plerisque codicibus, *abortis* legitur per *ab*. Sed doctorum consensus mavult pro *ob*, *obortis* scribi. *Pierius.*

493. *Vivite felices.*] *Vivite* modo, bene optantis est: ut in Bucolicis, male dicentis: *Vivite silvæ*, id est, perite. Simile est & *valete*: ut Terentius, *Valeant, qui inter nos dissidium volunt.* Sunt autem hæc per contrarium inventa maledicta, ut sit quasi amara veneratio. Illud quæritur utrum *vive*, an *vivas*, id est, utrum per imperativum dicere debeamus; & constat dici melius per optativum. Optari enim possunt, non imperari, vel bona, vel adversa. quod autem invenimus per imperativum, usurpatum est. *Servius.*

Vivite felices.] *Feliciter vivere* dicit, manere ociosum in eodem loco, & adversa fortunæ ulterius non timere. Sibi autem omnia contraria esse ostendit. *Donatus.*

Fortuna peracta jam sua.] Id est, dura, propria Trojanorum: ut, *Hac Trojana tenus fuerit fortuna secuta.* Servius.

Peracta.] Prostrata. *Idem.*

Peracta.] Achilles Statius legit *parata.* Firmat Tibullianis versiculis non satis ad gustum, omitto. Ego in integra sententia Propertianam imitationem invenio. ut enim Æneas ait: Nos imus semper in nova fata, vos hic vivite, qui jam felices: Ita Propertius lib. 1. eleg. 1. non dissimili sententia:

Ferte per extremas gentes, & ferte per undas,
Qua non ulla meum fœmina norit iter.
Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure,
Sitis & in tuto semper amore pares.

Cerda.

494. *Sua.*] Id est, dura, & propria Trojanorum. ut 6. Æn.

Hæc Trojana tenus fuerit fortuna sequuta. Taubm.

Nos alia ex aliis in fata vocamur.] Hesiod.

Vobis parta quies: nullum maris æquor arandum:
Arva neque Ausoniæ semper cedentia retro
Quærenda. effigiem Xanthi Trojamque videtis,
Quam vestræ fecere manus, melioribus (opto)
Auspiciis; & quæ fuerit minus obvia Graiis.
Si quando Thybrim, vicinaque Thybridis arva
Intra-

siod. in Theog. ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται χαλεπώτατος ἄθλος· & Homer. Il. τ. ὥς μοι δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί· Eurip. in Hecub. παρακαλεῖ δ' ἐκεῖθεν αὖ λύπη τις ἄλλη διάδοχος κακῶν κακοῖς· & post paulo, πόνοι γὰρ ἐκ πόνων, ἀνάγκαι κρείσσονες κυκλοῦνται· & ἕτερα δ' ἀφ' ἑτέρων κακὰ κακῶν κυρεῖ. *Germ.*

495. *Vobis parta quies.*] Locus hic cognationem habet cum eo, 1. Æn.

O fortunati quorum jam mœnia surgunt,
Æneas ait.

ut vero hic *cedentia retro*, sic in 5.

—— dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem, & volvimur undis.

Poëta enim, ut aliis, sic sibi interdum insistit, seque ipse æmulatur. *Cerda.*

495. *Arandum.*] Findendum, ut, *Longæ sulcant vada salsa carinæ*; *sulcus* enim proprie aratri est. *Servius.*

Arandum.] Pari venustate Ovidius 1. Trist. *æquor aro.* & 1. Ponti: *sulcavimus æquor.* Fluxit hoc à Græcis. Aristides orat. 4. sacror. serm. ὑπεναντία τοῖς ἀνέμοις πλέοντι, καὶ οἷον ἀροῦντι τὸ πέλαγος: *naviganti adverso vento, & quasi aranti pelagus.* Quæ verba præeunt ad explicationem Virgilii. Hoc certe verbum inferendum, cum adversa est navigatio, ut in vate, & in adductis testimoniis Ovidii. Ut enim arare terram, laboriosum est, sic pelagus. neque enim in navigatione prospera commode uteris his vocibus. An alii utantur in cursu prospero, nihil moror. Nonnus quidem lib. 1. usurpat in navigatione τέμνω, σχίζω, *seco, findo*; quæ sunt terræ. Et pro nauta ἀγρονόμον dixit, id est, *agricolam*, & pro navigatione αὔλακα, id est, *sulcum.* Et lib. 2. pari venustate, κῦμα χαράσσων. Mecœnas apud Senecam ep. 104. *alveum lintribus arent.* Cerda.

496. *Semper cedentia retro.*] Ut, *Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.* Servius.

Cedentia retro.] Impossibilia dicit, sed per illa suum tædium exprimit, qui tot annos laboriose periculoseque navigans, nondum veniebat quo pervenire cupiebat. *Donatus.*

498. *Quam vestræ fecere manus.*] Quod est dulcius. *Servius.*

499. *Et quæ fuerit minus obvia Grajis.*] Id est, quæ nullum patiatur excidium. Alii *fuerint* legunt: & volunt esse maledictum in Græcos, ut ad auspicia referas: quod non procedit. Nec enim de hoc agebatur. *Obvia* autem obnoxia, inimica, contraria. *Idem.*

500. *Si quando Thybrim.*] Fluvium: pro quo regem ipsum posuit Tybrin, qui in hunc cecidit fluvium, & nomen dedit. Nam antea *Albula* dicebatur: ut ostendit in septimo Virgilius. Alii volunt non Tybrim cecidisse: sed Tyberinum regem Albanorum: à quo *Tyberis* dictus est. Ut autem *Tybris* dicatur, hæc ratio est; Quodam tempore Syracusani victores Atheniensium, ceperunt Syracusis ingentem hostium multitudinem, & eam cæsis montibus fecerunt addere munimenta civitati. Tunc auctis muris etiam fossa intrinsecus facta est: quæ, flumine admisso, repleta munitiorem redderet civitatem. Hanc igitur fossam per hostium pœnam, & injuriam factam, *Ybrin* vocaverunt, ἀπὸ τῆς ὕβρεως. Postea profecti Siculi ad Italiam, eam tenuerunt partem,

Intraro, gentique meæ data mœnia cernam,
Cognatas urbis olim, populosque propinquos
Epiro Hesperia, quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem casus; unam faciemus utramque
Trojam animis. maneat nostros ea cura nepotes.
Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta:
Unde iter Italiam, cursusque brevissimus undis,

Sol

tem, ubi nunc Roma est, usque Rutulos & Ardeam. Unde est, *Fines super usque Sicanos.* & Albulam fluvium ad imaginem fossæ Syracusanæ *Tybrin* vocaverunt, quasi ὕβριν: ut, *Effigiem Xanthi Trojamque videtis.* Circa Syracusas autem esse *Ybrin* fossam nomine, Theocritus meminit. *Idem.*

501. *Gentique meæ.*] Bene *genti suæ* dicit, non *sibi*: Scit enim Ascanio regna deberi victa fatisque incensa. *Idem.*

Data mœnia cernam cognatasque urbis olim.] Quandoque, & per omnia *cernam* subaudis. Sensus autem talis est, Si potuero ad Italiam pervenire, & regna constituere, & dividere urbes, & populos tibi cognatos. Nam & Æneas & Helenus, à Dardano orginem ducunt: Ergo hoc dicit, Quoniam & ab uno originem ducimus; & iisdem casibus subjacuimus. *Idem.*

502. *Cognatas urbis.*] Quidam in honorem Augusti dictum accipiunt. Is enim cum in Epiro Nicopolim conderet, cavit in fœdere civitatis ipsius, ut cognati observarentur à Romanis. *Id.*

Cognatas.] In quibusdam *cognatasque.* In antiquis exemplaribus non est *que*, ut ab eo verbo pendeat, *unam faciemus utranque Trojam animis, cognatas urbis olim.* Pierius.

503. *Hesperia.*] Id est, qnibus populis auctor est Dardanus. *Hesperia* autem ἑσπερόθεν, (nam Græce dixit) & est de loco adverbium, *Dardanus Hesperiam tenuit.* Figura enim nonnunquam pulchra est, si elocutio imperfecta sit: ut, Cicero in Verrinis, *Qui Verrem Romulia*, non addit, *tribu.* Servius.

504. *Utramque Trojam.*] Id est, quam & tu fecisti & ego facturus sum, jungamus, & faciamus unam: sed *animis*, hoc est, fœdere & affectione: quoniam revera eas natura non finit jungi. Quamvis quidam dubitant utrum genere, an loci proximitate *propinquos* dixerit. Sane quoniam occurrebat humanæ brevitas vitæ, bene subjunxit, *Maneat nostros ea cura nepotes.* Distinguendum autem *populosque propinquos Epiro:* & sequentibus ostendit quomodo. *Idem.*

Unam f. utramque.] Eam, quam tu fecisti Trojam, egoque facturus sum, jungamus: sed *Animis*, hoc est, fœdere & affectione. Alludit autem Poëta ad cognationem & amicitiam, quæ inter Molossos & Romanos postea coivit: de qua lib. 1. Halicarnassæus: ut princeps observavit Nannius lib. 7. Miscell. Atque ex hoc Poëtæ etiam ingenium & singularis Oeconomia apparet, qui res jam actas, tanquam futuras describit: quo divinationi sit locus. Vide & Scalig. lib. 3 cap. 11. Poëtices. *Taubm.*

506. *Provehimur pelago.*] Id est, Buthrotio derelicto. *Servius.*

Vicina Ceraunia juxta.] *Ceraunia* montes Epiri à crebris fulminibus propter altitudinem nominati. Unde Horatius expressius dixit, *Acroceraunia*, propter altitudinem & fulminum jactus. *Idem.*

507. *Cursusque brevissimus.*] Adeo ut medio noctis spatio transfretaverit. *Idem.*

Cursusque brevissimus.] Trajectus hujus brevitatem Hortensius ait contineri 700. stadiorum latitudine, videlicet 21. milliarium Germanicorum spatio: si demensio fiat ab Acrocerauniis usque

 ad

Sol ruit interea, & montes umbrantur opaci.
Sternimur optatæ gremio telluris ad undam
Sortiti remos, paſſimque in litore ſicco
Corpora curamus. feſſos ſopor inrigat artus.
Necdum orbem medium nox horis acta ſubibat:
Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, & omnis
Explorat ventos, atque auribus aëra captat:
Sidera cuncta notat tacito labentia cælo,

Arctu-

ad Hydruntem maritimum Italiæ oppidum. *Cerda.*

508. *Umbrantur.*] Illuſtret hunc locum Guliel. Stuchius lib. 1. Antiquit. Convivial. cap. 11. Græci ad notandas horas, & tempus quodcunque, ad σκιὰν, id eſt, *umbram*, confugiebant. & ad τὸ στοιχεῖον τῆς σκιᾶς, *lineam umbræ*. Inde non otioſe Virgilius, & hîc *umbrantur montes.* & in 1. Ecl.

Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

Interpres Ariſtophan. ἐν Ἐκκλησιαζ. ad verba illa, ὅταν ᾖ δεκάπουν τὸ στοιχεῖον, ita ait, ἡ τοῦ Ἡλίου σκιὰ, ὅταν ᾖ δέκα πηχῶν. θέλει οὖν εἰπεῖν ὅτε γίνεται ὀψέ: *quando Solis umbra fuerit decem Cubitorum, hoc eſt, quando erit ſero.* Lucianus in Gallo: συνεχὲς ἐπισκοπῶν ὁπόσων ποδῶν τὸ στοιχεῖον εἴη: *aſſidue obſervans, quot pedes haberet linea.* Et in Saturnalibus inter leges conviviales, λούεσθαι μὲν ὁπόταν τὸ στοιχεῖον ἑξάπουν εἴη: *lavari, cum linea jam ſex eſt pedum.* Eubuli verſus apud Athen. lib. 1. omitto, ut multos. *Idem.*

509. *Optatæ telluris.*] Quæ à navigantibus ſemper optatur. *Servius.*

510. *Sortiti remos.*] Quia remigium ſuppletum erat. Et *ſortiti*, per ſortem diviſi ad officia remigandi, quis eſſet proreta, quis pedem teneret. *Idem.*

Sortiti remos.] Ita 8. Æn. *pariterque laborem Sortiti.* Ita milites 9. Æn.

Omnis per muros legio ſortita periclum
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum eſt. Taubm.

Paſſim.] Prout quis voluit. *Servius.*

Litore ſicco.] Ad diſcretionem illius quod aqua alluitur. *Idem.*

511. *Corpora curamus.*] Cibo ac potu reficimus vide N. ad ℣ſ. 187. l. 4. G. Ex Ennio l. 12. Annal. deſumtus hic locus. Simile utitur locutione Plin. l. 6. Epiſt. 20. *Curatis utcunque corporibus.* Petron. *Cibiſque naufragis corruptis utcunque curati.* & alio in loco; *Curavi diligentius noxioſiſſimum corpus.* Serum diei hic deſcribi notavit. Scal. poët. l. 3. c. 6. *Emmeneſſ.*

512. *Orbem medium.*] Cœlum intelligit Salmaſ. exerc. Plin. p. 814. *Idem.*

Horis acta.] Per horas decurrens. *Servius.*

Subibat.] Bene *ſubibat*, poſt ſextam enim horam deſcendit. *Idem.*

514. *Auribus aëra captat.*] Naturale enim eſt, ut à qua parte flaturus eſt ventus, ad eam auris admota frigidior fiat. *Idem.*

Auribus aëra captat.] Supra Georg. 2. *patulis captavit naribus auras.* Græci ὠτακουστεῖν, & ὠτακουστής. *Germanus.*

Auribus aëra captat.] Virgilius hic Homero ſuperior, teſte Macrob. lib. 5. Saturn. c. 11. *Emmeneſſ.*

515. *Sidera cuncta notat.*] Ideo *cuncta*, quia in prognoſticis legitur non ſufficere unum lignum ad explorandam futuram ſerenitatem. *Servius.*

Notat.] Ut Tullius, *Notat & deſignat oculis*, id eſt, diligenter intuetur. *Idem.*

Tacito cœlo.] Aut nocturno, per quod tacetur: aut ipſe tacitus: aut certe ad homines retulit. Nam licet æternus ſit axium ſonus, tamen à nobis non auditur. Ergo quantum ad nos, *tacitum* dixit. *Idem.*

Labentia.] Curſu ſcilicet mundi, neque

Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt cælo constare sereno;
Dat clarum è puppi signum: nos castra movemus,
Tenta-

que enim ventis feruntur, sicut de planetis dicitur: Ergo *labentia*, tanquam labentia, nunquam enim loco moventur. *Idem.*

Labentia sidera.] Imitatione illius Lucret. lib. 1. *vivant labentes ætheris ignes.* German.

516. *Arcturum.*] Stella est post Ursum in Boöte signo. *Servius.*

Arcturum pluviasque Hyadas.] Quamvis in veteribus codicibus *Pliadas* legatur: Placet tamen, quod ejus loco positum est à recentioribus *pluviasque Hyadas.* Nam *Plias* primam producit: quia diphthongus est *ei*, πλεῖας: nisi quis vocalem alteram, quod sæpe ex commodo suo Græci faciunt, detritam velit. *Pierius.*

Pluviasque Hyadas.] Id est, pluviosas. Salustius, *Consedit in valle virgulta nemorosaque*; *virgulta* pro *virgultosa.* Quidam autem Arcturum, vel *pluvias Hyadas* accipiunt, quia non utraque uno tempore oriuntur; quod si ita est, erit *que* pro *ve.* Servius.

Triones.] Id est, Septentriones. duos, id est, Cynosuram & Helicen. Varro autem ait, boves *triones* dici, & hæc signa etiam *plaustra* dicuntur, quæ bobus necessario trahi solent, ut Græci ἄρκτον ἄμαξαν. *Idem.*

517. *Armatumq; auro circumspicit Oriona.*] Bene *armatum auro*, quia & balteus ejus & gladius, clarissimis fingitur stellis. Sic Lucanus, *Ensiferi nimium fulget latus Orionis.* Et sciendum non hoc eum intueri, ut cernat signa, quæ omnibus patent: sed explorare stellarum vigorem, quo futura indicatur serenitas: ut in Georgicis, *Nam neque tunc stellis acies obtusa videtur.* Ipsum autem Orionem etiam tempestates significare si fuerit obscurus, alibi ostendit: *Cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion.* Si autem quærebat quasi non orta, nequaquam procedit: cum etiam Septentriones dixerit, qui semper videntur. *Servius.*

Circumspicit Oriona.] Aut quærit cernere, aut diu contemplatur. *Idem.*

Oriona.] Euripides in Ione Ὠρίωνα vocat ξιφήρη. vocem produxit Virgilius, ut Græci sæpe. Euripidem jam vidisti. Homerus quoque 5. Odyss. τὸν Ὠρίωνα λάβεν. ita & Lucanus:

Ensiferi nimium fulget latus Orionis.

Alii corripiunt. Ovidius:

—— *accinctumque Oriona ferro.*

Cerda.

518. *Cælo constare sereno.*] Id est, omnia videt habere cœlum, quæ significant serenitatem. *Constare* autem, suppetere: ut Juvenalis: *Quis ferat uxorem, cui constant omnia?* Servius.

519. *Clarum signum.*] Faculam elevavit: ut, *Flammas cum regia puppis Extulerat.* Idem.

Dat clarum è puppi signum.] Phrasis Ennii est, & in re etiam nautica, 8 Ann.

Tonsas ante tenentes signum
Cum dare cœpisset.

Sed translata à militia. Ideo postea,

—— *nos castra movemus.*

Cerda.

Castra movemus.] *Castra* sunt ubi miles steterit. Modo tamen classem significat, quia & *castra nautica* dicuntur. Dicta autem *castra*, quasi *casta*: Vel quod illic castraretur libido. Nam nunquam his intererat mulier. *Servius.*

Castra.] Commutatio metaphorarum pulchra est, hic *castra* de re nautica; in 2. *classem* de terrestri exercitu, *classibus hic locus*, adi. Sed firmo locum Virgilii: ut hic *castra* in re nautica, ita lib. 4. —— *faces in castra tulissem,* Id est, in naves. & in 5.

—— *sic acer equo turbata petivit*
Castra.

ubi

Tentamusque viam, & velorum pandimus alas.
Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis,
Cum procul obscuros colles humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam læto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit,

ubi intelligit navalia. Attius Antenoridis:

Aut naves urens castra mactabo in mare.

Propert. lib. 2. eleg. 8.

Fervere & Hectorea Dorica castra face.

ubi loquitur de ignibus, quibus Hector incendebat naves Græcorum. Ut vero Poëta *movere castra*, ita Propert. el. 8. l. 4.

Mutato voluit castra movere toro.

Juvenal. Sat. 6. —— *Castra moveri.* & 8. ——*Signa duces, & castra movebant,* Xenophon ad idem explicandum, ἀναζεύγνύειν dixit. ita lib. 8. παιδ. ὅτω δὴ ἀνεζεύγνυε. & lib. 4. ἀναβ. καὶ ἀναζεύξαντες ἐπορεύοντο: *motis castris pergebant.* Cerda.

520. *Tentamusque viam.*] Id est, naves producimus. *Pandimus alas.*] Contos intendimus. *Servius.*

521. *Rubescebat.*] Vix narres, quos colores Poëtæ dent Auroræ, Virgilianos accipe. Hìc *rubrum* dat; *roseum* in 6. *croceum* non semel: *pallidum*, 1. Georg. in 12. *puniceum.* in 7. *luteum.* Horum primum habes etiam in Ovidio 2. & 3. Met. & 4. Fast. In Silio l. 10. 12. 16. Lucan. l. 2. Lucr. l. 4. Alterum l. 5. Silio lib. 2. & 9. Ovidio 5. Fast. Claudiano in Honorio, Boëtio lib. 2. & 3. Tertium in Ausonio, Ovidio 3. Met. & 3. Fast. Quartum in Statio 6. Theb. Boëtio lib. 2. Quintum in Claudiano 1. Rapt. Sextum in Ovidio 7. Met. Dedi & firmavi Virgilianos colores. His adjice, *Purpureum* ex Ovidio 2. & 6. Met. & Statio 3. Theb. *Aureum* ex Catullo & Lucretio lib. 2. *Rosidum* ex Ausonio. seu potius *Roscidum* ex Silio lib. 2. & 15. Seneca in Thyeste. *Nitidum* ex Ovidio 2. Met. & Silio lib. 5. *Fulgidum* ex Ovid. 2. Met. *Rutilum* ex Silio lib. 16. *Cæruleum* ex Seneca in Furente. *Igneum* ex Stat. 8. Theb. *Cerda.*

522. *Obscuros colles.*] Est hoc, quod dixit Lucanus:

—— *& dubios cernit vanescere montes.*

Idem.

Humilemque videmus Italiam.] Aut naturam provinciæ ostendit: quod verum est in illo transitu: ut Salustius, *Italia plana ac mollis.* Aut rem physicam exprimit: quia omne, quod continetur, altius est ab eo, quod continet. Aut quia procul visentibus, terra humilis semper videtur: ut Lucanus, *Et dubios cernit vanescere montes.* Servius.

Humilem Italiam.] Non est Italia humilis, sed quia etiam alta navigantibus, cum longe apparent, videntur humilia. *Donatus.*

523. *Conclamat.*] Valde, aut sæpius clamat. *Servius.*

524. *Italiam.*] Tautologia usus est ad exprimendum affectum navigantum. *Idem.*

Salutant.] Quidam pro *adorant* tradunt, ut *deos salutare.* Idem.

Italiam socii læto clam. s.] Lætum ac faustum clamorem una voce Græce ὠδ[illegible]ον dicunt, & φωνὴν κατὰ τὴν ἐκβοηθῆσαι, καὶ χειροτονείας. *German.*

525. *Corona induit.*] Aut usque ad summum implevit: aut revera coronavit. *Servius.*

Cratera corona induit.] Id est, Crateri coronam floream imposuit: ut Turnebus & Lipsius explicant: quod ubertim notamus ad illud, 1. Æn. vs. 728. *vina coronant.* Vel etiam, ut aliis placet; ad summam usque coronam seu marginem implevit: ut illud, *Implevitque mero,* sit ἑρμηνεία præcedentium. *Taub.*

526. *Me-*

Induit, inplevitque mero; divoſque vocavit
Stans celſa in puppi.
Di, maris & terræ tempeſtatumque potentes,
Ferte viam vento facilem, & ſpirate ſecundi.
Crebeſcunt optatæ auræ; portuſque pateſcit
Jam propior, templumque apparet in arce Minervæ.
Vela legunt ſocii, & proras ad litora torquent.
Portus ab Eoo fluctu curvatur in arcum;
Objectæ ſalſa ſpumant adſpergine cautes:
Ipſe

526. *Mero.*] Hic vino: alias *merum*, quod nihil admixtum habet. *Servius.*

528. *Di, maris.*] Per quod navigo. *Idem.*

Terræ.] Ad quam iturus ſum. *Idem.*

Tempeſtatum.] Ventorum, aurarum, temporum, ſerenitatis: ut, *Unde hæc tam clara repente Tempeſtas?* Nam multa ſignificat. *Idem.*

Di tempeſtatum potentes.] Sic l. 1. Æn. ℣ſ. 80. pro domino *Nimborumque facis tempeſtatumque potentem*. Vide illic notas. Sed egregie hanc locutionem illuſtrat Bochart. hiſt. animal. l. 2. c. 6. *Emm.*

529. *Vento.*] Septimus caſus. *Idem.*

Ferte viam facilem.] Præbete facilem viam. *Donatus.*

Spirate.] Et ad ventum pertinet, & ad favorem: ut, *Adſpirat primo fortuna labori.* Servius.

530. *Crebreſcunt optatæ auræ.*] Sonant. Magnum hic Anchiſæ oſtenditur meritum. *Idem.*

Crebreſcunt.] Apparet petitionis fructus. *Donatus.*

Crebreſcunt optatæ auræ.] Sic & Cæſar lib. 3. bel. civ. *Auſter increbuit.* Germ.

Crebreſcunt.] Papin. lib. 4.
— *patrioſque dolet crebreſcere ventos.*
Seneca ep. 77. *quoties ventus increbuit.* C.

Pateſcit.] Propinquantibus; ut, *Et anguſti rareſcunt clauſtra Pelori.* Servius.

531. *Apparet in arce Minervæ.*] Hic dubium eſt, utrum Minervæ templum, an in arce Minervæ debeamus accipere. Sane Calabria ante *Meſſapia* vocata eſt; hoc autem templum Idomeneus condidiſſe dicitur, quod etiam *Caſtrum* vocatur. *Idem.*

In arce.] In altitudine. *Donatus.*

532. *Legunt.*] Verbum nautis familiare: nam funes & vela cum colligunt, vel aliqua loca cum tranſeunt, *legere* appellant. *Idem.*

533. *Eoo.*] Euroo. Ab eo quod eſt Eurous fluctus, ablativum *Euroo* per derivationem debemus accipere. *Serv.*

Ab Eoo.] In omnibus pene codicibus antiquis, quos verſare contigit, *Euroo* ſcriptum obſervavi: & in pleriſque lectionem hanc abraſam eſſe, & *Eoo* repoſitum. Quia tamen hujuſmodi ab *Euro* derivativi nominis formam, neque apud Græcos, neque apud Latinos memini me legere. *Eoo* libentius, ut cum Mediceo vulgata habent exemplaria, legerim. *Pierius.*

Curvatus in arcum.] In arcus ſimilitudinem: ut, *Exciſum Euboicæ latus ingens rupis in antrum*, id eſt, in antri ſimilitudinem. Sic de Ponto Saluſtius, *Unde hic tulit colorem, nam ſpeciem efficit Scythici arcus.* Servius.

Curvatus in arcum.] Pro eo Ov. l. 14. Metam. ℣ſ. 55. *parvus erat gurges curvos ſinuatus in arcus.* Maris æſtum deſignat, in portu ab oriente facientem ſinum. Eodem utitur verbo Horat. l. 1. Od. 33. *fretis acrior Adriæ curvantis Calabros ſinus.* Sic *litus curvum* hoc lib. ℣ſ. 223. & apud Melam. *curva Aſia.* Emmeneſſ.

534. *Spumant adſpergine cautes.*] Velius Longus poni differentiam tradit inter *aſpergo* per *e* ſyllaba media, & *aſpargo*

Ipse latet. gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque à litore templum.
Quatuor hic primum omen equos in gramine vidi
Tonde-

pargo per *a*. esseque illud per *e* verbum, hoc vero per *a* nomen: dictumque à Virgilio, *spumant aspargine cautes*. Antiqua tamen pleraque omnia exemplaria *adspergine* legunt. *Pierius*.

Adspergine.] Ἄχνη Homero dicitur Il. δ. ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἄχνην. Sophocles pro *rore* usurpavit: pro *lanugine pomi* Epigr. *Germanus*.

Cautes.] Sunt in formam brachiorum. *Donatus*.

535. *Ipse latet.*] Revera procul intuentibus. Unde est, *Portusque patescit.* Nam secundum Donatum, *late patet*, non stat versus. *Servius*.

Gem. dem. brachia muro.] Propet. 3.
Inde ubi Pirei capient me litora portus,
Scandam ego Theseæ brachia longa viæ.
Germanus.

Demittunt brachia muro Turriti scopuli.] In codicibus aliquot antiquis, *dimittunt* legitur. Quippe hac & illac mittunt, porrigunt, extendunt. Atque pro *Turriti* sunt codices, qui *erecti* legant: sed *Turriti* omnino magis placet. *Pierius*.

536. *Turriti scopuli.*] In modum, in similitudinem turrium; ut, *Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur In cœlum scopuli.* Servius.

Refugitque à litore templum.] Ædificia vicina litoribus longe intuenti videntur in mari, quæ accedentibus quasi recedere & retro se agere putantur: vel quia situm est in colle, qui sensim crescit à litore. Ideo dixit *Refugit*. Tale est, *Terræque urbesque recedunt.* Idem.

Refugit.] Constitutis in portu non apparet templum, quia obstant scopuli. *Donatus*.

Refugitque à litore templum.] Templum, quod intuentibus à longinquo in portu esse videbatur; cum jam propius accedunt, longinquum est: hæc est enim natura, aut longius aut propius intuentium. Tale illud,

—— *terræque urbesque recedunt.*

Et Prop. lib. 4. observatore Germ.

Est Phœbi fugiens Athamana ad littora portus,
Qua sinus Ioniæ murmura condit aquæ.

Cerda.

A litore.] In antiquis exemplaribus, *ab litore* est. *Pierius*.

537. *Primum.*] Aut quale nunquam antea viderat: aut antequam aliud videret, aut certe quia sequitur porcæ albæ omen. Alii vero *tondentes primum campum* volunt, id est, primam partem campi. Sane figurate *Equos omen*; diversa enim significatione id omen dixit. Sed multi de libris augurum tractum tradunt: Juge id enim dicitur *augurium*, quod ex junctis jumentis fiat. Observatur enim ne prodituro magistratui disjunctis bobus plaustrum obviam veniat: quod Virgilius oblique ad equos transtulit, quos cum solutos vidisset Anchises, quem auguriorum peritum fuisse, non dubium est, ait, *bellum ô terra hospita portas, Bello armantur.* Dicendo *armenta*, oblique intelligit boves, quos vitaverat dicere, & ne *plaustrum* nominaret ait *currus*, cum autem dicit *Jugo*, veram significationem *Jugetis* facit. Sed quia in libris Etruscis invenitur etiam equos bona auspicia dare, subjunxit, *Spes est pacis, ait.* Servius.

Hic primum.] Honesta elocutio pascentes campum, & non pascentes herbam in campo: & cum dicit quibus herbis pascerentur, ostendit sola gramina illic fuisse. *Donatus*.

Quatuor hic primum omen equos in gramine vidi, &c.] Sine vinculis libere carpentes gramina, animalia enim, Diis consecrata, sine custode per prata vagari patiebantur, ut Suet. in Cæsare c. 81. quæ Græcis dicebantur ζῶα ἄφετα. teste Turnebo l. 2. c. 27. & P. Victorio

Tondentis campum late, candora nivali,
Et pater Anchiſes: Bellum, ô terra hoſpita, portas:
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen idem olim curru ſuccedere ſueti
Quadrupedes, & frena jugo concordia ferre.
Spes eſt pacis, ait. tum numina ſancta precamur
Palladis armiſonæ, quæ prima accepit ovantis;

Et

ctorio l. 28. c. 24. ſi autem *primum* velis referre ad *campum*, ſunt, qui probant. Noſter l. 9. Æn. ꝟſ. 324.

Vidimus obſcuris primam ſub vallibus urbem.

Apulejus l. 2. Metam. *cum primam plateam vadimus.* & l. 3. *primum angiportum inſiſtamus.* Emmeneſſ.

538. *Tondens campum late.*] Hom. Il. δ. κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον. Supra: *nocte arida prata Tondentur.* Lucr. lib. 2. *Sæpe itaque ex uno tondentes gramina campo.* Ut autem hic, *Bello armantur equi*, idem Lucret. *equorum duellica proles:* & Plutarch. ἐν ῥωμ. in eandem ſententiam, cur equus idib. Decemb. Marti immolaretur: ὅτι θυμοειδὲς, καὶ πολεμικὸν, καὶ ἀρήϊον ὁ ἵππος ἐστί. τὰ δὲ προσφιλῆ μάλιστα καὶ πρόσφορα θύουσι τοῖς θεοῖς. *Germanus.*

Candore nivali.] Pro *candoris nivalis*, ablativum pro genitivo: & hoc ad victoriæ omen pertinet. Simul notandum, Anchiſen omnem habere divinandi peritiam. Hinc eſt illud, *Divinique oſſa parentis.* Servius.

Candore nivali.] Oſtendit & equos, & niveos, & conſtitutos in magna ubertate. *Donatus.*

Candore nivali.] Vide ea, quæ dicta ſunt ad ꝟſ. 82. lib. 3. G. nivei coloris equos habuit Pilumnus l. 12. Æn. ꝟſ. 84.

Qui candore nives anteirent, curſibus auras.

Primus equorum color, qui commendatur, eſt πυῤῥὸς rufus, ſecundus eſt albus, quemadmodum Maronem refutat Bochartus in hiſtoria anim. l. 2. c. 7. quem legere juvabit. *Emmeneſſ.*

539. *Terra hoſpita.*] Uſurpative *Hoſpita* dixit: quæ enim in *es* exeunt, communia eſſe poſſunt. Nam fœmininum in *a* non mittunt. Lucanus, *Hoſpes in externis audivit curia tectis.* Nec mirum abuſum eſſe Virgilium: quum & Plautus *paupera* dixerit ab eo quod eſt *hic* & *hæc pauper*, ut, *Pauperque ſenatus.* Item, *Pauperque domus, nec vota potentum Munera.* Servius.

540. *Bello armantur equi.*] Hic *bello* dativus eſt, & ratiocinationis eſt. *Id.*

Bello armantur equi.] Non quia equo Troja perierit, ut quidam ridicule dicunt, ſed doctrina ſua equos oſtendere bella dixit. *Donatus.*

Armenta.] *Armenta* dicta ſunt quaſi apta armis. Nam & equi interſunt præliis: boves armant ex coriis. *Serv.*

541. *Sed tamen.*] Anacoluthon: Nam *quamquam* non præmiſit. *Idem.*

Olim.] Infiniti temporis. *Idem.*

Curru.] Pro *currui*, dativus vetus. *Idem.*

Curru.] *Currum* habet vetuſtus codex Leydenſis. Vide Nobiliſſ. Heinſ. ad Ovid. Met. l. 13. ꝟſ. 611. *Emmeneſſ.*

542. *Quadrupedes.*] In antiquis codicibus, *quadripedes* per *i*, ut *bipes tripes.* Sed *quadrupes* per *u* in conſuetudine manſit: ut ex *periquilo periculum:* & alia quædam hujuſmodi, quæ per *i* enuntiari, ſcribique ſolita Velius Longus ait. *Pierius.*

543. *Spes eſt pacis, ait.*] Oſtendit latenter vincere poſſe Trojanos, dicendo ſupra, *Curru ſuccedere ſueti.* Et, *Jugo ſueti.* & cum præmiſiſſet de bello, poſt ait de pace, ut id magis remaneret in mentibus. *Servius.*

544.] *Palladis armiſonæ.*] Bene poſt

belli

Et capita ante aras Phrygio velamur amictu:
Præceptisque Heleni, dederat quæ maxima, rite
Junoni Argivæ jussos adolemus honores.
Haud mora; continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum,

Graju-

belli omen, armorum deam precatur: quanquam hoc quoque templum visum ad omen pertineat. *Serv.*

Palladis armisonæ.] Ad alia signa belli, accedit templum armatæ Palladis, quam merito orat, ut prosperum faceret, si quid adversi immineret, & ovantes dimitteret, quos ovantes acceperat. *Donatus.*

Palladis armisonæ.] Cicero ad Equit. *Tritonia armipotens.* Cerda.

545. *Ante aras.*] Ut ostendat præter preces etiam munera fuisse, dicit aras fuisse in navi, quæ non erant, ut demonstret aram dici posse, ubicunque sacrificatur. *Donatus.*

Phrygio velamur amictu.] Sicut dictum est propter visum vel Diomeden, vel Ulyxen, quando ei Palladium redditum est. *Servius.*

Phrygio velamur amictu.] Turnebus ex Fulgentio docet, *tutulum* significari: quod pallium erat, quo sacerdotes ad sacra accessuri caput tegebant, tutabanturque: unde & vocabulum. Adversar. lib. 26. cap. 10. *Taubm.*

Velamur.] *Velare* idem quod *vestire.* inde Festus *velati appellabantur vestiti* Ovid. l. 13. Metam. *nisi colla jubæ flaventia velent.* Emmeness.

547. *Dederat quæ maxima.*] Vel propter caput velandum, vel ad illud pertinet, quod ait, *Præque omnibus unum Prædicam,* hoc est, ut supplicet Junoni. *Servius.*

Rite.] Recte, secundum ritum: unde sequitur, *Perfectis ordine votis.* Idem.

Junoni Argivæ.] Id est, magnæ: ut, *Junonis magnæ aut inimicæ Trojanis.* Idem.

Junoni Argivæ.] Junonem Argis coli solitam præcipuo honore, notius est, quam ut egeat explicatione, dictum aliquid 1. Æn. ad illud,

— *pro charis gesserat Argis*

Et Pindarus quoque Nem. vocat.

Ἄργος Ἥρας δῶμα θεοπρεπές.

Argos Junonis dignam ædem.

Antiqua inscriptio in Tibure: JUNONI. ARGEJÆ. C. BLONDUS. PROCOS. Vide etiam Oden. 7. l. 1. Horatii, & ibi interpretes. *Cerda.*

Jussos adolemus honores.] Sic Ovid. l. 8. Metam. ℣. 740.

— *& nullos aris adoleret honores.*

Emmeness.

548. *Haud mora continuo.*] Unum de his sermonibus vacat. *Servius.*

549. *Velatarum.*] Quia antennæ involutæ sunt velo, id est, velatæ, & est versus Spondazon. *Idem.*

Cornua.] Hic cornua antennarum videntur respondere Græco ἀκροκέραια, quæ antennarum sunt extremitates. Græci item τέρθρον antennæ summum extremumque jugum vocant: unde τέρθριοι qui extremos veli fines tendunt rudentes: Horat.

Non huc Sidonii torserunt cornua nautæ.

Germanus.

Cornua antenn.] quæ Græci ἀκροκέραια, Lucanus lib. 8. *summos ceruchos* vocat. Hoc est, *Cornua* sunt extremitates *antennæ*, quæ lignum est transversum in *malo*, quod velum sustinet: unde *velatæ* hic dicuntur *antennæ*, id est, velo involutæ. De dispositione autem hujus versus consulatur Pontanus in Actio, & Scalig. l. 4. c. 48. Poët. *Taubmannus.*

Obvertimus.] regressuri ex Calabria & parte illa Italiæ, alterumque latus petituri. *Idem.*

550. *Gra-*

Grajugenûmque domos suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur. attollit se diva Lacinia contra,

Cau-

550. *Grajugenûmque domos.*] Sic est dictum, quemadmodum *Trojugena.* Et sciendum sacrificii tantum caussa eos tetigisse Calabriam: ubi dicuntur accepisse Palladium, sicut dictum est à Diomede, vel Ulyxe, nec immerito dubitatur. Ut enim in secundo legimus, ambo rapuerant. *Domos* autem ideo quod Helenus, *Cuncta malis habitantur mœnia Grajis.* Servius.

551. *Herculei, si vera est fama, Tarenti.*] Fabula talis est, Lacones & Athenienses diu inter se bella tractarunt: cum utraque pars affligeretur, Lacones, quibus juventus deerat, præceperunt, ut virgines cum quibuscunque concumberent. Quo factum est, ut, cum post sedata bella, juventus incertis parentibus nata, & patriam erubesceret, & sibi esset opprobrio (nam Parrheniæ dicebantur) accepto duce Phalanto octavo ab Hercule, profecti sunt: delatique ad breve oppidum Calabriæ, quod Taras Neptuni filius fabricaverat, id auxerunt: & prisco nomine appellarunt *Tarentum.* Bene ergo nunc *Herculei Tarenti.* Est & alius fabulæ ordo: Lacedæmonii cum adversus Messenios bellum haberent, solis senibus relictis, omnem juventutem eduxerunt, juraveruntque, se non ante reversuros quam Messeniam expugnassent. Sed cum victores reversi essent, vidissentque multitudinem juvenum, qui ex servorum & dominarum virginum concubitu, ut quidam volunt, sine ullo discrimine nuptiarum nati erant, servos patibulis suffixerunt, filios strangulaverunt, nepotes fugaverunt: Sed, ut alii dicunt, timentes, ne qua ex illis discordia nasceretur, pueros, qui ex virginibus nati erant, *Parthenias* vocaverunt, & Phalantum eis Ducem constituerunt. Sed hi, cum venissent in Italiam, à quodam sepulchro, cui inscriptum erat *Taræ* nomen, urbem conditam *Tarentum* dixerunt. Hoc autem oppidum, post multos annos excidii Iliensis, conditum quidam dicunt. Alii dicunt, quod sicut supra memoratum, nepotibus Lacedæmoniorum fugatis, à nomine ducis Taræ, Herculis filii, Tarentum dictum. Quidam Tarentum ante *Satyrium* dictum tradunt, & ab Herculis filio *Tarento* post *Tarentum* dictum. Alii *Herculeum* appellatum volunt, quia Heraclidæ Lacedæmoniorum reges. Bene ergo, *si vera est fama*, aut quia Taras condiderat, auxerat Phalantus, aut ab Herculis filio conditum sit Tarentum, in quo molles & luxuriosi nascuntur, & hæc consuetudo Poëtæ est, ut ubi de incertis dubitat, famam faciat auctorem. *Idem.*

Tarenti.] Historiam, notatu dignissimam, conditæ hujus urbis Pausanias in Phocicis, Strabo l. 6. Cluver. ant. Ital. l. 4. c. 13. & plures alii tradunt. *Emm.*

552. *Attollit se.*] Quia adpropinquantibus, aut recedere montes videntur, aut surgere. *Servius.*

Diva Lacinia contra.] Junonis Laciniæ templum, secundum quosdam, à rege conditore dictum: secundum alios à latrone Lacino, quem illic Hercules occidit: & loco expiato Junoni templum constituit. Alii à promontorio Lacinio, quod Junoni Thetis dono dederat, quod ante Troicum bellum collatitia pecunia reges populique fecerunt. Quidam dicunt templum hoc Junonis, à Lacinio rege appellatum, cui dabat superbiam mater Cyrene & Hercules fugatus, namque eum, post Gessonem extinctum, de Hispanis revertentem, hospitio dicitur recipere noluisse, & in titulum repulsionis ejus, templum Junoni, tanquam novercæ, cujus odio Hercules laborabat, condidisse: In hoc templo illud miraculi fuisse dicitur, ut, si quis ferro in tegula templi, ipsius nomen incideret, tamdiu illa scriptura

Caulonisque arces, & navifragum Scylaceum.
Tum procul è fluctu Trinacria cernitur Ætna,
Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa
Audi-

maneret, quamdiu is homo viveret, qui illud scripsisset. *Serv.*

Diva Lacinia.] Id est, templum Junonis Laciniæ, hoc est, quæ in oppido Lacinio, quod hodie *Caput columnarum* appellant, colebatur. quo in loco & urbis & templi vestigia adhuc apparere, tradit Nascimbænius. Etiam Ptolemæo lib. 3. 1. *Lacinium* promontorium Brutiorum, à *Lacino* latrone, ibidem ab Hercule interfecto, oppidum fuit Junonis templo nobile. *Taubm.*

Diva Lacinia.] De promontorio Lacinio, quod hodie *capo dello colonne* Cluv. l. 4. ant. Ital. 615. *Emmeness.*

553. *Caul. arces.*] *Caulon* mons est Calabriæ: Horatius, *Et amicus Caulon:* In quo oppidum fuit à Locris conditum, quod secundum Yginum, qui scripsit de situ urbium Italicarum, olim non est. Alii à Caulo Clitæ Amazonis filio conditum tradunt. *Servius.*

Navifragum Scylacæum.] Periculosum navibus. Dictum *Scylacæum*, aut à tactu, vel à periculi similitudine. Nam inde *Scylla* longe est. Alii dicunt Ulyxen post naufragium in Italia de navium fragmentis civitatem sibi fecisse, quam *Navifragum Scylacæum* nominavit. Alii ab Atheniensibus, qui cum Mnestheo duce venerant, & à Libya redierant, conditum tradunt. *Idem.*

Caulonisque arces & navifragum Scyllacæum.] Sunt qui *naufragu* dactylum esse velint, Enniano more, *m* detrita. Sunt qui Amphimacrum defendant, quum *Scyllaceum* scribant, & versum spondaicum autument. Sunt qui *navifragum* scribant: sed *Scylaceum* Pæonicum esse tertium velint, ut ita dactylus in quintam cadat. Varie vero pronuntiari solitum nomen *Scylacei*, Strabo etiam confitetur. Sunt etiam antiqui codices aliquot, in quibus & *navifragum* choriambici dimensione & *Scyllaceum* Epitriti quarti syllabis legatur: ut dicas versum hunc ex iis esse, qui alios quoque pedes admittant, præter dactylum & spondeum; esseque choriambicum quarta sede, sed versum alioqui spondaicum. Quæ quidem comminisci cogimur, ne tot veterum codicum auctoritati detrahatur: quorum bona pars *navifragum* quadrisyllabum scriptum ostendunt. Sed enim donec melius aliquid inveniatur, acquieverim interim libenter & Porcio, & antiquis aliquot aliis codicibus, in quibus & *navifragum*, & *Scylaceum* unico *l* notatum habetur. Nam vocales *y* & *a* dichronæ omnino sunt, ut corripi licenter possint: in nomine præsertim Græcanicæ figuræ. Missum vero facio, quod *naufragium* in codicibus aliquot habetur, quum in hujusmodi lectione nihil memoratu dignum occurrat. *Pierius.*

Caulonisque arces.] *Caulon* oppidum est, quod primæ regioni Italiæ tribuit Plinius. *Cauloniam* etiam Strabo l. 6. memorat, & Mela. Stephanus auctor est, *Cauloniam* oppidum *Aulonem* quondam esse dictum. nec aliter Horat. 2. Oda 6. & Martial. l. 13. epigr. 125. *T.*

Navifragum Scylacæum.] Alii aliter hic legunt: ut & Scaliger, quem vide l. 2. c. 31. Poët. Hanc tamen lectionem plerique docti, ut & Turnebus (lib. 19. c. 21. & lib. 26. c. 30.) defendunt: inprimis Erythræus, in Indice Virgiliano, & Is. Casaubonus ad Strabonem pag. 102. Hoc autem *Scylacæum* oppidum est in ora Calabriæ: de quo itidem Strabo lib. 6. Aliud est *Scyllæum*: de quo Plinius lib. 3. c. 5. Jam, *navifragus* proprie locus est, in quo navem fregimus: navigium vero ipsum *naufragum*: ut 3. G. —— *ceu naufraga corpora fluctus, &c.* Idem.

Navifragum Scylacæum.] Sine *æ* scribendum docet Dausquius. Hodie *squillacci.* plura Cluv. ant. Ital. l. 4. c. 15. *E.*

555. *Et gemitum ingentem pelagi.*] Videtur

Audimus longe, fractasque ad litora voces:
Exsultantque vada, atque æstu miscentur arenæ.
Et pater Anchises: Nimirum hæc illa Charybdis:
Hos Helenus scopulos, hæc saxa horrenda canebat.
Eripite, ô socii: pariterque insurgite remis.
Haud minus ac jussi faciunt: primusque rudentem
Contorsit lævas proram Palinurus ad undas.
Lævam cuncta cohors remis ventisque petivit.
Tol-

detur delatus primo ad fretum: postea ad Ætnam reversus. *Servius.*

556. *Fractas.*] Nimias: ut, *Fractos sonitus imitata tubarum.* Vel *fractas*, cum fragore venientes. *Serv.*

557. *Æstu miscentur arenæ.*] Descripsit loca, Charybdi vicina: quod esse credidit ex periculi magnitudine. *Idem.*

558. *Nimirum.*] Nisi fallor. *Idem.*

Illa.] Hoc pronomine & in venerativa, & in vituperativa significatione, veteres utebantur, ut hic, *Illa*, id est, periculosa, detestabilis. Venerative autem: ut, *Sic pater ille deûm faciat.* Idem.

Hæc illa.] In antiquis aliquot codicibus, *hic illa* legitur. Sed *hæc* pronomen magis placet: quia consequitur *Hos scopulos, hæc saxa.* Pierius.

Charybdis.] Mulier voracissima fuit, ut Servius ad ℣ſ.420. quæ, fulmine præcipitata in mare, antiquum obtinet, sorbens omnia, quæ prehendit. Inde *implacata.* ℣ſ. citato. Ovid. l. 7. Metam. ℣ſ. 63. *ratibusque inimica Charybdis.* & l. 13. ℣ſ. 730.

Scylla latus dextrum, lævum irrequieta
Charybdis
Infestant. Vorat hæc raptas, revomitque
carinas.

De Scylla & Charybdi Mela lib. 2. c. 7. *Pelagus & Scyllæ Charybdisque sævis nominibus inclytum. Scylla saxum est, Charybdis mare, utrumque noxium appulsis.* His adde, quæ Cluv. l. 1. ant. Sic. c. 4. *E.*

559. *Hæc saxa horrenda canebat.*] Retulit se ad historiam. Nam pro *Scylla*, *saxa* dixit *horrenda.* Servius.

560. *Eripite.*] De periculis, & deest *nos.* Idem.

Eripite, ô socii.] Ἐν δίς: pro, insurgentes remis periculo nos eripite. Gestum remigantium ita expressit Ennius:

Pone recumbite, vestraque pectora pellite
tonsis. Item:
Pone petunt, exin referunt ad pectora
tonsas.

Quem actum Xenophon per ἀναπίπτειν repræsentavit: ut docet Turnebus. *Taubmannus.*

O Socii.] Nam commune ubi periculum est, omnibus laborandum est. *Donatus.*

O socii.] In plerisque codicibus antiquis absque *o* legitur, *eripite socii.* Sed enim locus ipse adverbium id omnino expofcere videtur: quo sine frigidiuscula esset adhortatio. *Pierius.*

561. *Haud minus ac jussi faciunt.*] Ita supra in hoc lib.

Haud secus ac jussi faciunt.

hæc enim conjunctio, *secus ac minus ac*, veteribus fuit elegantissima. *Cerda.*

Rudentem.] Si *rudentem proram*, id est, stridentem & sonantem in tempestate: ut est, *Et sera sub nocte rudentum.* *S.*

Rudentem.] In antiquis aliquot exemplaribus, *rudente* legitur, casu septimo: ut adminiculo fuerit ad contorquendum. *Pierius.*

562. *Lævas ad undas.*] De Jonio venientibus, aliter non procedit. *Serv.*

563. *Cuncta cohors.*] Quia superius dixit, *Nos castra movemus.* Idem.

Cohors.] Nomini huic adspiratio-

 nem

Tollimur in cælum curvato gurgite, & idem
Subducta ad Manis imos desedimus unda.
Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere:
Ter spumam elisam & rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum sole reliquit;
Ignarique viæ Cyclopum adlabimur oris.
Portus ab accessu ventorum inmotus, & ingens

Ipse,

nem accessisse ex consuetudine, veluti etiam *horto* Velius Longus arbitratur: quum tamen alii *cohortem* à *cohortando* dictam velint, inesseque illi adspirationem natura. *Pierius.*

Remis ventisque petivit.] Proverbii vim obtinet, de quo plura Modius novantiq. lect. epist. 41. *Emmeness.*

564. *Gurgite.*] Pro fluctu. *Servius.*

565. *Ad manis imos.*] Poëtica hyperbole. *Idem.*

Desedimus.] In Mediceo, in Porcio, & aliquot aliis codicibus antiquis, *desedimus* habetur: quod est aquæ, & terræ in imum se contrahentis, descendentisve, solo subducto. Tullius lib. primo de Divin. *Multis locis labes facta sit, terræque desederint.* Et infra eodem libro, *Delata etiam ad senatum labes agri Privernatis, quum ad infinitam altitudinem terra desedisset.* Neque tamen displicet *Descendimus*, ut sit antitheton ejus, quod dixit, *Tollimur in cælum:* quod in Mediceo codice, *Tollimur ad cælum* scribitur. *Pierius.*

566. *Scopuli clamorem.*] De historia, ut supra diximus, hoc traxit. Undæ etenim illisæ concavis saxis imitantur latratus. *Servius.*

Ter scopuli, &c.] Multo decoro hæc oculis Poëta subjecit, atque aurium nostrarum quasi dominus factus est: ut ait Scalig. lib. 5. c. 3. Vide & Macrob. lib. 5. c. 6. quem tamen sua ad Latii cloacas hausisse, J. C. Scaliger censuit. *Taubmannus.*

567. *Elisam.*] Exclusam, expressam: ut, *Elisos oculos & siccum sanguine guttur.* Servius.

Rorantia astra.] Eum scilicet locum in quo astra sunt, per diem non videbant. *Rorantia* autem pro *inrorata*, id est, quæ inrorabantur: à qua hac significatione, non est apud Latinos participium. Sane hyperbole est. *Idem.*

568. *Ventus cum sole.*] Ventorum enim mutationem necesse est fieri vel oriente Sole, vel occidente. *Idem.*

Ventus cum Sole reliquit.] Ventus cecidit cum occasu solis. Vide Aristot. lib. 2. Meteor. ubi docet, solem & compescere ventum & excitare. *Taubm.*

569. *Ignarique viæ Cyclopum adlabimur oris.*] Ut, *Servatum ex undis, Strophadum me litora primum Accipiunt*, similis enim est sensus. *Servius.*

Cyclopum.] *Clo* habet accentum, quia Latina declinatio est in accusativo: quia Græce posuit *Cyclopas*, *Cy* habet accentum: si *Cyclôpes*, *Clo* habet accentum. *Idem.*

570. *Ab accessu.*] Id est, in accessu. *Idem.*

Portus ab accessu.] Hunc locum Favorinus, apud Agell. lib. 17. c. 10. (quæ videas) aliique Virgilio carpi suggillarunt, quem contra (præter Turnebum lib. 20. c. 18.) confidentissime defendit J. Jov. Pontanus in Antonio. docetque artificiosissimi Poëtæ consilium & judicium in re admirabili enarranda prudentissimum fuisse; & aures atque oculos atque animum miraculis ubique implevisse. quæ ordine legere operæ pretium fuerit. Porro de Ætna, *solemni omnibus Poëtis*, ut ait Seneca, *loco*, videatur etiam Lucret. lib. 6. Ovidius, Sillius, Claudianus; inprimis P. Cornelii Severi Poema, quo quidem (ut Jos. Scaliger censet) cultius

Ipse; sed horrificis juxta tonat Ætna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo & candente favilla;
Attollitque globos flammarum, & sidera lambit:
Inter-

tius post tempora Tiberii Cæsaris ad nos non pervenit. item Strabo lib. 6. Plinius lib. 2. cap. 106. Sed & Atistoteles lib. 2. Meteor. *Taubm.*

571. *Ipse; sed horrificis.*] In codicibus aliquot antiquis, legere est, *ipse sub horrificis.* Ruinæ enim illæ à summo vertice montis flammæ vi in altum eructantur: & quod ipse Poëta subjungit, *saxa liquefacta sub auras cum gemitu glomerantur:* quare forte non displiceat *tonare Ætnam sub horrificis ruinis.* Magis tamen placet *sed.* Quia portus ipsius bona malaque enumerare voluit, ut occasionem arriperet Ætnæ quoque flammas, ruinas, motus horrendos, eructationesque illas describendi. *Pierius.*

Tonat Ætna ruinis.] Sensus est, portus quidam securos nos faciebat, deest enim, *quidem*, sed Ætna terrebat, & causa hujus incendii secundum Ætnam Virgilii hæc est: Sunt terræ desudantes sulphur, ut pene totus tractus Campaniæ, ubi est Vesuvius & Gaurus montes: quod indicat odor aquarum calentium. Item, novimus ex aquæ motu ventum creari. Esse etiam concavas terras Ætnam constat: ab ea parte qua Eurus vel Africus flant, habere speluncas & plenas sulphuris, & usque ad mare deductas. Hæ speluncæ recipientes in se fluctus, ventum creant: qui agitatus ignem gignit ex sulphure. Unde est quod videtur incendium. Hoc autem verum esse, illa comprobat ratio: quia, & aliis flantibus ventis, nihil ex se mittit, & pro modo flatuum Euri, vel Africi, interdum fumum, interdum favillas, nonnunquam vomit incendia: quod & hoc loco ostendit: nam effectum indicat, supprimit causas. *Servius.*

Tonat.] Montem confragosum innuit. nàm conflictus illi & fragores, nisi in concavo & cavernoso fieri nequeunt, &c. deinde dicit, *interdum:* ne discernat diem à nocte. Et, ne à se discedat, post, *tonat*, dicit *nubem.* Tonare enim & nubescere, in aëre contingit. Cernimus etiam, ut rem efferat: cum non *fumum*, sed *nubem*, & quidem *atram*; & *prorumpit*, quod violentum verbum est: & *æthera* potius, quam *aërem*, ut nimium impetum absolveret. *Fumantem*; non ita quidem veritatem velat, ut non suis aliquando nominibus rem exprimat. *Fumi* n. ex aspergine ignea, non *nubes*, exsurgunt. *Turbine piceo*, & impetum & colorem non sine quadam animi commotione designat. Ad hæc piceus color in nubibus terrificus est. Duo hæc simul conjunxit, ut rei miraculum augeret. Nec non *flammas*, *fumos*, *lucem*, *tenebras*, *favillas* simul miscet, & *turbinem piceum*, & *favillam candentem.* quid amplius? *globos* etiam *flammarum attollit:* & quod satis hoc non videretur, *lambit* etiam *sidera:* ut quo ultra progrederetur, non haberet. J.C. *Scaliger.* Taubm.

572. *Prorumpit ad æthera nubem.*] Id est, evomit & fundit; & est nova locutio, nec enim possumus dicere, *prorumpo illam rem*, potuit enim recte dici, *nubes prorumpit.* Sane tota hæc descriptio poëtica est. *Servius.*

573. *Candente favilla.*] Id est, scintillis: & bona periphrasi. Nam *favilla* deserta igni scintilla. Quamvis sæpe viderimus de Ætna sicut nigrum fumum, ita & candidum & pinguem manare. *Idem.*

574. *Sidera lambit.*] Flammæ motus persimilis est vibrationi linguæ. Claudian. 1. Rapt.

Lambit continuas innoxia flamma pruinas.

Interdum ſcopulos avolſaque viſcera montis
Erigit eructans, liquefactaque ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæſtuat imo.
Fama eſt, Enceladi ſemuſtum fulmine corpus

Urgeri

Et Albinovanus ad Liviam, loquens de flamma:

Æthera ſubjectis lambit, & aſtra comis.

Ad hæc, ſi hyperbolem reprehendunt, eadem opera reprehendant & Pindarum, qui Ætnam columnam cœli dixit, itaque neceſſe eſt, flammam inde erumpentem non ſolum lambere, ſed penetrare ſidera. Reprehendant Lucretium, qui lib. 1. de Ætnæis ignibus:

Ad cœlumque ferant flammai fulgura rurſum. Cerda.

Sidera lambit.] Elegans metaphora. Linguæ enim vibrationi flammæ motus perſimilis: *Scalig.* Taubm.

575. *Avolſaque.*] In antiquis aliquot codicibus, *comvolſa* legitur: ſed quia diſſeparatio eſt, magis placet *avolſa*, ut etiam in Mediceo eſt. in aliis *avulſa.* Pierius.

Viſcera montis.] Id eſt, partes. Sic autem dixit *viſcera*, quemadmodum *terræ oſſa* dicuntur. *Servius.*

576. *Eructans.*] *Ructo, ructas* tantum facit: ſicut Cicero, *Eructant ſermonibus ſuis cædem bonorum.* Virgilius, *Atque omnem Cocyto eructat arenam.* Horatius uſurpavit, *Hic dum ſublimes verſus ructatur.* Idem.

Eructans.] Apud Ovid. 5. Metam. ℣ſ. 553. Ætna dicitur *ejectare* arenas, ſed Nob. Heinſ. *eructans* legendum opt. Cod. fide cenſet. Sic de Ætna etiam Silius Ital. l. 14.

Aſt Ætna eructat tremefactis cautibus ignes
Incluſi gemitus pelagique imitata furorem,
Murmure per cæcos tonat irrequieta fragores,
Nocte dieque ſimul, fonte Phlegetontis ut alio
Flammarum exundat torrens, piceaque procella
Semiambuſta rotat liquefactis ſaxa cavernis.

utitur & Juſtin. l.4. c.1. eodem verbo *eructet fumum* Emmeneſſ.

Liquefactaque ſaxa.] Putria, decocta in modum calcis. *Servius.*

577. *Fundo imo.*] Ab imo, & reddit cauſam latenter. Inde enim ventus ex aqua natus erumpit. *Servius.*

578. *Fama eſt.*] Bene fabuloſam rem dicturus excuſat. Nam re vera, niſi quæ de gigantibus legimus, fabuloſa acceperimus, ratio non procedit. Nam cum in Flægra, Theſſaliæ loco, pugnaſſe dicantur, quemadmodum eſt in Sicilia Enceladus: Othus in Creta ſecundum Saluſtium, unde *Othii campi:* Typhœus in Campania, ut, *Inarime Jovis imperiis impoſta Typhœo:* Sed Varro dicit in diluvio aliquos ad montes confugiſſe cum utenſilibus: qui laceſſiti poſtea bello ab his, qui de aliis veniebant montibus, facile ex locis ſuperioribus vicerunt. unde fictum eſt, ut dii *ſuperiores* dicerentur: *Inferiores* vero, terrigenæ. Et quia de humilibus ad ſumma reptabant, dicti ſunt pro pedibus habuiſſe ſerpentes. *Idem.*

Fama eſt.] Recte inducit Æneam iis quæ fabuloſa erant dicentem: fama eſt, ne ſe auctorem rerum impoſſibilium faciat. *Donatus.*

Enceladi.] Filius ſecundum Hyginum in præf. terræ & Tartari ejus meminit Claud. l. 1. de rapt. *Ætna giganteos, &c.* Emmeneſſ.

Semuſtum.] Pro *ſemiuſtum*, Et ſciendum ſic poni, quaſi ſemianimis ſit Enceladus: unde eſt, *Motat latus.* Simul ponitur ſecundum fabulam cauſſa, quaſi ex fulmine ſit illic natum incendium. *Servius.*

Semuſtum.] Veriti ſunt plerique *ſemiuſtum* ſcribere, qui ſcirent primam

hujus

Urgeri mole hac, ingentemque insuper Ætnam
Inpositam, ruptis flammam exspirare caminis;
Et, fessum quoties mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cælum subtexere fumo.
Noctem illam tecti silvis inmania monstra

Per-

hujus nominis syllabam produci: quare *semustum* trisyllabum, *i* vocali subtracta publicarunt. Sed enim quum in veteribus exemplaribus, quotquot legi, fere passim *semiustum* quadrisyllabum observaverim scriptum, Synizesin potius esse dixerim: neque quicquam deteri debere, quum duæ illæ syllabæ pro una reputentur, ut in Catulliano carmine, *Flos Veronensium depereunt juvenum:* quod veteres habent codices, non *Veronensum:* ut in nomine *alvearia:* quamvis aliqui *alvaria* legere malint. Fit vero Synizesis vel ex duabus brevibus vocalibus, nulla interjecta consonante, vel altera duarum vocalium existente brevi: nam ex duabus longis non condonatur. Sed enim quia codices manu scripti, frequenti transcriptione semper aliquid immutarunt, fitque ut in similibus plerunque vix fidem faciant quantumlibet antiqui, operæ precium videtur, inscriptionum: quæ fuerint in marmoribus notatæ, testimoniis uti. illæ enim, quo semel modo scriptæ fuerint, suam indelebiles retinent antiquitatem. Habemus itaque inscriptionem tumuli non invenustam, neque inelegantem Romæ in palatio montis Jordani, in qua manifesta Synizesis inspicitur, hoc pentametro, LVCTVOSVMQ. MIHI QVI SCIO QVID FVERIS. *Luctuo*, per Synizesin esse videtur: atque etiam in altero heroico hexametro, *unanimi*, *Calpurniano*, *sociata marito*. Neque desunt hujusmodi exempla plurima: tametsi nonnulli quantum in *Calpurniano* est, pene ultimam Græcorum more corripi posse contendunt: atque ita tertius pes *purnia*, dactylus fit: ut in *Hadriano*, *Claudiano*, & similibus factum passim apud Græcos observamus. Sed enim nobis non licet esse tam disertis. quare figuram potius admittamus: qua, ut missos faciam Homerum, Hesiodum, Theocritum, & universam Græciam, Virgilius ipse sæpe usus est: ut ex locis, passim à nobis toto opere citatis, manifestum esse potest. *Pierius.*

580. *Caminis.*] Fornacibus, Græce dixit. *Servius.*

581. *Mutet.*] Movet. Nam si *Mutat* legeris, dat refectionem labori. *Motat*, frequenter movet, quamvis alii *mutat* accipiunt, ut est: *Et terruit auster euntes.* Idem.

Mutet.] In antiquis aliquot codicibus, *mutat* legitur. Quod Servius admittere noluit: ne refectio, ut ait, labori detur. Ti. Donatus *mutat* agnoscit. Dum Enceladum ait converti in aliud latus, dum alterius voluerit vice effœtas vires reparare. Cum Servio tamen sunt plerique codices vetusti: neque tamen *motat* in omnibus, sed *motet* subjunctivo modo in nonnullis scriptum est. pro quo alii legunt *mutet.* Pierius.

Mutet latus.] Agnoscit *mutare latus* Ovid. l. 13. ℣s. 937. ubi videndus Nob. Heinsius, qui ex Statio de hoc Encelado citat versum: *tentat Enceladus mutare latus.* Emmeness.

582. *Cælum subtexere fumo.*] Imitatione Lucretii l. 5. *Corpore concreto subtexunt nubila cælum:* Idem 6. *Et quasi densendo subtexit cærula nimbis:* & Tibull. de arcu: *prætexens picta ferrugine cælum.* Tale quid etiam Od. ε. νεφέεσσι περιςέφ' οὐρανὸν εὐρὺν Ζεύς. *Germ.*

583. *Noctem illam.*] Melius per accusativum dixit. *Servius.*

Noctem illam tecti silvis.] In codicibus aliquot antiquis, *nocte illa* ablativo casu legitur. Servius incusativum mavult:

Perferimus: nec, quæ ſonitum det cauſſa, videmus.
Nam neque erant aſtrorum ignes, nec lucidus æthra
Siderea polus; obſcuro ſed nubila cælo:
Et lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.
Poſtera jamque dies primo ſurgebat Eoo,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Cum ſubito è ſilvis, macie confecta ſuprema,

Ignoti

mavult: & ita plus omnino ſignificat ob continuationem incommodi. Omnia præterea exemplaria, quæ verſavimus, *tecti ſilvis* abſque *in*, legunt: alii addita præpoſitione. ut naves vel ſilvis cæſis, vel litus obumbrantibus, occultatas intelligas: non autem homines in ſilvas egreſſos: quod minime veriſimile eſt in tanta rerum trepidatione, quum præſertim, quæ ſonitum daret cauſſa, non viderent. Nam & ſuperius in Carthaginienſi portu claſſem in convexu nemorum arboribus clauſam circum occuluerat: loco tamen ibi ita natura comparato, ut & facile, & commode poſſent deliteſcere. *Pier.*

584. *Videmus.*] Mente vel oculis. *Servius.*

Nam neque erant aſtrorum ignes.] Bene *ignes*, quia de Ætna loquebatur, ut magis flammæ ejus manifeſtæ fierent cœlo lucente. *Idem.*

Æthra ſiderea polus.] Per *æthram ſideream*, hoc eſt, per ſplendorem ætheris. Sane *æther* eſt ipſum elementum, *æthra* vero ſplendor ætheris. Sciendum eſt Homerum & *ætherem* & *aërem* communis generis dicere: quod de aere nos non poſſumus dicere. De æthere, *æthra* factum eſt. Et ſecundum rationem iſtam poteſt & *æther* & *æthra* unum eſſe; ut nunc ſit pro *æthere ſidereo.* Idem.

Æthra.] Apud Stat. Thebaid. l. 5.

Ipſe etiam & ſumma jam tela popoſcerat æthra
Jupiter.

Emmeneſſ.

587. *In nimbo.*] Proprie *nimbus* eſt, qui deorum vel imperantium capita quaſi clara nebula ambire fingitur. *Serv.*

Nox intempeſta.] Media. Hoc eſt nimium obſcura. *Intempeſta*, dicta eſt nox media. *Intempeſtiva*, inactuoſa, carens actibus, per quod tempora dignoſcimus. Ait enim Lucretius, quia per ſe tempus non intelligitur, niſi per actus humanos. Medium autem noctis tempus actu caret. Ergo *intempeſta*, inactuoſa, quaſi ſine tempore: hoc eſt, ſine actu, per quem dignoſcitur tempus. Unde eſt, *intempeſtive veniſti*, id eſt, ἀκαίρως. Ergo *intempeſta* dicitur: quia caret tempore. Sane noctis ſeptem tempora ponuntur, *Crepuſculum*, quod & Veſper: *Fax*, quo lumina incenduntur: *Concubium*, quo nos quieti damus: *Intempeſta*, id eſt, media: *Gallicinium*, quo galli cantant: *Conticinium*, poſt cantum gallorum: *Silentium. Aurora* vel *crepuſculum matutinum*, tempus quod ante Solem eſt. *Idem.*

Tenebat.] Quaſi curſum ejus denſitate ſui nimbi inhiberet. *Idem.*

588. *Primo Eoo.*] Pro eo Silius Ital. l. 16.

Jam novum terris feriebat lumine primo
Egrediens aurora diem. ſic apud Ter. *cum primo lucu.* & Cic. *prima luce.* Statius imitatus Maronem eſt l. 4. Silv.

Clarius ipſe nitens, & primo major Eoo.

Emmeneſſ.

589. *Humentemque.*] Hic participium poſitum eſt verbo carens, ergo *humentem* pro *humidam*, quoniam nocturos cadit. *Servius.*

Aurora polo dimoverat umbram.] Hyſteroproteron in ſenſu. Ante enim aurora eſt, ſic dies. *Umbram* vero, quia nox *umbra terræ* dicitur. *Idem.*

590. *Cum ſubito è ſilvis.*] Arguitur in hac

Ignoti nova forma viri miserandaque cultu
Procedit, supplexque manus ad litora tendit,
Respicimus. dira illuvies, inmissaque barba,
Consertum tegumen spinis: at cetera Graius,

Et

in hac Achæmenidis descriptione Virgilius, negligentiæ Homericæ narrationis: Ulyxes enim inter initia erroris sui ad Cyclopas venit, quemadmodum ergo Æneas post septimum annum, quam à Troja profectus est, socium Ulyxis invenit, præsertim cum eum tribus mensibus in regione Cyclopum dicat moratum, & mox Æneas de Sicilia ad Africam venisse dicatur. *Id.*

Suprema.] Pro *plurima*. Idem.

591. *Nova forma viri.*] Bene *formam* dixit, non *hominem*, & est periphrasis pro *ignotus vir*. *Nova* autem fugienda, aliter alibi: *Quis novus hic nostris*, id est, insperatus: Item, *Subitoque novum consurgere bellum*, id est, detestandum. Item, *Vere novo*, id est, incipiente: Item, *quo lacte novo*, id est, recenti: Item, *Comitum adfluxisse novorum*, hoc est, ignotorum. *Idem.*

Ignoti nova forma viri.] Non idem, *ignoti* & *nova forma*. Nam *nova forma* pertinet ad id, quod infra de cultu & ejus sordibus dicetur: *Ignoti* autem, quem revera nescissent. *Donatus.*

Nova forma viri.] Quasi ab homine fere in belluam deformati, quemque hominem fuisse neget, sed tantum hominis speciem, larvam, & imitationem: ut infra: *formæ magnorum ululare luporum:* quod ficti simulatique lupi essent. *Germanus.*

Cultu.] Pro habitu. *Servius.*

593. *Respicimus.*] Quia non audiebatur vox rogantis. *Donatus.*

Respicimus.] In antiquis aliquot codicibus, *prospicimus* legitur: quod *procul aspicimus* significat. Sed Donatus *respicimus*, agnoscit. *Pierius.*

Dira illuvies.] Sordes tetra. *Servius.*

Inmissaque barba.] Quidam barbam majorem, luctus indicium, à Virgilio positum, reprehendunt, cum Heroës non fuerint soliti tondere barbam. An *immissam*, neglectam & impexam accipimus? *Idem.*

Inmissa barba.] Ultra modum grandis & promissa. ita Jul. Capitolinus, *missa barba, reflexo capillo, &c.* vel potius, neglecta & impexa barba, &c. *Taubmannus.*

594. *Consertum tegumen spinis.*] Inligatum spinis. Hinc est in Terentio, *Video quendam sertum.* Servius.

Consertum.] Concinnatum spinis; non enim textum erat spinis, sed spinis frusta pannorum continentibus, consertum illius fuerat tegmen. *Donatus.*

Tegumen.] In antiquis plerisque codicibus, *tegimen* integra dictione legitur. In Longobardico, & Mediceo *tegumen:* quod antiquitatem sapit: & eo modo scribitur apud Ti. Donatum. Neque tamen inficior *tegmen* etiam dici per syncopen: ut, *Recubans sub Tegmine fagi:* proceleumaticum enim primo statim versu ponere nimis absurdum fuisset. Est & alibi, *Tegmen habent capitum.* Pierius.

Consertum tegumen spinis.] In fabula Achæmenidis qui jam spinis exutus erat. Ovid. l. 14. vs. 166.

Jam suus, & spinis conserto tegmine nullis
Fatur Achæmenides.

An in Servio legendum *sentum* an *sertum* disputat Turneb. l. 22. c. 12. *Emm.*

At Cetera Grajus.] Habet enim unaquæque gens incessum, & vocem propriam. Sane *cetera Grajus*, Græca locutio est, ut Salust. *Sanctus alia.* Serv.

At cetera Grajus.] Quantum ad cætera attinet. Græce, τ' ἄλλα ἀχαιὸς, id est, incessu & voce Græcum præferebat. Martial. de pisce scaro:

Visceribus bonus est: cetera vile sapit.

Apul. lib. 10. *Possumus quidem omnia*

Et quondam patriis ad Trojam missus in armis.
Ipse ubi Dardanios habitus & Troïa vidit
Arma procul; paullum aspectu conterritus hæsit,
Continuitque gradum: mox sese ad litora præceps
Cum fletu precibusque tulit. Per sidera testor,
Per superos, atque hoc cæli spirabile lumen;
Tollite me, Teucri: quascumque abducite terras.

Hoc

cætera fratres manere, ab isto tamen nexu communionis discedere. Sallustius: *Sanctus alia.* Taubmannus.

At cetera Grajus.] Pro quantum ad cetera, vestitu, lingua, aliisque omnibus indiciis Græci nominis hominem præ se ferebat. Hanc Græcam structuram multis exemplis, ex optimis auctoribus desumptis, probat Vechner. lib. 1. Hellenol. c. 4. quam & vetustam & venustam vocat Scioppius l. 5. Suspect. lect. epist. 20. *Emmeness.*

595. *Ad Trojam missus.*] Aut ex sequenti ejus confessione hoc didicit: aut Græcum esse, colligitur ex trepidatione: ut Terentius, *Nescio quid peccati portat hæc purgatio.* Servius.

Ad Trojam.] Gratum Trojanis, quod talem viderent inimicum. *Donatus.*

597. *Conterritus.*] Decori observatio. nam ad conspectum hostis, qui non horresceret? licet mortem vitæ isti suæ præferat. *Taubmannus.*

Hæsit.] Dubitavit. *Servius.*

598. *Mox.*] Ubi metum vicit necessitas. *Donatus.*

Sese.] Pronomen compositum, nam *sese* duo pronomina sunt. *Servius.*

Præceps.] Sine respectu salutis, scilicet postquam Cyclopum graviora cogitavit pericula. Sane brevis ei, quasi timenti, prima datur oratio. *Idem.*

599. *Testor.*] Quæso, obtestor. *Idem.*

Per sidera testor.] Cum procul esset, se gestu supplicem exhibuit, mox propinquus factus, preces adhibuit & lacrimas: confitetur originem, ut misericordiam captet. *Donatus.*

Per sidera testor.] Obsecratio per sidera frequens Virgilio, lib. 6. *per sidera juro*, lib. 4. Æn.

Testatur moritura Deos, & conscia fati
Sidera.

In 9.

— cœlum hoc, & sidera conscia testor. & 12.
—— terram, mare, sidera juro.

Cerda.

600. *Spirabile.*] Vitale, quo spiramus; & est sermo Ciceronis, quanquam ille *spiritabile* dixerit in libris de deorum natura. *Servius.*

601. *Quascumque.*] Quo eat non cogitat, eorum comparatione quæ fugit. *Idem.*

Quascumque.] In codicibus aliquot antiquis legere est, *in quascumque*, addita præpositione, sine qua tamen figuratior est elocutio. Ridere vero mecum, ut verum fatear, solebam, quum in nonnullis codicibus scriptum offendissem *quescumque* pro *Quascunque*. Inveni postmodum apud Fl. Sosipatrum, *quescumq.* apud veteres analogicam esse declinationem: unde dativus *quibus* deducatur, uti à nominativo *qui*, dativus *quis*. Catonemque ait Originum secundo dixisse *quescumq.* Romæ regnavisset. Et Plautum, *ques* ignobiles. Quas voces quamvis novitas abdicarit, declinationem tamen ejus manere. *quibus* enim crebro dicimus. *Pierius.*

Quascumque abducite terras.] Similis est fere Terentii locus Hec. 3.1.4. qui, Donato interpretante, magnam loci detestationem indicat. *cui quanto præstabilius fuerat ubivis gentium agere ætatem*, quam, &c. *Emmeness.*

602. Hoc

Hoc ſat erit. ſcio me Danais è claſſibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiiſſe Penates.
Pro quo, ſi ſceleris tanta eſt injuria noſtri,
Spargite me in fluctus, vaſtoque inmergite ponto.
Si pereo, manibus hominum periiſſe juvabit.
Dixerat: & genua amplexus, genibuſque volutans
Hære-

602. *Hoc ſat erit.*] Vitaſſe Cyclopas. *Servius.*

Hoc ſatis erit.] Scilicet Cyclopas vitaſſe, & cum hominibus eſſe ỳ ſ.653.

— *ſatis eſt gentem effugiſſe nefandam.*

Ovidius tradit, eum cum Ænea in Italiam provectum eſſe. ſed contra hiſtoriam eſt. *Taubm.*

Scio.] Modo confiteor. *Servius.*

Scio me Danais è claßibus unum, &c. fateor, &c.] Figuram ἀξιοπιστίαν agnoſcit hic Donatus ad Ter. Ad. 2. 2. 4. per quam oſtendit, ſe fideliter promittere, quod promittit. *Emmeneſſ.*

E claßibus.] Ex equitibus modo; ut eſt, Et, *Ortinæ claſſes*, id eſt, equites. *Serv.*

603. *Petiiſſe.*] Cauſſa metri addidit ſyllabam: ut, *Nos abiiſſe rati.* Idem.

604. *Tanta eſt.*] Vt non poſſit fortunæ præſentis qualitate molliri. *Idem.*

605. *Spargite.*] Hoc eſt, dilacerate: & quia nec ſævius, nec celerius aliud fieri poteſt, nova brevitate uſus eſt. *Idem.*

Spargite.] In partes ſcilicet diviſim, quod ne fieret, crudelitas facti deſcripta eſt. *Donatus.*

606. *Si pereo.*] Oſtendit male vivere. nam *ſi pereo*, dixit, & non, *cum periero.* Idem.

Manibus hominum periiſſe juvabit.] Oblique loquitur. Nam vult oſtendere hominum hanc non eſſe crudelitatem. *Servius.*

Si pereo, manibus hominum periiſſe juvabit.] In codicibus nonnullis manu ſcriptis, *ſi peream* legitur: quod minime placet. In Longobardico vero, in Mediceo, in Porcio, & aliquot aliis ex antiquioribus, legere eſt, *ſi pereo hominum manibus pe. ju.* Vel adſpiratione hic vim conſonantis habente, vel ea ratione factum, qua etiam *Neptuno Ægæo*, vel *Actæo Aracyntho.* Quam lectionem, præter Ti. Donatum, Pontanus quoque agnoſcit in Actio. ubi ex ipſa earundem vocalium comploſione magnam fieri vocalitati acceſſionem aſſerit. *Pierius.*

607. *Genua amplexus.*] Phyſici dicunt eſſe conſecratas numinibus ſingulas corporis partes: ut aurem Memoriæ. Hinc eſt, *Cynthius aurem Vellit; & admonuit.* Frontem, Genio. Unde *venerantes deum, tangimus frontem.* Dextram, Fidei. Unde paulo poſt, *Atque animum præſenti pignore firmat.* Genua, Miſericordiæ: unde *hæc tangunt rogantes.* Sane, ſicut frequenter dictum eſt, etiam hic oſtenditur ſubtiliter Anchiſen & Ænean, tam Pontificatus, quam Flaminii Iuris & peritos, & præſules fuiſſe. Jure autem Pontificali, ſi quis Flamini pedes, vel genua fuiſſet amplexus, verberari non licebat: hoc eo præcipiebatur, ne eſſet ullum præpedimentum religionis, quominus ſecundis numinibus inſerviretur; aut eſſet importunitas in profanis locis aliquantiſper morandi. Quod hic diligenter exſequi videtur de Achæmenide, qui poſt preces habitas genua amplexus, genibus volutans hærebat, in qno more, vel præpetimenti * verbum procul dubio eſt, tum quod & ipſe genibus volutabat, vel quod genua amplexus etiam religione habebatur, quo in loco ſatis non fuit nulla verbera adhibita, niſi etiam fides data eſſet,
qui

Hærebat. qui ſit, fari, quo ſanguine cretus,
Hortamur; quæ deinde agitet Fortuna, fateri.
Ipſe pater dextram Anchiſes, haud multa moratus,
Dat juveni; atque animum præſenti pignore firmat.
Ille hæc, depoſita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,

Nomen

qua ſecuritas confirmaretur veniæ conceſſæ illis verſibus: *Ipſe pater dextram Anchiſes haud multa moratus, Dat juveni, atque animum præſenti pignore firmat:* Neque enim oportebat tardius immorari profanis cognitionibus, cum precatio cæleſtium deorum interpoſita, daret curam obſervandæ religionis: dixerat enim, *Per ſidera teſtor, Per ſuperos atque hoc cæli ſpirabile numen,* eaque propter, addidit, *Haud multa moratus,* ut celeritas conceſſionis piaculum nullum poſſet admittere. Ipſum Achæmeniden hinc poſſumus æſtimare, magis verbera timuiſſe, quam mortem, propter confeſſionem: ut diceret, *Spargite me in fluctus vaſtoque inmergite ponto. Si pereo, manibus hominum, periiſſe juvabit.* Denique poſt hæc addidit, *Ille hæc depoſita tandem formidine fatur.* Serv.

Genua amplexus.] Singulas corporis partes ſingulis Numinibus conſecratas putabant: *aurem* Memoriæ; *frontem* Genio; (unde venerantes deum, tangebant frontem) *dextram* Fidei; *genua* Miſericordiæ, &c. Videatur Plinius lib. 11. c.46. & Alexander lib.2. c.19. *Taubmannus.*

Et genua amplexus.] Ad preces adhibet obſequium corporis. *Donatus.*

Volutans.] Ut eorum imperitia retundatur, qui *volutus* hic legi volunt. In paſſivis (ait Fl. Soſipater) participia præſentis temporis non ſunt. Abutuntur autem veteres activo pro paſſivo, ut apud Virgilium, *Genibuſque volutans.* Nam ſi activa ſignificatione acciperetur, *ſe* deeſſet, ut diceret, *Volutans ſe.* Pier.

608. *Qui ſit, fari.*] Per omnia ſubaudi, *Hortamur. Qui ſit* autem, hoc eſt, quis Græcorum ſit, id eſt, cujus filius ſit, ut etiam reſpondet. Nam jam ſe dixerat Græcum. *Servius.*

Fari.] *Fari* & *fateri* differunt. nam *fari* eſt ſimpliciter aliquid referre: *fateri* autem eſt, ex neceſſitate, quæ ſecreto contingunt, publicare. *Donatus.*

Qui ſit, fari.] In antiquo codice Longobardico, *quis ſit* legitur. Quam lectionem agnoſcit Servius, tametſi veteres Grammatici eo modo *Qui* etiam poni ſcriptorum veterum aliquot exemplis tradunt. *Pierius.*

609. *Agitet fortuna, fateri.*] Hortamur fateri, quæ eum fortuna vexet: ut, *Agitataque numina Trojæ.* Servius.

610. *Haud multa moratus.*] Nimiæ benignitatis eſt, non exſpectare plurimas preces. *Idem.*

Dextram.] Quam Juſtinus lib. 11. c. 15. *pignus fidei* nominat. ad quem locum conſule Berneggerum. *Emm.*

611. *Præſenti pignore firmat.*] Quod ad hoc tempus poterat dari, id eſt, manuum conjunctione, qua firmabantur amicitiæ: ut, *Cur dextræ jungere dextram Non datur?* Et, *Jungimus hoſpitio dextras.* Servius.

613. *Sum patria ex Ithaca.*] Circumſtantias omnes exſequitur: loci, perſonæ, temporum: & licet rhetorice agit hic Achæmenides, quæ dicit: ut, tollatur, pauca ſunt, neque enim quicquam illi nocet, niſi quod Græcus. Cætera, quæ dicit, ut fugiant, tantum narrationem rei geſtæ habent. Plane cum auctu, ut ſit major cauſa miſericordiæ, niſi forte hoc etiam putamus ad recipiendum valere, quod aliquod beneficium prædicendo de Cyclope ſignificat dari; nam infra ait, *Recepto ſupplice ſic merito.* Idem.

Infe-

Nomen Achemenides, Trojam genitore Adamasto
Paupere (mansissetque utinam Fortuna!) profectus.
Hic me dum trepidi crudelia limina linquunt,
Inmemores socii vasto Cyclopis in antro
Deseruere. domus sanie dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens. ipse arduus, altaque pulsat
Sidera, (Dî, talem terris avertite pestem)
Nec visu facilis, nec dictu adfabilis ulli,

Visce-

Infelicis Ulixi.] Quoniam apud hostes loquitur, quærit favorem ejus vituperatione, quem scit odio esse Trojanis. *Idem.*

Ulixi.] In antiquis plerisque codicibus, *Ulyssi* absque *s* legitur. Probus locum hunc citans, Antiquæ, ait, est ratio declinationis dativo uti pro genitivo, *Ulyssi* pro *Ulyssis*, *Achilli* pro *Achillis*. Qua forma Oratores etiam usi sint. Sallustius, *Ad bellum Persi Macedonicum*, pro *Persis*. Ubi ea forma uti nulla coëgit homœoteleutos, sed antiquæ declinationis ratio. Ita & M. Tullius, *Filius Verri*, pro *Verris*. Refert præterea Sosipater Carisius observatum à Plinio dubii sermonis lib. VI. *Herculi* pro *Herculis*, ut *Ulyxi* pro hujus *Ulyxis* olim dici cœptum. *Pierius.*

614. *Nomen Achemenides.*] In veteribus fere omnibus exemplaribus, legere est, *nomen.* quod scilicet quæritis *Achemenides.* & sicubi *nomine* scriptum est, id in his exemplaribus, quæ versamus, subditicium est, priore abrasa lectione. *Idem.*

Adamasto.] In Mediceo, in Porcio, & aliis antiquis plerisque codicib. *Adamasto* scriptum est: quod *invictum*, vel *indomitum* significat. & ita proprium id viri nomen habetur etiam in codice Donatiano. Alii *Adamasco* legunt. *Idem.*

615. *Paupere.*] Nam, ut etiam de Sinone diximus, apud majores hæc fuerat causa militiæ; & bene utitur statu veniali, per excusationem paupertatis. Ut conciliet hostium animos, quasi necessitate adversus eos dimicaverit. *S.*

Fortuna.] Pristina, paupertatis scilicet, & perseverat, ut invitus fecisse videatur. *Idem.*

616. *Trepidi.*] Festini. *Idem.*

617. *Inmemores socii.*] *Immemores*, dum trepidi: ut per timorem, non per odium relictus fuisse videatur. Nam & causam subjungit timoris, Cyclopis descriptione. Ergo *immemores*, timentes. *Idem.*

618. *Domus sanie.*] Deest *horrida.* Idem.

Domus sanie dapibusque cruentis intus opaca, ingens.] Ad hunc versum vide Gell. l. 5. c. 8. *Emm.*

619. *Altaque pulsat sidera.*] Similis superior hyperbole,

— *& sidera verberat unda.*

De Cyclopis magnitudine sic Homer. Odyss. 9.

Ἑ ῴκει ῥίῳ ὑλήεντι ὑψηλῶν ὀρέων.

Similis erat cacumini sylvoso excelsorum montium.

Lege Junium cent. 2. adag. ubi magna copia similis ὑπερβολῆς. Ego non pauca in Eclogis duplici in loco. Galenus lib. 3. de usu partium, cap. 14. Cyclopi etiam dat ingentem inusitatamque magnitudinem. πολλαπλασίῳ τὸ μέγεθος ὄντι τῷ Κύκλωπι. *Cerda.*

621. *Nec visu facilis.*] Cujus possit etiam aspectus inferre formidinem. *Servius.*

Nec dictu adfabilis.] Sermone non explicabilis. bene rem exaggeravit post descriptionem. *Idem.*

Adfabilis.] In antiquis aliquot codicibus, *adfabilis* legitur: quanquam codi-

Visceribus miserorum & sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro,
Prensa manu magna, medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent
Limina: vidi, atro cum membra fluentia tabo
Manderet, & trepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud

codices etiam nonnulli manu scripti *effabilis* legunt. Sed enim Macrobius libentius legit *adfabilis*, ut in Mediceo est: sumptumque ait ex Attio in Philoctete, ubi est, *Quem neque tueri contra, neque adfari queas.* Alterum vero illud Servius agnoscit: exponitque *sermone non explicabilis*, quod æque placet. *Pierius.*

Adfabilis.] Servius, H. Steph. & alii, leg. *effabilis*, id est, sermone non explicabilis. sed alterum videtur rectius etiam Fabricio: nam & faciem Cyclopi tyrannicam, & morum vastitatem tribuit talem, ut nemo illum posset & sine consternatione intueri, & absque periculo alloqui. Sophocl. in Tyr. ἐς δεινὸν οὐδ᾽ ἀκουστὸν, οὐδ᾽ ἐπόψιμον. *nec dictu affabilis*, id est, ἀπρόσρητος. *Taubmannus.*

622. *Visceribus.*] *Viscera* proprie carnes sunt. *Servius.*

Sanguine atro.] Hoc est, sanie. *Id.*

623. *Vidi egomet, duo.*] Homerus quatuor dicit: ergo aut dissentit ab eo, ut etiam in temporibus. Nam ante ad Siciliam Æneas, quam Ulyxes venisse dicitur. Aut certe hoc dicit, duo vidisse: quot autem occiderit, ignorare, per timorem. Alii duo simul dicunt, non enim duo sola addidit. *Idem.*

Vidi egomet duo.] Homerus ὀδ. ι. sex enumerat, quos Cyclops devoraveverit, nam binos tribus vicibus ponit absumptos. Sed enim vel Achæmenides ob trepidationem, & festinantiam non potest hic historiam omnem enarrare: satisque putat, si memoret Cyclopa esse adeo efferum, & immanem, ut una vice duo humana corpora possit absumere, vel *duo* pro *bina* positum, ut alibi vice versa *bina crispans hastilia*, pro *duo*: quæ licentia late concessa est à Poëtis. *Pierius.*

Vidi egomet.] Ἔμφασιν hanc notat Scaliger, lib. 4. c. 34. Poët. Atque idem totum hunc locum accurate cum Homerico Odyss. 9. contendit, l. 5. c. 3. *Taubmannus.*

624. *Prensa manu.*] Peccare eos ait Terentius Scaurus, qui *prehensus* cum adspiratione scribunt, quum eam prima persona non habeat. Quum vero ex hujus sententia *preensus* per duo *ee*, scribi debeat: ut ibi, *Dextraque preensum*, hoc loco vel Synizesin esse dicemus: vel quod magis placet *prensa* per crasin legemus, ut habetur in codicibus antiquis. Quid vero super hoc sentiat Velius Longus, alibi diximus. *Pierius.*

Resupinus.] Magnitudo virtutis ostenditur. Quod una manu, quod frangeret, & velut exprimeret elidentem non in terram, sed ad saxum sublimitus quatientem. *Servius.*

625. *Exspersa.*] Hæc fuit vera lectio, id est, madefacta. Nam si *Aspersa* dixeris, id est, inrorata. Tapinosis & Hyperbole junguntur. *Idem.*

Exspersa.] Servius *exspersa* veram esse lectionem asseverat. In antiquis tamen codicibus quotquot habui, *aspersa*, & *adspersa* legi: sententia, & elocutio sumpta ex M. Tullio in Philipp. *Vino pavimenta natarent.* Pierius.

626. *Fluentia tabo.*] Pro *fluenti tabo.* Servius.

Manderet.] Unde & Euripidi ὠμοβρωστορειβάτης Cyclops dicitur. Est autem hic versus arte singulari laboratus. *Taubmannus.*

627. *Trepidi.*] Melius *tepidi*, quasi adhuc

Haud inpune quidem. nec talia passus Ulixes,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus
Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum
Inmensus, saniem eructans ac frusta cruento
Per somnum conmixta mero; nos, magna precati
Numina, sortitique vices, una undique circum
Fundimur, & telo lumen terebramus acuto

Ingens,

adhuc vivi: quam *trepidi:* id est, trementes: ne sit iteratio. *Servius.*

628. *Ulyxes.*] A solo nomine emphasim fecit. Unde est quod sequitur, *Oblitusve sui est.* Aliquanti tamen juxta veteres *oblitus*, id est, negligens, dictum tradunt. Et est laus quod & in adversis constans, vel quem nemo impune læsisset * vel qui dolo etiam fortiores sæpe vicisset. *Idem.*

629. *Oblitusve sui.*] Omnes nos vehementer turbati sumus: solus Ulysses natura callidus & usu & ingenio instructus, tantæ crudelitatis visu deterritus non est: nec est *oblitus sui*, id est, non perdit suam industriam. *Donatus.*

Ithacus.] Ithacensis. *Servius.*

630. *Nam simul expletus.*] Omnia signa ponit belluæ occasionem ad cædem præbentis. Dederat autem consilium Ulysses, ut unicum illi oculum excæcarent: sed hoc periculosum fuit, quamvis dormiret sepultus. ergo precati sunt numina. Et quoniam non idem periculum erat omnibus, varias corporis partes tenentibus, eas inter se sortiti sunt. *Donatus.*

Sepultus.] Stratus jacens. *Servius.*

631. *Jacuitque per antrum.*] Hoc verbum de Varrone mutuatus est, qui ait, *In lecto temulentos jacere, sobrios cubare consuescere.* Idem.

632. *Inmensus.*] Etiam *immensus* ad Polyphemi magnitudinem pertinet: quasi in tanto antro jacuerit. *Idem.*

Inmensus.] Servius quidem *inmensum*, quippe *antrum* agnoscit. Ad quam lectionem respexisse etiam Quintilianus videtur, ubi ait de Virg. *Cum Cyclopa jacuisse* dicit *per antrum, prodigiosum illud corpus spatio loci mensus est.* In veteribus aliquot codicibus *inmensus* legitur: ut Homericum illud exprimatur, ἔνθα δ' ἀνὴρ ἐνίαυε πελώριος. quodque tantus erat, ut nemoroso cuipiam promontorio altorum montium similis videretur. Sunt etiam codices manu scripti, ubi legas *inmensam saniem*, quod minime placet: & si Homerus eructationem illius vesperrinæ crapulæ late describit. *Pierius.*

Inmensus.] Corpus prodigiosum spacio loci mensus est: quasi in toto antro jacuerit. Quæ figura ἔμφασις est Fabio lib. 8. c. 3. Lucillius Poëtarum vanitatem irridens, hunc Polyphemum ducentorum pedum fuisse ait. Vide P. Crinit. l. 17. c. 3. *Taubm.*

Eructans.] Cicero, *Eructant sermonibus suis cædem bonorum.* Servius.

Frusta.] Cicero in Philippicis, *Frustis esculentis vinum redolentibus.* Idem.

634. *Sortitique vices.*] Vel partes membrorum, vel qui quo loco staret. *Idem.*

Undique.] Pro *indiviso.* Idem.

Circumfundimur.] Secundum Homerum, qui dicit alios eum tenuisse, alios obcœcasse oculum. *Idem.*

635. *Terebramus.*] Ti. Donatus *tenebramus* legit: hoc est, occæcamus. Cujus hæc sunt verba: *Quod* ait *acuto telo tenebramus, celeritatem facti voluit demonstrare.* In hoc enim consilium consistebat effectus, ne mora facientum, & dolor vulneris quamvis graviter

Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phœbeæ lampadis instar;

ter dormientem excitaret. Hoc loco nonnulli *terebramus* tradunt: sed quum terebratio habeat moram, quæ fuit inimica facientibus, melius est, ut telo acuto, uno ictu videatur esse cæcatus. Sed enim pace tam docti viri, quum locus sit ex Homero sumptus, apud quem lata est de terebratione descriptio, vero similius est Virgilium scriptum reliquisse *terebramus*. Versus Homeri sunt,

Ἐγὼ δ' ἐφ' ὕπερθεν ἀέρθεις δίνεον ὡς
ὅτε τις τρυπῷ δόρυ νήϊον ἀνὴρ
Τρυπάνῳ οἱ δέ τ' ἔνερθεν ὑποσείουσιν
ἱμάντιν ἀψάμενοι ἑκάθεθεν.

In quibus non tantum terebratum ait lumen conto acuto, ustulatoque ex igne statim in oculum adacto, Ulysse superne calcante, loro inferne advoluto, cujus capita socii alternantes utrinque traherent: quod sine longa mora fieri non potuit. Verum etiam artificis, qui navale aliquod lignum terebra perforet, similitudine utitur. legendum itaque *terebramus* ex Homero. Quod vero in inferiori versu Servius Donatum reprehendit, quod *latebat* late patebat, exposuerit: aut quia capillis tegebatur, aut latebat corporis reliqui comparatione: Si verba Donati consideremus, nil adeo reprehensioni obnoxium inveniemus. Immo longe diversam Donati sententiam ab ea, quam ei Servius adscribit. Quærit siquidem Donatus, qua ratione oculus, qui tantæ esset amplitudinis & vastitatis: ut Lunæ, Solisve orbi posset æquari, latere potuerit. Considerataque Cyclopis deformitate, rugas comminiscitur, & ingentem capillorum silvam. Nam intonsum caput ipse Polyphemus apud Theocr. & Ovid. lacte jactat. Sed melius fuerit ipsa Donati verba subjicere. Quod autem ait, *sub fronte latebat:* quod ingens fuisse dicebatur usque adeo, ut orbi Lunæ, vel Solis æquari potuisset, faciebant rugæ torvæ frontis, & ingentes capitis comæ. Quid vero si dixerimus Virgilium & ad oculi situm, & ethimologiam respexisse, quam eo verbo exprimere voluerit: quum Varro dicat *oculos* ideo dictos, quod *sub fronte occulantur*. Pierius.

Acuto.] Fuste obusto. Nam secundum istum sensum multi *Terebramus* legunt: alii *Tenebramus*. Telo autem acuto potest & simpliciter accipi. *Serv.*

636. *Solum sub fr. la.*] Pro *in fronte latebat*. Multi Polyphemum dicunt unum habuisse oculum, alii duos, alii duos, alii tres: sed totum fabulosum est. Nam hic vir prudentissimus fuit: & ob hoc oculum in capite habuisse dicitur: id est, juxta cerebrum, quia prudentia plus videbat. Verum Ulyxes eum prudentia superavit: ob quod eum cœcasse fingitur. *Idem.*

Latebat.] Dormienti scilicet. Nam male sentit Donatus dicens, *Late patebat*, contra metrum. Item dicit, capillis tegebatur: aut latebat corporis comparatione. Alii *latebat*, subjectum erat fronti, & intra frontem recesserat tradunt. Absolutus tamen est prior sensus. *Idem.*

Torva solum sub fronte latebat.] Vel sequemur Servii sententiam: vel oculum latuisse accipiemus, ut physiognomones oculos fronti infossos, immersosque, & abditos, maleficos noxiosque suspicantur: quæ commentatio possit fortasse Polyphemo convenire, qui immanitate, & feritate à Poëta infamatur. *Germ.*

637. *Argolici clipei aut Phœbææ lampadis instar.*] Unum magnitudinis est, quia Græcorum clipei rotundi, ut Cato originum ait: Aliud splendoris. *Phœbea* autem derivatio est vel à Luna, vel à Sole. *Servius.*

Argolici clipei.] De magnis & rotundis clipeis Argivorum accipiendum, qui totum corpus tegebant: unde ἀσπίδος ἀμφιβρότης ab Hom. Il. 2. dicitur.

Et tandem læti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite, ô miseri, fugite, atque ab litore funem
Rumpite.
Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera pressat,
Centum alii curva hæc habitant ad litora vulgo
Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.
Tertia jam lunæ se cornua lumine conplent,

Cum

dicitur. Et exanimes in clipeo, propter magnitudinem, veluti feretro, ex acie referebantur. Videatur Turnebus l. 11. c. 27. & l. 24. cap. 10. *Taubm.*

Phœbeæ lampadis instar.] Unum magnitudinis est; alterum splendoris. *Phœbeæ* autem est φοιβείης. at, *Phœbeia virgo:* &, *Phœbeius oscen*, est φοιβήιος: ut notat Scalig. ad Manilium. *Idem.*

639. *Sed fugite.*] Occurrebat, Si cœcus est, cur timetur? Subjungitur non unum esse, sed plures. & bene suam ad monendum gratiam facit, quod illos ultro facere, necesse erat. repetitio autem *fugite* necessaria, ut alibi, *Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum.* Servius.

O miseri.] Aut blandientis particula est, ut in Terentio, *O misera.* Aut re vera *miseri:* qui delati sunt ad Cyclopas. *Idem.*

640. *Rumpite.*] Ut festinantes, non solvite, sed rumpite, ut, *Festinate fugam tortosque incidite funes.* Idem.

Funem rumpite.] Palum illum, cui navis illigata, *Prymnesium* dici, & *tonsillam*, Festus notavit. Ipsam illigationem dixere *supationem.* Est enim *supo* navem prymnesio illigare. Attius Phœniss. apud Non.

Abtorque proram, ac supa tortas copulas.

Contrarium erit *dissipo*, nam hoc verbum à *sipo* ortum, ut facile apparet ex fragmentis Festi. Itaque proprie *dissipo* de nave dicitur, & inde vox ad alia traducitur. ut enim *ligo* & *solvo* opponuntur in re nautica, ita *supo & dissipo.* Habent affinitatem cum supo *suppara* vela nautica. *Cerda.*

641. *Qualis quantusque.*] Unum morum est, aliud corporis. *Servius.*

Nam qualis quantusque.] Unum Morum est, alterum Corporis. Tibullus lib. 3, 6.

Quales his pœnas, qualis quantusque minetur.

Quod Græci feliciter uno verbo ἡλίκος dicunt, hoc Latini sermonis egestas dicit, *qualis quantusque*, duobus verbis. *Scalig.*

Polyphemus.] Fabulam Polyphemi enarrat accurate Hyginus fabul. 125. Ovid. l. 14. Metam. Theocr. Idyll. 11. pluresque alii. *Emmeness.*

643. *Centum alii.*] Id est, tales & tanti. *Servius.*

Centum alii.] Ἀνταποδοτον: Tales tantique centum alii passim habitant, &c. *Taubm.*

Curva hæc habitant ad litora vulgo.] Ne tantum in montibus esse putarentur. *Vulgo.*] Passim. *Servius.*

644. *Infandi Cyclopes.*] Inaffabiles, ut supra, *Nec visu facilis, nec dictu adfabilis ulli.* Servius.

645. *Tertia jam lunæ.*] Bene in desertis locis ex Lunæ ratione colligit tempora. *Idem.*

Se conplent.] Ideo autem, quia suum non habet lumen, sed accipit à Sole. Et bene auxit misericordiam à tempore. *Idem.*

Tertia jam lunæ se cornua conplent.] Sic & Eurip. in Alcest. σελήνας δώδεκα ἐκπληρουμένας· eadem redditione Prop.

Septima jam plenæ deducitur orbita lunæ,
Cum de me, & de te compita nulla tacent. Germ.

Cum vitam in silvis, inter deserta ferarum
Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremisco.
Victum infelicem baccas lapidosaque corna
Dant rami, & vulsis pascunt radicibus herbæ.
Omnia collustrans, hanc primum ad litora classem
Conspexi venientem. huic me, quæcumque fuisset,
Addixi: satis est gentem effugisse nefandam.

Vos

646. *Vitam in silvis.*] Misericordia captatur à loco. *Servius.*

Deserta ferarum.] Propter feras deserta. *Idem.*

647. *Lustra.*] Cubilia. Unde etiam lupanaria *lustra* dicimus: ubi habitant lupæ, id est, meretrices: dictæ ab obscœnitatis & odoris similitudine. Cicero, *Vino lustrisque confectus.* Idem.

Traho.] Imitatur & hoc loco Maronem nostrum Phædrus l. 3. fab. 8. *in silvis asperam vitam trahens.* Pathos misericordiæ à loco sumptum, ut observat Macrob. l. 4. Saturn. c. 3. *Emm.*

648. *Sonitumque pedum.*] Ordo figuratus, cum traho, cum prospicio. *Servius.*

Tremisco.] Antiqua exemplaria pleraque *tremesco* per *e* in pene ultima scribere, quaque id ratione, dictum alibi. *Pierius.*

649. *Bacca.*] Generale est, id est, fructus arborum agrestium. *Servius.*

Lapidosa corna.] *Lapidosa*, dura: an quod in saxis nascantur? Ipsa arbos *cornus* dicitur: pomum vero *cornum*; inde *corna*: ut *templum, templa.* Idem.

Victum infelicem, baccas, &c.] Ita D. Joannem victitasse ἄκροις δρυῶν Nicephorus est auctor, ut Diogenem Ælianus ἄκροις φύλλων. Et Nicephoro assentitur Pantaleon Diaconus, his verbis à Cujacio doctiss. nostra ætate jurisconsulto suis Paratitlis ascriptis: ὁ τοῖς τῶν μελισσῶν κατὰ τὴν ἔρημον πόνοις, καὶ τοῖς τῶν βοτανῶν συντρεφόμενος ἐκ βρέφους ἀκρείσμασι. ἀκρόδρυα autem, quamvis proprie appellentur, quæ in ambitu lignosum putamen habent, quod genus appellatione *nucum* apud Latinos continetur, tamen arborum *baccas*, omnesque arboreos fructus significant, ut *glandis* appellatio apud Jurisconsultos omnem fructum complectitur, & apud Græcos βάλανος. *German.*

Victum.] Recte *infelicem* Donatus Ter. A. I. 1. 4. *lana ac tela victum quæritans* distinguit inter *cibum* & *victum: cibus enim est*, inquit, *qui etiam delicatis præbetur: victus in parvis aridisque alimoniis est constitutus.* Emmeness.

653. *Addixi.*] Signato verbo exprimit desperationem. *Servius.*

Addixi.] Hoc consilio ad vos veni, melius esse manibus hominum perire, quam Cyclopum. *Donatus.*

Addixi.] Signato verbo desperationem exprimit, ut inquit Servius, nimirum ad vocabulum juris, & unum ex tribus prætoris, alludens, quod rem licitatione adjudicare sonat, ἀποκηρύττειν, καταδικάζειν· à qua forensi significatione translatitie etiam de aliis dicitur, ut in disciplina augurandi aves dicuntur *addicere*, quando firmant & ratum augurium faciunt. Livius: *Fabio auspicanti aves semel atque iterum non addixêre:* Et *addicere opus aliquod*, hoc est, redemptori locare faciendum: & *addicta sententia*, apud Cicer. vendita; unde & *addicte* adverbium, & *addictio*, ἀποκήρυξις. *German.*

Addixi.] Auctionis vocabulum, cujus usus est, quando majus pretium offerenti res vendita emptoris fit. Vide Budæum tit. *de in diem addictione.* Suet.

Calig.

Vos animam hanc potius quocunque abſumite leto.
Vix ea fatus erat: ſummo cum monte videmus
Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole moventem
Paſtorem Polyphemum, & litora nota petentem:
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.
Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat:

Lani-

Calig. cap. 38. *nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores* H-S, *nonagies ignoranti addicerentur.* Alludit Cic. pro Milone c. 32. *incidebantur jam domi leges, quæ nos noſtris ſervis addicerent.* Emmeneſſ.

654. *Vos animam hanc potius.*] Oblique loquitur, ut ſupra: Reprehenſio enim crudelitatis eſt. Qui rogat ſalutem, ſi ipſe condemnat. *Servius.*

655. *Vix ea fatus erat.*] Ad probationis gratiam pertinet, quod ea quæ Achæmenides adfirmaverat, ſtatim adprobavere Trojani. *Idem.*

656. *Mole.*] Molitione, agitatione. *Idem.*

657. *Litora nota petentem.*] *Nota* ante oculorum amiſſionem poteſt accipi. Sic Statius in nono, *Sequitur tamen improbus hoſtem, Qua meminit.* Idem.

Nota.] Exponendum fuit, quomodo cæcus venire potuerit? quia noverat, antequam obcæcaretur. *Donatus.*

658. *Monſtrum horrendum, &c.*] Lucian ſic deſcribit. ἄγριος, λάσιος, καὶ τὸ πάντων ἀμορφότατον, μονόφθαλμος: *agreſtis, hiſpidus, quodque eſt omnium deformiſſimum, monoculus.* Ab Philoſtrato in Iconibus ἀγριώτατος dicitur, & ὄρειός τε, καὶ δεινὸς, & λάσιος πάντα. Quibus ſignantur ruſticitas, diritas, hirſuties. Ovid.

—— nempe ille immitis, & ipſis
Horrendus ſilvis, & viſus ab hoſpite nullo
Impune, & magni cum Diis contemptor Olympi.

Apparet hæc deformitas ex verſibus his ejuſdem vatis:

Jam rigidos pectis raſtris Polypheme capillos,
Jam libet hirſutam tibi falce recidere barbam.

Homerica, ut quæ in promptu, & jam partim à me adducta, prætermitto. Frigent omnia præ Virgilio. *Cerda.*

Monſtrum horrendum, &c.] Carmen plenum ac ſonorum. Hanc autem orationem ἀσύνθετον, i.e. *inconjunctam*, ad amplificationem parari, docet Scalig. lib. 4. c. 28. Vide & N. 4. Æneid. ℣ſ. 594. *Taubmannus.*

Informe.] Ultra formam. *Servius.*

Ingens.] Poteſt & ſuperioribus & ſequentibus jungi; ut ſit *ingens lumen.* Idem.

Cui lumen ademptum.] Ad hunc verſum vide Robert. Tit. l. 7. controv. c. 8. de Polyphemo dial. Lucian. lege. *Emm.*

659. *Trunca manum pinus regit.*] Cujus cœcitatem manu pinus regit. *Serv.*

Trunca manum pinus.] Tota arbor erat pro baculo. *Donatus.*

Trunca manum.] In Mediceo, & codicibus aliquot aliis antiquis, *manu* ſeptimo caſu legitur. Et ubi *manum* eſt quarto caſu, in codicibus manu ſcriptis, fere paſſim ultimam contactam obſerves. Eſſet vero ſententiæ ordo, *Pinus trunca manu*, vel *geſtata manu regit ademptum lumen, & veſtigia firmat. Manum* tamen agnoſcit Fab. Quintilianus, ubi de amplificatione ita dicit, *Nam quod illud corpus mente concipiam, cujus trunca manum pinus regit.* Pierius.

Manum pinus regit.] Pinus ramis truncata, qua cæcus manum & pedes regit, corporis vaſtitatem indicat. Vide Quintil. l. 8. c. 4. *Taubm.*

Lanigeræ comitantur oves: ea ſola voluptas,
Solamenque mali.
Poſtquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit:
Luminis effoſſi fluidum lavit inde cruorem;
Dentibus infrendens gemitu: graditurque per æquor
Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.

Nos

660. *Ea ſola voluptas.*] Voluptatem ex animalibus habuit, cum videbat: cæcus autem, ſolamen capiebat. *Donat.*

661. *Solamenque mali.*] Solatium. hinc Quintilianus dixit, *Magnum ſolatium cœcitatis eſt, habere rem videntis.* Servius.

Solamenque mali.] In non nullis eſt verſus integer *Solamenque mali de collo fiſtula pendet.* Sunt, qui carmen hoc, ut nothum, expungant: Id tamen in pleriſque codicibus antiquis habetur: præterquam in uno, ubi verſus hac Pentimemeri clauditur, *ſolamenque mali.* Quam lectionem Ti. Donatus agnoſcit, nulla de fiſtula mentione facta. Cujus verba, quia in vulgatis codicibus corrupta ſunt, ex integro exemplari adſcribere non pigeat: *Lanigeræ comitantur oves, ea ſola voluptas, ſolamenque mali.* Voluptatem ex animalibus habuit, quum videret, cæcatus vero pecorum ſuorum commodo orbitatem proprii luminis ſolabatur. Quæ vero Quintiliani verba Servius citat, de cæcitatis ſolatio, ſumpta ſunt ex declamatione de *pariete cruentato:* Ne alio quis ea quæſitum eat. *Pierius.*

662. *Poſtquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit.*] Hyperbaton in ſenſu: ut, *Progreſſi ſubeunt luco, fluviumq; relinquunt.* aut Hyſteroproteron. Primum enim debuerat dicere, *venit ad æquora*, deinde, *tetigit fluctus.* Serv.

Poſtquam altos tetigit fluctus.] Habet locus hic ſimilitudinem cum altero lib. 10. —— *quam magnus Orion*

Cum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam ſcindens, humero ſupereminet undas.

Sed & Polyphemum per undas maris peditem incedentem Eurip. infert, ſic enim Cyclops ipſe apud illum:

Δι' ἀμφιτρίτης ῃ προσβαίνων ποδὶ:
Per mare hoc aſcendens pede. Cerda.

663. *Luminis effoſſi.*] Sic Terent. E. 4. 6. 2. *oculi effodiuntur.* Juſt. l. 7. c. 6. *Sagitta jacta dextrum oculum regis effodit.* Emmeneſſ.

Fluidum.] Propter ὁμοιοτέλευτον, *fluentem* noluit dicere. quod autem dicunt phyſici de effoſſo oculo ſanguinem nunquam fluere, verum quidem eſt: ſed ſupra non effoſſum hujus oculum, ſed terebratum legimus. Unde eum conſtat necdum fuiſſe curatum. *Servius.*

Fluidum.] In antiquis codicibus *fluvidum* fere paſſim ſcribitur geminato *vv*: quod Grammatici non admittunt, niſi prima producta ſyllaba, quum tamen *fluvius* eodem modo enuntietur, corripiat tamen primam. *Pierius.*

Lavit cruorem.] Adhuc enim inflicta cæcitas nova putabatur, cum adhuc funderet ſanguinem. *Donatus.*

Inde.] Aut de fluctibus, aut de ſpatio oculi. *Servius.*

664. *Gemitu.*] Cum gemitu. *Idem.*

Graditurque per æquor.] Immenſæ proceritatis expreſſio, gradiebatur in medio mari, ut in terra: neque profundi maris latus ejus unda tangebat. *Don.*

665. *Iam medium.*] Altum quam litus, vel pluſquam litus, id eſt, unde altum incipit; vel ſic altum, ut medium putares. Nam & in quinto ſic dixit, *Interea medium Æneas jam claſſe tenebat, Certus iter:* cum adhuc mœnia reſpiceret. *Servius.*

Medium.] Ut hic vox iſta ad ſignandam

Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice, ſic merito; tacitique incidere funem.
Verrimus & proni certantibus æquora remis.
Senſit, & ad ſonitum vocis veſtigia torſit.
Verum ubi nulla datur dextram adfectare poteſtas,
Nec

dam profunditatem, ita Propertius lib. I. eleg. 9.

Quid ſi non eſſet facilis tibi copia? nunc tu
Inſanus medio flumine quæris aquam.

Eſt vero gigantis magnitudo notata verbo,

Necdum fluctus latera ardua tinxit.

Cui ſententiæ par omnino illa Nonni lib. 2. Dionyſ.

Φαίνετο γυμνωθεῖσα δι᾽ ὕδατος ἄβρεχος ὀσφύς:

Apparebant nudi ab aqua non madefacti lumbi.

Et rurſum de gigante Typhone:

Βένθεϊ ταρσὸν ἔπηκτο, καὶ ἠέρι μίγνυτο γαστήρ:

In profundo maris plantam figebat, & venter aëri miſcebatur.

Cerda.

Fluctu.] Legitur & *fluctus.* Servius.

Necdum fluctus latera ardua tinxit.] Vetera aliquot exemplaria *ſtrinxit* habent, quod minime placet, tam propter aſperitatem, quam etiam ob improprietatem. Quod vero Servius & *fluctu* & *fluctus* legi docet: in antiquis iis codicibus, quos habui, *fluctus* habetur indicativo caſu: & in Donatiana paraphraſi eadem agnoſcitur lectio. Neque ad ejus latera profundi maris unda pervenerat. In Porcio etiam *fluctus* prius ſcriptum fuit, ſed nunc *s* littera abraſa vix diſcerni poteſt. *Pierius.*

666. *Trepidi.*] Feſtini: ut, *Ne trepidate meas Teucri defendere naves.* Item, *Accepit trepidos, ac Niſum dicere juſſit.* Servius.

Celerare.] Infinitivum, pro pronuntiativo. *Idem.*

Recepto.] Aut in ſocietatem accepto, aut de periculo liberato, ut, *Frugeſque receptas*, & *Medioque ex hoſte recepi.* Idem.

667. *Sic merito.*] Quia omnia ejus probaverant dicta, ac ſi diceret, non fallacem, ut Sinonem. Sane quibuſdam videtur incongruum Achæmenidis nuſquam alibi factam mentionem, cum eum hic & ſalutem merito impetraſſe, & ut reciperetur à fugientibus dicat. *Idem.*

Taciti.] Ceſſante remorum ſtrepitu, & cantilena nautarum: ſine qua remi operari non poſſunt. *Donatus.*

668. *Verrimus.*] In Mediceo, in Porcio, & antiquis aliquot aliis codicibus *vertimus* legere eſt, quod agnoſcit Ti. Donatus. *Pierius.*

669. *Senſit.*] Quod non videbat, auribus percepit. nam quamvis ſilentium adhiberetur, non potuit penitus vacua ſtrepitu eſſe navigatio. *Donatus.*

Ad ſonitum vocis.] Remorum ſonitum, *vocem* dixit. *Vox* enim eſt omne, quod ſonat: ſic alibi, *Fractaſque ad litora voces.* Nam de hominibus non dixit: quia ſupra eſt, *Tacitique incidere funem.* Servius.

Veſtigia torſit.] Bene uno ſermone oſtendit eum revertentem jam audiſſe ſonum remigii. *Idem.*

670. *Dextram adfectare.*] Dextram intendere, & injicere ſcilicet, ſic ut poſſit navem tenere. Terentius, *Ad dominam qui adfectant viam*, id eſt, intendunt. Nam ſi *dextra* legeris, ut ſit *dextra contingere*, caret exemplo. *Adfectare* autem quidam dicunt, hoc eſſe pronum animum habere ad faciendum quid occupandumque: Alii *adfectare*, ſi *dextras* legas pro *adfectandi* accipiunt, ut ſit verbi infinitivi modo pro participio. *Servius.*

Dextram adfectare.] Id eſt, intendere, & anxia quadam aviditate manum navibus injicere. Ter. Phorm.

Nec potis Ionios fluctus æquare ſequendo;
Clamorem inmenſum tollit: quo pontus, & omnes
Intremuere undæ, penituſque exterrita tellus
Italiæ, curviſque inmugiit Ætna cavernis.
At genus è ſilvis Cyclopum & montibus altis
Excitum ruit ad portus, & litora conplent.
Cernimus adſtantis nequicquam lumine torvo

Ætnæos

Gladiatorio animo ad me affectant viam. *Adfectare*, luctatorum & gladiatorum verbum, & in arena natum eſt: cui reſpondere Græcum ὀρέγεσθαι & μάρπτειν, Pimpontius notat. *Taubm.*

Verum ubi nulla datur dextram adfectare poteſtas.] *Adfectare* Servio negotium faceſſit: quia etiam *dextra* caſu ſeptimo ſcriptum invenerat. In codicibus tamen nonnullis antiquioribus, *dextra attrectare* legitur: quod nullam præ ſe ferret difficultatem. Nam qui penates & deos magnos ſecum habebant, tanquam ſacri, non temere erant à profano, & deorum contemptore contingendi. Non fruſtra tamen in codicibus multis, *dextram adfectare* ſcriptum, hoc eſt anxia quadam aviditate manum ad navem injicere. *Pierius.*

671. *Nec potis.*] Id eſt, nec potis eſt. *Potis* autem nomen eſt, & declinatur *potis, potis, poti, potem: potis*, à *pote*, & nomen eſſe docet ratio comparationis. Nam in ſuperlativo *potiſſimus* facit, cui ſi detraxeris *ſimus*, invenies nominis poſitionem, ut *acerrimus, acer, fortis.* Sic autem ut diximus declinari, compoſitio oſtendit. Nam *hujus impotis, compotis, compotem* facit, quod in ſimplici difficile invenis: per compoſitionem agnoſcis facilius. *Serv.*

Potis.] Vide Sanct. in reſponſ. ad quædam objecta, p. 454. ubi negat eſſe archaiſmum. *potis* & *pote* dici, ut *fortis* & *forte.* videndus & Donatus ad Ter. A. 2. 6. 6. *Emmeneſſ.*

Ionios.] Mare Ionium ſic dictum, ex quo illud tranſmiſit Io, ſcribit Æſchyl. in Prom. ubi Prometheus ipſe ſic loquitur ad Ionem:

Χρόνον ϗ τὸν μέλλοντα πόντιος μυχὸς
(Σαφῶς ἐπίστασ') Ἰόνιος κληθήσεται,
Τῆς σῆς πορείας μνῆμα τοῖς πᾶσι βροτοῖς:

Qui deinde ſeceſſus maritimus
(Pro certo hoc ſcias) vocabitur Ionius,
In monimentum tui itineris omnibus hominibus.

Cerda.

672. *Inmenſum.*] Magnum, & dictum, quod menſura comprehendi non poſſit. *Servius.*

Tollit.] In antiquis aliquot codicibus, *ponit* habetur: quod non æque placet. *Pierius.*

673. *Exterrita tellus.*] Poëtica hyperbole. *Servius.*

674. *Italiæ.*] In codicibus antiquis *Trinacriæ* legitur: quod magis decorum ſervat, præſertim quum ſubſequatur, *Crebriſque immugiit Ætna cavernis*: Sed *Italiæ* Donatus agnoſcit: & hyperbole ita major eſt. *Pierius.*

Curvis cavernis.] Echo enim in concavis locis eſt. *Servius.*

Inmugiit.] Antiqui plerique codices, *inmugiit* κατὰ κεράσιν legunt. Quam lectionem doctiſſimi plerique viri receperunt. *Pierius.*

675. *At genus.*] Figurate, *at genus complent*; ut, *Hic manus ob patriam pugnando.* Servius.

676. *Excitum.*] A verbo *cio, cis, cit.*

Ruit.] Feſtinanter venit, ut, *Ruuntque effuſi carcere currus.* Idem.

Excitum ruit ad p.] Græci βοηδρομεῖν ad clamorem & conclamationem accurrere, nimirum αὐτοβοεί. *Germ.*

677. *Nequicquam lumine torvo.*] Quia nocere non poterant. *Servius.*

678. *Æt-*

Ætnæos fratres, cælo capita alta ferentis,
Concilium horrendum: quales cum vertice celso
Aëriæ quercus, aut coniferæ cyparissi
Constiterunt, silva alta Jovis, lucusve Dianæ.
Præcipites metus acer agit quocumque rudentis
Excu-

678. *Ætnæos fratres.*] Aut similes, aut feritate germanos, aut ejusdem patriæ, vel terræ, tanquam matris. Nam non sunt Polyphemi fratres: quem Neptuni filium Homerus dicit. Unde, eo occœcato, Ulyxes pertulit tempestatem, qui ad eum venit derelicta Calypso, cum qua decem annis fuerat. Unde, ut supra diximus, Virgilii dictis dissentit temporum ratio. *Idem.*

Ætnæos fratres.] Alludit ad vocem Græcam αἰτναῖος, id est, magnus & immanis. Sophocl. in Colon. πῶλος αἰτναῖος, id est, *equus magnus*, & κάνθαρος αἰτναῖος, id est, *scarabæus magnus*. Vide Cælium l. 21. c. 23. item Dan. Heinsium ad Sillium lib. 12. ubi docet, Græcis *Parnaßium* etiam fuisse *magnum*: ut ἄνθρακες παρνάσιοι, id est, *carbones magni*. A montibus enim vocabula magnitudinis eos deduxisse. Docet autem Turnebus lib. 24. c. 10. contra Poëtas, Cyclopes eam Siciliæ partem, ubi Ætna, non incoluisse: sed continentis habitatores fuisse. Vide Notas ad illud 1. Æn.

—— *vos & Cyclopea saxa Accestis* ——
Taubmannus.

Ætnæos fratres.] Mela illustrat hunc locum l. 2. c. 5. *Ætna quæ Cyclopas olim tulit.* Strabo l. 1. περὶ τὴν Αἴτνην κυκλῶπας δυναστεύσας. Plura Cluver. antiq. Sicil. l. 1. c. 2. *Emmeneß.*

679. *Cœlo.*] Pro *In cælum.* Servius.

Concilium.] Id est, conventus, congregatio. Horat. l. 4. od. 5. *patrum sancto concilio*, vide illic Lambinum. *Emmeneß.*

Coniferæ.] Conum substinentes, & *Conus* dicitur fructus cupressi, & ipsa κωνοειδὴς est. Nam à rotunditate in acumen levatur. *Servius.*

Cyparißi.] Cyparissus Telephi filius fuit, amatus ab Apolline: vel, ut alii, à Sylvano, qui cum classatus æstu sub quadam arbore somnum caperet, subito strepitu excitatus, cervum, quem in delitiis habebat, feram credens, per ignorantiam, misso telo occidisset, cum fletu nimio & abstinentia cibi ac potionis tabesceret, à misericordia deorum in arborem cupressum conversus est, aptam & consecratam lachrymis & luctibus. Alii hunc Cyparissum Cretensem puerum pulcherrimum & castissimum fuisse, quem quidam ab Apolline, nonnulli à Zephyro amatum volunt; qui cum castitatem suam incorruptam tenere cuperet, relicta Creta ad Orontem fluvium, & montem Cassium, dicitur pervenisse: atque ibi in Cypressum arborem commutatus, quæ arbor ideo mortuis consecratur, quod cæsa semel nescit renasci. *Idem.*

Coniferæ Cyparißi.] Ideo Ovid. l. 10. Metam. ℣s. 106. *metas imitata Cypressus.* Emmeneß.

681. *Constiterunt.*] Metri causa *consistunt.* Servius.

Constiterunt.] In antiquis plerisquè codicibus *constiterunt* legitur: ut *Steterunt*, *tulerunt* pene ultima brevi sæpe reperiuntur. Non tamen improbo *constiterant* exacta specie. *Pierius.*

Silva alta Jovis, lucusve Dianæ.] *Jovis*, propter quercum: *Dianæ*, propter cupressum: Ipsa enim est etiam Proserpina. Ergo cupressi quasi infernæ, vel quia succisæ non renascuntur; vel quia apud Atticos funestæ domus hujus fronde velantur. *Inmane* autem quod ait etiam vertice celso, & lucus qui propter religionem intactis arboribus & magis crescunt, diu permanent. *Servius.*

Excutere, & ventis intendere vela secundis.
Contra jussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
Inter utramque viam, leti discrimine parvo,
Ni teneant cursus: certum est dare lintea retro.
Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori

Missus

683. *Excutere.*] Num expedire? *Serv.*

Ventis secundis.] Id est, sequi quocunque venti ferrent. nam omnes venti secundi sunt, si, quo impellant, eamus. Est ergo sensus: modo Cyclopas fugeremus, non curabamus, quocunque navigaremus. Quod erat contra jussa Heleni, qui vetabat illos temere navigare: sed diligenter vitare Charybdim & Scyllam: sed istorum malorum metu turbati, decrevimus ut velocissime transiremus. *Donatus.*

684. *Monent.*] Vetera quædam exemplaria cum Mediceo, *movent* legunt: hoc est, persuadent. Sed enim Helenus moverat, & monuerat, & monitus in hoc dictionis genere dicuntur. *Pierius.*

Scyllam atque Charybdim Int. u. v.] In codicibus nonnullis manu scriptis, *Scyllæque Charybdis* scriptum est: ut ordo sit, Inter utranque viam Scyllæ & Charybdis. Sed imperfecta esset oratio, & alterum *que* post *Charybdis* desideraretur. Longe vero melius in Donatiano codice, *Scyllam atque Charybdin* appositive positum. Est & *ne teneant* in aliquot exemplaribus antiquis. Sed *ni* Donatus agnoscit, & pro *ne* positum more veterum ait: quod & Priscianus admittit: quanquam alibi dicat, *Ni teneant cursus*, ita habere, ut Terentianum illud, *Ni metuam patrem:* Et locus alius apud Virgilium, *Ni faciat, maria, ac terras, cæ. que prof. Quippe ferant.* Plura vero Servius. *Idem.*

686. *Ni teneant cursus.*] Antiqui *Ni* pro *Ne* ponebant, qua particula plenus est Plautus, *Ni mala, ni stulta sis.* Sensus ergo talis est, Timor cogebat ut quocunque navigaremus, & ventum sequeremur, non judicium, sed occurrebat præceptum Heleni vitare Scyllam & Charybdim. Quare placuit *Ni cursus teneant*, hoc est, agantur & impleantur inter utramque viam modico mortis interstitio, id est, Scyllæ & Charybdis. *Servius.*

Ni teneant cursus.] *Ni*, pro *ne*, auctore Servio & Turneb. l. 17. c. 11. antiqua litteras affines inter se commutandi licentia: de qua Aus. Popma, in aureolo, De usu antiq. locutionis, libello, c. 1. sensus est: Timor cogebat, ut ventum, non judicium, secuti, quocunque navigaremus: sed occurrebat præceptum Heleni vitare jubentis Scyllam atque Charybdim. Quare placuit, *ne cursus teneant*, hoc est, agantur & impellantur inter utramque viam modico mortis interstitio, id est, Scyllæ & Charybdis, *retrorsum vela dare, atque iterare cursus*, ut loquitur Flaccus. Sed hoc dum cogitamus, ecce prosperior nobis flare cepit Boreas. Vide etiam, quæ ad Plaut. Menæch. act. 1. 2. notavimus: quem locum Servius hic laudat. *Taubm.*

Ni teneant.] *Ni* hic pro *ne* positum monet Donat. ad Ter. E. 3. 3. 2. *Emm.*

Dare lintea retro.] Quod dum cogitamus prosperior nobis flare cœpit Boreas. Nonnulli Scyllam & Charybdim inter distinguunt, ut sit ordo: *Inter Scyllam & Charybdin utramque viam læti discrimine parvo Ni teneant cursus certum est dare lintea retro.* Alius ordo est, *Contra jussa monent Heleni ne inter Scyllam & Charybdin cursum teneant.* Servius.

Retro.] Horat. *Nunc retrorsum Vela dare, atque iterare cursus.* Germanus.

687. *Pelori.*] Sicilia Gr. ideo *Trinacria* dicitur, quod tres extremitates, quas Græci ἄκρας vocant, in mare videtur extendere, Pachynum, quod in Aryciam vertit, Lilybæum, quod Africam spectat,

Missus adest. vivo prætervehor ostia saxo
Pantagiæ, Megarosque sinus, Tapsumque jacentem.
Talia monstrabat relegens errata retrorsum
Litora Achemenides, comes infelicis Ulixi.
Sicanio prætenta sinu jacet insula contra
Plem-

stat, Pelorum, quod in Tyrrhenum mare procedit. Sed angusta ab sede ideo agitur, quia eminus videntibus eum locum, Italia & Sicilia terra continens putatur, nec nisi ad vicinum accedentibus videtur. *Servius.*

688. *Missus adest.*] Favore scilicet numinum: quia Anchises optaverat dicens, *Ferte viam vento facilem, & spirate secundi*; vel *missus* juxta qualitatem locorum, ita enim in illis angustiis & faucibus maris artari & conglobate spiritus fieri dicitur, ut ad illum locum tantummodo missus videatur. *Idem.*

Vivo prætervehor ost. s.] Pro *vivi saxi*, ablativum pro genitivo, vel viva saxa habentia: *ostia* vero aut litora sunt, aut exitus fluminis in mare, aut introitus portus. *Idem.*

Vivo prætervehor ostia saxo.] Supra: *vivoque sedilia saxo.* Cæsar: *prætervectos Dyrrhachium magna vis tempestatis sequebatur.* Germ.

689. *Pantagiæ.*] Hic fluvius Siciliæ cum plenus flueret, implebat sonitu pene totam Siciliam. Unde & *Pantagias* dictus est, quasi *ubique sonans.* Hic postea cum Cereri, quærenti filiam, obstreperet, tacere jussus est numinis voluntate. *Servius.*

Pantagiæ.] De hoc flumine Cluver. l. 1. Antiq. Sicil. l. 11. *Emmeness.*

Megarosque sinus.] Megara oppidum est juxta Syracusas. *Servius.*

Tapsumque jacentem.] Thapsus insula non longe à Syracusis, plana, pene fluctibus par. *Idem.*

Tapsumque jacentem.] Hodie vulgo *L' Isola delli manchisi.* Salustius & Silius, teste Dausquio, sine aspiratione scribunt. Thucydides l. 6. Stephanus & alii Θά↓ος malunt, si à θάπλω sepelio, quia quasi sepulta & fluctibus obruta est, à quibus standum sit, apparet facile. De hac peninsula Strabo l. 17. Isidor. l. 14. orig. c. 6. & accurate satis Cluver. in antiq. Sicil. lib. 1. cap. 11. *Emmeness.*

690. *Talia monstrabat.*] Quia occurrebat, Unde hæc loca scire potuisti? *Servius.*

Relegens.] Renavigans. Ut, *Et primi lege litoris oram.* Idem.

Errata.] Participium sine verbi origine. Non enim facit *error.* Idem.

Relegens errata retrorsum.] *Errata litora*, ut Græci passive efferunt: Xenoph. apom. α. ἃ πολλῷ ἐλάττονας βλαβὰς ἁμαρτανόμενα ποιεῖ, τῶν περὶ τὴν πόλιν ἁμαρτανομένων· & Plato leg. θ. ἐπειδὴ τῶν ἁμαρτανομένων τρία εἴδη δεδήλωται. pro ἁμαρτημάτων. *Germ.*

Retrorsum.] Quasi à fine ad caput retexens. *Servius.*

Retrorsum.] In antiquis aliquot exemplaribus, *retrorsus.* Pierius.

691. *Achemenides.*] De hoc infelici homine Ovid. in Ibide vs. 415.

Qualis Achemenides Sicula desertus in Ætna,
Troïca cum vidit vela venire fuit.

Emmeness.

Infelicis Ulixi.] Epitheton ad implendum versum positum more Græco sine respectu negotii. Nam Æneas incongrue infœlicem Ulyxen dicit, nisi forte quasi pius etiam hostis miseretur, cum similes errores & ipse patiatur: & notandum conclusam de Achemenide mentionem. *Servius.*

692. *Prætenta.*] Anteposita. *Idem.*

Jacet.] Sita est, ut, *Medio jacet Insula ponto.* Idem.

Plemmyrium undoſum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama eſt huc Elidis amnem
Occul-

693. *Contra Plemmyrium undoſum.*] Quidam inſulam, quidam fluvium putant dici. Sane verbum de verbo expreſſit. Hoc eſt enim *undoſum*, quod *Plemmyrium*. Sinus Syracuſanus, in quo Ortygia, cujus hic neceſſarie meminit; nondum enim erant conditæ Syracuſæ, *undoſum* vero, quod uſque illuc veſtigio æſtuantis Charybdis dicitur pervenire. *Servius.*

Plemmyrium.] Quidam inſulam eſſe ſtatuunt, quidam fluvium, quidam promontorium. extremum hoc tam in Virgilio, quam in Thucydide (hujus locus habetur lib. 7.) agnoſcit Ortelius: quo (ut ait Serv.) perveniant undæ Charybdis æſtuantis. Ergo Ortygia hunc habet ſitum, ut poſita ſit contra Plemmyrium, & obtenta prætentaque ſinui Siciliæ. *Cerda.*

Plemmyrium.] De hoc promontorio Cluverius lib. 1. ant. Siciliæ lib. 13. *Emmeneſſ.*

694. *Ortygiam.*] Hæc tantum *Ortygia* dicitur, Apollinis vero etiam *Delos*. Et bene addidit *Priores*, ut hæc quæ nunc eſt ſemper appellata ſit *Ortygia*, hæc vero prioribus tantum. *Serv.*

Ortygiam.] De hac inſula Strabo l. 6. Cluver. l. 1. ant. Sicil. c. 12. *Emm.*

Alpheum.] Quia Græce ἀλφειὸς facit: ut αἰνείας, *Æneas*; μήδεια, *Medea*. Servius.

Fama eſt huc Elidis amnem.] Elis & Piſæ civitates ſunt Arcadiæ, in qua eſt fons ingens, qui ex ſe duos alveos creat, Alpheum & Arethuſam. Unde fit, ut fingantur conjungi in exitu, quos origo conjungit. Arethuſam autem etiam in Elide eſſe teſtatur Virigilius, dicens, *Sic tibi cum fluctus ſubter labêre Sicanos.* Hæc ſecundum fabulas venatrix fuit, quæ dum ſe in Alpheo poſt laborem ablueret, ab eo adamata eſt. In ſpeciem avis alpheos cognoſſet latere, * & jam ſic eam mutatam perſequi cœpit, quæ cum diu fugiens deorum miſeratione in fontem ſui nominis verſa ad Siciliam per ſecretos meatus venit. Quam Alpheus illuc uſque perſequutus, fonti ejus ſe miſcet: quod tali argumento probatur, nam cum equi, diebus feſtis, Olympii Jovis, certantes in eo amne diluuntur, ſtercus equorum ex eo amne etiam in Arethuſa recognoſcitur. Patera etiam, quam in Alpheum quidam Olympionices miſerat, in Arethuſa inventa dicitur. Hanc autem venatricem fuiſſe, quod etiam Virgilius oſtendit, *Et tandem poſitis velox Arethuſa ſagittis.* Quidam autem Arethuſam non de Elide ad Siciliam venire, ſed in Sicilia naſci volunt, & venienti fluvio occurrere. *Idem.*

Elidis.] Strabo, lib. 4. omnem illam regionem, quæ inter Meſſeniam & Achajam proprie dictam interjacet uſque ad mare, *Eleam* vel *Elidem* nominari ait, per quam fundatur Alpheus. *Taubmannus.*

Alpheum fama eſt, &c.] Alpheum Arethuſamque emergere in inſula Ortygia Strabo his verbis narrat l. 6. Geog. ἡ δ' Ὀρτυγία συνάπτεται γεφύρᾳ πρὸς τὴν ἤπειρον οὖσα. Κρήνην δ' ἔχει τὴν Ἀρέθουσαν, ἐξιεῖσαν ποταμὸν εὐθὺς εἰς τὴν θάλατταν. μυθεύουσι δὲ τὸν Ἀλφειὸν εἶναι τοῦτον, ἀρχόμενον μὲν ἀπὸ τῆς Πελοποννήσου. διὰ δὲ τοῦ πελάγους ὑπὸ γῆς τὸ ῥεῖθρον ἔχοντα μέχρι πρὸς τὴν Ἀρέθουσαν, εἶτ' ἐκδιδόντα πάλιν εἰς τὴν θάλατταν: *Ortygiam pons terræ conjungit. ea fontem habet Arethuſam, quæ fluvium ſtatim emittit in pelagus. Hunc ipſum Alpheum eſſe traditum eſt in fabulis, qui cum in Peloponneſo ſumat originem, per mare ſub terram uſque ad Arethuſam fluenta perducat: deinde rurſus hic emergens excurrat in pelagus.* Cerda.

Alpheum.] Mela hujus fluminis & Arethuſæ fontis mentionem infert, l. 2. c. 3. & 7. *fert Arethuſam. Fons eſt in quo viſuntur jacta in Alpheum amnem Peloponeſiaco litori infuſum: unde ille creditur*

Occultas egiſſe vias ſubter mare: qui nunc
Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur undis.
Juſſi numina magna loci veneramur: & inde
Exſupero præpingue ſolum ſtagnantis Helori.
Hinc altas cautes projectaque ſaxa Pachyni
Radi-

ditur non ſe conſociare pelago, ſed ſubter maria terraſque depreſſus, huc agere alveum, atque hic ſe rurſus extollere. Notabis *agere alveum*, ut infra *egiſſe vias*, ſed de hac lectione Pierius. utriuſque amores narrat Ovid. lib. 5. Metam. ℣ſ. 574. & ſeqq. & lib. 3. amorum Eleg. 6.

Quid? non Alpheon diverſis currere terris
Virginis Arcadiæ certus adegit amor.

Vide N. Ecl. 10. ℣ſ. 1. *Emmeneſſ.*

695. *Egiſſe.*] In codice perveteri, qui apud me eſt, *habuiſſe vias* legitur: ſed *egiſſe* magis placet, ut in vulgatis. *Pierius.*

696. *Ore.*] Fonte vivo: bene de fluvio, ut 1. Æneid. *Unde per ora novem.* Servius.

Confunditur.] In antiquis aliquot codicibus, *perfunditur*. Sed *confunditur* magis placet: hoc eſt, commiſcetur. *Pierius.*

697. *Juſſi numina magna loci.*] Vel ab Achemenide admoniti, vel Anchiſe, vel ab oraculis: & quæritur, quæ numina, vel quare non dixerit, & utrum Alpheum, an Arethuſam intelligi voluerit. *juſſi* ergo, admoniti. *Servius.*

Juſſi numina magna loci veneramur.] In omnibus antiquis codicibus, quotquot legi, numerus eſt hujuſmodi, *juſſi numina magna loci veneramur.* ut illa, *Addam cerea pruna.* &, *Curru jungit Alæſus equos.* in non nullis: *numina magna loci juſſi veneramur.* Pierius.

698. *Exſupero præpingue ſolum ſtagnantis Helori.*] In codicibus antiquis, *Helori* cum adſpiratione, quam & Pontanus recipit. in aliquibus tamen ſine aſpiratione *Elori*. Eſt etiam eodem verſu *exſupero* per *x*, & *s*. Idem.

Stagnantis Helori.] Fluvii qui ad imitationem Nili effunditur campis. Sed Græci *ſtagna Elide* dicunt, unde ait, *Stagnantis Elori.* Servius.

Helori.] Per adſpirationem malunt ſcribi fide optimorum Codicum: non deſunt tamen, qui demunt teſte Dauſquio: fluvius eſt proximus Pachynum promontorium τȣ̃ ποταμȣ̃ τȣ̃ κτ̃ Πάχιωον, ut Stephanus. mirum cur hic *ſtagnantis*, cum Silio dicatur *undæ clamoſus Helorus.* nodum ſolvit idem Cluv. ibid. Sed ſatius eſt conſulere Cluverium lib. 1. c. 13. Servii locum emendantem, apud quem *Elide* male, pro quo legendum cenſet ἕλη, id eſt, paludes. *Emm.*

699. *Projecta.*] Prorecta & tenta, ut, *Porrecto dum pede lævo.* Servius.

Pachyni.] Promontorium eſt auſtrum ſpectans. Unde & *Pachynum* dictum ab aëris craſſitudine. nam παχὺς eſt pinguis & craſſus. *Idem.*

Projectaque ſaxo Pachyni.] *Projecta*, id eſt, prominentia; quaſi porro jactata. Æn. 5. ℣ſ. 204. *procurrentia ſaxa* dixit. Etiam JC. *projecta* vocant podia, Meniana. Lucret. lib. 3. de grandi & vaſto homine:

Quamlibet immani projectu corporis exſtet. Taubm.

Projectaque ſaxa Pachyni.] Macrobii explicationem, ſi quis amplecti malit, addo l. 6. Saturn. c. 4. ſi *projecta* ſecundum conſuetudinem dicatur, intelligitur *abjecta*. ſi ſecundum veteres *projecta* porro jacta. ut alibi ait: *projecto dum pede lævo aptat ſe pugnæ.* plura illic. ſed *extenſa ſaxa* interpretor ut Ecl. 1. *projectus in antro* ℣ſ. 67. Bene *ſaxa*; nam ex tribus promontoriis, de quibus Mela l. 2. c. 7. unde Sicilia fuit appellata *Trinacria*, unum nempe *Pelorus* eſt humo arenacea, *Pachynus* & *Lyli-*

Radimus, & fatis numquam concessa moveri
Apparet Camerina procul, campique Geloi,
Immanisque Gela fluvii cognomine dicta.
Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Mœnia, magnanimûm quondam generator equorum.

Teque

Lilybæum saxea, teste Cluverio l. 1. antiq. Sic. c. 6. Hodie appellant accolæ *Pachynum* promontorium *Capo Pássalo* vel *Pássar.* de hoc ἀκρωτηρίῳ Σικελίας Cluver. l. 1. ant. Sic. c. 14. *Emmeness.*

700. *Radimus.*] Propter saxa latentia. *Radimus* autem, nimium adjuncti præterimus, ut v. Æneid. *Radit iter lævum interior.* Servius.

701. *Camerina procul.*] Palus est juxta ejusdem nominis oppidum: de qua, quodam tempore cum siccata pestilentiam creasset, consultus Apollo, an eam penitus exhaurire deberent: respondit μὴ κίνει καμάριναν; ἀκίνητος ἀμείνων. quo contempto exsiccaverunt paludem: & sedata pestilentia, per eam partem ingressis hostibus pœnas dederunt. Sed hoc responsum Æneæ temporibus ignotum fuit. Ergo non observavit Poëta, sed ad præsens tempus locutus est. *Idem.*

Camerina.] In antiquis aliquot codicibus, *Camarina* ut Græci scribunt, μὴ κίνει καμάριναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων. *Pierius.*

Camerina.] Sunt qui pro utraque lectione stant, legentes non nulli *Camarinam*, alii *Camerinam.* vide Dausq. Orthogr. de Palude ipsa, congessit ea, quæ usui sunt, Cluver. ant. Sicil. l. 1. c. 14. Robert. Tit. l. 8. Controvers. c. 9. Vindicat negligentiæ crimine Virgilium contra Servium, criminantem Maronem, quod, Ænea navigante, Camerina nondum siccata fuerit. *Emm.*

702. *Immanisque Gela.*] Civitas à fluvio nominata: sicut etiam campi Geloi. *Servius.*

Immanisque Gela.] Dicitur *immanis* propter magnitudinem urbis, ut Cluver. l. 1. antiq. Sicil. c. 15. ubi accuratam & fluvii & urbis, nec non Geloorum camporum descriptionem invenies. *Emmeness.*

703. *Acragas.*] Mons est muro cinctus, in cujus summa parte oppidum est. Unde & Cicero ait, *Ad mare intra mœnia ante oppidum expectabat.* De Verre. *Servius.*

Arduus inde Acragas.] In antiquis *arduos.* In Romano, *Acragas*, ut Græce scribitur. ἀκράγας, Polybio. Sed affinitas literarum facit, ut Latini multa per *g* scribant, quæ Græci per κ, ut *Gubernator*, κυβερνήτης: atque etiam vice versa nonnunquam pro γ, *c* substituant: ut ex *Gongro Congrus.* Pierius.

Arduus inde Acragas.] Græcum est nomen, Latinis *Agrigentum.* quod ex Plinio l. 3. c. 8. *oppidum Agragas, quod Agrigentum nostri dixere.* urbs celebritate & opulentia ingens: de *Gela* & *Agrigento* à quibus, & quando condita hæc sint oppida, mentionem infert Thucydides in initio l. 6. Sed quæ dici possunt, habet Cluver. l. 1. Antiq. Sicil. c. 15. Fuit & fluvius hujus nominis, qui incolis *Fiumi di Gergenti.* Emm.

Longe.] Quia excelsus est mons. *Donatus.*

704. *Magnanimûm quondam generator equorum.*] Secundum Pindarum quondam Agrigentini equos ad agones Græciæ mittebant, qui inde victores revertebantur. Legimus etiam aliud, cum in Cappadocia greges equorum perissent, Delphici Apollinis responso adduxerunt equos de Agrigento, & reparavere meliores. Quidam autem dicunt Heronem Agrigentinum, vel, ut alii ferunt, Dionysium tyrannum Siciliæ, equos ad agonem Elidis olympicum duxisse, & omnes vicisse. *Servius.*

Generator equorum.] *Altor equorum*, Silio Ital. dicitur l. 14. ubi ille pleraque

urbium

Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus;
Et vada dura lego saxis Lilybeïa cæcis.
Hinc Drepani me portus & illætabilis ora
Accipit. hic, pelagi tot tempestatibus actus,

Heu

urbium & fluviorum nomina recenset, quæ hic Maro noster habet. ut *& cui non licitum fatis Camerina moveri.* & paulo post, *palmis quoque onusta Selinis.* & sic totus contextus. De studio alendorum equorum, quod ingens fuit in Agrigentinis, Plinius l. 8. c. 42. qui narrat ab iis in honorem equorum extructos fuisse tumulos & in tumulis pyramides. idem ferme Solinus cap. 4. *Agrigentina regio frequens est equorum sepulcris, quod supremorum munus meritis datum creditur.* Firmat hoc exemplis pluribus Cluverius supra citato loco. *Emmeness.*

705. *Palmosa Selinus.*] Civitas est juxta Lilybæum, abundans palmis, quibus vescuntur, & apio: an *palmosa* ab equis nobilibus? *Servius.*

Selinus.] In codicibus aliquot antiquis, *Selinys* per *y* in fine scriptum est. In aliquot *Selinis* in aliis *Selinus:* quod quidem cum Græca scriptione facit. Nam Σελινυς per υς finale civitas Siciliæ est: eaque, ut Græci tradunt, & masculino & fœminino genere dicitur. Quod vero *palmosam* dicit Maro ex M. Tullio est, in actione ultima contra Verrem: *Nautæ coacti radices palmarum agrestium, quarum erat in illis locis, sicut in magna parte Siciliæ, multitudo, colligebant.* Pierius.

Palmosa Selinus.] Civitas juxta Lilybæum promontorium: in quo tractu, ut fere tota Sicilia, copia palmarum erat: ut è Cic. 7. Verr. docet Turneb. lib. 30. c. 39. Servius Dan. dubitat, num *palmosa* ab equis nobilibus & palmariis dicatur. *Taubm.*

706. *Saxis Lilybeïa cæcis.*] Vere dixit, nam litus Lilybetanum natura liberum saxis, quasi de industria constructum est. Sane notandum omnium trium promontoriorum Siciliæ factam mentionem, ut, *Ecce autem Boreas angusta à sede Pelori.* Et, *Projectaque saxa Pachyni*, & hic modo, *Saxis Lilybeïa cæcis.* Servius.

Saxis cæcis.] Quæ nautæ *subaquanea* appellant. *Donatus.*

707. *Drepani portus.*] *Drepanum*, civitas est ante pedem montis Erycis trans Lilybæum: dicta vel propter curvaturam litoris, in quo sita est; vel quod Saturnus post amputata virilia Cœlo patri illic falcem projecit, quæ *Drepanos* dicitur Græce: quod verisimile putatur propter vicinitatem Erycis consecrati Veneri, quæ dicitur nata ex Cœli cruore, & spuma maris. Quidam *Drepana* dictum volunt à falce Cereris, quam ibi, cum filiam suam Proserpinam quæreret, amisit. Cato pluraliter *hæc Drepana* dicit. *Servius.*

Drepani portus.] *Drepanum*, civitas ante pedem montis Erycis, trans Lilybæum. quam *oram illætabilem*, id est, tristem vocat, ob patris amissionem. quanquam auctores de morte Anchisæ valde discrepant. de quo Muretus Var. lib. 13. cap. 3. & Cælius lib. 17. cap. 10. *Taubmannus.*

Drepani portus.] De promontorio Lilybæo, de urbe Drepano & portu videndus Cluver. lib. 2. ant. Sic. cap. 1. *Emmeness.*

Illætabilis.] Propter patris amissionem. *Servius.*

Illætabilis.] Expressit plenam mortalitatem; nam si quando aliqua infortunia accidunt, nos in dolore positi locis attribuimus, quasi nobis aliquid inflixerint. ergo hic Drepanitano loco applicat, quod fato acciderit. *Donatus.*

708. *Actus.*] Transactis, vel quomodo mensibus actis. *Servius.*

Actus.] In antiquis pene omnibus exemplaribus legere est, *Actis.* Neque

actus

Heu genitorem, omnis curæ casusque levamen,
Amitto Anchisen. hic me, pater optime, fessum
Deseris, heu, tantis nequicquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celæno.
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.
Hinc me digressum vestris deus adpulit oris.

Sic

actus est in iis, quos legi, nisi contacto codice. *Pierius.*

709. *Heu genitorem.*] Diversum hoc ab historia, si Straboni credimus, qui Æneam una cum Anchise patre & filio Ascanio Laurentum applicuisse tradit. *Idem.*

Casusque levamen.] Simile Propertius lib. 4. eleg. 12.

Te Lepide, & te Paule meum post fata levamen.

& Martialis lib. 6.

Hic tibi curarum socius, blandumque levamen. Cerda.

710. *Amitto Anchisen.*] Dolet periisse in portu, qui tot maris pericula evasisset. nec dixit mortuum, sed deseruisse filium. Veteres enim egregios viros non mortuos, sed per commutationem locorum translatos putabant. *Donatus.*

Fessum deseris.] Ut supra diximus secundum Virgilium. Nam Cato eum in originibus ad Italiam venisse docet, unde etiam in sexto illud amphibolon est, *Quo magis Italia mecum lætere reperta.* Nam & post Latinum Turnumque & Amatam dicitur excessisse. Sed *bene* hic subtrahitur, ne parum decoro amori intersit. Quæritur sane, cur sine ulla descriptione funeris patris præterierit? aut quia in v. dicturus est, & bis eadem dicere vitaverit; aut quia, sicut dictum est, Anchises ad Italiam cum filio pervenit. *Servius.*

711. *Heu tantis.*] Tantus fuit dolor, ut etiam apud Didonem positus, quasi cum eo præsente loqueretur. *Donatus.*

Tantis.] Ad generalitatem transit, ne si specialiter enumeraret, longior fieret. dolebat autem vehementer, quod infinitis casibus liberatus, ad Italiam pervenire non potuisset. Definit ergo Poëta, quam vim habeat apud filium incolumitas patris, cum dicit: *Omnis curæ casusque levamen.* Idem.

712. *Nec vates Helenus.*] Quia dixerat, *Prohibent nam cætera Parcæ Scire Helenum.* Servius.

Nec Helenus.] Cum multa horrenda prædiceret: nec Celæno, cum multa optaret maledicta. ergo nec amicus prædixit, nec inimica. Tacuit autem de tempestate Siciliensi, ne bis repeteret, quod dictum fuerat ab Ilioneo. *Donatus.*

713. *Non dira Celæno.*] Quæ vel irata debuit adversa nuntiare. Et bona pietate mortem patris graviorem dicit esse, quam famem. *Servius.*

714. *Hic labor extremus.*] Aut apud Drepanum. Aut *extremus*, sævissimus, quia statim tempestati sacratus est. Et bene de ipsa tempestate tacuit, quia Ilioneus supra dixerat: *Cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion In vada cæca tulit.* Idem.

715. *Deus adpulit oris.*] Tulit voluntate sua, bene se commendat Didoni, dicens se ad eam deorum voluntate venisse. Sane non dixit *quis deus*, ut alibi, *Dabit deus his quoque finem.* Idem.

Vestris Deus adpulit oris.] Didonis animum confirmat, illiusque benevolentiam & gratiam sibi conciliat ex eventu rei, cum se ad eam deorum voluntatem accessisse significat. Et addit uno versu quod jam copiose descripserat.

Sic pater Æneas intentis omnibus unus
Fata renarrabat divom, curſuſque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

rat. Macrob. lib. 5. cap. 2. Saturn. *Naſcimb.*

Adpulit.] Proprie, teſte Donato ad prol. A. *appellere* dicitur, cum ex pelago aut freto quis ad litus acceſſerit. & recte Deum auctorem dicit, eodem monente, E. 3. 2. 36. *Emmeneſſ.*

716. *Intentis omnibus.*] Adhuc intentis: ut oſtenderet Æneam libenter auditum. Intenti fuerant, cum incœpit: intenti, cum finiret. *Donatus.*

Unus.] Non interpellante regina interrogationibus. *Servius.*

717. *Fata divom.*] Quæ dii hominibus tribuunt. *Idem.*

Renarrabat.] Aut vacat *Re*, ut, *Confieri poſſit.* Aut apparet Æneam ante de ſuis caſibus cum Didone confuſe locutum, & ideo hic addidit *Renarrabat*, quaſi quæ dixerat antea, nunc ex ordine referebat, quod notat in primo: *Immo age & a prima dic hoſpes origine nobis.* Sane in ſecundi principio duo ſunt verſus ex perſona poëtæ, ſicut hic tres, & ſimilis eſt finis initio. *Idem.*

Fata renarrabat divom.] In antiquis aliquot codicibus legere eſt, *fataq. narrabat divom.* Sed enim quia bonam horum partem Didoni prius enarraverat; & in hac dictionis continuatione, multa fuere repetita: longe magis placet *renarrabat*, ut in Mediceo, & vulgatis habetur exemplaribus. *Pierius.*

Fata renarrabat.] Quid ſi contra Servium accipiamus plures factas de excidio Trojano narrationes ab Ænea interpellato ab amante Didone ſæpius, ſed magis conciſas, & minus elaboratas hac, quæ hoc toto 3. lib. continetur, ut ex præcedentibus liquere videtur: *Nec non & vario noctem ſermone trahebat Infelix Dido, longumque bibebat amorem, Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa: Nunc quibus Auroræ veniſſet filius armis:* & ex ſequentibus: *Iliacoſque iterum demens audire labores Expoſcit, pendetque iterum narrantis ab ore.* Servius tamen *renarrabat* pro ſimplici accipit. Videri tamen poteſt hic Maro imitatus Homerum, qui ſub finem lib. Od. μ. renarrantem Ulyſſem inducit his verſibus: τί τοι τάδε μυθολογεύω; ἤδη γάρ τοι χθιζὸς ἐμυθεόμην ἐνὶ οἴκῳ, σοί τε καὶ ἰφθίμῃ ἀλόχῳ. ἐχθρὸν δέ μοί ἐστιν, αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν. *Germ.*

718. *Conticuit tandem.*] Ut, *Conticuere omnes.* Servius.

Tandem.] Diuturnitatem narrantis expreſſit. Notandum ſane quia controverſiarum more epilogos dedit ſex iſtis prioribus libris: quos & eſſe bioticos voluit. Nam ſingulis res ſingulas dedit, ut primo omina, ſecundo pathos, tertio errores, quarto ethos, quinto feſtivitatem, ſexto ſcientiam. Epilogos autem ſic variavit, ut in primo miſeratio eſſet Didonis, in ſecundo mors Creuſæ, in tertio Anchiſæ, in quarto Didonis, in quinto Miſeni, in ſexto Marcelli citum deflet interitum. *Idem.*

Tandem.] Ad ipſum pertinet, qui caſus ſuos enarrabat invitus: nam auditores adhuc intenti erant. *Donatus.*


G.Appelmans Sculp

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS
LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Dido amore Æneæ insaniens, animi sui morbum sorori aperit, ejusque consilium sequuta, ad nuptias animum adjicit. Juno quoque, ut Æneam facilius ab Italia averteret, agit cum Venere, ut ejus bona cum venia liceat Æneæ Elisam uxorem ducere: quoque id commodius fieri possit, se opportunitatem oblaturam ostendit. Postridie Æneas, & Dido venatum proficiscuntur. Ibi omnibus jam prædæ intentis, Juno subitam immittit tempestatem. Comites alius alio diffugiunt. Æneas & Dido in idem antrum conveniunt, ibique infaustis ominibus conjunguntur. Interim Jupiter Iarbæ, Getulorum regis, (qui advenam sibi præferri iniquo animo ferebat) precibus fatigatus, Mercurium mittit ad Æneam, jubetque, ut, relicta Africa, in Italiam naviget. Ille Jovis imperio morem gerens, quæcunque ad navigationem erant necessaria, clam per socios parari jubet. Cæterum Dido, ubi classem instaurari sensit, suspicata id, quod res erat, graviter cum ipso expostulat, precibusque, & lacrimis, tum per seipsam, tum per sororem, eum ab incepto revocare conatur. Æneas iterum in somnis à Mercurio admonitus, intempesta nocte anchoras solvit. Illa doloris impatiens in editissima ædium parte, simulatione sacrorum, ingentem pyram extruit, ablegataque Barce, Sichæi nutrice, ne quid destinatæ morti impedimenti afferret, necem sibi consciscit.

AT regina gravi jam dudum saucia cura
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Multa

APollonius Argonautica scripsit, ubi inducit amantem Medeam. Inde totus hic liber translatus est de tertio Apollonii. Est autem pene totus in affectione, licet in fine pathos habeat, ubi abscessus Æneæ gignit dolorem. Sane totus est in consiliis & subtilitatibus. Nam pene comicum stilum habet: nec mirum, ubi de amore tractatur. Junctus quoque est superioribus: quod artis esse frequenter diximus. Nam ex abrupto vitiosus est transitus: licet stulte quidam dicant, hunc tertio non esse conjunctum, (in illo enim navigationum pericula, in hoc amores exsequitur) non videntes optimam conjunctionem. Cum enim tertium sic clauserit, *Factoque hic fine quievit:* Intulit: *At regina gravi jamdudum saucia cura.* Item paulo post, *Nec placidam membris dat cura quietem.* Nam cum Æneam quievisse dixerit, satis congrue subjunxit: ut somno amans careret. Alii subitum transitum factum tradunt, quia non ostendit convivium dissolutum, sed hoc subtiliter fecit, quia etiam alia convivia eam habuisse describit, *Post ubi digressi lumenque obscura vicissim.* Sane bene *Regina*, quia contra dignitatem amor susceptus gravior esse solet. Ex hoc enim nomine, & pudoris & deliberationis nascitur causa, & præcipue potiundi difficultas. Videtur & post amissam castitatem etiam justus interitus. *Servius.*

1. *At regina.*] Enarratis omnibus, ad quietem secessit Æneas: Dido autem intolerabili cura, mota recordatione loquentis & secreto incendio, torrebatur. *Donatus.*

At.] Antiquus admodum codex est, in quo *d* litera ex præpositione *ad* per *t* semper

ſemper notata eſt, tam in compoſitis dictionibus, quam etiam in iis, quæ ſimpliciter proferuntur: ut, *Meque at tua limina*, & *ateritque vocatus Apollo*, & *atopertus amictu*. Ubi vero *t* ex conſuetudine, vel ex analogia ſcribi nunc ſolet, ibi *d* notatur: ut, *Setoſi capud hoc apri*. *Ad mihi ſeſe offert*, atque loco hoc, *Ad Regina*, &c. Sed enim ut de ratione ſcriptionis hujus, quæ adeo frequens eſt apud veteres, aliquid diſſeramus: non in codicibus tantum antiquis, verum etiam in veterum monumentis obſervatum ſæpius *ad* & *at*, ſive per *t*, ſive per *d* ſcribantur, idem ſignificare: quamvis juniores Grammatici præpoſitionem à conjunctiva, ſcriptione diſtinxerint. Indifferenter vero, uno eodemque ſignificato ſcribi plerunque Soſipater Cariſius manifeſte declarat, Licinii Calvi exemplo in Fuſcinium ambitus reum, *ad ita mihi Jovem deoſque immortalis velim benefeciſſe judices. at*, inquit, conjunctionem, *ad* vero præpoſitionem ſcribunt: εὐφωνότερον tamen eſt, ut hic per *d* ſcribi, ne ſubſequens *t*, literam duriorem ſuique ſimilem ſonum literæ amplexa dictum faciat immitius. *Pierius*.

At regina.] *At* particula connectendi vim habet. Sic Stat. incipit 2. Achilleid. *At Thetis undiſonis, &c.* obſervavit hoc tanquam elegans principium Hadr. Card. Hunc l. 4. Æn. ex Apollonii 4. Argon. ſumptum narrat Macrob. l. 5. Saturn. c. 17. Ut Apollonius repræſentat amorem Medeæ, ſic noſter exponit Didonis. Ad quem alludit Ovid. l. 2. Triſt. ℣ſ. 533.

Et tamen ille tuæ felix Æneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumque toros.

& epiſt. Heroïdum, quæ à Didone ad Æneam ſcripta eſt. *Emmeneſſ.*

Jamdudum.] Aut nimium & vehementer: ut Terentius, *Jamdudum te amat*; *Jamdudum illi facile fit quod doleat*. Aut *jamdudum*, id eſt, à quo tempore vidit Æneam. Legimus enim, *Obſtupuit primo aſpectu Sidonia Dido*. Aut ex quo narrare cœpit Æneas, aut ex quo intervenit Cupido. *Saucia* hinc ſubjunxit *vulnus alit*. Servius.

Saucia.] Urget metaphoras à corpore ad animum. Nam poſtquam dixit, *ſaucia*; addit, *Vulnus alit venis*. Et, *venis*, ideo: quia, ut venenum, ita amor per venas illabitur. Sic 1. Æn. ℣ſ. 692. Cupido à matre jubetur, ut Didoni

Occultum inſpiret ignem, fallatque veneno,

id eſt, amoris quaſi veneno. Alludere autem videri poteſt hîc quidem ad *tela Cupidinis*; uti mox ad faculam. nam ut ſagittarum vulnus eſt; ita facis incendium. Lucretius:

—— *æterno devinctus vulnere amoris*.

Et Ovidius:

Quoque magis tegitur, tanto magis æſtuat ignis.

Cæco igitur *igne*, poſſumus etiam validiore, accipere: cujus hæc eſt natura, ut compreſſus magis convaleſcat. Alias *cæcus ignis* fuerit, quem Græci πῦρ ἐξυρύφιον, & ἐνδόμυχον vocant. Et forte hic etiam ad *imaginem Cupidinis* alluſum eſt, qua cæcus pingitur. Porro notat Priſc. lib. 17. (p. 628.) *alit*, & *carpitur*, dictum hic, pro *alebat* & *carpebatur*. Taubm.

Cura.] Amore intolerabili, quem ferre non poſſet, ut, *Meque his abſolvite curis*. *Cura* ergo ab eo, quod cor urat, ut, *Veneris juſtiſſima cura*. Item, *Mea maxima cura*. Sane per confuſionem verbi & nominis dictum eſt, nam *cura* eſt & verbum, ut *cura, cures*: cum non eſt nomen. *Servius*.

Cura.] Id eſt, amore, qui res eſt timoris ſolliciti plena. Horat. de art. poët. ℣ſ. 85. *& juvenum curas*. Val. Flacc. l. 6. de Med. *& quas alit inſcia curas*. Emmeneſſ.

2. *Vulnus alit*.] Curam paſcit. Et bene adludit ad Cupidinis tela, ut paulo poſt ad Faculam, ut, *Et cæco carpitur igni*. Nam ſagittarum vulnus, eſt facis incendium. *Servius*.

Venis.] Quia per venas amor currit ut ſanguis, nam in ſanguine anima, in anima amor eſt, aut ſicut venenum dictum, ut, *Fallaſque veneno*. Item, *Longumque*

Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos. hærent infixi pectore vultus,

Ver-

gumque bibebat amorem. Nam *venenum* ideo dicitur, quia per venas currit. *Servius.*

Cæco carpitur igni.] Non quod non cernat, sed quod non cernatur: vel quod Dido amorem suum vult occultare, si possit, ideo *cæco*, & ait Virgilius, ut inventas frangat declamationes: ut hoc loco rem dixit sine declamatione. Unde Ovidius, *Quoque magis tegitur, tanto magis æstuat ignis.* *Cæco* ergo *igni* possumus ut validiore accipere, cujus hæc natura est, ut compressus magis convalescat. *Carpitur* autem, paulatim consumitur, ut, *Carpit enim vires paulatim.* Sane *igni* pro *igne* dativus pro ablativo. *Idem.*

Cæco carpitur igni.] Sic Ovid. lib.3. Metam. ℣.49.

Liquitur & cæco paulatim carpitur igni. ubi consulendus Nob. Heinsius & Rob. Titius l.4. controv. c. 2. id Longus in pastoral. l. 1. vocat ἐμπύρδυμα λαβεῖν. Epigr. πῦρ ἐγκρύφιον & ἐνδόμυχον, ut notavit Germ. sed Longus appellat l.2. πῦρ, quum increverunt flammæ, vel, ut Apulejus l. 10. Metam. ubi vesano igne tota præcordia completa sunt. *Emmenesf.*

3. *Multa viri virtus animo.*] Bene mediam se facit præbere Didonem, inter regalem pudorem & amoris impulsum. Simulat enim se virtutem mirari, cujus pulchritudine commovetur. *Multa* autem *virtus*, figurate dixit. Nam ad numerum transtulit, quod est quantitatis, aut *multa* pro *magna.* Servius.

Multa viri virtus.] Erant enim & corporis, quia multos labores pertulerat. erant animi: quod erat deorum cultor. Amator patriæ, parentis, uxoris. Quapropter, etiam sublato amore conflato à Cupidine, cur non amaret virum domi, forisque præstantem? bello strenuum, in pace religiosum, necessarium sibi viduæ destitutæ? condenti civitatem necessarium contra Pigmaleonem? Forma autem corporis, cæteris animi virtutibus afferebat decus: accedebat nobilitas generis; erat enim Veneris filius, Cupidinis frater, nepos Jovis. *Donatus.*

Recursat.] Frequentativo usus est verbo in frequenti amantis cogitatione. *Servius.*

Recursat.] Nullum fere codicem ex his antiquis adinveni, in quo dictio *recursat* incolumis haberetur: litera modo una, modo altera in hoc vel illo codice, vel suppositicia, vel desiderata. In plerisque vero abrasas medias aspexi, & alias atque alias superductas. Moveant forte stomachum, si dixero *recusat*, aut *reversat*: & alia etiam his fœdiora legitimæ lectionis loco supposita fuisse. Sed enim *recursat* frequentativa forma à *Recurro*, castam esse lectionem tam sententiæ concinnitate, quam Servii & Arusiani Messi judicio confirmatur. *Pierius.*

4. *Gentis.*] Non Æneæ, ut sit velut excusatio, sed à numinibus Dardani, aut Veneris. *Servius.*

Infixi pectore vultus.] Vultus, inquit & verba hærent, virtus & honos gentis recursat, quia superiora vehementiora sunt ad amorem. *Infixi* autem ut alibi, *Illum absens absentem auditque videtque*, *Pectore* vero pro *pectori.* Idem.

Infixi.] *Figi* ea dicuntur quæ facile avelli non possunt: & hæret quod non potest reparari. *Donatus.*

Hærent infixi pectore vultus verbaque, &c.] Facit ad Maronis explicationem illud Ovidian. l.6. ℣.490.

At rex Odrysius, quamvis secessit, in illa
Æstuat, & repetens faciem, motusque, manusque;
Qualia vult fingit, quæ nondum vidit, & ignes
Ipse suos nutrit, cura removente soporem.

Amoris curam sequuntur insomnia; Græce

Verbaque: nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phœbea lustrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram;
Cum sic unanimam adloquitur male sana sororem:
Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent!

Quis

Græcè *ἀϋπνίαι* vel *μέριμναι πανόχυπτοι*, teste Macrob. in Somn. Scip. l.1. c.3. ideoque Dido quiescere vix potuit. *Emmeness.*

5. *Nec placidam membris dat cura quietem.*] Aut penitus quiete caruit, ut *placida* epitheton sit *quietis*: aut habuit quidem quietem, sed non placidam, id est, turbatam somniis, unde & ipsa paulo post, *Quæ me suspensam insomnia terrent.* Servius.

Quietem.] Diversa res est somnus & amor. Ergo Æneas quiescebat: Dido inquieta erat. *Donatus.*

6. *Postera Phœbea lustrabat lampade t.*] Circumlocutio orientis diei. Secundum enim & tertium librum Æneas per noctem in convivio Didonis narraverat: licet, ut supra diximus, Virgilius ista, quæ per naturam necesse est fieri, plerumque contemnat. *Servius.*

Lustrabat.] Aut inlustrabat: aut re vera *lustrabat*, id est, purgabat. Nam nox quodammodo polluit mundum, vel circumibat, ut, *Lustrat Aventini montem.* Idem.

Phœbea lustrabat lampade.] Solem Robert. Titius l.10. controv. c.13. appellat lucernam mundi, & lampada hoc loco, ut & l.3. Æn. ℣f.637.

Argolici clipei, aut Phœbeæ lampadis instar.

Emmeness.

7. *Humentem umbram.*] Quia nox omnis humida est, ut, *Noctis lentus non deficit humor.* Et nihil interest, utrum *umbram* an *noctem* dicat. Nox enim, umbra terræ est, ut supra *Involvens umbra magna terramque polumque.* Ergo *umentem* pro *humidam*, quia *umens* est quod facit *humidum*, unde bene *humentem* posuit. Est etiam Hysteroproteron in sensu. Prius est enim, ut Aurora umbram dimoveat, post Phœbea lampas lustret terras. *Servius.*

8. *Cum sic unanimam.*] De re pudenda loqutura parum fuerat sororem eligere, nisi etiam unanimem. Dicimus autem & *unanimus* & *unanimis*, sicut *inermis*. Idem.

Cum sic unanimam.] In codicibus aliquot antiquis, *tum* legitur: & *unanimam*, & *unanimem*. Utrumque agnoscitur à Grammaticis. De *adloquitur* per *d*, alibi dictum. *Pierius.*

Male sana.] Non plene sana, amore vitiata. *Male* enim aliquoties *non*, sæpe etiam *minus* significat; *non*, ut *Statio male fida carinis*; *minus*, ut *male sanus*, sicut *ve*, ut *vecors*, & *vesanus*. Quanquam *male* significet & *perniciose*: ut Lucanus, *Sic male deseruit.* Et quidam *malesana* volunt usen legere, nec esse compositum verbum, quia composita unum plerumque corrumpant necesse est, ut *malesuada*. Servius.

9. *Anna soror.*] Cujus filiæ fuerint Anna & Dido, Nævius dixit, & bene vocabulo necessitudinis blanditur, ut libenter Didonis audiat confessionem; sed suspense & pedetemptim pudore resistente incipit. *Idem.*

Anna soror.] Elegit sororem & unanimem, cui turpiorem amorem confiteretur; neque tamen aperte, sed per insinuationem longo verborum circulo confessa est. *Donatus.*

Anna soror.] Oratio generis Suasorii, qua deliberat Dido, utrum se amori dedat, necne. Et vide, quam omnia suspense & veluti ex insidiis, pudore resistente, loquatur. Ut non sine caussa, J. Cæs. Scaliger, lib. 5. c. 6. Poët. hæc divina appellarit. *Taubm.*

Insomnia terrent.] Legitur & *terret* & *terrent*. Sed si *terret* legerimus, *insomnia*

Quis novus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes!
Quem ſeſe ore ferens! quam forti pectore, & armis!
Credo equidem (nec vana fides) genus eſſe deorum.

Dege-

inſomnia erit vigilia. Hoc enim majores inter *vigilias*, & *ea, quæ videmus inſomniis* intereſſe voluerunt: ut *inſomnia* generis fœminini, numeri ſingularis, *vigiliam* ſignificaret. *Inſomnia* vero generis neutri, numeri pluralis, *ea quæ per ſomnium videmus*: ut, *Sed falſa ad cœlum mittunt inſomnia manes*. Sciendum igitur quia ſi *terret* dixerimus, antiqua erit elocutio. *Inſomnia* enim licet & Pacuvius & Ennius frequenter dixerint, Plinius tamen excluſit, & de uſu removit. Sed ambiguitatem lectionis hæc res fecit, quod non ex aperto vigilaſſe dixit, ſed habuiſſe quietem implacidam, id eſt, ſomniis interruptam, ut intelligamus eam & in ſomniis territam: & propter terrorem inſomniorum vigilias quoque perpeſſam. *Serv.*

Quæ me ſuſpenſam inſomnia t.] Patior inſomnia, dum conſidero nihil eſſe in hoſpite, quod præferri non debeat. *Donatus.*

Inſomnia terrent.] Libentius omnes *terrent* cum antiquis codicibus agnoſcunt, ut *inſomnia* plur. numero dicantur, ſive τὰ ἐνύπνια, ſive vigiliam intelligamus. Nam plurali numero *inſomnia* loco hoc, pro *vigiliis* poſitum Soſipater Cariſius putat: quamvis & hic ſomnia intelligi poſſunt, in quibus terror. *Pierius.*

Inſomnia.] Hic in neutro, plur. ſed & fœmininum pro *Vigilia* uſurpari notum ex Ciceronis Catone: *caret vinolentia & cruditate & inſomnia*, & ex exemplis à Roberto Titio prolatis l. 8. controverſ. c. 1. *Emmeneſſ.*

10. *Quis.*] Nonnulli pro *aliquis* accipiunt, vel *qualis*. Servius.

Novus.] Magnus: ut, *Pollio & ipſe facit nova carmina.* Quaſi antea nunquam, ut Terentius, *Nova figura.* Idem.

Quis novus.] Nova in illo ſunt omnia, tam in corpore, quam in animo, neque unquam in alio viſa: & hæc dicuntur pro amantis animo. *Donatus.*

Quis novus.] Od. λ. Arete ad Phæaces de Ulyſſe: *φαίηκες πῶς ὔμμιν ἀνὴρ ὅδε φαίνεται εἶναι, εἶδός τε μέγεθός τε ἰδὲ φρένας ἔνδον ἐΐσας, ξεῖνος δ' αὖ ἐμὸς ἐστὶν.* Catull. *In noſtris requieſſet ſedibus hoſpes.* Germanus.

Quis.] *Quis*, pro *Qualis*. ut 6. Æn.
Qui juvenes quantas oſtendant, adſpice, vires:
pro, *Quales*. Priſc. lib. 17. *Taubm.*

Succeſſit ſedibus.] Ut, *Succedoque oneri*, &, *Succedunt tecto, & flammas ad culmina jactant*. Servius.

11. *Quem ſeſe ore ferens.*] Cum eum ob virtutem laudet, addendo tamen *os*, nec pulchritudinem denegaverit. *Ore* autem *ferens*, utrum oratione, an vultu dubium eſt: Ut, *Obſtupuit primo aſpectu Sidonia Dido:* Item, *Namque ipſa decoram Cæſariem nato genetrix lumenque juventæ.* Idem.

Quem ſeſe ore ferens.] Quam gratum, quam jucundum eſt, quam viro forti conveniens: quod tacet, quod loquitur, quod movetur. Laudatur etiam Æneas hic, quod non amavit ut vulgaris & turpis, ſed amatus eſt, non tamen ab ea, quæ eſſet pudoris abjecti, ſed etiam petita conſilio Veneris & Cupidinis fraude. *Donatus.*

Quam forti pectore, & armis.] Ut etiam ab Ilioneo audierat, dicente: *Quo juſtior alter, Nec pietate fuit, nec bello major & armis.* Sane ſubaudis *Eſt.* Et bene virtutis commemoratio excuſat ſupra dictam pulchritudinis laudem. Pectora autem ſuſpendere non biſidem dicit, pectore ad patientiam, armis ad fortitudinem. *Servius.*

12. *Credo equidem genus eſſe deorum.*] Ego quidem credo. Nec enim *Vana fides* eſt, id eſt, falſa. Nam *Degeneres animos arguit timor*, id eſt, probat, oſtendit. Et bono ordine amari facit

Æneam.

Degeneres animos timor arguit. heu, quibus ille
Jactatus fatis! quæ bella exhausta canebat!
Si mihi non animo fixum inmotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare jugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit;

Si

Æneam ab ea, de qua ait, *Jura dabat legesque viris.* Primo virtute & factis, deinde generis nobilitate, inde oratione, post pulchritudine, & singula singulis reddit. *Serv.*

Genus esse Deorum.] Adagii forma Plutarchus de fortuna Roman. λαμπρὰ μὲν τὰ σὰ ἔργα, καὶ μεγάλα, καὶ θεῖον ὡς ἀληθῶς ἐξέφηνας αἷμα καὶ γένος ὄντα σεαυτὸν: *Illustria sane & magna tua sunt facta, & revera docuisti te esse sanguinem & genus Deorum.* Talia sunt illa ab Nostro frequentissima, ut in 6. *& mî genus ab Jove summo.* Iterum,

Anchisa generate, Deûm certissima proles.

& : —— *sate sanguine Divûm Tros Anchisiade.*

Sed in his locis Poëta capiendus proprie. nam vere cum relatu ad Venerem. *Cerda.*

13. *Degeneres animos timor arguit.*] Generosi animi indicium, non timere, inde recte colligit l. 1. Theb. Stat.

—— *nam vos*
Haud humiles tanta ira decet, generisque superbi
Magna per effusum clarescunt signa cruorem.

Inperterritus Cyri vultus nobilitatem arguebat Just. l 1. c. 5. & eodem teste l. 14. c. 6. constantia Olympiadis, in qua moriente poteras cognoscere Alexandrum. quia Agrippina non extimescebat strictos gladios, se Augusto ortam testabatur, ut Tacit. l. 1. Ann. c. 40. *Emmeness.*

Heu.] Per hæc amoris impulsus ostenditur. Et hoc ad miserationem pertinet. *Servius.*

Heu.] Incipit sensim confiteri quod amet, quod doleat casus ejus. *Donatus.*

Quibus ille.] Pro *quantis.* Servius.

14. *Jactatus fatis.*] Casibus: ut, *Quis te, nate dea, per tanta pericula casus Insequitur?* Et est Hysterologia, nam prius est, ut bella exhauserit, post fatis jactatus sit. *Idem.*

Quæ bella.] Quanta, pronomen pro nomine. *Idem.*

Exhausta.] Finita, terminata: quod nimiæ virtutis est. Nam inchoare bella, quorumlibet est: vincere vel finire, paucorum. *Idem.*

15. *Si mihi non.*] Adeo illum probat, ut illum judicet dignum matrimonio suo, nisi priori conjugio sit decepta. *Donatus.*

Fixum inmotumque sederet.] Cogi se optat, quæ sic negat. *Immotum* autem pro *immobile,* participium vim nominis habens. *Servius.*

Sederet.] Placeret, ut, *Et sedet hoc animo.* Idem.

Sederet.] Id est, esset in animo. Sic 5. Æn. *Idque pio sedet Æneæ.* Scalig. lib. 4. cap. 16. *Taubm.*

16. *Nec cui.*] Deest *viro.* Servius.

Vinclo jugali.] Synæresis est. pro *vinculo. Jugali* autem propter jugum, quod in matrimonio ponebatur conjungendis. Unde & *Juno jugalis* dicitur. Quidam *jugali* accipiunt pro *conjugali* per ἀφαίρεσιν dictum, quæ fit cum de prima parte verbi syllaba detrahitur. *Id.*

17. *Primus amor.*] Id est, maritus. *Idem.*

Deceptam morte fefellit.] Figurate dixit, morte sua decepit me, & fefellit. *Idem.*

P. primus amor deceptam.] Postquam spe perpetui amoris, interfecto marito, frustrata sum. Scalig. lib. 4. c. 16. *Taubmannus.*

18. Per-

Si non pertæsum thalami tædæque fuisset;
Huic uni forsan potui succumbere culpæ.
Anna, fatebor enim; miseri post fata Sichæi
Conjugis, & sparsos fraterna cæde Penatis,
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem

Inpu-

18. *Pertæsum thalami, tædæque fuisset.*] *Pertæsus* participium est sine verbi origine: & regit genitivum, ut hoc loco. Nam genitivus est singularis. *Serv.*

Tædæque.] *Teda*, arborum est resiniferarum: è qua tedas faciebant, quas novis nuptis præferebant. Vide Scalig. & Muret. ad illud Catulli Carm. 57. *manu Pineam* (vel, ut Muret. & Brisson. legunt, *spineam*) *quate tedam.* Hinc pro ipsis nuptiis usurpatur. *Taubm.*

19. *Huic uni forsan potui succumbere culpæ.*] Bene *forsan*, quasi adhuc dubitet. Singula pronuntianda sunt, nam ingenti dicta sunt libra, quibus confessioni desiderii sui quandam injicit refrenationem. *Servius.*

Culpæ.] Bene *culpæ* potius quam *amori*, & hoc propter antiquum ritum, quo repellebantur à sacerdotio. Id est, fortunam muliebrem non coronabant bis nuptæ. *Idem.*

Huic uni for. pot. succ. culpæ.] Hic Servius, propter antiquum ritum, quo repellebantur à sacerdotio bis nuptæ. Certe & nunc quoque jure Pontificio qui secundo nupsit, aut viduæ se matrimonio addixit, omnibus exuitur clericorum privilegiis, nec ad sacerdotii dignitatem admittitur. Valerius lib. 2. *Olim quæ uno matrimonio contentæ fuerant, corona pudicitiæ honorabantur: multorum matrimoniorum experientiam legitimæ cujusdam intemperantiæ signum credentes:* ubi Val. *legitimam intemperantiam* vocat secundas nuptias: cui & Martial. accinuit: *Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege est: Offendor mœchæ simplicitate minus.* Tacitus item est auctor lege apud Germanos secundas nuptias mulieribus prohibitas fuisse. Quod autem festis diebus viduarum nuptiæ apud Romanos celebrari possent, Verrius Flaccus hanc jocularem causam reddit: *quod feriis veteres fossas tergere, novas facere non liceret.* Germ.

Huic succumbere culpæ.] Cælius l. 28. cap. 22. de digamia locus. *Hartung.*

20. *Fatebor enim.*] Bene uno sermone & culpam expressit & necessitatem. *Fateri* enim & coactorum est & culpabilium. Sed hic videtur per oblationem confessionis levius crimen efficere. *Servius.*

Miseri post fata Sichæi.] Aut muliebriter dixit *Miseri*; aut mortui, secundum Ciceronem, qui in Tusculanis *miseros*, mortuos vocat, aut certe ob hoc *Miseri*, cujus jam obliviscitur, aut *miseri* sic occisi. *Idem.*

21. *Sparsos fraterna cæde penatis.*] Si Didonis, dispersos post fugam intelligimus: si fratris, pollutos cruore. *Fraterna* autem *cæde*, quam frater admiserit. *Idem.*

Sparsos fraterna cæde penatis.] Propert. 2. *Spargereque alterna communes cæde penates, Et ferre ad patrios præmia dira lares.* Germanus.

22. *Inflexit.*] Quia supra ait, *Fixum immotumque sederet. Inflexit*, à proposito rigido declinavit. Et bene per gradus crevit, primum *inflexit*, ut fixos ostenderet, quæ fixa sunt enim, quoniam avelli non possunt, flectuntur; deinde impulit labantem, ea enim impelluntur, quæ prona sunt ad cadendum. *Servius.*

Labantem inpulit.] Id est, impulit, & labare facit. Non enim labebat, quia ante immobilis fuerat. Cavendum sane, ne *labentem* contra metrum legamus. Nam *la* longa est, ut, *Labere Nympha polo.* Idem.

Labantem inpulit.] Contrarium est *labantem firmate patres* apud Horat. l. 3.

Inpulit. agnosco veteris vestigia flammæ,
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentis umbras Erebi noctemque profundam,
Ante pudor quam te violo, aut tua jura resolvo.

Ille

l. 3. Od. 5. nostrum interpretatur Scal. l. 3. c. 77. *Emmeness.*

23. *Agnosco*] Participium *agnotus*, non *agnitus*. Sallustius, *Nec inhermos ex prælio viros quumquam agnoturum.* Servius.

Veteris vestigia flammæ.] Bene inhonestam rem, sub honesta specie confitetur, dicens, se agnoscere maritalis conjugii ardorem. Hoc est, quo mariti diligi solent, nam erat meretricium dicere, in amorem Æneæ incidi. *Idem.*

24. *Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat.*] Callide, ac si diceret, posse se conjungi Æneæ, si mors secuta non fuerit, & bene in vestigio revocavit. *Idem.*

Sed mihi vel tellus.] Confessa de amore, melius pro Venere sibi mortem dicit. *Donatus.*

Optem.] Pro *velim*. Servius.

25. *Adigat.*] In codicibus aliquot antiquis, *abigat* legitur: nempe quia veriti sunt bis *ad* præpositionem repetere. Sed enim ea sic posita, majorem ostendit vim: neque desunt hujus elocutionis exempla apud Virgilium & Ciceronem: ut illud, *Nondum erat auditum te ad Italiam adventare.* Pierius.

26. *Pallentis umbras Erebi.*] Id est, in Herebo, alii *Herebi* legunt. aut *Herebo*, ad Herebum: ut, *It clamor cœlo.* Et perseveravit in atroci imprecatione, nam non sufficit, *Adigat me fulmine ad umbras*, dixisse; adjecit, *Pallentes umbras Herebo, noctemque profundam, Ante pudor quam te violem. Pudor*, pro *pudicitia* abutimur, & bene *violo*, quia pudor sacrosancte custodiendus est. *Servius.*

Pallentis umbras.] Hoc audito lege in Tibullo lib. 3. eleg. 1.

Parcite pallentes umbras quicunque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna Dei.

ubi vulgo *pallentes undas*. Sed non dubium, quin retineri queat vetus lectio, nam Virg lib. 6. *vada livida.* & idem Tibullus lib. 3. eleg. 3.

—— *ignava luridus Orcus aqua.*

& clarius eleg. 1. ejusdem libri,

—— *pallida Ditis aqua.*

Cerda.

Pallentis.] Gutherius de Jure Manium l. 2. c. 16 legendum censet *palantes*, quæ nunquam conquiescunt, idque magis imprecationi convenire. Quo jure, non video. *Emmeness.*

27. *Ante quam.*] *Ante* abundat, exemplo Græcorum: præcessit enim *Prius.* ut notat Turneb. l. 26. c. 5. *Taubmannus.*

Aut tua jura resolvo.] Propter illud, *Tinclo jugali.* Servius.

Ante pudor quam te violo, aut tua jura resolvo.] In quibusdam *violem* & *resolvam*. In Romano, & in Oblongo Vaticanæ bibliothecæ codicibus antiquissimis scriptum est, *violo & resolvo.* In Longobardico etiam ita prius habebatur, altera inde manu superadditum est *a*, cum nota compendiaria, quæ pro *m* poni solet. Corruptus etiam est Mediceus, ubi *violem* ex *violo* factum: & ita in Porcio contaminatum est utrumque verbum, quum *violo*, & *resolvo* prius scriptum esset. Finitivum vero modum loco hoc Sosipater dubio procul agnoscit, ubi ait, *ante quam*, modo finitivis, modo subjunctivis jungitur. Junctum subjunctivis: ut, *Antequam venisset.* Disjunctum, finitivis, ut apud Virgilium, *ante pudor quam te violo, aut tua jura resolvo.* Hinc, quam is lectionem probarit, patet. *Pierius.*

28. *Ille*

Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit. ille habeat secum, servetque sepulcro.
Sic effata sinum lacrimis inplevit obortis.
Anna refert: O luce magis dilecta sorori,

Solane

28. *Ille meos, primus qui me sibi junxit.*] Desideria & voluptates secum abstulit moriens. *Servius.*

Ille primus.] Ostendit sorori viam necessariæ persuasionis: ut quod erat amoris impulsu factura, hortatu alieno magis facere videtur. ait enim: semel nupsi; habeat ille, quamvis mortuus, pudoris mei pignus: qui mihi florem virginitatis eripuit, & secum habeat, ac suo sepulchro conservet, & sic oblique dicit: Quid dubitem nubere, cum alterius nuptias sepultus ille non videat, nec sentire possit? sufficiat illi, quod præcipuum habuit, virginitatis meæ decus tulisse: relinquat viduam necessitatibus suis inservire: & si sentit, fidem debitam illi mors substulit, quæ novitatem quandam procuravit. Vis major urget, & intolerabilis cogit. Impune secundi conjugii fortuna suscipitur: & si aliquid manes sentire potest, impune peccatur. *Donatus.*

Junxit.] In antiquis aliquot exemplaribus *vinxit* legitur: quod tantundem est, nisi quis *jungere* magis ad nuptias pertinere dicat: *Vincire* autem amicitiæ potius esse. *Pierius.*

Amores.] Quibus amare possim, & bene videtur moram posuisse cum dicit, *Primus qui me sibi junxit amores.* S.

29. *Servetque sepulcro.*] Id est, & defunctus servet, & qui in sepulcro est, ut, *Ipsa sed in somnis inhumati venit imago Conjugis.* Sed modo pro mortuo accipiamus. Sane ceremoniis veterum, Flaminicam nisi unum virum habere non licet, quod hic ex persona Didonis exsequitur, dolentis stuprum admissum in amore Æneæ, quod supradictis versibus probavit, *Ille meos primus, &c.* nec Flamini aliam ducere licebat uxorem, nisi post mortem Flaminicæ uxoris, quod expeditur, quia post mortem Didonis Laviniam duxit, & quod subrepta, vel retenta Creusa, ex ipsius quoque confessione & prædicatione regia parata fuerit, quod nullum piaculum fore denuntiatur. *Idem.*

30. *Sinum lacrimis inplevit obortis.*] *Sinus* dicimus orbes oculorum, id est, palpebras, quæ à palpitatione dictæ sunt. Nam semper moventur. *Implevit* autem ideo, quia lachrymæ plerunque se intra oculos tenent. Et bene præmisit excusationem his lachrymis commemoratione prioris mariti, quasi propter maritum fleret, cum amore cogente lachrymaret. *Idem.*

Lacrimis.] Quas effundebat vel recordatione veteris mariti: vel quod cogatur id facere, quod animo respuente damnaverat. *Donatus.*

Obortis.] In veteribus Codicibus aliquot, *lacrimis abortis* legitur: sed *obortis* interpretes agnoscunt. *Pierius.*

Sinum lacrimis inplevit.] Sinus hîc pro concavitate oculorum Turnebus accipit: alii pro vestibus: ut Hom. Od. *η.* εἵματα δ' αἰεὶ δάκρυσι δεύεσκον· alii ἀντὶ τῶν κόλπων· ut, δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι· Certe Græci quoque κόλπους tam pro concavitate illa, quæ est inter brachiorum & pectoris complexum, quam pro vestibus ipsis accipiunt: in quem sensum si consentiemus, uberiores amantis reginæ lacrimarum fluxus videbuntur, quam si Turnebi sequemur sententiam: nam non temere Epigr. 3. Poëta γλυκύδακρυν ἔρωτα vocat, & πολύδακρυν. Illud Eurip. utrique, tam vestibus quam κόλποις convenire potest. δάκρυσι νοτερὸν ἀεὶ πέπλων πρὸς στέρνοις πτύχα τέγξω. in Suppl. *Germ.*

31. *Anna refert.*] Mire videtur intellexisse Anna, quod sibi suaderi vellet Dido, & est rhetorica suasio, omni parte plena: Nam & purgat objecta, & osten-

Solane perpetua mærens carpere juventa?
Nec dulcis natos, Veneris nec præmia noris?

Id

& oſtendit utilitatem, & à timore perſuadet. Et uſus eſt apto cauſæ principio, nam cum aliquid propter nos petimus, benevolum nobis eum, qui audit, facere debemus, cum in aliena cauſa ſententiam dicimus, nos illi benevolos debemus oſtendere, ut habeatur dictis fides; poſtquam igitur dicendo, *O luce magis dilecta ſorori*, oſtendit nihil ſibi ſorore eſſe carius; Summam rei ponit, an nuptiæ faciendæ ſint, *Solane perpetua mœrens carpere juventa.* Inde partes rei à perſona Didonis, an quia maritum perdiderit, alium accipere debeat, *Id cinerem aut manes credis curare ſepultos.* Æneam, *Placitone etiam pugnabis amori?* à loco, *Nec venit in mentem quorum conſederis arvis:* à timore, *Quid bella Tyro ſurgentia dicam Germanique minas?* à cauſa & utilitate, *Quam tu urbem ſoror hanc cernes.* à modo: *Indulge hoſpitio, cauſaſque innecte morandi*; an etiam id dii fieri velint per conjecturam, *Diis equidem auſpicibus reor & Junone ſecunda.* Servius.

O luce magis dilecta.] Quæ diligatur adhuc, an magis quam lux dilecta? aut dilectior luce. Nam antiqui frequenter pro comparativo jungebant particulam *Magis*. Tale & illud eſt, *Nate mihi vita quondam, dum vita manebat Chare magis.* Terentius, *Nihil videtur mundius, nec magis compoſitum, nec magis elegans.* Idem.

O luce magis dilecta ſorori.] Oſtendit cauſam meri conſilii fuiſſe, cum ex amore loquatur: & deinde aggreditur deſtruere cauſas, propter quas ipſa negaverat ſecundas nuptias. *Donatus.*

Sorori.] Bene Anna dilecta reſpondit ſorori, quia & Dido ſic cœpit, *Anna ſoror.* Ergo per nomen neceſſitudinis oſtendit, ſe quæ ſunt utilia perſuadere, ut alibi, *Parvumque patri tendebat Iulum.* Servius.

32. *Solane perpetua.*] Id eſt, ſolane mœrens in omne, carperis juventa perpetua, ergo *continua juventa*, aut pro *juventute* accipiendum; nam *Juventa* dea illius ætatis eſt; *Juventas* ætas ipſa juvenilis; *Juventus* juvenum multitudo. *Idem.*

Perpetua carpere juventa.] Tune ſola *juventam* omnem mœrore tranſigens conſumeris? Et ingenioſe eam ætatis partem nominat, quæ tota amoribus dicata eſt. *Taubm.*

Solane perpetua mœrens carpere juventa?] Quid *carpere* dictum l. 3. G. verſ. 215. & Euſtathius à κάρφω deducit, quod idem quod ξηραίνω *ſicco, ſqualidum efficio.* Eſt igitur poëtæ ſententia, viſne perire florem ætatis, in perpetuo celibatu ætatem terens. Non diſſimilis adeo locus Stat. l. 5. Thebaid.

——— *Si tædet inanes*
Æternum ſervare domos, turpemque juventæ
Flore ſitum, & longis ſteriles in luctibus annos. Emmeneſſ.

33. *Nec dulcis natos.*] Propter liberos, quæ fuit cauſa ſecundi matrimonii, ut Juvenalis, *Sed placet Urſidio lex Julia, tollere dulcem Cogitat heredem.* Et hyſterologia eſt, nam per Veneris præmia proveniunt nati. Alii male jungunt natos Veneris, Æneam & Cupidinem. Alii ἔρωτα & ἀντέρωτα dicunt. *Servius.*

Nec dulcis natos.] Honeſtam cauſam proponit, ne libidinis, ſed liberorum creandorum cauſam illam hortari videatur. *Donatus.*

Nec dulcis natos.] Supra Georg. 2. *Et tota in dulces conſument ubera natos:* Eurip. in Med. ὦ γλυκεῖα προσβολὴ, ὦ μαλθακὸς χρὼς, πνεῦμαθ' ἥδιστον τέκνων. *Germanus.*

Veneris nec præmia.] Id eſt, voluptates. Homerus, τά τε δῶρα ἀφροδίτης. Et volunt quidam ἓν διὰ δυοῖν eſſe. *Servius.*

Veneris nec præmia noris.] Tale quid in Epigr. Græco. οὐδ' ἐπὶ παστοὺς ἤγαγ',

Id cinerem aut manis credis curare ſepultos?
Eſto: ægram nulli quondam flexere mariti:
Non Libyæ, non ante Tyro deſpectus Iarbas,
Ductoreſque alii, quos Africa terra triumphis
Dives

χεῖ', οὐδ' ἐργάτης ἔργα πυκνοστεφής. Reſpexit autem Maro, ut obſervavit Servius, Homeri χρυσῆς δῶρ' Ἀφροδίτης. Turn. reddidit in Oeconom. Ariſtot. γαμικὸν γέρας, de deſultore in lectos alienos viro: ἡ μὴ γυνὴ τὸ γαμικὸν γέρας ἀφαιρεῖται. *Germanus.*

34. *Id cinerem aut manis credis curare ſepultos.*] Diſtribuit illud, *Ille habeat ſecum ſervetque ſepulcro*, quia marito juraverat: ut, *Non ſervata fides cineri promiſſa Sichæo.* Et bene extenuat dicendo non *animam*, ſed *cineres* & *manes ſepultos*: Dicit autem ſecundum Epicureos, qui animam cum corpore dicunt perire. *Servius.*

Id cinerem.] Id eſt, hic, cui deferre contendis, neſcit honorificentiam tuam. Cum anima enim ſenſus morientis extinguitur, totum interit perditque obſequium, quiſquis illud non homini, ſed cineri prorogare contendit. *Donat.*

Id cinerem] Sic Horat. *matris cineres* ponit pro matre mortua. l. 2. od. 8. & de Arte poët. verſ. 471. *Minxerit in patrios cineres.* qui colligebantur & condebantur urnis. vide Kirchmann. de Funer. Rom. l. 3. c. 8. *Emmeneſſ.*

35. *Eſto.*] Adverbium concedentis, Græcum. *Servius.*

Eſto ægram.] Cum adhuc eſſes ægra ex recenti dolore, nulli flexerunt te: nunc non repugnabis placido amori. *Donatus.*

Flexere mariti.] Non qui erant, ſed qui eſſe cupiebant. Alii intelligunt *ægram mariti*, ut ſit genitivus ſingularis, id eſt, triſtem propter maritum. Vel *ægram* ad morbum animi referas, id eſt, ut ſtultitiam judicet in juventa ætate nuptiis abſtinere. *Æger* enim animo dicitur, *ægrotus* corpore. *Servius.*

36. *Non ante Tyro.*] Aut *in Tyro*, ac ſi diceret *Tyri*. aut certe Tyrothen, id eſt, de Tyro: ut, *Dardanus Heſperia.* Quidam autem *Libyæ mariti* Lybieſtero mariti Tyrii exponunt. *Idem.*

Ante Tyro.] Alii hæc aliter. Hortenſius eam cenſet germanam ſententiam: Eſto; non moverint te ulli mariti; ſed ne Iarbas quidem, deſpectus & inviſus Libyæ, & multo ante Tyro: (*pro Tyriis & Libycis populis:*) tamen amori placito non repugnabis. Turneb. l. 23. c. 3.

— *Non antè Tyro deſpectus Iarbas*; valet, *inquit*, Contemptus à Tyro; &, per denominationem, à Tyria muliere. Conſtat enim è Juſtino Iarbam non Tyrium, ſed Afrum fuiſſe. Paſſeratius ita diſpungit:

— *non ante Tyro deſpectus Iarbas Duct.* ut τελεία ὑποστιγμὴ poſt *Tyro* ponatur. Cum non ſit veriſimile, Iarbam Didûs ambiſſe matrimonium, cum illa adhuc Tyri eſſet. Porro hanc hiſtoriam Juſtinus l. 18. commemorat, quam illic vide. *Taubm.*

Deſpectus Iarbas.] Rex Lybiæ, qui Didonem re vera voluit ducere uxorem. Et, ut habet hiſtoria, cum hæc negaret, Carthagini intulit bellum: cujus timore cum cogeretur à civibus, petiit, ut ante placaret manes mariti prioris: exædificata igitur pyra, ſe in ignem præcipitavit: ob quam rem *Dido*, id eſt, virago, quæ virile aliquid fecit, appellata eſt. Nam *Eliſſa* proprie dicta eſt. *Servius.*

Iarbas.] Dicitur & *Iarba*, ut l. 3. Faſt. Ovid *& petitur capta Maurus Iarba dono.* ſic *Perdicca* & *Perdiccas*. *Marſyas* & *Marſya*. Plura de his terminationibus Dauſq. in Orthogr. *Emm.*

37. *Ductoreſque alii.*] Ergo & Iarbas ductor. *Alii* autem qualis Iarbas. *Servius.*

Quos Africa terra.] Derivationes frequenter

Dives alit. placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Hinc Gætulæ urbes, genus insuperabile bello,

quenter majores sunt à principalitate: interdum pares inveniuntur: raro minores. Unde supra *Lacæna* notandum diximus. *Serv.*

Africa terra.] Pertinet ad hunc locum observatio Columnæ. Ita enim Poëta *terra Africa*, pro Africana, ut Cato, *terra Italia*, Tibullus, *terra Campania*, Lucillius & Catullus, *terra Iberia*, & *terra Celtiberia.* & Poëta quidam apud Arist. 3. Rhetor. A'σίας ὑπὸ γαίης. Quin Ennius lib. 3. Sat. à quo Poëta,

Lati campi, quos gerit Africa terra politos.

Cerda.

Triumphis.] In Romano codice legere est *triumphos* accusativo casu: ut sit, *quos triumphos*, pro *triumphales viros.* Rectius tamen est, *dives triumphis*, ut agnoscit Servius. *Pierius.*

Dives.] Id est, bellicosa. Et quidam dicunt Afros nunquam triumphasse. Plinius autem secundo historiæ naturalis, & Pompejus Trogus Afros dicunt pompam triumphi primos invenisse, quam sibi Romani postea vindicaverunt. Livius autem Andronicus refert, eos de Romanis sæpius triumphasse, suasque porticus Romanis spoliis adornasse, merito ergo *dives triumphis.* Servius.

Triumphis dives.] Adstruit Justinus l. 19. c. 1. Servii sententiam, *cujus* (de Hasdrubale sermo est,) *mortem, cum luctus civitatis, tum & dictaturæ undecim, & triumphi quatuor insignem fecere.* Emmeness.

38. *Placitone etiam pugnabis amori.*] Ac si diceret, jure contempsisti eos, qui displicebant: nunquid etiam placito amori repugnabis? Et est Græcum, *pugno tibi.* Nam nos *pugno tecum* dicimus; & *placito* alii volunt vel universis hominibus, id est, conjugali amori, vel legibus dictum. *Servius.*

Placitone.] Quamvis *placido* nomen in aliquot codicibus manu scriptis habeatur, longe tamen melius *placito* esse dixerim; ut emendatiora legunt exemplaria. *Pierius.*

Placito pugnabis amori.] Alibi notatus hellenismus. Ovid. l. 1. Met. ℣s. 19. *frigida pugnabant calidis.* Emm.

39. *Quorum consederis arvis.*] Multis in locis *consistere* pro *considere* invenitur, observante Nobiliss. Heinsio ad Ovid. l. 2. Metam. ℣s. 632. ubi non nulli codices *consistere corvum* pro *considere.* Quo verbo etiam utitur Apulejus l. 8. Metam. *an nulli scitis, quo loco consederitis.* quam lectionem etiam agnoscit Muret. var. lect. l. 14. c. 11. *Emm.*

40. *Hinc Gætulæ urbes.*] Ad terrorem *urbes* posuit. Nam in mapalibus habitabant. *Servius.*

Hinc Gætulæ urbes.] Exprimit quod obscure dixit: *quorum consederis arvis.* Post autem multa necessaria, quæ superius posuit, addit faciendi necessitatem, singula cum metu discurrens. dicit ergo: Non consideras te peregrinam, & in locis peregrinis te imperium velle fundare, & omnia initia, præsertim imperii, habere laborem durum? Quod fœmina & sola pares urbem fundare, cum innumeraræ gentes possint te magno numero urbium infestare, quæ viribus & ferocitate valent? *Donatus.*

Gætulæ.] In antiquis aliquot codicibus *Gætulæ* cum diphthongo prima syllaba scriptum observavi, Græcorum more: apud quos γαίτȣλοι Libyæ populi, per *αι* scribitur, iidem γαιτύλιοι Artemidoro sunt. Nostri cur nomen hoc absque diphthongo scriptitent, mihi non constat: neque cur ausus sit Martialis primam & secundam in hoc nomine corripere: quanquam in medio *o* parvum ex diphthongo abjici potest: & *y*, quod in *u* apud nos transire solet, ea ratione corripi: quod communis apud Græcos habea-

Et Numidæ infreni cingunt, & inhoſpita Syrtis:
Hinc deſerta ſiti regio, lateque furentes
Barcæi.

habeatur. Id non ita eveniat in prima ſyllaba, ſi Græci codices recte per αι diphthongum eam ſcribunt. *Pierius.*

Hinc Gætulæ urbes.] Locus Mart. qui libr. ſpectac. Epigr. 4. eſt, corruptus eſt. ubi *tradita Gætulis* legendum cenſent eruditi pro *traducta*. Sed varias lect. annotavit Calderinus. Sunt tamen, qui à *Getis* faciunt *Getulos*, pro qua ſententia ſtat Iſidorus l. 9. Orig. c. 2. & Dauſquius in *Gætuli.* Emmeneſſ.

Genus inſuperabile bello.] Ut, *Quos nulla fatigant Prælia, nec victi poſſunt abſiſtere ferro.* Servius.

Inſuperabile & infreni.] Invincibiles oſtendit. *Infreni*, qui ſuis legibus viventes, nollent alieno imperio ſubjugari. *Donatus.*

Genus inſuperabile.] In Romano codice, *genus intractabile* legitur, eo modo, quo in Æneidos primo, *Sed fines Lybici genus intractibile bello.* Magis tamen placet hic, *inſuperabile*: quia magis terret ob difficultatem. & perſuadet à neceſſitate validi alicujus auxilii comparandi. *Pierius.*

41. *Infreni.*] Aut ſævi, & feroces, ut ipſe contrario, *Hi frenum accipere*: aut quia equis ſine freno utuntur. *Serv.*

Numidæ infreni.] *Aut* ſævi: *aut*, qui ob effrenatam audaciam, nec moribus, nec legibus, nec imperio cujuſvis regebantur (Vide Æn. 1.

Juſtitiaque dedit gentes frenare ſuperbas)

Aut, qui equis ſine freno utebantur. atque hoc verius eſt, & Servio etiam notatum. Quin & Heinſius ad Sillium, & *Giſanius*, & *Jo. Leinus* ex Livio l. 35. & Oppiano l. 4. annotarunt, Numidis equos ſine frenis fuiſſe, ἀχάλινυς ἢ ἀχαλινώτυς. Auctor eſt & Strabo, Numidas Maſſylosque equos habere, quos virga, non freno gubernent. Unde Martialis l. 9.

Et Maſſylaum virga gubernet equum.

Silius:

Hinc paſſim exultant Numidæ, gens neſcia freni, &c.

Idem l. 3.

Et doctus virgæ ſonipes.

Claudianus:

—— *ſonipes ignarus habenæ.*
Virga regit. Taubm.

Cingunt.] Non adjuncti ſunt, ſed *Cingunt* quaſi circundant, ut, *cingique urbem obſidione videret.* Servius.

Cingunt.] Hoc ipſum *Cingunt*, habet magnam vim. nam *cingere* eſt ambire, ut infiniti monſtrentur inimici undique: ne per illos, neve etiam per deſerta fugere poſſis. *Donatus.*

Inhoſpita.] Barbara, aſpera, & fictum *inhoſpita*, cum *inhoſpes* non dicatur. *Servius.*

Inhoſpita.] Non quod non ſuſcipiat hoſpites, ſed quam inhumanitatis cauſa omnis formidet adveniens, vel oderit peregrinus. *Donatus.*

42. *Deſerta ſiti regio.*] Inhabitabilis vel raritate aquæ. Dicit autem Xerolibyen, quæ eſt inter Tripolin & Pentapolin. Et bene terret dicens juxta eſſe aut bellicoſas gentes, aut deſerta loca, unde non ſperatur auxilium. *Servius.*

Lateque furentes Barcæi.] Hi longe ſunt à Carthagine. Unde addidit, *Late furentes.* Hi ſecundum Titianum in chorographia Phœnicem navali quondam vicere certamine. *Barce* autem civitas eſt vel forum Pentapoleos, quæ hodie *Ptolemais* dicitur. Nam Cyrene & Barce reginæ fuerunt: quæ ſingulis dederunt civitatibus nomina. Sed hoc per prolepſin dictum eſt. *Idem.*

Lateque furentes Barcæi.] Notat Turneb. l. 22. c. 26. Barcæos & Cyrenæos olim in Africa plurimum potuiſſe: quem vide; ut & Hortenſium. D. Hieronymus in epiſt. ad Marcellin. legit,

—— *lateque vagantes Barcæi.*

Taubmannus.

Barcæi. quid bella Tyro surgentia dicam,
Germanique minas?
Dis equidem auspicibus reor & Junone secunda
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
Quam tu urbem, soror, hanc cernes! quæ surgere regna
Conjugio tali! Teucrûm comitantibus armis,
Punica se quantis attollet gloria rebus!

Tu

43. *Bella Tyro surgentia.*] Necessario ad persuadendum præsenti tempore usus est. *Servius.*

44. *Germanique minas.*] Propter aurum, quod ei (sicut in primo diximus) tulerat. Et *minas* pro ipsis periculis posuit, ut ex præcedentibus sequentia accipiamus. *Idem.*

Germanique minas.] Hoc ut validissimum posuit: quasi istis addetur, qui mare obsidebit, ne fugere possis. Postremo illi hunc cogitandum proponit, cui imperium sit relictura, si careat liberis. *Donatus.*

45. *Dîs equidem auspicibus.*] Hoc dicit, dii qui sunt auspices matrimonii, Æneam huc venire fecerunt. Nuptiæ enim captatis fiebant auguriis: ut, *Contentique auspice Bruto.* Varro de pudicitia: *Auspices in nuptiis appellatos ab auspiciis, quæ ab marito & nova nupta per hos auspices captabantur in nuptiis.* Servius.

Dîs equidem.] Poterat timere Dido, Junoni hoc non placere: sed conjecturaliter removet Anna. ait enim: si nollent dii nobis conjungi Trojanos, nunquam illi nostra litora tetigissent. & credit Junonem procurasse, ut Trojani à patria pellerentur, ut huic regno faverent. *Donatus.*

Dîs equidem auspicibus.] Adventum Ttojanorum felicem conjicit ex præjudiciis deorum; Junonis præsertim, quæ & Carthagini (1. Æneid. ℣s. 19.) & Conjugiis (hîc infra, ℣s. 59.) præest. Sed nec alias ullæ fiebant Nuptiæ sine auspiciis captis. Quin & inopinata, divinitus obtingere, proverbio dicebantur. Terentius: *Quid si hoc quispiam voluit Deus?* Taubm.

Junone secunda.] Aut quæ præest conjugiis, quæ *pronuba* appellatur; quamvis & ipsa in libris Augurum præesse dicatur auspiciis: aut quia Carthaginem fovet. *Servius.*

Junone secunda.] Vide Turneb. l. 16. c. 8. *Emmeness.*

46. *Huc cursum Iliacas vento.*] Mire cum alio iter haberent, huc delati sunt, & ideo addidit *vento.* Servius.

Huc cursum.] In Romano codice, & in Porcio, legere est, *hunc cursum,* hoc est, hanc viam: & ita in uno ex iis, qui apud me sunt, & in Donatiano. Nonnulli tamen eruditi quidem viri magis probant adverbium *huc.* Pierius.

Tenuisse.] Perfecisse, implesse. *Servius.*

47. *Quam.*] Qualem vel quantam. pronomen pro nomine. *Idem.*

Quam tu urbem.] Si sola tantum regnum parasti, quid facies Trojanis adjuta? ergo favorem deorum sacrificiis concilia. *Donatus.*

Quam tu urbem, &c.] Hæsit Virgilio Statius 2. Theb.

Fors aderit lux illa tibi, qua mœnia cernes
Conjugis, & geminas ibis Regina per urbes.

Cerda.

48. *Conjugio tali.*] Id est, viri fortis. quod ideo non dicit, quia scit à Didone prædictum, & bene in ultimo conjugium posuit, propter quod universa prædicta sunt. *Servius.*

50. *Tu*

Tu modo poſce deos veniam, ſacriſque litatis
Indulge hoſpitio, cauſſaſque innecte morandi:
Dum pelago deſævit hiems, & aquoſus Orion,
Quaſſatæque rates, dum non tractabile cælum.

His

50. *Tu modo.*] Pro *tantummodo.* S.

Deos.] In codicibus pleriſque vetuſtis *Deum* habetur: ſed melius *deos.* multos enim inferius numerabit, quibus ea ſacra faciet. *Pierius.*

Veniam.] Aut beneficium, & benevolentiam, aut re vera *veniam* perjurii ſcilicet: ut, *Non cineri ſervata fides promiſſa Sichæo.* Serv.

Poſce deos veniam.] Id eſt, pete à diis, ut concedant: atque adeo da operam rei divinæ, deoſque precare. id enim ex parte ſignificat. Cicero, pro Rab. *Ab Jove pacem veniamque peto precorque.* Sed & *pacem* petebant, cum ſibi placatos optabant deos propitioſque. ℣ſ. 56. *pacemque per aras Exquirunt.* Hic quoque eſt ex parte, Sacris operam & rei divinæ dant, deoſque precantur: Turneb. l. 24. c. 26. Vide & Briſſon. Formul. *Taubm.*

Sacriſque litatis.] *Diis litatis* debuit dicere. Non enim ſacra, ſed deos ſacris litamus, id eſt, placamus. Ergo nove dixit. *Servius.*

Sacriſque litatis.] Καλλιερησαμένη· *Deos litare* Servius dicit: Maro autem *ſacris litatis*, ut Suetonius *hoſtiis litatis.* *Litare* autem à dictione Græca nonnulli deducunt λίτομαι, καὶ ἀπὸ τῆς λιτῆς. Hom. Od. λ. τοὺς δ' ἐπεὶ εὐχωλῇσι λιτῇσι τε ἔθνεα νεκρῶν ἐλλιτάμην. ubi ea forma dictum videtur; qua à Servio *Deos litare*: quod καλλιερεῖν Græcis. Alii autem malunt Varronis auctoritati incumbere, qui *litare* quaſi *lutare* intelligunt, i.e. *luere* & *ſolvere*: tum ſiquidem Diis ſolviſſe videmur, cum ſacra accepta grataque reddidimus fecimuſque. Varro: *habes qui, & cujus rei cauſa fecerim Hecatomben, in quo ego, ut puto, quoniam luere eſt ſolvere, lutavi.* Prop. *Paſtor & ad calamos exta litabat ovis.* Germ.

Sacriſque litatis.] Ridet ineptias Servii Salmaſius, cum vetus interpres dicendum putat non *ſacris* ſed *diis litatis.* nam *lutare* vel *litare* idem quod ſacra ſolvere. Eum vide pag. 11. exerc. Plin. *Emmeneſſ.*

51. *Indulge.*] Da operam: ut, *Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos.* S.

Indulge hoſpitio.] Id eſt, illorum peregrinationem uberius fove, ne, deficientibus rebus, Trojani recedere cogantur. *Donatus.*

Cauſaſque innecte morandi.] Prætende cauſas, quæ illos à navigatione arceant. *Idem.*

52. *Dum pelago deſævit hiems.*] Enumerat, quas moræ cauſſas poſſit innectere. *Servius.*

Dum pelago deſævit hiems.] *Deſævire*, & *exævire*, eſt ſævire deſinere: Livius, *Conſulem Claudium atrox tempeſtas adorta in metum ingentem adegit: Populoneos inde cum perveniſſet, ſtetit ibi, dum reliquum tempeſtatis exæviret:* Lucan. *Nec, dum deſæviat ira, Expectat.* Alias tamen pro ἀγριαίνεσθαι· Columel. lib. 6. cap. 2. *Patere unum diem noctemque deſæviant.* Tranquil. in Nerone: *Virorumque ac fœminarum ad ſtipem delegatorum inguina ore invaderet, &, cum affatim deſæviſſet, conficeretur à Doryphoro liberto.* Germ.

Deſævit.] Eod. modo ut *detonat* ſignificat deſinit tonare, ſic *deſævit* pro deſinit ſævire. v. Schott. Obſ. Poët. l. 2. c. 2. *E.*

Hiems.] Antiqui omnes codices, quotquot inſpexi, *hiemps* per *p* & *s* finales litteras ſcribunt: quod Terentius Scaurus fert impatienter, ex eo jam tempore ea oborta ſtribiligine. *Pierius.*

Aquoſus Orion.] Id eſt, dum occidit Orion; quoniam & oriens & occidens tempeſtates commovet; & bene Orion opponitur, quia & Ilioneus dixerat, *Cum ſubito adſurgens fluctu nimboſus Orion.* O corripuit ratione ſupradicta. *S.*

53. *Quaſſatæque rates.*] Hoc ad illud,

His dictis incensum animum inflammavit amore,
55 Spemque dedit dubiæ menti, solvitque pudorem.
Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exqui-

lud *Quassatam ventis liceat subducere classem.* Serv.

Non tractabile.] Asperum, intractabile. Sub quo tractari nihil possit. *Id.*

54. *Incensum inflammavit.*] Horatius ait, *Oleum adde camino.* Alii non *incensum*, sed *in* per se legunt, ut sit Terentianum, *Inpendio magis animus gaudebat mihi.* Idem.

Incensum inflammavit.] Bis repete scilicet animum incensum amore, inflammavit amore. Nam data spe commodi, ex his, quæ profutura dicebat, adeo dubitationem removit, ut omnis verecundia & pudor cesserit. *Donatus.*

Inflammavit.] In Romano codice, & quibusdam aliis, *flammavit* simplex verbum habetur: quo usus est etiam Catullus, *Flammati Phaëtontis.* Sed longe numerosius est, *Animum inflammavit*, dicere. *Pierius.*

55. *Spemque dedit dubiæ menti.*] Dubitativa enim fuerat Didonis oratio, dicendo: *Si non pertæsum thalami, tedæque fuisset.* Ergo jam non ambiget, de qua dubitabat, sed sine respectu pudoris palam agit. *Servius.*

Dubiæ menti.] Facit huc sententia Terentiana: *dum in dubio est animus, paulo momento huc, vel illuc impellitur.* quod hic Didoni factum. *Taubm.*

Solvitque pudorem.] Propter vincula castitatis, & ad illud respondet, *Ante pudor quam te violo, aut tua jura resolvo.* Servius.

56. *Principio.*] Hos versus Scalig. l. 4. c. 3. exemplum Perspicuitatis in summo genere laudat. *Taubm.*

Delubra adeunt.] Juxta illud dictum sororis: *Tu modo posce deos veniam. Delubrum* autem dictum, aut, ut supra diximus, propter lacum, in quo manus abluuntur, vel propter tectum conjunctum, quia una opera abluitur, aut certe simulachrum *delubrum* dicimus, à *libro*, hoc est, raso ligno factum, quod Græce ξόανον dicitur. Sane in secundo libro de singulis speciebus delubri juxta Varronem relatum est, in quibus est species delubri talis, ut præter ædem area sit adsumpta deûm causa, id est, spatia relinquantur juxta aras ministerii causa, ad sacrificia peragenda. Hujus moris hic meminisse eum accipere debemus, *Principio delubra adeunt*, atque quia *delubra* quasi solum nomen sine dei significatu posuerat, voluit per aras expungere divini nominis causam, licet in continuatione non tam dei fecerit mentionem, quam propria deorum nomina intulerit, & quidem cum sacrificationis gratia illis versibus, *Legiferæ Cereri, &c.* usque, *jugalia curæ*, nec non aræ licet oblique attamen manifeste it * *Aut ante ora deûm pingues spatiatur ad aras*, quid enim est *spatiatur*, quam spatio lati loci obambulat. *Adeunt* autem proprie dixit, ad majores enim qui accedit, ait soanori signum *. *Servius.*

Pacemque.] Benevolentiam, ut si sine pace tua atque invito numine. *Idem.*

Per aras exquirunt.] Vel apud aras, ut, *It hasta Tago per tempus utrumque: Exquirunt* autem, id est, sacrificando explorant, an dii vellent huic rei consentire. Dicendo autem *Per aras*, aruspicalem artem ostendit: unde est, *Spirantia consulit exta.* Duo enim genera hostiarum sunt, unum, in quo voluntas dei per exta exquiritur, alterum in quo sola anima deo sacratur; Unde etiam aruspices *animales hostias* appellant. Sed de exploranda voluntate divina hic expressit dicendo, *Spirantia consulit exta.* Animalis vero hostiæ speciem ostendit, ubi Entellum facit Eryci taurum mactantem V. Æneid. dicens, *Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis Persolvo.* Idem.

Per aras.] Ex ritu, quia connubia celebraturæ. Lactantius in 2. Theb.
Apud

Exquirunt: mactant lectas de more bidentis
Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo:
Junoni

Apud antiquos jura nuptiarum ante aras numinum celebrari consuevisse. Itaque ipse Papinius 2. Theb.

Viderat hoc conjux perituri vatis, & aras
Ante omnes, &c.

& Ovidius 5. Met. in nuptiis Persei & Andromedæ:

Pectora rupisset, nisi post altaria Phœbi
Isset, & (indignum) scelerato profuit ara.

Lege Realinum c. 11. Annotat. *Cerda.*

Pacemque per aras exquirunt.] Turnebum adi l. 24. c. 26. *Emmeness.*

57. *Mactant.*] Verbum sacrorum, κατ' euphemismon, dictum, quasi *magis auctum*, unde & *magmentum* dicebant, quasi *majus augmentum*. Olim enim *hostiæ immolatæ* dicebantur mola salsa tactæ: cum vero ictæ & aliquid ex illis in aram datum, *mactatæ* dicebantur per laudationem, per boni ominis significationem, ut adolere, nam *Mactare* est proprie *magis augere*. Servius.

Lectas bidentis.] Non vacat *Lectas*. Moris enim fuerat, ut ad sacrificia eligerentur oves, quibus nihil deesset: ut in sexto, *Nunc grege de intacto septem mactare juvencos.* Idem.

Bidentis.] Dictæ sunt, quasi *biennes*: quia neque minores, neque majores licebat hostias dare. Sunt etiam in ovibus duo eminentiores dentes inter octo, qui non nisi circa bimatum apparent: nec in omnibus, sed in his, quæ sunt aptæ sacrificiis, inveniuntur. *Idem.*

Mactant lectas de more bidentis.] *Mactare*, verbum est Sacrorum, κατ' εὐφημισμὸν dictum, quasi *magis augere*. Et signate dicit, *lectas*. nam ut Porcus Sacris debitus dicebatur *eximius*, ab eximendo: bos *egregius*, à segregando; ita Ovis *lecta*, ab eligendo. nam ex omni genere optima quæque Sacris destinabantur. *Bidentes* autem erant hostiæ, quæ & Corni geræ essent, & duos dentes eminulos haberent: in qua sententia est Festus, etiamsi aliter Agellius l. 16. c. 6. Si carerent illis, ἀτελεῖς erant, & ad sacrificia ineptæ. Omnino enim in hostia requirebatur, ut duos dentes haberet cæteris longiores: quemadmodum & in Tauro τελείῳ, ut diversa cornua haberet & patentia: qualem Plautus Truc. act. 2. sc. 2. *patalem bovem* vocat. Optimum Glossarium: *Bidentis*, διετὺς ὄϊς: διόδοντα πρόβατα. Videatur Jos. Scalig. in Conjectaneis: & in Cirin. idemque in Festum: ubi inter alia, *Bidentes*, inquit, sunt, quas μετάσσας Homerus vocat: quæ neque *agnæ* sunt, quia illæ nondum dentes ediderunt: neque *adultæ*: quia jam ejecerunt: à quo λειπογνώμονας *oves vetulas* vocant Græci. Hinc etiam τόπος κεραυνόπληξ, id est, locus de cælo tactus, *Bidental* dicebatur, quod in eo bidentibus hostiis sacrificaretur. Nonnullis (ut & Servio) *Bidens* dicta est, quasi *biens*. Sed ita non *Bidentis*, sed *bidennis* aut *biennis* dicendum fuisset. Atqui magis aperit etymon, quod & *ambidentes* apud veteres vocarentur. Notat præterea Scalig. in Cirin, non solum *oves bidentes*, sed & *bidentes verres*, & *bidentes tauros* olim dictos. *Taubm.*

Mactant lectas de more bidentis.] Etymon verbi *mactare* apud Sanctium in Min. p. 414. pro *magis augere*. Hic autem *interficere* denotat. Quod hostiæ debuerint esse integræ, non vitiosæ, locuples testis Bochart. Hist. anim. l. 2. c. 46. *Emmeness.*

58. *Legiferæ Cereri.*] Leges enim ipsa dicitur invenisse. Nam & sacra ipsius *Thesmophoria*, id est, legum latio vocatur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante inventum frumentum à Cerere, passim homines sine lege vagabantur: quæ feritas interrupta est, invento usu frumentorum, postquam ex agrorum discretione nata sunt jura. *Thesmophoria* autem vocantur legumlatio; an quia in æde

Junoni ante omnis, cui vincla jugalia curæ.

Ipsa

Cereris ære incisæ positæ leges fuerunt. *Servius.*

Legiferæ.] Quia populorum consensus nisi legibus retineri non possit. *Donatus.*

Legiferæ Cereri.] In Romano codice, in Mediceo, in Porcio, & quibusdam aliis antiquis, *frugiferæ* legitur: Sed enim Ceres inventrix legum, à M. Tullio dicitur in fine Actionum in Verrem. Et rationem hic reddit Ti. Donatus, cur *Legiferam Cererem* veteres appellarint. *Pierius.*

Legiferæ Cereri.] Inde Græcis θεσμοφόρος, Ovid. l. 5. Metam. ℣s. 343. *prima dedit leges.* de hac Plin. l. 9. c. 56. & quare prima leges invenisse dicitur. Macrob. lib. 3. Saturn. c. 12. & post *Phœbo* addit propter auspicia & auguria, quibus domi & militiæ Respublica regitur, ut Turneb. l. 24. c. 26. *Emmen.*

Phœboque.] Qui præest auspiciis, quibus urbes reguntur. *Servius.*

Phœboque.] Ut in futurum prosperiora perficeret, quæ optabantur. *Donat.*

Patrique Lyæo.] Qui, ut supra diximus, apte urbibus libertatis est deus. Unde etiam Marsyas, minister ejus, per civitates in foro positus, libertatis indicium est: qui erecta manu testatur, nihil urbi deesse. Et communis hoc habet sensus, Sacrificabat, inquit, primo numinibus, quæ urbi præsunt, quasi nuptura pro utilitate reipublicæ. Deinde Junoni, cui curæ sunt nuptiæ. Alii dicunt hos deos, quos commemoravit, nuptiis esse contrarios, Cereremque propter raptum filiæ nuptias exsecratam, vel ex quo Jovi nupta prælata Junone repudiata est, nam cum Eleusine Cereris sacrum fit, ædes Junonis clauditur: item, cum Junoni Eleusine fit, templum Cereris clauditur, nec sacerdoti Junonis licet gustare, unde Cereri sit libatum. Et Romæ cum Cereris sacra fiunt, observatur, ne quis patrem aut filiam nominet, quod fructus matrimonii per liberos constet. Apollinem & Liberum contrarios nuptiis dicunt, quod ille expers uxoris vulgari amore sit usus; iste inter Bacchas non fida connubia, sed stupra exerceat, nec nisi raptam conjugem habere potuerit; male ergo invocat hos Dido, quæ sibi nuptias optat Æneæ, sed sicut prosperis diis, ut juvent, ita adversis, ne obsint, sacrificandum est; ut, *Nigram hiemi pecudem, zephyris felicibus albam.* Alii dicunt favere nuptiis Cererem, quod prima nupserit Jovi & condendis urbibus præsit, ut Calvus docet: *Et leges sanctas docuit, & cara jugavit Corpora connubiis, & magnas condidit urbes.* Nam ideo & aratri sulco clauditur civitas, vel quod eandem terram volunt, & in eadem urbes exstructas. Similiter & Liber propter Marsyam sicut supra dictum est merito: & Apollo, nam & in arce coli solet, & muros Trojanis instituit. Jure ergo in nova urbe his sacra fiunt: Junoni duplici causa, quia & Carthagini præest, & matrimonia dat. Est etiam altior sensus: Nam facturi aliquid, ante adversos placamus deos: & sic propitios invocamus: ut, *Nigram hiemi pecudem, zephyris felicibus albam.* Ergo modo nuptura placat ante Cererem: quæ propter raptum filiæ, nuptias exsecratur: Apollinem, qui expers uxoris est: Liberum, qui nisi raptam conjugem habere non potuit: & sic Junonem conciliat. *Servius.*

59. *Junoni.*] Quia conjugiorum tenet plenissimam potestatem. *Donatus.*

Cui vincla jugalia curæ.] Quia est & Curetis, & matrona, & regina. Hanc Varro *pronubam* dicit, unde & Æolo nuptias pollicetur, & Æneæ & Didoni coëuntibus adest, cum dicit *Prima & Tellus & pronuba Juno*; & in septimo ubi contra votum suum Laviniam promissam vidit Æneæ, ait, *& Bellona manet te pronuba*, hoc est, non ego quæ soleo. *Servius.*

Junoni, &c.] Ovidius:

Junonemque toris quæ præsidet alta maritis.

Et

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit:
Aut ante ora deûm pinguis spatiatur ad aras,

Instau-

Et in Epist. Medeæ:

Conscia sit Juno sacris præfecta maritis. unde & *Pronuba* dicitur. Præsides quidem nuptiarum, quos γαμηλίους & ζυγίους vocant, agnoscit Plutarchus quinque numero. Apud Quintil. *dii jugales* Juppiter & Juno dicuntur; Græcis γαμοστόλοι, & παράνυμφοι. Communis autem sensus loci hujus hoc habet: Dido sacrificabat primum Numinibus, quæ urbi præsunt, quasi nuptura pro utilitate Reip. deinde Junoni, cui ἔργα γαμήλια curæ. Quod autem dicit, *vincla jugalia* alludit oblique ad morem Rom. quo ad aram *Jugæ Junonis*, quæ in vico *Jugario* fuit, nubentes vinculis, in omen futuræ concordiæ, jungebantur. Unde & in vett. marmore: JUNONI JUGALI. Vide Martian. Capellam & M. Anton. Delrio in Medeam Sen. *Taubm.*

Junoni ante omnis, cui &c.] Ovid. in epist. Phædræ, quæ hic *vincla* nominat, *nodos* vocat. Rem ipsam notat de Halcyone l. 11. Metam. ℣ſ. 577.

Omnibus illa quidem superis pia thura ferebat,
Ante tamen cunctos Junonis templa colebat.

ubi pro *Junonis* leg. arbitratur Nobil. Heins. *Junonia*. Juvenal. Sat. 6. ℣ſ. 48.

—— auratam Iunoni cæde juvencam
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.

quæ *pronuba* infra ℣ſ. 166. *Emmeness.*

60. *Ipsa tenens.*] Alii alia faciebant: ipsa sacerdotis munere fungebatur. *Donatus.*

61. *Candentis.*] Candidæ: participium est pro nomine. *Servius.*

Media inter cornua fundit.] Non est sacrificium, sed hostiæ exploratio, utrum apta sit. *Idem.*

Candentis vaccæ media inter cornua fundit.] Candentis est *candescentis* inquit Salmas. Plin. exerc. p. 1133. sic Varroni *candens taurus*. inter cornua victimarum ex ritu sacrorum merum effundebatur. Ovid. l. 1. Fast. ℣ſ. 357.

Rode, Caper, vitem: tamen huic, cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

lib. 7. Metam. ℣ſ. 594.

—— & fundit purum inter cornua vinum.

Juvenal. Sat. 12. ℣ſ. 7.

Quippe ferox vitulus, templis maturus, & aræ,
Spargendusque mero.

& noster l. 6. Æn. ℣ſ. 244.

—— frontique invergit vina sacerdos.

Vide Politian. Miscell. c. 26. *Emmeness.*

Fundit.] In plerisque veteribus codicibus *fudit* habetur præterito tempore: sed præsens dilucidiorem facit narrationem. *Pierius.*

62. *Ante ora Deûm.*] Ante simulacra. *Servius.*

Ante ora deûm.] Id est, simulacra divorum. More autem Romano hoc dicit; quo matronæ ante aras faculas tenentes gestu gravi saltationem severam & verecundam imitante movebantur & ferebantur: quod Horat. intellexit in Arte:

Ut festis matrona moveri jussa diebus.

Turn. l. 23. c. 3. Propertius:

Dulichias Pallas spaciatur ad aras.

V. N. Bucol. 5. & Macrob. lib. 3, 4. *Taubmannus.*

Pinguis.] Plenas vel sanguine delibutas, ut, *Pecudumque cruore Pingue solum.* Servius.

Pinguis.] Pecorum corporibus oneratas. *Donatus.*

Spatiatur ad aras.] Matronæ enim sacrificaturæ circa aras faculas tenentes, ferebantur quasi cum quodam gestu: unde Sallustius, *Saltare elegantius, quam necesse est probæ.* Quidam genus sacrificii appellant, quo veteres cum aras circumirent, & rursus cum reverterentur, & deinde consisterent, dicebant minusculum sacrum. An hoc ad impa-

 tientiam

Instauratque diem donis; pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.
Heu vatum ignaræ mentes! quid vota furentem,
Quid

tientiam amoris referendum est, quo jactata Dido, loco stare non poterat, juxta illud, *Uritur infelix Dido totaque vagatur Urbe furens.* Servius.

Spatiatur.] Eundi & redeundi vices crebras procurabat. *Donatus.*

63. *Instauratque diem donis.*] Muneribus, quæ aut diis offerebat: aut donabat Tyriis vel Trojanis. *Instaurat* autem ideo, quia jam supra sacrificaverat: ut, *Simul Æneam in regia ducit Tecta, simul divûm templis indicit honorem.* Sane quidam *donis*, sacrificiis volunt, nam & templa *donaria* abusive dicuntur, ut est, *Ductos alta ad donaria currus.* Servius.

Instaurat.] Sæpius hoc faciebat, ut produceret diem, volens diutius habere præsentem, quem amabat. *Donatus.*

Instauratque.] Verbum est sacrorum. Statius lib. 7.

—— Da parve tuum trieteride multa
Instaurare diem.

Verba sunt Adrasti consecrantis puerum Archemorum. idem 1. Theb.

—— epulasque recentes
Instaurare jubet.

Maro idem in sacro Herculis, *Instaurant epulas.* ad cujus imitationem Val. Flacc. 5. Arg.

Dixerat: instaurat mensas, pacemque reducit.

& Statius 2. Theb.

—— immerito sociorum sanguine fuso
Instaurare diem, festasque reponere mensas.

Cerda.

64. *Inhians.*] Intenta per solicitudinem. Servius.

Spirantia.] Id est, palpitantia: quasi adhuc viva. *Idem.*

Consulit exta.] Proprie dixit, Aruspices enim exta consulere dicuntur, cum inspiciunt. *Exta* singularem non habent, ut *arma.* Idem.

Consulit.] Respicit hostiam συμβουλευτικὴν, id est, *Consultatoriam*, ut vocat Macrob. l. 3. c. 5. qua divina voluntas per exta adhuc spirantia & palpitantia explorabatur. De quo & Arnob. l. 7. Et hoc sacrificii genus *Haruspicina* vocabatur, θυοσκοπία: ut, *Aruspices*, θυοσκόποι, σπλαγχνοσκόποι, βωμοσκόποι, προφῆται, &c. *Taubm.*

Consulit exta.] Pro eo Juvenal. Sat. 6. ỳs. 547.

—— calidæ pulmone columbæ
Tractato, Armenius, vel Commagenus haruspex
Pectora pulmonum rimabitur, exta Catelli, &c.

Sil. Ital. l. 1. *& fugientem animam properatis consulit extis.* *Extispicum* & *extispicii* meminit Cicero in l. de Divinat. Similem fere locum habet Petron. in Satyr. *recluso pectore extraxit fortissimum jecur, & inde mihi futura prædixit.* Emmeness.

65. *Heu vatum ignaræ mentes.*] Non sacerdotes vituperat, quasi nescios futurorum, sed vim amantis exprimit: & inde vituperat sacerdotes, *Ignaræ* ergo amoris reginæ, qui admonuerunt non crediturам. Quia illæ alias causas litationis prætendebant, & ideo vota non perficiebant: Nam omnia futura à sacerdotibus prædicta esse, sequens indicat locus: ut, *Multaque præterea vatum prædicta priorum.* Servius.

Heu vatum.] Id est, fiebant ab imprudentibus sacra, nullis amorum necessitatibus profutura. fiebant ab iis, qui sibi veluti vaticinandi sententiam vendicabant: & cum aliud ageretur, non intelligebant Didonis ardorem. Profutura vero arbitrabantur iis, quæ, interveniente ignoratione, nescirent. Qui enim, quæ solvebantur diis vota, prodesse poterant amanti, cum ardor jam immoderata incendia dedisset? *Donatus.*

Heu vatum ignaræ mentes.] Exclamatio παθητική. Quid enim sacra aut vota

Quid delubra juvant? eſt mollis flamma medullas
Interea, & tacitum vivit ſub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens: qualis conjecta cerva ſagitta,
Quam procul incautam nemora inter Creſia fixit

Paſtor

vota amanti profuerint, in tanto amoris incendio? Porro hic diſputant Critici, utrum recte Poëta ex ſua perſona contra jus faſque exclamarit: Cum nec Homerus id uſquam fecerit. De quo videatur Naſcimbænius, qui probat, non ſine ratione à Marone factum. *Taubm.*

66. *Delubra.*] Quid ſit delubrum, docet Macrob. l. 3. Saturn. c. 4. Vide, quæ notata à nobis ſunt l. 3. G. 𝔳ſ. 23. *Emmeneſſ.*

Eſt.] Verbum indeclinabile. Nam frequenter deficit. Eſt autem hujus poſitio, *edo, es, eſt.* Invenimus (ſed quod abolitum eſt) & *Edo, edis, edit.* Unde eſt *Edere*, & *Comedere*, quod hodie dicimus. Nam ab eo, quod eſt *Es, eſſe* & *comeſſe* facit: quo tempore etiam pro præſenti utimur, ut *volo eſſe.* Nam in defectivis tempora pro temporibus ponimus: ut *odi, novi, memini: odiſſe, noſſe, meminiſſe:* etiam pro præſenti ponuntur. non *odire, novire, meminere,* nec enim poſſumus dicere. *Servius.*

Mollis flamma.] Utrum mollis flamma, an mollis medullas. *Idem.*

67. *Tacitum.*] Tacendum & pudore plenum. quo tacuerit etiam nunc apud alios, an apud Æneam *tacitum,* quia ſorori jam confeſſa eſt. *Idem.*

Vivit.] Nonnulli hoc loco *vivit* pro *veſcitur* dictum accipiunt. *Sub pectore vulnus.*] Ut, *Vulnus alit venis.* Idem.

68. *Vagatur.*] Poteſt accipi *vagatur* dum opera oſtendit Æneæ. *Idem.*

69. *Urbe furens.*] *Furor* enim eſt amor, in quo nihil ſtabile. Unde & Cupido puer inducitur, quaſi inſtabilis & infans, qui non poteſt fari. Unde eſt, *Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.* Idem.

Totaque vagatur urbe furens.] Cum omnia fruſtra agerentur, ex nimio amore, nullo in loco conſiſtere poterat, & vaganti totius civitatis ſpacium non ſufficiebat. *Donatus.*

Qualis conjecta cerva ſagitta.] Satis congrua comparatio: Singula enim ſingulis, cervam Didoni, ſagittam amori, paſtorem Æneæ, nemora urbi, ictum lethalem amori mortifero comparavit. *Servius.*

Qualis.] Didonem cervæ, ſilvas civitati: mobilitatem cervæ, Didonis diſcurſibus: ſagittam paſtoris, ſagittæ Cupidinis comparat. *Donatus.*

Qualis conjecta.] Macrob. l. 5. c. 6. aliique hanc comparationem ex Iliad. XI. ſumptam cenſent. Sed negant Scalig. lib. 5. c. 3. & Naſcimb. hic quicquam ſimile eſſe præter *Cervam* & *Sagittam.* Taubm.

70. *Incautam.*] Nomen perituris accommodatum, ut, *Fallit te incautum pietas tua,* & *Excipit incautum Triton.* Servius.

Incautam.] Nomen perituris accommodatum. ut 10. Æn.

Fallit te incautum pietas tua ——

Id. 3. Æn.

—— *Oreſtes*
Excipit incautum, patriaſque obtruncat ad aras.

Taubm.

Creſia.] Cretenſia. Nam Græce *Cres,* unde & *Cretes* & *Creſsia,* & Latine *Cretenſis* facit, unde & *Cretenſia.* Servius.

Nemora inter Creſia.] In Creta cervorum copia, inde eo potius confugit, quam ad alia loca. In Creta etiam inſignes ſagittarii. Horat. dixit l. 1. od. 15.

—— *calami ſpicula Gnoſſii.*

& Propertius lib. 2. eleg. 12.

Et pharetra ex humero Gnoſsia utroque jacet.

Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum
Neſcius. illa fuga ſilvas ſaltuſque peragrat
Dictæos: hæret lateri letalis arundo.

Nunc

Itaque commode in una Creta junguntur & cervi, & ſagittarii. *Cerda.*

Creſia.] Id eſt, Cretenſia, à Græco *Cres.* Cretam autem nominat, vel quia cervis abundat, vel quia Cretes præſtantes ſagittarii. Dicit, *inter nemora:* unde & Catullus Carm. 59. *Cervam ſilvicultricem* vocat, expreſſo Græco ὑλόνομον, ut notat Turneb. *Taubm.*

Creſia.] Nulla ratio poſtulat cur *s* geminetur, ut in multis editionibus, κρήσσα Græcum eſt. *Emmeneſſ.*

71. *Agens telis.*] Urgens, perſequens. *Servius.*

Liquitque volatile ferrum.] Non placet *linquit* præſenti tempore, quod aliquot habent codices. Eſt & ubi *volatile telum* in vetuſtis exemplaribus legatur. Sed enim, quum ſit eodem verſu poſitum *telis*, *Paſtor agens telis*, magis placet periphraſis ejus teli ſtatim ſubjecta, *Volatile ferrum.* præterea de ferro hic agitur, quod avolſum à ſagitta tergo inhæſerit. *Pierius.*

Volatile ferrum.] Sagittam. Poëta vetus apud Macrob. 6. Saturn. c. 5.

—— *volucrumque volatile telum.*

Virg. ipſe 8. Æneid.

—— *teliſque volatile ferrum*
Spargitur. Lucret. lib. 1.
—— *jacitque volatile telum.* & l. 4.
Ante fuit multo, quam lucida tela volarent. Cerda.

Volatile.] Vide Nobiliſſ. Heinſ. ad Ovid. l. 9. Metam. ℣ſ. 783. *Emm.*

72. *Neſcius.*] Aut neſcius quod fuerit, aut ignoratus & latens: non qui cervam neſciret. Et rara ſunt verba, quæ per contrarium ſignificant. Nam *vector* cum ſit proprie, qui vehit, invenimus etiam eum *vectorem* dici, qui vehitur: ut Lucanus, *Vectoris patiens tumidum ſupernatat amnem.* Tale eſt *formidoloſus*, cum ſit timidus, & timendum ſignificat. Cum enim exigat ratio, ut nomina verbalia agentis habeant ſignificationem, pro paſſiva ſignificatione plerunque ponuntur. Quidam *neſcius* ad Æneam referunt, qui neſcit amore ſuo vulneratam regiam. *Servius.*

Neſcius.] Id eſt, ignoratus, vel non conſpectus à cerva; paſſive. Vide Notas ad illud Plauti Rud. act. 1. ſc. 5. *Quæ in locis neſciis neſcia ſpe ſumus.* Talia ſunt & illa, quæ per contrarium ſignificant; *Vector*, qui & vehit, & vehitur. *Formidoloſus*, qui timidus, & qui timendus. *Alumnus*, qui alit, & qui alitur. *Inſertum*, & τὸ ἄσπορον, & τὸ κατασπαρέν. *Enode*, quod nodoſum; & quod caret nodis. *Immixtum*, ἀμιγὲς, καὶ μικτόν. *Expers*, ἄπειρος, καὶ ἔμπειρος, &c. Naſcimbænius tamen contra omnes interpretatur hîc; *Neſcius*, ſcilicet à ſe percuſſam cervam. *Taubm.*

Fuga.] Curſu: ut, *Simul arva fuga, ſimul æquora verris.* Nam intelligere non poſſumus fugam, cum dicit *peragrat. Peragrare* enim eſt circumire inquirendo. *Servius.*

Silvas ſaltuſque peragrat Dictæos.] Antiqui aliquot codices dictionum ordinem ita commutarunt, *ſaltus ſilvaſque peragrat Dictæas* quod in medio linquimus, quum ſententia omnino eadem ſit. *Pierius.*

73. *Dictæos.*] Cretenſes. Cervæ vulneratæ dictamnum quærunt, qua guſtata, feræ vulneribus tela depellunt: ut in duodecimo legimus, *Non illa feris incognita capris Gramina.* Servius.

Letalis arundo.] Propter futurum omen Didonis, & admiranda copia loquendi, lethalis arundo, ſagitta, volatile ferrum. *Idem.*

Letalis arundo.] Nota copiam, *Sagitta, telum, volatile ferrum, arundo.* Congrua autem eſt comparatio. ſingula enim ſingulis, cervam Didoni, ſagittam amori, paſtorem Æneæ, nemora urbi, ictum letalem amori mortifero comparavit. *Taubm.*

75. *Sido-*

Nunc media Ænean secum per mœnia ducit,
Sidoniasque ostentat opes, urbemque paratam.
Incipit effari, mediaque in voce resistit.
Nunc eadem, labente die, convivia quærit,
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.

Post,

75. *Sidonias.*] Pygmalionis, vel Sichæi. Quod supra ait, *Avari Pygmalionis opes*, &, *Ignotum argenti pondus & auri*, & hoc additum propter illud, *Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos.* Servius.

Sidonias opes.] Ne sua præsentia superflua videretur. Et ostendebat urbem paratam, ut à navigandi cupiditate avocaret. *Donatus.*

Urbemque paratam.] *Paratam* ad illud pertinet, quod Æneas propter civitatem navigat. Et omnia ei ostendit Dido, quibus possit inducere, & *paratam* ideo, ut sit impendium quærentibus sedes. Sed alii movent quæstionem quomodo *Paratam*, cum paulo post inferat, *Pendent opera interrupta, minæque murorum*; sed *Paratam* potest dici, cui etiam paululum superest: unde est, *Minæque murorum ingentes.* Nam ideo alibi, *Urbem præclaram statui, mea mœnia vidi.* Servius.

76. *Incipit effari, mediaque in voce resistit.*] Sic Horatius, *Cur facunda parum decoro Inter verba cadit lingua silentio?* Idem.

Incipit effari.] Præcidebat contextum verborum, ut loquendi spacia proferret in longum. *Donatus.*

Mediaque in voce resistit.] Amor enim & mentis & orationis usum eripit. Val. Æditiuus apud Agell. lib. 19. c. 9.

Dicere cum conor curam tibi, Pamphila, cordis:
Quid mi abs te quæram? verba labris abeunt.
Per pectus miserum manat subido mihi sudor.
Sic tacitus, subitus; duplo ideo pereo.

Item Horat. 4. Od. 1.

Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua silentio.

Scalig. lib. 3. cap. 19. Mirificus, *inquit*, affectus! Adeo enim perturbato sunt animo amatores, ut etiam sui ipsius obliviscantur. itaque etiam in amentiam quandam incidunt, qui morbus à medicis ἔρως dicitur. Oritur ergo negligentia rerum maxima; *Non cœptæ assurgunt turres, &c.* Taubm.

77. *Labente die.*] Ad convivia retulit, peringratum est, quia in usu non erant prandia: ut Juvenalis, *Exul ab octava Marius bibit.* Servius.

78. *Iliacos.*] Consumptis omnibus inventionibus, redibat ad ea, quæ prius erant narrata, misere illum detinere cupiebat. *Donatus.*

Demens.] Quia ea, quæ noverat, audire cupiebat. *Servius.*

Iliacosque iterum.] Eundem affectum Ovid. dat Calypsoni, quæ Ulyssem perdite amabat, in Arte:

Hæc Trojæ casus iterumque iterumque rogabat:
Ille referre aliter sæpe solebat idem.

Propert. quoque l. 2. tale quid in amore:

Et rursum puerum quærendo audita fatigat,
Quem quæ scire timent, quærere plura jubent. Cerda.

79. *Narrantis ab ore.*] Ut eum intueretur. & hoc loco per omnia amantis adfectus exprimitur. *Servius.*

Pendetque iterum narrantis ab ore.] Quintilianus declamat. 301. *Habes uxorem non ambitiosam, non exacturam comitatus, sed quæ tota ex tuo vultu pendeat.* Ovidius in epist.

Narrantis conjux pendet ab ore viri.

Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit, suadentque cadentia sidera somnos:
Sola domo mæret vacua, stratisque relictis
Incubat. illum absens absentem auditque videtque:
Aut

vetus inscriptio parasiti apud Salonem urbem Dalmatiæ: *Juvat vobiscum esse, ac ab ore meo pendulos detinere, ut juvit semper.* Cerda.

Pendetque iterum narrantis ab ore.] Ἀποστομίζῃ. Sane operæ pretium fecerit, qui leget l. 3. c. 19. Scalig. Poëtices. ubi mores Didus amantis accuratissime examinantur. *Taubm.*

80. *Obscura luna.*] Id est, nox. Nam nihil tam contrarium Lunæ est, quam obscuritas. Aut ideo nox *obscura Luna*, quia nec semper, nec eadem hora oritur. *Vicissim* autem ideo, quia per diem Sol lucet, illa per noctem: ergo apparens diurnum lumen, id est, Solis reprimit: An ipsa Luna suum lumen reprimit occidens & se obscurans. *Serv.*

82. *Sola.*] Sine eo quem amabat. Nam regina sola esse non poterat. Est autem Plauti, qui inducit inter multos amatorem positum dicentem, quod solus sit. Ut ipse alibi, *Me sine sola vides*: quam constabat Antonii castra comitatam, sed *Sola* sine amatore suo. *Idem.*

Mæret.] Si diphthongum habeat, ut hoc loco, tristis est, significat: aliter militat, ut *meret parvo.* Sane *mereor* aliud est. *Idem.*

Vacua.] Aut sine Ænea & Trojanis, aut magna, ut, *Vacua atria circum Intenti ludo.* Idem.

Sola domo mæret vacua.] Est hic affectus ille, quem Ovidius expressit lib. 3. Am. eleg. 9.

Secubat in vacuo sola puella toro.

Quem Propert. lib. 1. eleg. 15.

Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.

Semper Virgilius modestiam amat. Vides ut hic tantum *domo vacua*, subticens de lecto, sed intelligendum relinquens, non ut Ovidius, & Propertius, qui clare. *Cerda.*

Relictis.] Potest intelligi ab Ænea. *S.*

Incubat.] Quasi invita. *Idem.*

Stratisque relictis incubat.] Similis plane locus est apud Homerum lib. 24. Il.

Ἄλλοτ' ἐπὶ πλευρᾶς κατακείμενος, ἄλλοτε δ' αὖτε
Ὕπτιος, ἄλλοτε δὲ πρηνὴς, τότε δ' ὀρθὸς ἀναστὰς.

ubi vides, Achillem jam lateri incumbentem, jam supinum, jam pronum, jam rectum. Et apud Senecam epist. 56. *Hunc nempe versatur, atque illuc, somnum inter ægritudines levem captans.* Et apud Heliodorum lib. 7. Hist. Æthiop. describentem Arsaces amorem depereuntis Theagenem. Ista amatorum in lecto inquies nata procul dubio ab noctibus, quas longissimas putant, cum à suis absunt. Quem affectum attigit bis Propertius, bis Horatius. Prior lib. 1. eleg. 3. & 12. posterior epist. 1. lib. 1. & lib. 1. Od. 25. Est aliquid etiam in Apulejo ad hanc rem. & in Seneca de Tranquill. *Quibus difficilis somnus est, versant se, & hoc atque illo modo componunt.* & in Juven. Sat. 3.

— cubat in faciem, mox deinde supinus.

Cerda.

83. *Absens absentem.*] Unum sufficeret. Sic, *Et fratrem ne desere frater*, Terentius, *Præsens præsentem eripi, abduci ab oculis.* Servius.

Illum absens.] Tantum fallebatur amantis animus, ut absentem videre & audire sibi videretur. *Donatus.*

Absens absentem.] Adjuvat significationem & elegantiam vocabulum bis repetitum, ut Donatus ad Terent. Ad. 4. 5. 34. *præsens præsenti.* Hec. 3. 2. 15. *sola soli.* Emm.

Absentem auditque videtque.] Supra, ỳs. 4.

— hærent infixi pectore VULTUS, VERBAQUE.

Ita

Aut gremio Ascanium genitoris imagine capta
Detinet, infandum si fallere possit amorem.
Non cœptæ adsurgunt turres; non arma juventus
Exer-

Ita Ovid. in epist. Didonis ad Æneam:

Æneasque oculis semper vigilantibus hæret,
Æneamque animo noxque diesque refert.

Quam quidem Epistolam Scaliger l. 6. Poët. inter omnes Heroidas artificiosissimam, compositissimam, scitissimam, elegantissimam vocat. Ita & Terentii Eunucho act. 1. sc. 2. Phædria cum Thaide:

Cum milite isto præsens, absens ut sies:
Dies noctesque ames me: me desideres:
Me somnies: me exspectes: de me cogites:
Me speres: me te oblectes: mecum tota sis:
Meus fac sis postremo animus; quando ego sum tuus.

Taubmannus.

84. *Imagine capta.*] Ob amati similitudinem. *Servius.*

Aut gremio Ascanium genitoris imagine, &c.] In facie Ascanii recognoscebat imaginem Æneæ, ut Apulej. l. 10. Met. Ascanius referebat enim Æneæ vultum, vel ut cum Justino l. 1. c. 2. lineamentorum qualitas patri ac filio similis. Sic laudat Hippolytum Phædra apud Senecam: quod pater in eo esset totus. *Emmeness.*

85. *Infandum.*] Juxta judicium reginæ, ut illa sentiebat, vult enim eam culpæ eximere: alii *infandum*, quia *falli non potest* accipiunt, hoc est, ipsam libidinem, in cujus vicem nihil subponi potest. *Servius.*

Infandum si fallere possit amorem.] In Romano codice legitur, *possit imago.* Id quid sibi velit, non mihi satis liquet, propter epitheton *infandum:* quod ita non habeat, cui adhærescat. Quidam alii codices antiqui, *Si fallere possit amantem*, habent. Sed neque id probamus. *Infandum* vero *amorem*, castiorem lectionem asserimus. Neque dubitamus lectionem eam, quæ est *imago*, ex paraphrasi aliqua huc irrepsisse. *Pierius.*

Si fallere possit.] Vis hujus particulæ *Si* è Græcis ducta. ita 6. Æn. ỷs. 79.

— magnum si pectore possit
Excussisse Deum. Taubm.

Fallere.] Est subterfugere amoris incrementa. Horat. l. 2. Sat. 7. *jam somno fallere curam.* Sil. Ital. l. 6. *infandum si posset fallere monstrum.* sic & verbum *decipere* sæpius insurpatum. *Emmeness.*

86. *Non cœptæ adsurgunt turres.*] Contra illud, *Pars ducere muros.* Serv.

Non cœptæ.] Mirifice mortalitas expressa est. Nam cum multa mala in amore insint, illud præcipuum, quod negociorum omnium oblivionem inducit. Eadem enim Dido, quæ instabat operi regnisque futuris, nunc omnia omittit: & eum omiserit, Tyrii quoque, qui instabant ardentes, omnia nunc deserunt. Unde ostenditur rectorem complere omnia, cum insistit: cum vero contra agit, omnia frigescere. *Donatus.*

Non cœptæ.] Hoc quoque *Amoris* vitium est, quod negligentes facit. ita Ecl. 2. de Corydone amante:

Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.

Est autem hic simulacrum futuri exscidii. nam Genius Æneæ, in quo Romani dominatus species erat, Carthagis Genio contrarius erat. Qua de re vide divinum Scal. lib. 3. cap. 25. Poët. *Taubmannus.*

Non cœptæ.] Quomodo amor teneat impeditos animos, ut rebus non vacent necessariis Robert. Titius exprimit exemplis bene multis l. 5. Controvers. 6. *Emm.*

Non arma juventus exercet.] Aut in armis se exercet, aut sic dixit, quemadmodum illud, *Ferrum exercebunt.* Servius.

Exercet, portusve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cælo.
Quam simul ac tali persensit peste teneri
Cara Jovis conjux, nec famam obstare furori;
Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis:

Egre-

87. *Portusve.*] Quod supra I. Æneid. *Hic portus alii effodiunt.* Servius.

Propugnacula.] Quibus porro pugnatur. *Idem.*

88. *Interrupta.*] Cœpta & omissa. *Idem.*

Minæ.] Eminentiæ murorum: quas *pinnas* dicunt, hinc & *eminere* dicimus, ut in primo Æneid. *Geminique minantur.* quidam *minæque* ad *interrupta opera* referunt atque imperfecta sunt, sic videantur ruinam minantur. * *Idem.*

Minæque murorum.] Minæ Græcis *θρίγκοι, στεφάναι, προφράγματα, προμαχεῶνες, πύργων στεφανώματα* Sophocli. Minas hic *ἐπάλξεις* Turnebus interpretatur, adferens hunc Rufini locum in Josepho: *Desuper eam minæ quidem binis, propugnacula vero ternis cubitis ambibant.* Propugnaculum quoque Græci *προβολὴ, φυλακτήριον, πρόβολον,* & *πρόβλημα.* *Germ.*

89. *Æquataque machina cœlo.*] Exposuit quid sint minæ murorum ingentes. *Servius.*

90. *Simul.*] Postquam. *Idem.*

Tali.] Quali utitur infœlix Dido. *Idem.*

Persensit.] In antiquis aliquot codicibus, *persentit* præsenti tempore legitur: & ita est in codice Donatiano: præteritum tamen nunquam immutarim. *Pierius.*

Peste.] Amore, incendio: ut, *Toto descendit corpore pestis.* Serv.

Peste.] Mater Medeæ apud Val. Flacc. lib. 8. ubi cognovit filiæ amores:

—— *cur tanta mihi non prodita pestis?*

Sic I. Æn. de Didone amante:

Pesti devota futuræ.

Cerda.

91. *Nec famam obstare furori.*] Honestam scilicet. Nam τῶν μέσων est. *Serv.*

Furori.] Jam non amori. *Idem.*

Furori.] Sunt antiqui codices, in quibus *nec famam obstare pudori* legitur. Sed hic *furori* magis placet: quod Servius agnoscit. *Pierius.*

Nec famam obstare fur.] Honestam scilicet. nam τῶν μέσων est. Vel, ut Scaliger exponit, Simul ac sensit, eam adversa fama æque atque amore laborare. l.4. c.16. Poët. *Taubm.*

92. *Adgreditur.*] Cum calliditate loquitur. Et quasi ex præparato, vel ex insidiis, ut alibi IV. Georg. *Facile ut somno adgrediare jacentem.* Servius.

Quam simul adgreditur.] Per hoc ostendit aliquid invidiose se esse dicturam. Tractatus Veneris magnus atque astutus cernitur. *Donatus.*

Talibus adgreditur.] Hoc verbo habitus futuræ orationis ostenditur: quod Serv. & Donat. interpretantur; *Cum invidiosa calliditate loquitur.* Terent. Phorm. *Satis astute aggredimini.* ita ℣. 107. *Sic contra est ingressa Venus.* id est, dolos dolis eludens. Gr. *διεξέρχεσθαι* dicunt. Porro, si aulicum est & Politicum, Aliud verbis loqui, aliud agitare animo, hic certe Juno & Venus *πολιτικώτατοι* sunt. Utraque ingenio agit Punico. *Taubm.*

Saturnia.] Ubi nocituram Junonem Poëta vult ostendere *Saturniam* dicit, scit enim Saturni stellam nocendi facultatem habere, ut alibi: *Irim de cœlo misit Saturnia Juno:* & *Saturnique altera proles Irarum tantos volvit,* &c. Ubi autem propitiare eam promittit, ait, *Iunonis magnæ.* & iterum, *Adsit lætitiæ Bacchus dator & bona Juno.* Serv.

93. *Egre-*

Egregiam vero laudem & ſpolia ampla refertis
Tuque puerque tuus: magnum & memorabile nomen;
Una dolo divom ſi femina victa duorum eſt.
Nec me adeo fallit, veritam te mœnia noſtra
Suſpectas habuiſſe domos Carthaginis altæ.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamine tanto?
Quin potius pacem æternam pactoſque Hymenæos
Exer-

93. *Egregiam vero laudem.*] Ironia eſt, inter quam & confeſſionem ſola intereſt pronuntiatio. Ironia autem eſt, cum aliud verba, aliud continet ſenſus. Sane hujus verbi initium tractum eſt, quia proprie, *egregium* dicebatur, quaſi in grege ampliſſimum, quod emineret ex grege. Singula autem hic pronuncianda ſunt, & memorandum in ſingulis verbis habentes in ſingula invidiam. *Serv.*

Egregiam vero.] Ironia, quâ argumentum à turpi proponit. Inter Ironiam autem & confeſſionem ſola intereſt pronunciatio. *Refertis* porro dixit, pro *reportatis*, vocabulo militari. ita *referre victoriam*, Livius l. 4. & Cic. *manubias referre*. Taubm.

Spolia ampla refertis tuque.] Tranſlatio rei militaris, *referre* enim *ſpolia* victores ex victis dicuntur. *Servius.*

94. *Puer.*] Filius, παῖς *puer* eſt, Græce dixit. Ut Horatius, *Puerosque Ledæ.* Idem.

Nomen.] Sunt omnino codices aliquot manu ſcripti, in quibus *nomen* legitur: quod vulgata quædam exemplaria recepere. Sed *numen* eruditis placet, quod etiam in Mediceo prius ſcriptum fuerat. *Pierius.*

95. *Femina.*] Bene *femina*, qualis mortalis opponitur, ut, *Mixta deo mulier*, pro *mortali* intelligendum eſt. *Serv.*

Duorum eſt.] Bene ceſſit maſculino fœmininum. *Idem.*

Una dolo divom ſi femina victa duorum eſt.] Pro eo Ovid. l. 3. Metam. ℣ſ. 654.

—— quæ gloria veſtra eſt,
Si puerum juvenes, ſi multi fallitis unum?

vide quæ dicta l. 2. Æn. ℣ſ. 584. *memorabile nomen* hoc loco αἰσχρὸν κλέος. adi Rob. Titium l. 4. controv. c. 1. *Emm.*

96. *Adeo.*] Multum, valde: ut Terentius, *Adoleſcentem adeo nobilem.* Servius.

Nec me adeo fallit.] Id eſt, non me latet. Pari forma Lucretius lib. 1. *Nec me animi fallit.* Terentius Heaut. *Num me fefellit hoſce id ſtruere?* Latini hoc ab Græco λανθάνειν. *Cerda.*

Nec me adeo fallit.] *Fallere* Horatio ſæpe idem quod λανθάνειν. Vide Lambinum ad odam 10. l. 1. de elegantiſſima particula *adeo* diſputat Sceffer. ad Phædr. l. 1. Fab. 5. *nec adeo potuit attingere.* Emmeneſſ.

Veritam te mœnia noſtra.] Propter illud, *Haud tanto ceſſabit cardine rerum.* Servius.

Mœnia noſtra.] Junonis hoſpitium. Nam legimus, *Quo ſe Junonia vertant Hoſpitia*, & *Noſtra* Græce dixit. *Idem.*

98. *Modus.*] Finis. Juvenalis, *Nullo quippe modo milleſima ſurgit Pagina.* Id.

Sed quis erit.] Archaiſmos. *Idem.*

Aut quo nunc certamine tanto.] Quo nunc, Aut quo, aut ad quam rem, aut quid opus eſt tanto certamine? Aut figurate, quo tibi hoc, id eſt, quo nunc certamen tantum, aut quis modus erit in tanto certamine, aut quouſque, ut uſque extrinſecus accipiamus. *Idem.*

99. *Quin potius.*] Pro, *Cur non.* Idem.

Pacem æternam.] Non inducias temporales. *Idem.*

Pactoſque Hymenæos.] Licet fabula de Hymenæo in primo libro enarrata ſit breviter, tamen plenior talis eſt: Hymenæus

Exercemus? habes, tota quod mente petisti.
Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribusque regamus
Auspiciis: liceat Phrygio servire marito,

Dota-

menæus Atheniensis adeo pulcher fuit, ut adolescens, puella putaretur: Is cum unam virginem nobilem ipse mediocriter ortus adamasset, ejusque nuptias desperatet, quod unum poterat, sequendo puellam, amori satisfaciebat: Sed cum Atheniensium nobilissimæ virgines Eleusinæ Cereri sacra facerent, subito adventu piratarum raptæ sunt, inter quas etiam Hymenæus, qui illo amatam fuerat secutus, tanquam puella raptus est. Sed cum piratæ prædam per maria longa portassent, in desertam regionem delati, ac fatigati somno se dederunt; quos cum universos occidisset Hymenæus, relictis ibi virginibus, Athenas reversus est, petiitque à civibus, ut, si virgines quæ raptæ fuerant, reduxisset, dilectæ nuptias impetraret; quas cum reduxisset, optatam in matrimonium virginem meruit, quod conjugium quia felix fuerat, placuit omnibus Atheniensibus, omnibus nuptiis Hymenæi nomen interesse: Est etiam alia ratio vocabuli: Nam *Ymen* quædam membrana quasi virginalis puellæ esse dicitur, qua rupta quia desinat esse virgo, *Hymenæi* nuptiæ dictæ. *Serv.*

100. *Habes tota quod mente petisti.*] Propter illud, *Nostram nunc accipe mentem.* Idem.

101. *Ardet amans Dido.*] Plus dixit hæc quam Venus imperaverat, illa enim dixerat: *Sed magno Æneæ mecum teneatur amore*, hæc dixit, *Ardet.* Idem.

Traxit furorem.] *Traxit* dixit, ut *spiritum trahere* dicimus. *Idem.*

102. *Communem hunc ergo populum.*] Utrum ad solum Carthaginensem retulit, quem velit sibi communem esse cum Venere; an utrumque, id est, Tyrios & Trojanos. *Idem.*

Paribusque regamus auspiciis.] Æquali potestate. & ab eo, quod præcedit, id quod sequitur. Et dictum est à comitiis, in quibus hisdem auspiciis creati, licet non simul crearentur, parem tamen habebant honorem, propter eadem auspicia. Unde & consules pares sunt, cum necesse esset, ut unus prior crearetur. *Idem.*

103. *Liceat.*] Id est, non necesse sit, sed in voluntate sit Didonis si velit, ut supra, *Paribus auspiciis*, non imperio. Potest enim imperium par non esse, cum auspicium par sit. Alii invidiose dictum volunt, *liceat Phrygio marito*, id est, qui victus est, non dixit *nubere*, sed *servire*. Quidam servire dubitant utrum Didonem, an Tyrios dixerit. Sane hic coëmptionis speciem tangit. *Coëmptio* enim est, ubi libra atque æs adhibetur, & mulier atque vir in se quasi emptionem faciunt, quod ante jam in primo Georgicorum, *Teque sibi generum Thetys emat omnibus undis.* Quoniam coëmptione facta mulier in potestatem viri cedit, atque ita sustinet conditionem liberalis servitutis, * ait enim, *Liceat Phrygio servire marito*, & in lib. 1. Georg. *Tibi serviat ultima Thyle*, quoque omnis iste mos coëmptionis, & citra nominis nuncupationem datis datæ taxatione expediretur, quæ res *in manum conventio* dicitur; subjunxit, *Dotalesque tuæ Tyrios permittere dextræ*; quid est enim aliud *dextræ*, quam in manum convenire, quæ conventio eo ritu perficitur, ut aqua & igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura conjuncta habeatur, quæ res ad farreatas nuptias pertinet, quibus Flaminem & Flaminicam Jure Pontificio in matrimonium necesse est convenire. Sciendum tamen in hac conventione Æneæ atque Didonis, ubique Virgilium in per-

Dotalisque tuæ Tyrios permittere dextræ.
Olli (sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italiæ Libycas averteret oras)
Sic contra est ingressa Venus: Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Juppiter unam

Esse

in persona Æneæ Flaminem, in Didonis Flaminicam, præsentare. *Serv.*

Phrygio servire marito.] Eloquenter, emphaticώs: ac si diceret *exuli*. Nonnulli autem per fallaciam Junonis dictum accipiunt. *Idem.*

104. *Dotalis Tyrios.*] Regiam spectavit personam. *Idem.*

Tuæ.] Quasi indigæ. *Donatus.*

Tyrios.] Invidiose *Tyrii*, quasi potentissimi. *Idem.*

Permittere dextræ.] Quasi per manus conjunctionem secundum jus locutus est. *Servius.*

105. *Olli.*] Aut illi, aut tunc. Cætera per parenthesim dicta sunt. Ordo enim est, *Olli sic contra est ingressa Venus.* Idem.

Simulata mente.] Hoc est, talibus aggreditur. *Idem.*

106. *Quo.*] Pro, *ut*. Pronomen pro conjunctione causali. *Idem.*

Quo regnum.] Sensit non potuisse fieri, ut tam graves, tamque diuturnas inimicitias, sic subito deponeret. Noverat enim quid Æneæ deberetur, quo magis nitebatur id avertere. *Donatus.*

Libycas averteret oras.] Absolutior hæc quidem est elocutio: sed verior & magis figurata illa, *Libycas averteret oras.* Nam plerumque trahitur Schema, ut, aliquo ituri non ad locum, sed de loco ponamus significationem: ut si dicas, *De Campania abeo in Tusciam*; *abeo* honestius est, quam si dixeris *eo*. Nec hoc tantum hoc loco facit, sed pluribus. Hinc est enim, *ripamve injussus abibis?* S.

Averteret.] In Romano quidem codice, *averteret* legitur: quod Servio mirifice placet. Sed enim in Oblongo, in Longobardico, in Porcio, & plerisque aliis codicibus antiquis, *adverteret* habetur. Quam elocutionem absolutam esse, negarit nemo. Quippe *verteret regnum Italiæ ad oras Libycas.* Si cui vero figurata illa magis placeat, non laboro. *Pierius.*

107. *Sic contra.*] Melius visum est dolos dolis excludere, veluti approbatis per dissimulationem præsentibus, ne deteriorem viam inquireret atrox inimica, si contrariam se ostenderet Venus. *Donatus.*

Ingressa Venus.] Calliditatis est, ut supra, habet enim hæc vox insidiarum significationem. *Servius.*

Quis talia demens.] Deest *nisi*, ut *nisi demens.* Idem.

Quis talia demens.] Hæc vox quasi consentientis est. *Donatus.*

108. *Aut tecum malit contendere bello.*] Non dixit *possit*, quod autem addidit. *Servius.*

109. *Si modo, quod memoras.*] Oblique dum consentit, docet fieri non posse. *Idem.*

Fortuna sequatur.] Aut subauditur *fortuna prospera*, aut hoc ad casum pertinet. *Idem.*

110. *Fatis incerta feror.*] Bene omnia tetigit, quibus res humanæ reguntur: casum, fata, voluntatem deorum. Alii sic exponunt, quia scio fatis aliud videri, ideo de Jovis voluntate nunc dubito. Ergo *fatis*, propter fata. Sane oratorie & blanditur & pugnat, sed non palam, dicendo incertam se esse de voluntate fatorum. *Idem.*

Sed fatis incerta feror.] Non fuit incerta: sed ita posuit, ut neque reniti vide-

Esse velit Tyriis urbem Trojaque profectis,
Misceri ve probet populos, aut fœdera jungi.
Tu conjux: tibi fas animum tentare precando.
Perge: sequar. Tum sic excepit regia Juno:
Mecum erit iste labor. nunc, qua ratione, quod instat,
Confieri possit, paucis (adverte) docebo.

Vena-

videretur, & tamen non posse fieri subdole demonstraret. *Donatus.*

Si Juppiter.] Sciebat non posse fieri, sed noluit ostendere se nolle: sed ad Jovem eam demisit, ut ab eo sciret, non posse fieri. Nam virorum secreta facile intelligunt uxores. *Idem.*

112. *Probet.*] In aliquot antiquis codicibus, *jubet* legitur: quod non ita placet: quia structuræ ordo, *Jubeat*, exposceret, ea specie, qua velit positum. *Pierius.*

Aut fœdera jungi.] Si *fœdera*, per se plenum est: si *fœdere*, ad populos pertinet. *Servius.*

113. *Tu conjux.*] Dicendo *conjux*, ostendit eam non posse ignorare, impossibile esse, quod petit. *Idem.*

Tibi fas animum tentare precando.] Sic Æolus, *Tuus ô regina quid optes Explorare labor.* Idem.

Animum tentare precando.] Sic Horat. lib. 3. od. 23. *tentare cæde bidentium Deos.* & noster hocce lib. ℣s. 413. *Iterum tentare precando*, id est, experiri quid posset impetrare precibus. *Emm.*

114. *Perge sequar.*] Per te incipiet. Bene aliud agens, aliud ostendit. Ante enim est Junonis officium ex matrimonio: sic usus venerius. Unde paulo post, *Adero, & tua si mihi certa voluntas.* Servius.

Tum.] Quidam ordinis esse volunt, *tunc* temporis. *Idem.*

Excepit.] Subsecuta est: & potest *excepit*, pro insidiose respondit, accipi; ut, *Æmulus exceptum Triton*, &, *Excipit incautum.* Idem.

Excepit.] Verbum insidiarum, monente Servio. Cicero ad Atticum l. 4. *Admoniti sumus, ut caveremus, ne exciperemur à Cæsare.* Inde in 3. *excipit incautum.* & 3. Ecl. *excipere insidiis.* & Propertius lib. 2. eleg. 19.

Hæc igitur mihi sit, lepores, audacia, molles
Excipere, & stricto figere avem calamo.

Inde Seneca epist. 48. captiunculas, & sophismata Philosophorum vocat *exceptiones*, cum ait: *Quantum potes ergo, mi Lucili, reduc te ab istis exceptionibus, & præscriptionibus Philosophorum.* dici etiam potest simpliciter dictum ad Græcorum imitationem, qui sæpissime ὑπολαβὼν, dicunt, cum quis alteri respondet. Theocrit.

Εἶπας δ᾽ ἀμοιβαίαν ὑπελάμβανε
Δάφνις ἀοιδάν:
Sic deinde Daphnis excepit cantum responsivum.

quo loci nullæ insidiæ. sic Val. 8. Arg.

——— *At ille*
Excepit, blandoque prior sic ore locutus.

Cerda.

Excepit.] Sic Ovid. l. 4. Metamorph. ℣s. 789. *excipit unus è numero procerum.* Petron. *qui Agamemnonis suasoriam exceperat.* Emmeness.

115. *Iste labor.*] Scilicet explorationis à Jove. Quod dixerat *si Juppiter unam.* Servius.

Quod instat.] Quod fieri volo. *Idem.*

116. *Confieri.*] *Con* abundat: ut, *Fata renarrabat divûm cursusque docebat.* Quamvis veteres indifferenter *confieri* dicebant. *Idem.*

Confieri.] In Oblongo perveteri codice, & in Mediceo, *quo fieri* legitur: adscriptumque superne est in illo, *quo* abundat, In hoc *quo* modo. Et ita in plerisque aliis codicibus: ut sit, *quo*, scilicet

Venatum Æneas unaque miſerrima Dido
In nemus ire parant, ubi primos craſtinus ortus
Extulerit Titan, radiiſque retexerit orbem.
His ego nigrantem commixta grandine nimbum,
Dum trepidant alæ, ſaltuſque indagine cingunt,

De-

ſcilicet modo fieri poſſit. Apud Servium *con*, abundat, qui *Confieri* agnoſcat. Alii quidam codices manu ſcripti, *quod* fieri legunt. Idque in nonnullis per *t* notatum eſt, cujuſdam ætatis conſuetudine loco *d* ſæpe *t*, uti paulo ante dictum, ſupponentis. In nonnullis abraſa eſt tota dictio, præſertim ubi per compendiariam notam *q;d*, ſcriptum fuerat. Sed enim in Romano codice, *confieri* legitur: & ita ſcriptum erat in Longobardico: unde abraſum eſt *con*, & *quo* ſuppoſitum. *Confieri* tamen & Latinum eſt pro *confici*, & in primis Cæſari familiare vocabulum VII. de bello Gallico Commentario, ubi de Labieno loquitur: *Poſtquam id difficilius confieri animadvertit*. Pierius.

Confieri.] Recte ita legere videtur Servius. Lucret. *geni debent nimirum & confieri res*. Non videtur autem *cum* particula πλεονάζειν, ut Servio videtur: Juno ſiquidem communicato conſilio συνεργὸν ſibi Venerem adjungit. Sic & rurſus Lucret. 5. *Ne forte ex homine & veterino ſemine equorum Confieri credas Centauros poſſe, neque eſſe*. Græci συμπράττεσθαι, unde συμπράκτωρ. *Germ.*

Confieri.] Id eſt, confici. Scal. lib. 4. c. 16. Terent. Adelph. act. 5. ſc. 8. *Confit quod volo*, id eſt, perficitur. unde *Confectum negotium*, quod ad plenum perficitur. Cic. l. 9. ad Att. *ut per te res tota confieret*. Cæſar: *Poſteaquam id difficilius confieri animadvertit*. Caſtiſſima eſt vox, de re gravi & magni momenti. utitur crebro etiam Lucretius. Vide Erythræi Indic. Alii particula *Con*, Græcum συμπονεῖν, συμπράττεσθαι, unde συμπράκτωρ, hic exprimi putant. quaſi Juno Venerem συνεργὸν adſciverit. *Taubm.*

Paucis adverte.] Id eſt, animum adverte, parte pro toto uſus eſt. Et, aut adverte paucis, aut paucis docebo. *Servius.*

117. *Miſerrima Dido.*] Aut ex perſona miſerantis dictum, dolet enim inſidiis circunventam, aut *miſerrima* quæ perdiderit caſtitatem. *Idem.*

118. *Nemus.*] Pro ſilvis & montibus. *Idem.*

Ubi.] Hoc loco, pro *Cum*. Idem.

119. *Titan.*] Sol, unus enim de Titanibus Yperionis filius contra Jovem non fecit. *Idem.*

Retexerit orbem.] Quem nox tegebat. Ergo inluminaverit, huic contrarium, *Quotiens humentibus umbris Nox operit terras*. Idem.

120. *Nigrantem.*] Nigrum: participium pro nomine, ſine verbo, & quæritur quis prius *nigrantem* dixerit. *Idem.*

His ego nigrantem.] Lucret.
Aut ea quæ nigrant nigro de ſemine nata.
lib. 2. *Germanus.*

Trepidant.] Hoc loco, *ſenſim* accipiunt, non ut alibi feſtinant, ut *Hic me dum trepidi*: quia ſaltus non curſu, ſed ſenſim cinguntur. Quidam *trepidant* ab equis, qui hodieque *trepidare* dicuntur, appellari putant. Cato, *Sedere non poteſt in equo trepidante*. Serv.

121. *Alæ.*] Equites: ob hoc *alæ* dicti, quia tegunt pedites, alarum vice. *Idem.*

Indagine.] Ferarum inquiſitione. Et quidam cum veſtigatoribus alatorum mentionem inductam accipiunt. Nam *indaginem* veſtigatorem ipſum tradunt. Alias vero *alatores*, qui dextra & ſiniſtra plagarum ſublata voce prohibent feras exire. *Idem.*

Indagine cingunt.] Servius ferarum inquiſitione interpretatur. Aliis *indago* acci-

Desuper infundam, & tonitru cælum omne ciebo.
Diffugient comites, & nocte tegentur opaca:
Speluncam Dido dux & Trojanus eandem
Devenient. adero, &, tua si mihi certa voluntas,
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.
Hic Hymenæus erit. Non adversata petenti
Adnuit, atque dolis risit Cytherea repertis.

Ocea-

go accipitur series plagarum, quibus saltus, stabula, & latibula ferarum à venatoribus cinguntur: qui & στοῖχοι dicuntur, & ἄρκυες, ἄρκυα, unde & ἀρκυοστασία, & ἀρκυοστάσιον. *Germanus.*

Saltusque indagine cingunt.] Id est, ferarum inquisitione, ut vult Servius. Budæo, *Indago* est plagarum series in varos sive perticas arrectarum, h. e. περιστοιχισμὸς. Alii dicunt; *Indagines* esse canes, ab indagandis ferarum lustris sic dictos: quod v. 132. *Odora canum vis*, appelletur. *Taubm.*

Saltusque indagine cingunt.] Vlitius ad auctores Rei venat. p. 422. ineptias Grammaticorum explodit, qui *indagine* hic de canibus dici volunt, cum nihil aliud sit hoc loco, quam retium cassiumque series. Ibidem quid *alæ* nempe extremitates retium. Sed eum consule. de verbo *trepidare* Salmas. ad Hist. Aug. tom. 2. p. 10. pro *tripidare* à τριποδίζειν. *Emmeness.*

122. *Desuper infundam.*] Quia aër est Juno. Bene ergo hic se facturam dicit, quod habet in potestate. *Servius.*

Omne ciebo.] Pro *totum. Omne* enim, numeri est: *totum*, quantitatis. *Idem.*

123. *Nocte opaca.*] Nubium caligine. *Idem.*

125. *Tua si mihi certa voluntas.*] Id est, si etiam tuum subsequatur officium. Quia Juno conjugium, Venus causa conjunctionis sit. Igitur Juno nil se posse adnuntiat, nisi voluntas Veneris adfuerit. *Certa* autem firma, quia promiserat. *Idem.*

126. *Connubio.*] Hoc Veneri contrarium est, & hic est dolus, quem intellectura est & risura. *Nu* naturaliter longa est, ab eo quod est *nubere*: ut, *Connubia nostra Reppulit:* sed modo metri causa corripuit. *Idem.*

127. *Hic Hymenæus erit.*] Id est, hæ erunt nuptiæ. Sane de Hymenæo licet superius dictum sit, tamen sunt etiam aliæ opiniones: nam alii hunc Veneris & Liberi filium dicunt primum nuptiis prospere usum, ob quod in nuptiis vocatur, unde nuptiale carmen *Hymenæus.* Alii nuptiarum inventorem tradunt, & ideo carminibus decorari, quod exemplum ab eo proditum ubique servatur. Cornelius Balbus *Hymenæum* ait Magnetis filium, musicæ artis peritum, pulchritudine muliebri, dum nuptias Liberi patris & Alteæ religiosis cantibus celebrat, expirasse, propter quod ei talis honor nuptiis adtributus est, ut celebratio nominis ejus nuptiarum jungendarum perpetuum nomen esset. *Id.*

Hic Hymenæus erit.] Eustath. l. 18. *Hymenæum* dicit ait, ἀπὸ τοῦ ναίειν ὁμοῦ τὸν νυμφίον καὶ τὴν νύμφην: quod una habitent. *Taubm.*

Non adversata.] Legitur: & *Aversata.* Serv.

Adversata.] In Romano codice legere est, *aversata petenti adnuit.* ut, *Diva solo fixos oculos aversa tenebat.* Sed enim id pertinet ad supplicia, quæ obaudiantur. Loco vero hoc magis placet *adversata.* Quia de consensu, deque in eandem sententiam eundo, sermo est. *Pierius.*

128. *Risit.*] Proprium Veneri: quæ ob id φιλομειδὴς Homero. *Taubm.*

Repertis.] Vel compertis vel deprehensis. Cur autem *dolis repertis risit,* qui altius intelligunt sic tradunt, hoc est,

Oceanum interea ſurgens Aurora relinquit,
It portis jubare exorto delecta juventus,
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Maſſylique ruunt equites, & odora canum vis.

Regi-

eſt, quos jampridem compererat, cum Ilium oppugnaretur. *Servius.*

129. *Relinquit.*] In aliquot antiquis codicibus, *relinquit* legitur, præſenti tempore, in aliis *reliquit.* Nam ſimul oriente Sole, *It portis jubare exorto delecta juventus.* Non eſt vero hic, etſi κατὰ πάρεργον, prætereundum, quod Varro *ortum Jubaris* ſignificare ait, eſſe circiter extremam noctem. Itaque ait Pacuvius, *Exorto jubare*, noctis decurſo itinere. Ajunt vero *Jubar* ſtellam eſſe, quam Græci *Phoſphoron*, nonnunquam *Heſperon* appellant, cujus ſplendor in morem leoninæ jubæ diffundatur. Neque id diſſimulandum, quod C. Cæſar, Flavio Soſipatro teſte, præcipit, Neutra nomina *ar* nominativo clauſa, per *i* dativum ablativumque ſingulares oſtendere; *Jubar* tamen & *Far*, ab hac regula diſſidere. Nam ut *huic Jubari* dicimus, *ab hoc Jubare* dicendum eſt. Virg. *It portis Jubare exorto delecta juventus.* Pierius.

130. *Jubare exorto.*] Nato Lucifero. Nam proprie *Jubar* Lucifer dicitur, quod *jubas lucis* effundit. Unde etiam quicquid ſplendet, *jubar* dicitur, ut argenti, gemmarum. Eſt autem Lucifer interdum Jovis. Nam & antiqui *Jubar*, quaſi *Juvar* dicebant. Plerunque Veneris ſtella. Unde Veneris dicta eſt: ut, *Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes.* Alii *Jubar* Solem, alii ſplendorem ſiderum dicunt. Sane modo Hyſteroproteron eſt in ſenſu: Nam *Lucifer jubar eſt.* Jubar enim præcedit Auroram: & facit *hoc jubar*, *hujus jubaris.* Serv.

131. *Retia rara, plagæ.*] Multi dividunt, ut ſic *retia rara*, majora: *plagas* vero, minora intelligant. Alii *plagas* per definitionem accipiunt: ut intelligant quæ ſunt retia rara, plagæ. Sane ſciendum proprie *plagas* dici funes illos, quibus retia tenduntur circa imam & ſummam partem. Ergo, *Retia rara, plagæ, lato venabula ferro*, ſubauditur *portantur*, aut Zeugma eſt, *ruunt.* Serv.

Lato venabula ferro.] Lati ferri; *venabula* autem ob hoc dicta, quia apta venatui, quaſi *excipiabula.* Idem.

132. *Maſſyli.*] Maſſyliorum gens eſt haud longe a Mauritania: & *Maſſyli* legendum per unum *l* literam, ne non ſtet verſus. *sy* enim longa eſt: ut, *Hic mihi Maſſylæ gentis monſtrata ſacerdos.* Id.

Maſſylique.] In antiquis aliquot exemplaribus, *Maſilici* legitur, omnino corrupte. Nomen id una plus ſyllaba ſcribitur apud Græcos, Μασαισύλια χώρα Λιβύης προσέχης τῶν Μαυρουσίων. Latini vero ſcriptores *Maſſyliam* & *Maſſylum* agnoſcunt. *Pierius.*

Maſſylique.] Secunda producta, ut apud Stat. Thebaid. l. 2. *Maſſylas depaſtus oves.* quorum mos eſt *equitare*, *jaculari*, ut Saluſt. bell. Jug. unde Lucanus l. 4. ✝ſ. 684.

Et gens, quæ nudo reſidens Maſſylia dorſo,
Ora levi flectit, frenorum neſcia, virga.

Sic ſupra ✝ſ. 4. *infrenos Numidas* appellat. *Emmeneſſ.*

Et odora canum vis.] Plus enim eſt quam ſi diceret, *multitudo.* Ut Saluſtius, *Qua tempeſtate ex ponto vis piſcium erupit.* Ergo *vim* aut ad multitudinem, aut ad naturam retulit. *Odora* autem, non olens, ſed odorem inveniens, ergo improprie dixit. Nam *odorum* eſt, quod ex ſe odorem emittit, non quod odorem ſequitur: ut Statius, *Et odoro vulnere pinus.* Sic eſt, *Et inter odoratum lauri nemus*, pro *odorum.* Nam *odoratum* eſt quod aliunde odorem accipit, ut odoratum templum. Tria ergo ſunt: *odorum*, quod per ſe olet: *odoratum*, quod aliun-

Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum exspectant: ostroque insignis & auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.

Tan-

de odorem accipit, ut odoratum templum: *Odorisequum*, quod odorem sequitur, sicut modo de canibus debuit hic dicere. *Servius.*

Odora canum vis.] Dictum *canum vis*, pro, canes. in voce *odora* signat miram sagacitatem, qua præditi sunt canes ad investigandum. Duo dixi: Primum *canum vim* dici pro canibus. est hæc Græcorum imitatio. Pindar. Od. 10. Olymp. *βίη Ἡρακλέος ἐκτίσσατο*, *Herculea vis constituit.* id est, Hercules. sic *βίη Πριάμοιο*, pro Priamo. Inde Latini hauserunt. Lucret. l. 4. *missa canum vis.* Adi Turn. lib. 28. cap. 30. Alterum de canum sagacitate, quæ exprimitur voce *odora:* de qua re sparsa frequens mentio. nullum sane est animal, quod possit in hac re cum cane conferri. Andronicus:

Dirige odorisequos ad certa cubilia canes.

Quo loci Delrius reponit *cæca*, nam si *certa*, cur dirigantur? Seneca in Hipp. canes vocat *nare sagaci.* Opp. lib. 4. Halieut. canem *ἴδρινον sagacem*, sic egregie describit: —— ἐν ὄρεσσι

Θηρὸς ἀνιχνεύειν σκολιὴν βάσιν ἐξερεείνων
Ῥινὸς ὑπ' ἀγγελίῃ νημερτέϊ; καὶ τέ μιν ὦκα
Μάρψε.

Cicero 2. de Natur. *canum incredibilis ad investigandum sagacitas narium.* sed præclare admodum Seneca in Thyest.

Sic cum feras vestigat, &c.

Cerda.

Odora canum vis.] Poëtam valido monosyllabo procedentem ac mobilem versum sustentasse de industria, docet Scal. lib. 4. cap. 48. Vide & Not. ad illud 2. Æn.

—— *aversa deæ mens:*

eundemque Scalig. lib. 5. cap. 9. Sed & Erythræus contra doctissimum Servium docet, versum monosyllabo finiri, nec vitiosum, nec rarum, cum ejusmodi versus trecentis plures exstent in hoc Poëta. Hoc autem sumpsit à Lucretio, qui lib. 4. —— *promissa canum vis.* & lib. 6. —— *fida canum vis*, id est, canes. ita ab eodem dicitur *vis equi*, id est, equus: *vis animi*, id est, animus. item *plumbi potestas*, pro plumbo: quod observat Turneb. lib. 6. c. 6. Porro notat Servius, *Odora*, improprie hic dici, cum debuerit *Odorator.* Odorum enim esse, quod ex se odorem emittit; non, quod odorem sequitur. ut Statius, —— *& odoro vulnere pinus.* *Vis* autem *canum*, est ingens multitudo: ut Sallust. *Vis piscium erupit.* Taubm.

133. *Cunctantem.*] Morantem. atqui amatrix ad eum, quem amabat, debuit festinare: sed pathos naturale superat: ut mulierem & reginam ostendat, ut Terentius, *Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.* Deinde hæc morabatur jam studio placendi. Hic enim inducitur veste, armis, auro, vel purpura comptior, cum supra naturalis pulchritudinis gloria contenta sit, ut, *Regina ad templum forma pulcherrima Dido.* Servius.

Cunctantem.] Hunc locum Maronis in examen vocat Vlitius ad Gratium p. 184. *Emmeness.*

Ad limina.] Ante, vel apud. *Serv.*

Primi.] Principes, ut, *una omnes juvenum primi*, & bene reginæ officio *primi* adsunt, quia de plebe dixerat: *It portis jubare exorto delecta juventus.* Et, *Massylique ruunt equites.* Idem.

135. *Stat sonipes.*] Adest, præsens est. Nam si *stat* simpliciter acceperis, vituperatio est. Quia legimus, *Stare loco nescit.* Denique sequentia dictum hoc explanant: ut, *Ac frena ferox spumantia mandit.* Idem.

Stat sonipes.] Ad Virgilii imitationem Sedulius:

—— *equi, phaleris qui pictus, & ostro*
Ore cruentatum mandenti concutit aurum.

Melius

Tandem progreditur, magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:

Cui

Melius magistro suo Sedulius institit, quam Silius, qui ita lib. 5. de equo Flaminii Cos.

Stat sonipes, vexatque ferox humentia frena,
Caucasiam instratus virgato corpore tigrim.

Cerda.

Spumantia.] Spumas vomentia; ut *naufragum mare*, quod naufragos facit. *Servius.*

Frena ferox spumantia mandit.] Hæc Græce Callimach. in Hymno Pall. ℣. 12. χαλινοφάγων ἀφρὸν ἀπὸ στομάτων. ad quem locum consule Vulcanium. *Ferox* Nonio est *sævus, indomabilis.* Idem.

136. *Tandem.*] Hoc ad illud redditum, *Reginam thalamo cunctantem.* Serv.

137. *Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.*] Veteri ceremoniarum jure præceptum est: ut, *Flamen venenato operta sit. Operta* autem cum dicitur Pallium significatur, *Venenatum* autem infectum, quod ipse ait in Bucolicis: *Alba nec Assyrio fucatur lana veneno*; hic vero cum dicit *Sidoniam*, ostendit Tyriam & purpuream dederat infectam, *chlamydem* autem Pallium esse quis dubitet. Præterea Flaminicam habere præcipitur arculum, ricam, venenatum, fibulam: de Venenato dictum est. *Arculum* vero est virga, ex malo Punico incurvata, quæ fit quasi corona, & ima summaque inter se alligatur vinculo laneo albo, quam in sacrificiis certis regina in capite habebat: Flaminica autem dialis omni sacrificatione uti debebat. Virgilius ergo propter nominum & intellectus difficultatem aliter omnia comprehendit, nam Pallio chlamydem, pro venenato, id est, infecto, Sidoniam. Arculum vero & fibulam ex auro factam commemorat, dicendo, *Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum*, quod in arculum potest referri, nam de fibula manifestum est, cum ait: *Aurea purpuream subnectit fibula vestem. Subnectit* autem quid aliud est, quam sursum nectit, ac per hoc succinctum facit? *Vestem* vero possumus ricam accipere, quia *rica* genus est vestis. Sciendum sane, sicut supra dictum, ubique Didonem Flaminicam ostendi. *Idem.*

Chlamydem.] *Chlamys* non tantum pallium militare, aut viatorium, sed etiam venatorium est. P. Victorius l. 2. c. 21. observat ex Polluce, chlamydis usum in venatione hunc etiam esse, ut sinistræ manui implicata vim insilientis feræ sustineat: aut si ipse ultro feram invadit, pro clypeo fit. Pacuvius: *Chlamyde contorta clypeat brachium.* Cæterum, dum hic *Sidoniam* dixit, ab arte commendavit. Hom. Il. ζ. ἔργα γυναικῶν σιδονίων. *Taubm.*

Limbo.] *Limbus* est, ut supra dictum est, fascia quæ ambit extremitatem vestium, secundum antiquum ritum: ut, *Victori chlamydem auratam quam plurima circum Purpura.* Servius.

Limbo.] *Limbus* regibus deputatur & diis: qui eorum caput candido orbe circundat. *Donatus.*

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.] Pro eo Stat. Achill. l. 2.

Et picturato cohibet vestigia limbo.

& Thebaid. l. 6.

—— & picto distinguit pectora limbo.

de *limbo* vide Bayfium de re vest. c. 16. inde *limbolarii*, qui vestes prætexerent limbo, ut Non. Marc. & Ferrar. de re vest. l. 3. c. 21. qui l. 3. part. 2. c. 8. & seqq. Chlamydem, Sagum, Paludamentum idem vestimentum esse asserit, & cum eo Salmas. ad Hist. Aug. tom. 2. p. 328. tunicæ quod superinduebatur, fibulaque nectebatur, nam per se erat indumentum apertum. Videndus Suidas in χλαμύς, cujus diminutivo utitur Longus in pastor. χλαμύδιον. *Emmeness.*

Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum;

Aurea

138. *Cui pharetra ex auro.*] Deest *erat*, & amat Poëta iterare voces, vel pretiosas, vel necessarias, vel optabiles: Pretiosas, ut 1. Æneid. *Ærea cui gradibus surgebant limina.* 7. Æneid. *Aurea pectoribus demissa monilia pendent:* Necessarias item 7. Æneid. *Ab Jove principium generis, Jove Dardana pubes.* Optabiles ita, *Humilemque videmus Italiam.* Servius.

Cui pharetra.] Totum quod habuit aut aurum fuit, aut purpura, ut placeret. *Donatus.*

Cui pharetra ex auro.] Circumscriptio est adjectivi, pro, *aurea pharetra.* ita 11. Æn. *equites in armis*, pro, armatis equitibus. Alii leg. *ex humero*, sed altera lectio castior videtur etiam Fabricio. Vide & P. Victorium, l. 33. c. 12. ubi docet, Poëtam rem ornamenti plenam significasse, tergemina repetitione vocis *auri.* quemadmodum & 11. Æn. ỷſ. 774. item 7. Æn. ỷſ. 278. Tale illud Ovidii:

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curvatura rotæ. Taubm.

Cui pharetra ex auro.] In Romano illo codice dubio procul antiquissimo, legere est, *cui pharetra ex auro:* quod ideo placet magis quam *ex humero*, quia Dido tunc pulcherrima esse studuit, ut Æneæ placeret; ideoque ornatissima, & quam maxime divite habitu instructa processit: Congruitque mirifice cultui muliebri lascivia hæc prorsus aurea:

Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Et tamen sunt, qui lasciviam hanc Virgilianæ majestati non convenire clamitent, contradicendi potius studio, quam quod sciant, quid sit in carmine majestas, aut quid in scribendo lascivia. Quorum stuporine dicam, an imperitiæ responsum faciam Virgilianam hanc esse phrasim, Virgilianum ornatum, Virgilianum elocutionis modum, cujusmodi figura utitur in Octavo,

Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis
Virgatis lucent sagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur.

Neque illud huic dissimile, quod ait in XI,

Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea Vati
Cassida, tum croceam chlamydemque sinusque crepantis
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro.

Sed quid illud in Septimo,

Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.

Ubi easdem etiam voces *Aurea, auro, aurum* aspicimus, quas hoc loco identidem posuerat. Isti vero, quia apud Ovidium repererint, *Aureus axis erat, Temo aureus, aurea summæ curvatura rotæ*, Ovidianam esse figuram contendunt, non autem Maronianam. Atqui si Ovidium sequeremur, non *ex auro*, sed *ex humero* in hanc sententiam legendum esset. Nam ubi is de Atalantæ cultu loquitur, ita scribit:

Crinis erat simplex, nodum collectus in unum,
Ex humero pendens resonabat eburnea lævo
Telorum custos. Sed valeant cum suo tam acri judicio, tamque emunctis naribus pulchelli isti Critici. Nos lectionem hanc, *cui pharetra ex auro*, antiquorum pene omnium codicum testimonio corroboramus. Ita enim in Longobardico, ita in Porcio legitur. In alio vero perveteri ejusdem Vaticanæ bibliothecæ, dictio tota *auro* improbe, ac imperite admodum abrasa est: non ita tamen, ut singularum literarum vestigia non extent, & manifeste *auro* prius scriptum fuisse discernatur. Est etiam vetus codex in civitate Belluno, patria mea, in quo pleraque cum his veteribus Vaticanæ bibliothecæ exemplaribus convenientia deprehendi, & hoc præcipue *cui pharetra ex auro.* Ita

etiam

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.
Nec non & Phrygii comites, & lætus Iulus,
Incedunt. ipſe ante alios pulcherrimus omnis
Infert ſe ſocium Æneas, atque agmina jungit.
Qualis, ubi hibernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deſe-

etiam in aliquot aliis codicibus, qui apud me ſunt. Sed ne tam multa congeram, litem ſecundum nos dat Ti. Donatus, dum ita ſubſcribit, *cui pha.* Totum quod habuit, aut aurum fuit, aut purpura, ut placeret. Denique Probus in Pollione verſum hunc citat: ubi de iteratione loquitur, eo verſu, *Pan etiam Arcadia.* Dicitque iterationem fieri etiam caſuum permutatione. Et inter exempla hoc etiam apponit, *quoi pharetra ex auro crines nodantur in aurum.* Hæc ut forte plus nimio coacervarem, id in cauſſa fuit, quod nonnulli ſunt ita pravo ingenio præditi, ut meliores ſe doceri literas ægre ferant: proindeque alios ab eorum cognitione, quæ ipſi hactenus ignorarunt, avertere conentur. *Pierius.*

Crines nodantur in aurum.] Veluti retiolum dicit, quod colligit comas, quæ Græce κρωβύλη dicitur. *Servius.*

Crines nodantur.] In nodum colliguntur velut reticulo quodam. Vide Turn. l.4.c.19. Manilius lib.5.

—— *tortos in fluctum ponere crines,*
(id eſt, diffundere, & quaſi undantes facere)
Aut vinclis revocare comas, & vertice denſo Fingere.

κρωβύλον & σκορπίον parvo diſcrimine inter ſe diſcrepantes ejuſmodi *crinium ſuggeſtus* vocabant Attici: quod canones Clementis vocant ποιεῖν εἰς ἕν, ut notat ibid. Scaliger F. Cæterum, cum Dido ubique ut Flaminica oſtendatur; hanc autem habere oporteat *arculum, ricam, venenatum, fibulam:* vide mihi Servium Dan. quomodo hæc omnia eo applicet. *Taubm.*

Crines nodantur in aurum.] Ad hunc locum conſule Salmaſ. Plin. exercit. p. 764. *Emmeneſſ.*

139. *Subnectit fibula veſtem.*] Ex more venantium fœminarum, quibus veſtis ſubſtricta, ne impediantur. de fibula, deque hac veterum elegantia alibi. Nunc tantum audi Philoſtratum Juniorem, qui in Iconibus dat fibulam Atalantæ venatrici. τῆς ἐσθῆτος εἰς περόνας συνεχομένης: *veſte ad fibulas contracta.* & dat rationem, διὰ τὸ ἔνεργον εἶναι, *ut ſit prompta ad agendum.* Ait Pollux lib. 7. c. 13. Veſtes connecti ſolitas fibulis ſignate circa humeros. περόναις κατὰ τοὺς ὤμους διήρτο. Fibulam Nonnus intellexit l. 1. νεβρίδα σφίγξατέ μοι στέρνοισι: *cervinam mihi aſtringite pectori.* Cerda.

Phrygii comites.] In antiquis aliquot exemplaribus, *Tyrii comites* legitur. Quippe qui Reginam Tyro comitati fuerant, & paulo infra *Tyrios comites* appellabit. Magis tamen placet *Phrygii.* Quia Dido magna ſtipante caterva progreſſa erat: neque oportuit Æneam incomitatum advenire, aliter quænam agmina jungeret? *Pierius.*

140. *Lætus Iulus.*] Ita Agellius, *adoleſcens lætæ indolis.* Taubm.

141. *Ipſe ante alios.*] Quia amabatur, & ideo ei dat pulchritudinem: licet Aſcanio magis congruat. *Servius.*

Pulcherrimus.] Ex animo Didonis, hoc enim ei videbatur; alibi epitheta Æneæ dat, cum religioſum oſtendit, dicit *pium*; cum fortem, *magnanimum.* Idem.

142. *Agmina.*] Comitatum ſuum. *Taubm.*

143. *Qualis.*] Ut Æneæ pulchritudo præferri cæteris poſſet, deficientibus humanis ad divinam comparationem acceſſit: & quia Didonem Dianæ comparaverat, hunc comparat Apollini. *Donatus.*

Deserit; ac Delum maternam invisit Apollo,
Instauratque choros: mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi:
Ipse

Ubi.] Hoc est *cum.* Servius.

Hibernam Lyciam.] Non asperam, sed aptam hiemare cupientibus. Sic enim se habet natura regionis: Sed bene aliud agens, aliud ostendit. Nam constat Apollinem sex mensibus hiemis apud Pataram Lyciæ civitatem dare responsa (unde *Pataræus Apollo* dicitur) & sex mensibus æstivis apud Delum. Ergo *Hibernam*, utrum quod ibi hiemare soleat, an frigidam, an hieme temperatam, an quam hiberno tempore deserere soleat. *Idem.*

Hibernam Lyciam.] Patara civitas Lyciæ, ut & Xanthus ejus regionis flumen, teste Mela l. 1. c. 13. bene *Hibernam*, ad quam alludit Stat. Thebaid. *Phœbe parens, seu te Lyciæ Pataræa nivosis Exercent dumeta jugis.* Ad firmandam Servii sententiam facit illud Horatianum l. 3. od. 4. *Qui Lyciæ tenet dumeta natalemque silvam Delius & Pataræus Apollo.* Emmeness.

Qualis ubi hibernam.] Non δυσχείμερον, sed εὐχείμερον, ut vocat Aristot. 7. Polit. id est, *aptam hiemantibus.* ita enim regionis est ingenium. Sed bene aliud agens, aliud ostendit. Nam opinio erat, Apollinem mutare sedem: & sex quidem menses hiemales apud *Pataram* Lyciæ civitatem dare responsa: & sex æstivos, apud *Delum*: ut notat Servius, & Turneb. l. 24. c. 26. Hanc autem comparationem idem Turn. l. 3. c. 2. & Scal. l. 9. c. 6. è lib. 1. Argonauticôn Apollon. expressam, auctam, superatam, docent. Quintil. l. 8. c. 3. affirmat, Poëtam hic aperta occultis demonstrasse. At vatem hoc decuisse tamen, non item Oratorem. *Taubm.*

Xanthique fluenta.] *Que*, pro *vel* posuit. Hoc enim dicit, vel cum Xanthum, vel cum Lyciam relinquit, ut est, *Suspectaque dona Præcipitare jubet, subjectisque urere flammis.* Servius.

144. *Deserit.*] Relinquit, ut, *Desertosque videre locos litusque relictum.* Idem.

Delum maternam.] Quæ Latonam fugientem, dracone Pithone insequente, suscepit. Et hoc ideo, quia sicut dictum est, sex mensibus æstivis apud Delum responsa dat. *Idem.*

Delum maternam.] Quia *Delon*, in qua natus Apollo, mater *Latona* occupavit. Turn. l. 19. c. 29. *Taubm.*

Invisit.] Repetit, per quod ostendit relicta Delo ad Lyciam transire. *Serv.*

Apollo.] Apollini Æneam vel propter sagittas, quibus in venatu utebatur, comparat: vel certe propter futurum infœlix matrimonium, ut enim supra diximus, nuptiis est hoc numen infensum. Vel Apollini Æneam, ut in primo Didonem Dianæ, quomodo germanorum nuptiæ esse non possunt. *Idem.*

145. *Choros.*] Sacra. *Idem.*

Altaria circum, &c.] Saltantes in altaris ambitu, ubi jam igni admota forent sacra, concinebant *hyporchemata*: quæ quidem dicta, quod inter saltandum fere generosum quiddam servarent ac virile. Observabant autem, ut ab sinistris dextrorsum pergerent prius, Zodiaci quadam imagine, cujus motus cælo diversus appareat, ab occasu ad exortum: inde à dextris lævorsum, pro ratione cælestis vertiginis. Plura vide apud Cælium Rhodig. l. 5. c. 3. quibus huic loco facem præluxit. *Taubmannus.*

146. *Cretes.*] Ab eo quod est Cres. *Servius.*

Dryopesque.] Populi sunt juxta Parnasum: ut, *Dryopumque trahens Erasinus aristas.* Erasinus vero fluvius est. Hi populi ab Hercule victi Apollini donati esse dicuntur. *Idem.*

Dryopes.] Hos Parnassum incoluisse in Pausania reperi lib. 5. per initia. Itaque inde credibile est illos occupatos
Phœbi

Ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro:
Tela sonant humeris. haud illo segnior ibat
Æneas:

Phœbi religione. Turnebus scribit idem se reperisse in Græcorum Grammaticis. Vide illum lib. 24. cap. 26. *Cerda.*

Pictique Agathyrsi.] Populi sunt Scythiæ, colentes Apollinem Hyperboreum, cujus logia, id est, responsa, feruntur. *Picti* autem non stigmata habentes, sicut gens in Britannia, sed pulchri, hoc est, cyanea coma placentes. Hos Melissus ab Homero Achabas appellari ait, qui propter scientiam sagittarum Apollini sunt gregales, sicut Cretes. *Servius.*

Pictique Agathyrsi.] Docet ex Marcellino Turnebus, quare *picti* dicantur: cujus hæc sunt lib. 31. *Gelonis Agathyrsi collimitant, interstincti colore cæruleo corpora simul & crines: & humiles quidem minutis ac raris; nobiles vero latis, fucatis, & densioribus notis:* unde & Mela: *Agathyrsi ora artusque pingunt, ut quoque majoribus præstant, ita magis vel minus.* Germ.

Pictique Agathyrsi.] Cælius lib. 5. c. 3. Cur autem *picti*, Solinus habet c. 25. *Hart.*

Pictique Agathyrsi.] Ut *pictæ volucres, picta vestis*, coloribus variata. sic *Agathyrsi picti* variis vel aliquibus coloribus fucati, vide Salm. exerc. Plin. p. 189. Quid de Gelonis pictis dictum sit, habes l. 2. 9. ℣. 115. *Emmeness.*

147. *Cynthi.*] Mons est Deli Cynthos. *Servius.*

Ipse jugis Cynthi.] Ipse Apollo in Cyntho, Deli monte, elato gradu spatiatur. Æn. 1.

—— *gradiensque deas supereminet omnes.*

Taubm.

Fluentem.] Unguentatum, odoribus abundantem, aut prolixum & effusum, ut τὴν ἀκερσεκόμην significet. *Servius.*

Mollique fl.] Id est, tenera lauru fluentem unguento comam, aut etiam effusam & promissam (ut τὴν ἀκερσεκόμην significet) coërcens & componens. *Taubm.*

148. *Fronde premit.*] Id est, comprehenso crine efficit, ne fluat. *Servius.*

Fingens.] Componens. *Idem.*

Premit crinem fingens.] Est hoc, quod Propertius dixit lib. 1. eleg. 3. *formare capillos.* Pari verbo Suetonius in Nerone cap. 51. *comam in gradus formatam.* A Virgilio variis in locis habes *crinem innectere, componere, coërcere.* Contrarium ab hoc est, crines errantes, dispersi, vagi, irreligati, indociles, & sine lege. De quibus omnibus obvia sunt Poëtarum testimonia. *Cerda.*

Implicat auro.] Non frontem, sed crinem, qui est illi retrorsum in nodum collectus. *Servius.*

149. *Tela sonant.*] Ut in nono, *Pharetramque fuga sensere sonantem.* Serv.

Humeris.] Aut *in humeris*, aut *ex humeris.* Idem.

Tela sonant humeris.] Nota propria Apollinis. Ovid. 2. Rem.

Phœbus adest, sonuère lyræ, sonuère pharetræ:
Signa Deum nosco per sua, Phœbus adest.

Arnobius lib. 1. *Arquitenentes Diana, & Apollo.* inde à Græcis τοξοφόρος dictus, quod Ovid. reddit, *Arcitenens.* Pindarus Od. 9. pyth. hunc Deum vocat εὐρυφαρέτραν. Homerus 1. Il.

Ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο
Αὐτοῦ κινηθέντος:
Sonuerunt autem sagittæ in humeris irati
Cum moveretur.

Porro de Phœbi pulchritudine, quam in toto hoc tractu attingit Poëta, lege Tibullum lib. 3. eleg. 4. & Propertium lib. 2. eleg. 31. *Cerda.*

Haud illo segnior.] Id est, non illo deformior. Nam plerunque virtus & pulchritudo per se invicem componuntur.

Æneas: tantum egregio decus enitet ore.
Postquam altos ventum in montis, atque invia lustra:
Ecce feræ saxi dejectæ vertice capræ
Decurrere jugis: alia de parte patentis
Transmittunt cursu campos, atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, montisque relinquunt.
At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo: jamque hos cursu, jam præterit illos,

Spu-

tur. Hinc est, *Satus Hercule pulchro Pulcher Aventinus.* Nam Herculi satis incongrua est pulchritudo. Sic Plautus in Pyrgopolinices fabula de muliere interrogat, *Quidnam fortis est?* Id est, pulchra. *Servius.*

Haud illo segnior.] Servii sententiam magnus Scal. probat lib. 4. c. 16. Poëtices, & lib. 1. cap. 22. de caussis Lat. linguæ, quæ videre operæ pretium est. *Taubm.*

150. *Egregio.*] Præclaro: Et sic dicimus quasi extra gregem. *Servius.*

Enitet.] Ita Horat. lib. 2. Od. 8.

—— *enitescis Pulchrior multo.*

& lib. 1. Od. 19. *urit me Glyceræ nitor.* Cerda.

151. *Lustra.*] Latibula ferarum vel luporum: unde & lupanaria meretricum, *lustra* dicuntur. *Servius.*

152. *Ecce.*] Adverbium demonstrationis est, ut ostenderet velociter factum, & bene hac particula utitur, facit enim nos ita intentos, ut quæ dicuntur putemus videre. Ita enim capreæ suspensionis super saxa currunt, ut putes cadere illas cum exiliunt. *Idem.*

Feræ capræ.] Hoc est, capreæ. Et bene aptat descriptionem ad species: ut *cervis* campos, *capreis* saxa permittat. *Feræ capræ.* Quas Græci αἰγάγρους vocant. *Idem.*

Feræ capræ.] Dubitat Apulejus Met. l. 8. an epitheton sit conveniens: *indagaturus feras, si quid tamen in capreis feritatis, &c.* Emmenesf.

Saxi.] Pro *montis*; ut, *Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.* Servius.

153. *Decurrere.*] Bene præterito usus est tempore, ad exprimendam nimiam celeritatem. Ostendit enim jam factum. Sane *decurrere* juxta analogiam dixit, non, ut imperiti putant, *decurrerunt.* Idem.

154. *Transmittunt.*] Celeriter transeunt: præcipue *transmittere* est de loco ad locum transitio. *Idem.*

Transmittunt.] Speciose dictum, pro, *celeriter transeunt.* Lucret. l. 2. vs. 325.

Et circumvolitant equites, mediosque repente
Tramittunt valido quatientes impete campos.

Taubm.

Cervi.] An in Africa sint cervi, disputat Voss. l. 1. de Instit. Poët. c. 3. ubi, qui pro utraque parte stant, auctorum examinat argumenta. Non errasse tamen Maronem probat. Sed Aldrovando eruditius nemo hanc controversiam decidit l. 1. *de quadrupedibus bisulcis* p. 783. 784. *Emmenesf.*

155. *Pulverulenta.*] Nam cervorum pulverulenta agmina, quæ pulverem faciunt, ut, *Pulverulenta coquat maturis solibus æstas.* Servius.

Glomerant.] Pro *involvunt.* Alias pro *in unum contrahunt*, ut, *Quem circum glomerati hostes*, vel glomeratim eunt. *Idem.*

Glomerant agmina.] Gregatim se colligunt. *Taubm.*

157. *Gaudet equo.*] Gaudet, quod acrem equum habeat, & velocem. *Servius.*

Gaudet equo, &c.] De dexteritate in tractandis equis, qua nobilis fuit Ascanius, Stat. l. 5. Silv.

—— *stupui,*

Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.
Interea magno misceri murmure cælum
Incipit. insequitur commixta grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim, & Trojana juventus,
Dar-

— stupui, armatumque putavi
Getulo sic pulcher equo, Trojanaque quassans
Tela, novercales ibat venator in agros
Ascanius, miseramque patri flagrabat Elisam.

Usus procul dubio illo equo, qui illi dono datus à Didone, cujus mentio l. 5. Æn. ℣ſ. 571.

— Pulcher Iulus
Sidonio invectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum & pignus amoris.

Contra de molli & delicato puero, qui duriores labores fugit, loquitur Horat. l. 3. od. 24. *Nescit equo rudis hærere Ingenuus puer, venarique timet.* Emmeness.

Jamque hos cursu.] Id est, modo: ut, *Jam eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.* Et bene puerilem ostendit animum, qui per mobilitatem frequenter optat timenda. *Servius.*

158. *Pecora inter inertia votis.*] Bene per contemptum *pecora*, cum ea sint *pecora*, quæ non silvestri, sed humano usui aluntur. *Inertia* autem pro ignavis & innocuis posuit, & hoc ad capras & cervos retulit, ut in Georgicis, *Inbelles dant prælia cervi.* Nam *iners* proprie quid sit Lucilius declarat, *Ut perhibetur iners, ars in quo non erit ulla.* Idem.

159. *Optat aprum.*] Sic Horat. de art. Poët. ℣ſ. 161.

Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque, & aprici gramine campi.

Emmeness.

Monte leonem.] Per transitum tangit historiam. Nam Ascanius præter Iulum & Ilum, quæ habuit nomina, etiam Dardanus & Leontodamus dictus est, ad exstinctorum fratrum solatium. Ideo nunc eum dicit optare adventum leonis. paulo post, *Dardaniusque nepos Veneris.* Constat etiam Æneam *Dardanum* dictum, ut ostendit Virgilius, *Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus.* Item, Ilioneus, *Hinc Dardanus ortus*, hic repetit. Nam latenter illud nomen ostendit. *Serv.*

Fulvum leonem.] Πυρσὸν λέοντα, Euripidi. Qui color sit *fulvus* docet Agellius lib. 2. c. 26. Observetur hic autem puerilis affectus, qui viribus majora optat. Porro quæri etiam potest, unde huc Ascanius venerit, cum 1. Æn. ℣ſ. 662. audiverimus eum in Paphum à Venere abductum, & Cupidinem in locum ejus substitutum. *Taubm.*

160. *Interea magno misceri.*] Fiunt ea, quæ Juno futura prædixerat, movetur cælum, tonitrua concrepant, nimbi funduntur, de summis montium verticibus amnes præcipitantur plurimi. Deserta venandi voluptate, fugiunt omnes, & diversa occupant tecta: Diversa ideo, quod dispersæ rusticæ domus tantam multitudinem adunatam capere non poterant. Vel quod unusquisque usus in tanta necessitate compendio, non pulchrum suffugium tecti, sed proximum quærebat. *Donatus.*

161. *Commixta grandine nimbus.*] Secundum Junonis promissa, *His ego nigrantem commista grandine nimbum.* Et bene etiam *grando* dicitur: quia poterat nimbus contemni facilius. Murmur autem cœli ad infaustum omen pertinet, quia tonitru dirimuntur auspicia. *Servius.*

Commixta grandine.] In codicibus aliquot antiquis, *comitata grandine* legitur: quod minime placet. *Pierius.*

Dardaniusque nepos Veneris, diversa per agros
Tecta metu petiere. ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux & Trojanus eandem
Deveniunt. prima & Tellus & pronuba Juno
Dant signum: fulsere ignes, & conscius æther
Con-

163. *Nepos Veneris.*] Quidam indecenter dictum volunt, ut Venus avia sit. *Servius.*

164. *De montibus amnes.*] Ne vel investigare possint Tyrii reginam. *Idem.*

165. *Speluncam Dido, dux & Troj. eand.*] Nicolaus Loensis l. 9. c. 23. liberat Didonem impudentis meretricis nota, quod casu, non mercede allecta stupri commercium admiserit. Supra ℣. 125. *devenient*, nunc præsens convenit. Sil. Ital. l. 2.

Hinc & speluncam furtivaque fœdera amantum
Callaïcæ fecere manus: it clamor ad auras
Latratusque canum, subitoque exterrita nimbo, &c.

Speluncæ hujus meminit Ovid. in epist. Didonis:

Illa dies nocuit, qua nos declive sub antrum
Cæruleis subitis impulit imber aquis.

Emmeness.

166. *Deveniunt.*] Bene supprimit rem pudendam, sic Terentius, *Quid tum fatue? fateor.* Servius.

Prima & Tellus.] Satis perite loquitur. Nam secundum Etruscam disciplinam, nihil tam incongruum nubentibus, quam motus terræ, vel cœli dicitur. Quidam sane, Tellurem præesse nuptiis tradunt, nam & in auspiciis nuptiarum vocatur, cui etiam virgines, vel cum ire ad domum mariti cœperint, vel jam ibi positæ diversis nominibus, vel ritu sacrificant. *Idem.*

Prima & Tellus.] Terræ primatus debetur originis, ut, quæ è chao prima, ante elementa omnia extiterit. Vide Turn. l. 7. c. 9. & Not. 7. Æn. ℣. 136. Sed dubitat Pimpontius, utrum ista Turnebi huic loco conveniant: quod πρωτόμαντιν Æschylus γαῖαν vocet: & Aristoteles 2. Meteor. moneat, antiquos theologos Poëtas tam venerande de Terrâ pronunciasse, ut à Cælo eam tanquam famulante ambiri crederent: ut quæ medio & honoratissimo loco consisteret, &c. Nec adsentitur Nannio, qui *Junonem* hic pro *Terrâ* capit. *Signum* autem datum à *Tellure*, quod idem terræ motum interpretatur; & *signum Junonis*, terrestre tonitru; id vero probat. Nam & terra mugiente, tonitru auditum esse, docuit Trebell. Pollio. *Taubm.*

Et pronuba Juno.] Quæ nubentibus præest. Iunonem autem dedisse signa per tempestatem constat & pluvias, quæ de aëre fiunt. Varro *pronubam* dicit, quæ ante nupserit, neque uni tantum nupta est; ideoque auspices deliguntur ad nuptias. *Servius.*

167. *Fulsere ignes.*] Ut dei nuptiales. Varro dicit, *Aqua & igni mariti uxores ducebant.* Unde hodieque & faces prælucent: & aqua petita per fœlicissimum puerum aliquem, aut puellam de puro fonte, interest nuptiis, de qua nubentibus solebant pedes lavari. Alii *fulsere* pro malo omine positum volunt. Cum enim ait *fulsisse ignes*, infaustum connubium videtur ostendere, quia actio perimitur, cum de cœlo servatum est, & bene hoc totum ad Junonem refertur, quia aër esse dicitur: unde aquas cum ignibus dedit. *Idem.*

Fulsere ignes, &c. summoque, &c.] In fulmine autem omen esse nuptiarum, multis testimoniis probari potest. ut ex Claudiano lib. 2. de raptu Proserpinæ. Ad ritus ergo nuptiales pertinet, *Summoque ulularunt, &c.* Moris enim fuit, ut puellæ ante thalamos, ubi novi nupti inerant, vesperi

Connubiis: summoque ulularunt vertice Nymphæ.
Ille dies primus leti primusque malorum
Caussa fuit. neque enim specie famave movetur,
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem:
Conjugium vocat. hoc prætexit nomine culpam.

Extem-

speri usque ad mediam noctem concinerent, quæ carmina κοιμητικά, hoc est somni conciliatoria vocabantur. Fiebat autem id, ne quid foris audiretur, quod intus fieret. Rursus alia ab iisdem canebantur carmina matutina, quæ διεγερτικά, hoc est, excitatoria nuncupantur. *Ululare* vero, luctus & lætitiæ vocabulum est, unde Lucanus, *Et lætis ululare triumphis.* Quamobrem Virgilius in incerto reliquit, lugubriter, an festiviter concinuerint, naturam prodigiorum sequens, in utramque partem dubia significatione replicatilem. Miscell. 7. cap. 14. *Nannius.*

168. *Connubiis.*] In codicibus aliquot vetustis, *conubiis* habetur acquisitivo casu numeri multitudinis. *Conscius* enim apte dativo jungitur. In quodam antiquo etiam exemplari, *conubio* numero unitatis, eodem tamen casu habetur: passimque unica *n* litera. Lectio hæc tametsi non displicet, nunquam tamen respuerim *conubii* genitivo casu, cum etiam optime dicatur, *Sum conscius hujus rei.* Pierius.

Ulularunt.] Bene elegit medium sermonem. Nam ait Lucanus, *Non tu lætis ululare triumphis.* In luctu autem *ululare* non dubium est. Et ideo medium elegit sermonem, quia post nuptias mors consecuta est. Nonnulli ita accipiunt, quod *ululare* veteres etiam in sacris dicebant, ex Græca consuetudine. Ergo *ulularunt Nymphæ*, quasi nuptiarum sacra celebrarunt. Græci autem ὀλολυγμὸν appellant, nam & primam congressionem ὀλολυγὴν dicunt, quod Virgilius ostendit, *magnoque ululante tumultu.* Servius.

Summoque ulularunt vertice Nymphæ.] *Summo vertice* ut apud Phædr. l. 2. fab. 6. *monte summo* pro *in monte.* & luctus & lætitiæ verbum *ululare.* Stat. l. 9. Thebaid.

— *Jam gaudia magna*
Testantur voces. Victorque ululatus
inerrat
Auribus. Ad Virgilianum carmen alludit idem Silvar. l. 3.
Immaduit: qualem Libyæ Saturnia nimbum
Attulit Iliaco, dum dives Elisa marito
Donatur, testesque ululant per devia Nymphæ. Emm.

169. *Ille dies primus leti, &c.*] Muret. var. lect. l. 13. c. 16. Melesippi Spartiatæ dictum putat, qui repudiatus, nec auditus à Græcis, magnos illis motus & turbas prædicebat. Verba habes in Thucydide l. 2. *Idem.*

170. *Specie famave movetur.*] *Species* rerum Didonis præsentium est, quod quasi aspicitur: *fama* autem rerum absentium. Hoc ergo dicit, Non eam movet, nec præsens deformitas, quod non in thalamo, sed in spelunca concubuerat: sed nec futura mox fama. Alii *fama* accipiunt facta qualitate, aut respectu honestatis τῷ πρέποντι. adeo illam nec Tyriorum pudebat videntium talia, nec aliarum gentium quæ audiebant. Ergo *fama* deest *mala.* Serv.

Famave.] Pro eo Ovid. l. 9. vs. 555. *Reverentia famæ.* Emm.

171. *Meditatur.*] Exercet: sic Horatius, *Et horridam cultis diluviem meditatur agris.* Nec incongrue dictum. Actus enim est in ipsa meditatione. Nam *exercitium* meditatio est. Sciendum tamen est hoc hodie in usu non esse. *Servius.*

172. *Prætexit.*] Prætegit. *Idem.*

Prætexit.] Prætegit & velat stupri consuetudinem titulo conjugii. Etiam supra

Extemplo Libyæ magnas it Fama per urbis;
Fama, malum qua non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, vireſque adquirit eundo;
Parva metu primo; mox ſeſe adtollit in auras,
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.

Illam

ſupra ℣ſ. 19. *culpam* tantum vocavit. Ita Ovid. Metamorph.

Conjugiumne vocas, ſpecioſaque nomina culpæ
Imponis, Medea, tuæ?

Vide J. à Wouweren in Petron. *Taubm.*

Culpam.] Ut ſupra, *Succumbere culpæ.* Servius.

173. *Libyæ*] Nonnulli codices manu ſcripti, *Libyes* legunt, declinatu Græcanico, ut incitatius proferatur. Sed *Libyæ* longe ſuavius eſt. *Pierius.*

174. *Fama malum quo.*] Diffinitio eſt, ut *quo* ex præcedenti pendeat nomine: quanquam alii *qua* legant. Sane *quo* niſi diffinitio ſit, legi non poteſt: nec enim procedit, ut ordo ſit: Fama quo non aliud malum eſt velocius. *Servius.*

Qua.] Non eo inficias *quo* in pluribus exemplaribus haberi. Sed forte non diſpliceat, quod in Romano *qua* ſcriptum eſt. Qua ſcilicet fama nullum aliud malum velocius: ſed omnino *quo* receptius eſt. *Pierius.*

Fama malum.] Græciſmus: pro eo quod eſt, fama aliquid mali, vel aliquod malum. Græci enim ſubaudiunt τὸ τί. Euripides in Supplicibus: σφαλερὰν ἢ μέμων θαρσοὺς, &c. Homer. Iliad. 4. de contentione, quæ Maro de fama. Macrob. lib. 5. c. 13. *Hartung.*

175. *Mobilitate viget.*] Dat ei σωματοποιΐαν: & laudat à contrario. Cum enim omnia labore minuantur, hæc creſcit. Sane *viget* quidam pro *vigeſcit* accipiunt. *Servius.*

Mobilitate viget.] Proverb. *Ex minimis initiis maximum.* Hom. Iliad. 4. ἥ τ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη. Macrobius l. 5. cap. 3. & 13. *Hartung.*

Mobilitate viget.] De domicilio & natura famæ Ovid. accurate l. 12. Met. ℣ſ. 41. & ſeqq. *Emmeneſſ.*

Adquirit.] Antiqua pene omnia exemplaria integras ſervant præpoſitiones in compoſitis: ut *adquirit.* & ita ſcribi ſolitum uſque ad Aurelii Antonini Pii tempora, publica declarant monumenta. Ea enim libenter in teſtimonium adducimus: quod notæ ſemel in marmoribus excavatæ, nulla ſunt tranſcriptione mutatæ. In arcu igitur aquæ Marciæ verba hæc inter alia ita notata leguntur,

ADQVISITO ETIAM FONTE NOVO. *Pierius.*

176. *Metu primo.*] Non primo metu, ſed primum, quod initio cautius loquatur, id eſt, in principio: cum enim quis veretur ne auctor is ſit, quod audit, continet; at ubi ſit vulgatum, paſſim loquitur, & modo *Primo* adverbium eſt, non nomen. *Servius.*

Adtollit in auras.] Sumpta licentia quæ minuebatur timore. *Idem.*

Adtollit.] Dicebamus quidem præpoſitiones *ad*, *ab*, *in*, & hujuſmodi incolumes in compoſitis apud veteres adſervari: parciſſime tamen ſcriptum *adtollit*, per *ad* inveni. Tametſi Grammatici veteres *ad* ante *t* indifferenter ſcribi concedant, propter ſoni ſimilitudinem, quæ in *d* & *t* auditur. *Pierius.*

177. *Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.*] Hoc vult oſtendere: nec humili eam fortunæ parcere, nec ſuperiori. Vel quia famæ incertus auctor. *Serv.*

Ingrediturque ſolo.] Muretus lib. 1. c. 18. hunc verſum ex iſto Callimachi de Cerere, verſum eſſe,

Ἴθματα μὲν χέρσῳ, κεφαλὰ δέ οἱ
ἅψατ' ὀλύμπῳ:

vel potius ex iis, quæ apud Hom. de

Eride

Illam Terra parens, ira irritata deorum,
Extremam, ut perhibent, Cœo Enceladoque ſororem
Progenuit; pedibus celerem, & pernicibus alis.

Eride dicuntur, Iliad. 4. quod & Turnebo lib. 29. c. 6. videbatur. Famæ autem magnitudinem oſtendit, cum attollit eam in auras: & verſari inter homines docet, cum ingredi eam ſolo facit: & quod multa ſecum ferret, quæ non ſtatim cernerentur, verane an falſa eſſent; intra nubila caput abſcondit: etenim cum oculis noſtris affuſa nubes eſt, veras cernere rerum ſpecies nequimus, &c. Videatur *Pontanus in Antonio:* ubi hunc locum contra intempeſtivos canis (*ita vocat Macrobium*) latratus l. 5. c. 14. acerrime defendit: parique calore *Scaliger* l. 5. c. 3. *Poëtices*, quæ ita finit: *Abſcondit* Maro *caput Famæ nubibus:* propterea, quod *Famæ caput:* id eſt, auctor rumorum, fere incertus eſt. Et dixit, *nubila*, non *cælum:* quia ad nubes uſque pervenire è terra clamor poteſt. *Taubm.*

178. *Terra parens.*] Generalis eſt rerum omnium parens Tellus. *Servius.*

Illam Terra parens.] Παμμήτωρ aliâs. Quod autem Poëta famam ſororem Cœi Enceladique, & Terræ filiam facit: nimirum paſſim Poëtæ γίγαντας γηγενεῖς dicunt & πηλογόνους. Cœum autem Terræ & Cæli filium, & Cœi Latonam filiam Heſiodus: cui λητὼ κοιογενεια & Apoll. 2. ἡ ὑπὸ τοῦ κοίου γεννηθεῖσα. *Germ.*

Ira irritata deorum.] Amphibolon eſt, utrum ira ſua propter extinctos gigantes: an ira deorum irritata, quæ extinxerat gigantes. Vel ideo *ira deorum*, quod in eam fulmina & grandines de cœlo cadunt. *Servius.*

Irritata.] Non levi quidem de cauſſa nimimis his quæſtiunculis cogimur inhærefcere, quoties quædam ſeſe offerunt, quæ præter rationem omnem turpiter fuerint negligentia poſteriorum contaminata, velut in hoc verbo *irito*, prava invaluit conſuetudo, ut geminato *rr* ab omnibus jam librariis ſcribatur. Volunt enim à litera, quæ de nare canina ſonat, *irrito* deductum. Quare perperam omnino legitur in nonnullis exemplaribus, *irritata*. Sed enim *irito* ab ira potius eſt, ut & *iraſcor:* & ita unico *r* ſcribendum. nam in iram ſtimulare ſignificat. *Irritum* vero, vel *inritum* pro non rato, vel *rr* geminato, ex Scauri ſententia, vel per *n* & *r*, veterum more ſcribi manifeſtum eſt. *Pierius.*

Terra parens, ira irritata.] Iræ deſcribendæ crebra *r* uſui ſunt, teſte Voſſ. l. 1. Inſtit. Poët. c. 8. *Emm.*

179. *Extremam.*] Aut poſt omnes gigantes, quæ ideo ad deorum ultionem nata eſt (nam per ipſam eorum crimina vulgata ſunt) aut certe *extremam*, peſſimam. Omnes enim, qui de medicina tractant, dicunt naturale eſſe, ut inutiliores ſint, qui naſcuntur ultimi. Famam ergo inducit ultam eſſe fratres, quia ipſa deorum delicta vulgavit. *Servius.*

Ut perhibent.] Quotieſcunque fabuloſum aliquid dicit, ſolet inferre, *Fama eſt.* Mire ergo modo cum de ipſa fama loqueretur, ait, *Ut perhibent.* Idem.

Cœo Enceladoque.] Iſti Gigantes fuerunt inter alios, qui Jovem ſuperpoſitis montibus regno cœleſti detrudere conati, fulminibus ſunt deleti, & bene elegit ex fratribus maximos, ex quibus exiſtimaretur. *Idem.*

180. *Pedibus celerem & pernicibus alis.*] Convertit rerum epitheta. Nam *pernix* pedum eſt: ut, *Pernicibus ignea plantis:* Celeritas pinnarum eſt: ut, *Celerique fuga ſub ſidera lapſæ.* Aut certe intentio deſcribentis eſt: ſupervacuum eſt enim alas habenti pedum pernicitas, aut ſic intelligit pedibus celerem, & alis velocibus. *Idem.*

Monſtrum horrendum, ingens: cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit auris.
Nocte volat cæli medio terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.

Luce

181. *Monſtrum.*] Bene vituperavit famam ex accidentibus perſonæ per parentes, alas & fratres, & * quod eam deſcribit, non eſt narratio, ſed argumentatio, quidni monſtrum, quæ hujus naturæ ſit, ut quot plumas, tot oculos, tot linguas, tot aures & cætera. *Servius.*

Monſtrum horrendum.] Scal. l. 4. c. 1. *Character*, inquit, *dictio eſt ſimilis ejus rei, cujus nota eſt, ſubſtantia, quantitate, qualitate.* Eſt in Fama ſubſtantia ſua, *Monſtrum:* eſt quantitas: *Ingens:* eſt qualitas *Horrendum.* Rei dictio ſimilis: namque in voce hac, *Monſtrum*, aſperitas eſt: in hac, *Ingens*, magnitudo: in hac *horrendum*, ſane horror. *Taubm.*

Quot ſunt corpore plumæ.] Non ipſius, ſed in omnium corporibus. Nam exaggeratio eſt: ac ſi diceret, *quot ſunt arenæ.* Servius.

182. *Oculi ſubter.*] Adverbium eſt: ac ſi diceret, non ſub plumis, ſed ſub ipſa: & mire *ſubter*, quaſi quæ non videatur, & omnia videt, & reliqua. *Idem.*

Subter.] In pleriſque codicibus antiquis legere eſt pro *ſubter*, *ſubſunt*, *Tot vigiles oculi ſubſunt.* Pierius.

Mirabile dictu.] Sic exclamavit Poëta, quaſi minus admirationis haberet ipſa deſcriptio. *Servius.*

183. *Tot linguæ.*] Infinitus eſt numerus. Nam re vera quot ſunt homines, in quibus eſt fama, tot ora habent, quot ſunt & hominum. *Idem.*

Totidem ora ſonant.] Aliud viſu, hoc eſt *ora*, aliud auditu, hoc eſt *ſonant.* Idem.

Ora.] Os de Fama. Tacitus 14. Annal. *Hæc in ore Famæ credentium otio agebantur.* Cerda.

Ora.] Nam revera, quot ſunt homines, in quibus *Fama* eſt, tot ora habet. Ita Ovid. 12. Met. Fab. 1. de eadem:

— *tota eſt ex ore* (ita Grut. non, *ære:*) *ſonanti:*
Tota fremit: voceſque refert: iteratque, quod audit:
Nocte dieque patet, &c.

Taubmannus.

Tot ſubrigit auris.] Sic *lumbos ſurgere* apud Plautum in Epid. in fine fabulæ, quod pro *ſubrigere* ut *ſurpere*, pro *ſurripere.* Vide Sciopp. l. 4. ſuſpect. lect. Epiſt. 17. *Emmeneſſ.*

184. *Nocte volat.*] Bene naturalem rem dixit. Denique quanto celatum eſt aliquid, tanto magis quæritur: & ſine dubio incipiens fama ſemper obſcura eſt: quæ divulgata conquieſcit. Unde ait, *Luce ſedet cuſtos.* Servius.

Cœli medio.] Abſolute, quia inter cœlum terramque medium eſt. *Idem.*

Terræque per umbram.] Noctem, umbram terræ eſſe nuſquam ſignificavit apertius. *Idem.*

185. *Stridens.*] Poteſt & ad oris ſonum, & ad volatum referri. *Idem.*

Stridens.] In Oblongo Vaticano codice ſane quam vetuſto, *ſtridet* habetur finitiva forma: quod minime diſplicet. Et *umbras* numero multitudinis in bona codicum veterum parte. *Pierius.*

Dulci declinat lumina ſ.] Qui eſt omnibus animalibus dulcis; & *ſomno*, utrum ablativo an dativo. Melius interpreteris, quaſi non ſuccumbit illi. *Servius.*

Lumina.] Nequaquam placet, quod in pleriſque codd. antiquis *limina* legitur, quum præſertim apud Catullum

und

Luce sedet custos aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbis;
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Hæc tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens, & pariter facta atque infecta canebat:
Venisse Ænean Trojano à sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur jungere Dido:
Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere
Regno-

ınde phrasis descripta, legere sit, *Fla-'rantia declinavit lumina.* Pierius.

186 *Luce sedet.*] Id est, per diem, ıut ut lux cœpit, & bene nocturna illi & diurna officia dat, ne dulci somno :apiatur. *Servius.*

Custos.] Speculatrix. Ne quid eam ›ræteriret, non quæ custodiat aut ser-›et. *Idem.*

Summi culmine tecti.] Per domos no-›ilium propter res pravas. *Idem.*

187. *Turribus aut altis.*] Per domos 'egum, propter respublicas. *Idem.*

Urbis.] Populos. Id est, plebejos. Et ostendere vult famæ linguis nemi-ıem exceptum,qui non exagitari possit. 'dem.

188. *Tenax.*] In omnibus perseve-ans: Tam enunciandis falsis rebus, ıuam in veris. *Idem.*

Tam ficti pravique tenax, quam nuntia ›eri.] *Facta* & *infecta* loquitur fama, ut ıoster & Stat. l. 3. Theb. Maronem re-pexit Sil. Ital. l. 6.

Vera ac ficta simul spargebat fama per urbem. Emın.

189. *Hæc tum.*] Vel fama talis, vel ıæc facta. *Servius.*

Multiplici.] Est hoc quod Statius 3. 'heb.

—— *Geminatque acceptos Fama pavores.*

.ucanus lib. 1.

Innumeras solvit falsa in præconia linguas.

ımmianus lib. 31. *Fama rumorum nu-ix.* De eadem Ovid. lib. 9. Met.

—— *è minimo sua per mendacia crescit.* & 12. —— *mensuraque ficti*
Crescit, & auditis aliquid novus adjicit auctor. Cerda.

Populos.] Utrum generaliter, an Tyrios & Trojanos tantum? *Servius.*

190. *Gaudens.*] Propter inventam materiam. Et quidam non temporale famæ epitheton *Gaudens*, esse volunt, sed generale, ut multiplici sermone gaudeat, quo tunc populos implebat. *Idem.*

Facta, atque infecta.] Sicut sequentia indicant. Et est quasi proverbiale, nam hoc est, *Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.* Idem.

Pariter atque.] Consecutio vocum ex vetere elegantia observata Godescalco. Ita Sallust. Jugurth. *vultu, colore, ac motu corporis pariter atque animo varius.* Martial. lib. 1.

Sus vitam pariter perdidit, atque dedit. Cerda.

191. *Venisse Ænean.*] Hæc facta sunt. *Servius.*

192. *Viro.*] Marito, ut, *Vir gregis ipse caper.* Idem.

Dignetur.] Libravit sermonem, quasi personæ superioris. *Idem.*

Dignetur jungere.] Ovid. l. 8. Metam. 326. *O felix, si quem dignabitur, inquit, Ista virum.* Emmeness.

193. *Hiemem inter se luxu, quam longa, fovere.*] Id est, nunc hiemem inter se fovere luxu, in quantum longa est ipsa hiems. Sic in VIII. *Tybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem Leniit.* Quam longa est ipsa nox. Veteres *fovere* pro diu incolere & inhabitare

Regnorum inmemores, turpique cupidine captos.
Hæc passim dea fœda virûm diffundit in ora.
Protenus ad regem cursus detorquet Iarban,

Incen-

bitare dixerunt, ut ipse alibi, *Fovet humum.* Serv.

Quam longa.] Id est, totam hiemem Genio indulgere. Ovidius:

Et vacuus somno noctem, quam longa, peregi.

Taubm.

194. *Regnorum inmemores.*] Hoc fingit. Nam & illi curæ est Carthago, & Æneæ Italia. An quia quod una patitur, duobus assignat. *Servius.*

Cupidine.] Veteres immoderatum amorem dicebant: Afranius Neraria: *Alius est amor, alius Cupido, amant sapientes, cupiunt cæteri.* Plautus cum distinctione posuit, *Cupidon' te conficit, anne amor?* Quod intelligitur vehementer illam amare vel impatienter. Ipse alibi initio Curcul. *Quo Venus Cupidoque imperat, suadet amor,* dicendo *imperat* violentiam ostendit, *suadet* addendo, moderationem significat. *Id.*

195. *Dea fœda.*] Crudelis, impia, quod alibi interpretatur, *Eadem impia fama furenti Detulit.* Idem.

Dea.] Famæ olim aræ, & templa. Pausanias in Atticis: *Est sua apud illos Pudori, Famæ, Alacritati ara.* iterum, aram illi dicatam scribit, una cum *Pudore, Misericordia, Impetu.* Plutarchus etiam de fortuna Romanorum illi templum assignat una cum omine. Statius 2. Theb.

Nec minus Ogygias eadem Dea turbida terras
Insilit.

Et 3. ejusdem operis:

Terga comasque Deæ Scythica pater increpat hasta.

Utrobique sermo est de Fama. Hesiod. lib. 2. ἔργ. καὶ ἡμέρ. de Fama loquens, θεός νύ τίς ἐστι καὶ αὐτή: *Dea & ipsa est.* Dio Chrysostomus orat. 37. Aristides in 2. Platonica. Demosthenes de falsa legat. & Æschines contra Timarchum, omnes θεὸν nominant, & omnes Hesiodum advocant. Postremus etiam in orat. contra Demosthenem ita scribit: καὶ τῇ μὲν φήμῃ δημοσίᾳ θύομεν, ὡς θεῷ· *ac Famæ quidem sacra publice facimus, ut Deæ.* Homerus sæpe ὄσσαν nominat, quæ vox signat divinum rumorem. Et Aristides orat. de non agendis Comœdiis κληδόνι dat βωμοὺς, *aras.* Cerda.

Diffundit.] In antiquis aliquot exemplaribus *diffudit* præterito tempore habetur. Sed longe magis placet præsenti. *Pierius.*

In ora.] Palam, ut antequam audiant loquantur, & proprie *ora.* Terentius, *In ore est omni populo.* Servius.

196. *Iarban.*] Filium Jovis Hammonis. Liber, vel ut alii dicunt, Hercules, cum Indos peteret, & per deserta Libyæ, hoc est, per Xerolibyam exercitum duceret, fatigatus siti, Jovis patris sui imploravit auxilium, cui ille arietem ostendit, quem secutus ille pervenit ad locum quendam, in quo aries terram pede suo scalpsit, è quo loco fons manavit. Unde factum est, ut Jovi Hammoni, ab harenis dicto lingua Libyca, templum cum simulacro cum cornibus arietinis constitueretur; quod ideo fingitur, quia satis ejus sunt involuta responsa. Aut quia Libyæ Isammone arietem appellant. * Alii hunc Hammonem in luco natum ubi sola ovis fuerat, à finitimis inventum dicunt, creditumque ex Iove & ove natum, appellatum *Hammonem* ab harena, quia ibi tale solum est. Alii inter Cyrenas atque Carthaginem locum tradunt fuisse, in quo pastores puerum arietinis cornibus insignem, in harena sedentem ac vaticinantem deprehenderunt. Hic sublatus tacebat, repositus loquebatur: mox cum à conspectu hominum subito recessisset, creditus est deus, unde Iovem ideo ibi colere cœperunt, nomine Hammonem, quod in harena fuerat visus. *Idem.*

197. *Ag.*

Inceditque animum dictis, atque aggerat iras.
Hic Hammone satus rapta Garamantide Nympha,
Templa Jovi centum, latis immania regnis,
Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem,
Excubias divûm æternas, pecudumque cruore
Pin-

197. *Aggerat iras.*] Super eas quas habebat ex contemptu. *Servius.*

198. *Hic Hammone satus.*] Virgilius hîc ostendit, Hiarbam conditorem templi Jovis Hammonis fuisse, quod apud Garamantas oraculo nobile erat, lucernamque ignis perpetui & inextincti habebat: quemadmodum & in Prytaneis Græciæ pervigil erat æternusque ignis. ut narrat Plutarch. in De defectu Oracul. item Turn. l. 2. c. 14. & l. 24. c. 26. *Taubm.*

Hammone satus.] Qui *Ammon* scribunt, ab *ἄμμος arena* originem deducunt. Qui aspirationem addunt, à *Cham* (unde *Ham*) derivant. De his Dausquius. De hoc Deo, ejusque templo, erudite disputat Vossius ad Melam l. 1. c. 8. ubi & nummos, hujus Dei figuram exhibentes, videas. *Emmeness.*

Rapta.] Stuprata, ut, *Rapti Ganymedis honores.* Et rapta raptoris mortem, vel nuptias optet. *Servius.*

Garamantide Nympha.] Et proprium potest esse, & gentile. Nam Garamantes sunt juxta Libyam. A Garamante filio Apollinis. *Idem.*

199. *Centum.*] Finitus numerus pro infinito. Sane in primo Æneidis, qui mos sit templorum constituendorum, relatum est, quæ aut tantum sacra sunt, aut ibi etiam respublica administrari auspicato potest. Hic ergo templa tantum sacra declarat, cum subjungit, *Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem, Excubias divûm æternas, pecudumque cruore*, quibus scilicet & sacratio ageretur, & nihil de publicis rebus actum aliqua narratione subjungit. Alii *templum* dicunt non solum quod potest claudi, verum etiam quod palis aut hastis, aut aliqua tali re & lineis aut loris, aut simili re septum est, quod & factum est. Amplius uno exitu in eo esse non oportet, cum ibi sis cubiturus auspicans. *Idem.*

200. *Aras posuit.*] Per præteritum perfectum intulit. *Idem.*

Centum aras.] Turn. l. 26. c. 5. notat apud Hom. Il. 2. *ἑκατὸν*, id est, *centum*, significare *multa*: ut & h. l. Virgilii. Pimpontius dubitat an per *Centum aras βωμοὺς ἑκατονταϰρήπιδας* innuat Poëta: quorum mentionem facit Iulianus ad Sarapionem: qua processum per denarium numerum ad *centenarium μυστηριώδη καὶ αἰνιγματώδη* docet. Utut sit, locus hic saltem admonebit, *centenarium* antiquis mysticum visum: neque hic pro indefinito accipiendum: ut nec Æn. l. 1. ℣. 420.

— centumque Sabæo
Ture calent aræ.

item Ovid. 6. Fast. in personâ Iunonis:

Centum celebramur in aris.

Taubmannus.

Sacraverat.] Per præteritum plusquam perfectum. At è contrario, *Multa vastabat cæde*, &, *Ardentesque avertit.* Alibi simile schema per tempora, *Ipse oratores ad me, &c. cum sceptro misit, mandat, &c.* &, *Mactat binas de more bidentes Vinaque fundebat pateris.* Servius.

Vigilem ignem.] Utrum ad quem vigiliæ agebantur, an perpetuum? *Idem.*

201. *Excubias divûm æternas.*] Diffinitio est æterni ignis. Quid est ignis pervigilis? excubiæ deorum. Quod significat sine intermissione fieri sacrificia, atque excubare per diem & noctem, ut dicimus, cotidie in officio esse. Non ergo apud quas dii excubant, sed quæ diis excubantur. Et sciendum non vacare ratione, ut in aliquibus templis sic

Pingue solum, & variis florentia limina sertis.
Isque amens animi, & rumore accensus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina divûm,
Multa Jovem manibus supplex orasse supinis:
Juppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens

sit ignis pervigil. Nam potestates aut terrenæ sunt, aut aëriæ: sed quia æther ignis est, ideo in ætheriarum potestatum templis ignis est, ut reddatur eis imago sui elementi. Est autem in templo Iovis, quia æther est Minervæ, quæ supra ætherem est. Unde patris de capite procreata esse dicitur. *Serv.*

Excubias.] Vetusta quædam exemplaria legunt *excubiasq. deum æternas.* Sed vulgata lectio magis adprobata. *Pier.*

202. *Variis florentia sertis.*] Aliis atque aliis, ac sic perpetuo tempore. *Servius.*

203. *Isque amens animi.*] Et amator & barbarus & amens animi, ut, *Sævit inops animi.* Sane *amens animi* nominativum pro genitivo posuit, num ergo amentis animi? *Idem.*

Amens animi.] Vide de hac structura Sanct. Min. p.318. *mentem animi* qui dictum veteribus contendit. ut apud Lucretium *mens animi vigilat.* sed *dolore* subaudiendum docent alii. tales hellenismos congessit Vechn. Hellenol. l.1. c.2. *Emm.*

Amaro.] Quod audierat sibi prælatum Æneam. *Amaro:* Aspero: ut, *Hostis amare quid increpitas?* Servius.

204. *Media inter numina divûm.*] Ac si diceret, & diis testibus: ut Salustius, *Quæ medius fidius vera licet mecum recognoscas.* Id est, sis dictis medius Fidius, id est, διὸς υἱὸς, Jovis filius, id est, Hercules. Medium dixit testem. Sane multi *Munera* legunt, hoc est, in media precatione deorum: & est invidiosius, si inter munera quæ ipse sacraverat. *Idem.*

Media inter numina.] Quasi dicat, diis testibus. *Donatus.*

205. *Manibus supinis.*] Juxta rationem; Nam inferos demissis ad terram manibus invocamus, ut Homerus inducit Alteam, matrem Meleagri, manibus in longum porrectis, ut ipse alibi, *Passis de litore palmis:* Cœlestes levatis ad cœlum, ut modo, & alibi: *Duplices tendens ad sidera palmas.* Servius.

Supplex orasse.] Hæc adlocutio conquestionem habet, *orasse* autem dixisse. Unde *oratores* dicti: nam *rogare* non procedit, quia conqueritur magis. *Id.*

Manibus orasse supinis.] Ovid. Metamor. 8. *Attoniti novitate pavent, manibusque supinis Concipiunt Baucisque preces timidusque Philæmon.* Omnino Græca illius Æschyli imitatione, sub persona Promethei: καὶ λιπαρήσω τὸν μέγα στυγούμενον γυναικομίμοις ὑπτιάσμασι χερῶν, λῦσαί με δεσμῶν τῶνδε; τοῦ παντὸς δέω. Horat. quoque: *cælo supinas si tuleris manus.* Contrariæ autem manus, χεῖρες καταπρηνεῖς· Hom. Od. ν. καὶ ὢ πεπλήγετο μηρὼ χερσὶ καταπρηνέσσι. *Germ.*

206. *Juppiter omnipotens.*] Epitheta quæ commemorationem potentiæ habent, interdum exprobrationis vim obtinent, ut hoc loco. *Servius.*

Juppiter omnipotens.] Si hæc vides, cur non punis? si non vides, non es dignus, ut colaris. *Donatus.*

Maurusia.] Maura, nam protentio est nunc. Cœlius, *Maurusii qui juxta Oceanum colant.* Servius.

Maurusia.] In antiquis codicibus, manuscriptis, passim legere est *Maurusia*, ut Græce scribitur per *u* vocalem quintam in pene ultima,

Μαυρούσιοι γὰρ μαῦροι ἔθνος μέγα Λιβύης.

In quibusdam *Maurisia.* Neque tamen mirandum *u* literam in *i* transisse, quum multa hujusmodi reperiamus, quæ per ætates immutata sunt. Sed enim & *Mau-*

Gens epulata toris Lenæum libat honorem,
Aſpicis hæc? an te, genitor, cum fulmina torques,
Nequicquam horremus? cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miſcent?

Femi-

& *Mauritania*, cujus nominis ſecunda ſyllaba à principio per ἰῶτα, tam apud Græcos, quam apud Latinos ſcribitur, olim per *e* pſilon notabatur, ut inſpicere eſt in Adriani Auguſti nummis *Mauretania*. Jam vero & *Jupiter* unico *p* in antiquis codicibus habetur. *Pierius*.

Maurusia gens.] Mauritania. Vitruvius lib. 8. cap. 2. *Maurusia, quam nostri Mauritaniam appellant.* Strabo lib. ultimo ſcribit, qui à Græcis *Mauruſii* appellantur, à Romanis & indigenis *Mauros* dici. Horum elogium vide apud Ælianum lib. 14. de Animalib. cap. 5. *Cerda.*

207. *Nunc epulata.*] Pro *epulans* participium, & bene dixit: Dum in epulis eſt. Quaſi celebrantibus ejus ſacra tanta injuria acciderit. Officia enim in deos, licet æternam habeant gratiam, & ſpectent tam præteritum quam futurum, tamen in præſenti plus valent. Semper autem propter hoſpitalitatem Jovi libabatur. Et bene conqueritur, quia humanas res ne tum quidem curat, cum ei ſacrificatur. *Servius.*

Lenæum.] Bacchicum. Nam Liber *Lenæus* dicitur, quia lacubus præeſt, id eſt, ἀπὸ τοῦ προεστάναι ληνοῖς. Nec poteſt dici *Lenæus* à mentis delinimento, cum ſit à Græco tractum. Ex calcatorio ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, hoc eſt, lacu. *Idem.*

Læn. hon.] Pro *vino*, ut Sil. Ital. l. 7. *Vestæ honorem*, id eſt, focum. *Emm.*

208. *Aſpicis hæc.*] Id eſt, talia. Et hoc ſentit, itane talia adſpicis, nec vindicas? *Servius.*

Aſpicis hæc? &c.] Eodem modo obteſtatur Jovem Juven. Sat. 13. vſ. 113

Audis Juppiter hæc, nec labra moves, cum mittere vocem
Debueras vel marmoreus vel aheneus? aut cur, &c.

Emmeneſſ.

An te, genitor.] In vetuſtis aliquot exemplaribus legere eſt, *an næ genitor:* ut, *Næ* intelligendo, apud Terentium. Verum in pleriſque *ne* abſque diphthongo notatum eſt. Utcunque vero, magis placet vulgata lectio, *An te, genitor, quum fulmina torques, Nequicquam horremus?* Pierius.

Fulmina torques.] Vel intorques, vel gubernas. *Servius.*

209. *Nequicquam horremus.*] Quia non judicio hæc facis. Quia non punis malos, & ſupervacua *Horremus.* Aut quia exiſtimamus ea non emitti manu tua. An *nequicquam* pro *non*? ut ſit, *Tu fulmina non torques.* Idem.

Nequicquam horremus.] Opinio erat ab Jove mitti fulmina; quod Epicurei negant: ad quorum ſententiam Maro reſpexit. quaſi non judicio id faciat Juppiter, aut quaſi ipſius manu non mittantur fulmina. Vide & Lucret. l. 6. & Turn. l. 24, 26. Lucanus l. 7.

Mentimur regnare Jovem, &c.
Taubmannus.

Cæcique ignes.] Non quia non videntur: ſed quorum origo non apparet. An quorum rationem ignorantes timemus. Alii enim de ventis dicunt fieri: alii de nubibus: alii de aëre fulmen: Juvenalis, *Non quaſi fortuito, nec ventorum rabie, ſed Iratus cadat in terras & vindicet ignis.* Servius.

In nubibus.] Ac ſi diceret, non ex te fiunt. Si enim errant, tuo non reguntur imperio. *Idem.*

210. *Terrificant animos, & inania murmura miſcent.*] Latenter ſecundum Epicureos locutus eſt. *Idem.*

Terrificant animos.] Ita Lucret. l. 1. & 4. *mentes terrificant.* ita l. 2. *terrificas criſtas* dixit. *Taubm.*

Inania murmura.] Tonitrua vi omni carentia. Ita Propert. l. 2. el. ult. negat

Femina, quæ nostris errans in finibus urbem
Exiguam pretio posuit, cui litus arandum,
Cuique loci leges dedimus, connubia nostra
Reppulit, ac dominum Ænean in regna recepit.
Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,

Mæonia

gat puellas —— *rationem quærere mundi*
Nec si consulto fulmina missa tonent.
Taubm.

211. *Femina.*] Invidia sexus contemptu inferioris, & jam incipit specialis conquestio. Est autem ordo, fœmina errans, quæ in nostris finibus urbem posuit. Et est exaggeratio: primum quod pretio, deinde exiguam, dein certis legibus. *Servius.*

Femina.] Quasi abjecti sexus: unde magis dolendum. Sic Terent. *Tu inquam mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas.* Donatus.

Errans.] Exul, peregrina, & sine urbe. *Idem.*

212. *Pretio.*] Ut ostendat eam nec meruisse per gratiam, nec invasisse virtute. Et si vendidit, quid conqueritur? Scilicet aut de fraude facta per corium, aut ex nuptiarum promissione. Aut *exiguam pretio,* pro *exigui pretii.* Serv.

Pretio.] Ita in 1. *Mercatique solum.* Sed Livius lib. 44. precium amovet, & preces ponit, nam de hac re loquens ita: *Advenis, quantum secto bovis tergo amplecti loci potuerint, tantum ad urbem communicandam precario datum.* Cerda.

Pretio.] Quasi quæ nec gratia meruerit, nec virtute invaserit. vide Floridum Succis. Lect. l. 1. c. 10. *Taubm.*

Litus.] Non ait agros, sed *litus,* terram mari vicinam, ut supra diximus. Modo etiam infertilem sibi, & angustam vult ostendere, hoc est, talem illi dedimus terram, quæ nulli esset necessaria, qua tamen contenta fuit. *Serv.*

Arandum.] Videtur illud attingere moris antiqui, quod cum conderetur nova civitas tauro & vacca, ita ut vacca esset interior, à magistratu muri designarentur. Nam ideo ad exaugurandas vel diruendas civitates aratrum adhibitum, ut eodem ritu, quo condita, subvertatur: Horatius, *Imprimetque muris hostile aratrum.* Idem.

213. *Loci leges dedimus.*] Aut quam tributariam fecimus: aut cui ideo civitatem concessimus, ut in nostrum veniret matrimonium, ut justa ira sit. *Idem.*

Connubia.] Hic *Nu* produxit, cum alibi corripuerit, ut, *Connubio jungam stabili.* Idem.

Connubia nostra.] A facto & persona facit comparationem. *Donatus.*

Nostra.] Pro *Mea*; nobilium est autem hic sermo. Sic Numanus, *En qui nostra sibi bello connubia poscunt.* Sallustius, *Nos in tanta doctissimorum hominum copia.* Servius.

Nostra.] Quasi dicat, tanti viri: & dolet, quod suum connubium reppulit, id est, se maritum: & accepit Æneam exulem, non maritum, sed dominum: quem deinde ab habitu vituperat. *Donatus.*

214. *Dominum.*] Ut superius, *Liceat Phrygio servire marito.* est autem de jure quasi per coëmptionem. Vel *dominum* maritum, ut alibi *dominam* uxorem, *Hi dominam ditis,* & est quasi vehemens accusatio, me maritum respuit, & Æneam non virum, sed dominum recepit. *Servius.*

215. *Et nunc.*] Dici hoc cum stomacho, jam idem Passeratius animadvertit, ut illud Propertii lib. 1. eleg. 21.
Et nunc inter eos tu sermo es.
Cerda.

Paris.] Similis Paridi: & injuria à persona. Probrosis enim nominibus veteres convicia dicebant, ut Sallustius, *Tyrannumque & Cinnam maxima voce appellans.* Bene autem *Paris,* quasi qui sustulit alii matrimonium pactum: sic Juve-

Mæonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur. nos munera templis
Quippe

Juvenalis, *Et calvo serviret Roma Neroni.* Servius.

Semiviro comitatu.] Ut, *O vere Phrygiæ*, neque enim *Phryges*, id est, effœminati: Et bene non solum regi, sed & sociis convicium facit. Sane quidam tradunt jure hoc in Frigas dictum, ab ipsis enim ferunt cœpisse stupra puerorum. *Idem.*

Semiviro.] Duos proferunt sexus, sed dimidiatos, ut neque viri neque fœminæ sint: qua conjectura probet infames esse. *Donatus.*

Paris cum semiviro comitatu.] Ἡμιτελὴς ἀνὴρ, εὔνουχος. Alex. Aphr. ἡμίανδρος, ἡμίγυνος. Ut autem *rapto potitur*, in similem sententiam Tib.

Omnia persolvi, fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.

Germanus.

216. *Mæonia mitra.*] Lydia: nam utebantur & Phryges & Lydii. *Servius.*

Mitra.] Hoc est, incurvo pileo: de quo pendebat etiam baccharum tegimen. Sane quibus effœminatio crimini dabatur, etiam *mitra* eis adscribebatur: multa enim lectio *mitras* proprie meretricum esse docet. Ergo ex habitus qualitate mutuatur invidiam, eum enim non jam effœminatum, velut meretricem appellat, quod est inimici non mulieris tantum, sed etiam meretricem vocare, cum, sicut supradictum est, alios insectetur dicens: *O vere Frygiæ*, neque enim Fryges. *Idem.*

Mitra.] *Mitra* incurvus est pileus, auctore Servio, de quo pendebat & buccarum tegmen. Solæ autem mulieres Lydiorum & Trojanorum gerebant, viris probrosam: sed & multo magis, cum redimiculum habebat, ut 9. Æn.

Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.

Turn. l. 29. c. 25. *Molliusculi* θηλυμίτραι, & μιτρηφόροι Græcis. Propert. l. 3. el. 15.

Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Lævis odorato cervix manabit olivo.

Ita & hic *crinem* dixit *madentem*, id est, unguentatum: ut supra, ℣. 147.

—— *mollique fluentem*
Fronde premit crinem.

Taubm.

Mæonia mentum mitra crinemq;, &c.] De hoc pileo Phrygio, quo utebantur mulieres, & quidem sæpe inhonestæ Juvenal. Sat. 3. ℣. 66. ubi poëta in peregrinos mores invehitur:

Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.

Adeundus Salmasius Plin. exerc. p. 556. ubi multa erudite de *mitra* & legendum censet versu seq. *Subnexus* pro *subnixus* auctoritate veteris auctoris apud Athenæum, cujus hæc sunt; τοὺς πώγωνας ὑποδεδεμένοι, *barbam & mentum subnexi.* Emmeneſſ.

Crinemque madentem subnixus.] Crinem unguentatum, subnixum & subligatum habens. Aut *subnixus*, fiducia elatus. *Servius.*

217. *Rapto potitur.*] Stupro fruitur. Nam proprie *raptus* est inlicitus coitus. Nec enim hic rapuerat. *Idem.*

Rapto potitur.] Didone rapta. MSS. leg. *raptu*. *Raptum* vel *raptio*, est violenta injuriæ perpetratio. *Raptus* est stuprum ipsum: illud caussæ, hoc effectus, auctore Fabricio. Sed & Servius *Raptum* hic interpretatur illicitum coitum; neque enim rapuerat Didonem. *Taubmannus.*

Potitur.] Ita 8. Æn.

—— *auro vi potitur.*

Ovidius, *poteremur*, pro, *potiremur*. Idem.

Nos munera.] Quasi dicat, incassum sacrificamus, cum non tuis cultoribus, sed alienigenis prodes. *Donatus.*

Nos munera, &c.] Exprobrat Jovi, quod olim Jovi apud Platonem 2. Alcib. cum sibi nihil æquiorem esse, licet plurimas ei immolaret victimas. Ita Juvenal.

Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.
Talibus orantem dictis, arasque tenentem
Audiit omnipotens, oculosque ad mœnia torsit
Regia, & oblitos famæ melioris amantis.
Tum sic Mercurium adloquitur, ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros, & labere pennis:

Dar-

Juvenal. Sat. 13. vs.

—— *Aut cur*
In carbone tuo charta pia tura soluta
Ponimus, & sectum vituli jecur, albaque porci
Omenta? Emmeness.

218. *Templis quippe tuis.*] Ac si diceret, Non mirum si hæc patimur te colentes. Sic supra ad irrisionem dictum, *Iuppiter omnipotens:* ac si diceret, tu es qui potes omnia. *Servius.*

Fovemus inanem.] Aut quia frustra te credimus mundi esse rectorem: aut quia me tuum filium esse confido. *Fovemus* autem auxiliamur, quasi rem per se infirmam. *Idem.*

219. *Orantem.*] Pernoctantem non precantem, ut supra dictum est, *Talibus orabat Juno.* Idem.

Arasque tenentem.] Veteres *asas* dicebant, postea immutata litera *s* in *r*, *aras* dixerunt, sicut *Valesios* Valerios, *Fusios* Furios: Quod Varro libro quinto Rerum divinarum ap. Macrob. sat. 3. 2. plenius narrat. Necesse enim erat à sacrificantibus teneri, quod si non fieret, diis sacrificatio grata non esset, quod plenius intelligi voluit gratum hoc esse numinibus, subjungendo, *Arasque tenentem Audiit omnipotens.* Idem.

Arasque tenentem.] Dictum hoc de sanctissima obsecratione & obtestatione: ut & in jurejurando religiosissimo aras tangebant. Æn. 12.

Tango aras mediosque ignes, & numina testor.

Cicero pro Flacco: *Is si aram tenens juraret, crederet nemo:* Turn. l. 26. c. 5. Nam & *Ara* prius *asa*, deinde *ansa* dicebatur, quod à sacrificantibus eas teneri oporteret. Vide Macrob. l. 3. c. 2. Saturnal. *Taubm.*

220. *Audiit omnipotens.*] Benignus Juppiter, etsi injuriis lacessitus, amantis tamen miseretur; auditque non quidem fatuæ illius orationem, sed ipsum nimio amore fatue orantem. *Idem.*

Oculosque ad mœnia torsit.] Ut inde pellat Æneam: nec videatur esse contrarium, quia turbantur omnia Jove in Africa respiciente: Nam utrumque à turpi liberat fama. *Servius.*

221. *Oblitos famæ melioris amantis.*] *Oblitos* & eos dicimus qui aliquid negligunt, vel quibus aliquod excidit, ut hoc loco, & id quod de memoria excidit. Sed figurate, ut, *Nunc oblita mihi tot carmina.* Idem.

Famæ melioris.] Hoc est, *Neque enim specie famave movetur.* Idem.

222. *Tum.*] In antiquis aliquot *tum* habetur. in aliis *tunc.* Pierius.

Mercurium.] Hunc mittit nuntium. nam Mercurius præses sermonis. Apto huc verba Arnobii, lib. 3. *Mercurius quasi quidam Medicurrius dictus est, & quod inter loquentes duos media currat, & reciprocetur oratio, nominis hujus concinnata est qualitas.* Cerda.

223. *Vade age, nate.*] Singulis verbis & jubentis, ut *vade*, & hortantis ut, *age*, & blandientis, ut *nate*, expressit adfectum. *Servius.*

Voca Zephyros.] Aut quibus Æneas naviget: unde est, *Nec Zephyros audis spirare secundos.* aut quia vehebant Mercurium: ut, *Ventosque secabat.* Item, *Rapido pariter cum flamine portant.* Idem.

Voca Zephyros.] Qui vehant te Mercurium. Scalig. l. 5. c. 3. *Taubm.*

224. *Dar-*

Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Exſpectat, fatiſque datas non reſpicit urbis,
Adloquere, & celeris defer mea dicta per auras
Non illum nobis genetrix pulcherrima talem
Promiſit, Graiûmque ideo bis vindicat armis:
Sed fore, qui gravidam imperiis, belloque frementem
Italiam

224. *Dardaniumque ducem.*] Ordo eſt, Dardaniumque ducem adloquere. *Servius.*

Tyria Carthagine.] Quaſi homini iratus, civitati epitheton patrium dedit. *Carthagine* autem pro *Carthagini*: & pro adverbio in loco, de loco poſuit: ſic Horatius, *Romæ Tybur amem, ventoſus Tybure Romam,* pro *Tyburi.* Idem.

225. *Exſpectat.*] Moratur, deterit tempus. *Idem.*

Non reſpicit urbis.] Non cogitat, cum illum neceſſe ſit ad Italiam navigare. *Idem.*

Reſpicit.] In Oblongo codice, & in Mediceo, *perſpicit.* In aliquot aliis *proſpicit* habetur: ſed eodem ſenſu *reſpicit* paulo infra repetitum eo verſu, *Nec prolem Auſoniam & Lavinia reſpicit arva.* Cujus loci teſtimonio plerique in liminari pagina, libro primo, *Lavinia venit Litora*, legendum arbitrati ſunt, quaſi utrunque nomen ex commodo ſuo formare Poëtæ non licuerit. *Pierius.*

226. *Celeris.*] Pro *celer*, vel *celeriter.* Servius.

227. *Non illum nobis.*] Κατὰ τὸ σιωπώμενον non intelligimus. *Idem.*

Pulcherrima.] Epitheton perpetuum, nec ad præſens negotium pertinens. *Idem.*

Genetrix pulcherrima.] In pervetuſto codice *genetrix pulcerrima.* Ac de *pulcro* quidem ſatis diſputatum, ita etiam de *genetrice*, cujus nominis ſecundam ſyllabam per *e* ſcribi debere, antiqua marmora, nummi, & Grammatici veteres monent. *Pierius.*

228. *Graiûmque ideo bis vindicat armis.*] Alii dicunt bis, ſemel à Diomedis ſingulari certamine: in quo à Diomede percuſſus eſt ſaxo. Juvenalis, *Vel quo Tydides percuſſit pondere coxam Æneæ.* Iterum in excidio: alii dicunt ſicut legimus, *Deſcendo ac ducente deo*, &, *Hoc erat alma parens.* Alii dicunt propter Diomedis & Achillis certamina ſingularia contra Æneam. Sed quando cum Achille dimicavit, à Neptuno liberatus eſt. Quando cum Diomede, à Venere; poteſt tamen quod pro Venere fit, à Venere factum videri. Sic enim Juno imputat Veneri, quod pro ea factum eſt, dicens: *Potes in totidem claſſes convertere Nymphas.* Poteſt etiam & aliter eſſe ſenſus. Nam Troja antea ab Hercule, qui & ipſe Græcus fuit, capta eſt: ut intelligamus jam tunc Æneam natum fuiſſe. Nec enim multum temporis fuit: cum conſtet Priamo tunc ab Hercule imperium traditum. *Servius.*

Vindicat.] Pro *vindicavit*, & quædam ideo præterita præſenti tempore ponuntur, ad majorem ſignificationem figurandam, ut, *Vel qualis equos Threïſſa fatigat*, I. Georg. *Cœumque Iapetumque creat*, ut è contrario præteritum tempus ad exprimendam celeritatem, ut, *Sursus incluſerat auro*, &, *Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos* & *vindicat*, eripit, ut, *Qui in libertatem vindicat*, id eſt, eripit ſervituti. *Idem.*

Vindicat.] In Longobardico codice *vendicat* per *e* legitur. Sed *vindex* & multa alia, per *i* ſcribi debere indicant. *Pierius.*

229. *Gravidam imperiis.*] Quaſi parituram imperia, vel unde multi imperatores poſſunt creari: ut, *Hinc populum late regem.* Ideo autem *gravida* ablativo jungitur: quia etiam *gravis il-*

Italiam regeret, genus alto à sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec super ipse sua molitur laude laborem;
Ascanione pater Romanas invidet arces?

Quid

la re dicimus. Unde est hujus origo sermonis. Sic Plautus in Amphitryone: *Uxor tua non puero, sed peste gravis est.* Alii hunc ordinem volunt, sed fore qui Italiam gravidam bello frementem imperiis regeret. *Servius.*

Gravidam imperiis.] Pro, gravidam Imperatoribus, quæ loquutio non infrequens. Sic ex observatione Passeratii in Propertium, dicuntur *hospitium, servitium, conjugium, exilium, regnum,* pro hospite, servo, conjuge, exule, rege. Adjungo Senecam in Oedip. qui *exsequias* dixit, pro his, qui exsequias peragunt. Nam in peste ita ait:

Quin luctu in ipso luctus exoritur novus,
Suæque circa funus exsequiæ cadunt.

Ita ergo *imperium*, pro imperatore. Italorum porro laudes bellicas habes lib. 2. Georg. ab illo loco:

Hæc genus acre virûm, Marsos, pubemque Sabellam, &c.

Ubi nos multa. Quæ ibi dicta sunt, illustrari possunt, etiam perlustrata elegia 22. Propertii, quam habet lib. 3. *Cerda.*

Imperiis gravidam.] Nostrum imitatur Ausonius Epigr 4. de Danubio: *imperiis gravidas qua secu Pannonias.* quia genuerant multos imperatores. *Emmeness.*

Belloque frementem.] Exceptis temporibus quibus à Latino regebatur: ut, *Longa populos in pace regebat.* Nam aliis bellicosa fuit Italia. *Servius.*

230. *Alto.*] Illustri, nobili. *Idem.*

Alto à sanguine.] In codicibus plerisque veteribus absque *a* præpositione scriptum est, *genus alto sanguine*, venustate haud quaquam pari. *Pierius.*

231. *Proderet.*] Modo protenderet, & propagaret. *Propago* autem si genus significet, *pro* brevis est: ut, *sit Romana potens Itala virtute propago.* Si de arbore dicas, *pro* longa est: ut, *Flexos propaginis arcus, Exspectent. Prodere* sane significat & occulta detegere, unde *proditores* dicti, & decipere vel perdere: ut, *Unius ob iram Prodimur*; & est in infinitum hæc glossula polysemos. Plautus, *Nam, illud quod dat perdit, & illi prodit vitam ad miseriam*, cum de paupere loqueretur. *Servius.*

Totum sub leges mitteret orbem.] Petronius:

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrumque.

Hinc illi passim sermones: *Romanos Orbis dominos. Solem utrunque in eorum imperio currere.* Etsi a. Roma non omnem orbem sub imperio suo habuit: tamen quicquid OPPORTUNUM aut DIGNUM vinci videbatur vicit: cætera judicio reliquit, & contempsit. Sane flos Asiæ, Africæ & Europæ in hoc Imperio fuit. Vide Lipsium. *Taubm.*

233. *Super sua laude.*] Id est, pro sua laude: & Græcum est schema. sic enim Demosthenes, ὑπὲρ τοῦ στεφάνου, id est, *pro corona. Servius.*

Molitur.] Præparat, exercet. *Idem.*

Molitur laude.] Pro sua laude nititur. Scal. lib. 4. cap. 16. Repetuntur hæc vers. 272. *Taubm.*

234. *Ascanione.*] Propter illud quod frequenter diximus, ipsi imperium deberi. Ideo autem hoc adserit Poëta, ut laudando Iülum, Cæsarem laudet: quod ab eo originem ducit: ut, *Julius à magno demissum nomen Iülo.* Servius.

Ascanione pater.] Utraque vox emphasin habet. Hæc autem in gratiam Julii Cæsaris dicuntur, qui ab Iulo originem

Quid ſtruit; aut qua ſpe inimica in gente moratur?
Nec prolem Auſoniam, & Lavinia reſpicit arva?
Naviget. hæc ſumma eſt: hic noſtri nuntius eſto.
Dixerat. ille patris magni parere parabat
Imperio: & primum pedibus talaria nectit
Aurea:

ginem traxiſſe gloriari ſolebat. Vide Turn. lib. 10. cap. 7. *Taubm.*

Romanas invidet arces.] Honeſtior elocutio eſt, ſi addamus quam rem invidemus, ut, *Liber pampineas invidit collibus umbras.* Servius.

235. *Inimica in gente.*] Præoccupat quaſi præſcius, nam nondum inimica eſt. *Idem.*

236. *Nec prolem Auſoniam.*] Ut in ſexto, *Nunc age Dardaniam prolem quæ deinde ſequetur Gloria.* Vel quia de Lavinia Silvium habuit. *Idem.*

237. *Hæc ſumma eſt.*] Id eſt, mei præcepti collectio. Hoc eſt totum propter quod mitteris, ut, *In ſumma, non Maurus erat, nec Sarmata, nec Thrax.* Idem.

Summa eſt.] Sic Sil. Ital. l. 1. *Mandati ſumma eſt* Subaudit Sanct. Min. p. 334. *ratio.* Emmeneſſ.

Hic noſtri nuntius.] Pro *talis*, *Manibuſque meis Mezentius hic eſt*, &, *Hunc ego te Euryale aſpicio*, pro *talem.* Servius.

238. *Parere parabat.*] Non reſpondit quaſi numen inferius; ſed dictis obtemperat. Ut, *Paret amor dictis caræ genetricis.* Servius.

Parere parabat Imperio.] Non reſpondit Mercurius, quaſi numen inferius: ſed dictis ſtatim obtemperat. Melius autem, *parabat*, quam *paret*: apparatum namque profectionis oſtendit in ipſa talarium adaptatione. *Scal.* l. 5. c. 16. & 3. Hunc autem locum ſumpſit ex Odyſſ. 5. & Iliad. 24. & imitatus etiam eſt Stat. 1. Theb.

Summa pedum propere plantaribus illigat alis,
Obnubitque comas, & temperat aſtra galero.
Tum dextræ virgam inſeruit, qua pellere dulces
Aut ſuadere iterum ſomnos: qua nigra ſubire
Tartara, & exſangues animare adſueverat umbras.

Maro *galerum* omiſit. *Taubm.*

239. *Talaria nectit.*] Mercurius ideo dicitur habere pennas, quia citius ab omnibus planetis in ortum ſuum recurrit. Unde & velox & errans inducitur: ut, *Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.* Servius.

Talaria.] Sunt hæc calceamenta alata Mercurii. πέδιλα Græcis, quod pedibus necterentur, Latinis *talaria*, quod talis. Val. Flacc. lib. 1. nominat, *plantaria*, cum ait, —— *Aërii plantaria vellet Perſeos.* —— Papin. *Alas plantares.* inde eſt, ut apud Athen. lib. 7. Mercurii πτερὰ *alas*, de Talaribus accipiam. Ubi enim inſaniſſimas quorundam opiniones ponit, qui ſe Deos putabant, de quopiam ſic ſcribit: ἄλλος δέ τις, ὡς Ἑρμῆς, χλαμύδα ἔχων, κηρύκειον, πρὸς δὲ τούτοις πτερά; *Alius quiſpiam Mercurium* (ſe faciebat) *habens chlamydem, caduceum, alas inſuper.* Sicut & Artemidorum lib. 2. qui hunc Deum vocat πτηνὸν, & Dionem Chryſoſt. qui orat. 32. πετόμενον. Quia de alis pedum frequentior mentio. Fulgentius: *Pennata talaria habet, quod negotiantium pedes ubique pergendo quaſi pennati ſunt.* Vides, ut una cum talaribus *pedes* conjungat: quia talaria erant in pedibus. Orpheus in hymno illum vocat πτηνοπέδιλον. Ov. 1. M. ſignate:

Parva mora eſt: alas pedibus, virgamque potentem
Somniferam ſumpſiſſe manu.

Et 5. Faſt. *alato pede.* ait enim:

Pacis & armorum, ſuperis imiſque Deorum,
Arbiter, alato qui pede carpis iter.

Aurea: quæ ſublimem alis, ſive æquora ſupra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit. hac animas ille evocat Orco

Pal-

eundem *Alipedem* vocat: *Alipedis de ſtirpe Dei*, & Virgilius hîc, *pedibus talaria nectit*. Minucius clare: *pedibus Mercurius alatis, Pan ungulatis, Saturnus compeditis*. Et Philo de Legat. πέδιλα Ἑρμῆς ὑποδεῖται πλερῶν ταρσὰς ἔχοντα: *Mercurii pedibus alata ſubligantur talaria*. Cerda.

Talaria.] Unde πτερόπους & ἀρβυλόπτερος dicitur. *Talaria* ſunt calei aligeri ſive pinnati. Mercurius Catullo *pennipes* dicitur: Auſonio *volucripes*. Etiam Cic. ad Attic. l. 14. *Talaria induere*, dixit, pro fugam adornare, & q. avolare velle. Porro hunc Mercurii habitum ad Eloquentiæ vim naturamque referunt. *Taubmannus.*

Talaria nectit.] Proverb. *Talaria nectere.* Homer. Odyſſ. ε. ποσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα ἀμβρόσια χρύσεια. *Hart.*

240. *Aurea.*] Ex decoro Dei. Homerus quoque Mercurio dat χρύσεια πέδιλα, *aurea talaria*. Apul. lib. 10. Aſ. *aureas pinnulas*. Martialis, *auream virgam*, cum aït,

Aurea cui torto virga dracone nitet.

ſicut & Horat.

—— *virgaque levem coërces*
Aurea turbam.

Ab eadem virga aurea Homerus hunc Deum vocat χρυσόῤῥαπιν. & Homeri imitator Pindarus Od. 4. Pyth. Ἑρμῆς χρυσόῤῥαπις. *Cerda.*

241. *Rapido.*] Celeritate pari ventis. ita mox: *Illa fretus agit ventos*: nam ſi non adſint venti, quomodo cum Homero ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο? Iccirco, *Vade. voca Zephyros*. Scal. l. 5. c. 3. *Taubm.*

Rapido pariter cum flamine.] Lib. 3. Miſcell. cap. 41. *Brodæus.*

242. *Tum virgam capit.*] Id eſt, caduceum: quod primo Apollo habuit, & donavit Mercurio accepta ab eodem lyra ſibi tradita. Sic Horatius, *Fraternaque humero lyra.* Hujus autem virgæ hæc eſt ratio, Mercurius & orationis deus dicitur, & interpres deorum. Unde virga ſerpentes divîdit, id eſt, venena. Nam ſerpentes ideo introrſum ſpectantia capita habent, ut ſignificent inter ſe legatos colloqui & convenire debere, quia bellantes interpretum oratione ſedantur. Unde ſecundum Livium legati pacis, *caduceatores* dicuntur. Sicut enim per feciales à fœdere bella indicebantur, ita pax per caduceatores fiebat. Quibus caduceis duo mala adduntur, unum Solis, aliud Lunæ. Sane in ipſis ſerpentibus hæc opinio eſt, Mercurius hæc tam fera animalia concordat, nos quoque concordare debere certum eſt. ἑρμῆς autem Græce dicitur, ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας. Latine *interpres*. Sane caduceum poſtea inventum dicitur, *virga* vero inſigne poteſtatis eſt, nam ideo ea & magiſtratus utuntur, dicta *quod vi regat*, hac & vates plerunque utuntur, unde & Circe videtur homines mutaſſe, ut, *Aurea percuſſum virga*. Et hodieque tam athletarum, quam gladiatorum certamina virga dirimuntur, & præfecti gentium Maurarum cum fiunt, virgam accipiunt & geſtant. *Serv.*

Virgam.] Caduceum ſeu caruceum: (κηρυκεῖον) quod primum Apollo habuit, & pro lyra Mercurio tradidit. Horatius 1. Od. 21.

Inſignem fraterna humerum lyra.

Taubmannus.

Virgam capit.] Qua hic nuntius vel διάκτορος, qui & Homero υἱὸς Διὸς, utitur in mulcendis & regendis animis, quare Stat. l. 5. Silv. hanc *virgam* appellat *interpretem*. qua *ducit & reducit* animas, & cum noſtro Petron. in Satyr. de qua ſic Stat. l. 1. Theb.

Tum dextræ virgam inſeruit, qua pellere dulces,
Aut ſuadere iterum ſomnos, qua nigra ſubire
Tartara, & exſangues animas aſſueverat umbras.

Hanc

Pallentis, alias sub tristia Tartara mittit;
Dat somnos adimitque, & lumina morte resignat.

Illa

Hanc Ovid. l. 1. Met. ℣s. 671. *virgam somniferam* vocat. Vide Fab. Argi. *Emmeness.*

Animas.] Pro umbris: secundum poëticum morem. Animæ enim in cœlo sunt: ut, *Visa dehinc cœlo facies delapsa parentis.* Hujus autem rei ratio alterius est scientiæ. *Servius.*

Ille evocat.] In Longobardico quidem exemplari *vocat* esse videtur: sed si accuratius inspicias, *ille'vocat* more Græco per apostrophen scriptum deprendes. Utebantur vero Latini veteres hujusmodi scribendi modo, quem adhuc in veterum monumentis inspicimus: ut apud Marium Maffeum præsulem Aquinatem, *si quicquam humanitus in te'st.* & inferius, *quoius laudari mores & forma probata'st.* Missa vero facio ea innumera, quæ apud Plautum & Lucretium in hunc usque diem perseverant in manibus hominum: nempe quia eruditioris sæculi tempore in lucem rediere. Non temere autem scriptum invenias apud Velium Longum, ubi de synalæphe loquitur (Sit enim hoc testimonium Latinos eo genere scriptionis usos) Quum dicimus, *Hic ill'est*, unum *e* scribimus, & duo audimus, quod apparet in metro. *Pierius.*

Evocat.] Signate, nam hoc verbum magiæ est, & δύναμιν quandam, atque imperium signat. Inde Magis tribuitur. Medea apud Senecam:

Secreta nudo nemora lustravi pede,
Et evocavi nubibus siccis aquas.

De Mercurio autem Prudentius in Symmachum,

—— *Thessalicæ doctissimus ille magiæ.*

Cerda.

243. *Tristia tartara.*] In veteribus aliquot codicibus, *sub tartara tristia* legitur, mutatis loco dictionibus. Sed *tristia tartara* omnino vocalius sonat. *Pierius.*

244. *Lumina morte resignat.*] Claudit, perturbat. Et est aliud, quod Physici dicunt, pupillas, quas in oculis videmus, morituros ante triduum non habere: quibus non visis, est summa desperatio. Hoc ergo dicit: *Resignat*, hoc est, aufert signa luminibus. Id est, signorum, quibus quæque noscuntur, intellectum tollit. Cicero *resignare*, pro auferre, in Orat. pro Archia ait, *Quandiu incolumis post damnationis calamitatem, omnem tabularum fidem resignasset.* Hoc est, abstulisset. Alii tradunt *resignare* vetuste ita dictum, ut nos *adsignare* dicimus pro damno, ut est apud Catonem in Lucium Furium, *De aqua quod attinet ad salinatores ærarios, cui cura vectigalium resignat*, & Idem in oratione, *Ne spolia figerentur nisi de hoste capta, sed tum ubi ii dimissi sunt, revertantur resignatis vectigalibus.* Servius.

Lumina morte resignat.] Id est, aperit. Dictumque ex Rom. consuetudine, qua mortuis in rogo oculi aperiebantur, qui ante domi clausi fuissent. Plin. lib. 11. c. 37. *Morientibus oculos operire, rursusque in rogo patefacere, Quiritium magno ritu sacrum est: ita more condito, ut neque ab homine supremum eos spectari fas sit; & cælo non ostendi, nefas.* Id igitur à Marone ita dictum est, ut quia dicitur Mercurius ψυχοπομπὸς, id est, *manium ductor*, videatur ipse in pira mortuis oculos à nobis clausos aperire. Servius nobilis Grammaticus, hic lapsus est. *Hæc Turn. lib. 24. c. 26. & lib. 26. c. 5.* Contra Jos. Castalio Observat. Dec. 4, 4. Turnebi etiam opinionem explodit: &, *resignare lumina morte*, ait esse, oculos morte occludere: adimere oculorum usum, & necare. quo fere modo usus sit Cicero pro Archia: *Cum, quamdiu incolumis fuit levitas Gabinii, post damnationem calamitas, omnem tabularum fidem resignasset*, id est, sustulisset, abrogasset. ut, *lumina morte resignat*, idem sit, quod illud, *sub tristia tartara mittit.* Alludit istud Æn. 12.

-- *in æternam clauduntur lumina noctem.*

Censet

Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila: jamque volans apicem & latera ardua cernit
Atlantis duri, cælum qui vertice fulcit;

Atlan-

Censet autem similitudinem ductam esse ab iis rebus, quæ quamdiu consignatæ sunt, satis salvæ videntur; secus, si resignentur: Turnebum autem itemque Achill. Statium falli, qui à more obsignandi & resignandi literas hoc sumptum tradiderint. Sane cum Castalione fecit & Servius Danielis, qui ita: *Lumina m. resignat*, id est, perturbat, claudit: aufert signa luminibus, id est, signorum, quibus quæque noscuntur, intellectum tollit. Et allegat illud ipsum Ciceronis pro Archia. *Taubm.*

245. *Agit ventos.*] Non vocat aut transit, nam sequitur, *Et turbida tranat*, an ergo ducit atque moderatur, ut, *Mulcentem tigris & agentem*, unde & pædagogos dicimus: an excludit ac pellit, ut, *Ac membris agit atra venena:* An sequitur, ut, *Palantes Troas agebat?* An ante se agit, ne reflectant, ut, *equos agit*, quia illis defertur? nam dixit, *Rapido pariter eum flamine portant.* An *agit*, in actu est: Salustius: *Inter certamina donationis aut libertatis agit.* Servius.

Tranat.] Transvolat: ut, *Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen.* Id.

Turbida tranat.] Tametsi vetusti aliquot codices, *transnat* scriptum habeant, adeo tamen asperum id mihi videtur, ut recipiendum nunquam censuerim. *Pierius.*

246. *Apicem & latera.*] Bene ei, quæ sunt hominis, dat. Nam & humeros, barbam, mentum, senem dicit. Hic autem Atlas rex fuit, qui habuit, sicut quidam volunt, juxta Æthiopas pomarium, in quo mala aurea nascebantur, quæ Hesperides & insomnis Draco custodiebant. hic cum audisset à Themide, antiquissima dearum vate, cavendum esse à Jovis filio, qui ea poma quandoque sublaturus esset, & timorem nullum susciperet, audito quod Perseus Jovis esset filius, suscipere eum hospitio noluit, à quo in montem conversus est, viso Gorgonis capite. Ut autem in primo diximus, peritus astrologiæ fuit. Nam & siderum cursum deprehendisse dicitur, & Herculem docuisse. Sane Latine *Atlas Telamon* dicitur, sicut *Nilus Melo.* Servius.

247. *Atlantis.*] Ætheris & Diei filius, cui pœnæ gratia cœlum impositum dicitur, quod, ut quidam volunt, cum Titanibus steterit. *Idem.*

Duri.] Laboriosi, & merito qui cœlum sustinet, unde ait *fulcit*, hoc est, sustinet, propter altitudinem, nam *altus* est nimis. *Idem.*

Latera Atlantis.] Scal. lib. 3. cap. 3. Lepidissime divinus Poëta, cum haud ignoraret *Atlantem* esse montem altissimum: ejusdemque nominis virum, qui ibi regnarit: utrumque simul descripsit in uno: ita, ut dum montem depingit, apponat humani corporis appellationes quasdam quibusdam partibus attributas. nam *latera ardua* communi significato vel de viro, vel de monte dicere licuit: sicut & *verticem*, atque etiam *caput*, quanquam duriuscule. At ubi ait;

Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
Præcipitant. &,
——*glacie riget horrida barba:*

ea vocabula nominavit, quæ hominis interessent: itaque audacter etiam *Senem* appellare potuerit: ita Ov. l. 4. Met.

Quantus erat, mons factus Atlas? nam barba comæque
In silvas abeunt: juga sunt humerique manusque.
Quod caput ante fuit, summo est in monte cacumen,
Ossa lapis fiunt, tum partes altus in omnes
Crevit in immensum.

Quæritur hîc etiam, cur Mercurius dispendio viæ sit usus, cum per compendium ad Æneam potuerit venire Carthagi-

thagi-

Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput & vento pulsatur & imbri:
Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.

Hic

thaginem. Turn. l.25.c.6. ideo factum credit: &, quod Atlas avus ejus fuerit: &, quod diis de cælo descendentibus scalas etiam quasdam, ne præcipites caderent, fabricarint; etsi superior caussa verior sit. Ad avum igitur visendi caussa divertit. Sidonius:

—— vix contigit arva,
Et toto descendit avo.

Durus autem est laboriosus: quia cælum sustinet. *Taubm.*

Cælum fulsit.] Ob altitudinem: ideoque *cæli columnam* vocarunt incolæ. Ennio *Telamon* Latine dictus. Eum describit & Silius l. 1.

Atlas subducto tacturus vertice cœlum,
Sidera nubiferum fulcit caput, ætheriasq;
Erigit æternum compages ardua cervix:
Canet barba gelu, frontemque immanibus umbris
Pinea silva premit: vastant cava tempora venti
Nimbosoque ruunt spumantia flumina rictu. Idem.

248. *Atlantis, cinctum.*] Repetitio cum emendatione & actu. *Servius.*

249. *Piniferum caput.*] A pinis, quas sustinet. Pineta solent montes vestire, præsertim sitos in locis æstuosis, qualis Africa inde à pinorum multitudine dictus mons Atlas habere *caput piniferum.* Cerda.

250. *Nix.*] *Nivis* facit: sed verbum *ninguit* non hinc venit: sed ab eo, quod est *hæc ninguis*, & *hæ ningues.* Lucretius, *Atlas effundere ningues. Ninguit* autem prima persona caret, & secunda: quia non est in nostro arbitrio. Fabula autem talis est, Nilus Calliroën, Oceani filiam, amabat. ex his nata puella nomine Chione, quam cum rure vitam agentem Juppiter à Mercurio tolli, & nubibus misceri præcepit, unde factum est, ut nives, quæ cadunt, Græce χίονες appellantur, quæ tamen nives repræsentantes virgines & vitam priorem, montibus magis inhærent. Ideo autem calentes nives fata exurunt, ut ostendant puellam injuriam, quam pertulit à rustico, vindicare. *Servius.*

Nix.] Herodot. in Melpom. οὐδέποτε γὰρ αὐτὰς (præcessit, κορυφὰς,) ἀπολείπει νέφεα, οὔτε θέρεος, οὔτε χειμῶνος: (*Neque unquam vertex nivibus caret, vel per æstatem, vel per hiemem.* Inde à Græcis, νιφοβόλος Ἄτλας, *nivibus obrutus.* Plin. lib. 5. cap 1. *verticem altis, etiam æstate, operiri nivibus.* Solin. *vertex semper nivalis.* Cerda.

Humeros.] Mihi non dubium, quin Plinius, l. 2. c. 44. ut est sedulus Virgilii imitator, respexerit ad hunc locum, cum montes generatim describens, illis humanas partes attribuit. *verticem, cubitum, humeros, sinus, voces.* Idem.

Flumina.] Nam feruntur inde aliqua flumina ortum habere. Solin. cap. 37. *Amnes circa eum non tacendi.* mox nominat Asanum, & Nigrum. ille enim locus corrigendus videtur ex Plin. quod vidit Joan. Camers. Plin. lib. 5. cap 1. *Scatebris fontium riguum.* Solin. iterum, *qua ad Oceanum extenditur, manat fontibus.* Silius:

Nimbosoque ruunt spumantia flumina rictu. Idem.

251. *Præcipitant.*] Ut, *Nox humida cœlo Præcipitat*, præcipitantur. *Servius.*

Senis.] Aut propter ætatem: aut adlusit ad nives: ut, *Gelidus canis cum montibus humor Liquitur.* Idem.

Senis.] Allusum ad ætatem, & ad nives. Claudian.

Perpetuaque senex subductus mole parumper
Obstupuit proprii spectator ponderis Atlas. Cerda.

Riget.] Aut frigida est, aut recta est:

Unde

Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit: hinc toto præceps se corpore ad undas
Misit; avi similis, quæ circum litora, circum
Piscosos scopulos humilis volat æquora juxta.
Haud aliter terras inter cælumque volabat;
Litus arenosum Libyæ ventosque secabat

Mater-

Unde & *rigorem* dicimus *directionem*. Inde est, *Vestesque rigescunt*, &, *Diriguere oculi*. Servius.

Glacie riget horrida barba.] Scite admodum. Nam rigor glaciei est, horror barbitii inculti. Ergo, barba, cujus est horror; asperatur glacie, cujus est rigor. Inde mira verborum dispositio. Junguntur enim, *glacie riget*, & *barba horrida*. Cerda.

252. *Paribus alis.*] Leni volatu, ut, *Dixit & in cœlum paribus se sustulit alis*. Servius.

Paribus.] Æquatis pennis, atque adeo volatu leni, & tranquillo. Ita alibi,

—— *in cœlum paribus se sustulit alis.*

Cerda.

Nitens.] Quidam pro *volans* accipiunt, & est participium à verbo *nitor*. Servius.

Nitens.] Signata vox in volatu. Ovidius 2. Pont.

Et quod aves motis nituntur in aëre pennis.

Lucret. lib. 6.

Nitor, nixus, conamen:

ait enim,

Claudicat extemplo pennarum nisus inanis,
Et conamen utrinque alarum proditur omne,
Hic ubi nixari nequeunt, insistere & alis.

Porro *nictari* legunt, sed Gifanius *nixari* mavult. *Cerda*.

Cyllenius.] Aut ab avia: unde paulo post, *Cyllenia proles*. Aut à Cylleno Arcadiæ monte, ubi dicitur esse nutritus. *Servius*.

253. *Toto corpore.*] Uno impetu excussus. Sic Lucanus, *Nec se tellure cadaver Paulatim per membra levat, terraque repulsum est Erectumque semel*. Idem.

254. *Avi similis.*] Incongruum heroico credidit carmini, si *mergum* diceret, vel, ut quidam volunt, *fulicam*: ut alibi *ciconiam* per Periphrasim posuit: *Candida venit avis longis invisa colubris*. Sic est, *Et testa cum ardente viderent Scintillare oleum*. Sane fabula de mergo talis est: Isacus quidam puer Nympha Alexi præditus, aliam ejusdem fontis Nympham amabat, quæ cum insequentem amatorem fugeret, ad quoddam specu delata, calcato serpente interempta est, quod postquam amator vidit, in mare se præcipitavit, cujus cum membra ferrentur fluctibus, miseratione deorum in avem mergum mutatus est, quia semper mergi fluctibus gaudent. *Idem*.

255. *Piscosos.*] Pisculentos, causa cur volet. *Idem*.

Humilis.] Humiliter, & tractum est ab *humo*, ut, *Qua me quoque possim Tollere humo*. Idem.

256. *Haud aliter terras inter cælumq; volabat.*] In Oblongo codice, in Mediceo, & aliquot aliis sequitur versus, *Materno veniens ab avo Cyllenia proles, Litus harenosum Libyæ, ventosque secabat*. Nempe ad duarum syllabarum in continuatis versibus homœoteleuton evitandum. Hinc in plerisque codicibus post dictionem *harenosum*, *ac*, in nonnullis *&* reperitur, hoc modo copulativa postposita, *Litus harenosum & Libyæ, ventosque secabat*: ut dissolutum membrum ita apte connectatur. *Pier.*

257. *Litus arenosum Libyæ.*] Bene *arenosum* addidit. Nam in Libya erat: sed

Materno veniens ab avo Cyllenia proles.
Ut primum alatis tetigit magalia plantis,
Ænean fundantem arces ac tela novantem
Conſpicit: atque illi ſtellatus iaſpide fulva
Enſis erat, Tyrioque ardebat murice læna,

Demiſſa

ſed non in arenoſa. Mauritania enim aſpera & ſilveſtris eſt. *Serv.*

Ventoſque ſecabat.] Quia omnis avis in ventum volat, ut, *Illa notos atque atra volans in nubila fugit.* Idem.

258. *Materno ab avo.*] Per Majam Atlantis filiam. *Idem.*

Avo materno.] Ab Atlante monte: in quem Atlantem patrem Majæ convertit Perſeus. *Donatus.*

259. *Alatis.*]Participium verbo carens. *Servius.*

Magalia.] Afrorum caſas, & mapalia: idem ſignificant. ſed *magalia*, *ma*, producitur: *mapalia* vero corripitur:ut, *Et raris habitata mapalia tectis.* Idem.

261. *Stellatus jaſpide fulva.*] Gajus Memmius de triumpho Luculli, *Syriaci calceoli gemmarum ſtellati coloribus.* Participium ſine verbo. *Jaſpide* autem *fulva*, pro viridi: ut, *Fulvaque caput nectentur oliva.* Dicit etiam Plinius in naturali hiſtoria, multa eſſe jaſpidum genera; in quibus etiam *fulvum* commemorat. Hoc & Dydimus & Nicander adfirmant. Alii tradunt *Jaſpidem* in zmaragdam tranſire. *Idem.*

Stellatus jaſpide.] In quo jaſpides plures velut ſtellæ fulgebant. Vide, quæ ad hunc locum obſervavit Salm. Plin. exercit. p.758. facere huc videtur illud Apulejanum l.6. Metam. *bulliſque te multis aureis inoculatum, veluti ſtellis ſidereis relucentem.* i.e. Stellatum bullis, ut Maroni. *Emmeneſſ.*

262. *Enſis erat.*] *Enſem* pro *vagina* poſuit. Et multi jaſpidem volunt ad gratiam pertinere. Alii ad ſalutis cuſtodiam plurimum poſſe: Ergo neceſſaria Æneæ in rebus trepidis, qui inter ignotas & bilingues devenerat gentes. Traditur etiam hanc gemmam concionantibus neceſſariam, nam Gracchus ea dicitur in concione ſæpe uſus, & hic Æneas quaſi regni particeps, in publico velut in concione, à Mercurio corripitur. Bene ergo hic ei habitus datur. Ne enim Tyrii aut ut profugum aſpernarentur, aut obedire, ut advenæ nollent. Sane bene deſcribit luxuriantis enſem: aliter 8. Æneid. *Fatiferumque enſem*, &, *Enſem Quem Dauno ignipotens.* Hic capulum aut vaginam, at in illis ferrum. Sed peritus Poëta cum amatoris luxuriantis vaginam deſcribit, alias etiam inſeruit rationes, cur *Jaſpidem* dixerit. *Idem.*

Enſis erat.] *Enſem* pro vaginâ gladii gemmata ſumi, cum Servio & Turn. l.26. c.5. docet & Juvenalis, Sat.5.

A digitis, quas in vaginæ fronte ſolebat
Ponere zelotypo juvenis prælatus Iarbæ?

Bene autem deſcribit luxuriantis enſem. aliter 8. Æn.

Fatigerumque enſem.

& 12. Æn.

— *enſem, quem Dauno ignipotens.*

Hic capulum aut vaginam: at in illis ferrum. Cur autem ſignate *jaſpidem* nominarit, docuit Servius Dan. item, cur *læna* potiſſimum indutum dicat. item alia commentatur ſubtiliſſimæ artis. *Taubmannus.*

Læna.] Genus veſtis. Eſt autem proprie toga duplex, amictus auguralis. Alii amictum rotundum, alii togam duplicem in qua Flamines ſacrificant infibulati. Quidam tradunt bene filio Veneris habitum *lænæ* datum, quia hunc ſibi amictum genus Veneris vindicavit, unde populi *Lænates* propter hunc habitum, qui ſe de Veneris genere ortos volebant. Alii inventorem hujus veſtis ab hac ipſa veſte *Lænatem* appellatum tradunt.

Demissa ex humeris: dives quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas discreverat auro.
Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis altæ

Funda-

tradunt. Quidam muliebrem vestem quasi amatori aptam volunt. Quidam Pontificalem ritum hoc loco expositum putant. Veteri enim religione Pontificum præcipiebatur inaugurato Flamini, vestem quæ *Lena* dicebatur, à Flaminica texi oportere: quam vestem cum cultro, quæ *secespita* appellabatur, uti debere. * *Secespita* autem est culter oblongus ferreus, manubrio eburneo, rotundo, solido, vincto ad capulum argento, auroque, fixo clavis æneis, quo Flaminicæ virgines Pontificesque ad sacrificia utuntur, eaque jam sacra est. Appellatur autem *secespita* à secando. Hic ergo Virgilius in Ænea quem sacratum intelligere vult, omnia supradicta latenter amplexus est. Nam inaugurationis meminit, cum dicit, *Paribus nitens Cyllenius alis*, &, *Avi similis*, & *Volat æquora juxta*, ostendit enim Æneam auspicato, & à Carthagine jussum abire. Togam autem duplicem, quam purpuream debere esse non dubium est, hoc versu declarat, *Tyrioque ardebat murice læna. Secespita* autem quoniam gratum non erat ipsius nominis facere mentionem, ita meminit, *Stellatus jaspide fulva Ensis erat. Ensem* ergo pro cultro longiore debemus accipere, *stellatum* autem pro acutis uncis vinctum. *Jaspidem* autem ideo intulit, ne totus à rege discedere videretur, cui propositum est, veterum ceremoniarum ritum, aliud agens contingere. *Servius.*

Ardebat.] Sic Stat. l. 5. Theb. *Chlamys ardet & illi. ardere* hic teste Non. Marcello, est fulgorem & splendorem emittere. Juven. S. 11. vs. 155. *Quos ardens purpura vestit.* multi hic *vario* legunt male pro *Tyrio*, teste Rutgersio var. lect. l. 5. c. 10. operæ pretium est de Læna legi Ferrar. de re vest. l. 2. c. 13. ubi Servii sententia rejicitur. allusit Juven. Sat. 5. vs. 42.

—— præclara illi laudatur iaspis.
Nam Varro, ut multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis: quas in vaginæ fronte solebat
Ponere zelotypo juvenis prælatus Hiarbæ

de hac *læna* noster l. 11. vs. 72.

Tum geminas vestes ostroque auroque rigentes
Extulit Æneas: quas illi læta laborum
Ipsa suis manibus quondam Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas discreverat auro.

Coccina utebantur divites, unde Juvenal. Sat. 3. vs. 283.

—— Cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo. Emm.

263. *Demissa ex humeris.*] Ex qualitate amictus ornatum amatoris expressit. *Servius.*

Demissa.] In pervetustis admodum exemplaribus *dimissa* legitur per *di*, ut negligentiam quandam in cultu, quod virum decet, ostendat. Sed si *demissa* placet, ut apud Statium, *It tergo demissa chlamys:* non adversor, quum in statuis & in nummis habitum hujusmodi sæpe observaverim, quæ sunt plurimum paludamento ab humeris dejecto bona anterioris corporis parte nuda. *Pierius.*

Dives quæ munera Dido.] Non addidit cujus rei dives, ut alibi, *Dives opum variarum*, & *Dives equûm*, *dives pictæ vestis & auri.* Sane hoc loco docuit Flamini à Flaminica fieri vestem oportere, cujus lanam ipsa per se & nere debeat & texere: Non enim dixit, fieri jusserat aut miserat, quod ad expositionem nominis pertinet. *Servius.*

264. *Et tenui telas discreverat auro.*] Ostendit ipsius manibus textam. *Idem.*

265. *Invadit.*] Habitum futuræ orationis ostendit. Et notandum non eum tantum nuntii, sed etiam caduceatoris, id est, oratoris officio fungi. Nam & persuadet & nuntiat. *Idem.*

Invadit.] Invectivam futuram esse hoc

Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Exstruis? heu regni rerumque oblite tuarum!
Ipse deûm tibi me claro demittit Olympo
Regnator, cælum & terras qui numine torquet:
Ipse hæc ferre jubet celeris mandata per auras.
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?

Si te

hoc verbum ostendit. & ex hoc acri habitu Mercurii ostendit, qualis debuit esse Jupiter. *Donatus.*

Tu nunc.] *Tu* invectio est; & *nunc*, id est, hoc tempore, quo tibi navigandum, vel pro tua spe laborandum est. *Servius.*

Altæ.] Quam altam vis fieri. *Idem.*

Carthaginis altæ.] Quam *altam* vis fieri. Et est Imperii epitheton ac quasi insigne. Græci ἱερὸν ferme, id est, *magnum* usurpant. Æn.

— *ruit alto à culmine Troja.*

Vide. N. Æn. 1. ℣ſ.7.

Altæ mœnia Romæ.

Taubmannus.

266. *Locas.*] Pro *collocas*, vel jacis. *Servius.*

Uxorius.] Nimium uxori deditus, vel serviens, ut Horatius, *Uxorius amnis.* Idem.

Pulchram uxorius urbem.] Stulti est aliena curare, sua negligere. *Donatus.*

267. *Extruis.*] A struice. Plautus in Menechmis, *Tantas struices concinnat patinarias.* Nævius nominativo singulari, *Struix malorum.* Servius.

Heu regni.] Hic increpat, ut misereatur. *Idem.*

Rerumque oblite tuarum.] Papin. 9. Theb.

Heu nimium mitis, rerumque oblite tuarum. Cerda.

268. *Ipse.*] Dat dictis auctoritatem: ut, *Quæ Phœbo pater omnipotens.* Et, *Imperio Jovis huc venio.* Servius.

Ipse deûm.] Hujus personæ auctoritate graviorem facit suam objurgationem: &, ut major sit metus, potestatem ipsius describit. Utrunque autem damnat, & quod sublevet inimicorum opes, & quod in re agenda otium sibi proponat: quoniam negligentis est & incauti. Addit, ne per eum pereat, quod Ascanio debetur, quod, nisi per ipsum, præstari non potest. *Donatus.*

Claro demittit Olympo.] Olympus quasi *ololampus* dictus est: sive mons sit Macedoniæ, qui dicitur esse diversorium deorum; sive cœlum. Unde addidit *Claro*: ut, *Plemmyrium undosum.* Accentus sane Græcus tunc potest esse, si sit Græca declinatio, ὄλυμπος ὀλύμπου, nam Latine *Olympi.* Servius.

269. *Cælum & terras.*] Omnem mundum. *Idem.*

Torquet.] Utrum quia mundus volubilis est? an *Torquet*, regit, sustinet? ut, *Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques.* Idem.

Numine.] Est, aut nutu, aut potestate. *Idem.*

270. *Hæc.*] Quæ dicturus est. Nam suprà dicta ex se dixerat. *Idem.*

271. *Quid struis.*] Utrum ædificas, an moliris? an incipis machinari? *Idem.*

Qua spe Libycis teris otia terris.] *Terra* totum orbem significat; *terræ* autem partes sunt. *Idem.*

Otia.] In antiquis *otia*, ut alibi diximus, per *t*. Præter vero ea, quæ posita sunt in Bucolicis, vidi nuper in hortis palatii, quod D. Augustini templo proximum est, *negotianti pullario pater b. m. f.* Et ultra Thermas Dioclitianas, in hortis, quæ Mæcenatis nunc dicuntur, *possessores inquilini negotiantes*, utrunque per *t*. Pierius.

Teris.] Per negligentiam tempora consumis, & est verbum, ad ignaviam positum: Sallustius, *Ibi triennio frustra trito.* Et cum Juppiter dixerit, *Inimica*

 in gente

Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec ſuper ipſe tua moliris laude laborem;
Aſcanium ſurgentem, & ſpes heredis Iuli
Reſpice; cui regnum Italiæ Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus
Mortalis viſus medio ſermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
At vero Æneas aſpectu obmutuit amens,
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit.
Ardet abire fuga, dulciſque relinquere terras,
Attonitus tanto monitu imperioque deorum.

Heu

in gente moraris, adhuc non dixit quæ non eſſet intellecturus Æneas. *Servius.*

Teris otia terris.] Alluſum ad etymon, ut in 12. *ſermoneſque ſerit.* Nam *terra* à terendo dicta. Quod Virgil. *teris otia*, Tibull. lib.4. dixit, *peragit otia.* Cerda.

272. *Si te nulla, &c.*] Recte eadem repetuntur exemplo Homerico. neque enim legatus mandatis quicquam prævaricari debet. *Taubm.*

274. *Surgentem.*] Creſcentem: ut, *Surgentem cornua cervum.* Item, *Surgentemque novæ Carthaginis arcem.* Servius.

276. *Debentur.*] Honeſtius plurali numero reſpondit. *Idem.*

Cyllenius.] Antonomaſticum eſt pro proprio. *Idem.*

Ore.] Oratione. *Idem.*

Tali Cyllenius ore locutus.] Id eſt, oratione: *vel*, talia locutus ore. Notat Fabric. in Mſſ. legi,

—— *tali Cyllenius ore locutus*
Mortalis viſ.

Βροτῷ ἀνδρὶ ἐοικώς. ita 9. Æn.

—— *Sic orſus Apollo*
Mortales medio aſpectus ſermone reliquit. Taubm.

277. *Mortalis viſus.*] Aut oculis ſe Æneæ ſuſtulit: aut humanam reliquit effigiem, quam ſumpſerat, ut ab Ænea poſſit videri: quod melius eſt. *Servius.*

Medio ſermone.] Atqui exſequutus eſt omnia, quæ Juppiter dixerat: ſed ſermo eſt conſenſio orationis, & confabulatio duorum vel plurium. *Medius* ergo *ſermo* eſt, cum perſona, cum qua quis loquitur, non reſpondet, ut nunc fecit Æneas. *Idem.*

Medio ſermone.] Quia non expectavit reſponſum, quod erat dimidium ſermonis, qui oritur inter duos. *Donatus.*

279. *Aſpectu.*] Numinis ſcilicet, ut, *Ipſe deum manifeſto lumine vidi*, *Intrantem muros.* Servius.

Amens.] Id eſt, conſternatus: quod evenire ſolet horrore perculſis. Lucret. l.6.

Ne trepides cæli diviſis partibus amens, id eſt, ex metu ne compos mentis non ſis. Simile 8. Æn.

—— *non te rationis egentem*
Lernæus turbâ capitum circumſtetit anguis,

id eſt, non te expaveſecit, neque conſternavit. Turn. l.24. c.26. *Taubm.*

280. *Arrectæque horrore comæ.*] Subaudi, *Sunt.* Servius.

281. *Dulciſque relinquere terras.*] Deeſt *quanquam.* Per quod intelligi vult Æneam amo, unde eſt, *Invitus regina tuo de litore ceſſi*, ut non videatur ingratus, deorum excuſatur imperio: ſic ipſe in ſexto, *Sed me juſſa deûm.* Idem.

282. *Attonitus tanto monitu.*] Proprie

Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat adfatu? quæ prima exordia sumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partisque rapit varias, perque omnia versat.
Hæc alternanti potior sententia visa est:
Mnesthea Sergestumque vocat, fortemque Cloanthum:
Clas-

pric juxta quem deus missus à Jove stetit, à quo & fulmina jaciuntur, quæ attonitos faciunt; *Attonitus* enim est proprie, juxta quem fulmen cadit. *Idem.*

283. *Heu quid agat?*] Ut solet, personis, de quibus loquitur, adfectum commodavit: ut nono Æneidos: *Heu quid agat, qua vi juvenem, quibus audeat armis Eripere?* Idem.

Ambire.] Blanditiis vel subdole circumvenire. Et *ambio illam rem* dicimus: ut *Neu connubiis ambire Latinum.* Sallustius: *Ambitio multos mortales falsos fieri subegit.* Significat & *rogare*; Sallustius in Jugurth. *Quos ego audio ambire, fatigare vos singulos.* Dicebatur & *ambio illum*, pro *rogo illum*; Sallustius, in primo, *Idem fecere Octavius & Quintus Cæpio sine gravi cujusquam expectatione, neque sane ambiti publice*, hoc est, neque valde rogati. *Ambitores* etiam dicuntur, qui, ut honores consequantur, discurrendo & rogando suffragia adquirunt. *Idem.*

Ambire.] Non. Marc. *interpellare* interpretatur, sed *appellare* rectius videtur, & quidem, ut Servius, *blanditiis.* Ter. A. 2. 2. 36. *ambire* pro prensare. *Emmeness.*

284. *Audeat adfatu?*] In nonnullis codicibus, oppido quam vetustis, non invenuste legitur absque particula copulativa, *Quo nunc ambire furentem Audeat adfatu? quæ prima exordia sumat.* In aliis invenitur copula: *audeat adfatu, & quæ*, &c. *Pierius.*

Exordia.] Orationem, vel hic pro initiis, sed *exordium* in duo dividitur, in principium & orationem, sicut in Rhetoricis legimus. *Servius.*

285. *Atque animum nunc huc.*] In tam ambigua consultatione prævaluit in religioso viro divinum præceptum. *Donatus.*

Atque animum, &c.] Homerum expressit noster qui Iliad. α. vs. 189.

— ἐν δέ οἱ ἦτορ
Στήθεσσιν λασίοισι διάνδιχα μερμήριξεν.

Recte Terent. A. 1. 5. 31. *dum in dubio est animus, paullo momento huc illuc impellitur.* Exemplo sit Cæsar Rubiconem transiturus, de quo Plutarchus in ejus vita. Eleganter animus dicitur tunc *dividi*, cum æstuat dubitatione & se in utramque partem versat, vide Catull. in Carm. Nupt. *nos alio mentes, alio divisimus aures.* ad quem locum vide Turneb. l. 21. c. 29. *Emm.*

287. *Alternanti.*] Varia mente tractanti. Et per hoc ostenditur cogitasse etiam amorem, sed prætulisse voluntatem deorum. *Servius.*

Visa est.] Ideo visa est pro necessitate deorum. *Idem.*

Hæc alternanti.] Homericus versus Iliad. 10.

Ἥδε δέ οἱ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή:
Hæc autem illi in anima optima visa est sententia.

ergo ex hac imitatione verba Poëtæ conjungenda sic sunt, *sententia hæc visa est potior alternanti*, non, *sententia visa est potior alternanti hæc.* Cerda.

288. *Fortemque Cloanthum.*] In Mediceo, & codicibus aliquot aliis antiquis *fortemque Sergestum* habetur. Sed *fortis* epitheton passim apud Virgilium *Cloantho* adpositum. *Pierius.*

Classem aptent taciti, socios ad litora cogant;
Arma parent, &, quæ sit rebus caussa novandis,
Dissimulent. sese interea, quando optima Dido
Nesciat, & tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus, & quæ mollissima fandi
Tempora; qui rebus dexter modus. Ocius omnes
Imperio læti parent, ac jussa facessunt.
At regina dolos (quis fallere possit amantem?)

Præ-

289. *Classem aptent.*] Deest *præcipit:* & *aptent*, modo parent, alibi adnectere: *Sed hæc lento mos est aptare flagello.* Servius.

Taciti.] Pro *tacite*, sine strepitu celantes consilia. *Idem.*

Taciti, socios.] In antiquis plerisque codicibus absque particula copulativa legere est, *socios ad litora cogant.* In non nullis *sociosque.* Et ita tertium quoque membrum solutum, *Arma parent.* Elocutio brevis, & imperanti adcommodata. *Pierius.*

Socios ad litora cogant.] Ad votum, subaudiendum *taciti.* Servius.

290. *Arma parent.*] Contra impetum iratæ forte reginæ. *Idem.*

Quæ sit rebus caussa novandis.] Sallustius, *Quæ caussa fuerat novandis rebus.* Non *quæ caussa novandarum rerum* dicimus. *Idem.*

292. *Quando.*] Non est temporis: sed significat *siquidem:* & est conjunctio rationalis. Sane *quando*, *do* brevis est naturaliter: sic Serenus, *Quando flagella ligas, ita liga.* Virgilius usurpat, *Si quando Tybrim vicinaque Tybridis arva.* Idem.

Optima Dido.] Pro *adhuc optima.* Idem.

293. *Tentaturum aditus.*] Ut illam adeat: ut, *Sola viri molles aditus, & tempora noras.* Idem.

Quæ mollissima fandi.] Cato: *Qua mollissimum est adoriuntur.* Et ubique *temptaturum* subaudis. *Idem.*

Quæ mollissima fandi temp.] Juxta illud Terentianum H. 2. 3. 223. *in tempore venire omnium rerum primum est.* Sic *tempora quærenda*, ut cum Horat. l. 1. Sat. 9. noster hoc libro ℣. 423.

Sola viri mollis aditus, & tempora noras. Ubi plura. *Emmeness.*

294. *Quis rebus dexter modus.*] Quis sit optimus rebus eventus. Ut, *Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo*, id est, bonus ac per hoc propitius, ut, *lævum* pro malo, *Et lævo contristat lumine cœlum: Modus* autem terminus. *Servius.*

Quis rebus dexter modus.] Ἐπεξήγησις præcedentium. P. Victorius lib. 27. cap. 16. *Tentare aditus & tempora*, vertit ex Euripid. καιρὸν λαμβάνειν. *Capere tempus*, Historicis frequens. *Taubmannus.*

Ocius.] Velocius: & nota quod habeat adverbium, & nomen illius non facile reperiatur. *Servius.*

Ocius.] Gifanius docet, omnes libros vet. omnium auctorum repræsentare *Ocius*, per *i* simplex: & ita omnino scribendum, contendere etiam Priscianum: si vel sit à Gr. ὠκύς. *Taubmannus.*

295. *Læti.*] Alacres, festini. *Serv.*

Facessunt.] Modo frequentativum est, ut in Georgicis, *Matris præcepta facessit.* Alias *discedit* significat, ut & Terentius, *Hæc hinc facessat, tu molestus ne sies.* Idem.

Facessunt.] Id est, libenter & cum desiderio faciunt. nam hoc esse *facessere*, docet Glossarium vetus Terentii. Georg 4.

—— *matris præcepta facessit.*

Taubmannus.

296. *Quis fallere possit amantem.*]

Quam-

Præſenſit, motuſque excepit prima futuros;
Omnia tuta timens. eadem inpia fama furenti
Detulit armari claſſem, curſumque parari.
Sævit inops animi, totamque incenſa per urbem
Bacchatur. qualis commotis excita ſacris
Thyas, ubi audito ſtimulant trieterica Baccho
Orgia,

Quamvis de Didone loquatur, generalem ſententiam poſuit. *Servius.*

Quis fallere poſſit amantem.] In fabula Pyrami & Thiſbes Ov. l. 4. Met. ℣ſ. 68.

Quid non ſentit amor? primi ſenſiſtis amantes.

Stat. l. 2. Thebaid.

— *Quos callide motus,*
Quamve fugam moliris, ait, nil tranſit amantes
Sentio, &c. Emm.

297. *Præſenſit.*] Ac ſi diceret, ante quam ille moliretur: & nimia in hoc vis amantis exprimitur. *Servius.*

Excepit.] In codicibus aliquot pervetuſtis, *accepit* legitur. In aliis *adcepit*, atque ſi Deo placet, etiam *atcepit*, *d*, in *t* mutata. Sed huic ſententiæ magis quadrare videtur *excepit*, quum id clam delatum intelligatur. Inſidiæ enim dolive inſunt in verbo *excepit*. Pierius.

298. *Omnia tuta timens.*] Id eſt, etiam tuta, nedum illa, quæ timebat: & eſt exaggeratio. *Servius.*

Omnia tuta timens.] Non tantum ita ingenium eſt amantium, ut, quæ obſcure cogitari poſſint, perhorreſcant, ſed & omnium candidatorum hoc proprium, ut rumorem, fabulam fictam, falſam metuant, de quibus accuratiſſime Cicero in Miloniana c. 16. *Emm.*

Eadem fama.] Quæ & Iarbæ nuntiaverat. Et ideo *impia*, quia ſupra, *Fama malum.* Servius.

Furenti.] Aut amanti, aut detulit ut faceret furentem. *Idem.*

299. *Armari claſſem.*] Στόλον ὁπλίζεσϑαι· nam & ὅπλα armamenta, velaque dicuntur. Vide infra eum locum, *Colligere arma jubet, validiſque incumbere remis.* Germ.

Curſumque parari.] Modo navigationem: ut alibi, *Ni teneant curſus.* Serv.

300. *Inops animi.*] Sine animo, ſine conſilio. *Idem.*

301. *Bacchatur.*] Furit more Bacchantum. Et bene uno ſermone præoccupavit futuram comparationem. *Id.*

Commotis excita ſ.] Verba antiqua uſum tradunt; *moveri* enim *ſacra* dicebantur cum ſolemnibus diebus aperiebantur templa inſtaurandi ſacrificii cauſa, cujus rei Plautus in Pſeudolo meminit, *Scis tu profecto mea ſi commoviſſem ſacra, quo pacto & quantas ſoleam turbas dare.* Hoc vulgo *apertiones* appellant. Quidam dicunt: *Commotis ſacris* ideo dixit, quia in ſacrorum renovatione commovebantur ſimulacra: unde Horatius, *Non ego te candide Baſſareu Invitum quatiam.* Idem.

302. *Thyas.*] Baccha. nam ſicut à *Baccho Bacchæ*, ſic & à Thyoneo *Thyades* dicuntur. Quidam ἀπὸ τοῦ ϑεῖν, quod eſt *inſane currere*, dictas volunt. *Idem.*

Thyas.] Velius Longus ait Græcos repugnare, ne ϑύας ſcribatur per *υ* tantum. Velle vero eos *υ* literam adſciſcere ſibi *ι* ante alteram vocalem, ut unam ſyllabam faciant. Et ita ſcriptum obſervavi in Mediceo codice *Thyias*, quanquam in aliis per *y* tantum. *Pierius.*

Trieterica.] Triennalia. Liberi enim ſacra tertio quoque anno innovabantur. Sane ſciendum *orgia*, apud Græcos dici ſacra omnia, ſicut apud Latinos *ceremoniæ* dicuntur. Sed jam abuſive ſacra Liberi, *orgia* vocantur: vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id eſt, *à furore*; vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, *ex ſilvis.* Servius.

Trieterica Baccho Orgia.] Græce enuntiavit Poëta. Sunt enim τριετηρικὰ

Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.
Tandem his Ænean conpellat vocibus ultro:
Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse

sacra Bacchi tertio quoque anno celebrata, quæ & τριετηρίδες vocantur: qua forma à Græcis πεντετηρικὸν quinquennale & lustrale dicitur, quod quinto quoque anno instauratur: unde & πεντετηρὶς, & πενταετηρὶς. *Trieterica* autem & *triennalia* nominantur *orgia*: unde & κατοργιάζεσθαι initiari, μυεῖσθαι. Interpres tamen Apollonii lib. 1. ὄργια dici ait μυστήρια παρὰ τὸ εἴργειν τοὺς ἀμυήτους αὐτῶν, ἢ τὰ ἐν ὀργάσι γινόμενα, ὀργάδας δὲ συμφύτους τόπους καὶ ὑγρούς. Alii ἀπὸ τῆς ὀργῆς, ἢ ὀρῶν, ut *nocturnusque vocat clamore Cythæron*: nam & *Nyctelia* sacra illa dicebantur, quæ antiquata causa turpitudinis à populo Romano admonet Servius. Sunt & apud Orpheum hymni *Trieterici*. Germ.

Trieterica.] Festa sunt Bacchi triennio quoque celebrari solita. Alii vocant *triennalia*. Ovid. 9. Met. vocavit, *triennia*.

Ismariæ celebrant repetita triennia
Bacchæ.

Idem flexu isto:

Tertia quæ solito tempore bruma refert.

Sunt hæc instituta in memoriam triennalis expeditionis, quam in Indiam Bacchus suscepit. De orgiis dictum jam in Georgicis. Versus veteris Poëtæ, quem ibi advocavi ex Clemente, illustrabit Horatium dicentem:

Odi profanum vulgus, & arceo:

Respicit quippe ad etymon εἴργειν. *Cerda.*

303 *Nocturnusque.*] Nocte celebratus, unde ipsa sacra *Nyctelia* dicebantur: quæ populus Romanus exclusit causa turpitudinis. *Servius.*

Nocturnusque.] Alludit Stat. Thebaid. l. 2. —— *non hæc trieterica vobis*
Nox patrio de more venit.

Emmeness.

Cithæron.] Mons est circa Thebas Bœotias, ex quo clamor veluti numinis Bacchas vocabat. *Servius.*

Cithæron.] Noster l. 3. G. vs. 43.

—— *vocat ingenti clamore Cithæron.*

Mela l. 2. c. 3. montem in Bœotia positum dicit *fabulis carminibusq; celebratum.* Ovid. l. 2 Met. vs. 223.

—— *natusque ad Sacra Cithæron.*

& l. 3. vs. 702.

—— *electus facienda ad Sacra Cithæron*
Cantibus, & clara bacchantum voce
sonabat.

ubi fabulam exponit Penthei, quam respicere videtur Stat. l. 1. Thebaid.

—— *& pingue Bacchæo sanguine colles*
Inde plagam, qua molle sedens in plana
Cithæron.

Emmeness.

305. *Dissimulare etiam.*] Hic quasi reus Æneas à Didone accusatur. Ingrati ergo dissimulare, quasi ab actu criminis, cœpit, nam qui dissimulat aliquotiens cogitat, & quasi non sit dubium cum proficiscendo Didonem lædat Æneas; ita incipit dissimulare, id est, non tantum proficisci, quod est per se malum, sed ut me falleres. Satis artificiosa adlocutio est. Nam interdum subtiliter, & sibi consulit sub facie utilitatis Æneæ, & nunc irata, nunc supplex agit. Dissimulare autem adeo, ac si diceret, ita rem pudendam cogitas, ut eam fateri nolis. Supra enim dixerat, *Quæ rebus sit caussa novandis Dissimulent.* Post illud inducit quod dictum est, primum accepisti beneficium, *Nec te data dextera quondam*, reliqua per singula loca aperientur. *Servius.*

Dissimulare etiam, &c.] J. C. Scalig. lib. 3. cap. 23. *Taubm.*

Perfide.] Muliebre verbum. hoc enim frequenter utitur: *Solam nam perfidus ille Te colere*: & alibi, *Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit.* Serv.

Perfide tantum.] Apollon. lib. 4. & 3. Unde videntur istæ querimoniæ esse petitæ. *Hart.*

306. *Ne-*

Posse nefas? tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas aquilonibus ire per altum,

Crude-

306. *Nefas.*] Bene amans ejus quem amabat consilium profectionis *nefas* dixit. *Servius.*

Tacitus.] In Grammatica observabis debuisse dicere, *tacitum posse decedere*, juxta Latinos canones; sed maluit Græcam constructionem, observatore Budæo. *Cerda.*

Mea decedere terra.] Dicendo *mea*, stultum ostendit, qui putavit, quod amanti possit abripere. *Servius.*

307. *Data dextera.*] Fœdus amicitiarum. *Idem.*

308. *Nec moritura tenet.*] Secundus locus accusationis est, magis enim augere injuriam non potuit, quam si se ostenderet. *Idem.*

309. *Quin etiam.*] Immo etiam, sed insuper, sed fortè difficile est, quod peto, immo quod tu facis, *Quin etiam hiberno usque ire per altum.* Idem.

Moliris.] Aut moves, aut paras. *Idem.*

Hiberno sidere.] Non hieme, sed hiemali sidere: aut propter quod ait supra, *Dum pelago desævit hiems, & aquosus Orion.* Ergo aut pro tempore: ut, *Quo sidere terram Vertere Mecœnas.* aut re vera *sidere*, propter Orionem. Et bene tempestatis eum admonet, qui naufragus venerat, & hoc agit, quasi non sua causa eum remanere velit, sed etiam utilitatis Æneæ. *Idem.*

Hiberno sidere.] Credo alludere Poëtam ad morem Romanorum, qui post Kal. Novembres intempestivam navigationem censebant, & ex eo claudi mare, admonitus à Brissonio, fori & sæculi nostri gloria, quemque in publico & observare soleo, & domi magno studio complector: ut & idem docuit ex Vegetio lib. 4. cap. 39. & l. quoties in fine. C. de naufrag. l. civiles, C. de off. rect. prov. Patet etiam ex Symmacho lib. 2. ep. 155. 159. 192. 274. 304. *Germanus.*

310. *Mediis aquilonibus.*] Media hieme, ut per *Aquilones* hiemem significet, aut quod *Aquilones* ex Africa navigantibus adversi sunt. *Servius.*

Et mediis properas aquilonibus.] Affectus veri amoris, quo, qui amant, timent pericula eorum quos amant, sive ii maria adeant, sive bella, aut quidvis aliud. Phyllis Demophoonti:

Interdum timui, ne, dum vada tendis ad Hebri,
Mersa foret canâ naufraga puppis aquâ.

Deianira Herculi:

Ipsa domo vidua votis operata pudicis
Torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat.
Inter serpentes, aprosque, avidosque leones
Jactor, & hæsuros cerno per ossa canes.

Medea Iasoni:

Ante oculos taurique meos, segetesque nefandæ,
Ante meos oculos pervigil anguis erat.

Laodamia Protesilao:

Sed timeo: quotiesque subit miserabile bellum,
More nivis lacrimæ Sole madentis eunt.
Ilion, & Tenedos, Simoesque, & Xanthus, & Ida,
Nomina sunt ipso pene timenda sono.

Ergo Dido timet cursum Æneæ per hiemem, per medios Aquilones, unde certum naufragium conjici, & certa mors poterat. *Cerda.*

Per altum.] Exacerbavit sententiam per *altum* dicendo, quamvis notum esset Æneam per altum navigaturum. *Servius.*

 311. *Cru-*

Crudelis? quid si non arva aliena domosque
Ignotas peteres, & Troja antiqua maneret;
Troja per undosum peteretur classibus æquor?
Mene fugis? per ego has lacrimas, dextramque tuam te,
(Quan-

311. *Crudelis.*] Etiam in te odio mei. sic Lucanus de Cæsare, *Sævitia est voluisse mori.* Serv.

Arva aliena.] Blande, quasi hæc jam tua sunt. *Idem.*

Domosque ignotas.] Ac si diceret, Carthago jam tibi nota est: & ne hoc responderet Æneas, Aliena sint arva. Ideo adjecit, *Domosque ignotas peteres.* Sed æquum est, te hic esse, & non in tuo regno: *Quid si non arva aliena domosque Ignotas peteres?* Idem.

Domosque.] Sunt veteres admodum codices, in quibus *domus* hic quarto declinatu habetur. Cujusmodi casum H. Sosipater per *us* melius quam per *os* proferri censet. *Pierius.*

312. *Troja antiqua maneret.*] Vel nobilis, vel illa tua patria, quam doles amissam: & deest *Si*, & quasi per interrogationem, intelligendum est, *Etiamsi Troja staret, per hiemem Troja peteretur.* Servius.

313. *Undosum æquor.*] Sic lib. 3. ℣. 693. *Plemmyrium undosum.* Emm.

314. *Mene fugis?*] Adhuc aperte non vult imputare beneficia: sicut paulo post facit irata. Et est intellectus, fac non esse undosum æquor, æquum est ut me fugias, & paulatim descendit ad preces, nam sequitur: *Per ego has lacrimas dextramque tuam te,* vel per amicitiam, vel per virtutem, & bene virum fortem per dextram adjurat. *Servius.*

Mene fugis, &c.] Non male Didonis oratio confertur cum illa Scyllæ apud Ovid. l. 8. Metam. ℣. 106. nisi quod Dido preces subjungat:

Consumtis precibus violentam transit in iram:
Intendensque manus, passis furibunda capillis,
Quo fugis, exclamat, meritorum auctore relicta
O patriæ prælate meæ, prælate parenti?
Quo fugis immitis? cujus victoria nostrum
Et scelus & meritum est. Nec te data munera, nec te
Noster movit amor, &c. Emm.

Per ego has lacrimas.] Hæc & vicem epilogi possunt obtinere, contra illud vero, me dii expellunt, modo nihil potuit dicere, non enim audierat hoc, sed postea respondit, *Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat.* Sed hic rursus redit ad exprobrationem beneficii: *Te propter Libycæ gentes Nomadumque tyranni Odere: infensi Tyrii, te propter eundem.* Hic aut inconstantiam amantis expressit, aut quia in causa nihil potentius erat, unde cœpit, ibi desiit. *Servius.*

Per ego has lacrimas.] Argute observat Turneb. lib. 24. c. 26. non solum Latinos, sed & Græcos in jurejurando ejusmodi trajectione delectatos. ita Ter. Andr. act. 5. sc. 1. *Per ego te deos orc.* Plaut. Men. act. 5, 7. *Per ego vobis deos atque homines dico.* Seneca Agamemn.

Per te parentis memoriam obtestor mei.

Vide & Gruterum Suspic. libr. itemque Charis. de præposit. *per.* Taubm.

Per ego has lacrimas, &c.] Similem trajectionem invenias in Bris. apud Ovid. ℣. 103. *Per tamen ossa viri, &c. perque trium fortes animas.* Emmeness.

Lacrimas.] Quam in istas proni, qui amant! Ovid. 3. Art.

Quo non ars penetrat? discunt lacrimare decenter:
Quoque volunt, plorant tempore: quoque modo.

His loquuntur, qui amant: idem in Bris.

Sed tamen hæ lacrimæ pondera vocis habent.

His

(Quando aliud mihi jam miseræ nihil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos;
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum; miserere domus labentis, & istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycæ gentes Nomadumque tyranni
Odere,

His rem gerunt: ibid.

Sis licet immitis, matrisque ferocior undis,
Ut taceam, lacrimis comminuêre meis.

His decipiunt: Medea Iasoni,

Vidi etiam lacrimas an & est pars fraudis in illis?

His blandiuntur, ut hic Dido. Est vero similis obtestatio apud Sen. Rhet. lib. 5. Controv. *Per has lacrimas, per hunc squalorem, per hæc necessaria omnibus periclitantibus instrumenta.* Cerda.

315. *Nihil ipsa.*] Non pudorem, non regnum. Et est sensus: Si enim aliquid sperares, retinere te possem, sed contemnis me, quia tibi ab initio cuncta concessi. *Servius.*

316. *Inceptos Hymenæos.*] Qui novitate sunt dulces, & bis idem dixit. *Idem.*

317. *Si bene quid de te merui, &c.*] Ovid. l. 7. Metam ℣. 852.

— per nostri fœdera lecti,
Perque Deos supplex oro, superosque, meosque;
Per si quid merui de te bene. Emm.

318. *Dulce meum.*] Tetigit rem inhonestam. Sic Terentius, *Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.* Alii non accipiunt de re Venerea, *Dulce meum*, sed ita, *Si ea, quæ in te contuli, grata fuerunt & dulcia:* Alii pro, *Si ego tibi quicquam dulcis fui*, vel quia amantes, amores suos *dulcia sua* dicunt, id est, si talis in te fui, ut mererer, quam tu diceres *tuum dulce.* Servius.

Dulce meum.] Consuetudinem amoris κατὰ ἀφροδίτην verbis honeste tegit. ita Ter. Andr. *Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.* Taubm.

Dulce meum.] Longus l. 3. pastor. nominat consuetudinem γλυκὺ ἔργον. inde Pindar. od. 6. Olymp. γλυκείαν ἀφροδίτην appellat. honesta narratio est Alcumenæ in Amphitr. 2. 2. 212. ea dos est, tibi morigera ut sim. alloquentis Amphitruonem maritum. *Emmeness.*

Miserere domus labentis.] Turneb. l. 26 c. 5. Dictum eleganter & insigniter: quod, distracto conjugio, domus dissolvatur atque dilabatur. *Taubm.*

319. *Exue mentem.*] Rejice à te propositum mei relinquendi. *Servius.*

320. *Te propter.*] Hoc est, propter te. *Idem.*

Te propter.] Ejusdem argumenti est illud Phyllidis ad Demophoontem:

At mea despecti fugiunt connubia Thraces,
Quod feror externum præposuisse meis.

& Medeæ ad Jasonem:

Proditus est genitor: regnum patriamque reliqui:
Munus, in exilio quod licet esse, tuli.

Magnum argumentum amoris, suos contemnere, quod fecit Phyllis; genitorem prodere, & patriam relinquere, quod Medea: non hæc satis divino viro, incurri in odium Libycarum gentium, Nomadum tyrannorum, Tyriorum adhuc, propter te unum, ò Ænea, atque adeo & meos prodidi, & externos provocavi. *Cerda.*

Libycæ gentes.] Redit ad enumerationem beneficiorum, & hanc cum aucta explicat, dicendo inimicas gentes factas, dum illis præponitur. *Serv.*

Nomadumque tyranni.] Non eo inficias *Nomadum* in codice Longobardico, & aliquot aliis legi. Sed enim in Oblongo, in Mediceo, *Numidum* habetur Latinorum idiomate. Appianus enim, quos Græci *Nomadas* appellant, *Numidas* a Latinis appellari dicit. Neque dicat

Odere, infenſi Tyrii: te propter eundem
Extinctus pudor, &, qua ſola ſidera adibam,
Fama prior. cui me moribundam deſeris, hoſpes?
Hoc ſolum nomen quoniam de conjuge reſtat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater
Deſtruat,

quiſpiam primam ſyllabam produci, ſi *Nu* ſcribatur: quia ſit *ου* diphthongus apud Græcos, Appianus enim Romanorum ſonum non ſyllabæ tempus exprimere curavit, quamvis alias pro *u* brevi apud nos *O μικρὸν* illi ſcribere ſoleant, ut pro *Numa Noma*Σ, ita illi *νόμαδας*, nos *Numidas*. Pierius.

Tyranni.] Nihil intererat apud majores inter regem & tyrannum: ut, *Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.* Servius.

321. *Te propter eundem.*] Bene ſervavit rem cauſæ neceſſariam. Et ſunt, qui hic diſtinguunt, ut ſequatur, *Extinctus pudor.* Idem.

Qua ſidera adibam.] Hom. Od. τ. de Penelope: ἢ γάρ σευ κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει. Germ.

Extinctus pudor, & qua ſola ſidera adibam.] Sic ſupra ℣ſ. 55. *pudorem ſolviſſe* dicitur. Nunc autem pudicitiæ vitium eſſe additum & inuſtam notam queritur, quæ, Plauto teſte in Amphitr 2. 2. 209. vera dos eſt. *non ego illam mihi dotem duco eſſe, quæ dos dicitur: ſed pudicitiam, & pudorem, & ſedatum cupidinem.* Ter. Ad. 3. 2. 48. *Tum præterea, quæ ſecunda ei dos erat, periit, pro virgine dari nuptum non poteſt.* recte igitur noſter *qua ſola ſidera adibam fama prior.* Contra in nullo honore ſunt, quibus flos pudicitiæ delibatus eſt. inde Horatius l. 3. od. 27. *Europen vilem* appellat. elegantiſſimam floris & pudicitiæ comparationem apud Catullum in Carm. nuptial. 63. ſi legis, operæ es facturus pretium. *Emmeneſſ.*

323. *Fama prior.*] Quæ melior fuit ſine dubio: Hoc eſt, quod ſupra, *Nec moritura tenet crudeli funere Dido*; ſed ibi invidioſe, hic per miſerationem. *Idem.*

Deſeris.] Subdiſtinguendum, dubitat enim, quo eum nomine potiſſimum appellet. *Idem.*

Hoſpes.] Non dixit marite, id eſt, quia non vis dici *marite*, Æneas enim & hoſpes fuerat, & maritus: ſed modo maritum ſe negat, hoſpitem confitetur. Unde nunc Dido hoc dixit, *Cui me deſeris hoſpes?* Idem.

Hoſpes.] Latet hic emphaſis non vulgaris. Eſt enim indignum cogi ad mortem ab hoſpite, in quem exprompta humanitatis argumenta. Cum pari emphaſi Propertius lib. 2. eleg. 21.

Colchida ſic hoſpes quondam decepit Iaſon.

& eleg. 34.

Hoſpes in hoſpitium Menelao venit adulter. Cerda.

Deſeris hoſpes.] Eodem utitur verbo Ter. 1. 5. 56. *ne abs te hanc ſegreges, neu deſeras.* & ℣ſ. 430. *deſerta viderer.* & bene *hoſpes* in contemtum, nam mariti nomine indignus, quia clam fugam moliebatur, ut Catull. in Nupt. Pelei & Thetidos Carm. 65.

Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Conſilia in noſtris requieſſet ſedibus hoſpes.

Emmeneſſ.

324. *Hoc ſolum nomen quoniam de conjuge reſtat.*] Hoc eſt, ſupereſt. Alii *reſtat* intelligunt *reſiſtit*, id eſt, contrarium tibi eſt. Nonnulli dicunt, *Hoc ſolum nomen quoniam ſupereſt, ut te conjugem dicam.* Dicitur autem ingenti adfectu hos verſus pronuntiaſſe, cum privatim, paucis præſentibus, recitaſſet Auguſto. Nam recitavit voce optima primum, tertium, & quartum. *Serv.*

325. *Quid moror.*] Utrum quid in hac terra moror, an quid in vita moror? *Idem.*

327. *Sal-*

Destruat, aut captam ducat Gætulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam suboles, si quis mihi parvulus aula
Luderet Æneas, qui te tamen ore referret;
Non

327. *Saltem.*] *Vel hoc.* est autem sermo tractus à captivis, qui cum frequentius ab hostibus capparentur, dicebant, *Sublatis omnibus, salutem concede.* Inde per Synæresin hic natus est sermo; ut in contemptu rerum multarum perituri aliquid, *saltem* dicamus: Quasi quod negari minime debeat, cum extremum aliquid petitur, inde necessitate additur *saltem*, veluti salutem postremo poscentes, vel salutem si aliter non potest. Et hic ostendere vult Didonem, ut est mos inconstantibus animis, præ amore id agere invidiose; quasi à legitimo marito deseratur: quis enim ignorat matrimonia liberorum suscipiendorum gratia iniri? Ait enim, *Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset. Ante fugam, soboles.* Dixerat enim, *Miserere domus labentis*, id est, futuri generis. Alii hoc à sorore natum volunt, quæ dixit: *Nec dulces natos Veneris nec præmia noris.* Idem.

Si qua mihi de te, &c. si quis mihi p.] *Qua* & *quis si* addita putantur, nam integrum est, *Si suscepta fuisset ante fugam soboles, & mihi parvulus aula Luderet Æneas.* Idem.

328. *Ante fugam subo'es.*] Et amatorie & amare. Nam hæc *fugam* dicit: quam ille nominat *profectionem.* Amor autem ex filii desiderio comprobatur. *Idem.*

Ante fugam.] *Fugam* dicit: nam non vult honestare rem, si dicat *discessum.* Donatus.

Suboles.] Cur in antiquis codicibus *suboles* habeatur, alibi dictum. Nunc duo adhuc succurrunt exempla ex antiquis monumentis, ubi *suboles* per *u* scriptum legitur. Ea sunt ad Æsculapii, ubi nunc Divi Bartholomæi phanum,

CVNCTORVM HAEC SVBOLI SEDEM POST MORTE RELIQVIT.

Et alio versu eodem epitaphio,

IT FACIET SVBOLES MVLTOS MEMORATA PER ANNOS.

A *Subolescere* enim hoc deductum esse nomen, alibi diximus. Sunt qui legunt *Soboles.* Pierius.

Si quis mihi.] Bene iterat *mihi*: & secundum jus loquitur. Nam ubi non est justum matrimonium, liberi matrem sequuntur. *Servius.*

Parvulus.] Sumptum credo ex Catullo, qui in Nuptiis Jul. & Mal.

Torquatus volo parvulus
Matris è gremio suæ
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello. Cerda.

329. *Luderet.*] *Ludere*, proprie puerorum est: unde & παῖδας Græci ἀπὸ τοῦ παίζειν à *ludendo* dici quidam volunt. *Taubmannus.*

Luderet.] Sic Juven. Sat. 5. vs. 138.
— *nullus tibi parvulus aula*
Luserit Æneas. & recte *referret* nam, ut Horat. l. 4. od. 5. *laudantur simili prole puerperæ* Emmeness.

Qui te tamen ore referret.] Aut sic dixit, quasi amatrix; ut supra de Ascanio, *Infandum si possit fallere amorem.* Aut illud dicit, Optarem filium similem vultui, non moribus tuis. *Servius.*

Qui te tamen ore referret.] *Te tantum*, & *tantum te* transpositæ dictiones in diversis codicibus sententiam identidem variant. Nam quum Servius exponat, Optarem filium similem vultui, non moribus tuis, quadrat ea lectio, *qui te tantum ore referret.* Quod si, ut in quibusdam aliis codicibus, manu scriptis, habetur, eam lectionem adprobaverimus, *qui tantum te ore referret*: *Tantum*, magnum amoris affectum ostendet, & ipsam petitionis honestatem, quum non quærat invitum retinere, neque futuræ

Non equidem omnino capta ac deserta viderer.
Dixerat: ille Jovis monitis inmota tenebat
Lumina, & obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert; Ego te, quæ plurima fando
Enume-

futuræ ejus felicitati velit invidere, optare vero tantum ejus imaginis memoriam apud se perpetuo permanere, quam assidue spectando delectetur, & solitudinis tædium levet, desertique amoris amaritudinem leniat, quod in suscepto filio contingere potuisset: & ideo ad optatorum diminutionem descendit, aitque *tantum*, ut ex pluribus, quæ forte negaturus erat, hoc saltem unum impetraretur. Tota enim orationis vis eo vertitur, ne deserat amatus amantem, aut si deserturus omnino sit, non ita miserabilem in ærumnis & calamitatibus derelinquat. Est & alia lectio in codice Longobardico, atque etiam in Mediceo, neque non in Porcio, *qui te tamen ore referret.* Cui lectioni nonnulli alii veteres codices adstipulantur. Et ita apud Arusianum in libello de Virgilianis elocutionibus scriptum habetur. Quæ quidem oratio & ipsa affectus, & amoris plena est. Ait enim, Tametsi summo opere concupiscat filium ex Ænea suscipere: nolle tamen, nisi patri futurus sit similis suo. Totaque in eo est, ut ostendat, se regnum, opes, famam, omnia denique posthabuisse, præ uno Ænea, quo si potiri non liceat, imaginem saltem Æneæ similem assidue contemplari possit. Quas vero impudicitiæ, voluptatisque notas interpretes huic inurunt, à Virgiliana sententia mihi videntur alienæ, qui amorem Didus exscribere videtur: de quo fertur unam esse animam in gemino corpore. *Pierius.*

330. *Capta, ac deserta.*] In Longobardico codice, in Mediceo, in Porcio, & aliquot aliis legitur, *ac deserta*, quod infelicitatem augere videtur. Multi enim captivi sunt, non tamen auxilii spe deserti: multi sine spe, non tamen captivi, se vero ait Dido omnino captam: sed nisi aliqua saltem imago Æneæ sit penes se, etiam desertam. Hinc illud horrificum in somnis ejus sequetur, *Semperque relinqui Sola sibi, semper longam incomitata videtur Ire viam, & Tyrios deserta quærere terra.* in non nullis legitur, *aut deserta.* Idem.

331. *Jovis monitis.*] Bene præscribit, ne ei det impietatem. Sane & *hæc monita* dicimus: ut, *Carmentis nymphæ monita, & deus auctor Apollo*, & *hos monitus*, ut Persius, *Hos pueri monitus patres infundere lippos.* Servius.

Ille Jovis.] Confundebatur pudore, utpote qui ingrati, qui fallacis, qui fugitivi infamiam subiret contra institutum suum. Sed solum Jovem sibi ante oculos ponebat, quod efficiebat, ut vir alioquin mitis & humanus, quamvis moveretur officiis Didonis, tamen à proposito non discederet. Recte autem dixit *monitis* potius quam *jussis*: quia non solum imperium eum movebat, sed ea, quæ imperabat, quæ ad regnum Italicum acquirendum pertinebant, & ne Carthaginem, suo imperio inimicam futuram, foveret. *Donatus.*

Inmota tenebat Lumina.] Physicum est, ut qualitatem animi ex oculorum, aut corporis stabilitate aut mobilitate noscamus. Ergo modo vult ostendere Ænean à proposito non esse deviatum. *Servius.*

332. *Obnixus.*] Id est, obstinatus. Scal. lib.4. cap.16. *Taubm.*

Curam.] Vel simpliciter accipe, vel amorem. *Servius.*

333. *Ego te, quæ plurima fando.*] Controversia est plena, in qua expurgat objecta, removens à se crimen ingrati: & veniali utitur statu, profectionem suam retorquens in voluntatem deorum: Habet

Enumerare vales, numquam, regina, negabo
Promeritam: nec me meminisse pigebit Elissæ;
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
Pro re pauca loquar. neque ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge, fugam; nec conjugis umquam
Præ-

›et etiam finem, nam purgat objectam ugam, nomine profectionis. *Idem.*

Ego te, quæ plurima.] Captatio be›evolentiæ in re dubia, à Didonis & ua persona. Tantum autem abest, ut Æneas ingratus fuerit, ut etiam gra›issimo animo fuisse, ubique appareat, ›eque hic tantum gratias agit Reginæ, ed luculentis verbis in primo etiam, ›b clementer auditam legationem at›que socios receptos. Pollicetur etiam ›ternam apud se memoriam beneficii:

Dum memor ipse mei, &c.

Ne vero aut crudelem, aut ingratum pu›tes, ubi dicitur,

—— *sed nullis ille movetur Fletibus.*

Rejectus enim est & effectus & causa ›n deos, illis versibus,

Fata obstant; placidasque viri Deus obstruit aures.

Ita placidæ suapte natura erant aures, Fato autem factæ duræ. de quibus Sca›ig. lib. 3. cap. 11. *Taubm.*

334. *Numquam, regina, negabo.*] Pa›am habet beneficia accepta; sed neces›itate impulsum, & non voluntate, o›stenditur, se illi non obsequi. Breviter ›utem purgavit, quæ objiciebantur, ne multiloquio tempus tereret: & ingra›titudinis vitium primo confutat, ut se›cundum artem incipiat à validioribus ›dversariorum objectis. *Donatus.*

335. *Promeritam.*] Præstitisse, & bene egisse: & est sermo de his, qui per contrarium magis lucent. Terentius, *Ita me velim ames promerentem pater,* id ›est, bene agentem. Et congruit, ut ›præstet, qui bene agit, contra comme›ritus, quia aliquid delinquit, ut alibi ›pse Terentius, *Quid commerui aut pec›avi pater?* id est, quid male egi? & ›est sensus, quantacunque enumerare potueris in me tua beneficia conlata, eorum tibi debere gratiam non repugno. *Servius.*

Meminisse pigebit Elissæ.] *Memini* & *illius rei* dicimus, ut hoc loco: & *memini illam rem*: ut, *Numeros memini, si verba tenerem.* *Elissæ* autem Didonis, quæ appellata est lingua Punica *virago*, cum se in pyram sponte misisset, fingens placare manes prioris mariti, cum nubere se velle Iarbæ mentiretur. *Idem.*

336. *Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.*] Hic versus superioribus jungendus, ut sit sensus, tandiu beneficiis tuis obligatus ero, quandiu vixero; Et bene hoc de futuro dixit, & congrue. Nam *Piget* ad futurum spectat, *pudet* ad præteritum, & licet pene sit una significatio, tamen dicimus, *Piget me illud facere* & *fecisse.* Unde interdum, præcipue à Salustio, simul ponuntur. *Idem.*

337. *Pro re pauca loquor.*] Remoto ingrati crimine descendit ad causam. & proprie, id est, si rei magnitudinem cogites, pauca. *Idem.*

Pro re pauca loquar.] Pro rei veritate, cui paucis verbis opus est. Pindarus: ὁμώνυμον εἰς δίκαν τρία ἔπεα διαρκέσει. Taubm.

Neque ego hanc.] *Profectionem* scilicet subaudis. Nam posteriori non potest jungi, ne sit confessio. Et hoc est, quod reddidit, *Dissimulare etiam sperasti.* Servius.

Neque hanc abscondere furto.] Probat quod non fugam, sed navigationem paravit: quia non venerat, ut matrimonium conficeret, quod probat, quod nullis solitis ceremoniis conjugium celebratum sit. *Donatus.*

339. *Præ-*

Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, & sponte mea conponere curas;

Urbem

339. *Prætendi tædas.*] Probat non esse matrimonium. Quia illa dixerat: *Per connubia nostra*, & est quasi status fines latens, Quid si sit legimæ nuptiæ, * & hic Æneam inducit agentem, nullo se matrimonii jure posse constringi, qui neque confarreatione Didoni conjunctus fuerat, ut Flamini ac Flaminicæ convenit, ait enim, *Nec conjugis unquam Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni*, & *Tædas* quidem quantum ad ignem pertinet, per quem mos confarreationis firmabatur, dixit; scilicet ne aut legitime jugatam contra fas reliquisse videretur, aut fœdus, id est, fidem rupisse perpetuæ castimoniæ, quia cum fuissent juncti, scirent tonuisse, quæ res dirimit confarreationes. Dixerat enim Juno, *Et tonitru cœlum omne ciebo*, & paulo post, *Insequitur commixta grandine nimbus*. Servius.

Nec conjugis prætendi tædas.] Quamvis νυμφίας δᾶδας & δαδέχες respicere videri possit: tamen non displicet doctis, *prætendi tedas*, ea forma dictum, qua Euripid. in Androm. πρέτεινα παιδὸς θάνατον, id est, *pueri mortem prætexui & confinxi. Ich hab mich auch nie vor ein Ehman ausgeben*. Taubm.

Aut hæc in fœdera veni.] Id est, matrimonii: & jungendum est superiori, aut certe ad posteriora pertinet: & hoc dicit, Non ad hoc veni, ut hic morarer: sicut & nunc probat dicens, *Me si fata meis paterentur ducere vitam*, & dixit in 1. *Quæ me cunque vocant terræ*. Ergo veni, consensi, hoc est, Non ad hæc consensi fœdera: ut, cum vellem discedere, non liceret. *Servius*.

340. *Me, si fata meis, &c.*] Observat H. Stephan. lib. Sched. cap. 11. has locutiones *ducere vitam suis auspiciis*, &, *componere vitam sua sponte*, esse easdem cum illa *sibi vivere*, qua usi Horatius in epist. & Ovidius 3. Trist. eleg. 4. quodque Plato τὰ ἑαυτῦ πράττειν. *Cerda*.

Paterentur.] In antiquo admodum codice pro *paterentur* suppositum est *voluissent*. Sed *Paterentur* multo quid majus habet, & multo magis eruditis satis auribus facit. *Pierius*.

341. *Meis auspiciis.*] Argumentum à necessitate, & *auspiciis* ideo, quia majores omnia auspicato gerebant. Ergo *auspiciis*, dispositionibus. Potest & *auspiciis* dixisse ominibus, quia in Jure Augurali *Auspicium* dicitur, quod non petentibus nobis ad ea, quæ in animo habemus, jure ominis offertur: vult enim ostendere Æneam semper animo volutasse ominibus, ut, quæ mente agitaret, offerrentur auspicio, atque augurio firmarentur: unde si bene advertas singula hic illi loco in tertio ad singula redduntur; nam quod ibi imprecatione, ibi, ubi augurio petit ea, quæ negaverat firmari, hic in reputatione comprehendit. Ibi enim dixit: *Serva altera Trojæ Pergama*, hic, *Urbem Trojanam primum*, ibi, *Relliquias Danaum atque immitis Achilli*, hic, *Dulcesque meorum Relliquias colerem*, ibi, *Mansuram urbem*, hic, *Tecta alta manerent*, ibi, *Ubi ponere sedes*, hic, *Recidiva manu posuissem Pergama victis*: ibi, *Quove ire jubes*, hic, *Italiam magnam Grynæus Apollo*. Ibi, *Da pater augurium*: hic, *Me si fata meis paterentur ducere vitam*. Alii *auspiciis* potestate, ut, *paribusque regamus Auspiciis*, vel quæ animo ac mente agitaretur, de quibus consulturi essent. *Servius*.

Meis auspiciis.] Mea dispositione, id est, ut vellem, & optarem. nam hic, *mea auspicia* dicit, quæ, quod volo, pollicentur, neque voluntati meæ refragantur: & proinde pro voluntate posuit, ait Turnebus l. 24. c. 76. *Taubm.*

Sponte mea.] Modo nomen est. Nam & genus & casum habet. Sic & *mane* cum ei & genus & casus additur, nomen est: ut, *Dum mane novum, dum*

gramine

Urbem Trojanam primum dulcisque meorum
Relliquias colerem: Priami tecta alta manerent;
Et recidiva manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam

gramina canent. Sic est, *Forte sua Libycis tempestas appulit oris.* Alias adverbia sunt. Verum autem dicit non sua sponte. Nam supra legimus, *Hos cape fatorum comites.* Item, *Diversas quærere terras Auguriis agimur divûm.* Servius.

Sponte mea componere curas.] Id est, meo arbitratu deliberare. *Scalig.* lib. 4. cap. 16. Ita Celso dicitur *Homo suæ spontis*, qui more suo vivit, & ut libet, ac nulli vitæ instituto adstrictus est: ὁ μὲν καὶ τῇ τύχῃ καὶ προαιρέσεως ἐλεύθερος. l. 1. c. 1. *Sanus homo, qui & bene valet, & suæ spontis est, nullis se obligare legibus debet.* Taubm.

342. *Primum.*] Id est, hoc vellem præcipue. *Servius.*

343. *Colerem: Priami.*] In Mediceo, & antiquioribus quibusdam exemplaribus & copulativa particula non habetur, positum vero est κατὰ διάλυτον, *Relliquias colerem, Priami tecta alta manerent.* in aliis est particula, &. Pier.

344. *Recidiva.*] Post casum restituta. Alii *recidivum* proprie dicunt, quod excisum denuo nascitur. *Servius.*

Recidiva.] Quamvis exemplaria multa *rediviva* legant, magis tamen placet, quod Servius etiam agnoscit, *recidiva.* à *Cado* enim *Recidivus*, quod ait ille post casum restituta. Ita etiam Fl. Sosipater sentit, qui *Rediviva* dici monet, quæ post interitum redeunt. *Recidiva*, quæ ex suo casu restituuntur. Unde Virg. *Recidiva manu posuissem Pergama victis.* Pierius.

Recidiva.] Ita legendum; non, *rediviva.* nam *recidivum* de hac gente perpetuum apud Poët. Miræ enim emphaseos & energiæ singularis. quod profecto ignoravit Servius, qui à *Redivivo* vix distinguit. Non ignorat Ausonius pro Consulatu Grat. actione: *Quæ bona præstas, efficis, ne caduca sint: quæ mala, prospicis, ne possint esse recidiva.* Et eleganter de Phœnice Corippus: *A busto recidiva suo.* ut notat D. Heinsius ad illud Sillii lib. 1. *Gens recidiva Phrygum, &c.* Aus. Popma explicatius ita: *Recidiva* sunt, quæ ex suo casu restituta eodem modo & genere redeunt: ut *Recidivas febres* dixit Plinius; Virgilius *Recidiva Pergama*, quæ fiunt ab his, quæ superstites sunt Trojanis periculis: Tertullianus *Reciprocarum frugum & uvidorum elementorum, & recidivi anni fidem argumentantur.* Arnob. l. 4. *Quicquid prior ætas abstulisset, recidiva substitutio denegaret.* *Rediviva* autem sunt, quæ ex vetustis renovantur, & quasi in vitam, nova adsumpta forma, denuo revocantur. ut *Redivivus lapis*, qui ex vetere in novum ædificium translatus de integro politur, &c. Quæ Turnebus l. 29, 24. annotat, minus accurata sunt. Vide etiam, quæ 7. Æneid. notavimus. Porro hic locus, eodem auctore, hanc continet sententiam: Mihi, si, ut volo & opto, res meas constituere, & consilia componere liceret, Coloniam ad renovandum nomen & memoriam antiquæ patriæ conderem: at mihi non licet arbitratu meo vivere, sed parendum fatis est, & Imperium Italiæ fatale capessendum, non colonia tantum condenda: cui vel in Africa possem sedem ponere. l. 26. c. 5. Denique de *Acervatione*, sive *Coagmentatione* hujus loci videatur Scal. l. 3. c. 42. Poët. *Taubm.*

345. *Sed nunc Italiam.*] Facit rem verisimilem: nam nullus ab ocio ad negotium, nisi invitus accedit. *Don.*

Grynæus Apollo.] Clazomenæ civitas est Asiæ. Unde Horatius, *Dives agebat Clazomenis.* Juxta hanc nemus est Grynæum, ubi Apollo colitur. Qui traditur ibi Grynem Amazanam stuprasse

Tym-

Italiam Lyciæ jussere capessere sortes.
Hic amor, hæc patria est. si te Carthaginis arces
Phœnissam, Libycæque aspectus detinet urbis;
Quæ tandem, Ausonia Teucros considere terra,
Invidia est? & nos fas extera quærere regna.

Me

Tymbreæ domum: * licet in Delo acceperit oraculum. Hic tamen singula commemorat, quibus se ostendat coactum voluisse abscedere. *Servius.*

346. *Italiam.*] Necessaria repetitio Italiæ, quia ibi ei dicebatur imperium, & ipsa est causa navigandi. *Idem.*

Lyciæ sortes.] Nec hinc accepit responsum: sed sic dixit *Lyciæ*, ac si diceret Apollineæ. *Idem.*

Lyciæ sortes.] Cujusmodi autem hæ sortes fuerint, disputant eruditi. Legatur Alciatus Parerg. l. 5. c. 22. ubi docet, apud antiquos oracula etiam sortibus data esse. & notat Pimpontius eadem significatione & κλῆρον & κλήρους Græcos, & πεσσοὺς Eurip. in Med. pro oraculis & vaticiniis dicere. *Taubm.*

Jussere.] Bene quæ contemni non possunt. *Servius.*

Capessere.] Occupare, & ideo frequentativo verbo usus est, quia multas se dicit super hoc sortes accepisse; quidam *capessere* pro *ire* accipiunt, ut Titinius, *Lucius domum se capessit.* Idem.

347. *Hic amor, hæc patria est.*] Eo, inquit, desiderio Italiæ per voluntatem deorum, circa Italiam teneor, quo possim circa Trojam. & ad illud spectat, quod dixit, *Troja per undosum peteretur classibus æquor.* An quia Dido dixerat etiam illud, *Nec te noster amor:* & potest hoc verbum interdum per confusionem verbi, & nominis poni, ut *amor amaris*, & *hic amor hujus amoris.* Id.

Hic amor, hæc patria est.] Si te cœpit amor novæ patriæ, non ægre feras, quod ego quoque novæ patriæ amore capiar. *Donatus.*

Si te Carthaginis arces Phœnissam.] Et tu externo regno delectaris. Sensus enim est, si tu ex Phœnice veniens Carthaginem in Africa habere potuisti, quæ invidia est, ut propriam sedem possint habere Trojani? & multum ponderis habet sensus cum Epitheta ista, *Phœnissam* & *Teucros*, ponit. *Servius.*

Si te Carthaginis arces.] Ad principis sui imitationem Pap. 1. Theb. inducit Junonem, expostulantem cum Jove, hunc in modum: —— *tibi templi*
Gratus honos: placet Ida nocens, mentitaque Manes
Creta tuos: me Tantaleis consistere tectis
Quæ tandem invidia est? Cerda.

348. *Aspectus detinet urbis.*] Potest pro *delectat* accipi, ut VIII. Æn. *Capiturque locis.* Sane quidam in novis & emendatis libris, pro *detinet*, *demeret*, inventum adserunt, nam & Ciceronem in prima Philippicarum, ita ajunt dixisse, *Putasne eum immortalitatem mereri voluisse?* Alii ab eo, quod est *mereor*, *mereris*, *meret.* Servius.

Aspectus detinet urbis.] Juvat urbem videre. Scal. lib. 4. cap. 16. *Taubm.*

349. *Quæ tandem Ausonia.*] Hoc ad illud pertinet, *Quid si non arva aliena domosque Ignotas peteres?* Servius.

350. *Et nos fas.*] *Nobis fas* dicimus: sed hoc loco non est jungenda elocutio, ne sit vitium. Nam legimus, *Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura.* Sed hoc dicit, fas est etiam nos extera regna requirere. *Idem.*

Et nos.] Quemadmodum & te. *Don.*

Extera.] Priscianus loco hoc, quod repetere non pigeat, Antiqui, ait, *citer* dixerunt. Unde *citerior.* Sic & *Exter.* Statius VIII, *Nec sua pignora curæ Exter honos.* Et Virgilius in IIII, *Et nos fas extera quærere regna.* Adverte vero κακοφωνίαν in triplicata *re* syllaba in earum dictionum continuatione *Quærere regna.* Pierius.

Extera regna.] Sic, teste Sanctio p. 37. apud

Me patris Anchisæ, quotiens humentibus umbris
Nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,
Admonet in somnis & turbida terret imago.
Me puer Ascanius, capitisque injuria cari,
Quem regno Hesperiæ fraudo, & fatalibus arvis.
Nunc etiam interpres divûm Jove missus ab ipso
(Testor

apud Stat. *exter honos* & passim *exteras nationes*. Emm.

351. *Me patris Anchisæ.*] Quasi adhuc responsis non crederet, addidit patris admonitionem. *Servius.*

Me Patris Anchisæ.] Similem, inquit, objurgationi video in somniis, per quietem patrem meum, & instantem, ut Italiam petam: nec id semel, sed noctibus singulis. Toties ille adest, & sua me præsentia, auctoritatis plena, horrore quodam perfundit, & ex officio paternæ pietatis me de itinere, à principio instituto, ad finem perducendo admonet. *Donatus.*

352. *Nox operit terras.*] A verisimili, ideo tempus posuit. *Servius.*

Quotiens.] Per unamquamque noctem. *Idem.*

Astra ignea surgunt.] Unam rem bis dixit, *Astra* autem *ignea* à sapientibus dicuntur. *Idem.*

Astra ignea.] Facit verisimile ex ipso tempore, in quo somnus capitur. *Don.*

Astra ignea.] Ita *ἄστρα ἔμπυρα καὶ φωτεινὰ* & Poëtæ & Philosophi dixerunt. ita in Epigr. *πυριλαμπεῖς ἀστέρες.* Cæterum hic aut rem unam bis dixit: aut vult, noctesque diesque à patre urgeri. *Taubm.*

353. *In somnis.*] More suo pro *in somniis.* Servius.

Turbida.] Id est, prius me admonuit, post negligentiam etiam terruit; *Turbida*, terribilis: quod & umbræ convenit, & parentis auctoritati. Aut *turbida* pro *turbata* & *sollicitata*, ut ipse VI. Æneid. *Quam metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent.* Nam & Æneas sic respondit, *Tua me, genitor, tua tristis imago.* Idem.

Turbida terret imago.] De nocturnis spectris, quæ terrorem incusserunt, & somnum interpellarunt, fusius Meursius ad Lycophr. 310. 311. *Emm.*

354. *Me puer Ascanius.*] Amor Ascanii scilicet admonet: & bene, & patrem, & filium posuit: ut ille increpando, hic dum videtur, urgeret. Sed hæc ad necessitatem profectionis adjecit. *Servius.*

Capitisque injuria cari.] Sic Græci *φίλην κεφαλὴν* dicunt. Il. θ. *Τεῦκρε φίλη κεφαλὴ Τελαμώνιε κοίρανε λαῶν*· & Il. ψ. *τίπτε μοι ἠθείη κεφαλὴ δεῦρ' εἰλήλουθας;* Sic sæpe *φίλον υἱὸν* Græci Poëtæ. *Germ.*

Capitisque injuria cari.] Scalig. l. 4, 16. sublimem hunc dicendi modum notare jubet. *Injuria* autem, scil. quam illi facio, defraudando eum regno fatali. Hoc vero dictum ob familiam Juliam, cui fatis Imperium Poëta debitum fuisse canit: non sine blandimento quærendæ gratiæ Cæsaris. Turn. l. 26. c. 5. *T.*

355. *Quem.*] Longe repetiit, & quem non ad caput, sed ad Ascanium retulit, & , licet excusetur, tamen *σολοικοφανὲς* est. *Servius.*

Regno fraudo.] Sic apud Justin. l. 6. c. 2. *militem fraudare stipendio.* inde *defraudare genium* Ter. Ph. 1. 1. 10. *E.*

356. *Interpres divûm.*] Hermes: expressit verbum de verbo. Sed hîc *Interpres* pro *nuntio* posuit, & ne forte fingere putaretur, addidit, *Testor utrunque caput*, deinde multa cum adfirmatione hoc agit; dicendo, *Ipse deum manifesto in lumine vidi.* Non ab alio dictum, & *lumine*, non in tenebris, non per quietem, omnia tamen hæc per translationem aguntur. *Servius.*

Ab ipso.] Id est, magno: ut supra, Ipse

(Testor utrumque caput) celeris mandata per auras
Detulit. ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere teque querelis:
Italiam non sponte sequor.
Talia dicentem jamdudum aversa tuetur,

Huc

Ipse deum tibi me claro demittit Olympo. Servius.

357. *Utrumque caput.*] Aut meum & tuum, aut Jovis & Mercurii: aut Anchisæ & Ascanii. Alii volunt Æneæ & Ascanii imagine numinis esse deceptum. *Idem.*

Testor utrumque caput.] Meum & tuum: *alii*, Meum & Ascanii: alii, ut Donatus, & Scalig. l. 3. c. 37. Jovis & Mercurii. Græci per caput alterius jurabant. Juvenal. Sat. 6.

——*Græcis nondum jurare paratis*
Per caput alterius.

Ovid. epist. Briseid. ad Achill.

Perque tuum nostrumque caput, &c.

Vide Brisson. l. 8. Formul. Capiti autem divinitatem tribuit consensus hominum. Itaque per hoc jurabant: & sternutantes salutabant: & in fide facienda annuebant. *Taubm.*

Celeris mandata per auras.] Sicut supra, *Celeris defer mea dicta per auras.* Serv.

358. *Manifesto in lumine.*] Aut claro: aut in nimbo, cujus majus est lumen. Sic Lucanus: *Postquam se lumine vero Miscuit.* Et fingenda sunt hæc, ut habeant admirationis venerabilem fidem. *Servius.*

Manifesto in lumine.] Confirmatio rei, ne credat esse deceptum: & interponit jusjurandum utriusque scilicet, Jovis, qui misit, & Mercurii, qui missus est. *Donatus.*

359. *His auribus hausi.*] Accepi: & est Pleonasmos. *Haurit* enim pro *percipit* ponebant veteres, & ideo qua potissimum parte sensus percipient adjungunt, simul hoc animo hauri, & *Hauriat hunc oculis ignem.* Probus enim ait, *Nemo haurit vocem.* Serv.

Vocemque his auribus hausi.] Ter. Hec. 3. 3. 3. hoc utitur pleonasmo a, *partim quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus.* Lactant. in lib. de Opificio Dei c. 8. ubi *aures* appellatas dicit à *vocibus hauriendis, vel quia*, inquit, *Græci* vocem *ipsam αὐδὴν vocant ab auditu, per immutationem literæ aures velut audes nominatæ.* Plura illic de structura aurium. de hac locutione videndus Scal. poët. l. 4. c. 34. *Emmeness.*

360. *Desine.*] Quia cognovisti justas discessus causas. *Donatus.*

Incendere.] Exagitare. *Servius.*

Incendere.] Ita in re pari Catull. in Nupt. Pelei:

Nostros ut luctus, nostræque incendia mentis. Cerda.

Querelis.] *Querellis l* literam metri addidit, nam *querela* dicitur, quia *querulus* facit hoc modo, & *loquela*, & *suadela.* Servius.

Querelis.] Usus obtinuit, ut *querela* unico *l* scribatur. Antiqui codices variant. Monumenta veterum duplicato *ll* plerunque scribunt. Legas enim in palatio montis Jordani, *dulciter sine querella.* Ei in monumentis Claudiæ Sympherusæ, *sine querella.* atque ita alibi sæpius. *Pierius.*

361. *Sequor.*] Ut, *Italiam sequimur fugientem*, & oratione ibi finivit, ubi vis argumenti constitit. *Servius.*

362. *Talia dicentem.*] Bene, non postquam dixit. *Idem.*

Jam dudum.] Ab initio orationis. *Idem.*

Jamdudum.] Ex quo incepit loqui, quæ sibi non placerent: qua consideratione incensa fuerat. *Donatus.*

Aversa.] Id est, irata: *Aversa* ergo ad

Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, & sic accensa profatur:
Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus; Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Nam

ad animum referendum est, nam incipit esse contrarium *adversa tuetur*, ut est, *Diva solo fixos oculos aversa tenebat*. S.

Aversa tuetur.] In Mediceo, & plerisque veteribus exemplaribus, *aversa* legitur: quod agnoscit Servius: ut, *Diva solo fixos oculos aversa tenebat*: de iis enim est, qui obaudiunt: sed quomodo *tuetur*, si *aversa*: Torve scilicet, & eo gestu, quo irati, quas res oderimus, vel despicimus, intueri solemus, oculis quippe in obliquum versis. *adversa* in non nullis codicibus. *Pierius*.

363. *Huc illuc volvens oculos.*] Medea simili affectu occupata apud Val. Flaccum lib. 7.

Oculos incerta tenet. Gerda.

Totumque pererrat.] Irascentis signum: ut cum totum nolit visum, totum tamen oculis errantibus cernat. *Donatus*.

364. *Luminibus tacitis.*] Pro *ipsa tacita*: ut, *Tacitumque obsedit limen amatæ*, hoc est, ipsa tacita. Sequitur autem invectio, quæ semper statu caret. Sane *tacitis* participium passivum pro activo. Quidam *tacitis* epitheton oculorum volunt. Alii *tacitis*, siccis præ iracundia. *Servius*.

365. *Nec tibi diva parens.*] Non est sola in Ænean objecta vituperatio, sed etiam in se dijurgatio, quia dixerat, *Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum*. Unde nunc dicit, *Generis nec Dardanus auctor*. Et studet illud destruere, *Tune ille Æneas quem Dardanio Anchisæ*, & nominando *Venerem* & *Dardanum*, & maternam & paternam generositatem destruit. *Idem*.

Nec tibi diva parens.] Ubi vidit illum non flecti precibus, vertit se ad convitia, ut saltem animo suo morem gerat. Est autem animorum maxima commutatio. nam cum amaret, dixit: *Genus credo esse deorum*. Donatus.

Nec tibi diva parens.] Ubi nunc sunt istæ laudes magnificæ, & dulcia verba, quibus Æneam in exordio libri prædicabat? Conferatur autem hic locus cum illo Catulli in Nupt. Pelei, ubi querellas plus quam Simonideas Ariadnæ, à Theseo desertæ, audias. *Taubm.*

366. *Perfide.*] Amantum verbo eum increpat. Sic supra, *Dissimulare etiam sperasti perfide*. Servius.

Duris te cautibus.] Quia asper es, & ab humanitate alienus. *Donatus*.

367. *Caucasus.*] Mons Scythiæ inhospitalis. Sane quidam absurde putant *Caucasum* & tigres à Didone memoratas, quia nec Didoni perturbatæ venire in mentem Caucasus potuit: nec tigres juxta eum cognitæ Hyrcanæ: nam quod ait *genuit Caucasus*, elaboravit dicendo *genuit* incredibilius facere de monte masculini generis; sed hic imitatur Græcos, qui magis proprie Γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα, quod hic ad propria nomina transtulit. *Servius*.

Caucasus.] Mons omnium fere excelsissimus, Indiam à Scythia dividens. Vide Ortelii Thesaurum in voce *Caucasus*. Hunc Alexand. Mag. XVII. dierum spatio cum exercitu superavit: ubi rupes eidem monstrata dicitur, in qua Prometheus religatus fuisse narrabatur. *Taubmannus*.

Hyrcanæque tigres.] Arabicæ, nam Hyrcania silva est Arabiæ. Et notandum relictis mediis comparationibus, eum augmenta fecisse, nam post deos, non homines, sed saxa intulit. *Servius*.

Hyrcanæque tigres.] *Hyrcaniam* intelligit, non eam, quæ in Ionia est, sed quæ in Scythia, quæ ab *Hyrcania silva*, tigribus, pantheris, pardis, & similibus

Nam quid dissimulo, aut quæ me ad majora reservo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit, aut miseratus amantem est?
Quæ quibus anteferam? jam jam nec maxima Juno,

Nec

belluis abundantissima nuncupata est. Plutarchus, ut feritatem tigrium demonstraret, docuit eos musica in furorem agi. Vide & Melam l.3.c.5. *Taubm.*

Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.] De morte Caucaso Mela l.1. c.15. altitudinem attingit Voss. ad Melam l.2.c.2. accurate describit Curtius l.7. c.3. inde *agmen processit ad Caucasum montem, cujus dorsum Asia perpetuo jugo dividit.* Huc facit Lactantii locus l.5.c.11. ubi feritatem bestiarum describit. *Nam quis Caucasus, quæ India, quæ Hyrcania tam immanes tam sanguinarias unquam bestias aluit?* inde Stat. l.8. Theb. *sic Hyrcana leo Caspius umbra.* Quid asperitatis ferat nutricatio & educatio docet Macrobius lib.5. Saturn. c.9. quare materno lacte alendos infantes suadet Gell. l.2. c.1. & Scal. l.5. c.3. *Emmeness.*

Ubera tigres.] Propter quod hominum mansuetudinem nescis. ostendit autem per alimoniam lactis, mores pueris infundi, quod & Ciceroni placet: qui in educatione oratoris jubet præcipuas adhiberi mulieres, cum per obsequia uberum, natura ex alia in aliam mutetur. *Donatus.*

368. *Quid dissimulo.*] Tacitæ quæstioni occurrit, ne quis ejus nimiam iracundiam reprehenderet, dicens Ænean posse mitigari forsitan precibus. *S.*

Quæ me ad majora reservo.] Aut ad majores scilicet injurias, aut ad superiora pertinent, quia & maledixit. *Id.*

369. *Num fletu ingemuit.*] Nam hoc est, *generis nec Dardanus auctor.* Idem.

Num fletu ingemuit nostro.] Aspiravit. Flac. 7. Arg. ubi Medea ad Jasonem:

Hei mihi, cur nullos stringunt tua lumina fletus? Cerda.

Num lumina flexit.] Hoc est, *genuit Caucasus*, vel ad illud pertinet, *Ille Iovis monitis immota tenebat Lumina.* Serv.

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit.] Ostendit non esse in Ænea, quæ in bono viro esse solent. Tria autem hæc sunt, per quæ homo miseratione motus esse videtur: gemitus, lacrimæ, oculorum flexio. *Donatus.*

Num lumina flexit.] Hominis ferrei descriptionem tradit Terent. Ad. 3.2.8. *Quem neque fides, neque jusjurandum, neque misericordia repressit, neque reflexit.* Emmeness.

370. *Miseratus amantem.*] Hoc est, *Hyrcanæque admorunt ubera tigres*, & *miseratus* accusativum regit, ut hoc loco: *misereor* genitivum: ut, *Miserere animi non digna ferentis.* Et bene avertit ab eo sermonem, & non dixit, *Ingemuisti*, num flexisti, aut miseratus es: ut, *Hic alienus oves custos.* Non dixit tum illi *es & miseratus* * hoc est, *Nec tibi diva parens.* Servius.

Miseratus.] Verbum hoc frequens in ore amatorum. 2.ecl. *Nil nostri miserere.* Phædra suo Hippolyto:

Nobilitas sub amore jacet, miserere priorum,
Et mihi si non vis parcere, parce meis.

Et suæ Cydippæ Acontius:

Juncta salus nostra est: miserere meique tuique.

Theocrit. Idyll. 15. Ἵλαο νῦν φίλ᾽ Ἄδωνι: *Miserere nunc dilecte Adoni.* Inde in amatoribus signatissimum est epithetum apud Poëtas, qui illos dicunt *miseros, & miserrimos*, non Latini solum, sed & Græci. Anacreon se τλήμονα signanter nominat. exempla abundant. Catull. dixit, —— *misellæ Ignes interiorem edunt medullam.* Ita etiam hic affectus est vehemens, ut misericordia plerunque movearis in hominem ea peste occupatum. *Cerda.*

371. *Quæ quibus anteferam.*] Amphibologia est, quid prius, quid posterius dicam. Quod fieri solet, ubi omnia

& paria,

Nec Saturnius hæc oculis pater aſpicit æquis.
Nuſquam tuta fides. ejectum litore, egentem
Excepi,

& paria, & magna ſunt. Sane *anteferam*, non eſt dividendum, ut *præferam*. Servius.

Nec maxima Juno.] Aut in Junonem maledictum eſt, ut eam non eſſe *maximam* dicat, ſicut etiam Jovem, nam convicium eſt, quod eum *Saturnium* dicit: hoc eſt, nocentem. Aut certe jungitur: ut: *Nec Juno aſpicit, nec Juppiter*, ut ſe dementem dicat, quod regina ejectum & egentem in partem regni receperit. aut certe *maxima Juno*, quæ ſolet amare Carthaginem, vel quæ nuptias dedit, quod optaverat Dido. *Id.*

Juno.] Quæ, vel quia deorum ſit regina, vel à ſe colatur, patriam ulciſci debebat, vel quia inimica eſſet Trojanis. *Donatus.*

372. *Nec Saturnius.*] Ut ſupra dictum eſt, ubicunque infeſtos vult oſtendere: vel Junonem vel Jovem *Saturnios* appellat, ut, *Veteriſque memor Saturnia belli*, &, *Saturnique altera proles Irarum tantos volvit ſub pectore fluctus*, & Jovem ideo *Saturnium* modo appellat, quia Ænean à Carthagine præcipit abſcedere. *Servius.*

373. *Nuſquam tuta fides.*] Hoc eſt, nec apud rem, nec apud hominem. Terentius, *Quid credas, aut cui credas?* Et declamavit per contrarium. Nam omnis fides tuta eſt. Cujus hæc proprie virtus eſt, ut tuta ſit, hic ait, *Nuſquam tuta.* Idem.

Nuſquam tuta fides.] In codicibus aliquot antiquis, *nuſquam eſt tuta* legitur. Sed enim *eſt* verbum ex paraphraſi additum eſt contextui. Magis enim Poëtica eſt elocutio, abſque eo verbo, *Nuſquam tuta fides*, dicere. *Pierius.*

Nuſquam tuta fides.] Eſt hoc, quod Propertius, lib. 2. eleg. 34.
Expertus dico, nemo eſt in amore fidelis.
Quod Catull. in Nupt. Pelei:
Nulla viri ſperet ſermones eſſe fideles.
Terentium explicans dedi. Verba iſta, *Nuſquam tuta fides*, ita aliqui explicant, *neque in re, neque in perſona.* Cerda.

Nuſquam tuta fides.] Turn. l. 26. c. 5. *Nuſquam tuta fides eſt* hîc valet, non tutum eſt, quenquam in fidem recipere, aut de quoquam bene mereri: cum tanta in hominibus perfidia & ingrati animi perverſitas reperiatur. nam Æneas, de quo tam bene merita ſum, in me ſtudioſus & gratus eſt; & ingrato tamen animo prætexit deorum imperium, perfidiæ latebram quærens, cum ſimulet ſe deorum juſſis cogi. Id enim eſt, *Nunc Lyciæ ſortes, &c.* Taubm.

Nuſquam tuta fides.] Eadem querela eſt Birrhiæ Terentiani A. 2. 5. 14. *Nullane in re eſſe homini cuiquam fidem?* Stat. Thebaid. l. 3. —— *nuſquam pietas, non gentibus æquum, fas, aut jura Jovis.* Vide Turn. l. 26. c. 5. *Emmeneſſ.*

Ejectum.] Naufragum. Legimus enim, *Huc pauci veſtris adnavimus oris*, & eſt ſeparandum *ejectum*. Servius.

Ejectum.] Qui naufragio erepti & ſuperſtites ad litus perveniunt, *ejecti* ἐκϐλητοι Gr. dicuntur Ter. A. 1. 3. 18. *Navem is fregit, &c. Ibi tum hanc ejectam Chryſidis patrem recepiſſe.* & 5. 4. 20. *Apud Andrum ejectus eſt, tum ille egens.* Cicero alibi, *Quid tam commune quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis.* Emmeneſſ.

Litore egentem.] Id eſt, egentem litoris: ut, *Hoſpitio prohibemur arenæ*, vel ſi jungas *ejectum litore*, pro *in litus*, ut, *Inferretque deos Latio*, pro *in Latium*, & in tribus modis hæc elocutio profertur. *Egeo hanc rem*, Plautus in Menech. *Linum, lanam præbeo, neque quicquam eges.* Egeo hujus rei, *Has ego Dardanio juveni, cum claſſis egeret*, & *egeo hac re*, ut, *litore egentem.* Servius.

Ejectum litore, egentem excepi.] Animadvertenda loco hoc diſtinctio dictionum: quia Priſcianus *Ejectum litore* legit, pro *in litus.* Quamvis quidam diſtinguentes *Ejectum* ad conſequens verbum dicunt, *Litore egentem ſuſcepi.* Ita enim

Excepi, & regni demens in parte locavi,
Amissam classem, socios à morte reduxi.
Heu Furiis incensa feror! nunc augur Apollo,

Nunc

enim ibi scriptum est, propterea quod *excipere* significationem habere nonnunquam videtur cum insidiis, ut eo loco, *Æmulus excepit Triton.* invenitur tamen verbum id hospitalitati etiam adcommodatum. Nusquam vero alibi, quam apud Priscianum, idque in antiquo codice manu scripto, qui est apud eruditissimum virum Hieronymum Aleandrum contubernalem meum, legi, *Litore egentem Suscepi.* In Virgilianis autem omnibus exemplaribus, *Excepi.* Pierius.

374. *Excepi.*] Ad illud respondet, *Ejectum litore egentem.* Servius.

Regni in parte.] Ut, *Ac dominum Æneam in regna recepit*, quod Iarbas conqueritur, & est invidiosum, quando optantem, vel litoris egentem, in regni partem recepi. Mire autem recordatione beneficiorum iracundia accenditur. Sane etiam hic mentio ceremoniarum inducitur. Mos enim apud veteres fuit Flamini ac Flaminicæ, ut per farreationem in nuptias convenirent, sellas duas jugatas ovili pelle superinjecta poni, ejus ovis quæ hostia fuisset, & ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione Flamen ac Flaminica residerent, quod Dido meminit cum queritur, se ab Ænea contra jus nexus maritalis deseri, his verbis: *Regni demens in parte locavi. Locata* enim *uxor* dicitur, quod simul cum eo sedeat dum confarreatur. *Idem.*

Regni dem. in p. l.] Ab hoc beneficio non diffidet illud, quo Phyllis ornavit Demophoonta, quodque ipsa late exprobrat apud Ovid.

Quæ tibi subjeci latissima regna Lycurgi,
Nomine fœmineo vix satis apta regi:
Qua patet umbrosum Rhodope glacialis ad Æmum,
Et sacer admissas exigit Hebrus aquas.

Cerda.

Regni demens in parte locavi.] Vide, quæ diximus ad illa, 1. Æn.

Vultis & his mecum pariter considere regnis? Taubm.

375. *Amissam classem.*] Subaudis, *Renovavi.* Ad illud respondit, *Quassatam ventis liceat subducere classem.* Serv.

Amissam classem.] Quasi contra me feci: nam sine illa navigare non posset. *Donatus.*

Amissam classem.] Hoc satis fuit vati. Poëta aliquis vulgaris laxasset hîc habenas, & diceret, refeci classem, qua me desereres, & multa in hunc modum. parcius Noster. hoc enim cogitandum reliquit, nam & dolor illud supprimebat. Sic Jul. Scal. quibus verbis Ovidium tacite reprehendit, apud quem Phyllis:

Ah, laceras etiam puppes furiosa refeci,
Ut qua desererer, firma carina foret.

Cerda.

Socios à morte reduxi.] Scilicet quos hospitio ejectos excepi, quibus classem reparavi. *Servius.*

Reduxi.] De classe dicamus solum *reduxi classem*: de sociis vero, *reduxi socios à morte.* Donatus.

A morte reduxi.] Ἀναλύσαι καὶ ἐξαναλύσαι ἐκ θανάτου, apud Homerum. *Germanus.*

Amissam classem, socios à morte reduxi.] Codices vetusti partim *Amissam & socios à morte* legunt, partim absque particula copulativa *Amissam classem, socios à morte reduxi*: quæ quidem membra ita soluta magis conveniunt indignatæ personæ. Est & illud animadversione dignum, quod in Prisciani codicibus hoc citato versu legere est, *ejectam classem, socios à morte reduxi.* Sed quia paulo ante, *Ejectum litore egentem* legitur, magis placet cum Servio & aliquot antiquis codicibus legere *amissam classem.* Pierius.

376. *Heu furiis incensa feror.*] Aut quod necesse habeo exprobrare beneficia. Terentius, *Insanire occipiunt homines*

Nunc Lyciæ ſortes, nunc & Jove miſſus ab ipſo
Interpres divûm fert horrida juſſa per auras.

Scili-

tes & injuria. Quia multa erat in deos loquutura: & bona præmittitur excuſatio. Nam numina non credere curare mortalia, & ab his beneficium ſperare, furoris eſt. Subjungit enim, *Si quid pia numina poſſunt.* Servius.

377. *Nunc Lyciæ ſortes, nunc & Iove miſſus ab ipſo.*] Irriſio eſt honeſta ſatis: cum his verbis ſit quibus laus promiſſa eſt: ut, *Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit, Necdum illis labra admovi, ſed condita ſervo.* Scimus autem Æneam ſuperius hæc verba dixiſſe: *Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo, Italiam Lyciæ juſſere capeſſere ſortes. Lyciæ* autem *ſortes*, Apollinem Lycium appellat, ſive de Lycio, quem vicit, & victoriæ ſuæ teſtimonium hoc nomen induit; ſive quod eſt λευκὸς, à candore, idem enim & Sol creditur, ſive quod transfiguratus eſt in lupum cum Cirene concubuit, & inde eadem provincia *Lycia* vocata; ſive quod in lupi habitu Thelcanos occiderit; ſive quod lupus ei primus poſt interemptum Pythonem, ex eo loco, qui appellatur Tempe, aurum attulit, ſive quod paſtoralis deus lupos interemerit, & eſt alia fabula cur *Lycia* vocata ſit regio. Diana harum regionum gaudebat venatu, ſed quodam tempore tanta vis luporum ſe ibi infudit, ut omnes feras eorum incurſus abſumeret: cum ergo omnis oblectatio deæ, quæ de venatione veniebat, extinctis cæteris animalibus, defeciſſet, Apollo * ob hanc rem conſecratum eſt. Eſt alia de hoc fabula, Danaus trahens ab Ægypto originem, cum videret ira Neptuni vindictam ſumentis, quod adverſum ſe de condendis Athenis Hiſagus fluvius pro Minerva judicaſſet, uri ſiccitatibus ſolum, filiam Amymonem ad aquam inquirendam proficiſci jubet, quæ cum vidiſſet repertum fontem, hiatu terræ receptum exaruiſſe, ad patrem detulit: quo ille prodigio commotus, oraculum Apollinis adit, cui Apollo reſpondit, ut profectus ubi inveniſſet taurum & lupum inter ſe pugnantes, ſpectaret exitum pugnæ, & ſi taurus viciſſet, Neptuno templa conſtitueret: ſi vero lupus, Apollini delubrum ſacraret. Sed cum Danaus lupum videret viciſſe, Apollini Lycio templum dedit: in hujus autem Lyciæ regione Patara ſacer olim lucus Apollini fuit, ubi Apollo reſponſa dedit, unde etiam *Patareus* appellatus eſt. *Servius.*

Nunc.] Quaſi dicat, nunc cum vult abire: ſed cur non antea, cum opera mea egeret? *Donatus.*

Nunc Jove miſſus ab ipſo.] Sicut ſupra ab ipſo magno: Et bene *nunc* ſæpius poſuit ad inriſionem, quaſi nunc de te curant, qui ante periclitanti non curaverunt ſubvenire. *Servius.*

Nunc Lyciæ ſortes, nunc & Jove miſſus ab ipſo, &c.] Irriſionis ſpecie utitur, quæ *mimeſis* appellatur, qua alicujus verba, ante prænuntiata, repetuntur ad contemtum. hæc dicta ab Ænea ỳſ. 346. 355. Ter. E. 1. 2. 75. *At ego neſciebam quorſum tu ires? Parvula, &c.* In Maroniana tamen Didonis plus acerbitatis eſt. videndus Turneb. qui l. 26. c. 5. Didonis invectivam interpretatur: Æneam nempe ingrato animo prætexere Deorum imperium, &c. *Emmeneſſ.*

378. *Horrida juſſa.*] Et hoc per inriſionem quaſi plena venerationis, vel quæ tu timeas. *Servius.*

Juſſa.] Non male interpreteris, *fata.* obſervavi enim *juſſa* & *fata* eadem eſſe, cum de Diis eſt ſermo. id ipſum confirmat attributum, nam hic juſſa *horrida*, ſicuti fata in 11.

—— *eadem horrida belli*
Fata vocant.

& verſus ille ſuperior,

Italiam Lyciæ juſſere capeſſere ſortes.

ad quem hic alluſum. *Cerda.*

Scilicet is superis labor est: ea cura quietos
Sollicitat. neque te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis: pete regna per undas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Suppli-

379. *Is.*] Legendum omnino, *is:* quippe *labor*, ex codicibus fere omnibus antiquioribus. *Pierius.*

Scilicet is sup. est.] Dixi hic attingi dogma Epicureorum, qui dicebant Deos non implicari mortalium curis. Ex qua opinione Lucret. ita scripsit l. 1.

Omnis enim per se Divûm natura necesse est
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus, sejunctaque longe.

Probat hoc Lucretius,

Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Idem ex eadem opinione de Diis loquens:

Quidve novi potuit tanto post ante quietos
Illicere.

& Æschyl. in Agamem.

Οὐκ ἔφα θεὺς βροτῶν
Ἀξιοῦσθαι μέλειν.

Nemo dixit Deos curare res mortalium. & Plin. l. 2. c. 7. *Irridendum vero, agere curam rerum humanarum illud, quicquid est summum. An ne tam tristi, atque multiplici ministerio non pollui credamus, dubitemusve?* Pari Epicureorum dogmate dictum ab Horatio *quietis ordinibus Deorum.* & ab Cedreno de Deo, ἡσυχάζων ἥδεται ἐν τῇ ἀκροτάτῃ εὐφροσύνῃ: *quietus lætatur in summa voluptate.* Est etiam in Virgilio Euripidis imitatio, quam Germ. animadvertit. *Cerda.*

Scilicet is superis labor est.] Semper cum εἰρωνείᾳ ponitur *scilicet*, ut Donat. ad Ter. A. 1. 2. 14. *id populus curat scilicet.* Horat. l. 3. od. 5. *auro repensus scilicet acrior miles redibit.* Nihil apud Ciceronem frequentius. Vide sis Scal. l. 3. c. 80. *Emmenss.*

Quietos sollicitat.] Cicero in libris de deorum natura, triplicem de diis dicit esse opinionem, Deos non esse: cujus rei auctor apud Athenas exustus est. Esse, & nihil curare: ut Epicurei. Esse, & curare, ut Stoici: secundum quos paulo post, *Si quid pia numina possunt.* Nam modo secundum Epicureos ait, *Ea cura quietos.* Quidam superos deos Mercurium, Apollinem, & Jovem accipiunt; *quietos* vero infernos, quia Æneas dixerat, *Me patris Anchisæ.* *Sollicitat* vero sollicitos habet. Terent. *Ego quia non redit filius, quæ cogito & quibus nunc sollicitor rebus.* Servius.

Ea cura quietos sollicitat.] Quemadmodum Eurip. Troad. Deos ἡσύχους ἐν οὐρανῷ dicit, sic Horat. cum nostro eos *quietos* appellat lib. 3. od. *& adscribi quietis ordinibus patiar Deorum.* Claud. l. 3. de Rapt. Proserpin. in princ.

Ancipites, trepidique ruunt, quæ caussa quietos
Excierit, tanto quæ res cogitanda tumultu. Emmeness.

380. *Neque te teneo.*] Vide Quintil. l. 9. c. 2. Scalig. l. 3. c. 88. Apophasin vocat; cum non dicendo dicimus. *Taubm.*

Refello.] Vel retardo, vel falsa esse convinco: *refello* enim ab eo quod est *fallo* venit. *Servius.*

381. *I, sequere Italiam ventis.*] Satis artificiosa prohibitio, quæ fit per concessionem: quæ tamen ne non intellecta sit persuasio, permiscenda sunt aliqua, quæ vetent latenter, ut, *Ventis, per undas,* nomina terribilia, & *sequere* quasi fugientem. Sic Terentius, *Profundat, perdat, pereat: nihil ad me attinet.* Ergo hic cum eum videtur dimittere, admonendo periculi retinet. Sane multi *Italiam* distinguunt, ut sequatur, *Ventis pete regna per undas.* Idem.

382. *Spero equidem.*] Videtur eadem quo-

Supplicia hausurum scopulis, & nomine Dido
Sæpe vocaturum. sequar atris ignibus absens:

Et,

quodammodo repetere, & de tempestate & de beneficiis suis vehementius. *Idem.*

Mediis scopulis.] Aut manifestis, ut, *Medioque ex hoste recepi.* aut illa saxa dixit, quæ sunt inter Africam & Sardiniam, atque Siciliam. *Idem.*

383. *Hausurum.*] Luiturum, daturum. *Idem.*

Supplicia hausurum.] Supplicium extremum est, non aliud, ut falsi multi. Erythræus legit *hæsurum supplicio*, motus fortasse insolentia vocis, nam frequentius, *hausturum*. Sed ego nihil muto. Dirissime Dido imprecatur his carminibus, vultque, ut Æneas, tanquam perjurus, mediis fluctibus obruatur. putabant enim veteres hoc supplicii genus paratum esse à Numine iis, qui fidem violassent, præsertim qui amorem læsissent. Dido apud Ovidium morem hujus imprecationis attingit, & illius causam his versibus:

Nec violasse fidem tentantibus æquora prodest,
Perfidiæ pœnas exigit ille locus.
Præcipue cum læsus Amor, quia mater amorum
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.

Cerda.

Dido.] Potest & vocativus esse, & accusativus, ut & *ô Dido*, & *hanc Dido.* Servius.

Dido.] Quod *Didum* uspiam scriptum inveniatur, non adeo mirum est, quum Plinius eam declinationem, asserente Sosipatro, videatur admisisse. Qui tamen consuetudinem dicat facere, *hanc Calysto*, hanc *Calypso*, & similia. Atteius sane Philologus librum suum sic edidit inscriptum, An amaverit *Didum* Æneas. & L. Anneus Cornutus in Maronis commentariis, Æneidos x. *Didus* ait, hospitio *Didus* exceptum esse Æneam. Quo minus reformidemus illud *egentem excepi.* Sed enim hoc loco, ut ad rem veniamus, *Dido* per synæresin, ex Διδὼ, & peritiorum consensus, & antiquorum codicum testimonia comprobant. *Pierius.*

Dido.] Inclino, ut sit quartus casus, Græca forma, qua usus & Livius l. 4. 2. *literasque eis dat ad Praxo hospitam.* Cerda.

384. *Sæpe vocaturum.*] Ita enim solent naufragi in extremo discrimine. Illustrat diligenter Passeratius. Ovidius 11. Metam.

— Ceycis in ore
Nulla nisi Alcyone est.

iterum, *— sed plurima nantis in ore*
Alcyone conjux, illam meminitque refertque.

Et adhuc,

Oraque nostra tuum frustra clamantia nomen
Implerunt fluctus.

Demum:

Dum natat, absentem, quoties sinit hiscere fluctus,
Nominat Alcyonen, ipsisque immurmurat undis.

Vides quater inculcari morem hunc in eadem fabula. In fabula etiam Icari idem Poëta:

Oraq; cærulea patrium clamantia nomen
Excipiuntur aqua.

Ita etiam Propertius lib. 2. eleg. 26.

At tu vix primas extollens gurgite palmas,
Sæpe meum nomen jam peritura vocas.

Neque abit illud ejusdem lib. 1. eleg. 17.

Illa meum extremo clamasset pulvere nomen.

Cerda.

Sequar atris ignibus.] Alii furiarum facibus dicunt: hoc est, *Invocatas tibi immittam diras.* Alii sociorum facibus dicunt, ut paulo post, *Ferte citi flammas.* Melius tamen est, ut secundum Urbanum accipiamus, *Atris ignibus*, rogalibus, qui visi tempestatem significant, ut Æneæ (sicut in quinto legimus) contigit. Hoc ergo, quod factum est, dicit, id

 est,

Et, cum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero. dabis, inprobe, pœnas.
Audiam,

est, occidam me, & rogalibus te persequar flammis. *Servius.*

Absens.] Mortua: vel de suis dicit hominibus, ut paulo post: *Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.* *Absens* autem, id est, inferias. *Atris* autem rogalibus, id est, nigris, quæ dum dicit ignium meminit, & debuit *absens* conjungere, ut esset *quanquam absens.* Idem.

385. *Et cum frigida mors.*] Id est, post mortem. Scal. l. 4. c. 16. *Taubm.*

Anima seduxerit artus.] Hypallage enim pro *animam artubus seduxerit.* Aut certe *anima*, pro *ab anima*, & est mortis periphrasis. Quid enim est mors, quam separatio animæ à corpore? *Servius.*

Anima seduxerit.] In antiquis aliquot exemplaribus, *subduxerit* habetur: quam lectionem Servius agnovisse videtur, dum exponit hypallagen esse, pro *animam artubus subduxerit.* Ubi vide ne in Virgiliano codice ex hac interpretatione Servii *animæ* dativo casu sit legendum, si hypallage, quam ille loco hoc commentus est, facere voluerimus. Sed enim, ut utranque lectionem approbarim, sive *anima seduxerit*, sive *animæ subduxerit* legere quis maluerit: ita hypallagen à philosophica ratione alienam esse contenderim. Nam quum finiat Plato philosophiam esse mortis meditationem, veteres ejus interpretes duplicem mortis rationem comminiscuntur, aut duas potius mortes, unam, qua corpus separatur ab anima, alteram, qua anima separatur à corpore, hanc per exstasin fieri, & intentiorem contemplationem, qua ab omnibus pene humanis sensibus abalienamur, eamque esse philosophiam, de qua intellexerit Plato. Illam vero, qua corpus ab anima separatur, eam esse mortem, qua species ipsa corrumpitur, ac esse definit. Si igitur Servianam hypallagen admittamus, quæ *animam artubus subducat*, Ecstasis intelligetur, & Platonica philosophia. Sin, uti Virg. posuit, dicamus, *Anima seduxerit artus*, sive *Animæ subduxerit artus*, de ea morte sermo erit, quam hic Dido vult intelligi. Si quis vero quærat, quæ mea sit sententia ex duabus lectionibus, eam ego castiorem dico, quæ Platonicæ finitioni propior est, quippe *anima seduxerit artus*: id est, quum mors corpus ab anima separaverit. *Pierius.*

386. *Omnibus umbra locis adero. dabis, inprobe, pœnas.*] Dicunt Physici biothanatorum animas non recipi in originem suam, nisi vagantes legitimum tempus fati compleverint: quod poëtæ ad sepulturam transferunt: ut, *Centum errant annos.* Hoc ergo nunc dicit Dido, Occisura me ante diem sum: vaganti mihi dabis pœnas. Nam te persequar & adero quandiu erravero semper. si autem fuero recepta in originem, pœnas tuas audiam, quas videre non potero. Hic ergo sensus est, si tempestatem evaseris flammarum rogalium, umbra mea te persequetur. si & hanc evaseris, vel recepta audiam famam suppliciorum tuorum. *Servius.*

Omnibus umbra locis adero, &c.] Ad hanc rem allusisse Homerum Iliad. 11. vult Spondanus, ubi Elpenor petit ab Ulysse, uti se tumulet, quod, ni faciat, sic minatur,

—— μήτοι τι θεῶν μήνιμα γένωμαι:
—— *ne qua tibi Deorum indignatio fiam.*

Apud Suet. in Neron. cap. 34. ipsemet Nero est *sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum, ac tedis ardentibus.* Idem Othon. cap. 7. *dicitur ea nocte per quietem pavefactus gemitus maximos dedisse; repertusque à conversantibus humi ante lectum jacens per omnia piaculorum genera Manes Galbæ, à quo deturbari expellique se viderat, propitiare tentasse.* Eadem Dido apud Ovid.

Conjugis ante oculos decepta stabit imago
Tristis, & effusis sanguinolenta comis.

Et

Audiam, & hæc manis veniet mihi fama ſub imos.
His medium dictis ſermonem abrumpit, & auras
Ægra fugit, ſeque ex oculis avertit & aufert;
Linquens multa metu cunctantem, & multa parantem
Dicere. ſuſcipiunt famulæ, conlabſaque membra
Marmoreo referunt thalamo, ſtratiſque reponunt.
At pius Æneas, quamquam lenire dolentem

Solando

Et in Ibin:

Tum quoque factorum veniam memor umbra tuorum,
Inſequar & vultus oſſea forma tuos.

Apud Liv. l. 25. L. Martius hac maxime ſuperſtitione milites ſuos ad bellum concitat, cum ait: *Scipiones me ambo dies noctesque curis inſomniiſque agitant, & excitant ſæpe ſomno, neu ſe, neu invictos per octo annos in his terris milites ſuos, commilitones veſtros, neu Remp. patiar inultam.* Et de Philippo rege Macedonum, qui inſontem interfecit filium Demetrium, Livius l. 40. Agnoſcit Horatius Od. 5. Epod.

Quin ubi perire juſſus exſpiravero,
Nocturnus occurram furor,
Petamq; vultus umbra curvis unguibus,
Quæ vis Deorum eſt Manium:
Et inquietis aſſidens præcordiis
Pavore ſomnos auferam.

Et Quintilianus declamat. 314. Brodæum ad hunc locum conſule l. 5. Miſcell. c. 11. *Cerda.*

Dabis, inprobe, pœnas.] More Græcorum, qui paſſim δοῦναι δίκην· Eurip. in Oreſt. ἀλλ' ὡς μὴ δίκην δοίη πόσει· & idem: οὗ φασὶ πρῶτον Δαναὸν Αἰγύπτῳ δίκας διδόντα, hoc eſt, ut alibi: δίκας τίνοντα. *Germanus.*

387. *Manis imos.*] Ad hunc locum conſule Salmaſ. Plin. exercit. p. 412. *Emmeneſſ.*

388. *Medium ſermonem.*] Propter hoc, quod ſequitur, *Multa metu cunctantem, & multa volentem Dicere.* Ut ſupra, *Mortales viſus medio ſermone reliquit.* Sane multi *dictis*, participium, non appellationem volunt, hoc eſt, cum hæc dicta eſſent. *Servius.*

Auras ægra fugit.] Animi ægritudine exanimatur: non reſpirat exanimata. nam, qui reſpirat, aura fruitur: qui non reſpirat, aëre nihil utitur, nec veſcitur. Turn. l. 26. c. 5. *Taubm.*

390. *Linquens*] Multi pro *derelinquens Ænean.* alii pro *deficiens* accipi volunt more antiquo, ſicut *delinquere* pro *deficere*: Cælius hiſtoriarum, *Delinquere frumentum, Sardiniam hoſtes tenere.* Tubero, *Nam delinquit aut ſuperet aliquid tibi*, id eſt, deficiat aut ſuperet. Gellius Annalium, *Deliquium Solis*, & *delinquionem* dicit: Quod Virgilius, *Defectus Solis varios*: Nam in hoc ipſo loco ſequitur. *Servius.*

Multa parantem.] Vetuſti aliquot codices, *Multa volentem dicere* legunt: ſed *parantem* longe melius. *Pierius.*

391. *Suſcipiunt famulæ.*] *Eam* ſubaudi. *Servius.*

Suſcipiunt.] Exprimitur Gr. ἀντιλαμβάνεσθαι, quod eſt, auctore Galeno, manus proprium. Ita Lucæ 1. ℣ſ. 54. ἀντελάβετο, *ſuſcepit*, id eſt, proſtratum porrecta manu ſublevavit; ut explicat ibi Gallicanus Interpres. Lucan. l. 8. de Cornelia:

——*famulæque attollere terra*
Semianimem conantur heram.——

Taubmannus.

Conlabſaque membra.] Elegantiſſime caſum exanimatæ expreſſit. *Idem.*

492. *Thalamo.*] Dativus caſus. *Servius.*

393. *At pius Æneas.*] Ordo eſt, at pius Æneas juſſa divûm exequitur. Bene autem excuſat Ænean *pium* dicendo, cum ei & gemitus dat, & oſtendit ſolatia dolenti velle præſtare, & probat relli-

Solando cupit, & dictis avertere curas;
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore;
Jussa tamen divûm exsequitur, classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt, & litore celsas
Deducunt toto navis. natat uncta carina:
Frondentisque ferunt remos, & robora silvis
Infabricata, fugæ studio.
Migrantis cernas, totaque ex urbe ruentis:
Ac veluti ingentem formicæ farris acervum

Cum

religiosum, cum deorum præceptis paret. *Serv.*

Dolentem.] Sollemne verbum agnosco, quod datum amatoribus creberrime, illorum enim cura *dolor* nuncupata. Ovid. 2. de Art. *doluit Calypso.* & 2. Rem. *si quid dolebis.* iterum: *Quid Menelae doles?* & in epist. *sic Helene doleat.* obvium hoc. Bene ergo Hen. Steph. illud Anacreontis, σὺ δ' κραδίην ποιήσεις, amatorio verbo reddit, *At cor tibi dolebit.* Cerda.

395. *Animum labefactus.*] Pro *animum labefactum habens.* Servius.

Amore.] Num Didonis quo illa flagraret? *Idem.*

Labef. amore.] Lucr. l. 41.
Membra voluptatis cum vi labefacta liquescunt. Taubm.

396. *Jussa exsequitur.*] In Virgilio, synonyma sunt, *jussa exsequi, capessere, facere.* Hic vides primum, duo reliqua habentur 1. Æn. *mihi jussa capessere fas est. Et jam jussa facit.* Cerda.

397. *Tum vero Teucri.*] Regis scilicet præsentia. sic in nono, *Tum vero incumbunt, urget præsentia Turni.* Servius.

Litore.] De litore. *Idem.*

398. *Natat.*] Ita Catullus, Tibullus, Propertius, dant hoc verbum navibus. Primus in nupt. Pel. alter lib. 1. eleg. 5. tertius lib. 2. eleg. 26. *Cerda.*

Uncta.] Pice delibuta. *Servius.*

399. *Frondentisque ferunt.*] Non qui erant, sed quia esse potuerant: ut, *Quos ego sim totiens jam dedignata maritos.* Idem.

Robora silvis infabricata.] Aliquando αὐτόξυλα, & αὐτέργητα· Epigr. lib. 6. ἀνέργαστα, ἀποσχεδιασθέντα· quibus opponuntur ἐργάσιμα ξύλα. Sic & Calab. lib. μ. de studio & solertia Epœi in Durateo equo fabricando: οἳ δ' ἄρ' ἀπ' ὄζοις λείαινον πελέκεσσιν ἔτ' ἀπείρων ἀπὸ φιτρῶν. *Germ.*

400. *Infabricata.*] Bene expressa est festinatio navigare cupientum. *Servius.*

Fugæ studio.] Celeris profectionis: ut, *Ille volans simul arva fuga, simul æquora verrit.* Idem.

401. *Cernas.*] Honesta figura, si rem tertiæ personæ in secundam referas: hoc est, *si quis cernat.* Idem.

Cernas.] Solet Virgilius sæpe inter narrandum orationem ad aliquem dirigere. sic hic, *cernas migrantes.* in 8.
— *totumque instructo Marte videres*
Fervere Leucatem.
iterum: — *Credas innare revulsas*
Cycladas.
& 3. G. *incassum videas gestire.* Id vero ad Homeri imitationem Il. 3. φαίης κεν ζάκοτόν τινα ἔμμεναι. Iliad. 5. Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίοις. Iliad. 4. ἴδοις Ἀγαμέμνονα: *Dixisses furiosum aliquem esse, Tydiden non agnosceres. videres Agamemnonem.* Notavit Macrob. 5. Sat. c. 14. *Cerda.*

402. *Formicæ.*] Ad studium respicit hæc comparatio hoc loco, non ad personas: & notandum cautelam exprimi per hanc comparationem. Horatius, *Parvula nam exemplo est magni formica laboris.* Juvenalis, *Formica tandem*

Cum populant, hiemis memores, tectoque reponunt;
It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Con-

dem quidam expavere magistra. Sane *formica* dicta est ab eo, quod ore micas ferat. De qua fabula talis est: In Attica regione quædam puella Mirmix nomine fuit, Minervæ ob castimoniam & solertiam dilecta, quæ postea hoc modo Minervæ in se odium concitavit. Namque cum vidisset Minerva Cererem segetes invenisse, volens ipsa ostendere Atticis, quo expeditius segetes parerent, aratrum dicitur invenisse, quod cum manu ageret, & Mirmix ei adhæreret, ausa est occulte aratri stivam subripere, & apud homines se jactare infructuosum esse Cereris munus, nisi suo uterentur invento, quo terra aratro resoluta expeditius ederet fructus, quod cum proditum ægre tulisset Minerva, Mirmicem illam virginem in formicam convertit, eamque ut proditricem adversam frumentis, quæ semper insequitur & subripit, esse præcepit, quæ res cum Jovi miserationem movisset, excogitavit quemadmodum formicæ honorem daret. Nam cum Æacum filium suum ex Egina susceptum Thessalis imponeret regem, & agros ipsos videret hominibus indigere, formicas colligi in unum jussit, easque in homines commutavit, unde Mirmidones appellati sunt. *Servius.*

Ac veluti, &c.] Respicit hæc Comparatio ad Trojanorum sedulitatem; quam & Phocyllides commendavit. Qui putant eam à muscis è XVI. Iliad. sumptam esse, refutat Nascimbænius. cum muscarum, quæ militibus circa Sarpedonis cadaver versantibus comparantur, impetus & multitudo, non industria aut solertia, ut hic Formicarum, describatur. Hujus insecti providentiam studiumque commendant etiam S. litteræ, Prov. c.6. Videatur & Aristoteles l. 9. c.38. Histor. Animal. item Plinius, qui lib. 11. c.30. scribit, *itinere formicarum vidisse attritos silices, & semitas factas: ne quis dubitet, qualibet in re, quid possit quantulacunque assiduitas.* Apul. l. 6. Miles. De istiusmodi ruricolarum (ut vocat) formicarum concursatione, lepide scribit: *Ruunt aliæ, superque aliæ, sepedum populorum undæ* (instar undarum ruentium: ut Virg. Georg.

Mane salutantum totis vomit ædibus undam)

summoque studio singulæ granatim totum digerunt acervum, &c. Vocat eleganter *sepedes*, à senis pedibus. *Taubm.*

Farris.] Solum nomen est quod *r* geminet in genitivo. Monadicon est ergo, sicut *Sol.* Item *cor cordis*, solum in *dis* mittit genitivum. Item *s* geminata *assis.* & hæc carent exemplis. *Servius.*

Ac veluti, &c.] Vide de formicarum diligentia & prudentia ea, quæ dicta l. 1. Georg. ℣s. 186. quibus addideris ea, quæ Lactant. in l. de ira Dei c.7. Quid tam proprium homini quam ratio & providentia futuri? atqui sunt animalia, quæ provident: ut *ingentem formicæ, &c.* quod non facerent nisi inesset iis intelligentia & cogitatio. *Emmenes.*

403. *Cum populant.*] Antique dixit. Nam hoc verbum apud veteres activum fuit, nunc tantum deponens est. Et bene rei parvæ per metaphoram sublimitatem dedit, ut non videatur de formicis, sed de exercitu loqui. *Serv.*

Hiemis memores.] Hoc est, caute, in adventum hiemis. Horatius, *Qui simul inversum contristat aquarius annum, Non usquam proripit.* Idem.

Tecto.] Υ'πὸ tecto, id est, cavernis. *Idem.*

404. *It nigrum campis agmen.*] Ut, *It portis jubare exorto delecta juventus,* Hemistichium Ennii de elephantis dictum, quo ante Acilius est usus de Indis. *Idem.*

It nigrum campis agmen.] Quid formica humilius? quid verbis hisce subliminis

405 Convectant calle angusto: pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Castigantque moras: opere omnis semita fervet.
Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus?
Quosve

simius? de qua re Scal. l. 2. c. 29. & l. 4. c. 1. *Taubm.*

405. *Convectant.*] Non convehunt, quia non semel, sed *convectant*, quia sæpius itant more prædantium militum, quos,

Convectare juvat prædas, & vivere rapto.

Ad hæc tarditas Spondæorum *convectant calle angusto*, laborem formicarum, fatigationemque signat. Nasc. sed & illud quoque accedit incommodi, ut prædas ferant *calle angusto*, ergo & onere, & angustiis viarum premuntur: ideo ad hanc difficultatem exprimendam sequuntur verba *obnitor*, & *trudo*. C.

Calle angusto.] *Callis* est semita tonsior callo pecorum prædurata. Unde & *callum* & *callidos* dicimus. *Semita* est semis via: unde & *semita* dicta est. *Via*, id est, actus dimidius: qua potest ire vehiculum. Nam *actus* duo carpenta capit propter euntium & venientium vehiculorum occursum. *Servius.*

Calle angusto.] Maroni masculinum est, Livio sæpe feminium, teste Nonio c. 3. *per devias calles.* Emm.

Grandia trudunt.] Quæ portare non possunt. *Servius.*

Grandia.] Actius in Meleagro: *Fruges perhibent pergrandescere:* Alii legunt, *grandescere.* Pacuvius in Duloreste: *Nec grandiri frugum fœtum posse, nec mitescere.* Plinius lib. 18. cap. 30. *crescente luna frumenta grandescunt.* signat autem voce *grandia* Poëta vires formicarum. Plin. *Si quis comparet onera corporibus earum, fateatur nullis portione vires esse majores.* Ælianus illas vocat φιλοπόνες, à labore. *Cerda.*

Grandia trudunt frumenta.] Meminit Macrob. l. 5. Saturn. c. 20. rustici veterisque cantici: *hiberno pulvere, verno luto, grandia farra Camille metes.* Citat Cl. Grævius in lect. Hesiodeis ad ℣ſ. 466. Εργ. ἐκτελέα βρίθειν, formulam lustricam, quam Cato de re rust. sect. 142. habet: *Mars pater te precor, &c. utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire beneque evenire siris.* plura ille. utitur & Lucret. l. 2. *grandescere.* ut *pabula grandescunt.* Claudian. l. 3. de rapt. Proserp. ℣ſ. 24. *Incultis ne sponte seges grandesceret arvis.* Emmeness.

406. *Obnixæ.*] Plinius ab Nostro: *humeris obnixæ*, loquens etiam de formicis. *Cerda.*

Obnixæ.] Quæ portare non possunt. Alii l. *obnixe.* Taubm.

407. *Moras.*] Tardas, morantes, quia solent resistere. *Servius.*

Castigantque moras.] Id est, accelerant. Scal. l. 4. c. 16. *Taubm.*

Semita fervet.] Aptum verbum festinationi, ut è contrario *frigidum*, *tardum.* Servius.

408. *Quis tibi tunc, Dido, cernenti.*] Totum hoc magna prosphonesi dictum est, plus enim est in re, quam in verbis, quamvis enim totum dictum non sit: tamen & cogitatur & capitur ab auditore; hæc est enim magna emphasis, quæ perpetuam personam complectitur. Terentius, *Quid illi tandem credis fore animi misero, qui cum illa consuevit?* Idem.

Quis tibi tunc, Dido.] Pari phrasi Hom. Il. ω. τίς ἂν δή τοι νόος εἴη; & Cic. Phil. *Quid tibi tunc animi?* Apoll. ζεῦ ἄνα τίς πελίαο νόος; Eurip. in Orest. ἐπεὶ τίν' εἶχες ὦ τάλας ψυχὴν τότε; Et Anacr. τί μῆχος ἐν γνώνῃ; Tale quid accidisse Ariadnæ narrat Catullus elegantissimis versibus: *Namque fluentisono prospectans litore Diæ Thesea cedentem celeri cum classe tuetur Indomitos Ariadna gerens in corde furores.* Germ.

409. Fer-

Quosve dabas gemitus, cum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor?
Inprobe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterum in lacrimas, iterum tentare precando

Co-

409. *Fervere late.*] Infinitus hic à tertia est conjugatione, id est, à *fervo, fervis.* Secundæ conjugationis verba, perdito *e*, quod habent ante *o*, in tertiam migrant: ut *ferveo fervo, fulgeo fulgo.* Hinc est, *Fervere Leucatem: auroque effulgere fluctus.* Sic etiam Horatius, *Vade, vale, cave ne titubes, mandataque frangas.* Nam *cave, ve* longa est, nec vocalis sequitur, ut in Virgilio, *Vale vale inquit iola.* sed dicimus tertiæ esse conjugationis imperativum, ut *cavo cavis*: Hinc etiam Catullus *cavere* dixit. *Servius.*

Litora fervere.] Stat. Achill. l. 1. *fervent coëuntia litora.* multitudine & studio eorum, qui se itineri accingebant. sic Lucret. l. 2. *fervere cum videas classem lateque vagari.* Emmeneſſ.

410. *Arce ex summa.*] Regium enim fuit habitare in arcibus propter tutelam. Denique Romæ Valerius cum in Esquiliis domum haberet altissimam, invidiæ causa complanavit. Item Augustus post Actiacum bellum palatium ex suo præcepto ædificatum, cum esset domus privata, donavit reipublicæ. *Servius.*

Prospiceres arce.] Teste Sceffero ad Phædr. l. 1. f. 18. *prospicit*, qui ex editiori loco vergit oculos in depressiorem. *Emmeneſſ.*

411. *Misceri.*] Pro *repleri*, aut *commoveri.* Servius.

Ante oculos.] Emphasis. Nam *oculi* (ut ait Cic. l. 6. ep. 1.) *augent dolorem.* Taubmannus.

Tantis clamoribus.] Nautarum scilicet vocibus. *Servius.*

412. *Inprobe amor.*] Exclamatio à poëta contra amorem. & hoc est quod Horatius dicit, *Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.* Tale est & illud in tertio, *Auri sacra fames*: id est, cupiditas. Nam & illic amoris est increpatio, qui secundum philosophos omnium generalis est rerum. Hinc est quod apud inferos Eriphula inter amantes commemoratur, quæ monile concupierat. *Idem.*

Inprobe amor.] Exclamatio in amorem. Vide Turn. l. 22. c. 12. *Taubm.*

Quid non mortalia.] Supra lib. 3. de avaritia, carmen est hic de amore. Utrobique autem deterret nos Poëta non dissimilis Homeri illa iteratio: πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει. Iliad. ζ. Et Od. α. μῦθος δ' ἄνδρεσσι μελήσει. *Hart.*

413. *Ire iterum in lacrimas.*] Hinc est amoris improbitas, quæ cogit lacrimis rogare dudum superbam. Est autem speciosa eloquutio, *Pergit in lacrimas.* Servius.

Ire iterum in lacrimas.] Propertii l. 3. in Elegia, cui est initium, *Credis eum jam posse tuæ meminisse figuræ*, illum versum, *Tantisne in lacrimis Africa tota fuit?* credo equidem pace doctorum omnium, hunc locum Maronis aspicere. Quippe Propertii illud mihi videtur consilium, ut rivalem quendam, qui potior ex eodem carminis contextu apud puellam videbatur, in oblivionem & invidiam dominæ trahat, quod nec amore, nec ejus fletu ab instituta profectione revocari potuisset, sed præfracte perrexisset, ut Æneas nec lacrimis, nec precibus Didus & Annæ, atque adeo totius Carthaginis, à navigatione dimoveri potuerat: quam sententiam illud inquam satis accommodate innuere videtur, *Tantisne in lacrimis*, &c. quasi dicat amicam istum superbum amatorem largiore ploratu prosecutam accingentem itineri, quam tota prius Africa Æneam ipsum. *Germanus.*

Pre-

Cogitur, & supplex animos submittere amori:
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.
Anna, vides toto properari litore circum.
Undique convenere: vocat jam carbasus auras:
Puppibus & læti nautæ inposuere coronas.

Hunc

Precando.] Cantando: modo *do*, naturaliter brevis est: sic Terentianus, *Ut vitæ dubius varios renovando dolores.* Plerunque tamen à Virgilio producitur: ut, *Cantando tu illum?* Et *Cantando rumpitur anguis.* Servius.

414. *Cogitur.*] Sibi respondet Poëta, Amor cogit, Dido cogitur. Ita hujus tyranni vis explicatur. Ibycus apud Platonem in Parmenide, *εἰς τὸ ἔρωτα ἀναγκάζεσθαι*, *ad amorem cogi.* Inde quoque Ovidius in Cydipp.

Cogere cur potius quam persuadere volebas,
Si poteram audita conditione capi?

Cerda.

Animos submittere amori.] Quidam pro *iras* accipiunt, ut *animosus* dicitur pro *iracundus*, & , *Supplex animos summittere amori*, id est, supplices preces adhibere, quæ erat amore victa: *Summittere autem amori*, ac si diceret, non Æneæ, aut certe Æneam amorem vocavit, ubique tamen subaudiendum, *cogitur.* Servius.

Animos.] In codicibus aliquot antiquis, *animum* legitur numero unitatis. Sed enim *animos* numero multitudinis sæpe pro superbia & indignatione reperias: ut, *Vince animos, Iramque tuam:* & ipsa Dido jam indignata recesserat. *Pierius.*

415. *Ne quid inexpertum frustra.*] Rogabat, inquit, non spe impetrandi: sed ne esset, quod sibi possit imputare, si non rogasset: quanquam frustra rogaret. Id est, ne derelinqueret medium aliquod intemptatum, & hoc frustra, quia moritura erat. Terentius, *Omnia experiri certum est, priusquam pereo.* Et *Frustra* ex judicio poëtæ dictum est. Sic Salustius, *Falso queritur de natura sua genus humanum:* ut supra *Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.* Servius.

Ne quid inexpertum, &c.] Ab Poetá accepit Livius lib. 25. *Tamen, ne quid inexpertum relinqueret, transfugas Syracusanos, &c.* Cerda.

416. *Anna.*] Prope invidiose, quia ipsa nuptias suas suaserat. *Servius.*

Vides.] Quasi diceret, ipsa tibi credidi, & est major vis adfirmantis cum dicit *vides*; petitio autem hæc etiam deliberationis modum à quibusdam putatur tenere. *Idem.*

Properari litore circum.] Utrum circumspicis, an circum totum litus? & est ordo, *Anna i soror atque hostem supplex adfare superbum.* *Circum* non est præpositio, sed adverbium loci: Nam postposita præpositio & accentum mutavit, & suas perdidit vires. *Properari* autem impersonale est. *Idem.*

417. *Undique.*] Bene non addidit *Qui*, intelligitur. *Idem.*

418. *Et læti nautæ.*] Id est, aut minime timentes. Aut adeo non necessitate, nec jussu abeant, sed volentes: & hoc ad spem retinendi, aut ad indignationem commovendam dictum est. Et sicut supra prope ad invidiam Annæ loquitur, ut est alibi: *Tu prima furentem His germana malis:* Probus sane sic adnotavit, *Si hunc versum omitteret, melius fecisset.* Idem.

Coronas.] Multi funium coronas accipi volunt, qui solent, quotiens navigatur, in modum coronarum componi, nam fugientes quemadmodum naves coronabant? *Idem.*

Puppibus & læti naut. inp. coronas.] Sic & Ovid. *Torta coronatæ solvunt retinacula puppes.* Sunt autem, qui putent coronatas naves dictas ab Ovidio, Virgilioque, ut ab Hom. Il. α. *σὺν νηυσὶ κορωνίσι*, quod puppes & summitates sinuo-

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero. miseræ hoc tamen unum
Exsequere, Anna, mihi. solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus:
Sola viri mollis aditus, & tempora noras.
I, soror, atque hostem supplex adfare superbum:
Non

sinuosas rostratasque habeant: sed vis verbo nimia afferri videretur, nec κορωνὶς coronæ respondere, quam in puppi imponi solitam, annotat Turnebus: quod in ea parte navigii sacrarium esset. Nimirum solventes è litore, & reduces advertentes litori naves à nautis bono omine coronari solebant: ut supra, *pressæ portum tetigêre carinæ, Puppibus & læti, &c.* Et Plato in Phædon. ἔτυχε γὰρ τῇ προτεραίᾳ τῆς δίκης ἡ πρύμνα ἐστεμμένη τοῦ πλοίου, ὃ εἰς Δῆλον Ἀθηναῖοι πέμπουσιν κατ' ἔτος· nihil reluctante illo quod sequitur: ἀρχὴ δὲ τῆς θεωρίας ἐπειδὰν ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἀπόλλωνος στέψῃ τὴν πρύμναν τοῦ πλοίου· coronabat enim sacerdos puppim ex more nautico, non ex solennibus tantum festi: & Calab. ξ. de reditu Græcorum Troja eversa: κατεστέψαντο δὲ νῆας, καὶ κεφαλάς, καὶ δοῦρα, καὶ ἀσπίδας ᾗσι μάχοντο. *Germ.*

419. *Si potui.*] Pro *potuissem*: & sic dictum est, ut, *Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.* Ac si diceret, nihil mihi novum contigit. *Servius.*

Sperare dolorem.] Pro *timere*: & est Acyrologia superflua dictio. Nam speramus bona, timemus adversa. Hoc autem dicit, Si scirem abiturum Ænean, non tantum diligerem: si non dilexissem, minus dolerem. *Idem.*

Sperare dolorem.] Juven. Sat. 4. ℣s. 57.
— *Jam quartanam sperantibus ægris.*
Vide Notas Ecl. 8. ℣s. 26. & l. 1. Æn. ℣s. 543. Henr. Stephanus *spectare* legendum censet in l. de Latin. Lipsii. *E.*

420. *Hoc tamen unum.*] Vel hoc solum. *Servius.*

421. *Mihi.*] Pro me exsequere. id est, pro mea causa. *Idem.*

422. *Colere.*] Pro *colebat* vel *colit*, infinitus pro indicativo. *Credere.*] *Credit* vel *credebat*, id est, committebat. *Id.*

Credere.] Ter. A. 1. 5. 35. *quæ mihi suum animũ atq; omnem vitam credidit.* E.

423. *Mollis aditus.*] Faciles: ut, *Et quæ mollissima fandi Tempora.* Serv.

Mollis aditus.] Id est, faciles. supra:
— *& quæ mollissima fandi Tempora.*
Plato εὐκαιρίας vocat: quibus ἀκαιρίας opponit. *Taubm.*

Sola viri mollis aditus & tempora noras.] Recte Cic. l. 11. ad Famil. ep. 16. *permagni refert, quo tibi hæc tempore epistola reddita sit: utrum cum sollicitudinis aliquid haberes, an cum ab omni molestia vacuus esses. Itaque ei præcepi, quem ad te misi, ut tempus observaret epistolæ tibi reddendæ. Nam quemadmodum coram qui ad nos intempestive adeunt, molesti sæpe sunt: sic epistolæ offendunt, non loco redditæ.* ideo multi voti non fiunt compotes, qui commoda tempora vel ignorant, vel negligunt: inde Ovid. l. 9. Met. ℣s. 502.
Forsitan & missi quædam sit culpa ministri,
Non adiit apte: non legit idonea, credo,
Tempora: nec petiit horamque animumq; vacantem. Ter. Hec. 5. 4. 13. nominat *attemperate venire.* Notanda etiam prudentia Phædri, qua utitur in initio l. 3. vide N. ad ℣s. 293. hujusce l. 4. *E.*

424. *Atque.*] Conjunctio complexiva est, & disjunctiva, cum dicimus, aliter atque aliter debuit fecit; est & expletiva, *Atque illum in præceps prono trahit alveus amni.* Servius.

Hostem superbum.] Postquam ex aperto denegavit se Carthagini esse mansurum, & reddit causas, ob quas suppliciter adloquatur, quod & *hostis* & *superbus*,

Non ego cum Danais Trojanam exſcindere gentem
Aulide juravi, claſſemve ad Pergama miſi:
Nec patris Anchiſæ cinerem maniſve revelli.

Cur

bus, quaſi dicat, æquo animo patiamur nos ſupplices eſſe, quoniam incidimus hoſtem ſuperbum. nonnulli autem juxta veteres *hoſtem* pro *hoſpite* dictum accipiunt: Plautus in Curculione, *Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies.* Idem in Ciſtellaria: *datum eſt hoſtimentum, opera pro pecunia.* Nec enim vere *hoſtem* diceret, quem revocare cupiebat. Ipſa enim ait *hoſpes*, *Hoc ſolum nomen quoniam de conjuge reſtat.* Herodotus, Perſas, qui erant Græcorum hoſtes, ξένους à Lacedæmoniis appellatos refert. Inde noſtri, *hoſtes* pro hoſpitibus dixerunt, nam inimici *perduelles* dicebantur. *Servius.*

426. *Aulide juravi.*] *Aulis* inſula eſt in Ægæo mari, in qua conjurarunt Græci, ſe non ante reverſuros ad patriam, quam Troja caperetur. *Aulide* aut *in Aulide* aut pro *Aulidi.* Idem.

Aulide juravi.] *Aulis* fuit, teſte Mela l. 2. c. 3. *Agamemnoniæ Grajorumque claſſis in Trojam conjurantium ſtatio.* Ideo Homer. l. Iliad. β. ℣ſ. 303.

Χθιζὰ τε καὶ πρωϊζ᾽, ὅτ᾽ ἐς Αὐλίδα νῆες
Ἀχαιῶν
Ἠγερέθοντο, κακὰ Πριάμῳ καὶ Τρωσὶ
φέρουσαι.

Ubi adverſo vento detenti opinione diutius morati ſunt Græci, quod Ovid. l. 12. ℣ſ. 9. docet:

—— *Bœotaque tellus*
Aulide piſcoſa puppes tenuiſſet ituras.

Et Epiſt. Heroid. 3. ℣ſ. 3.

Aulide te fama eſt, vento retinente, morari,
Ah! me cum fugeres, hic ubi ventus erat.

Ideo Lucan. lib. 5. ℣ſ. 236. nominat *iniquam claſſibus Aulim.* Alludit Horat. l. 1. od. 15. *quam multo repetet Græcia milite Conjurata tuas rumpere nuptias.* Stat. l. 3. Achill.

—— *ipſum jam puppibus æquor*
Deficit, & totos conſumunt carbaſa ventos.

Prima rates Danaas Hecateïa congregat Aulis. Et paulo poſt,

Cœtus ibi armorum, Trojæ fatalis, ibi ingens
Juratur bellum donec ſol annuus omnes
conficeret metas.

Vide Eurip. in Iphigenia, Pauſan. in Corinth. objicit Strabo l. 9. in Aulidis, quam Apoll. l. 4. πόλιν vocat βοιωτίας, portu non factam eſſe conjurationem, qui tot numero naves non capiebat, ſed proximo quodam multo ampliori. *E.*

Ad Pergama.] In Pergama: id eſt, contra Pergama. *Servius.*

Ad Pergama.] Id eſt, adverſus. vide Torrent. ad Horat. l. Epod. od. 9. *ad hunc*, pro *contra hunc.* Emmeneſſ.

427. *Anchiſæ cineres maniſve revelli.*] Ad hoc autem quod dicitur ex oraculo feciſſe Diomedes, & ſecum ejus oſſa portaſſe: quæ poſtea reddidit Æneæ, cum multa adverſa perferret. Hinc eſt, *Salvete recepti Nequicquam cineres.* Sciendum ſane Varronem dicere, Diomedem eruta Anchiſæ oſſa filio reddidiſſe: Catonem autem adfirmare, quod Anchiſes ad Italiam venerit: tanta eſt inter ipſos varietas, & hiſtoriarum confuſio. *Serv.*

Revelli.] Non *revulſi.* Nam *velli* & *revelli* dicimus: *vulſus* vero & *revulſus* uſurpatum eſt tantum in participiis contra naturam. *Idem.*

Revelli.] In Oblongo codice Vaticano *revulſi* legitur: quod improbat Servius. Sed enim *Vello* utroque modo reddere præteritum Priſcianus, & multo ante illum Cariſius auctores ſunt. Cic. de ſuppliciis, *Revelliſtis, atque in profundum abjeciſtis.* Apud Lucanum vero ſæpe *vulſi*, & *vulſerat* invenies. Apud Ovid. *Revellit* more Ciceronis, eo loco præſertim,

Continuam diduxit humum pariterque revellit
In totidem mediis, quot cernis, Echinadas undis.

Sed

Cur mea dicta negat duras demittere in auris?
Quo ruit? extremum hoc miseræ det munus amanti:
Exspectet facilemque fugam, ventosque ferentis.
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro;
Nec pulchro ut Latio careat, regnumque relinquat.
Tempus inane peto, requiem spatiumque furori:
Dum

Sed apud eundem etiam *Revulsi* eadem fabula paulo superius, libro Metam. 8.
A silvis silvas, & ab arvis arva revulsi. Pierius.

Anchisæ cineres manisve revelli.] Sepulcra non violanda esse, nec cineres dissipandos docet Turn. l. 14. c. 21. & præcipue virorum illustrium notavit Torrentius ad Horat. l. Epod. od. 16. *Barbarus, heu! cineres insistet victor, & urbem eques sonante verberabit ungula, quæque carent ventis & solibus, ossa Quirini, nefas videri dissipabit insolens.* *Revelli* non *revulsi*, ut recentiores volunt, dicendum monet Hadrian. Card. de Serm. Latino. *Emmeness.*

428. *Cur mea dicta negat.*] Non interrogat, sed queritur; quidam *revelli* jungunt, ita ut sequatur, *Cur mea dicta negat.* Servius.

429. *Quo ruit.*] Properat, sine respectu salutis. Nam hoc dicit, quod peto, etiam ipsi prodest, amoris scilicet impatientia. *Idem.*

Extremum hoc miseræ det munus amanti.] A qualitate beneficii dictum. *Idem.*

430. *Facilemque fugam.*] Permanet in eodem sensu, ut dicat petitionem suam etiam Æneæ prodesse. *Idem.*

Ferentis.] Bene flantes, propitios, prosperos. *Idem.*

Ventos ferentis.] Id est, secundos. ita Seneca lib. De B. V. cap. 21. *Navigantem secundus & ferens ventus exhilarat.* id est, ventus qui à puppe: οὐρία. Plinius Paneg. *Venti ferentes & brevis cursus optentur.* Homero est φέρων ἄνεμος. Ita & Euripid. πνοὰς πομπίμους dixit, & ναυσίπομπον αὔραν. Hac metaphora Seneca *Fortunam ferentem* dixit, Epist. 22. *Taubm.*

431. *Antiquum.*] Aut primum, aut carum, ut *nihil antiquius habuit*, dicimus: aut antiquatum & inritum. *Serv.*

Quod prodidit.] Quod decepit. Et bene, ad disruptionem enim conjugii immutata voluntas sufficit. Quidam *prodidit*, pro *perdidit* accipiunt, ut, *Unius ob iram Prodimur.* Idem.

Non conjugium antiquum, quod prodidit, oro.] Non dissimilis plane locutio apud Stat. l. 2. Thebaid.

—— *nil fœdere rupto,*
Connubiisque super moveor, viduaque juventa. Emmeness.

432. *Pulchro ut Latio careat.*] Quod illi pulchrum videtur. Sic est illud, *O tantum libeat mecum tibi sordida rura:* quæ tibi sic videntur. *Servius.*

Relinquat.] Negligat. *Idem.*

433. *Tempus inane peto.*] Id est, sine matrimonio, sine officio coëundi. Nam sine beneficio, non procedit, cum spatium petat & requiem. Aut quasi non magnam rem, vel quo vacuus & ociosus est, cum illi tempus inane est. *Idem.*

Requiem spatiumque furori.] Ut possim habere spacium, quo amori finem imponam. *Idem.*

Tempus inane peto, requiem, &c.] De hac concessione Scal. l. 3. c. 56. cum non potest impetrare Dido, ut maneat Æneas, abitum concedit ei. Ut Maro hic *requiem*, sic Cicero *requietem* habet, teste Charisio instit. gramm. l. 1. p. 52. *Dies adimit homini ægritudinem*, ut Comicus. Eodem modo morari Ulyssem conatur Circe apud Ovid.

Ne properes oro, spatium pro munere posco.
Quid minus optari per mea vota potest.
Emmeness.

 434. Dum

Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam: miserere sororis:
Quam mihi cum dederis, cumulata morte remittam.
Talibus orabat, talisque miserrima fletus
Fertque refertque soror: sed nullis ille movetur
Fleti-

434. *Dum mea me victam.*] Mea fortuna, id est, aversa: ut, *Hac Trojana tenus fuerit fortuna secuta.* Ex statu in quo est, *fortunam* dixit. *Doceat* autem *dolere* illud est, quia non habet in adversis patientiam, nisi quid dolere consuevit. Hoc ergo petit, ut ei præstetur tempus, per quod discat adversa perferre. *Servius.*

Dum mea me.] Ita Dido etiam apud Ovid.

Dum freta mitescunt, & amor dum temperat usum,
Fortiter ediscam tristia posse pati.

Nullus enim dolor est, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat: ut in Epist. apud Cic. est. l. 4, 5. *Taubm.*

435. *Oro veniam.*] Beneficium: juxta morem antiquum: ut, *Orantes veniam.* Terent. in Hecyra: *Mi gnate, da veniam hanc mihi, reduc illam.* Servius.

Miserere sororis.] Genitivum tantum regit. *Idem.*

436. *Quam mihi cum dederis, cumulata morte remittam.*] Sensus est, Quod beneficium cum mihi cumulatum dederis, sola morte derelinquam: & hinc intellectus est melior, quod sorori loquitur: Nam male quidam legunt, *Quam mihi cum dederit*, id est, Æneas, *cumulata morte relinquam:* & volunt intelligi, acceptum ab illo beneficium, mea morte cumulabo, & sic relinquam: ut amantes dicere consueverunt, ut, *Præceps aërii specula de montis in undas Deferar, extremum hoc munus morientis habeto.* Nam si eam odio habet Æneas, restat ut ejus morte lætetur. Hoc sorori quoque potest dicere, quæ credit eam ex amore concitatam, id loqui, nec tamen facere, sed eloquutio non procedit. Nemo enim dicit *veniam cumulata*, sed *cumulatam*. Alii ita intellegunt, reddam illi gratiam, occidam illum, nam alibi ait, *Non potuit abreptum divellere corpus.* Sed hoc totum sorori dicit. An perplexe loquuta est, ut solent loqui mali aliquid molientes? *Cumulatam* autem *veniam*, nunquid solidam & plenam, & cui nihil desit debemus accipere? *Idem.*

Cumulata morte remittam.] In Mediceo, in Porcio, & antiquis aliquot aliis codicibus, *remittam* legitur. Tu vero quid hic Servius ex Tuccæ & Varri sententia disputet, videris. legitur & *cumulatam morte relinquam.* Pierius.

Quam mihi cum dederis, &c.] Si mihi, soror, hanc veniam dederis, non moriar prius, quam tibi cumulatissime satisfaciam. ita Turneb. l. 20. c. 21. & plerique omnes. *Taubm.*

437. *Talibus orabat.*] Aut simpliciter accipiendum: Loquebatur, aut orabat, ideo quoniam preces inmixtæ erant: aliter IIII. Æn. *Multa Jovem manibus supplex orasse supinis.* Alibi pro *oravit*: *Talibus orabat Juno.* Servius.

Fletus.] Pro *verbis*, id est, verba debilia. *Idem.*

438. *Fertque refertque.*] Non ab Ænea, qui nihil dicit: sed à Didone fert & refert, id est, iterum portat. Nam subjunxit: *Sed nullis ille movetur Fletibus:* mire autem *fletibus* repetit. *Idem.*

Sed nullis ille movetur Fletibus.] Simillima his Ovidius habet I. Remed. de Ulysse discedente, qui Circes querelas acceperat:

Illa loquebatur, navem solvebat Ulysses:
Irrita cum vinclis verba tulere noti.

Simillima Horatius Od. 7. lib. 3.

—— scopulis surdior Icari
Voces audit adhuc integer.

Cerda.

439. Vo-

Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
Fata obstant, placidasque viri deus obstruit auris.
Ac velut, annoso validam cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant, it stridor; & alte
Consternunt terram concusso stipite frondes:
Ipsa hæret scopulis: &, quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendit.

Haud

439. *Voces ullas tractabilis audit.*] Cur mitis & placidus & tractabilis non audit? Quasi mirum est: excusat & recusat dicendo. *Servius.*

440. *Fata obstant, placidasque viri deus obstruit auris.*] Aut certe *voces tractabilis* accipe, aut alias tractabilis. *Idem.*

Fata obstant.] Excusat Æneam, cum eum ne ingratus videatur, non duritia mentis facit immobilem, sed voluntate divina. *Idem.*

Deus.] Juppiter scilicet, unde & supra Dido ait, *Saturnius*, vel certe Mercurius. *Obstruit.*] Obcludit ἐμφατικῶς. *Idem.*

Viri deus obstruit auris.] Tacitus l. 20. Annal. *Restitit idem Valentinus, obstruxitque suæ civitatis aures.* Taubm.

441. *Ac velut, annoso validam cum robore quercum.*] Quæ quidem lectio agnita etiam videtur Ovidio, quum dixit, *Stabat in his ingens annoso robore quercus.* Sunt tamen, qui vulgatam lectionem magis adprobent, magisque proprium esse dicant, *Annosam quercum*, & *validum robur.* Pierius.

Ac velut annoso.] De hac Comparatione Scal. l. 5. c. 3. & 14. *Taubm.*

442. *Alpini Boreæ.*] Flantes de Alpibus: quæ Gallorum lingua, *alti montes* vocantur. Et speciem pro genere posuit, nam *Alpinum Boream* pro quocunque vento dixit, vel quia potentiores montani sunt venti. *Servius.*

Alpini Boreæ.] Flantes de Riphæis montibus, qui cum Alpibus iidem sunt: quos Hyperborei tenent. De quo Parrhasius ad Claudian. & Cæl. l. 15. c. 7. Intelligit autem tres illos à Septentrione spirantes ventos; ἀπαρκτίαν, ejusque collaterales, θρασκίαν & *Aquilonem.* Taubm.

Nunc hinc, nunc illinc.] Sicut Æneas ab Anna & Didone. *Servius.*

443. *It stridor.*] Ad dolorem Æneæ pertinet; de quo ait, *Magno persentit pectore curas.* Idem.

Alte.] Aut jugiter, diu, aut ex alto cadentes. *Idem.*

Alte.] In veteribus aliquot exemplaribus *altæ* scilicet frondes, non *alte* adverbium habetur: Sed enim adverbium longe venustius hic ponitur. *Pierius.*

444. *Consternunt.*] Implent, cumulant, ut, *Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma.* Servius.

Frondes.] Sicut lacrimæ Æneæ. *Stipes* autem media pars est arboris, quæ ramos sustinet. *Idem.*

445. *Hæret scopulis.*] Sicut ille in consilio perseverat. *Idem.*

446. *Tantum radice in Tartara.*] Secundum physicos, qui dicunt parem esse altitudinem radicum & arborum. *Idem.*

Radice.] In codicibus nonnullis ex his vetustioribus, *radicem* incusativo casu legitur: quam lectionem si admittamus, *tendit* pro *extendit* positum erit. Quanquam in Oblongo codice perveteri *mittit*, non *tendit* habetur. Quod si recipiamus, membrum illud superius *quantum vertice ad auras ætherias* figura erit: quam brevitatis per detractionem Quintilianus appellaret, quum scilicet

unum

Haud secus assiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, & magno persentit pectore curas.
Mens inmota manet: lacrimæ volvuntur inanes.
450 Tum vero infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat: tædet cæli convexa tueri.
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat;
Vidit, turicremis cum dona inponeret aris,
(Hor-

unum verbum, & id quidem manifestum siletur. Sed enim tametsi tam multi codices, manu scripti, refragentur, libentius ego legerim *radice* casu septimo, ut cum superiore membro colligatum lectionem reddat dilucidiorem. *Pierius.*

448. *Tunditur.*] Sæpe pulsatur. Terentius, *Tundendo atque odio effecit senex*, & ipse alibi, *Rhiphæo tunditur Euro.* Servius.

Magno persentit pectore.] Quamvis magno, sentit curas, sed eas forti pectore patitur: *Curas* potest Didonis, potest & suas. *Idem.*

Persentit.] In plerisque codicibus antiquis, *persentit* legitur. In aliquot etiam *persensit* præterito tempore. Sed magis movet in instanti dictum. in aliis etiam *præsentit.* Pierius.

449. *Mens inmota manet.*] Ad illud refertur, *Ipsa hæret scopulis.* Servius.

Lacrimæ inanes.] Quia mens inmota manet: & utrum *inanes*, quæ Didoni nihil prosint? quidam tamen *lacrimas inanes* vel Æneæ, vel Didonis, vel Annæ, vel hominum accipiunt. *Idem.*

450. *Tum vero.*] Post desperationem. *Idem.*

Exterrita.] Atqui in fine ait, *Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.* *Fatis* ergo aut malis suis, aut à verbo *For, Faris. Fatis*, id est, responsis Æneæ: *Exterrita* autem præcipitata, turbata. *Idem.*

451. *Mortem orat.*] Pro *desiderat*: ut, *Mortemque miserrimus opto.* aut certe ideo *orat*, quia consecrata fuit: nec mori poterat, nisi soluta consecratione. *Idem.*

Cœli convexa.] Incurva cœli. *Idem.*

Tædet cœli convexa tueri.] Id est, vitæ pertæsum est. Vide Scalig. lib. 3. c. 19. & l. 4. c. 23. Porro annotant Grammatici quidam, *convexum cæli* cerni non posse, sed ejus concavum: ac proinde *convexa* pro concavis dixisse Poëtam: cum sit *Convexum*, curvum cavo oppositum. Sed *Convexum* cavum esse retur Turnebus, idque è Justino intelligi posse, lib. 2. de Xerxe scribente; *Et montes in planum deducebat, & convexa vallium æquabat.* item Maron. 1. Æn.

Classem in convexo nemorum sub rupe cavata, &c.

Advers. l. 30. c. 27. *Taubm.*

Tueri.] *Os homini sublime dedit cœlumque tueri* Ovid. l. 1. Met. vers. 8. ubi non nulli *videre* legunt. *Emmeness.*

452. *Quo magis inceptum peragat.*] Id est, mortem sibi inferat. *Servius.*

Lucemque relinquat.] Ad illud, *Tædet cœli convexa tueri.* Idem.

Relinquat.] Ennius 3. Annal.

Lumina sis oculis etiam bonus Ancus reliquit.

Et Lucretius lib. 3.

Lumina qui linquunt moribundi.

& Lucillius in epig.

Τὸς κ῀ηλαλείψαντας γλυκερὸν φάος.

Cerda.

453. *Turicremis.*] Id est, cremantibus tura, nomen mire compositum, & hoc genus ominis Didoni factum, de augurali disciplina translatum est, quæ diris observatur. *Dira* enim, deorum ira est, quæ duplici modo colligitur, aut ex signis, aut quocunque modo, quacunque ex parte, quodque in illo factum tempore traditur, ex signis hic ostenditur;

(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,

Velle-

ditur: dicens enim, *Vidit turicremis*, usque, *nigrescere sacros*, non solum adversa petitionibus inveniri, verumetiam mortem denunciari, nam præmisit: *Quo magis inceptum peragat lucemque relinquat.* Item, tumulis Sichæi exaudiri voces & verba vocantis, quod asperius fuit, ut mariti defuncti vox audiretur è tumulo, quod erat dirum ad se vocantis. Sunt & de avibus dira auspicia, quod hic subjunxit dicendo, *Solaque culminibus ferali carmine bubo Sæpe queri*, in quo satis non fuit diram avem bubonem nominatam, nisi adjecisset *Ferali carmine*, & *Sæpe queri*, & ut non utique canendi usus significaretur, sed fletus, vice querelarum. *Servius.*

Turicremis.] Lucretius lib. 2.

Turicremas propter mactatus incidit aras.

Sic dictæ aræ, quod in his tus adoleatur. *Cerda.*

454. *Horrendum dictu.*] Quanto magis visu, quod Didoni contigit. *Serv.*

Latices nigrescere sacros.] Tanquam malum omen observatum à Stat. Theb. l. 5. *niger omnibus aris Ignis, & in nullis spirat deus integer extis.* Emmeness.

455. *In obscenum se vertere.*] Hoc est, *Latices nigrescere sacros*; & quidam *Nigrescere* & *vertere*, ideo incertum tempus positum volunt, ut ostendant, non vere vertisse se, quod contra naturam est, sed verti à Didone visa; ut, *Visæque canes ululare per umbram*; non ululasse ergo, sed fieri visum: *Obscœnum* autem, mali ominis, ut 1. Æneid. *Obscœnas pelagi volucres.* Servius.

456. *Hoc visum nulli.*] Hoc quod viderat, nulli dixit. Quid est *nulli*? ne sorori quidem, cui fuerat de amore confessa: & forte ideo sororem celavit, ne & ipsa se perimeret; post queritur, *Idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset.* Idem.

Effata sorori.] Veteres plerique codices *sorori est*, una plus dictione legunt: placet vero verbum id in fine narrationis. *Pierius.*

458. *Conjugis antiqui.*] Aut prioris, aut chari. Lucilius, *Concilio antiquo sapiens vir solus fuisti: antiquus* ergo est, qui præcedit eum, qui præsens est. *Serv.*

Fuit in tectis de marmore templum Conjugis antiqui.] Nonius, Gifanius, aliique, *Templum* hîc sepulchrum interpretantur: cum veteres *Templum* pro quovis loco posuerint, auctore Varrone: quod sepulchrum sive cenotaphium prioris mariti Dido *velleribus niveis*, id est, στεμμάτοις (quæ, ut Nannius lib. 7. Miscell. docet, lana erat ramo circumvoluta, qua deos coli mos erat) itemque frondibus quasi circumvestierit. Cæteri ædiculam sacram sive sacellum interpretantur. Turneb. l. 22. c. 12. & l. 24. c. 26. Censeo, inquit, Maronem hîc respicere ad consuetudinem Romanorum, qui suos Cæsares in deorum numerum referebant, flaminibusque & sacerdotibus honorabant. nam Dido videtur fuisse Sichæi flaminica. Solebant autem vittis laneis & infulis ornare fores templorum & aras: quod attigit Maro: quanquam hoc ad nuptiarum consuetudinem retulit Servius: à quo dissentio. Ita Statius l. 4.

Pande fores superûm, vittataque templa Sabæis
Nubibus, & pecudum fibris spirantibus imple. Taubm.

Miro quod honore colebat.] Exhibendo ea mortuo, quæ circa vivos solent fieri. Ritum veri & venerabilis templi, mariti templum obtinere cupiebat. Templa enim velamentis religiosa monstrantur,

Velleribus niveis & festa fronde revinctum,
Hinc exaudiri voces & verba vocantis
Visa viri; nox cum terras obscura teneret:
Solaque culminibus ferali carmine bubo

Sæpe

strantur, & moris fuerat, ut nubentes puellæ, simul cum venissent ad limen mariti, postes, ante quam ingrederentur, propter auspicium castitatis ornarent laneis vittis. Unde ait, *Velleribus niveis*, & oleo unguerent, unde *uxores* dictæ sunt, quasi *unxores*. Bene ergo Dido, cum templum marito extrueret, veluti devota viro, quippe post quem nuptura non esset, ad conciliandum amorem, officia ritus maritalis adfixerat, ut morem instauraret uxorum. Nam ait post, cum in pœnitentia inducitur à Poëta: *Non servata fides cineri promissa Sichæo.* Hi tamen qui de nuptiis scripsisse dicuntur, tradunt cum nova nupta in domum mariti ducitur, solere postes unguine lupino oblineri, quod hujus feræ & unguen & membra multis rebus remedio sunt. Alii hoc Romuli dicunt temporibus institutum, quod Romulus & Remus lupino lacte nutriti sunt. Dicitur etiam Lupam in concilio multorum ejusdem generis sociari marito, atque, amisso eo, nulli alteri post jungi, quod ipse subjecit, *expertem sine crimine vitam Degere more feræ*, id est, Lupæ; hæc ergo ideo à nove nuptis fiebant, ut sciret puella se domum religiosam ingredi, simul lanam ferens, lanificium promittebat. *Serv.*

459. *Velleribus*, *&c.*] Pro eo Stat. Silv. I 4. *vittata templa.* quomodo templa coronaverint veteres, Paſſchal. de Coronis l. 4. c. 18. *Emmeness.*

Festa fronde.] Divina, tanquam numen coleret. Sane hoc loco latenter, quam supra diximus, tangit historiam. Nam si amabat Æneam, utique non coleret extinctum maritum. *Serv.*

460. *Hinc exaudiri voces.*] Simile Cæcinæ accidisse narrat Tacit. lib. 1. Ann. his verbis: *Ducem terruit dira quies: nam Quintilium Varum, sanguine oblitum, & paludibus emersum cernere, & audire visus est, velut vocantem, non tamen obsecutus, & manum intendentis repulisse.* Ovid. de eadem Didone:

Hinc ego me sensi noto quater ore citari:
Ipse sono tenui dixit, Elissa veni.

Cerda.

461. *Visa viri.*] Ut, *visæque canes ululare per umbram.* Terentius, *Audire vocem visa sum modo militis.* Non enim erant vera, ut supra. *Servius.*

Nox cum terras.] Ut augeret terrorem, tempus adjecit, à verisimili. *Idem.*

462. *Sola bubo.*] *Sola*, quærendum quod dixerit, utrum ἐμφατικῶς, an pro *solis*, id est, desertis; ubi enim sederit & ceciperit solitudinem significat: secundum auguralem disciplinam volunt greges avium minus significare: & juxta hanc avem si alia sederit, malum, quod imminet, creditur evanescere; ut, *Et sola in sicca secum spatiatur arena.* Sane bubo, si cujus ædes insederit, & vocem miserit, mortem significare dicitur. Si autem de busto sudem ad tectum detulerit, incendium ædibus portendere. Ergo hic *Sola* utrum quod alia avis non sedebat in culmine, an *sola*, quia nihil deferebat, ut mortis signum esset. In hanc autem avem conversus est Ascalaphus Acherontis, vel, ut quidam volunt, Stygis filius, ira Cereris cum Proserpinam prodidisset, malum granatum de pomario Ditis gustavisse, quod plenius in primo initio Georgicorum dictum est, ubi est, *Nec repetita sequi.* Sane *sola* contra genus posuit. Lucanus, *Et lætæ jurantur aves bubone sinistro.* Item Ovidius, *Infandus bubo.* Et est in usu. Sed Virgilius mutavit, referens ad avem. Plerumque enim genus, relicta specialitate, à generali sumimus: ut si dicas *bona turdus*, referendo ad avem. Item si dicamus prima

est a,

Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces.
Multaque præterea vatum prædicta piorum
Terribili monitu horrificant. agit ipse furentem
In somnis ferus Æneas: semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, & Tyrios deserta quærere terra.

Eu-

est *a*, id est, litera; cum *a* sit neutri generis. *Serv.*

Ferali carmine.] Bene autem addidit: Non enim omni modo malum est bubonis omen. Sed cum canit, omnimodo malum est, quia aut fletum imitatur, aut gemitum: tacens autem ostendit felicitatem. Omnes enim aves oscines malæ, præpetes bonæ sunt: vel è contra, malæ præpetes, oscines bonæ sunt. *Id.*

Solaque culminibus ferali carmine bubo.] No. Marcellus ubi Virgilium præter aliorum auctorum morem fœmineo genere *Bubonem* appellasse dicit, hoc citato versu, non *sola*, sed *sera* legit, epitheto inauspicatæ volucri proprio: ut illud, *Seraque terrifici cecinerunt omina vates.* Reliqui tamen codices quotquot inspexi, *sola* legunt. *Pierius.*

Solaq; culminibus ferali carmine bubo.] Idem Ovid. in Ibide ℣s. 223.

Sedit in adverso nocturnus culmine bubo
Funereoque graves edidit ore sonos.

Vide Eruditum Bochartum Hist. anim. qui de ave hac ferali & inauspicata agit l. 2. de avibus c. 22. Pro *sola* sunt, qui *fera* legunt, ut supra Pierius. Turnebus autem *ferum* dirum, onimosum exponit l. 26. c. 17. de genere ineptiunt feminunum esse aliquando affirmantes. sed hic, ut apud Ovid. exprimitur *Martia picus avis*, subaudiendum avis. Teste Sanctio Min. p. 287. *Emmeness.*

463. *Sæpe queri.*] Quidam propterea *queri* positum volunt, quod doleat de Ascalapho se in avem mutatum, ut, *Veterem in limo ranæ cecinere querelam.* S.

Longas in fletum ducere voces.] Hinc Propertius, magnus & frequens Virgilii imitator, lib. 1. eleg. 10.

In longam ducere verba moram.

Quo versiculo etiam hæsit Ecl. 9.

Nostros in longum ducis amores.

& lib. 4. eleg. 10. de bobus Herculis mugientibus *longo mugitu.* Cerda.

In fletum ducere voces.] Eleganter, *voces ducere in fletum.* quod 6. Æn.

— *flendo ducimus horas.* Taubm.

464. *Piorum.*] Legitur & *priorum.* Sed *priorum* illud spectat, *Heu vatum ignaræ mentes quid vota furentem:* quod superius expositum. Sed *piorum* religiosorum, castorum. *Servius.*

Piorum.] Ex antiquis exemplaribus, quæ præ manibus habuerim, plura fuerunt omnino, quæ *piorum*, quam quæ *priorum* legerent. Quod si prædicta, in se *prius* habere consideremus, superhabundare quodammodo *priorum* judicabimus. Sin *piorum* legerimus, & proprium epitheton Vatibus dabimus, & vaticinio auctoritatem. Sane Servius utrunque agnoscit. *Pierius.*

465. *Horrificant.*] Horrorem incutiunt. *Servius.*

Horrificant.] Horrorem incutiunt. Catullus:

Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas. Taubm.

466. *In somnis ferus Æneas.*] Non est epitheton *ferus*, sed fantasia, talem enim illum imaginabatur, qualem timebat; & *in somnis* pro *in somniis*, id est, vigiliis. *S.*

Semperque relinqui.] Per omnes noctes navigare videbatur Æneas, quasi eam semper relinqueret. *Idem.*

467. *Longam viam.*] Nonnulli inferorum accipiunt. *Idem.*

Incomitata.] Quod ferale, id est, mortiferum omnibus; & præcipue regibus, qui nunquam soli sunt. *Idem.*

468. *Ire viam.*] Veteri more juxta

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, & duplicis se ostendere Thebas:
Aut

jus, ut, *ite viam, redite viam*, & alibi, *Primus & ire viam.* Servius.

Tyrios deserta quærere terra.] Bona affectio, solent enim qui deficiunt suos desiderare, ut dulcius moriantur. *Idem.*

469. *Eumenidum veluti demens.*] Antiqui aliquot codices, *Eumenidum veluti demens.* alii: *Eumenidum demens veluti.* P.

Agmina Pentheus.] Aut impetus: aut secundum quosdam, quia habitus earum & sibila serpentium faciem agminis præbent, vel quia plures furiæ putantur, vel quia furiosis pro tribus plures videntur, & bene *videt agmina*, expressit furentem, cum ait *Videt*, non existimat, sed putat se videre: Pentheum autem furuisse traditur secundum Pacuvii tragœdiam, de quo fabula talis est: Pentheus Echionis & Agaves filius, Thebanorum rex, cum indignaretur ex matertera sua Semele genitum Liberum patrem coli, tanquam deum, ut primum comperit eum in Citherone monte esse, misit satellites, qui eum vinctum ad se perducerent, qui cum ipsum non invenissent, unum ex comitibus ejus Acoëten captum ad Pentheum perduxerunt, hic cum de eo graviorem pœnam constitueret, jussit eum interim claudi vinctum: cumque sponte sua & carceris fores apertæ essent, & vincula Acoëti excidissent, miratus Pentheus, expectaturus sacra Liberi patris, Citherona petit, quem visum Bacchæ discerpserunt. Prima autem Agave mater, ejus amputasse caput dicitur, feram esse existimans, aut secundum Urbanum, agmina serpentum. Pentheus furuit etiam ipse secundum Pacuvii tragœdiam. *Servius.*

Pentheus.] Hæc ex Euripide in *Bacchis* sumpta sunt, ubi Pentheus rex Thebanorum furiosus, *Videre*, inquit, *videor jam duos Soles mihi, Duplicesque Thebas.* Cur autem furiosis, ebriis & pupillam oculi intorquentibus, res duplices appareant, docet Aristot. in Probl. Sect.3. item Lucret. l.4. *Taubm.*

Pentheus.] Fabulam Penthei enarrat Ovid.l.3.Met.vs.700.& in Græcis Paus. l. 2. in Corinth. p.89. Ov. in Ibide vs.

Aut lacer in silvis manibus spargare tuorum
Sparsus ut est Thebis angue creatus avo. Emmeness.

470. *Solem geminum.*] Tragice dixit, imitatus Euripidem. *Servius.*

Duplices Thebas.] Civitas in Bœotia à Cadmo & Zetho & Amfione constituta, in qua OEdipus Laii filius cum matre concubuit, ex qua Eteocles & Polynices, qui se propter regnum invicem peremerunt. *Idem.*

Et solem gem. & dupl. se ostend. Thebas.] Prorsus ex illo Eurip. in Bacchis: *καὶ μὴν ὁρᾶν μοι δύο μὲν ἡλίους δοκῶ, δισσὰς δὲ Θήβας.* Vide probl. Aristot. sect.3. Cur furiosis, ebriis, & pupillam oculi intorquentibus res duplices appareant. & metaphys. lib. 11. de iis, qui oculos digito subtorquent. cujus quidem *ἀνωμαλίας* ratio videtur à contrario cognosci, hoc est, ab æquabili, & bene constituta oculorum acie, qua licet gemina, res singulas tamen nobis repræsentamus: *ὅτι πνεῦμα τῶν ὀμμάτων αὐγοειδὲς ἐκπίπτον ἀνακιρνᾶται πῶς περὶ τὰ σώματα φωτὶ, καὶ λαμβάνει τὴν σύμπηξιν, ὥστε ἓν ἐξ ἀμφοῖν σῶμα δι' ὅλου συμπαθὲς γενέσθαι· κεράννυται δὲ ἕτερον ἑτέρῳ συμμετρίας λόγῳ καὶ ποσότητος, οὐ γὰρ ἀναιρεθῆναι δεῖ θάτερον ὑπὸ θατέρου κρατηθὲν, ἀλλ' ἀπ' ἀμφοῖν ἐστὶ μέσον ἁρμονίᾳ καὶ κοινωνίᾳ συναχθέντων μίαν δύναμιν ἀποτελεσθῆναι.* Plutarchus *συμπ. α.* probl. *η.* *Διὰ τί τὰ γράμματα πόρρωθεν οἱ πρεσβύτεροι*, &c. In hoc idem argumentum & Lucr. lib. 4. *At si forte oculo manus uni subdita subter Pressit eum, quodam sensu fit uti videantur Omnia quæ tuimur fieri tum bina tuendo, Bina lucernarum flagrantia lumina flammis, Binaque per totas ædes geminare supellex, Et duplices hominum facies, &* corpora

Aut Agamemnonius scænis agitatus Orestes;
Armatam facibus matrem & serpentibus atris
Cum fugit, ultricesque sedent in limine Diræ.

Ergo

corpora bina. Et Nicand. Alex. τὰ δ' ἀπλόα δέρκεται ὄσσοις, οἷα χαλικραίῃ νύχιος δεδαμασμένος οἴνῃ· & Calab. μ. de Laocoonte, in furorem à Pallade verso: μαινομένῳ δ' ἤϊκτο, καὶ ἔδρακε διπλόα πάντα. *Germanus.*

471. *Agamemnonius scænis agitatus Orestes.*] Hunc Oresten Electra soror ejus post occisum ab Ægisto dolo Clytemnestræ matris Agamemnonem subtraxit, quem Strophio alendum dedit. Eum cum filio Pylade educatum in adultam produxit ætatem, qui, ut primum de scelere matris ac morte patris agnovit, venit Mycenas, & adjuvantibus amico Pylade & sorore Electra, Clytemnestram matrem cum adultero Ægisto occidit, ob quam rem aliquandiu furiis agentibus insaniit. Sane *Agamemnonius* non est patronymicon, nam *Agamemnonides* facere debuit. Ergo sicut, *Agamemnoniæque phalanges.* Servius.

Scænis agitatus Orestes.] In antiquis aliquot codicibus, *furiis agitatus* legitur, ut rem vero proximiorem faciat; nam quæ in scænis repræsentantur, fabulosa esse solent. Verum ego crediderim *furiis* ex paraphrasi desumptum: & *scænis* inde legitima lectione expuncta, adulterinam suppositam. *Agitatus* enim non tantum pertinet ad furias, quæ omnino subintelliguntur: verum etiam ad fabulæ actionem, quæ frequenter scilicet recitari consuerit. Advertendum etiam *Orestes* absque aspiratione scribi, licet in codd. manu scriptis ea fere passim huic nomini adposita inveniatur. *Pierius.*

Scænis agitatus.] Famosus, celebratus tragœdiis. Qualiter à Græcis in scena inducitur. *Agitatus* autem, aut quia furiis agitatus, aut quia multæ sunt de eo tragœdiæ: quasi frequenter actus. *Servius.*

Scænis agitatus Orestes.] Omnibus in theatris actus & celebratus Orestes. De eo enim multæ tragœdiæ scriptæ & actæ sunt. Hæc autem, quæ hîc perstringit Poëta de Oreste, apud Æschylum spectari in Eumenidibus, notat Muret. Var. lib. 7. c. 24. Vide & Not. ad ℣s. 331. lib. 3. Æn. Alii, *scænis agitatus* interpretantur in prætoriis & judiciis agitatus: ut sit respectum ad illud de Oreste judicium in Areopago habitum. *Taubm.*

Scænis agitatus Orestes.] De Oreste agitato furiis & ejus decantata in scænis fabula, dictum alibi. Adde Horat. l. 2. Sat. 3. ℣s. 131. & seqq. sic *Agamemnonio* Orestæ Ov. in Ibide ℣s. 527. *Emmeness.*

472. *Armatam matrem.*] Causam ipsam furoris. *Servius.*

Armatam facibus matrem.] Clytemnestram facibus Furiarum, quarum singuli capitum pili serpentes erant. Cum autem hoc in tragœdiis non ad hunc modum narretur, existimat Nascimb. ita accipiendum; ut, cum Poëta matrem insectatam facibus & serpentibus filium dicat, de Furiis intelligatur: ut quod per Furias Clytemnestra fecerit, id ipsa videatur fecisse. *Taubm.*

473. *Cum fugit.*] Ad eum, credidit veritatem. * *Servius.*

Sedent in limine diræ.] A Pacuvio Orestes inducitur Pyladis admonitu, propter vitandas furias, ingressus Apollinis templum: unde cum vellet exire, invadebatur à furiis. Hinc ergo est, *Sedent in limine diræ.* Alii dicunt, quod cum absolutus in templo Minervæ, de judicio exiret à furiis correptus est. *Id.*

Sedent in limine diræ.] Quia, apud Æschylum, Furiæ templum Apollinis καθαρτοῦ, quod suasu Pyladis ingressus erat Orestes, non ingrediuntur, sed ipsum exspectant in limine. nam earum ingressu religio fani violata fuisset. Vide Turneb. lib. 26. c. 5. *Taubm.*

474. Con-

Ergo ubi concepit Furias evicta dolore,
Decrevitque mori; tempus secum ipsa modumque
Exigit, &, mæstam dictis adgressa sororem,
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat:
Inveni, germana, viam, (gratare sorori)
Quæ mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.
Oceani finem juxta, solemque cadentem,

Ultimus

474. *Concepit furias.*] Furore completa est, & quidam *furorem* pro bono & innocenti motu accipiunt, *furias* semper pro malo: Concepit ergo furorem, postquam amori dolor immixtus est. *S.*

Evicta dolore.] Ἀποκαρτερήσασα, Hom. Od. λ. de Epicasta vel Iocasta, quæ laqueo vitam finierat: ᾧ ἄχεϊ σχομένη. *Germanus.*

475. *Tempus secum ipsa modumque.*] *Tempus*, id est, quando; *modum*, id est, quomodo, & qua morte. *Servius.*

476. *Exigit.*] Ad certum redigit, ut solent pondera vires & ad exactum redige, ergo definit. * *Idem.*

477. *Consilium vultu tegit.*] Ut, *spem vultu simulat.* Idem.

Consilium.] Propositum consciscendi sibi necem. Ita 1. Æn. *Spem vultu simulat, premit alto corde dolorem.* Catullus:

—— *celans dulci crudelia forma*
Consilia in nostris requiesset sedibus hospes.

Scal. l. 4. c. 16. *Taubm.*

478. *Viam.*] Rationem, remedium. Ita enim antiqui dicebant, ut ipse alibi, *Aut tu, si qua via est.* Servius.

Gratare.] Gratulare, suscipe gaudium pro sorore. Sic enim dicimus, *grator tibi honorem meum.* Et bene à gratulatione incipit, quæ vult suum dissimulare consilium. *Idem.*

Gratare sorori.] Συγχαιρε· congratulare. *Germ.*

Gratare sorori.] Hoc verbo pro *gratulor* usos non solum Poëtas, sed scriptores, alii jam observarunt. Nam Tacitus 1. Hist. *proximi militum gratabundi.* & Livius lib. 9. *invicem inter se gratantes.* Cerda.

479. *Reddat.*] Reconciliet. *Eum.*] Æneam: quem, ut notum, noluit dicere. *Servius.*

Eo me solvat amantem.] Mori disponens, duo mentitur, vel ut se solvat, vel ut alliget Æneam. *Idem.*

Reddat eum, vel eo me solvat.] In Oblongo illo codice perveteri legere est, *Quæ mihi reddet eum, vel eo me solvet amantem.* Utrunque verbum futuro tempore, finitivo modo. In Longobardico, *Quæ mihi reddat eum, vel eo me solvet amantem.* Ut primo agat de præsenti, ut reddat: id si nequaquam fieri possit, de futuro saltem, ut sit solvenda Dido præcavetur. propterea *Solvet* affirmativum est: & hoc saltem eventurum firmiter proponit. Sed enim mihi magis faciat satis utrunque verbum eadem figura, eodem tempore & modo positum, magisque finitivum illud *Reddet*, & *Solvet*. Nam ut Anna propere ad opus adcingeretur, certa aliqua spes proponenda fuit. Est & sua tamen elegantia in lectione altera. *Pierius.*

Quæ mihi reddat eum, &c.] Hoc versu putat Lactantius, sive Luctatius in 5. Theb. allusum ad Venerem cognominatam *verticordiam*, quæ sic dicta, quod curas inferret, auferretque à cordibus humanis. Hujus Deæ plures meminere, præsertim Val. Max. lib. 8. quam Ovid. 4. Fast. sic circumscripsit:

Templa jubet fieri Veneri, quibus ordine factis,
Inde Venus verso nomina corde tenet.

Cerda.

480. *Oceani finem juxta.*] Finem Oceani nullus novit, sed initium: quod & ipsum

Ultimus Æthiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum;

Hinc

& ipsum potest finis videri aliunde sumpto principio. Et longinquitate argumentatur: Terentius, *Ex Æthiopia est usque hæc.* Servius.

481. *Æthiopum.*] Æthiopiæ duæ sunt, una circa ortum Solis, altera circa Oceanum in Mauritania, quam nunc dicit. Et dicta Æthiopia à colore populorum, quos solis vicinitas torret. Græce enim *αἴθειν torrere, ὄψ aspectus* dicitur. *Idem.*

Atlas.] Nullum nomen Græcum in *ns* terminatur. *Idem.*

482. *Axem.*] Nunc pro *cœlo*, non enim in axe sunt stellæ. *Idem.*

Torquet.] Sustinet, portat. *Idem.*

Stellis aptum.] Satis perite loquitur. Nam *aptum*, conjunctum dicit, ἀπὸ τοῦ ἅπτεσθαι, non insignitum stellis. *Axis* enim non habet stellas, qui est medius inter septentriones. Unde & Græce ἄναστρος dicitur. Septentriones autem non occidere, axis vicinitas facit, non quia in axe sunt. Ergo bene *aptum*, conligatum. Cicero in Timæo, *Qua ex conjunctione cœlum ita aptum est*, id est, constrictum & complexum. Item in Oratore, *Facilius est enim apta dissolvere, quam dissipata connectere.* Idem.

Axem stellis aptum.] *Axem*, id est, cælum stellis fixum & consertum conspersumque. ejusdem plane sensus cum illo Lucr. lib. 5. *stellisque micantibus fixum*: ut quidem Turneb. exponit, l.22. c.23. & l.29. c.6. Anaximenes enim stellas, clavorum more, cælo affixas dicebat. Mutuatum autem ex Ennio est, repetiturque lib. 6. & 11. Æn. Servius & alii *Aptum* interpretantur συναπτόμενον, conjunctum, connexum, compactum, colligatum: exemplo etiam Ciceronis in Tuscul. *Fulgentem gladium è lacunari seta equina aptum.* Et, de astrorum ordine, 3. De Nat. D. *Inter se omnia connexa & apta, &c.* Pimpontius & H. Grotius *Aptum* derivant ab antiquo *apere*, quod colligare significet: citantes illud Lucr. l.5.

Sic ubi non erimus, cum corporis atque animai
Discidium fuerit, quibus è sumus uniter apti.

Etiam Gifanius *aptum* hic exponit connexum, pendens: itaque sæpius usurpatum à Cicerone itidem asserit. Lucret. lib. 5.

— nos nil lædit veste carere
Purpurea, atque auro signisque ingentibus apta.

Ergo *aptum* hic fuerit ab *apere*, quod sit vinculo comprehendere, συναρμόζειν. inde & *apex*, auctore Festo. *aptus*, συναρμοσθείς. Aliud postea est *aptus*, ab apiscendo, &c. Denique Hier. Columna *haptum* legit: ἀπὸ τοῦ ἅπτειν. ut *haptum* sit inflammatum, &c. nec displicet Merulæ. *Taubm.*

Ubi maximus Atlas axem, &c.] Poëtica hæc figmenta quod portaverit cœlum humeris, ut Juven. Sat. 13. ℣. 48. unde passim *cœlifer* Stat. Theb. lib. 5. *respirat cœlifer Atlas*, docet idem Hyginus fab. 150. Sed, ut non nulli, *Atlas* mons est altissimus, ut supra ℣. 246. de quo Mela l. 3. c. 10. *In arenis mons est Atlas, dense consurgens, verum incisis undique rupibus præceps, &c. Qui quod altius, quam conspici potest, usque in nubila erigitur, cœlum & sidera non tangere modo vertice, sed sustinere quoque dictus est*; Ad hunc adhibe Salmasium Plin. exercit. p. 293. Servius eruditum astrologum fuisse docet lib. 1. Æn. ℣. 745. & ut noster *oceani finem juxta solemque cadentem*, sic Stat. l. 1. Achill.

Hos abolere metus magici jubet ordine sacri
Carpathius vates, puerumque sub axe probato
Secretis lustrare fretis, ubi litora summa
Oceani & genitor tenet illabentibus astris Pontus. Emm.

483. *Hinc*

Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos:
Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quæ dabat, & sacros servabat in arbore ramos;
Spargens humida mella soporiferumque papaver.

Hæc

483. *Hinc mihi Massylæ gentis monstrata.*] Prædicta. Quæ est oriunda Massyla, aliquando horti Hesperidum sacerdos, nunc habitans circa Atlantem. Nam aliter non procedit. Massyla enim Mediterranea est: Berenice civitas Libyæ, unde haud longe sunt horti Hesperidum. Atlas vero mons maximus in Mauritania est. Quidam tamen hos hortos circa Syrtes positos tradunt. *Servius.*

Massylæ gentis.] In codicibus plerisque veteribus, *Massyliæ gentis* legitur: quod veriti sunt *sy* mediam syllabam esse brevem. hinc superius, *Massylicique ruunt equites*, posuerunt: sed trisyllabum Latini agnoscunt. *Pierius.*

484. *Hesperidum templi custos.*] Hesperides Atlantis filiæ Nymphæ, secundum fabulam hortum habuerunt, in quo erant aurea mala, Veneri consecrata, quæ Hercules, missus ab Eurystheo, occiso pervigili dracone, sustulit. Re vera autem nobiles fuerunt puellæ, quarum greges rufam lanam habentes abegit Hercules, occiso eorum custode. Unde mala fingitur sustulisse, hoc est, oves, quæ Græce μῆλα dicuntur. unde μηλονόμος, dicitur pastor. Propter ruborem autem lanæ, quæ similis auro est, existimasse eos qui audierant mala aurea in Africa nasci. Est & alia fabula, cum nuptiæ Junonis celebrarentur, omnesque Dii in honorem ejus conferrent munera, Terra in extremis regionibus edidit arborem, poma aurea ferentem, hæc cum decerperent Hesperides Atlantis, sive Hesperi filiæ, custodes ejusdem arboris, Juno offensa munus spoliari suum, in metum earum misit Draconem insomnem, qui omnibus noctibus diebusque custodiret ramos, hoc postmodum ab Hercule interempto, qui ab Eurystheo ad hoc missus fuerat, mala sublata sunt. Hesiodus has Hesperidas Eglem, Arethusam, & Hesperusam Noctis filias, ultra Oceanum mala aurea habuisse dicit. Bene ergo Virgilius, has ad Oceanum & Solis occasum esse dicit. *Servius.*

Hinc mihi Mass. g. monst. sac. Hesper. &c.] Recte juxta Oceani fines. Erroris convincit Servium hoc in loco Salmas. Plin. exerc. p. 373. *Emmeness.*

Epulasque draconi.] Esperus rex traditur preciosissimas oves habuisse, quarum pastor vocabatur Dracon, cui præbebant epulas regis filiæ, sed quia Græce *oves* μῆλα dicuntur, ex dubio nomine fabula composita est. *Servius.*

485. *Sacros ramos.*] Vel Veneri, vel Junoni dicatos. *Idem.*

Sacros ramos.] Et ad serpentem custodem & ad sacros ramos alludit Sil. Ital. l. 6. *qualisque comantes auro servavit ramos Junonius anguis.* Emm.

486. *Spargens humida mella, soporiferumque papaver.*] Id est, miscens: ut supra dictum est ex Cicerone, *Et spargere venena didicerunt.* Nec incongrue ad amaritudinem amoris, mel adhibet: ad oblivionem, papaver. *Servius.*

Soporiferumque papaver.] Incongrue videtur positum, ut soporifera species, pervigili detur draconi. Sed dicimus variam vim præbere victuum diversa à diversis animalibus. Nam salices amaræ hominibus sunt, dulces capellis: ut, *Et salices carpetis amaras*, scilicet hominibus. Item cicutæ, secundum Lucretium, hominibus venenosæ sunt, cum pingues reddant capellas. Ergo & *papaver* cum det hominibus somnum, draconi adimit. Forsitan & est ergo excusatio. Potest tamen melior esse sensus, si *Servabat in arbore ramos*: plena sit distinctio, sequentia vero sic accipiamus,

Hæc

Hæc se carminibus promittit solvere mentis,
Quas velit; ast aliis duras immittere curas:
Sistere aquam fluviis, & vertere sidera retro:
Nocturnosque ciet manis. mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.
Testor, cara, deos, & te, germana, tuumque
Dulce

Hæc se promittit carminibus curas solvere. Idem.

Spargens, &c.] Disputant hic Critici, Cur soporifera species detur pervigili Draconi. Respondet Turnebus, Immanem illum Draconem, ut locum amaret, jucundo linctu mellis retinendum fuisse: & ne perdius & pernox insomnis tandem deficeret, medicamento velut soporifero ad vires reficiendas ei somnum conciliandum fuisse. De qua re copiosissime disserit l.26. c.5. & l.28. c.45. & l. 29. c. 6. Adversariorum: quæ legere operæ pretium est: ut & quæ P. Victorius Var. Lect. l.4, c.3. de his annotavit. *Taubm.*

487. *Hæc se carminibus.*] Id est, magicis vocibus. Hunc autem locum argute & callide de Magia disputans, illustrat Cæl. l. 9. c. 23. Laudat & Scalig. lib. 5. c.16. Lege & 8. Eclog. *Pharmaceutriam.* Idem.

Solvere.] Cura liberare. *Servius.*

Solvere.] Amore liberare. Tibullus:
——— *eadem se dixit amores*
Cantibus aut herbis solvere posse meos.
Vide Apulejum l. 1. Milesiar. *Taubm.*

Solvere.] Contrarium est *devovere, defigere, ligare*, quia, qui amoribus implicati erant, quasi nodo Veneris ligati videbantur. Vide Salmas. exerc. Plin. p. 1089. & Torrentium, ubi in Horatii oda ad Canidiam l. Epod. interpretatur quænam fuerint *Cocytia.* Emmeness.

488. *Duras curas.*] Bene *duras* affectu quo ipsa passa est. *Servius.*

489. *Sistere aquam fluviis, & vertere sidera retro.*] Quanto magis poterit Æneam ab incepto revocare? Vel in amorem immittere, aut mihi auferre. *Idem.*

Sistere aquam.] Tibullus:
Hanc ego de cœlo ducentem sidera vidi.
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter. Taubm.

Vertere sidera retro.] Utrum ut videtur etiam in cœlo potestatem habere, an etiam fata posse mutare, quæ secundum Mathematicos sideribus gubernantur: & multi *sidera* hic planetas accipiunt, quia reliqua cœlo adfixa sunt. *Servius.*

490. *Nocturnosque.*] Utrum quia in nocte sunt, an quia per noctem evocantur, an noctu. ut Cicero, *Nocturnis canibus dilaniandum.* Idem.

Ciet.] Exemplaria quædam admodum vetusta legunt, *movet manis.* ut illud, *At cantu commotæ Erebi de sedibus imis Umbræ ibant tenues.* & infra, *Quo fletu Manis, quæ numina voce moveret.* Sed enim *ciet* mihi magis placet: quo significato legere est in Pharmaceutria, *Animas imis excire sepulcris.* Pierius.

Manis.] Quod ad inferos manent, id est, abeant. *Servius.*

Nocturnosque ciet manis. Mugire videbis, &c.] Hæc & plura de arte magica enarrat Ovid. l. 7. ℣. 200. & seqq. *Emmeness.*

Mugire videbis.] Id est, videbit quis: ut, *Migrantes cernas.* Servius.

Mugire videbis.] Æneid. 6. *Sub pedibus mugire solum, &c.* Taubm.

491. *Sub pedibus terr. & desc.*] Hæc non sic adfirmat, quasi ad amorem extinguendum opus sint, sed difficiliora adsignat, ut facilius de opprimendo amore credat. *Servius.*

492. *Testor, cara, deos.*] Obtestatio, quæ insinuationem habet à necessitate.
Et

Dulce caput, magicas invitam accingier artis.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
495 Erige, & arma viri, thalamo quæ fixa reliquit
Inpius, exuviasque omnis, lectumque jugalem,
Quo perii, superinponas. abolere nefandi
Cuncta viri monumenta jubet monstratque sacerdos.

Hæc

Et respexit Poëta ad morem Romanorum, qui cum multa sacra susciperent; magica semper damnarunt. *Taubm.*

493. *Magicas invitam.*] Pro *ad magicas*, aut *magicas adgredi invitam*; quia cum multa sacra Romani susciperent, semper *magica* damnarunt. Probrosa enim ars habita est, ideo excusat. *Serv.*

Accingier.] Præparari. *Accingier* autem, ut ad infinitum modum *er* addatur, ratio efficit metri. Nam cum in eo ultima sit longa, addita *er* syllaba brevis fit: ut hic & in reliquis. *Idem.*

494. *Tu secreta.*] Sine arbitris, & est bona elocutio, rem loci vel temporis, ad personam transferre: ut *nocturnus venit, secretus fecit.* Idem.

Secreta.] Sine arbitris, sola. Charis. l. *Secreto.* Taubm.

Pyram.] Sub specie sacrificii, præparat mortis exequias. *Servius.*

495. *Et arma.*] Gladium dicit abusive. Nam ait paulo post, *Ensemque relictum.* Proprie enim *arma* sunt quæ armos tegunt. Hoc est scutum, quod Græcis ὅλον ὅπλον dicitur, cum cætera sua nomina habeant, unde ipse ait, *At Lausum socii exanimem super arma ferebant.* Sed hic ideo generaliter *arma* nominavit, ne inventione solius gladii consilium proderetur. *Idem.*

496. *Inpius.*] Qui gladium reliquit furenti. Hoc autem tractum est de Homero, qui dicit gladium Ajaci datum ab Hectore, & Hectori ab Ajace balteum, quæ eis exitio fuerunt. nam alter tractus est balteo: alter se donato telo interemit. *Idem.*

Inpius.] Antonomasia, pro Ænea, qui alias *pius* audiebat. Vide Quintil. 8. cap. 6. *Taubm.*

Exuvias.] Vestes Æneæ: quem *hostem* dixerat supra, *I soror, atque hostem supplex adfare superbum.* Item; *Dulces exuviæ.* Servius.

Exuviasque omnis.] Legitur etiam in antiquis, *exuvias omnis*, absque particula copulativa: quod nihil aliud ab Ænea relictum indicaret, in futuræ cædis omen. Sed enim inferius, *Exuvias* ab *ense* distinxit: & *Iliacas vestes* nominavit. Quare dicendum potius congruere imperanti membra quam maxime dissoluta ponere: ut, *Ferte citi flammas, date tela, scandite muros.* & quod paulo ante dicebamus, *Classem aptent taciti, socios ad litora cogant.* Neque suo caret ornatu, si cum particula copulativa legamus, *Exuviasque omnis*, præsertim, quum altera subsequatur, *Lectumque jugalem.* Pierius.

Lectumque jugalem.] Eleganter etiam in morte, perseverat in amore, & quatenus potest Æneæ se conjungit, si uno igne cum ejus concremetur exuviis. *Servius.*

497. *Quo perii.*] Propter extinctum pudorem. *Idem.*

Superinponas.] In codicibus aliquot antiquis, *superimpone* scriptum est: id autem absque synalœpha legeretur. Sunt & alii, in quibus *imponant* habetur, neutrum horum placet. *Pierius.*

Abolere nefandi.] A memoria tollere, ut, *Paulatim abolere Sichæum.* Servius.

498. *Monumenta jubet.*] Sunt codices admodum vetusti, in quibus cum Mediceo sic habetur *monimenta juvat*, ac de *monimento* per *i*, satis alibi dictum. Quod vero *juvat* inveniamus, dicta erunt hæc ex persona consilioque Didus,

Abolere

Hæc effata silet. pallor simul occupat ora.
Non tamen Anna novis prætexere funera sacris
Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit, aut graviora timet, quam morte Sichæi.
Ergo jussa parat.
At regina pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti, tædis atque ilice secta,
Intenditque locum sertis, & fronde coronat

Fune-

Abolere nefandi Cuncta viri monumenta juvat. mox illud ex præceptis, quæ sacerdos dederat, quorum vel alterum movere poterat sororem, ut ea omnia curaret cremanda. Mihi vero *jubet* magis placet, ut hoc sit auctoritatis & reverentiæ, quæ sacerdoti debeatur: Monstrat vero pro redditione caussæ, cur id fieri debeat. *Pierius.*

Monumenta jubet abolere.] Quæ istius admonent. Eadem præcipit & Ovid. de Remedio amoris l. 2.

Omnia pone feros, quamvis invitus, in ignes:
Et dic, ardoris sit rogus iste mei, &c.

Taubmannus.

Jubet monstratque sacerdos.] Et *juvat* συμφέρει, hoc est, & voluntas mihi est, & sacerdos hoc præcipit. *Que* autem, pro *enim*, posuit. *Servius.*

499. *Hæc effata silet.*] Subitum silentium, imperfectam orationem ex perturbatione mentis ostendit. *Idem.*

Pallor simul occupat ora.] Scilicet ex conscientia cogitatæ mortis. *Idem.*

Occupat ora.] Veteres nonnulli codices *inficit ora*, legunt: quod non est horroris proprium, sed verecundiæ potius. præterea *pallor* infecturæ contrarius est. *Pierius.*

Pallor occupat ora.] Sic Horat. duo conjungit l. Epod. od. 7. *tacent & ora pallor albus inficit.* Emm.

500. *Novis.*] Pro *usitatis*. Servius.

Prætexere.] *Prævelare, abscondere.* Et est antistrophe, *funeribus nova sacra prætexere.* Ergo hoc dicit, Anna non arbitratur sub obtentu sacrificiorum pompam funeri præparari. *Idem.*

501. *Tantos furores.*] Quantos cogitabat Dido. *Idem.*

502. *Graviora timet, quam morte Sichæi.*] Aut *Quam* detrahimus: & stat eloquutio: aut subaudimus, *Graviora timet posse contingere*, hoc est, vel quæ fecit, vel passa est Dido. *Idem.*

Aut graviora timet, quam morte Sichæi.] In antiquis aliquot codicibus, *haud* legere est: quod minime placet. Est & *Suchei* per *u*, ut superius non semel observatum, quod quidem, ut puto, fit, ut *Libet*, *Lubet*, & similia. *Pierius.*

504. *At regina pyra.*] Notatus est hic versus: vitiosa est enim elocutio, quæ habet exitus similes, licet sit casuum dissimilitudo. *Servius.*

505. *Tædis atque ilice secta.*] Observavit Kirchm. de Fun. Vet. l. 3. c. 1. electam ad exstruendas pyras fuisse materiam, quæ ignem facile conciperet, & nutriret. Tales fuerunt arbores resiniferæ, de quibus etiam noster l. 6. ✠s. 214.

Principio pinguem tædis, & robore secto
Ingentem struxere pyram. Emm.

506. *Intenditque locum sertis.*] Et intendit & inligat: ut, *Et stupea vincula collo Intendunt.* & est Hypallage, est enim *Intendit serta per locum.* Hoc est, aut à pariete in parietem ligat, quod est extensis sertis locum replet, quasi serta per locum tendit. *Servius.*

Fronde coronat Funerea.] Verbenas intel-

Funerea: super exuvias, ensemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant aræ circum, & crinis effusa sacerdos
Tercentum tonat ore deos, Erebumque, Chaosque,
Terge-

intelligit, quas sacris adhibebant. Sed verbenæ in sacro nocturno erant funereæ, ut è cupressu; non è læta fronde. Turn. l. 15. c. 1. *Taubm.*

507. *Funerea.*] Romani moris fuit, propter ceremonias sacrorum, quibus populus Romanus obstrictus erat, ut potissimum cupressus, quæ excisa renasci non solet, in vestibulo mortui poneretur, ne quis imprudens funestam domum, rem divinam facturus, introeat, & quasi attaminatus suscepta peragere non possit; hinc ergo *funerea cupresso*: Nam etiam supradicta ligna ad funus pertinent: ut, *Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex.* Servius.

Funerea.] Pro eo Stat. l. 4. Theb.

—— atque omne cupressus
Intexit plorata latus. Emm.

508. *Effigiemque toro locat.*] Imaginem scilicet Æneæ, quia solent Magi effigies eorum facere, propter quos carmen instituunt, ut in Bucolicis, *Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit.* & Eclog. 8. *Terque hæc altaria circum Effigiem duco.* Horatius, *Lanea effigies erat, altera cerea.* Et bene exprimitur amoris adfectus, quod etiam in morte amati imagini volebat esse conjuncta, ut paulo post, *Natumque patremque Cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem.* Servius.

Effigiem.] Æneæ. Nam in *Sacris* istis *Stygialibus* (de quîs infra ℣ſ. 638.) sive *Cocytiis*, ut Horatii interpres Porphyrio appellat, sive ut Statius 4. Theb. ℣ſ. 414. *Lethæis*, in quibus Sagæ alios in amorem aliorum pellicere nitebantur, *effigies* etiam *cerea*, similis ei, quem devovebant, ponebatur: aut etiam laminæ in ejusdem similitudinem effictæ, quæ *Ipsullices*, vel potius *Ipsiplices*, αὐτόπτυκτα φύλλα, vel etiam *Auriplices* vocabantur. Sagæ autem ejusmodi *Simulatrices* dictæ, vel etiam *Fictrices, &c.* De quibus accurate Scaliger F. in Ceiri, ad ℣ſ. 374. *Taubm.*

Haud ignara futuri.] Memor suæ dispositionis. *Servius.*

509. *Stant aræ circum.*] Aut sunt, aut circumstant. *Idem.*

Crinis effusa.] Crines effusos habens, ut, *picti scuta Labici.* Idem.

Sacerdos.] Quæritur à quibusdam, quæ sit hæc sacerdos, quia illam ipsam accipi volunt, quæ supra, dicta est, tanquam ficta à Didone. Ergo hanc adhibitam ad tempus hujus officii sacerdotem volunt. *Idem.*

Crinis effusa sacerdos.] Pro eo Stat. l. 1. Theb. *Resolutaque vertice crines.* Emmeness.

510. *Tercentum tonat ore deos.*] Non tercentum deos: sed tonat tertio centum nomina Hecates: unde & Hecate dicta est *Hecaton*, id est, centum potestates habens. *Tonat* autem perite dixit. Aliquibus enim sacris imitabantur tonitrua. Sed præcipue in Ecatæ: aut *Tonat* clara voce & cum fiducia invocat. *Servius.*

Ter centum tonat ore deos.] Vox *Ter* non ad deos, sed ad *tonat* referendum est. ut dicat, Hecaten, quam per centum deos innuit, ter, sive persæpe, invocatam esse. Alii trecentos deos intelligunt: quia tot Joves habuerit vetustas. De quo Cælius lib. 22. c. 3. Uterque autem numerus & τὸ *ter*, & τὸ *centum* infernis sacer erat. Vide & Dan. Heinsium ad illud Sillii l. 1.

—— ordine centum
Stant aræ cælique deis Hereboque potenti.

ἑκατὸν enim τῆς ἑκάτης numerus est. *Taubmannus.*

Erebum.] Inferorum profunditatem. *Servius.*

511. *Ter*

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.
Sparſerat & latices ſimulatos fontis Averni:

Falci-

511. *Tergeminamque Hecaten.*] Quidam *Ecaten* dictam eſſe tradunt, quod eadem & Diana ſit & Proſerpina, ἀπὸ τῶν ἑκατέρων; vel quod Apollinis ſoror ſit, qui eſt ἑκατηβόλος, & ſecundum Heſiodum Hecate & Titanis & Aſteriæ filia eſt, Diana & Jovis & Latonæ: Perſephone Jovis & Cereris, quam genealogiam poſteriores confuderunt. *S.*

Tergeminamque.] *Tergeminus* & *trigeminus* idem quod *ternus.* quos Livius l. 1. *trigeminos fratres* vocat, *tergeminos* appellat Flor. l. 1. c. 3. de Horatiis & Curiatiis cum eſt ſermo. Vide Bochart. Hiſt. anim. l. 2. c. 40. *Emmeneſſ.*

Tria virginis ora.] Iteratio eſt ejuſdem rei, Lunæ, Dianæ, Proſerpinæ. Et cum ſuper terras eſt, creditur eſſe Luna, cum in terris, Diana, cum ſub terris, Proſerpina: Quibuſdam ideo triplicem placet, quia Luna tres figuras habet, prima tanquam C, ſequens tanquam ɔ ... * tanquam O. Nonnulli eandem Lucinam, Dianam, Ecaten appellant, ideo quia uni deæ tres adſignant poteſtates, naſcendi, valendi, moriendi; & quidem naſcendi Lucinam deam eſſe dicunt, valendi Dianam, moriendi Hecaten, ob quam triplicem poteſtatem, triformem eam triplicemque finxerunt, cujus in triviis templa ideo ſtruxerunt. *Idem.*

Tria virginis ora.] Iteratio eſt, Lunæ, Dianæ, Proſerpinæ. Turn. lib. 27. c. 5. *Hecaten triformem* ait dictam: quia & pingi & fingi ita ſoleat, & tribus animalium nominibus vocari gaudeat. Porphyrius lib. 4. *De non edendis animalibus:* ἡ δὲ ἑκάτη ταῦρος, κύων, λέαινα ἀκούουσα μᾶλλον ὑπακούει. Videatur & Cælius l. 20. c. 6. ubi inter cætera annotat, *Hecaten* dici *tergeminam:* quia ſit trium capitum: dextrum quidem equi: ſiniſtrum canis: medium hominis agreſtis: ideoque ab Orpheo τρικέφαλον appellatam, &c. Ovid. 7. Met.

Tuque triceps Hecate, &c.

idem 1. Faſtor.

Ora vides Hecates in tres vergentia partes.

Alii τρίμορφον καὶ τρικέφαλον dictam cenſent, quod Lunæ triplex ſit viciſſitudo: cum in cornua eſt curvata: cum dividua, cum plena. Nonnulli eandem Lucinam, Dianam, Hecaten appellant, ideo, quia uni deæ tres adſignant poteſtates, naſcendi, valendi, moriendi. Et quidem naſcendi Lucinam deam eſſe dicunt, valendi Dianam, moriendi Hecaten. Hinc *triformem* dictam, & in triviis templa meruiſſe, &c. Videatur & Pimpontius in Paralip. Virgilii: J. Parrhaſius hæc ita interpretatur: ut dicat, Hecaten à ſaga ter invocatam: quam per centum deos obſcure quidem, verum peritiſſime deſignavit, ad ampliſſimam deæ poteſtatem, & nominis rationem ſimul alludens: quod ab ἑκατὸν, id eſt, *centum*, trahitur. Ternarius porro numerus in hujuſmodi ſacris adhibebatur ex ritu, &c. Nec obeſt, quod ſtatim ſubjicitur,

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Nam ſui moris eſt (ut & Macrob. obſervat) in quibus non convenit inter doctos (ut & in Hecate) utramque ſententiam complecti, &c. Videatur & Floridus l. 3. c. 40. Succiſiv. *Taubm.*

512. *Simulatos fontis Averni.*] In ſacris, ut ſupra diximus, quæ exhiberi non poterant, ſimulabantur: & erant pro veris. Bene autem de Averno, per quem deſcenſus ad inferos dicitur. *Servius.*

Sparſerat.] Χύτλα autem ſive *latices* in expiationibus & devotionibus ſpargebantur thallo ſive ramo olivæ: ut in Ceiri ℣ſ. 376. & 6. Æn. ℣ſ. 230. Heſychius: χύτλασον, ὕγρανον. χύτλος δὲ κρατὸς ὄγκος ἄσκιος παρῆν. χυμβίοις, ἐσπαρμβίοις, &c. *Taubm.*

Sparſerat & latices ſimulatos, &c.]

Bbb 2 In

Falcibus & messæ ad lunam quæruntur aënis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni:

Quæ-

In sacris, quæ exhiberi non poterant, simulabantur; & erant pro veris. Ita cum de animalibus, quæ difficile inveniuntur, est sacrificandum; de pane, vel de cera fiunt; & pro veris accipiuntur. Inde & *simulatrices mulieres* vel sacerdotes, apud Festum: ut placuit Turnebo lib. 3. cap. 10. & lib. 16. c. 22. Ita hic vera aqua lacus Averni non poterat haberi, itaque simulata utitur Dido. Nam & in templo Isidis aqua sparsa de Nilo esse dicebatur. Inde & *Cervaria ovis* Festo, quæ pro cerva immolatur. Atque hæc etiam sacra *Dicis caussa* fieri suo modo, docet P. Pithœus Adv. lib. 2. 8. Bene autem, *Averni*, qui Plutoni sacer, & per quem descensus ad inferos, dicitur. Horat. Od. 5. Ep.

At expedita saga per totam domum
Spargens Avernales aquas,
Horret capillis —— Taubm.

513. *Falcibus & messæ ad lunam quæruntur aënis.*] Quia herbæ aut secundum rationem Lunæ tolluntur, aut in quas despumaverit Luna: sicut Lucanus, *Donec subpositas propius despumet in herbas.* Nec omnes eodem modo. Unde perite & *ahenis falcibus* dixit: quia aliæ velluntur, aliæ inciduntur, & *ad Lunam*, non ad noctem, sed ad Lunæ observationem. *Servius.*

Falcibus & messæ ad lunam, &c.] Succisæ ad observationem lunæ. Credebant enim herbas ad lunæ lumen lectas, veneficiis efficaciores: quod veneficiis lunam præesse censerent, & quadam saliva ac spuma herbas inficere. unde & Ovid. 7. Met. de Medea:

Addidit exceptas lunæ de nocte pruinas.

Lucan. l. 6.

Donec suppositas propior despumet in herbas.

Val. Flacc. l. 6.

Quanvis Athracio lunam spumare veneno
Sciret.

Vide Turneb. l. 6. c. 10. Est & hoc mystice dictum, atque ex ritu Acherontiorum sacrorum, *Falcibus aënis:* quod herbæ religiosius & purius æneis falcibus incidi arbitrarentur, quam ferreis: quod æs vi occulta minus quam ferrum corrumpat; minus rubiginis creet, vulneribus minus noxium sit: sed & purgandi φαρμακώδη ἰδιότητα & detergendi habeat: ut docet Plutarchus. Vide & Macrob. lib. 5. cap. 19. & Cælium l. 19. c. 5. item Joh. Scoppam. Jam, *pubentes herbas*, Servius adolescentes & florentes intelligit: at Turneb. l. 26. c. 5. lanosas villosasque. Nam in veneficio, *inquit*, quando viri, qui pubent & barbati sunt, petuntur & incantantur, majorem vim habere plusque pollere, quam læves & impuberes censebantur. Sic & 12. Æn. *Puberibus caulem foliis*, declaro, villosa pube lanuginosis: talia enim folia tribuit *Dictamno* Dioscorides. *Taubm.*

Aënis.] Codices plerique vetusti scriptum habent *aheneis* quippe falcibus: quod non displicet. Ovid. *Tertia post illos successit aënea proles.* Horat. *Hic murus aëneus esto.* Erit vero versus dactylicus, vel Synizesin patietur. Sed enim etiam *ahenis* recte. *Pierius.*

Falcibus aënis.] Sic Ovid. l. 7. Met. ℣s. 222.

Partim succidit curvamine falcis aënæ.

De *pubescentibus herbis* vide Salm. exerc. Plin. p. 513. *Emm.*

514. *Pubentes herbæ.*] Ideo quia aliæ siccæ, aliæ viridiores leguntur. Et sciendum inter homines & herbas esse reciprocam relationem. Sic enim *pubentem herbam* dicimus, quemadmodum *florem ætatis.* Servius.

Nigri cum lacte veneni.] *Nigri*, aut noxii: quia nigri fiunt homines post venenum. Aut certe illud est: quia sunt herbæ nigri lactis, id est, succi. Dicunt autem per periphrasin agreste papaver significari. *Idem.*

515. *Quæ-*

Quæritur & nascentis equi de fronte revolsus,
Et matri præreptus amor.
Ipsa mola, manibusque piis, altaria juxta,
Unam exuta pedem vinclis, in veste recincta,
Testa-

515. *Quæritur & nascentis equi de fronte.*] Videbatur quibusdam non tam Poëta hippomanes & philtrum conquirere debuisse, quam amoris amuletum: cum institutum hic Didus sit amorem excutere & abolere. Docet tamen Turnebus, nihil admisisse Maronem in artem, cum hippomanes hic paretur, ut igni mandatum amorem penitus amoliatur & deleat: cum non nisi ex arte adhibitum ad amoris conciliationem prodesse possit. Sunt tamen, qui alia ratione Maroni hac in parte succurrant: nimirum ita propositum Didus accipiendum, ut suum explicat Tibullus, à maga lustratus, sub his verbis: *Et me lustravit tedis: & nocte serena Concidit ad magicos hostia pulla deos: Non ut totus abesset amor, sed mutuus esset Orabam, nec te posse carere velim.* Scilicet ut Dido Annæ fidem faciat, id se agere velle, ut aut amore exolveretur, aut ab Ænea redamaretur: ut constat liquido ex præcedentibus, & illo: *Inveni germana viam —— Quæ mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.* Aliorsum Hippomanes Propertio significatur eo loco: *in me Hippomanes fœtæ semina legit equæ*: & Tibullo: *Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores, Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ.* Recurre ad locum Georg. *malæ legere novercæ Hippomanes.* Germ.

516. *Et matri præreptus amor.*] Plinius dicit in naturali historia, pullos equinos habere in fronte quandam carnem, quam eis statim natis adimit mater: quam si quis forte præripuerit, odit pullum, & lac ei denegat. Juvenalis, *Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli Infudit.* Et merito suspicantur amorem creari ex carne, sine qua mater non alit ex se creatum. Theocritus, *Ippomanes* virgulti genus dicit. *Servius.*

Et matri præreptus amor.] De hac caruncula (Græce σαρκίῳ) Salmas. Plin. exerc. p.942. *Emm.*

517. *Ipsa mola.*] Id est, farre & sale: quam *molam salsam* à molendo appellant. Ordo autem est, ipsa Dido mola, & piis manibus, id est, puris, deos testatur. Et bene *ipsa*, quia supra de sacerdote erat locuta. *Servius.*

Ipsa mola.] De mola dictum Ecl. 8. ℣s. 82. His adde quæ Feithius in antiq. Homer. l. 1. c. 8. *Emm.*

518. *Unum exuta pedem.*] Quia id agitur, ut & ista solvatur, & implicetur Æneas. Solent enim & resolutoria sacrificia ab aruspicibus fieri, & Junonis Lucinæ sacra non licet accedere, nisi solutis nodis. *Servius.*

In veste recincta.] Quia ut supra diximus, in sacris nil solet esse præligatum, præcipue ejus, quæ amore vult solvi. Sane Flaminicæ non licebat, neque calceos, neque soleas morticinas habere. *Morticinæ* autem dicuntur, quæ de pecudibus, sua sponte mortuis, fiebant: neque supra genu succinctam esse, quod hic vult tangere, *Unum exuta pedem vinclis in veste recincta*: non sublata, sed summissa, nam sic est dictum *recincta*, ut resoluta, ut remissa. *Idem.*

In veste.] Sunt quidem exemplaria manu scripta, in quibus legitur, *& veste recincta.* Sed illud, *in veste* longe usitatius. *Pierius.*

In veste recincta.] Nihil enim in sacris ligatum esse conveniebat: ejus præcipue, qui amore solvi cupiebat. Et notat Turn. l. 6. c. 10. hoc ex ritu nocturnorum sacrorum, & veneficiorum dici. Ita Ovid. 7. Met.

Egreditur tectis vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos.

Testatur moritura deos, & conscia fati
Sidera: tum, si quod non æquo fœdere amantis
Curæ numen habet, justumque memorque precatur.
Nox erat; & placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, silvæque & sæva quierant
Æquora: cum medio volvuntur sidera lapsu,
Cum tacet omnis ager; pecudes, pictæque volucres,

Quæque

Apud Horat. 1. Sat. 8. Venefica succincta quidem est palla; sed tamen sine calceis, & passo capillo. Matth. Bonfinis (Epist. Philologica 47. quas Haiminfeld. edidit) acerrime pertendit legendum,

— *vinclis & veste recincta.*

cui tamen os verberat Erythræus: notatque Pimpontius, *in* particulam hoc usu frequentari. Æn. 5. ℣s. 37.

— *occurrit Acestes*
Horridus in jaculis.

ibid ℣s. 550.

Et sese ostendat in armis.

Taubmannus.

519. *Testatur moritura deos.*] Quidam hic *testatur*, pro *obtestatur* accipiunt. *Servius.*

Conscia fati Sidera.] Id est, planetas, in quibus fatorum ratio continetur. An conscia fati sui testatur sidera, ut constantia ejus appareat mori volentis: ergo *fati* sui, id est, mortis. *Idem.*

520. *Si quod non æquo fœdere amantis Curæ numen habet.*] Ordo est: Tunc numen precatur, si quod curæ habet amantes non æquo fœdere. *Si quod* autem, bene dubitat utrum & ita malæ res habeant præpositas potestates. Nam & amatoribus præesse dicuntur ἔρως, ἀντέρως, λύσερως; nonnulli Nemesin significari putant, nonnulli ἀντέρωτα invocabant, contrarium Cupidini, qui amores resolvit: aut certe cui curæ est iniquus amor, scilicet ut implicet non amantem. Hic etiam Athenis coli dicitur. *Idem.*

521. *Justumque memorque.*] *Justum* ad judicandum, ut expugnetur, qui est caussa discordiæ. *Memor* simul ad vindicandum; & *memor* ideo neutro genere, quia *numen* dixerit. *Idem.*

522. *Nox erat.*] Protenditur ista descriptio ad exaggerationem vigiliarum Didonis. *Idem.*

Nox erat, &c.] Descriptio noctis intempestæ; ubi in florido illo dicendi genere, somnum incomparabilium florum manipulis adspergit Poëta: ut ait Scal. lib. 4. cap. 9. Vide & l. 5. c. 6. & l. 6. c. 16. ubi hæc *divina* appellat, & quæ vel decies repetita placeant. *Taubmannus.*

Nox erat.] Pro eo Ovid. l. 7. ℣s. 186. *Solverat alta quies, &c.* ubi plura, quæ huc faciunt. *Emm.*

523. *Silvæque.*] Secundum eos, qui dicunt omnia, quæ crescunt, animalia esse. *Servius.*

Silvæque & sæva quierant Æquora.] Solent Poëtæ τὰ ἄψυχα facere ἔμψυχα. ita Stat. 5. Silvar.

— *& terris maria acclinata quiescunt:* quasi mare acclinatum terræ dormiret. Vel per metonym. intelligamus feras & pisces, qui sunt in silvis & mari. Vide Turn. l. 21. c. 4. & l. 26. c. 5. *Taubm.*

524. *Æquora.*] Elementa etiam animalia esse voluerunt. Unde est in septimo, *Æquora mulcebant cantu.* Servius.

Medio volvuntur sidera lapsu.] Noctem describit, per sidera, hoc est, cum medium cursum tenent sidera, quæ orta sunt. *Idem.*

525. *Tacet ager.*] Ea, quæ in agris sunt. *Idem.*

Pictæque volucres.] Uno verbo multos & varios colores avium demonstravit, pictura enim ex multis coloribus constat. *Idem.*

526. *Quæ-*

Quæque lacus late liquidos, quæque aspera dumis
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.
At non infelix animi Phœnissa, neque umquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit. ingeminant curæ: rursusque resurgens
Sævit amor, magnoque irarum fluctuat æstu.
Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:

En

526. *Quæque lacus la. li.*] Id est, pisces & feræ. Scal. l.2. c.29. & 32. & l.4. c. 1. hos versus φωνητικὰς sive vocales nominat: eosque pro virtute aliquando quæsitos ait: ut & illud, 5. Æn. ℣ſ.867.

Sale saxa sonabant.

Taubmannus.

528. *Lenibant.*] Notat Pomponius, hunc versum ab Apronio non legi. Sed & Fabricius observavit in nonnullis Mss. omitti. Habetur tamen & 9. Æn. *Idem.*

Somno positæ Lenibant curas.] Sic apud Ovid. l. 11. ℣ſ.623.

Somne, quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, &c.

Laborum, id est, molestiarum, ut Ter. Hec. 3.1.6. *quibus est alicunde aliquis objectus labos.* sic πόνος Græce, pro ægritudine. ut apud Eurip. in Bacch. ὕπνος φάρμακον πόνων. *Emmeness.*

529. *At non infelix animi.*] Antithesis, ut, *At non qua Scythiæ gentes:* figuratius est *animi*, quam si *animo* diceret, ut, *O præstans animi juvenis.* Servius.

Infelix animi.] Ita supra, *amens animi* Plautus: *Æger animi*: *animi saucius.* Terent. Eun. *Falsus animi, &c.* *Discrucior animi.* Taubm.

530. *Oculisve aut pectore noctem Accipit.*] Quia potest aliud esse sine alio, ut si quis dormiens mente turbetur. *Servius.*

Oculisve aut pectore noctem Accipit.] Aristoteles siquidem lib. de somno & vigilia, medicique potissimas somni partes & functiones cerebro pectorique tribuunt. Et Ovid. *His ego si vidi mulcentem pectora somnum, &c.* Germanus.

531. *Accipit.*] Quia plerique codd. antiqui *adcipit* incolumi præpositione scribunt: libuit ex Gn. Pompeji temporibus testimonium adscribere, quod verbum id *cc* geminato tunc scribi solitum declararet. Inscriptio est in Minervæ delubro, quod ex Manubiis condidit, in qua notatum est hoc modo, *in deditionem acceptis.* Inde paulo infra, *in fidem acceptis*, utrunque *cc* geminato. *Pierius.*

Resurgens sævit amor.] Gravior enim est, cum resurgit: & est sententia quasi generalis. *Servius.*

532. *Magnoque irarum fluctuat æstu.*] Fluctus in affectu iræ, ut & Lucret. lib. 3.

Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.

Oppian. lib. 3. Hal.

—— νόος δέ οἱ ἠΰτε κῦμα
Εἰλεῖται:

Mens ipsi volvitur instar fluctus. Et in re amoris Catullus:

—— *magnis curarum fluctuat undis.*

Apul. *Æstu pelagi similiter fluctuat Psyche.* Cerda.

533. *Adeo.*] Scilicet furuit: ut in hoc proposito permaneret vitandæ sine dubio lucis. *Servius.*

Insistit secumque ita corde volutat.] Aut insistit volutare, aut insistit proposito moriendi: Plautus tamen ita ait, *Hunc sermonem insistiti.* Idem.

Secum volutat.] Euripid. αὐτὴ πρὸς αὑτήν.

En quid ago? rursusne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sim toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur classis atque ultima Teucrûm
Jussa sequar? quiane auxilio juvat ante levatos,

Et

αὐτὸν. *Salomo* (qui ante hos DCCC. annos vixit) in Lex. *Volvit, Cogitat.* Virgilius Gloss. *Volvit secum, flagitat secum.* Placidus Gloss. *Volvere, cogitare, disponere, pati, tolerare.* In Hermeneum: *Volvit, pectore cogitat.* Vide Goldastum in Columban. *Taubm.*

534. *En quid ago.*] *En, ecce,* & quasi demonstrantis particula est, per quam intelligimus, eam multa cogitasse, & sic prorupisse, *ecce quid actura sum?* Est autem comicum principium: nec incongrue amatrici datum. Sic Terentius, *Quid igitur faciam?* Nam hæc conjunctio multa eam cogitasse significat. *Servius.*

En quid ago.] A'πορίας exemplum cui simillimum illud Apuleji l. 5. Met. *Sed nunc irrisui habita quid agam? quo me conferam? quibus modis stellionem istum cohibeam? petamne auxilium ab inimica mea sobrietate, &c.* quale πάθος excitet addubitatio sive ἀπόρησις docet Macrob. l. 4. Saturn. c. 6. ubi legit *en quid ago?* Emmeness.

Rursus.] Duo significat, frequenter, *iterum*: raro *vicißim*, id est, mutuo, ut hoc loco. Alii hoc loco *rursus* pro *similiter* accipiunt: ut sit, ergo ego similiter rogabo, sicut me illi antea rogaverunt. *Servius.*

535. *Nomadumque petam.*] Invidia à personis: *petam* mulier & regina Numidas, id est, vagos. *Idem.*

Nomadumque petam connubia.] *Numidum* Latine scribendum ostendimus ex Appiano. Id igitur potius referamus, quod veteres plerique codices, non *petam*, sed *sequar conubia* legunt: quod mihi non placet. Paulo enim infra est, *Jussa sequar*: quod absurdum esset tam cito repetitum. Et de Connubio, *petere* libentius dicimus: *Petit ante alios pulcherrimus omnes Turnus.* Et *uxorem petere*, apud Terentium sæpius. *Pierius.*

536. *Sim.*] In aliquot antiquis codicibus, *sim* legitur: si diligenter advertas, non invenuste. In aliquibus *sum* invenias. *Idem.*

Maritos.] Futuros scilicet. Est autem eloquutio, *dedignor illam rem.* Servius.

Maritos.] Sic Apulejus l. 4. Milef. *tabulis etiam maritus nuncupatus*, pro eo qui maritus esse voluerat. De non conjuge Propert. l. 1. El. 2.

Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis.

Quemadmodum Choroebus gener Priami ℣s. 344. l. 2. Æn. *Dedignata* Græce ἀπαξιώσασα. *Emm.*

537. *Iliacas igitur claßis.*] Sic intulit, quasi si illud non fecerit, hoc necessario consequatur. *Servius.*

Ultima jussa.] *Ultima*, deterrima, an superba, &, Aut intelligimus Ænean ei obtulisse navigandi facultatem; aut *Teucrum jussa.* Alii κέλευμα, unde *jubere* κελεύειν dicitur Græce: Non quæ ipsius fuerant, sed quæ eis à Jove jussa sunt, ut, *Naviget, hæc summa est.* Idem.

538. *Quiane.*] Re vera: & est una pars orationis. *Idem.*

Auxilio.] In codicibus aliquot antiquis, *exilio* legitur: quasi ad id adludat, quod illis in exilium abactis, patriam donaverat, per eam concessionem, *Urbem quam statuo vestra est.* Sed enim *auxilio* in pluribus habetur exemplaribus: & longe castior lectio peritioribus videtur. *Pierius.*

Quiane auxilio.] Proximæ propositionis confutatio, per εἰρωνίαν: qua Trojani etiam τῆς ἀχαριστίας accusantur.

Sensus

Et bene apud memores veteris ſtat gratia facti?
Quis me autem (fac velle) ſinet; ratibuſve ſuperbis
Inviſam accipiet? neſcis heu, perdita, necdum
Laomedonteæ ſentis perjuria gentis?
Quid tum? ſola fuga nautas comitabor ovantis?
An Tyriis, omnique manu ſtipata meorum
Inferar? & quos Sidonia vix urbe revelli,

Rurſus

Senſus eſt: Quaſi vero profuerit mihi eos ante levaſſe auxilio, & quaſi ſtet, id eſt, permaneat gratia veteris facti apud memores, &c. *Quiane*, pro, *an quia*. Vide Turn. l. 28. c. 1. & l. 29. c. 6. item Notas ad Plauti Mil. ſc. 1. *Quemne ego ſervavi?* Taubm.

539. *Bene.*] Pro qualitatis adverbio intelligendum eſt. *Servius.*

Stat.] Permanet. *Idem.*

540. *Quis me autem (fac velle) ſinet.*] Ordo eſt, Fac me autem velle, quis ſinet. *Idem.*

Ratibuſve ſuperbis.] Vel magnis & altis, vel in quibus ſuperbi navigaturi ſunt, hoc eſt, quæ me tanto contemptu deſeruit. *Idem.*

Ratibuſve ſup.] Pierius in quibuſdam vett. lib. legi ait, *ratibuſve*. hinc Paſſerat. facit, *ratibuſne*. Hæc enim poſteriora, inquit, ad Æneam pertinent. *Taubm.*

541. *Irriſam.*] Alii *inviſam*. Quæ ſic contemni & relinqui mereor. *Serv.*

Inviſam.] In Mediceo, & pleriſque aliis codicibus antiquis, *inviſam* legitur. Præ dolore enim putat ſe omnibus haberi odio. non tamen diſplicet *irriſam*. Pierius.

542. *Laomedonteæ.*] Nunc fraudulentæ. *Servius.*

Laomedonteæ, &c.] Sic Sil. Ital. l. 8. (ubi tota etiam hæc Didonis querimonia)

At nondum noſtro infauſtos generique ſoloque
Laomedonteæ noſcis telluris alumnos?

Emmeneſſ.

543. *Nautas.*] Non Trojanos. Nam injurioſe dixit *nautas*, id eſt, aſſuetos laboribus. *Servius.*

Ovantis.] Lætantes. abuſive: nam proprie *ovatio* eſt minor triumphus. Qui enim ovationem meretur, & uno equo utitur, & à plebeis, vel ab equitibus Romanis deducitur ad Capitolium, & de ovibus ſacrificat: unde & *ovatio* dicta. qui autem triumphat, albis equis utitur quatuor, &, ſenatu præeunte, in Capitolio de tauris ſacrificat. Et bene duo diverſa poſuit, *Fuga* & *ovanteis*, ut gravius eſſet cum his qui ovarent ire fugientem. *Servius.*

Ovantis.] Vetera quædam exemplaria, *euntes* legunt. Sed *ovantes* agnoſcit Servius. Et ad victoriam de ſe partam invidioſe adludit infelix Dido, quaſi captiva ſit in triumphum deducenda. *Pierius.*

545. *Inſequar.*] Alii *inferar*, ut, *Infert ſe ſeptus nebula*. Servius.

Inferar.] Mediceus & antiqui alii plerique codices, *inferar* legunt, non *inſequar*, quod non nulli codices agnoſcunt. De navigatione enim adhuc eſt ſermo: & an ſola, an cum ſuis omnibus comitari debeat Æneam, quem dominum in regna receperat. nondum enim in excandeſcentiam exardeſcit. *Pierius.*

Vix urbe revelli.] Aut mox: id eſt, paulo ante, ut, *Vix è conſpectu Siculæ telluris in altum Vela dabant læti.* Aut re vera *vix*, ut diximus ſupra. Nam nulla ratione dimitterent patriam, niſi eos aut odium Pygmalionis coëgiſſet, aut timor: ut, *Conveniunt quibus aut odium crudele tyranni, Aut metus acer erat.* Servius.

Rursus agam pelago, & ventis dare vela jubebo?
Quin morere, ut merita es; ferroque averte dolorem.
Tu lacrimis evicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras, atque objicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere more feræ, talis nec tangere curas?

Non

547. *Quin morere.*] *Quin*, immo. & bene omnis ejus intentio tendit ad mortem. Nam si procos rogare, turpe est, solam sequi, impossibile & inhonestum, Tyrios trahere, difficile, sola mors superest. *Idem.*

Ferroque averte dolorem.] Hoc secundum eos dixit; qui cum aliquid impulsu animi constituerint, voluntatis suæ rationem addere conantur. Ergo & hic quasi rationem adprobat, quod furore paulo ante decreverat. *Idem.*

548. *Tu lacrimis evicta meis.*] Bene totum ei imputat, sed cum excusatione, quæ Æneæ nuptias suasit: & *victa lacrimis*, ut, *Sinum lacrimis implevit obortis Anna refert.* Idem.

Tu prima furentem.] Alii hoc dividunt: licet alii jungant: & volunt hunc esse sensum, Urbanus hoc dividit. Tu persuasisti, ut nuberem victa lacrimis meis: tu etiam nunc me his oneras malis. nam me olim occidissem, nisi te deserere formidarem. *Idem.*

549. *Objicis hosti.*] *Ob* naturaliter brevis est, sicut & *re* & *ad*: sed plerunque producuntur hac ratione, *Obicio*, *reicio*, *adjicio*, habent vocalem sequentem, quæ per declinationem potest in consonantis formam transire: ut *objeci*, *rejeci*. Ergo antequam transeat, interdum fungitur officio consonantis, & præcedentem longam facit. *Idem.*

Hosti.] Ad eventum referendum. *Id.*

550. *Non licuit.*] Quia aliud volebat, & aliud factum est, sicut solent dicere, quibus aliter conata succedunt. *Idem.*

Thalami expertem.] Non omnino, sed post Sichæum. *Idem.*

Expertem.] Male omnino legitur in codicibus nonnullis antiquioribus, *expertam*, scilicet me, quæ fueram experta vitam thalami, conjugii tempus, sine crimine, degere in posterum more feræ: quæ quidem insulsa est interpretatio. Longe vero melius est, *Non licuit degere vitam more feræ thalami expertem.* Quam lectionem Quintilianus ita agnoscit, ut Emphasim inter figuras memoret, quum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur: ut apud Virgilium hoc loco. Quamquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erumpit ejus affectus, ut sine thalamis vitam non hominum putet, sed ferarum. *Pierius.*

Sine crimine.] Ut supra, *potui succumbere culpæ.* Servius.

551. *More feræ.*] Plin. in natur. hist. dicit, *Lyncas post amissos conjuges, aliis non jungi.* Multi *Fere* adverbium volunt, ut sit sensus: more scilicet quo jam viduitatem ferre consueverat. *Crimen* autem bene: ut supra, *Potui succumbere culpæ.* Idem.

Degere more feræ.] Pimpontius respectum putat ad locum Platon. de Legibus lib. ια. ubi agit de temperantia civitatis: ὡς ἐ δεῖ χεῖρας ἡμῖν εἶναι, &c. Quod autem ἐνικῶς *feræ* dixit, existimat Nascimb. ad singularem quandam feram allusum, quæ, conjuge amisso, nulli amplius jungatur. Sergius & Servius lyncas notari censet. Fœminam autem unum expertam conjugium Græci μονανδρεῖν dicunt. *Taubm.*

Degere more feræ.] Lucret. l. 5.

Volgivago vitam tractabat more ferarum.

Ursinus.

552. Si-

Non ſervata fides, cineri promiſſa Sichæo.
Tantos illa ſuo rumpebat pectore queſtus.
Æneas celſa in puppi, jam certus eundi,
Carpebat ſomnos, rebus jam rite paratis.
Huic ſe forma dei vultu redeuntis eodem
Obtulit in ſomnis, rurſuſque ita viſa monere eſt;
Omnia Mercurio ſimilis, vocemque coloremque,
Et crinis flavos, & membra decora juventæ:
Nate-dea, potes hoc ſub caſu ducere ſomnos?

Nec,

552. *Sichæo.*] Pro *Sichæio*: vel, *promiſſa Sichæo, non ſervata cineri.* Servius.

Sichæo.] In codicibus pleriſque ſane quam vetuſtis, *Sichæi* legitur: major tamen pars poſſeſſivum nomen agnoſcit: & *Suchæo*, ut alibi obſervatum ſcribit. *Pierius.*

553. *Pectore queſtus.*] Id eſt, pectus queſtibus. *Servius.*

554. *Celſa in puppi.*] Propertius l. 2. eleg. 26.

Prora cubile mihi, ſeu mihi puppis erit. Cerda.

Certus eundi.] Indubitabiliter profecturus. *Servius.*

555. *Carpebat ſomnos.*] Hoc eſt, quod & paulo poſt culpat Mercurius dicens, *Nate dea, potes hoc ſub caſu ducere ſomnos?* Sed excuſatur his rebus: nam & certus eundi fuerat, & rite cuncta præparaverat: aut certe prooeconomia eſt, ut poſſit videre Mercurium. *Idem.*

Rite.] Recte & ex ordine compoſitis, & diligenter virum ſtrenuum non ante facit requieſcere, quam rite omnia paraviſſet. *Idem.*

556. *Forma dei.*] Bene non *deus*, ſed *forma.* Raro enim numina ſicut ſunt, poſſunt videri. Unde & ſequitur, *Vultu redeuntis eodem.* Nam licet *redeuntis* dicat, id eſt, ejus qui poſſit agnoſci: tamen non *Faciem* dicit: ſed *Vultum*, qui poteſt ſæpe mutari. *Idem.*

Eodem.] O, ſemper longum eſt: quia *Eodem* ablativus eſt: *Eadem* autem & producit & corripit, nam & nominativus eſt, ut *eadem mulier fecit*: & ablativus, ut *eadem faciente muliere.* Idem.

557. *Viſa monere eſt.*] Et *Viſa* bene: quia non re vera. *Idem.*

558. *Omnia Mercurio ſimilis.*] Aliud enim eſt *idem eſſe*, aliud *ſimile eſſe*: ergo nunc eſt certus Æneas. Et à toto tranſit ad partes, ut omnia magna, pes etiam, *Idem.*

Omnia Mercurio ſimilis, &c.] Locum deſumtum ex Homer. Iliad. *β.* vſ. 56. *κλῦτε φίλοι*, &c. docet Urſinus. ſic idem vſ. 478. *Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ.* Noſter lib. 1. Æn. vſ. 589. *Os humeroſque Deo ſimilis.* De coma flava, quæ præcipue in pretio fuit. Feith. ant. Hom. l. 3. c. 10. *Emm.*

Vocemque.] Duo *ὁμοιοτέλευτα*, & eſt verſus hypermetrus; *Vocem* autem ideo, quia orationis eſt deus. Horatius, *Mercuri facunde.* Servius.

Coloremque & crinis flavos.] Ideo & peruſtus & flavus Mercurius introducitur, quia ſatis vicinus eſt Soli præter cæteras ſtellas. *Idem.*

559. *Crinis flavos.*] Et Apollo & Mercurius Gr. ſunt *χρυσοκόμαι*. *Taubm.*

Et membra decora juventæ.] Quia palæſtræ deus eſt. Horatius, *Catus & decoræ more palæſtræ.* *Juventæ* autem ætatis, à juventa. Sane figura eſt, *Similis membra, vocem, colorem.* Servius.

Juventæ.] In Mediceo, & in codicibus aliquot aliis antiquis, *juventa* legitur caſu ſeptimo: quaſi Juventa ipſa in cauſſa eſſet, cur membra decora eſſent. *Pierius.*

561. *Cir-*

Nec, quæ circumſtent te deinde pericula, cernis?
Demens! nec zephyros audis ſpirare ſecundos?
Illa dolos, dirumque nefas in pectore verſat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat æſtu.
Non fugis hinc præceps, dum præcipitare poteſtas?
Jam mare turbari trabibus, ſævaſque videbis
Collucere faces, jam fervere litora flammis;
Si te his adtigerit terris Aurora morantem.
Eia age, rumpe moras. varium & mutabile ſemper
Femina.

561. *Circumſtent.*] Pro *circumſtatura ſint.* Servius.

Quæ circumſtent te.] Mediceus codex cum veteribus pleriſque aliis exemplaribus, ut numeroſiorem faciant verſum, ita legunt, *nec quæ te circum ſtent.* ut ſit, *Nec cernis quæ te circum pericula ſtent:* non autem *circumſtent* unica dictione. *Pierius.*

562. *Demens.*] Improbat ejus viſum, qui nec videat, nec audiat. *Serv.*

Zephyros.] Pro quocunque vento, Carthagine enim non Zephyro, ſed auſtro navigari ſolet. *Idem.*

563 *Nefas in pectore verſat.*] Hoc ideo poſuit, ne Æneas non timeret amatricem, nam ideo addidit *Certa mori.* Item, *Varium & mutabile ſemper Fœmina.* Et eſt dubitatio, quos dolos, vel quod nefas, an ſibi nefas, quia ſua manu peritura erat: an ſorori dolos, quibus eam fallebat, utrumque in Æneam, ut poſtea ait, *Non potui abreptum divellere corpus*, & cætera, nam omnia, ſicut dictum eſt, ſequens verſus confirmat. *Certa mori*, ut ſibi mortem excogitet, in Æneam iras moliatur. & *Certa* figurate: Certo ut moriatur. *Idem.*

In pectore.] Nonnulli codices omnino vetuſti, legunt *ſub pectore.* Sed *in pectore* lectio caſtior eſt. *Pierius.*

564. *Certa mori.*] Hoc fidem fecit poſſe fieri, quod metuendum prædicabat. *Servius.*

Varioque irarum fluctuat æſtu.] In veteri admodum codice legi, *varios irarum concitat æſtus.* Sed ex Synepeia Catulli, *fluctuat æſtu* magis placet. Apud eum enim legere eſt, *Et magnis curarum fluctuat undis.* Pierius.

565. *Præceps.*] Feſtinus. *Præcipitare.*] Pro *præcipitandi.* Servius.

566. *Trabibus.*] Vel navibus, vel remis, ut, *Vaſtumque cava trabe currimus æquor.* Idem.

567. *Collucere faces.*] Propter, *Ferte citi flammas*, vel funes. *Fervere.*] A verbo *fervo, fervis, fervit.* Idem.

568. *Si te his adtig.*] Ennius: *Si te ſecundo lumine hic offendero.* Taubm.

569. *Eia age.*] Hoc loco per αὔξησιν orationem implevit, nam eandem rem ſecundo dixit, cum *heia*, ſæpe *age* ſignificet. *Servius.*

Eia age.] Vetera aliquot exemplaria legunt, *ergo age:* utram lectionem lector prætulerit, non laboro. Sed mihi, *eia age* magis placet. *Pierius.*

Varium & mutabile ſemper.] Hæc, ſicut ſupra dictum eſt, objectio eſt, ſed amat. *Servius.*

Varium & mutabile ſemper femina.] Plato abſolutius videtur de mutabilitate humana pronuntiaſſe, cujus nota eſt εὐλάβεια, ἐλίκωνα μαθηματικὸν οὕτως ἐπαινεῖν λέγοντος, ὡς φύσει εὐμετάβολον ζῶον. *Germanus.*

Varium & mutabile.] De univerſo certe hominum genere Nazianz. orat. 1. ἄνθρωπον, τὸ πολυτροπώτατον τῶν ζώων, καὶ ποικιλώτατον: *Hominem, animal omnium maxime mutabile, & varium.* De fœminis Tibullus: (*nomen.*

Ah crudele genus, nec fidum fœmina

Ovid.

Femina. sic fatus nocti se inmiscuit atræ.
Tum vero Æneas, subitis exterritus umbris,
Corripit è somno corpus, sociosque fatigat:
Præcipites vigilate, viri, & considite transtris:
Solvite vela citi. deus æthere missus ab alto,
Festinare fugam, tortosque incidere funis,

Ecce

Ovid. 1. de Arte contra illas:

Fallite fallentes, ex magna parte profanum
Sunt genus: in laqueos, quos posuere, cadant.

Hanc mutabilitatem per res maris Poëtæ explicant, nam mari nihil mutabilius. Plautus Asinar. de fœminis:

Mare haud est mare, vos mare acerrimum.

Scio aliam esse mentem Plauti. Propius est illud Horatii lib. 1. od. 5.

Qui nunc te fruitur credulus aurea,
Qui semper vacuam, semper amabilem
Sperat, nescius auræ
Fallacis.

Hesiod. in ἔργ. dixit:

Ὃς δὲ γυναικὶ πέποιθε, πέποιθ' ὅγε φηλήτῃσι:

Qui mulieri credidit, hic latronibus credidit. Cerda.

570. *Nocti se inmiscuit atræ.*] Hoc ad visum somniantis referendum est, id est, in noctem se miscuit: & *noctem* pro *tenebris* posuit, per quod apparet eum in claro lumine fuisse, cum loqueretur. *Servius.*

571. *Umbris.*] Ut supra, *Forma dei,* vel, *umbris* terroribus. *Idem.*

572. *Corripit.*] Omen futuræ tempestatis. *Idem.*

Corripit è somno.] In antiquis aliquot exemplaribus, *conripit è strato.* Ut illud, *Conripio stratis corpus.* Pierius.

Corripit è somno corpus.] Lucret. 3. *Corripere ex somno corpus, mutareque vultum.* Hoc autem verbum celeritatem & impetum præ se fert, ut apud eundem Lucret. lib. 4. de canum somniis: *At consueta domi catulorum blanda propago Degere, sæpe levem ex oculis volucremque soporem Discutere, & corpus de terra corripere instant.* Germanus.

Fatigat.] Cum clamore increpat, ut, *Undique collecti coëunt Martemque fatigant.* Servius.

573. *Præcipites.*] Ut supra Mercurius, *Non fugis hinc præceps?* Sane nonnulli ita distinguunt, *Sociosque fatigat præcipites*, ut adlocutio hinc videatur incipere, *Vigilate viri & considite transtris*, & est usitata figura, *fatigat & præcipites facit.* Idem.

Viri.] Habet hæc commemoratio multum adhortationis, ut alibi, *festinate viri.* *Transtris.*] Pro *in transtris.* Idem.

574. *Citi.*] Celeres. *Idem.*

575. *Festinate fugam.*] Antique, ut, *Tum jussa Sibyllæ, Haud mora festinant.* Id.

Incidere funis.] Hoc ad rem festinantis pertinet, id est, non solvere, sed incidere. *Idem.*

Tortosque.] Ita in re nautica Catull. de nupt. Pel.

Candidaque intorti sustollant vela rudentes.

Attius Phœniss. apud Nonium: *Abtorque proram, ac sipa tortas copulas.* id est, funes nauticos abrumpe. Videtur vero mihi Æneas explicare verba Mercurii. Præceperat hic *rumpe moras.* Subjicit dux, *jubet deus fugam festinare, funes incidere.* Essent enim moræ, si solveret funes Æneas. Ergo, *rumpe moras,* id est, rumpe funes nauticos: quo verbo usus in 3.

Sed fugite ô miseri, fugite, atque ab litore funem
Rumpite. Inde statim,
—— *strictoque ferit retinacula ferro.*

Cerda.

576. *Ecce*

Ecce iterum ſtimulat. ſequimur te, ſancte deorum,
Quiſquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adſis ô, placiduſque juves, & ſidera cælo
Dextra feras. dixit: vaginaque eripit enſem
Fulmi-

576. *Ecce iterum ſtimulat.*] Fantaſia eſt ad ſociorum terrorem. ſic in ſexto, *Deus ecce deus.* An iterum qui prius ad venerat, cum ait, *Tu nunc Carthaginis alta.* Servius.

Sequimur te, ſancte deorum.] Emphaſis, quaſi adhuc præſens deus urgeat navigare, & aut diſtinguendum *ſancte:* aut *ſancte deorum* ſecundum Ennium dixit, *Reſpondit Juno Saturnia ſancta dearum.* Idem.

Sequimur te, ſancte deorum, Quiſquis es.] Sequimur te, ô Sancte, quiſquis deorum es. Alii Græciſmum faciunt; ut, δῖα θεάων: & apud Ennium:

Reſpondit Juno Saturnia, Sancta dearum.

In precationibus autem (ut notat Briſſon. Form. lib. 1.) deos plerunque *Sanctos* appellatos eſſe. Cic. 2. de Nat. deorum: *O Sancte Apollo, qui umbilicum terrarum certum obſides.* Taubm.

Sequimur te ſancte deorum.] De hac locutione Sanct. Minerva p. 116. *Emm.*

577. *Quiſquis es.*] Atqui ſupra dixit, *Omnia Mercurio ſimilis.* Sed ſciendum eſt ſecundum Tullium in libro de deorum natura, tres eſſe Mercurios: ſuperum, terrenum, & inferum. Ergo quiſquis es, aut quicunque de tribus. Quamvis alii nec unius poteſtatis, nec unius nominis, nec unius vultus volunt eſſe Mercurium. Aut quia deorum vera nomina nemo novit: aut certe ad Jovem ſpectat, id eſt, quiſquis es, qui præcipis: ut in nono, *Quiſquis in arma vocas:* cum Irim vidiſſet, id eſt, quicunque Irim miſiſti. Plane illud occurrit, quod ait, *Deus æthere miſſus ab alto:* ubi & Jovem complectitur, & ſupernum Mercurium. Sed poteſt & hoc loco, ut diximus, quaſi fantaſiam facere propter ſocios, & *Quiſquis es* ideo dicere: quia licet viderit, non tamen re vera novit eſſe Mercurium: Unde ait ſupra, *Et formam & vultum & viſa monere eſt.* Vel *Quiſquis es*, ſecundum Pontificum morem, qui ſic precantur, *Jupiter omnipotens, vel quo alio nomine appellari volueris.* Nonnulli tamen quatuor Mercurios tradunt. unum cœli & diei filium, amatorem Proſerpinæ; alterum Liberi patris & Proſerpinæ filium: tertium Jovis & Majæ, quartum Cyllenii filium, cujus mater non proditura, quo arcu clam occiſa eſt, * qui hoc metu in Ægyptum profugit, & ibi inveniſſe primum diſciplinam literarum & numerum dicitur, qui lingua Ægyptiorum appellatur, de cujus nomine etiam menſis dictus eſt. *Servius.*

Quiſquis es.] Talis formula apud Macrob. 3. Saturn. c. 9. DIS. PATER. VEJOVIS. MANES. SIVE. VOS. QUO. ALIO. NOMINE. FAS. EST. NOMINARE. Sic Apulej. l. 11. Metam. *quoquo nomine te fas eſt invocare.* Emmeneſſ.

Imperioque iterum.] In antiquis pleriſque codicibus legere eſt, *imperioque tuo paremus*, quamvis Servius *iterum* agnoſcit. *Pierius.*

Iterum paremus.] Qui jam ſemel paruerant præparatione navigiorum. *Serv.*

578. *Adſis ô.*] Sunt omnino codices aliquot ex antiquioribus, in quibus *aſſis* geminato *ſſ* ſcriptum inveni. Sed longe plures, iidemque carioſiores, *adſis* per *d* ſcribunt. Qui vero *ſſ* geminari debere contendunt, inde potiſſimum eliciunt argumentum, quod apud Plautum *adſum* reſpondenti, *elixum te, non aſſum volo*, alter ſubjecerit, joco ex verbi ſimilitudine ſuborto. Sed enim agnominationes hujuſmodi non ſine venuſtate una etiam, vel mutata, vel detorta litera, fieri conſuerunt. *Pierius.*

579. *Et ſidera cælo Dextra feras.*] *Dextra* proſperum, & *ſidera*, hoc eſt, ventos,

Fulmineum, ſtrictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnis ſimul ardor habet; rapiuntque ruuntque:
Litora deſeruere: latet ſub claſſibus æquor.
Annixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.
Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:

Regi-

ventos, qui ex ortu ſiderum, aut mites & proſperi, aut turbulenti & adverſi ſunt: ſic in Georgicis, *Præterea tam ſunt Arcturi ſidera nobis.* Nec enim *ſidera* dicit re vera, cum Arcturus una ſit ſtella. Ergo *dextra ſidera*, ventos vel tempora. *Servius.*

Dextra feras.] Fauſta. in 8.

Et nos & tua dexter adi pede ſacra ſecundo. Cerda.

580. *Fulmineum.*] Quidam fulgentem accipiunt. *Servius.*

Strictoque.] Videtur ab una re *ſtricto*, cum dixerit, *vaginaque eripit enſem.* Idem.

Retinacula.] Ἔχματα, funes quibus naves attinentur. *Taubm.*

581. *Idem.*] Pro eo, quod eſt *unus*, ut, *Rex Jupiter omnibus idem.* Servius.

Rapiuntq.] Num anchoras? *Ruuntque.*] Ipſi ruunt, id eſt, cum impetu feſtinant. *Idem.*

582. *Litora deſeruere.*] Mira deſcriptio feſtinationis. *Idem.*

Latet ſub claßibus æquor.] Contraria phraſi Lucanus lib. 3.

Abſconditque fretum claſſes.

Taubmannus.

583. *Torquent ſpumas.*] Ita enim remus agitur, ut fluctus torqueatur. *Serv.*

584. *Prima aurora.*] Deſignatio temporis eſt, non diei deſcriptio: unde infert, *Ut primum albeſcere lucem vidit.* Sic in duodecimo, *Quum primum craſtina cœlo Puniceis invecta rotis Aurora rubebit.* Et bene hanc primum inducit vidiſſe crepuſculum: quæ quaſi amatrix tota vigilaverat nocte. Sic in Bucolicis de amatore, *Naſcere, præque diem veniens age Lucifer almum.* Idem.

Et jam prima, &c.] Crepuſculi deſcriptio. Vide Scal. l. 5. c. 3. *Taubm.*

Novo lumine.] Aut ſecundum Epicureos, qui ſtulte Solem de atomis dicunt conſtare, & cum die naſci, cum die perire. *Servius.*

Spargebat.] Ita de luce Lucret. lib. 2.

Primum Aurora novo cum ſpargit lumine terras.

Quem procul dubio Poëta reddit. Ita in 12. dies — *ſpargebat lumine montes.* Boëtius lib. 2. de Phœbo, *lucem ſpargere cœperit.* Valerius Flacc. 6. Arg. in oratione ad hunc Deum,

— *tua lumina toto*
Sparge mari.

In his omnibus ab aqua ad Solem, qui igneæ eſt naturæ, ſermo ducitur. Non abit Virgil. dixiſſe pari tralatione 1. G.

Aut cum Sole novo terras irrorat Eous.

Lucretius quoque lib. 2. *liquidi fons luminis.* Nazianzenus orat. 19. πηγαῖς φωτὸς, *fontibus lucis*, & orat. 40. φωτὸς ἀπορρὸη, *luminis rivulus.* Philo lib. 1. de vita Moſis, flammam illam, qua arſit rubus, ait erupiſſe, καθάπερ ἀπὸ τινὸς πηγῆς ἀνομβρέσης, *tanquam ab ſcatente fonte.* Æſchyl. in Perſ. κεκαθαρμέναις θεοῦ ἀκτῖνας. Cerda.

585. *Tithoni cubile.*] Tithonus frater Laomedontis fuit: hunc Aurora adamatum in cœlum levavit, quem longinquitas vitæ in cicadam convertit. Horatius: *Longa Tithonum minuit ſenectus.* Servius.

Tithoni croceum.] Hom. Iliad. ἠὼς ἐκ λεχέων παρ᾽ ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο ὤρνυθ᾽. Infra lib. 9. *Et jam prima novo linquens Aurora cubile.* Macrob. lib. 5. c. 6. & 9. *Hartung.*

586. *Spe-*

Regina è speculis, ut primum albescere lucem
Vidit, & æquatis classem procedere velis,
Litoraque, & vacuos sensit sine remige portus;
Terque quaterque manu pectus percussa decorum,
Flaventisque abscissa comas, Pro Juppiter ibit
Hic, ait: & nostris inluserit advena regnis?
Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur,
Diripientque rates alii navalibus? ite,
Ferte citi flammas, date vela, inpellite remos.

Quic

586. *Speculis.*] Quas utique in sua regia habuit. *Servius.*

Regina è speculis.] Adscenderat Dido in locum excelsum; specula enim turris est, sive mons, sive locus eminentior, unde longe videre & speculari possimus. Vide Stewech ad Vegetium lib. 3. cap. 8. Alludit Ovid. lib. Remed. ℣s. 57.

Nec moriens Dido summa vidisset ab arce
Dardanidas vento vela dedisse rates.

Emmeness.

Albescere lucem.] Hypallage est. Luce enim albescunt omnia, non lux albescit. *Servius.*

Ut primum albescere lucem.] Et Aristoteles passim astra alba, lumenque & lucem albam depingit. Cæs. lib. bel. civ. 1. *Albente cælo omnes copias castris educit.* Et Eurip. in Iph. λϵυκαίνϵι τόδε φῶς ἤδη λάμπουσ' ἠώς. Æsch. in Pers. λϵυκόπωλον ἡμέραν vocat; & λϵυκὸν ἦμαρ. Hom. ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφι, εὐθὺς ἡμέρας· & Plato de leg. ἅμα ἕῳ· & Thucyd. ἅμα ἕῳ γιγνομένῃ· & Herod. πρὸς ἕω ἐστι· diluculum instat. unde & Leucotheam eandem cum Aurora albam deam dicunt, & Matutam: unde Tib. *hunc illum nobis Aurora nitentem Luciferum roseis candida portet equis.* Germanus.

587. *Æquatis velis.*] Feliciter plenis, sine motu aliquo: ut VI. Æneid. *Æquatæ spirant auræ*, & hoc ad dolorem pertinet reginæ. *Servius.*

Vidit & æquatis velis.] Quod Salmas. Plin. Exerc. p. 567. *pariare vela* vocat quando paribus & æquis velis secundo flatu cursus tenetur. Indicium est, cum æqualiter tenduntur dextera & sinistra vela, prosperæ navigationis. Homer νῆας ἐΐσας. Iliad. α. ℣s. 306. *Emmeness.*

588. *Vacuos sensit sine remige portus.*] Potest ὕστερον πρότερον esse, ut prius sentire debuerit. *Servius.*

589. *Pectus percussa.*] Pectus percussum habens. *Idem.*

590. *Abscissa.*] Codices nonnulli veteres, *adscissa*, quod minime placet legunt. In altero enim plus est vehementiæ. *Pierius.*

Pro Juppiter.] Aut irascentis exclamatio est, ut in Terentio, *Pro supreme Juppiter.* Aut certe testatur Jovem quem Æneæ invocavit adventu: ut *Juppiter hospitibus nam te dare jura loquuntur.* Servius.

591. *Ibit & inluserit.*] Ibit & inludet, tempus pro tempore: & sic dixit ut, *Certantque inludere capto.* Idem.

Et nostris inluserit.] Pathos ab indignatione, ut Macrob. l. 4. c. 3. *Emm.*

592. *Non arma expedient.*] Furenti hæc verba sunt, ut ipsa paulo post, *Quæ mentem insania mutat?* Nam hæc à sana non procedunt, ut imperet absentibus *Ferte tela:* cum sola sit. *Servius.*

Totaque ex urbe sequentur.] Magna emphasis quod ait *tota.* Idem.

593. *Navalibus.*] De navalibus, ubi stant naves. *Idem.*

594. *Ferte citi flammas.*] Apollon. libro 4. cap. 80. νῆα καταφλέξαι, &c

Simil:

Quid loquor? aut ubi ſum? quæ mentem inſania mutat?
Infelix Dido! nunc te fata inpia tangunt.
Tum decuit, cum ſceptra dabas. en dextra fideſque!
Quem ſecum patrios aiunt portare Penatis:
Quem ſubiiſſe humeris confectum ætate parentem!
Non potui abreptum divellere corpus, & undis
Spargere? non ſocios, non ipſum abſumere ferro
Aſcanium, patriiſque epulandum adponere menſis?
Verum

Similis in Phœniſſis Euripidis nocendi impetus: ἴτω μοι πῦρ, ἴτω δὲ φάσγανα, ζεύγνυσθε δ' ἵππους, &c. *Hartung.*

Ferte citi, &c.] Oratio ἀσύνδετος, id eſt, inconjuncta, quam hîc ad γοργότητα paratur. Scal. l. 4. c. 28. Vide & 3. Æneid. ℣ſ. 658. & 9. Æn. ℣ſ. 37. *Taubmannus.*

595. *Aut ubi ſum.*] Nunquid in coetu ſum? *Servius.*

Quæ mentem inſania.] Bene ei ex parte furentis datur oratio, *date vela*, ex parte retinentis mentem. *Idem.*

596. *Nunc te fata inpia tangunt.*] Probus hoc loco *num* & *tum* adverbia ſibi reſpondere dicit: quare abſque *c* litera legendum *num te*. Præterea apud eum, veluti etiam eſt in Mediceo codice, *facta inpia*, non *fata* legitur: ut ſit participium, non nomen. Quæ vero ſint ea *facta inpia*, ad quæ ſtimularetur, ſuperioribus verſibus enumeraverat: *Non arma expedient*, & quæ ſequuntur. *Pierius.*

597. *Cum ſceptra.*] Ut, *Vultis & his mecum pariter conſidere regnis*, & alibi, *Ac dominum Æneam in regna recepit.* Servius.

Fideſque.] Subaudiendum *En* etiam in ſequentibus. aut certe, hic eſt, quem dicunt portare deos. Sane *en* nominativo melius jungitur: ut, *En Priamus.* Idem.

598. *Quem ſecum patrios.*] Quidam in utroque verſu *per quem* legunt, ut ſit vetus figura per eclipſin, ubi ſunt, qui ajunt patrios penates portaſſe, & parentem humeris ſubiſſe. Sane hic *ſubiſſe* juxta præſentem verſum accuſativo junxit, cum alibi antique dativo uſus ſit, ut, *Subeant luco*, &, *Muroque ſubibant.* Idem.

599. *Confectum.*] Ut è contrario, *integer ævi.* Idem.

Sub. hum. conf. æt. paren.] Epig. ἐπινώτιον. Catull. *Nam neque tam carum confecto ætate parenti Una caput ſeri nata nepotis alit.* Germanus.

600. *Non potui abreptum.*] Hoc eſt, non mihi ſubveniam, cur non poterat in ſuo regno? *Servius.*

Undis ſpargere.] Supra: *ſpargite me in fluctus.* Germanus.

601. *Ipſum Aſcanium.*] Aut qui eſt cauſa navigationis: ut, *Quem regno Heſperiæ fraudo & fatalibus arvis*, aut ad patris dolorem: ut, *Qui nati coram me cernere lethum Feciſti.* Servius.

602. *Epulandum adponere.*] Quod fecit Progne occiſo Ity filio, propter ſtuprum ſororis. *Idem.*

Adponere menſis.] In Mediceo, & antiquis pleriſque omnibus codicibus, *ponere* ſimplex verbum notatum obſervavi: idque Servius agnoſcit. In uno autem tantum codice veteri, *adponere* ſcriptum inveni, ut vulgata habent exemplaria: & frequens loquendi uſus adprobat. *Pierius.*

Epulandum adponere.] Alluditur ad dirum Prognes facinus; quod deſcriptum apud Ovid. lib. 6. Seu ad Atrei & Thyeſtis odium. *Hartung.*

Epulandum.] Tangit fabulam, qua Progne filium Ityn patri Tereo comedendum appoſuit: quam copioſe narrat

Verum anceps pugnæ fuerat fortuna. fuiſſet.
Quem metui moritura? faces in caſtra tuliſſem,
Inpleſſemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere exſtinxem, memet ſuper ipſa dediſſem.
Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras,
Tuque harum interpres curarum, & conſcia Juno,
Noctur-

rat Ovidius lib. 6. Met. Vel reſpicit Harpolycen: quæ vi à patre Clymeno compreſſa, decoctum filium Presbonem ei epulandum appoſuit. *Taubm.*

603. *Fuiſſet.*] Non movetur dubio belli exitu, & periculo. Non abhorrent, ex Nota Victorii, ab hac ſententia verba Ariſtotelis 2. Rhet. οὐκ οἴονται δὲ παθεῖν ἂν οἱ ἤδη πεπονθέναι νομίζοντες τὰ δεινά: *Non putant autem ſe aliquid mali accipere poſſe, qui exiſtimant ſe jam perpeſſos gravia mala.* Cerda.

604. *In caſtra tuliſſem.*] Claſſes dixit *caſtra*: ut, *Nos caſtra movemus.* nam ſequitur, *Impleſſemque foros flammis.* Serv.

605. *Foros.*] Tabulata navium: ab eo, quod inceſſus ferant: & eſt generis maſculini, numeri tantum pluralis. *Idem.*

Foros.] Fori ſpacia ſunt in navibus apertiora: Alii interpretantur concava navium latera. Sic dicti à ferendo onere. Adi Lilium de Navig. cap. 11. Cum toto hoc Virgilii loco habet ſimilitudinem aliquam ille Apollonii lib. 4.

— ἵετο δ' ἥγε
Νῆα καταφλέξαι, διὰ τ' ἔμπεδα πάντα κεάσσαι,
Ἐν δὲ πεσεῖν αὐτὴ μαλερῷ πυρί:
— *optabatque ipſa*
Navem comburere, opeſque cunctas cremare,
Incidereque ipſa voraci igne.

Cerda.

606. *Cum genere exſtinxem.*] Utrum omne genus, an morte Æneæ & Aſcanii: & eſt Syncope. Quoniam illis extinctis interitura gens omnis eſſet, & *extinxem* pro *extinxiſſem.* Servius.

Memet ſuper ipſa dediſſem.] Satis amatorie: Sane *ſeſe* cum dicimus ultima ſyllaba producitur. Virgilius, *Seſeque in bella remittant*, at vero cum proferimus *memet* & *tute* ultimæ breves ſunt: Lucretius, utrumque ſimul, *Tutemet à nobis jam quovis tempore vatum.* Quas particulas volunt nonnulli ſignificare quiddam, ut ſit memet *meipſum*, tute *tuipſe*: Alii autem, quod magis ſequendum eſt, excrementa comici leporis exiſtimant, nam Terentius dicit, *Tutemet mirabere*, id eſt, tu. *Idem.*

607. *Sol.*] Jam utitur imprecationibus, hoc eſt, devotionibus: unde & *devotor* & *devotrix* dicitur, qui imprecatur. Non autem *Terrarum flammis*, ſed *Opera terrarum.* Et bene invocat *Solem*, cum ſupra per numen Liberi ſacrificavit. *Idem.*

Sol.] Imprecatio. De cujus excellentia Scal. l. 5. c. 13. Similis eſt Statii 1. Thebaid. *Taubm.*

Omnia luſtras.] Vide Not. ſupra ỳſ. 6. Plato in Rep. *Solem* vocat *viſibilem Dei filium*: quem quidam imaginem inviſibilis Filii intelligunt, qui vera lux Mundi eſt. Orpheus:

Ἥλιος, ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις.

Lucret.

Sic vigiles mundi magnum & verſatile templum
Sol & Luna ſuo luſtratis lumine circum.

Dicitur *Sol oculus mundi* Ovidio; & *Omnituens* P. veteri. *Idem.*

608. *Interpres curarum.*] Aut quas patior, id eſt, mearum curarum: aut generaliter curarum conjugalium interpres, hoc eſt, media & conciliatrix. Cicero, *Quique interpretes in corrumpendis judiciis ſolent eſſe.* Alii *Interpres*, teſtis, judex, arbitra accipiunt. Sane *Interpres*

Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbis,
Et Diræ ultrices, & di morientis Elissæ,
Accipite hæc, meritumque malis advertite numen,
Et nostras audite preces. si tangere portus
Infandum caput ac terris adnare necesse est,

Et

terpres quid sit secundum veteres ipse exposuit, dicendo *conscia:* veteres enim *Interpretem* conscium & auctorem dicebant: Plautus in Milite, *Quæ mihi conditio nova & luculentior offertur per te interpretem.* Idem in Curculione, *Quid te præsente hic egit teque interprete.* Servius.

Conscia Juno.] Siluit rem turpem: sic supra, *Et pronuba Juno.* Idem.

609. *Nocturnis.*] Non triviis nocturnis, sed per nocturnum tempus. Sacra enim Ecatæ in triviis frequentantur per noctem. Ideo autem Ecaten invocat, quasi quæ tanti matrimonium fecerit, ut sperneret matrem. *Idem.*

Ululata per urbis.] Proserpinam raptam à Dite patre, cum Ceres cum incensis faculis per orbem terrarum requireret, per trivia eam vel quadrivia vocabat clamoribus. Unde permansit in ejus sacris, ut certis diebus per compita à matronis exerceatur ululatus: sicut in Isidis sacris, ubi est imitatio inventi Osiridis, quem dilaniatum à Tisiphone ejus fratre uxor Isis per totum orbem requisisse narratur. Juvenalis, *Plangentis populi currit derisor Anubis.* Ecaten autem causa invocat ultionis. Unde etiam furias vocat: sed usurpative modo *Diras* dixit. Nam *Diræ* in cœlo: ut, *Dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ:* Furiæ in terris, Eumenides apud inferos. unde & tres esse dicuntur: sed hæc nomina confundunt Poëtæ. *Ululata* autem pro *ululatu quæsita*, & est participium sine verbo, ut *regnata.* Ultrix vero, Tisiphone. Nam Græce τίσις dicitur *ultio.* Idem.

Nocturnisque Hecate, &c.] Hecatæ sacra fiebant noctu in triviis, & quidem ululatu. unde & ἐνοδία & τριοδῖτις dicitur, à compitis & triviis. Theocr. ἁ θεὸς ἐν τριόδοις. vide & Turn. l. 15. c. 8. Taubm.

610. *Dî morientis Elissæ.*] Aut manes dicit: unde est, *Vos ô mihi manes Este boni: quoniam superis aversa voluntas.* Aut certe anæreticos dicit amatoria, id est, Martem & Saturnum, qui intercidunt vitæ rationem, si radiis suis ortum genituræ pulsaverint. Horatius, *Te Jovis impio tutela Saturno refulgens Eripuit: volucresque fati tardavit alas.* Et bene *tardavit*, quia necessitas fati impediri potest, non penitus eludi. Sic Virgilius, *Nec fata vetabant Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.* Quidam hoc quod dicit, *Dii morientis Elisæ*, secundum eos tradunt, qui dicunt habere nos singulos deos nostros, ut, *Nec dii texere Cupeneum Ænea veniente sui.* Servius.

611. *Accipite hæc.*] Audite. *Idem.*

Meritumque malis avertite numen.] Quod mali merentur. *Idem.*

Advertite.] Exemplaria longe plura sunt, & ea probatiora, quæ *advertite* legunt. Imprecatura enim est Dido mala multa Trojanis, quæ *dî morientis Elisæ* rata, & inevitabilia esse velint. Et hoc admittere videtur Servius dum dicit, Quod mali merentur scilicet Trojani. Eadem apud Ovidium sententia, idemque verbum ubi Althea furias in gnati exitium vocat,

Pœnarumque Deæ triplices furialibus inquit,
Eumenides sacris vultus advertite vestros. Pierius.

612. *Audite preces.*] Imprecationes dicit. Nam non sunt preces, ut paulo post, *Imprecor arma armis.* Servius.

613. *Infandum caput.*] Etiam in imprecatione nomen ejus detestatur. *Id.*

Infandum caput.] Ut Gr. μιαρὰν κεφαλήν.

Et sic fata Jovis poscunt; hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus & armis,
Finibus extorris, conplexu avolsus Iuli,
Auxilium inploret, videatque indigna suorum
Funera:

φαλῶ. Etiam nomen ejus detestatur. Comparat autem hunc locum cum Homerico Scal. lib. 5. cap. 3. & 13. de *Diris*. Taubm.

Adnare.] Verbum familiare naufragio. Ut in primo, *Huc pauci vestris adnavimus oris*, id est, per tempestatem devenimus. Et sic ei futura prædicit. Quemadmodum Homerus, qui morituros divinantes frequenter inducit. *Servius.*

614. *Fata Jovis.*] Fata, dicta, id est, Jovis voluntas: hic ergo participium est, non nomen. *Idem.*

Sic.] Antiqui plerique codices, *& sic fata*, legunt: quæ lectio forte non displiceat. In Mediceo, *c* litera ex ea dictione abrasa est, quum, *sic fata* prius scriptum fuisset. In vulgatis *si* est. *Pierius.*

Terminus hæret.] Si hoc est immutabile. *Servius.*

Hic terminus hæret.] Si hoc fixum ratumque est: nec potest mutari, nec moveri. Peramœna traductio ab agrorum terminis, quos movere & mutare non liceat. sumptum ex Lucret.

— *alte terminus hærens.*

termini enim agrorum interdum alte panguntur: in summo tamen hærent solo. Id. lib. 2.

Quandoquidem vitæ depactus terminus alte est.

Vide Turn. lib. 18. c. 6. & l. 25. c. 1. & lib. 29. cap. 6. *Taubm.*

615. *Audacis populi.*] Id est, Rutulorum, sicut semper inducuntur. Alibi, *Audacis Rutuli ad muros.* Et quidam volunt *audacem* apud Virgilium dici fortem, quem fortuna non sequitur, ut *Audax quos rumpere Pallas*, & alibi; *At non audaci cessit fiducia Turno.* Serv.

Vexatus.] Hoc loco graviter vastatus. *Idem.*

At bello audacis populi vexatus.] Habuisse has diras exitum in bello Latino interpretes admonent. Vexatus est τρυχόμενος, κακοπαθούμενος, καταπονούμενος. Cerda.

616. *Finibus extorris.*] Extra suas terras remotus. Sicut extra solum exul; & significat quando Evandri & Tarchontis petivit auxilium. *Servius.*

Finibus extorris.] Similes diræ Eumenis, quibus devovit exercitum suum proditorem, apud Justinum lib. 4. *ultima nunc ego perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico, ut inopes extorresque omne ævum in hoc castrensi exilio agatis, devorentque vos arma vestra, quibus plures vestros, quam hostium duces absumpsistis.* Explica *finibus*, regionibus, provinciis, per synecdochen, ut, *finibus arceret*, *finibus expulsum patriis.* Cerda.

Conplexu avolsus Iuli.] Qui scit, quam sit charus patri Ascanius. *Servius.*

Conplexu avolsus Iuli.] Videlicet relicto Ascanio, ad Evandrum contendit auxilium petiturus. Quod hic *avelli complexu*, in 6. *subtrahi*, in 8. *divelli*. sic:

— *Teque amplexu ne subtrahe nostro.*

Et,

Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam
Gnate tuo.

Ovid. 9. Met. *Arcet ab amplexu.* Græce ἀποσπασθῆναι. *Cerda.*

617. *Auxilium inploret.*] Sicut dictum est ab Evandro & Tuscis. *Servius.*

Videatque.] Bona veterum codicum pars *videat indigna suorum*, absque particula *que* legunt. Notum enim Hepthimemerim quoque indifferenter utranque syllabam admittere. Unde superiori libro legere est, *Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto.* Neque tamen displicet

Funera: nec, cum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Hęc precor: hanc vocem extremam cum sanguine fundo.
Tum vos, ô Tyrii, stirpem & genus omne futurum
Exercete odiis, cinerique hæc mittite nostro
Munera. nullus amor populis, nec fœdera sunto.

Exoriare

eet *videatque* legere, versu incolumi, & pleniore. *Pierius.*

Indigna suorum funera.] Aut indignorum, aut crudelia & magna, sicut veteres dicebant: *Suorum* autem Pallantis dicit & cæterorum. *Servius.*

618. *Pacis iniquæ.*] Ut supra diximus, propter perditam linguam, habitum, nomen: quæ solet victor imponere, sicut in XII. postulat Juno. *Idem.*

620. *Sed cadat ante diem.*] Cato dicit juxta Laurolavinium cum Æneæ socii prædas agerent, prælium commissum: in quo Latinus occisus est, fugit Turnus. & Mezentii auxilio comparato renovavit prælium, qui quidem victus est ab Ænea, Æneas autem in ipso prælio non comparuit. Ascanius vero postea Mezentium interemit. Alii dicunt quod Æneas victor cum sacrificaret super Numicum fluvium lapsus est, & ejus nec cadaver apparuit: inde dicit, *Mediaque inhumatus arena.* Postea dictus est inter deos receptus. Quidam eum, cum adversum Aborigines pugnaret, exanimem dicunt repertum. *Ante diem* autem, ante fati necessitatem: & bene quod passura est, optat Æneæ, ut ipse, *Sed misera ante diem:* Media, ignota. *Idem.*

Inhumatus.] Ἄθαπτος. De hac imprecatione Feith. ant. Homer. l. I. c. 15. *Emmeness.*

621. *Hæc precor.*] Id est, sicut dictum est, imprecor. *Servius.*

Cum sanguine fundo.] Quasi imprecationes ipsas suo consecraret cruore. *Idem.*

Hanc vocem, &c.] Quasi nece sua imprecationes obsignaret, aut suo ipsius cruore consecraret. Aut verius ab eo ritu explicandum, quo fœdera sancientes sanguinem vino permixtum bibebant: quod de Catilina Sallustius memorat cap. 22. Mela l. 2, 1. *Ne fœdera quidem incruenta sunt:* (apud Scythas) *sauciant se, qui paciscuntur: exemptumque sanguinem ubi permiscuêre, degustant. Id putant mansuræ fidei pignus certissimum.* Solinus c. 20. *Haustu mutui sanguinis fœdus sanciunt. Assiratum* vocant eam potionem, teste Festo. Ita hic Dido, quo plus posset exsecratio; sanguinem fuderit, &c. *Taubm.*

622. *Tum vos ô Tyrii.*] Non sunt mandata: sed imprecationes, ut dissentiant omnibus rebus, sicut & factum est. Nam si mandata sunt, quomodo genus futurum? *Servius.*

Tum vos, ô Tyrii.] Respectum ad bella Punica, quæ quam intestinis odiis exercita, sciunt omnes, & satis docet Livius per libros decem. *Cerda.*

623. *Exercete odiis.*] Id est, fatigate. *Servius.*

Genus exercete odiis.] Sic exercere dolorem, ferrum, diem, notavit Nobiliss. Heins. ad lib. 12. Met. vs. 535. *Emmeness.*

624. *Populis.*] Aut *populorum* aut *populis*, ut Afris quoque. *Servius.*

Nec fœdera sunto.] *Sunto* pro *sunt* & *sint:* quia rupta sunt tertio. *Sunto* autem, id est, sint: & fit propter metrum addita o tertiæ personæ numeri pluralis indicativi modi, ut *amanto ament, docento doceant, legunto legant, nutriunto nutriant.* Alii dicunt verbo eum juris usum propter odia hereditaria. *Idem.*

 625. *Exo-*

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque ſequare colonos,
Nunc, olim, quocumque dabunt ſe tempore vires:
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Inprecor, arma armis: pugnent ipſique nepoteſque.
Hæc ait, & partis animum verſabat in omnis;
Inviſam quærens quam primum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem adfata Sichæi;

Nam-

625. *Exoriare.*] Exoriatur: & oſtendit Annibalem. *Servius.*

Exoriare aliquis.] Aliqui de Hannibale volunt intelligere: ſed melius eſt, ut ſit hoc perturbatæ perſonæ, quæ neſciat ſe impoſſibilia poſtulare: quod ſequentia indicant, cum poſtulet, & litora & undas inter ſe diſcordare. *Donatus.*

Ex oſſibus.] Secundum Anaxagoram, qui Homœomeriam dicit, id eſt, omnium membrorum ſimilitudinem eſſe in rebus creandis: id eſt, ex oſſibus, ſanguine & medullis. Nam omnia pro parte ſui tranſeunt in procreationem. Lucretius, *Nunc ad Anaxagoræ veniamus Homœomeriam.* Sane Punici ex oſſibus dicunt oriri poſteros, quos nos ex ſanguine: An quia poſt longum tempus naſcetur Annibal, ideo ex oſſibus poſuit? *Servius.*

Exoriare aliquis, &c.] Sil. Ital. in principio l. 1.

Tantarum cauſſas irarum, odiumque perenni
Servatum ſtudio, & mandata nepotibus arma
Fas aperire mihi.

Emmeneſſ.

626. *Face Dardanios.*] Incendiis urbium Italarum. *Servius.*

Ferroque.] Exercituum cædibus. *Idem.*

Sequare.] Proſequere. *Idem.*

627. *Nunc, olim.*] Modo, *Olim* futuri temporis, & quidam ſeparant, pronunciantes, ut ſit modo, *olim*, poſtea: quaſi dicat, vel nunc, vel olim. *Idem.*

Quocumque dabunt ſe tempore vires.] Quia quotieſcunque voluerint Pœni bella renovare, ideo ait, *Pugnent ipſique nepoteſque.* Idem.

628. *Litoribus contraria.*] Aut quia in fœdere cautum fuit, ut neque Romani ad litora Carthaginenſium accederent, neque Carthaginenſes ad litora Romanorum. Aut poteſt propter bella navalia accipi inter Romanos & Afros geſta. *Idem.*

Litora litoribus cont.] Eſt hoc, quod de Carthagine in 1.

—— *Italiam contra, Tiberinaque longe*
Oſtia. Adi. *Cerda.*

Fluctibus undas inprecor.] Propter illud, quod in fœderibus ſimiliter cautum erat: ut, Corſica eſſet media inter Romanos & Carthaginenſes. *Servius.*

629. *Pugnent ipſique nepotes.*] Poteſt & ad civile bellum referri. *Idem.*

Pugnent ipſique nepotes.] Hoc dixit poſſibile: nam & furentes quandoque, quod rectum eſt, ſentiunt. *Donatus.*

631. *Inviſam quær. quamp. abr. lucem.*] Lucret. 3. *vitæ Percipit humanos odium, luciſque videndæ*: & Eurip. in Oreſt. πνεῦμ' ἀπορρῆξαι dixit: ἢ διὰ σιδήρου πνεῦμ' ἀπορρῆξαί με δεῖ. & in Iphig. ἐπώμοσ' αὐτοῦ βίον ἀπορρήξειν θανών. Sæpe & ψυχορραγεῖν ab eodem in Herc. & alibi. *Germ.*

632. *Breviter.*] Feſtinatione mortis; ſimul nectit cauſſam morarum, & ipſi, & ſorori. *Servius.*

Tum breviter.] Nam hoc conveniebat, quæ quam primum mori cuperet. *D.*

Barcen.] Hoc cognomen familiæ Annibalis fuit. *Servius.*

Suam.] Obiter dicit, ſuam nutricem

Sidono

Namque ſuam patria antiqua cinis ater habebat:
Annam, cara, mihi, nutrix, huc ſiſte ſororem:
Dic corpus properet fluviali ſpargere lympha,
Et pecudes ſecum & monſtrata piacula ducat:
Sic veniat. tuque ipſa pia tege tempora vitta.
Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravi,

Per-

Sidone mortuam eſſe. *Suam* τὴν αὐτῆς. ita Manilius l. 1. *ſibi* pro *ipſi* poſuit. ita loquitur & Seneca & alii. ἰδιωτισμὸς eſt, aut ἑλληνισμός. nam & Græci οἱ pro αὐτῷ. Vide Scalig. ad Manil. l. 1. & 5. quæ autem ſit *patria antiqua*, dictum eſt 2. Æn. ℣ſ. 37. *Taubm.*

Suam.] Valla emendaturum dixit Virgilium, ſi vixiſſet, & *illius* non *ſuam* poſiturum. Vid. Sanct. Minerv. p. 115. *cinis* recte *ater*, qui color facit ad horrorem. Vide Thyleſ. de color. c. 3. *Emm.*

633. *Patria antiqua.*] Hoc eſt, Tyros, quæ ante ejus patria fuit. *Servius.*

634. *Cara.*] Blanditur, ut impetret per blandimenta, quod illa propter ingraveſcentem ætatem poterat recuſare. Elegit perſonam, quæ tarde pergeret, & cum mora remearet, ut ſibi longiuſculum ad mortem patrandam ſpacium daretur. & propter hoc dixit *ſiſte*, & non *mitte*. Donatus.

Huc ſiſte.] Huc adduc: ut, *Et cum grege ſiſtet ad aram.* Hinc & *ſiſtatur* dicimus, id eſt, adducatur. Nam *ſtare* aliud eſt. Nec aliter poſſumus dicere, quam *ſta illic*, *ſiſte huc.* Fallit autem pleroſque verbi ſimilitudo: quia dicimus *ſto* & *ſiſto*, cum diverſa ſignificent. *Serv.*

Huc ſiſte.] Huc inſtanter adhuc. *Don.*

635. *Dic corpus.*] Et hoc ad moram innectendam pertinet. *Idem.*

Spargere lympha.] Sacrificantes diis inferis aſpergebantur aqua: ut, *Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ*: Superis abluebantur: ut, *Donec me flumine vivo Abluero.* Modo autem inferis ſacrificat: ut, *Sacra Jovi Stygio.* Serv.

Spargere.] Sparſio propria fuit ſacrorum, ſed in 6. *Sparſit rore levi.* Horat. Epod. od. 5.

At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas.

vide Macrob. lib. 3. Sat. cap. 1. *Cerda.*

636. *Et pecudes.*] Et hoc ſimiliter. *D.*

Monſtrata.] Vel quæ ipſa monſtravi, vel quæ ſacerdos. *Servius.*

Piacula.] Purgationes, alias ſacrilegia aut ſacrificia. *Idem.*

637. *Sic veniat.*] Quemadmodum præceptum eſt, ne prætermitteret aut præcederet. *Idem.*

Sic veniat.] Codices nonnulli veteres legunt, *ſic veniet* finitivo modo: ſed *veniat* imperando magis placet. *Pier.*

Tege.] Corona, ut & ipſa tardaret. *S.*

638. *Sacra.*] *Sacrum* eſt quod ad deos pertinet, *profanum* quod ad homines. *Id.*

638. *Jovi Stygio.*] Hoc eſt, Plutoni. Et ſciendum, Stoicos dicere unum eſſe deum, cujus nomina variantur pro actibus & officiis. Unde etiam duplicis ſexus numina eſſe dicuntur: ut cum in actu ſunt, mares ſint: fœminæ, cum patiendi habent naturam: unde eſt, *Conjugis in gremium lætæ deſcendit.* Ab actibus autem vocantur: ut Jupiter *juvans pater.* Mercurius, *quod mercibus præeſt.* Liber, *à libertate.* Sic ergo & modo *Jovem Stygium* dicit, inferis ſacrificatura: ut alibi, *Junoni infernæ dictus ſacer.* Hinc eſt Jovis oratio, *Cælicolæ, mea membra, dei, quos noſtra poteſtas Officiis diviſa facit.* Idem.

Jovi Stygio.] Id eſt, Plutoni, ſive Jovi magico. Et hæc *Sacra* dicebantur *Stygialia*, item *Cocytia.* Porphyrio Horatii interpres: *Cocytia, ſacrum Cupidinis. quia maleficia hæc, quæ per inferna fiunt, ad amorem pertinent.* Vide Notas ſupra, ad ℣ſ. 508. Turn. lib. 13. c. 14. Ideo autem rem divinam inferis facit:

quia

Perficere est animus, finemque inponere curis;
Dardaniique rogum capitis permittere flammæ.
Sic ait. illa gradum studio celerabat anili.
At trepida, & cœptis inmanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementis

Inter-

quia credebantur curas & amores solvere. Vide Turneb. l. 21. c. 22. & l. 25. c. 6. Ejusmodi sacra luculenter descripsit Sillius lib. 8. & 13. Selecta etiam ad hanc rem collegerunt Frid. Lindebruck in Ceirin. & J. Woverius ad Petron. *Taubmannus.*

Quæ rite incepta paravi.] Ordo est, Sacra, quæ paravi, animus est rite perficere. *Servius.*

639. *Perficere est animus.*] Mire, quamdiu enim Æneas præsens erat, non omnino desperans trahebat exitium. *Idem.*

Curis.] Utrum amoribus an rei susceptæ? *Idem.*

640. *Dardaniique rogum capitis.*] In quo ejus imago fuerat, & bene suum rogum, illius dicit, ne suspicionem faciat. *Idem.*

Permittere flammæ.] Incendere. *Idem.*

Permittere.] Notant Grammatici, discrimen inter *committo* & *permitto*. Ut illud sit cum spe aliqua evadendi è periculo, istud absque spe. Advoco exemplum. *Ratem pelago committimus*, cum præsumptione evadendi. *Ratem pelago permittimus*, quasi ibi deglutiendam. Hoc si est (quod non multum curo, sed sequar nunc Grammaticos) præclare Poëta hîc *flammæ permittere*, quia supra,

—— *abolere nefandi*
Cuncta viri monumenta jubet, monstratque sacerdos. Cerda.

641. *Studio anili.*] Aut pro ætatis possibilitate: aut pro industria, qua utuntur aniculæ. Aut voluntate obsequendi. Alii *celebrabat* legunt, quia antiqui hoc verbum in velocitate ponebant. Actius, *Celeri gradu gressum adcelerasse decet.* Servius.

Anili.] In codicibus quibusdam sane quam vetustis, *anilem* legitur: quippe *gradum.* Videturque majus esse *celerare gradum anilem studio*, quam *celerare gradum anili studio.* hoc tamen in medio relinquatur. *Pierius.*

Studio celerabat anili.] Non re ipsa, sed conatu & studio festinandi, gradum celerabat. Ita explicat Æl. Donatus ad illud Ter. Eun. act. 5. sc. 3. *Video: sed nihil promoves.* Tib. Donatus: Ambulabat non celeriter, ut debuit; sed segnius, ut ætas permisit. Vide & Turn. l. 2. c. 14. *Taubmannus.*

Gradum studio celerabat.] Sic Apulej. l. 6. Met. *studiose gradum celerant.* quod Horatio lib. 1. od. 3. *corripere gradum.* Emmeness.

642. *At trepida.*] Festina. Nam moritura nihil timebat. Ideo autem *festina*, id est, occasione vix data. *Serv.*

At trepida.] Turbata. *Donat.*

Cœptis inmanibus effera.] *Fera*, nimis fera, *furiata* sævis cogitationibus. *Servius.*

Effera.] Exasperata in perniciem suam. *Donatus.*

643. *Sanguineam aciem.*] More suo ostendit eam furentem vultu, gestu, voce. *Servius.*

Sanguineam volvens aciem.] *Sanguineam aciem* dixit, ut Eurip. sub persona Orestæ: *μὴ 'πίσειέ μοι τὰς αἱματωπὰς, καὶ δρακοντώδεις κόρας.* Quamvis enim alii *κόρας*, *ἐριννύας* accipiant, videntur tamen eo loco *κόραι* ad oculos referendæ, cum *αἱματωπὰς*, & *δρακοντώδεις* Poëta conjunxerit: & serpentes visus acerrimi esse constet: & *δράκοντας παρὰ τὸ δέρκεσθαι* dictos, ut *ὄφεις παρὰ τὸ ὄπτειν*· unde & Virg. supra de immissis Laocoonti serpentibus: *Ardentes oculos suffecti sanguine & igni.* Nam licet sequatur eo loco Euripidis mentio Eumenidum: tamen nihil vetat, quin ad

oculos

Interfuſa genas, & pallida morte futura,
Interiora domus inrumpit limina, & altos
Conſcendit furibunda rogos, enſemque recludit
Dardanium, non hos quæſitum munus in uſus.
Hic, poſtquam Iliacas veſtis notumque cubile
Conſpexit, paullum lacrimis & mente morata,
Incu-

oculos matris, exagitantis parricidam ſuperiora poſſint referri. Utcunque ſit, ſemper *αἱματωπὸς ſanguineam aciem* reſpicit: neque enim ſubticendum hoc Euripidem epitheton in Androm. Furiis tribuere, ſub perſona Oreſtis ad Hermionem: *ταῖς δ' αἱματωπὰς θεὰς ὀνειδίζων ἐμοί.* Sed & Poëta Epig. 4. per *ξανθὸν ὕφαιμον* ſanguineam aciem ſignificat: *ἧς ἔτι ξανθὸς ὕφαιμος ἐπαστράπτει φόνιον πῦρ.* *Germanus.*

Maculiſque trementis interfuſa genas.] Hoc eſt, trementes genas interfuſas habens maculis. *Servius.*

Maculiſque, &c.] Eſt hoc, quod Propertius dixit lib. 1. eleg. 5.

Et timor informem ducet in ore notam.

Cerda.

644. *Pallida morte futura.*] Aut pallidior, quam ſolent omnes eſſe poſt mortem: aut *pallida*, omine mortis futuræ. Aut *pallida*, conſcientia mortis futuræ. *Servius.*

Pallida morte futura.] Lucan. lib. 7.

—— *multorum pallor in ore*
Mortis venturæ eſt, facieſque ſimillima fato. Cerda.

646. *Furibunda.*] Furenti ſimilis. Sane quidam volunt Virgilium ubique Didonis, tamquam Flaminicæ facere mentionem: apud veteres autem Flaminicam ſcalas plus tribus gradibus niſi Græcas ſcandere non licebat, ne ulla pars pedum ejus crurumve ſubter conſpiceretur, eoque nec pluribus gradibus, ſed tribus, ut aſcenſu duplicis niſus non paterentur extolli veſtem, aut nudari crura, nam ideo & *Græcæ ſcalæ* dicuntur: quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clauſæ ſint, ne aſpectum ad corporis aliquam partem admittant. Et ſciendum, ſi quid ceremoniis non fuerit obſervatum, piaculum admitti: Hic autem piaculum admittitur: quod ipſa Dido ait: *Sacra Iovi Stygio quæ rite incepta paravi:* nam & ſupra ait, *Magicas invitam accingier artes.* Hoc vero loco plenius eam Flaminicæ ritum exceſſiſſe declarat, ubi de gradibus loquitur dicens, *Interiora domus,* &c. neque enim poteſt eſſe altum, quod tribus tantum gradibus conſcenditur: unde apparet plures gradus tribus fuiſſe, quod plenius de Anna ſubjunxit, *Sic effata gradus evaſerat altos.* Servius.

Enſemque recludit Dardanium.] Sic & Ajax apud Sophocl. moriturus enſem alloquitur. Ut autem, *non hos quæſitum munus in uſus,* ſimili pœne forma Eurip. in Suppl. de tripode: *ὅν ποτ' Ἴλίου ποτ' ἐξαναστήσας βάθρα, σπουδὴν ἐπ' ἄλλην Ἡρακλῆς ὁρμώμενος, στῆσαί γ' ἐφεῖτο πυθικὴν πρὸς ἐσχάραν·* ubi *σπουδὴν ἐπ' ἄλλην* videtur reddere *alios quæſitum in uſus.* Germanus.

647. *Non hos quæſitum munus in uſus.*] Quem Æneas non ad hunc uſum reliquerat: &, ut ſupra diximus, ſecundum Homerum vertitur munus in perniciem. Tale eſt in Bucolicis, *Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hœdos.* Servius.

Non hos quæſitum munus in uſus.] Similis locus apud Ovid. l. 5. Metam. *ỽſ.* 111. *non hos adhibendus in uſus.* Apulejus l. 5. Metam. *Sagittas & omnem meam ſupellectilem, quam tibi non ad hos uſus dederam.* Emmeneſſ.

648. *Cubile.*] Cubandi locum dixit. *Servius.*

649. *Paullum.*] In antiquis aliquot

 exem-

Incubuitque toro, dixitque noviſſima verba:
Dulces exuviæ, dum fata deuſque ſinebant,
Accipite hanc animam, meque his exſolvite curis.
Vixi, & , quem dederat curſum fortuna, peregi:
Et

exemplaribus, *paullum lacrumis* habetur. Ac de Lacrumis quidem ſatis ſuperque dictum alibi. Quantum vero pertinet ad adverbium *paullum* duplici *ll* notatum, id ita ſcribendum eſſe, conſtanter adeo affirmat Terentius Scaurus, ut eos peccare ſine dubio dicat, qui *paulum* per unum *l* ſcribunt. Hinc in veterum monumentis legas, *hoſpes quod deico paullum eſt aſta ac pellice.* & eodem modo pleriſque locis tam pro adverbio, quam pro nomine proprio *Paullum*, *Paullus* ſcriptum comperias. Miſſa vero facio nomiſmata, in quibus fere paſſim *Paullus* legitur *ll* geminato. *Pierius.*

Et mente.] Conſilio. *Servius.*

650. *Incubuitque toro.*] Admonent Urſ. Germ. & Pet. Victor. lib. 5. c. 14. contendiſſe Vatem ad exemplum Sophocl. in Trachin. ubi nutricis ore narratur exitus Deianiræ. Verſus ſunt viginti ab eo, ἐπὶ δὲ τὸ δ', uſque ad illam, *πλευρὰν ὑφ' ἧπαρ. Cerda.*

651. *Dulces exuviæ.*] Quæ iſtæ exſuviæ? nimirum reliquiæ ab Ænea, veſtes Iliacæ, enſis, lectus genialis, &c. eſt hic etiam locus communis à commutatione rerum & fortunæ. in verbo *accipite* mihi non dubium, quin ad ſacra reſpectum. Dido enim ſacrum ſe velle exſolvere, ſemper teſtata eſt. Sed & ſacrum hoc Deorum Manium fuit, & in ſimili verbum hoc uſurpavit Ovidius 8. Metam.

Vos modo fraterni Manes, animæque recentes
Officium ſentite meum, magnoque paratas
Accipite inferias.

Adeundus Briſſ. 1. Form. ubi multis firmat, verbum hoc ſolemne in ſacris fuiſſe. Eſt etiam hic affectus amantium, qui ſæpiſſime alloqui cum inanimis ſolent, ubi voluptas primum capta. Ita Propertius & Catullus, ſed in gaudio tamen. Ille lib. 2. eleg. 15.

O me felicem, ô nox mihi candida, & ô tu
Lectule deliciis facte beate meis.

Hic in Hymen. Iuliæ:

O cubile, quod omine
Candido pede lectuli. Cerda.

Deuſque ſinebant.] Aut Iupiter, qui Æneam abſcedere compulit: aut amor, aut neceſſitas fati. *Servius.*

Sinebant.] In aliquot antiquis codicibus *ſinebat* ſingulari numero legitur: ut proximiori adcommodetur. Sed magis placet plurale *ſinebant*. Pierius.

652. *Exſolvite curis.*] Reſpectum ad illud, *vel eo me ſolvat amantem.* Sed ibi ſub diſtinctione, nam coram Anna, & ut tegeret conſilium,

Quæ mihi reddat eum, vel eo me ſolvat amantem.

Hic ubi ſola eſt, animum clare aperit, *meque his exſolvite curis.* Non, reddite mihi eum. Ait *exſolvite*, quia *θάνατος ἐστὶ διάλυσις ψυχῆς, καὶ σώματος*: *mors eſt ſolutio animæ & corporis.* Inde poſtea Iris, *Teque iſto corpore ſolvo.* Cerda.

653. *Vixi.*] Excuſat vitæ abruptionem: quia dicit Plato, magna pœna adfici animas eorum, qui vitam ante tempus reliquerunt. *Servius.*

Vixi.] Atrox verbum *morior*, ideo *vixi*. Qui enim vixit, mortuus jam eſt. Fugit verbi hujus atrocitatem Laodamia, ſcribens ad Proteſilaum. Ubi in fine ita jurat,

Me tibi venturam comitem, quocunque vocaris:
Sive (quod heu timeo) ſive ſuperſtes eris.

Ubi ſententia eſt: Ero comes tibi ſive mortuo, ſive viventi. Non auſa mortuum dicere, tantum poſuit, *quod heu timeo.* Fugit Cicero, auctore Plutarcho in ejus vita. Qui ſignificans interfectos jam

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Urbem præclaram statui: mea mœnia vidi:

ım esse socios Catilinæ, clara voce ixit, ἔζησαν, *vixerunt.* Fugit Tibullus:

Sive erimus, seu nos fata fuisse velint.

t Plautus Bacchidib.

Vixisse, nimio satius est, quam vivere.

n hac locutione morem Romanum gnoscit Plutarchus, nam dicto loco ita bjicit: οὕτω δὲ Ῥωμαῖοι οἱ δυσφημεῖν ἢ βουλόμενοι τὸ τεθνάναι σημαίνουσι. *a Romani mori significant, mali ominis erbum evitantes.* Cerda.

Et quem dederat cursum fortuna, pergi.] Non natura, nec fatum. Tribus nim humana vita continetur: *Natura,* ui ultra centum & viginti solstitiales nnos concessum non est. *Fato,* cui nonaginta anni, hoc est, tres Saturni ursus exitium creant: nisi forte aliaım stellarum benignitas etiam terum ejus superet cursum. *Fortuna,* id t, casu, qui ad omnia pertinet, quæ xtrinsecus sunt, ut ad ruinam, incenia, naufragia, venena. Bene ergo dit *Fortuna.* Cicero in Philippicis, *Mul mihi imminere videbantur præter naturam, præterque fatum,* id est, gladii ntonii ex casu. *Servius.*

Cursum peregi.] Δρόμον ἤνυσα. & pigr. δολιχὴν ἐξανύσας ἀτραπόν. *Germanus.*

Cursum peregi.] Μεταφορικῶς *cursum,* l est, cursum vitæ. Vide Victorium 22. c. 22. qui emendat Milonianam iceronis, legens *cursum,* ubi alii *caım* agnoscunt. *Emmeness.*

654. *Magna.*] Cogitatione eorum ui me non viderunt, sed factis cognoerunt. *Servius.*

Sub terras ibit imago.] Bene *imaginem* ixit *fortunæ.* Valde enim quæritur apud hilosophos, quid illud sit, quod infeos petat. Nam tribus constamus: *Anima,* quæ superna est, & originem suam etit; *Corpore,* quod in terra deficit: *Umbra,* quam Lucretius sic definivit, *poliatus lumine aër.* Ergo umbra si ex orpore creatur, sine dubio perit cum eo: nec est quicquam reliquum de homine, quod inferos petat. Sed deprehenderunt esse quoddam simulachrum, quod ad nostri corporis effigiem fictum, inferos petit: & est species corporea, quæ non potest tangi, sicut ventus. Hinc in sexto, *Corpora viva nefas Stygia vectare carina.* Hanc autem rem etiam Homerus requirit, simulachro Herculis apud inferos viso. Et sciendum simulachra hæc esse etiam eorum, qui per apotheosin dii facti sunt. Unde aut visi esse apud inferos: aut illuc descendisse dicuntur. Horatius de Libero, *Te vidit insons Cerberus aureo cornu decorum.* Sciendum tamen abuti poëtas, & confuse vel *simulacrum,* vel *umbras* dicere. *Servius.*

Magna imago.] Cur *imago?* cur *magna?* Dictum primum ex opinione illa, qua veteres censebant idolum quoddam ac simulacrum tantum nostri ad inferos descendere, ut ex Ennio scribit Lucret. lib. I. his versibus:

Et si præterea tamen esse Acherusia templa
Ennius æternis exponit versibus edens:
Quo neque permanent animæ, neque corpora nostra,
Sed quædam simulacra modis pallentia miris.

Locus Ennii ita habet I. Annal.

—— *Acherusia templa,*
Quo neque permanent animæ, neque corpora nostra,
Sed quædam simulacra modis pallentia miris. Cerda.

Et nunc magna mei.] Cælius l. 17. c. 16. & lib. 9. c. 41. Phocylides: πνεῦμα γάρ ἐστι θεοῦ χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών. Cur *Magna.* Ex Ennio & Lucretio, Turneb. lib. 22. c. 26. & lib. 26. c. 23. *Hartung.*

655. *Urbem præclaram statui.*] Non est contrarium illi loco, *Pendent opera interrupta,* quia illud ex persona poëtæ supra dictum est. Nam licet paululum aliquid superesset: quantum ad ipsam

Ulta virum, pœnas inimico à fratre recepi:
Felix, heu nimium felix, si litora tantum
Numquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ!
Dixit, &, os inpressa toro, Moriemur inultæ?
Sed

pertinet, fecerat: ut, *Urbemque paratam.* Item paulo post, *Urbemque tuam,* & re vera civitati quid superest factis muris, templo, portu, theatro, foro, senatu, quibus adjunguntur etiam privatæ ædes, ut, *Pars optare locum tecto, & concludere sulco.* Servius.

Mea mœnia vidi.] A me facta: & pertinet ad effectum: ut, *Quam vestræ fecere manus.* Idem.

Urbem, mœnia.] Utiliter versus hujus occasione admonebitur juventus quid proprie urbs sit, quando Poëta una cum urbe conjunxit mœnia. *Urbem* veteres mœnium ambitu præfiniebant, quantum scilicet aratro fuerat designatum: quidquid esset extra mœnia, urbs non erat: inde esse aliquis Romæ poterat, & non in urbe: nam suburbana & continentia ædificia Romæ esse dicebantur, non tamen in urbe. Paulus JC. *Urbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finitur, quod latius patet.* Inde est, ut cum tribuni, quibus non licebat ab urbe diem integrum abesse, ante mediam noctem in suburbana appulissent, nec tamen intra mœnia penetrassent, legi fecisse fraudem existimarentur: quod Romæ, non in urbe fuissent. Comitia enim centuriata, quæ in Campo Martio cogebantur, non in urbe, sed Romæ haberi dicebantur, quod intra urbem procinctum esse exercitum non licebat. Itaque Poëta non repetit idem bis, ut male aliqui volunt. Ex eo Ovid. in ep. Didonis ad Æneam,

Urbem constitui, lateque patentia fixi
Mœnia finitimis invidiosa locis.

Cerda.

656. *Ulta virum.*] Puniendo ejus interfectorem. Nam ideo addidit, *Pœnas inimico à fratre recepi.* & re vera nulli avaro major est pœna, quam amittere pecuniam, propter quam commiserat scelus. Bene autem *recepi*, quasi debitas. Vel quod partem maximam civium sollicitavi. Ergo hoc dicit, Feci illud: & illud, felix nimium fuissem, si tantum Æneas Carthaginem non venisset. Alii hæc quasi per interrogationem volunt accipi: ut nihil dicat esse perfectum, Nunquid urbem statui? Nunquid ulta sum virum? Nunquid à fratre pœnas recepi? Felix tamen fuissem, si vel hoc tantum contingeret, ut Carthaginem non veniret Æneas. Sed & hanc varietatem gignit hic sermo *tantum*, quem alii, *tantummodo* interpretantur. Nam ad utrunque admittitur. tamen melior est sensus superior, quem nonnulli sic exponunt propter *Pendent opera interrupta*: ut ordo sit, *Urbem præclaram, & mea mœnia statui, vidi*: hoc est, vidi dum statuerentur. *Servius.*

Ulta virum.] Blanditur locus Plutarchi de virtutibus mulierum, de Camma nobili fœmina, quæ virum suum ulta, læta ad illum moriens descendit. Repetit ἐν ἐρωτικῷ. Adi. *Cerda.*

Inimico à fratre.] Minime placet, quod in codicibus nonnullis manu scriptis legitur, *inimico fratre*, absque præpositione. *Pierius.*

Pœnas inim. à frat. recepi.] Sic & Demosth. δίκας λαμβάνειν· & Thucyd. δίκην ἔλαβε· unde & sumere pœnas vulgatum: & Maro 2. Æn. *jamdudum sumite pœnas.* Germanus.

657. *Felix, heu nimium, &c.*] In sententia institit Catullo, apud quem Ariadna:

Juppiter Omnipotens, utinam non tempore primo
Gnosia Cecropiæ tetigissent litora puppes.

Cerda.

659. *Os inpressa toro.*] Applicito ore ad lectulum, vel *os* faciem: aut quasi amatrix, ut, *Stratisque relictis incubat.*
aut

Sed moriamur, ait. sic, sic juvat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, & nostræ secum ferat omina mortis.
Dixerat. atque illam media inter talia ferro
Conlabsam aspiciunt comites, ensemque cruore
Spu-

aut certe quasi peritura insensibili rei dat sensum: & sic ad lectulum loquitur, ut ad hastam Turnus, *Te Turni nunc dextra gerit*. Mezentius ad equum, *Rhebe diu res si qua diu mortalibus ulla est*. Serv.

Os inpressa toro.] Expressus hinc Apulejanus affectus lib. 8. *At illa, ut primum mœsta quieverat, toro faciem impressa, &c.* Et lib. 3. Flor. *jacebatque incubans toro.* Atque etiam Propertianus lib. 1. eleg. 3.

Molliter impresso conor adire toro.

A phrasi Virgiliana extat illa Ov. 2. Fast.

Utque torum pressit, ferrum Lucretia mecum est. Cerda.

Moriemur inultæ? Sed moriamur, ait.] Non dubium, quin ex hoc loco Propertius lib. 1. eleg. 8.

Sic igitur prima moriere ætate Properti?
Sed morere: interitu gaudeat illa tuo.

Vide vero, uti doleat mori se inultam: ut enim, *τὸ τιμωρεῖσθαι ἡδὺ, jucunda est ultio* (ait Aristotel. l. 1. Rhet.) ita acerbissimum carere hoc bono. Nam ut ibidem ait, *ἡ γὰρ δίκη, καὶ κόλασις, ἴασις*. *Id.*

660. *Moriamur.*] In plurali dixit: vel quia sic sæpe usurpamus, ut de uno dicamus, *nos*: vel quia & reliquiæ erant perituræ. *Donatus.*

Sed moriamur.] Attende horrendam luctam rationis & affectuum. Initium abruptum facit pathos, Macrob. lib. 4. c. 2. Saturn. *Hartung.*

660. *Sic? sic.*] Quasi interrogatio & responsio. Et placet sic inultam perire, vel hoc genere mortis, & hoc eam se loco intelligimus percussisse. Unde alii dicunt verba esse ferientis. Alii ita distinguunt, *Sed moriamur ait*, & sic post adjiciunt, *Sic juvat ire sub umbras*, ut dubitaverit, an inulta deberet mori: deinde ultionis difficultatem circumspiciens dixerit, *Sic juvat ire sub umbras.* Servius.

Sic? sic juvat ire.] Ita Serv. & MSS distinguunt, per *διαλογισμόν*. Habent autem tum asseverationis, tum acrimoniæ plurimum. Et intelligamus, pectori ense admoto hæc dixisse: unde quidam dicunt, verba esse ferientis. Vulgo, *sic sic juvat, &c.* Taubm.

661. *Hauriat hunc oculis ignem.*] Aut videat omina tempestatis futuræ; quia navigantibus malum omen est, si rogalis flamma videatur: aut certe satisfaciat suæ crudelitati. *Servius.*

Hauriat.] Pars ultionis erit, si hostis abiens rogi flammas aspiciat, & tristis ominibus naviget. *Donatus.*

Hauriat hunc oculis ignem.] Infra 12. *Ille oculis postquam sævi monimenta doloris, Exuviasque hausit.* Non omnino tam *ἐμφατικὸν* videtur illud Hom. Il. ο. *τὸ γὰρ μένε μητίετα Ζεὺς νηὸς καιομένης σέλας ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι.* Ut autem hîc *oculis haurire* tribuit, sic & Poëta paulo aliter: *ὀφθαλμοὶ τέο μέχρις ἀφύσσετε νέκταρ ἐρώτων*; Epigr. lib. 7. *Germanus.*

Ab alto.] A mari. *Servius.*

662. *Dardanus.*] Pro *Dardanius.* Plautus, *Natus Argis ex Argo patre:* vel quod ipse Æneas ante *Dardanus* dictus est. *Idem.*

Et nostræ secum ferat omina mortis.] Ut Æneas quoque per vim maturius obeat; & bene infausta omina imprecatur ei, qui ad novi regni auspicia properat. *Idem.*

663. *Media.*] Alii leg. *mediam:* alii, *medio.* Taubm.

Atque illam.] Ostendit celeritatem in Didone, ut nemo ictum viderit, sed illam cadentem aspexerunt. *Donatus.*

Inter talia.] Per talia: ut, *Hunc inter fluvio Tiberinus amœno.* Servius.

664. *Conlabsam aspiciunt.*] Non induxit occidentem se, sed ostendit occisam,

Spumantem, sparsasque manus. it clamor ad alta
Atria: concussam bacchatur fama per urbem.
Lamentis, gemituque, & femineo ululatu
Tecta fremunt: resonat magnis plangoribus æther.
Non aliter, quam si inmissis ruat hostibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros; flammæque furentes
Cul-

sam, & hoc Tragico fecit exemplo, apud quos non videtur quemadmodum fit cædes, sed facta narratur. *Serv.*

Conlabsam aspiciunt comites.] Hæc tacita sunt per ἀποσιώπησιν, non per ἔλλειψιν. Omisit enim dicere, quemadmodum se interfecit: ut solet in Tragœdiis; ubi cædes non fit, sed facta narratur. Vide Scalig. lib. 4. cap. 27. Etiam Donatus notat, Poëtam non descripsisse ictum, quo Dido confossa sit; sed quæ fecisset, demonstrasse: ut ostenderet celeritatem facti. *Taubm.*

Ensemque cruore Spumantem.] In Mediceo, & aliquot aliis antiquis codicibus, legere est *cruorem* quarto casu: ut plura sint membra ad exaggerationem, hæc scilicet, *Conlapsam aspiciunt comites, ensemque* aspiciunt, *cruorem spumantem* aspiciunt, *sparsasque manus.* Vel, *Ensem spumantem cruorem* transitive non ineleganter. Sed enim magis omnino placet, *Ensem cruore spumantem.* Pier.

665. *Sparsasque manus.*] Aut perfusas sanguine: aut morte resolutas. *Serv.*

It clamor ad alta, &c.] Conferam Poëtam secum. vide ut in 2. Æn. rem eandem dixerit:

Ac domus interior gemitu, miseroque tumultu
Miscetur: penitusque cavæ plangoribus ædes
Fœmineis ululant: ferit aurea sidera clamor.

Tantum discrimen, quod in 2. unius Regiæ, in hoc 4. universæ urbis tumultus describitur. *Cerda.*

667. *Femineo ululatu.*] Proprio fœminarum. Horatius, *Et illa non virilis ejulatio.* Servius.

668. *Plangoribus.*] In Mediceo, & antiquis plerisque codicibus *clamoribu* habetur: sed magis fœmineum est *plangoribus.* & paulo ante dictum est: *I clamor ad alta Atria.* quod non fuit tan cito repetendum. *Pierius.*

669. *Non aliter, &c.*] Alludi putant ad direptionem Carthaginis, qua facta est tertio bello Punico. Macrob lib. 4. cap 6. docet, hic augeri πάθος à majore: quod tamen fieri posse, quidam negarint. *Taubm.*

Inmissis.] Alii *inmistis.* In codicibus aliquot antiquis *missis* legitur absque *in* præpositione hostium impetum indicante. Quare quum *inmittere* pertinea ad hostilem vim: & alibi, *Inmissi Danai,* & apud Historicos, *Inmissos equites, inmissos hostes* sæpe legas, nulla mihi reliqua sit dubitatio, quin *inmissi* legendum sit. *Pierius.*

670. *Antiqua Tyros.*] Vel nobilem dicit: vel illud ostendit, quia Carthago ante *Byrsa*, post *Tyros* dicta est, post *Carthago* à Cartha oppido, unde fui Dido, inter Tyron & Berithon. *Servius*

Tyros.] Veteres plerique codices *Tyrus* idiomate Latino legunt: sed non displicet *Tyros.* Cujusmodi casum Valerius Probus in plerisque aliis hujusmodi nominibus apud Virgilium agnoscit. *Pierius.*

Antiqua Tyros.] Servius in hunc locum sic: *vel nobilem dicit, vel illud ostendit, quia Carthago ante Byrsa, post Tyro dicta est, post Carthago à Cartha oppido, unde fuit Dido, inter Tyron & Berithon.* Credo tamen periphrasi Poëtam παλαίτυρον urbem significare, quam Alexande postea expugnavit, & ex insula continentem reddidit. Stephanus lib. de urb. Tyron παλαίτυρον ita explicat. τύρος

Culmina perque hominum volvantur perque deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu,
Unguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes aræque parabant?
Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens? eadem me ad fata vocasses:

Idem

ρος, νῆσος ἐν φοινίκῃ, ἀπὸ τύρου τοῦ φοίνικος. ἔστι καὶ τόρος τῆς λακωνικῆς, καὶ νῆσος πρὸς τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, ἣν Ἀρτεμίδωρος τύλον διὰ τοῦ λ, καλεῖ. ἔστι καὶ πόλις ἰνδικὴ, καὶ λυδίας, καὶ πισιδίας. Ἀῤῥίανος δὲ ἄναθα τύρον καλεῖ. ἐκλήθη δὲ καὶ παλαίτυρος, καὶ τὸ ἐθνικὸν παλαιτύριος. *Germ.*

672. *Audiit exanimis.*] Id est, territa. Nam ut diximus, *exanimatus* mortuus est. *Servius.*

673. *Ora soror fœdans.*] Cruentans, ut, *Sanguine fœdantem.* Idem.

Unguibus ora soror fœdans.] Hæc doloris nota cum frequentissima sit omnibus, tum multo fœminis frequentior, quæ sibi impotenter dominantur. Propertius lib. 1. eleg. 9.

Nec non exanimem amplectens Briseis Achillem,
Candida vesana verberat ora manu.

& post pauca, *Fœdavitque comas.* Fœminæ Trojanæ apud Euripidem & Senecam se multum verberant, ut Ariadne apud Catullum in se & in capillos sæva, atque etiam mater Euryali apud Virgilium, apud Ovidium Lucretia. Sed quæ non usæ hoc furore? *Cerda.*

Unguibus ora soror fœdans.] Quo pacto secuerint faciem in luctu unguibus docet Kirchmann. de Fun. Rom. l. 2. c. 11. *Emmeness.*

674. *Nomine clamat.*] Aut Didonem vocat: ut supra diximus, Pœnorum lingua *viraginem.* Nam *Elisa* dicta est. Sed *virago* est vocata, cum se in ignem præcipitavit. Aut *nomine clamat*, nominat: sicut & Homerus dicit ἐκ τοῦ ὀνόμαζεν sexies nominabat. Aut certe vero nomine, ut solent dolentes: ut, *Hunc ego te Euryale aspicio.* Item, *Mater Cyrene mater.* Hinc & ibi ait, *Et te crudelem nomine dicit.* Et multi quærunt, quomodo procedat hoc, cum ejus nomen nusquam sequatur. Sed tractum est à jure, ubi dicitur, nihil interesse, utrum quis unum filium habens, dicat; *Fili heres esto:* an, *Tite heres esto.* Ergo dicendo, *Hoc illud germana fuit?* quasi nomen dixit. Sane sciendum bene eum perturbatæ, integrum non dedisse sermonem. *Servius.*

Nomine.] Atqui non dixit *Dido*, sed *germana.* Sed duplex est nobis nomen: alterum naturæ & sanguinis, quo conjunctæ personæ appellantur: ut *mater, pater, frater, soror*, & similia. alterum quod imponitur ab extraneis: ergo soror, sororem nomine sanguinis appellare debuit: unde dixit *germana.* Donatus.

675. *Hoc illud, germana, fuit.*] Allocutio per conquestionem. *Servius.*

Hoc illud, germana, fuit.] Pari emphasi Terentius And. *At at, hoc illud est.* Cerda.

676. *Hoc rogus iste mihi.*] Alludit ad historiam. *Servius.*

677. *Quid primum deserta querar.*] Conqueritur cur relicta sit, nec ad par exitium convocata. *Idem.*

678. *Comitemne sororem sprevisti.*] Deest, *Illudne quod sprevisti comitem sororem?* & semiplene loquitur. *Idem.*

Comitemne sororem sprevisti.] Vide Pri-

Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset.
His etiam struxi manibus, patriosque vocavi
Voce deos, sic te ut posita crudelis abessem?
Exstinxsti me teque, soror, populumque, patresque
Sidonios, urbemque tuam. date volnera lymphis
Abluam,

Pricæum ad Apuleji verba l. 8. Metam. in princ. *Nec vero incomitata manes adivit.* Emmeness.

679. *Tulisset.*] Abstulisset. *Servius.*

Tulisset.] In codicibus aliquot antiquis, *fuisset* legitur: sed *tulisset* melius, ut assumat accusativum *ambas*. Pierius.

Eadem hora tulisset.] Hunc locum est ita imitatus Ovid. Metam. 8. in voto communi Philemonis & Baucidis: *Auferat hora duos eadem, nec conjugis unquam Busta meæ videam.* Germ.

680. *Struxi manibus.*] Quasi sceleris contaminata, & quasi ipsa interitum sororis adjuverit. *Struxi manibus*, subaudis *Rogos*. Servius.

Patrios deos.] Saturnum & Junonem. *Idem.*

681. *Posita.*] Exanimata. Statius, *Positusque beata Morte pater.* Idem.

Sic te ut posita.] Eadem forma supra lib. 2. *Sic ô sic positum affati discedite corpus.* quod κείμενον & *mortuum* Turnebus accipit: favente, meo judicio, illo lib. Æn. 11. *Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes Servabat.* Sic supra: *volucres somno positæ sub nocte silenti.* Credo equidem hanc vocem, *posita*, omnino à Græcis imitatione desumptam: quibus sepulcrale vocabulum est τιθέναι & τίθεσθαι, pro tumulo condere, & componi: Plato leg. ιϐ. ὃ τὸν μακάριον γεγονότα θέντες κύκλῳ χώσαντες, πέριξ δένδρων ἄλσος προσφυτεύσουσι πλὴν κώλου ἑνός, ὅπως αὔξην ὁ τάφος ἔχῃ ταύτην τὴν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον ἀνεπιδεῆ χώματος τοῖς τιθεμένοις, κατ' ἐνιαυτὸν δὲ ἀγῶνα μουσικῆς αὐτοῖς καὶ γυμνικὸν ἱππικόν τε θήσουσι· unde & *ponere tumulum*, *urnam*, *cadaver*, *corpus*. Germ.

Crudelis.] Illum *crudelem* dicit, quod sit dubium tu an ego. *Servius.*

682. *Exstinxsti te meque soror.*] Varro ait, non Didonem, sed Annam amore Æneæ impulsam se supra rogum interemisse. *Idem.*

Exstinxsti.] In veteribus fere omnibus exemplaribus, *extinxi* prima persona legitur: quasi fateatur Anna se manibus suis parasse instrumenta necis, admittatque in se culpam ad majorem doloris exaggerationem. Valerius tamen Probus *extinxti* per Syncopen agnoscit, una cum Sosipatro Carisio: Qui, Syncope (ait) est, quum mediæ parti aliquid subducitur: ut *Extinxti te, meque soror*, pro extinxisti. *Pierius.*

Exstinxsti te.] Ita Diomed. Probus, Charisius, Servius & Donatus. at vett. lib. fere omnes, teste Fabricio, legunt, *Exstinxi*, prima persona. Sane Aristoteles semper σβεννύναι & σβέσιν ad violentum fatum, μάρανσιν ad naturam refert. *Taubm.*

Populumque, patresque, urbemque tuam.] Patres, id est, Senatum, Urbem tuam quam extruxisti, & quidam hoc loco volunt treis partes politiæ comprehensas, populi, optimatium, regiæ potestatis: Cato enim ait de tribus istis partibus ordinatam fuisse Carthaginem. *Servius.*

Populum.] Id est, plebem: addit enim *patres*, id est, Senatum Carthag. Et docet Lipsius *De Amphitheatr.* c. 14. Suetonium etiam & Callistrat. imo & Juvenal. *populi* voce pro sola plebe alicubi usos esse. *Taubm.*

683. *Date lymphis.*] Date lymphas, ut vulnera abluam, hoc est, date aquam: aut *date*, id est, permittite. Lavare autem cadavera satis proximis concedebatur. Unde queritur mater Euryali: *nec vulnera lavi Veste tegens.* Sane in sacris pura vestis appellatur, quæ neque funesta

Abluam, &, extremus si quis super halitus errat,
Ore legam. sic fata gradus evaserat altos,
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.
Illa gravis oculos conata attollere, rursus
Deficit,

funesta sit, neque maculam habeat ex homine mortuo. Id hoc loco comprehensum accipi potest, cum Dido inducitur habuisse crinem sacratum, quo videlicet abscisso, possit sine cruciatu mori: prius tamen voluit ablui cruorem, cum ait, *date vulnera lymphis Abluam.* Plenius tamen infra ait, *Semianimemque sinu germanam*, usque, *veste cruorem*, ut tanquam in veste pura, legitimo sumptu, morte data, haberetur, * quod quæ sacratum crinem habuerit vitæ fuerit immorata; nam subjecit apte ex persona Iridis: *Hunc ego Diti Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo.* Servius.

685. *Ore legam.*] Muliebriter, tanquam possit animam sororis excipere, & in se transferre. Sic Cicero in Verrinis, *Ut extremum filiorum spiritum ore excipere liceret.* Idem.

Ore legam.] Epigr. ἐμοῖς χείλεσιν χείλεα θεῖσα ἀπνόυσι ψυχὰν τὰν ἐν ἐμοὶ φέρητε. *Germanus.*

Ore legam.] Cic. Verr. 5. *Ut filiorum extremum halitum excipere sibi liceret.* Græcis est ψυχορροφεῖν. Ut enim carissimi oculos claudebant morientibus: ita & os ori admovebant, ut extremum ejus spiritum q. excipere ac haurire velle viderentur. Vide Alexandrum lib. 3. c. 7. inprimis Joh. Kirchmannum de funerib. Rom. l. 1, 5. Aut forte tentare vult Anna, an spiritus adhuc aliquis ex ore prodeat. *Taubm.*

Ore legam.] Ovid. lib. 13. Metam. v. 491.

Oscula que ore legit.

Quod veteres extremum spiritum exceperint, notum satis ex Poëtis, quorum testimonia collegit Kirchmann. de funer. Rom. lib. 1. cap. 5. & Guther. de jure man. lib. 1. cap. 3. & 13. *Emmeness.*

Gradus evaserat altos.] Id est, ascenderat, aut rogis scilicet, qui pro qualitate fortunarum fiebant. Unde in sexto ait, *Cæloque educere certant.* Aut quia lecti antiquorum alti erant, & gradibus ascendebantur, quibus superatis, Anna amplectitur sororem. *Servius.*

Semianimemque.] Composita à *Semi* amittunt *i* in scansione sequente vocali, etiamsi eam præcedat nota adflatilis, ut *semihominis Caci.* Taubm.

686. *Amplexa fovebat.*] Bene non *fovit*, sed *fovebat*, ut id diu factum ostenderet. *Servius.*

687. *Siccabat.*] Exprimebat. *Idem.*

Cruores.] Exprimebat, vel abluebat, ut, *Vulnera siccabat lymphis.* An suam vestem, vulnere Didonis infectam, usurpavit. Nam nec *sanguines* dicimus numero plurali, nec *cruores.* Idem.

688. *Illa gravis.*] Lucret. *Primum Grajus homo mortales tollere contra Est oculos ausus.* Videtur autem hic locus referri posse ad illum Eurip. in Phœn. ubi moriens Eteocles matris vocem agnovisse narratur: στέρνων δ' ἄπο φυσημ' ἀνεὶς δύστλητον Ἐτεοκλῆς ἄναξ ἤκουσε μητρὸς, κἀπιθεὶς λυγρὰν χέρα, φωνὴν μὲν οὐκ ἀφῆκεν, ὀμμάτων δ' ἄπο προσεῖπε δακρύοις, ὥστε σημῆναι φίλα. Ut autem *graves oculos*, ita in Alcest. σκοτεινὸν ὄμμα βαρύνεται, fato nimirum instante. *Germ.*

Illa gravis oculos.] Hypotyposis Didus morientis. Et recte, *conata*: quia *graves*: nam vis illa animi & corporis jam deficiebat. Atque ut hic *graves oculos*: ita in Euripid. σκοτεινὸν ὄμμα βαρύνεται, fato nimirum instante. *Taubm.*

Deficit. infixum ſtridit ſub pectore volnus.
Ter ſeſe attollens cubitoque adnixa levavit:
Ter revoluta toro eſt, oculiſque errantibus alto
Quæſivit cælo lucem, ingemuitque reperta.
Tum Juno omnipotens, longum miſerata dolorem,
Difficiliſque obitus, Irim demiſit Olympo,

Quæ

689. *Stridit.*] In antiquis aliquot codicibus, *ſtridit* à tertia conjugatione eſt: ut in Georgicis, *Stridere apes utero:* &, *ſtriduntque cavernis.* Invenitur tamen *Stridet.* Pierius.

Stridit.] Sic legendum docet Nobiliſſ. Heinſius ad Ovid. lib. 9. Metam. ℣ſ. 171. *Emmeneſſ.*

Sub pectore.]Per tranſitum dictus vulneris locus. *Servius.*

690. *Ter ſeſe attollens.*] Apollon. l. 3. τρὶς μὲν ἐπειρήθη, τρὶς δ' ἔσχετο, τέτρατον αὖθις λέκτροισι πρηνὴς ἐνικάππεσεν εἰλιχθεῖσα· & ut *cubito innixa*, idem Apollon. 3. ἐρεισαμένη λαιῇ ἐπὶ χειρὶ παρειήν· & Propert. de Cynthia: *incertis nixa caput manibus.* Germ.

Cubitoque adnixa.] In pleriſque codicibus antiquis, *adnixa* legitur. In quibuſdam *innixa.* Sed id magis animadvertendum, quod vetera quædam exemplaria *cubitu* legunt quarto declinatu: niſi ſit, ut *agru*, & *donu*, & pleraque ſimilia: quorum exempla ſuperius adnotavimus. *Pierius.*

Cubitoque adnixa.] Similis eſt locutio Ovid. l. 7. Metam. ℣ſ. 343.

Ille, cruore fluens, cubito tamen allevat artus;
Semilacerque toro tentat conſurgere.

Vide N. Heinſ. *Emm.*

691. *Ter revoluta toro eſt.*] Aut ſæpius: aut Promanteuſis. *Servius.*

Errantibus.] Vicinitate mortis propter tria bella Punica, præſagium propter bella Carthaginis. *Idem.*

692. *Quæſivit cœlo lucem.*] Ammianus lib. 16. *Semineces labente jam ſpiritu lucis uſuram oculis morientibus inquirebant.* Cerda.

Ingemuitque reperta.] Atqui dixit, *inviſam quærens quam primum abrumpere lucem*, ſed oſtendit morientes ſua improbare deſideria: ut in ſexto, *Quam vellent æthere in alto Nunc & pauperiem & duros perferre labores.* Servius.

Reperta.] In antiquis aliquot exemplaribus *repertam* legitur, pro *reperiſſe:* quæ frequens apud eruditos elocutio. *Pierius.*

693. *Tum Juno omnipotens.*]Aut pronuba aut inferna. *Servius.*

694. *Difficiliſque obitus.*]Quia ſupererat vita ei, quæ caſu non aut fato aut natura moriebatur: ut, *Nam quia nec fato, merita nec morte peribat:* id eſt, naturali. *Idem.*

Difficiliſque.] Ut miſſum faciam *lis* terminationem in antiquis codicibus, id ponam ex eruditorum ſententia *difficiles obitus* ideo à Poëta dictos, quia caſu moriebatur, non autem fato: de quo apud Aulum Gell. lib. XIII. cap. primo. *Pierius.*

Difficiliſque obitus.] Cui opponitur *facilis obitus*, qualem exitum ſortitus eſt Auguſtus, eumque nominavit εὐθανασίαν Sueton. in ejus vita c. 100. ad quem locum vide Torrentium. *Emm.*

Irim demiſit Olympo.]Ut & ſupra diximus, trahit hoc de Alceſte Euripidis, qui inducit Mercurium ei comam ſecantem: quia fato peribat mariti. Alii dicunt Euripidem Orcum in ſcenam inducere, gladium ferentem, quo crinem Alceſti abſcindat: Euripidem hoc à Pœnia antiquo tragico mutuatum. Sane ſciendum hoc ideo nunc fieri, quia certis conſecrationibus ſolebant homines facere, ut muniti eſſent adverſus fortunæ impetus. Nec poterant mori, niſi exauctorati illa conſe-

cratione

Quæ luctantem animam nexosque resolveret artus.
Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat,

Sed

eratione. Unde circa Didonem ista servantur. *Servius.*

Irim demisit.] Quærebant veteres, cur *Irin* non *Iridem* Virgilius dixisset: positumque *Irin* pro *Iridem*, C. Julius Romanus ait. & ita alibi, *Irin de cælo.* Varronem tamen, Tullium, & alios, hujus *Iris*, hujus *Serapis*, hujus *Isis* protulisse. *Pierius.*

695. *Nexosque resolveret artus.*] Λύοι μελέων σύνδεσμα· Eurip. in Hipp. quam σώματος ἀλληλουχίαν vocant. Et Græci utique ἅψεα τὰ μέλη dicunt, παρὰ τὸ ἅπτεσθαι, ὅ ἐστι συνῆφθαι καὶ συνδεδέσθαι. *Germanus.*

Nexosque resolveret artus.] Λύοι μελέων σύνδεσμα, Euripid. id est, Animi & Corporis nexum, quorum λύσις καὶ χωρισμὸς Platoni *mors* est. Hanc Græci σώματος ἀλληλουχίαν vocant. Nascimb. existimat, cum in Plurali *artus* dixerit, signare istorum placitum voluisse, Animam esse totum in toto, & totum in qualibet parte. *Taubm.*

696. *Nam quia nec fato.*] Cum dicat Virgilius, *Stat sua cuique dies*, quomodo hoc dicit? *Nam quia nec fato, merita nec morte peribat, Sed misera ante diem.* Nam si fato vivimus, quid agunt merita? si pensamur meritis, quæ vis fati? quomodo hic & fatum admittit & meritum? Deinde cum dixerit, *Stat sua cuique dies*, quomodo dicit ante diem? Harum rerum ratio sic redditur: Sunt & *fata* quæ dicuntur *denunciativa*, sunt alia quæ *condicionalia* vocantur. *Denunciativa* sunt, quæ omnimodo eventura deferunt, ut verbi gratia, Pompejus ter triumphaturus est. Hoc illi fata dederunt, ut ubicunque terrarum fuerit, ter triumphet: non potest aliter evenire, & ideo fatum, quod hoc denunciat, *denunciativum* vocatur: *Condicionale* vero hujusmodi est, Pompejus si post Pharsalicum bellum Ægypti litus attigerit, ferro peribit, hic non omnimodo necesse erat, ut videret Ægyptum, sed, si casus illum ad aliam regionem forte duxisset, evaserat. Sic & apud Homerum Achilles, refert matrem deam sibi dixisse, ut si bello Trojano se subtraheret, & reducem patriæ daret, alta senecta viveret, sed inglorius: Si vero apud Trojam pugnando perseveraret, adeptus magnam gloriam, primævus obcumberet. Vides igitur conditionem fati sub duplici eventus exspectatione pendere. Achilli enim dies statuta erat, qua domum repetens senex periret, sed quia bellum non reliquit, obiit quidem ante diem, fato statutum, sed nec tum sine fato, quia de gemina fati auctoritate veniebat utraque condicio. Sic & Didoni decretum fuerat, ut Urbem præclaram statueret, ulcisceretur virum, pœnas de parricidio fratris exigeret. Pervenerat autem ad seram mortem sine ulla felicitatis offensa, si Trojana classis ad litus Africæ non veniret, qua portum Carthaginis ingressa, nec continuaretur ulterius reginæ nota felicitas, nec expectaretur ad mortem dies illa sera, quæ fuerat constituta. Hæc sciens Maro, inducit ipsam Didonem in extremis suis ista dicentem, *Urbem præclaram statui, mea mœnia vidi, Ulta virum, pœnas inimico à fratre recepi, Fœlix heu nimium fœlix si litora tantum Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.* Sic & Vulcanus respondens Veneri armari filium postulanti, conditionale fatum adserit fuisse Trojanis, ut si Æneas cœlestibus armis fuisset armatus, annos x. ultra quam stetit Troja duraret, nec Priamus ante idem tempus periret: quo præsidio prætermisso præparandæ Trojanæ incolumitatis extincta conditio est, & hoc est, quod ait, *Similis si cura fuisset*, & quod dicit, *Fas nobis, &c.* hoc est, per fata licuisset. Si enim nefas est, obviare fatis, fas est omne, quod, permittente fatorum lege, præstatur. Ergo sensus hic est, *Cara quæ tibi nunc est*,

Sed misera ante diem, subitoque accensa furore,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstu-

est, Si stante Troja fuisset, armari filium tuum mihi per fata licuisset, propter rationem scilicet conditionalis fati & vitam Priami, & regna Trojæ tam Juppiter, quam fata servassent, cum hoc decreti conditio contineret. Ergo *stat sua cuique dies* aut denunciativo fato & mutationem omnino non recipit; aut condicionali, & si eventum alterum casus adtulerit, non, inspecta die, acceleratur interitus: quod ergo dixit, *Nam quia nec fato, merita nec morte peribat*, nolo illum putes universa confundere: Illi enim dicuntur non fato perire, sed merito, qui maxima in deos, & non ignoscenda committunt, ut Salmoneus, ut contemptor divûm Mezentius, ut Tytius, ut Ixion, quos, si fato dixeris oppetisse, pugnaveris, nam qui excedunt delinquendi modum, ipsi sibi poenam sanciunt, quam si fatis imputandam putaveris, excusas peremptorum reatum; hoc est ergo, quod dicit, *Nam quia nec fato*, id est, denunciativo, *merita nec morte*, id est, nullo immani crimine commisso, *Sed misera ante diem*, hoc est, uno de condicionalibus fatis statuto: *Si Trojanæ classis non contigisset adventus*. Servius.

Nec fato, merita nec morte.] Non secundum institutum naturæ, quod fatis attribuitur. difficilis enim mors est, cum non consensu naturæ spiritus redditur, sed vi extorquetur. *Donatus*.

Nam quia nec fato, merita, &c.] Nannius lib. 7. In rebus humanis aut *Fatum*, aut *Natura*, aut *Casus* est. Cæterum supra Fatum aliquid contingere, testis Homerus est. Ita hic quoque *præter fatum* Dido extinguitur, id est, ante diem fatalem. Legatur & Agellius lib. 13. c. 1. super illud Cic. *Multa impendere videntur præter Naturam etiam, præterque Fatum*. item Cælius l. 21. c. 4. Servius Dan. ut conciliet illud, *Stat sua cuique dies*, Fata alia facit *Denunciativa*, quæ mutationem omnino nullam recipiant: alia *Conditionalia*, si casus alium eventum attulerit. *Taubm.*

Merita nec morte.] *Merita mors* dicitur eorum, qui maxima in deos, & non ignoscenda commiserunt, quales fuerunt Mezentius & Ixion: immerita Didonis fuit, quę sibi conscivit mortem, nullius sceleris sibi conscia, ut hæc Guther. de Jure M. l. 1. c. 10. Videndus ad hunc Maronis locum Salmas. Plin. exerc. p. 1119. *Emmeness.*

697. *Sed misera ante diem.*] Non est contrarium, quod dicit in decimo, *Stat sua cuique dies*. Nam ut sæpe diximus, secundum sectas loquitur: & hoc secundum alios, illud secundum alios dictum est. Quanquam Grammaticæ responsiones possunt sufficere, *Omnia vincit amor: & nos cedamus amori*. Servius.

Ante diem.] Ante tempus, quod natura potuit afferre. *Donatus*.

Sed misera ante diem.] Id est, (auctore Donato) ante tempus, quo Natura potuit afferre consensum, παρ̀ μοίρας Æschylo. Fatali morti & Naturali, *inquit Turnebus lib.* 11. *cap.* 19. hoc opponit Poëta. Nam *mors* quædam est *Naturalis*, cum fatalem annorum summam confecimus: ut cum morimur in senectute profunda. *Mors* etiam est *merita*: ut quam bellorum casus, & morbi intemperantia quæsiti, aut scelera afferunt. At nec *Fato*, nec *merita morte* Dido occidebat; ut quæ subito furore fuerit correpta. *Taubm.*

Furore.] Quia pudica in amorem devenerat. *Servius*.

698. *Flavum crinem.*] Matronis nunquam flava coma dabatur, sed nigra, unde Juvenalis, Satyr. 6. *Sed nigro flavum crinem abscondente galero*. Huic ergo datur quasi turpi. Aut *Flavum*, quia in Catone legitur de matronarum crinibus, *Flavo cinere unctitabant ut rutilæ essent*. Idem.

Nondum illi Proserpina flavum, &c.]
Nec

Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per cælum roſcida pennis,
Mille trahens varios adverſo ſole colores,

Devo-

Nec Proſerpina venerat, quæ exutum crinem Orco ſolenniter traderet. Nondum enim Naturæ venerat tempus. Ita Statius 2. Silvar. de Glaucia, quæ in confinio mortis, ſeu (ut Petron. loquitur) *in extremis* erat;

Jam complexa manu crinem tenet infera Juno.

Lucan. l. 6.

Illa comam læva morienti abſcindit ephebo.

Credebant veteres, neminem mori poſſe, niſi Proſerpina prius illi crinem ex vertice abſtuliſſet. Hinc illud Horat. 1. Carm.

— *nullum*
Sæva caput Proſerpina fugit.

Videatur Macrob. lib. 5. cap. 19. Cælius lib. 11. cap. 38. & Muretus Var. lib. 4. cap. 16. & Interpres ad illud Ovid. Metam. lib. 3. Fab. 8.

—— *& ſectos fratri impoſuere capillos:*

quod ad iſtum morem tondendi comam apud rogum pertinet. Turneb. l. 19. c. 17. putat, à ritu ſacrificiorum hoc ſumptum. qui enim moritur, cum tanquam quædam Orci victima ſit, non illepide comminiſcetur, qui, quæ immolationis & ſacri ſunt, ad hominis mortem traduxerit. Antequàm autem pecudes in ſacris immolarentur, capitis earum ſetæ ferro ſecabantur. Æn. 6. ỷſ. 245. *Taubm.*

Abſtulerat.] In codibus aliquot antiquis, *apſtulerat* per *p* legitur. Nam quum veteres *b* ante *s* durius ſonare judicarent: quod in *abſcondit* Velius Longus notat: eam literam in *p* commutabant, quæ auditum exornaret. Noſtra autem ætate nuſquam reperi tam eruditas aures, quæ duritiem à mollicie in hujuſmodi pronuntiatione diſcernerent. In veterum vero monumentorum inſcriptionibus ſæpe *apſtulerit* per *p* notatum obſervavi: quorum exempla aliquot indicaſſe non pigeat, Romæ apud D. Euſtachii:

AVT HANC ARAM APSTVLERIT.

In S. Celſi epigrammate elegiaco, APSTVLERINT. In S. Priſcæ,

QVOD TE FESTINANS APSTVLIT
ATRA DIES.

Pierius.

699. *Caput damnaverat.*] Nondum eam morti deſtinaverat, poteſt accipi, *Stygioque caput damnaverat Orco:* ut Didonem voto liberaret, quod ſemper omnes optant, ut ſine cruciatu moriantur; nam ſubjunxit, *Hunc ego Diti Sacrum juſſa fero teque iſto corpore ſolvo*, id eſt, libero, vel illud ab Orco nondum liberaverat, cum illa devotum crinem adhuc retinens, inter reos eſſet. Ergo cujuſcunque debiti, id eſt, reatus damnatio finem facit. *Damnare* autem eſt damno adficere, id eſt, debito liberare. Ideo & cum vota ſuſcipimus, *rei voti* dicimur, donec conſequamur beneficium, & donec condemnemur, id eſt, promiſſa ſolvamus; ut, *Damnabis tu quoque votis.* Et bene Poëta non ait, *illam damnaverat*, ſed caput ipſum, unde crinis fuerat auferendus. *Servius.*

Damnaverat.] Id eſt, deſtinaverat, adverti enim hanc vim huic voci datam à Poëtis. Stat. lib. 17.

—— *propellunt acies, ſeſeque ſub armis*
Oſtentant, ſubeunt campo, qui proximus urbi
Damnatus bellis patet exſpectatque furores. Cerda.

700. *Iris roſcida.*] Quia cum nubibus fit pluvialibus, quæ rore non carent. *Servius.*

701. *Adverſo ſole.*] Sane naturalem rem expreſſit. Iris enim niſi è regione Solis non fit, cui ille varios colores dat: quia aqua tenuis, aër lucidus, & nubes caligantes inradiante iſto varios creant colores. *Idem.*

Adverſo ſole.] In Mediceo, & co-

Devolat, & ſupra caput adſtitit: Hunc ego Diti
Sacrum juſſa fero, teque iſto corpore ſolvo.
Sic ait, & dextra crinem ſecat. omnis & una
Dilabſus calor, atque in ventos vita receſſit.

dicibus quibuſdam aliis pervetuſtis *adverſa luce* legitur: ſed *Adverſo Sole* ſignate ex ratione phyſica poſitum eſt. *Pierius.*

Mille trahens colores.] Statio dicitur,

Virgo diſcolor Iris,
lib. 10. Theb. ✠ſ. 112. item l. 5. Silv.

Quæque cadit liquidas Junonia virgo per auras,
Et picturato pluvium ligat aëra campo.

Ovid. 1. Met. Fab. 9.

Nuntia Junonis varios induta colores
Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.

Adeantur Scholæ Phyſicorum. *Taubm.*

703. *Sacrum juſſa fero.*] Euripides Alceſtin Diti ſacratum habuiſſe crinem dicit, quod Poëta tranſtulit ad Didonem. *Servius.*

Corpore ſolvo.] Id eſt, animam tuam, quia ait ſupra, *Nexoſque reſolveret artus.* Idem.

Solvo.] Omnia, quibus vita conſtat, ſibi invicem nexa ſunt: ſed cum reſoluta fuerint, atque à ſeſe receſſerint, tunc mors ſequitur. *Donatus.*

704. *Crinem ſecat.*] In Longobardico perveteri codice, *crinem tulit* habetur: ut ſit pro *abſtulit.* Magis tamen placet *ſecat:* ut res ipſa pingi videatur. Nam ut pictura Poeſis eſt. Atque hæc hoc libro dicta ſufficiant. *Pierius.*

Omnis & una] Uno impetu effuſa eſt vita, id eſt, anima. *Servius.*

705. *Dilabſus calor.*] Secundum eos qui dicunt animam calorem eſſe, qua recedente, corpus friget: ut, *Corpuſque lavant frigentis & ungunt.* Idem.

In ventos vita receſſit.] Id eſt, anima, ut in quarto Georgicorum, *Quenque ſibi tenues naſcentem accerſere vitas.* Et dicendo *in ventos*, aut eos ſequitur, qui animam aërem dicunt, hoc eſt, in materiam ſuam redire, aut certe eos, qui dicunt animam perire cum corpore: ut intelligamus evanuit, in ventos receſſit: ut in nono, *Sed auræ omnia diſcerpunt, & nubibus irrita donant.* Idem.

In ventos vita receſſit.] Pro eo Ovid. l. 11. Metam. ✠ſ. 43.

— in ventos anima exhalata receſſit.

Emmeneſſ.



G. Appelmans, sculp

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Æneas, relicta Carthagine, in Italiam navigans, vi tempestatis in Siciliam defertur; ubi, ab Aceste benigne exceptus, manibus Anchisæ patris, quem superiori anno, eodem die, apud Drepanum sepeliverat, anniversarium sacrum facit, ludosque apud tumulum ejus instituit, suaque victoribus præmia decernit. Navali certamine vincit Cloanthus. Euryalus, Nisi dolo, cursu superat. Entellus senex Daretem, juveniliter se jactantem, cæstu vincit. Sagittandi peritia superat Eurytion: prima tamen præmia, ætatis dignitatisq; habita ratione, Acestæ decernuntur, cujus sagitta, in aërem emissa, subito exarserat. Ascanius in honorem Anchisæ avi cum primæ nobilitatis pueris equestres ludos pugnamque imaginariam exhibet. Interea Trojanæ mulieres, hortatu Iridis, longæque navigationis tædio, ignem in classem conjiciunt, quatuorque naves exurunt: ceteræ subito, à Jove immissa pluvia, incendio sunt ereptæ. Nocte sequenti Anchises Æneæ filio in somnis apparens, Jovis verbis admonet, ut Naturæ consilium sequutus, mulieres, imbellesque senes in Sicilia relinquat, ipse cum juventutis robore, integræque ætatis flore in Italiam naviget; Sibyllæque inprimis antrum adeat: illius enim ductu se in campos Elysios esse venturum, ubi & posteritatis suæ seriem omniumque instantium bellorum discat eventum. Monitis itaque paternis morem gerens, Æneas oppidum in Sicilia condit, nomine Acestam: eo & matrum & senum bello inutilium coloniam transcribit: ipse cum exercitus robore Italiam petit. Interim Neptunus, Veneris precibus exoratus, naviganti Æneæ mare tutum præstat. Palinurus in tanta securitate somno succumbens, una cum gubernaculo in mare excutitur: ejusq; vicem supplet Æneas.

INterea medium Æneas jam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros Aquilone secabat,

Mœnia

LIBER V.] Non usus est Maro Historicorum ordine, sed eo, qui Poëtis familiaris est, nam si noster, teste Vossio institut. poët. lib. 1. c. 7. historiam ordine constituisset enarrare, secundus liber primo debuisset loco collocari, tertius secundo, primus tertio. Consule Macrob. l. 5. Saturn. c. 2. Hujus libri ὑπόθεσις, docente Ursino, sumta est de Homero, apud quem in Il. ψ. Achilles Patroclo suo ludos instituit. *Emmeness.*

1. *Interea.*] Dum fletur, aut sepelitur Dido, & hoc sermone librum, ut solet, superioribus junxit: cujus pars major ex Homero sumpta. Nam omnia, quæ hic commemorat, exhibentur circa tumulum Patrocli: nisi quod illic curule exercetur, hic navale certamen. Sane intelligendum non potuisse fieri, ut una, nec plena die, Æneas ad Siciliam perveniret. Unde accipiendum est, sicut supra legimus, quod circa ortum lucis navigavit: ut, *Regina è speculis ut primum albescere lucem Vidit, & æquatis classem procedere velis.* Ergo tota die, dum se Dido interemit, dum fletur, paululum provectus est leniter spirantibus ventis: & flammas rogi circa vesperam vidit, quo tempore & per naturam ignem videre potuit, & per pristinum morem, quo per diem cadavera non incendebantur. Deinde tota navigans nocte & alterius diei parte ad Siciliam venit. *Servius.*

 Medium.]

Mœnia reſpiciens, quæ jam infelicis Eliſſæ

Con-

Medium.] Aut *medium* eſt quicquid à principio recedit, & necdum finem ſortitur: aut *medium*, ſic altum ut medium putares: ut, *Graditurque per æquor Jam medium.* Nam vere *medium* ſequenti indicat loco: *Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla Occurrit tellus.* Sane ſpeciem pro genere poſuit, nam *mare* ſignificat *maria.* Serv.

Tenebat.] Nautico uſus eſt verbo, ut *Iliacas vento tenuiſſe carinas.* Et, *Ni teneant curſus.* Idem.

2. *Certus.*] Aut indubitabiliter pergens, id eſt, itineris ſui certus, aut *certus Æneas*, id eſt, ſollers, ſtrenuus, velox: ut, *Equidem per litora certos Dimittam.* Idem.

Interea medium Æneas jam claſſe tenebat Certus iter.] Antiqui admodum codices legunt mutato numero, *interea Æneas medium*, dactylis & ſpondeis alternatim collocatis: qui numerus artificioſior videtur, quamvis *medium Æneas* ex plurium literarum colliſione gravior habeatur. Sed enim ſuas quiſque aures conſulat: nos enim id in medio relinquimus. *Pierius.*

Interea, &c.] Tale initium Valerii Flacci 2. Arg.

Interea ſcelerum luctuſque ignarus Iaſon
Alta ſecat.

Cerda.

Atros aquilone.] Quos nuper flans Aquilo atros effecerat: ut, *Et mediis properas Aquilonibus ire per altum.* Nam ex Africa venientibus Auſter ſecundus eſt, Aquilo adverſus; ergo hoc dicit, quod fluctus, qui atri eſſe conſuerunt Aquilonis flatu, qui ante flaverat ſecundo flatu, ſecarit Æneas ſurgente Zephyro, ut Mercurius, *Nec Zephyros audis ſpirare ſecundos.* Sed novimus tempeſtatis hanc eſſe naturam, ut reliquias venti teneat, etiam in alterius flatu. Sicut Lucanus, *Ut quotiens æſtus, Zephyris furiiſque repugnat, Huc abeunt fluctus, illuc mare.* *Atros* autem ſecundum Plinium dicit, qui ait in naturali hiſtoria, non eſſe maris certum colorem: ſed pro qualitate ventorum mutari: & aut flavum eſſe, aut lutulentum, aut atrum. *Servius.*

Atros Aquilone.] At qui non eſt aptus ex Africa in Italiam navigantibus: ſed vel poſuit ſpeciem pro genere: vel navigabat Aquilone, quia ex ſecundo Jovis præcepto ſtatuerat, Carthaginem relinquere, quocunque ferrent venti, ut, etiam Aquilone flante, enavigaret, quo illi ferrent. *Donatus.*

Fluctus atros Aquilone.] Hoc è rerum natura ſumptum eſt. Maris enim, auctore Plinio, certus color non eſt, ſed pro ventorum qualitate mutatur. Atrius autem & obſcurius cur fiat, Borea ſive Aquilone ſpirante, diſputant Ariſtot. in Probl. Sect. 26. & Agellius lib. 2. cap. 30. & Turnebus lib. 26. c. 28. *Taubmannus.*

Secabat.] Euſtathius Homericum διατμῆξαι κῦμα explicat ἀντὶ τοῦ πλεῦσαι, καὶ διανήξασθαι. *Cerda.*

3. *Mœnia reſpiciens.*] Revocanda in hunc locum, quæ dicta 3. Georg. ad illud,

Et ſtabula aſpectans regnis exceſſit avitis.

Etenim hic Æneas urbem illam reſpectat, à qua ereptus Deorum beneficio. De Auguſto Seneca 1. de Clem. c. 11. *In adoleſcentia caluit, arſit ira, multa fecit, ad quæ invitus oculos retorquebat.* Idem.

Jam infelicis.] In codicibus aliquot antiquis legere eſt, *jam felicis:* ut ſit *jam* pro πάλαι: quod ipſamet antea confeſſa fuerat, *Felix heu nimium felix, ſi litora tantum Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.* de priore vita ſua loquens. Quod ſi *infelicis* placet, & *jam* reſpicere ad verbum *collucent*, aliena non erit à ratione ſententia. Nam & ea ſe identidem *infelicem* appellavit paulo ante. *infelix* ab Ænea nuncupatur in Sexto. *Pierius.*

4. *Conlu-*

Conlucent flammis. quæ tantum accenderit ignem
Caussa latet: duri magno sed amore dolores
Polluto, notumque, furens quid femina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.

Ut

4. *Conlucent flammis.*] Lucent undi-ue. In honorem enim regum cum ıcibus procedebatur à populo. Unde it de Pallante, *Lucet via longo ordine ammarum, & late discriminat agros.* ostea etiam funebres lectulos profer-e cœperunt. Unde est etiam in sexto, *el quæ Tyberine videbis Funera:* quum e Marcello ædili diceret, filio sororis ugusti, in cujus honorem hoc factum ft. *Servius.*

Conlucent flammis.] Sententia facta d Homerica vestigia, Il. 2. ἐκαθεύδετε αἴνεῖ) αὐγῇ. Pindarus quoque πῦρ τη-λαυγὲς dixit. ut vero sinistri aliquid ult Poëta Teucros auguratos ex flam-æ fulgore, ita & Eurip.

Κάπνῳ δ' ἐσήμαιν' ἄςυ πολεμίων ὕπο.

Ouo primi dicunt, longe splendorem, ignem videri: postremus, fumo gnificari, urbem esse sub hostibus. erda.

Quæ tantum.] In quantitate est ad-niratio. Sane sciendum Varronem di-ere Æneam ab Anna amatum: & licet ut supra diximus) plurimum tempus nterfit, lectum tamen est. *Servius.*

5. *Causa latet: duri magno sed amo-e dolores Polluto.*] *Duri dolores*, ὑπέρ-θεσις est: sed expositio talis est, Igno-abant quidem causam Trojani, con-ecturis tamen propius accedebant. Nam duri dolores magno amore pol-uto, id est, læso: & notus fœmina-um furor docebat Trojanos pertriste ugurium, scilicet ut crederent Dido-em se interemisse. Multi dicunt, *Du-unt*, dilacerant; ut ad supra dictas uas causas tertia accedat. Percellebant, nquit, animos Trojanorum, quod ıascebantur duri dolores amore pollu-o: quod notus erat fœminæ furor: uod ignem rogi videbant, id est, o-nen navigantibus triste. Ut *Pertriste*, valde triste sit. Sed si sic intellexerimus, tertio dicto congruit tantum, non e-tiam superioribus: nec enim Trojani navigantes jam poterant de amore, aut de furore Didonis esse solliciti. *Servius.*

6. *Notumque, furens quid femina pos-sit.*] Nihil non audet femina, κακῶν θησαυρὸς, ut Menander, præcipue cum amoris exitum infelicem sortitur, cum læditur, vel contemta erubescit. De Medea & aliis dicam nihil. Juvenalis verbis utar Sat. 10. ✠s. 326.

Erubuit nempe hæc, ceu fastidita, re-pulsa
Nec Sthenobœa minus, quam Cressa ex-canduit, & se
Concussere ambæ. Mulier sævissima tunc est
Cum stimulos odio pudor adhibet.

Expressius Ovid. l. 14. Met. ✠s. 384.

Læsaque quid faciat, quid amans, quid femina, disces,
Rebus, ait. Emmeness.

7. *Triste per augurium.*] Quidam *au-gurium* pro conjectura accipiunt; sed in quarto libro relatum est, duplici mo-do diras fieri, aut in signis, aut quo-cunque modo, aut quacunque parte. Sed de signis diram fieri, in tertio de arpyiis & in quarto de Didone signifi-catum est: nunc quocunque modo di-ram fieri sic ostenditur; cum facit Æ-nean ex Africa navigantem flammam è rogo Didonis adtendere, dixit enim, *Quæ tantum accenderit ignem Causa la-tet*, usque, *pectora ducunt.* Cum enim dat ubique Æneæ auguriorum peritiam, ostendit scisse eum etiam hæc signa in-ter diras referri *, quod verum fuisse declarat secuta tempestas. *Servius.*

Teucrorum pectora ducunt.] Sicut di-ctum est, propter visas flammas rogales, quæ malum navigantibus omen effi-ciunt,

Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit tellus; maria undique, & undique cælum:
Olli cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens, & inhorruit unda tenebri
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:

Heu

ciunt, & Trojani auguriorum periti sunt, nam neque ad Italiam veniunt, & mox naves incendio amittunt. *Servius.*

8. *Pelagus.*] Explicui altum, nam hoc est pelagus. Argumento sunt pisces pelagi, qui opponuntur litoralibus. Lege Plinium libr. 9. cap. 29. & Turnebum libr. 14. cap. 4. Sed & Poëta se explicat, nam 3. Æn.

Postquam altum tenuere rates.

& Philo in Flaccum aperte διὰ πελάγες, & ab illo signari mare altum, liquidum est, nam opponit has duas voces, διὰ πελάγες, & κατὰ γῆν. Thucydides etiam l. 8. naves petentes altum, ait ἀπαρᾶσαι ἐς τὸ πέλαγος. Vegetius l. 4. c. 46. quod omnes altum, aut pelagus, vocat etiam *apertum mare*, & opponit litoribus. *Cerda.*

Rates.] Pro *navibus* abusive posuit. *Servius.*

Ut pelagus tenuere rates, &c.] Locus debetur Homero, teste Macrobio l. 5. Saturn. c. 7. *Emmeness.*

9. *Occurrit tellus.*] Jocunde *occurrit*: è contrario, *Terræque urbesque recedunt.* Servius.

Occurrit.] Impatientiam cupientis gratulari significat. *Donatus.*

Maria undique & undique cœlum.] Ecce vere nunc est medium mare. *Servius.*

Maria undique & undique cœlum.] Lectio hæc in codice Longobardico, & quibusdam aliis manu scriptis. Sed enim in Mediceo, & plerisque itidem antiquis ita scriptum observavi, *maria undique, & undique cœlum.* Ex eruditis autem viris hanc alii lectionem, alii alteram malunt. nempe: *cœlum undique & undique pontus.* Pierius.

10. *Olli.*] Aut tunc: aut illi. *Servius.*

Cæruleus.] Id est, ater, more Græcorum. Hom. in 1. Il.

Καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρ-
νίων:

Et cæruleis superciliis annuit Saturnid
quod valet, nigris, consensu Græc rum Grammaticorum. sic in 6.

Cærulea subvectat corpora cymba.

id est, atra & nigra. Hic versus,

Olli cæruleus supra caput adstitit imb

modico flexu factus in 3. ita,

Tum mihi cæruleus supra caput adsti
imber. Cerda.

Supra caput.] Periculosus, inevitab lis, mortifer. Nec enim simpliciter c ctum est, cum omnis imber super c put sit. *Servius.*

11. *Noctem.*] Tenebras, hiemer tempestatem: Græci enim χειμῶνα, non solum anni tempus, sed & ter pestatem significant. *Idem.*

Noctem Hiememque ferens.] Φέρ νύκτα μέλαιναν, est in Homero. *Cerd*

Inhorruit unda tenebris.] Hoc est noctis, & nubium. *Servius.*

Inhorruit.] Pacuvius:

Interea prope jam occidente sole inh
rescit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctisque
nimbûm
Occæcat nigror.

Attius apud Nonium:

Ut tristes turbinum toleraret hiemes ma
cum horret fluctibus.

sed hæc in 3. satis expensa. *Cerda.*

12. *Ipse gubernator.*] Ἐμφατικῶς, h est, qui debuit esse solatio. *Servius.*

Gubernator.] Vox propria navem a ministrantis. Maximus Tyrius disse tat. 27. Κυβερνήτης ἀγαθὸς, καὶ εὔστοχος *sciens providusque gubernator.* obvia h vox in Græcis omnibus, & Latini Docet nos Aristides, gubernatore nequaquam inter nautas numera dur

Heu! quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?

Quid-

um, imo his illum præesse. Quoties nim incidit in hæc nomina & sæpe indit, semper ita loquitur, ut illius in os principatum agnoscat, ut cum ait n prima Platonica, οἱ κυβερνῆται τ̃ ναυ-ῶν ἄρχουσι: *imperant gubernatores nau-s*: in eadem, ἀκούουσι μ̃ οἱ ναῦται, λέει δ᾽ ὁ κυβερνήτης: *audiunt nautæ, gu-rnator loquitur.* Cerda.

Puppi ab alta.] Subaudis, *Hæc ait.* ervius.

Puppi.] Hic locus gubernatoris. In atone Cicero, *similes sunt, ut si quis ibernatorem in navigando agere nihil di-it, cum alii malos scandant, alii perfo-s cursitent, alii sentinam exhauriant, le autem clavum tenens sedeat in puppi.* vidius in Epist. Sapphus:

Ipse gubernabit residens in puppe Cupido.
erda.

Puppi.] Quod Oppianus l. 4. κυνη-ῃ. ϐτ. 58.

Οἷα δ̓ ποντοπόρων ἀκάτων ἐπιβήτορες ἄνδρες
Ἑζόμενοι πρύμνηθι νεῶν ἐφέποντες ὀχῆας.

Quemadmodum autem Pontigradorum navigiorum conscensores
Sedentes in puppibus, & navium tractantes gubernacula. Emm.

13. *Quianam.*] Id est, cur. & est in-rrogantis adverbium, quo usus est is, hic, & in decimo, *Cœlicolæ magni ianam sententia vobis Versa retro?* ervius.

Heu! quianam.] Jovianus Pontanus, mmo vir ingenio, eruditioneque, ut nnibus palam est, incomparabili, in oro de numeris Poëticis, multis quim rationibus legendum esse *heu qui am* monosyllabicis dictionibus nitir adprobare. Aliquos vero codices veni, in quibus paulo sequius detorto ctionis casu, per monosyllaba legar, *heu quo nam.* In quodam alio, *quid m.* Sed enim Servius *quianam* agnost, & in decimo sermonem Enniam esse dicit. Vetustioraque omnia emplaria, quæ habui, *quianam* trisyllabum legunt. Priscianus libro de constructione primo, *quianam* ait interrogative poni, Virgilii testimonio hinc citato: idemque significare, quod apud Græcos διατί. alibi vero ait, γὰρ conjunctionem causalem per *quianam* expressum à Virgilio, *heu quianam tanti.* Et *quianam* adverbium constare Tribracho hoc loco teste, Valerius Probus asserit in Artium institutis. Sosipater Carisius ubi *quianam* inter adverbia interrogandi recenset, hunc eundem citat versum, *Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi.* Mihi vero non displicet Pontani sententia: sed neque veteribus codicibus, uno consensu legentibus eodem modo, & antiquis tot Grammaticis, quos tamen Pontanus eludit, ausim refragari: quum præsertim Quintilianus ita libro octavo dicat, Propriis dignitatem dat antiquitas. Eoque ornamento acerrimi judicii P. Virgilius est usus *olli*, & *quianam*, ad spargendam auctoritatem. *Pierius.*

Quianam.] Διὰ τι, id est, cur? ut exponit Prisc. l. 17. & unice probat Scalig. l. 4. c. 16. Poët. & agnoscunt omnes fere libri & Grammatici, Probus, Servius, Priscianus, Charisius, Quintilianus. utitur eo & 10. Æn. v. 6. imitatione Ennii, qui dixerat?

Quianam dictis nostris sententia flexa est?

J. Jov. Pontanus, in divino Dialogo *Actio*, de Numeris Poëticis, tuetur, *quinam.* & addit: Ad metum, ad dolorem, ad ducis curam exprimendam coëgit tres simul monosyllabas dictiones: submisit deinde syllabam, post alteram atque alteram trisyllabam, junxitque quattuor simul spondeos, &c. Sed contra Erythræus animose alterum defendit, *quianam.* Q. d. Quo numine læso miseri Troës tantam tempestatem commeruimus: quam nunquam spero me evasurum, nec si hujus rei auctorem se Juppiter faciat. Ergo,

Tanti cinxerunt æthera nimbi

ad magnitudinem tempestatis exprimendam

Quidve, pater Neptune, paras? sic deinde locutus
15 Colligere arma jubet, validisque incumbere remis;
Obliquatque sinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Ænea, non, si mihi Juppiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cælo.
Mutati transversa fremunt, & vespere ab atro

Con-

mendam pertinet: *Heu quianam*, ad ejus periculum demonstrandum. quare etiam subdit,

Quidve pater Neptune paras? &c. Vide ipsum pluribus. *Taubm.*

Nimbi.] Pro *nubes*. Servius.

15. *Colligere arma jubet.*] Vela contrahere, non penitus deponere. Nam dicit, *Obliquatque sinus in ventum.* Idem.

Coll. arma.] Contrahere vela & breviari. Imitatione Græca dixit, quibus ὅπλα etiam armamenta sunt & vela. ut notat Turneb. l. 19. c. 29. ita 4. Æn.

—— *armari classem*,

ὁπλίζεσθαι. At Jos. Castalio *Colligere arma*, pertendit esse, remos in manus sumere. ut Poëta, more suo, rem eandem aliis verbis explicarit. *Taubm.*

Arma.] Vide N. ad lib. 1. ℣ſ. 173. Hunc locum attingit Rob. Titius l. 10. controv. 6. ubi *armatas classes* nominat, quæ omnibus armamentis suis instructæ sunt. Ovid. l. 11. ℣ſ. *ibat in arma ratis*. id est, armamenta & instrumenta navis. *Emmeness.*

16. *Obliquatque sinus in ventum.*] Contra eam partem, qua venti flabant, & eleganter per totum, gubernatorem ostendit ante omnia tentare, quam ad confessionem descendat. *Servius.*

Sinus.] In Longobardico *sinum* unitatis numero legitur, inemendate. Nam etsi absque ecthlipsi legeretur, absurdum omnino nescio quid sonaret: & *Sinus* numero multitudinis, *Vela*, Poëtæ libentius appellant. *Pierius.*

Obliquatque sinus.] *Obliquare sinus*, est velum obliquum tendere: ut & ventus colligatur non secundus, & ne de recto cursu auferatur navis venti potentia, quod fieri hic necessarium erat, cum venti transversi flarent. ut ait Turn. l. 14. c. 4. & l. 20. c. 4. Vel, *Obliquare sinus in ventum*, est nec omnes flatus excipere, nec omnes effundere: quod fit, cum sinus velorum colliguntur & aura quasi librata ad modum necessarium breviantur. Lucan. l. 5.

—— *totosque rudentes*
Laxavere sinus: & flexo navita cornu
Obliquat lævo pede carbasa.

ita contra, 10. Æn.

—— *velorum pandimus alas.*

Vide & Not. infra: *Una omnes fecere pedem.* Taubm.

17. *Magnanime Ænea.*] Fortissime, & est epitheton sumptum ex tempore, hoc est, qui non consternaris: Sic in quarto, ubi nuptias facturus est, ait, *ipse ante alios pulcherrimus omnes.* Servius.

Juppiter auctor.] Aut nostræ navigationis, aut secundum usum loquutus est: nec si hujus rei auctorem se Juppiter faciat. Et multi quærunt, quomodo *Auctor Juppiter*, cum Apollini dicat, *Tot maria intravi duce te.* Sed legimus, *Quæ Phœbo pater omnipotens:* sed nunc specialiter navigantibus ex Aphrica auctor est Juppiter. *Idem.*

18. *Hoc cælo.*] Hoc est, aëre. *In hoc cælo qui dicitur aër.* Sicut Lucretius posuit. *Idem.*

19. *Mutati transversa fremunt.*] Id est, hinc atque hinc, quod ex transverso; Varro de ora maritima: *Nihil enim venti, ut docti dixerunt; nisi aër multus fluens transversus.* Est autem adverbium factum de nomine: ut, *Cunctatur & amnis Rauca sonans.* Item, *Et pede terram crebra ferit.* Nomen & adverbium plerunque in se transeunt: ut, *Torvumque repente clamat*, id est, torve.

Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aër.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. superat quoniam Fortuna, sequamur:
Quoque vocat, vertamus iter. nec litora longe
Fida reor fraterna Erycis, portusque Sicanos:

Si

ve. Item adverbium in nomen: ut, *Dum mane novum*: & accepta declinatione factum est nomen. Sic Persius, *Jam cras hesternum, heu consumpsimus, ecce aliud cras.* Sed nomen cum adverbium esse cœperit, fit indeclinabile: adverbium, cum nomen esse cœperit, declinatur. Unde ait Plautus, *A mani usque ad vesperum. A mani* autem propter tetraptoton dixit. Cum enim in alienum jus transeunt hæ partes, non suis, sed earum, ad quas transierint, utuntur potestatibus, in declinatione duntaxat. Nam temporum suorum rationem reservant: ut hoc loco *Transversa*, cum adverbium sit, *a* tamen brevis est: quia venit ex nomine, licet duæ consonantes sequantur, cum sciamus *a* terminata adverbia longa esse, ut paulo post, *Et frustra cerno te tendere contra.* Serv.

Mutati transversa fremunt.] Id est, venti nullam fidem servant. Scal. l. 4. c. 16. *transversa* autem pro *transversim.* ita 9. Æn. — *amnis Rauca sonans* — Taubmannus.

Venti transversa fremunt.] Iterum Stat. Theb. l. 1. imitari gaudet Maronem *Venti transversa frementes Confligunt.* Emmeness.

Et vespere ab atro.] Id est, ab occidente nubibus confuso, hoc est, quo tendimus: nec enim sine ratione post generalitatem addidit speciem. Quidam autem ideo *atro* dicunt, quia ubi dies occidens, atra omnia facit, id est, noctem. *Serv.*

20. *In nubem cogitur aër.*] Nubes enim, aëris densitas facit: ut, *Densat, erant quæ rara modo, & quæ densa relaxat:* Contrario, *Scindit se nubes, & in æthera purgat apertum.* Idem.

In nubem cogitur aër.] Aëris enim ensitas facit nubes. ita Cic. 2. de Nat. Deor. *Aër extenuatus in sublime fertur, concretus autem in nubem cogitur.* Nam *Cogere* est q. *Coigere*, id est, compellere. *Taubmannus.*

21. *Nec nos obniti contra.*] Κατ' ἐαυτῦ. Sufficiebat enim aut *obniti*, aut contra niti. *Servius.*

Obniti.] In antiquis codicibus plerisque, *obnixi* legitur: quod adnotandum fuit: non quia *obniti* candidiorem esse lectionem non agnosceremus: sed quia plerique codices manu scripti, eodem modo legunt. *Pierius.*

Tendere.] Pro *contendere*, Aphæresis est. *Servius.*

Tantum.] Aut quantum adversa tempestas valet, aut *Tantum*, pro *in tantum*, ut, *Quid tantum insano juvat indulgere labori.* Idem.

22. *Sufficimus.*] Hic simpliciter, alibi *subministrare* significat: ut, *Sufficit humorem, gravidas cum vomere fruges.* Id.

Sufficimus.] Ita Ovid. l. 11. ℣. 490.

Aspera crescit hiems: omnique ex parte feroces
Bella gerunt venti; fretaque indignantia miscent.
Ipse pavet; nec se, qui sit status, ipse fatetur
Scire ratis rector; nec quid jubeatque, vetetve:
Tanta mali moles, totaque potentior arte est, &c. Emmeness.

Sequamur.] Fortunam scilicet. *Serv.*

23. *Quoque vocat, vertamus iter.*] Videtur bis idem dixisse. *Idem.*

Nec litora longe.] A facili, & deest *esse.* Idem.

24. *Fida.*] Propter Acestis affinitatem. *Idem.*

Fraterna Erycis.] Propter Erycem Butæ & Veneris filium: secundum alios, Neptuni & Veneris, regem Siciliæ, unum,

sicut

Si modo rite memor servata remetior astra.
Tum pius Æneas: Equidem sic poscere ventos
Jamdudum, & frustra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. an sit mihi gratior ulla,
Quove magis fessas optem dimittere navis,
Quam quæ Dardanium tellus mihi servat Acesten,

sicut dicitur, de numero Argonautarum. *Servius.*

Fida, fraterna.] *Fida*, propter Acestis Trojani affinitatem. *Fraterna*, propter Erycem, Veneris & Butæ filium, Æneæ μητρᾳδελφον. Nam *Eryx* ante Acesten tenuit Siciliam: à quo & mons nominatus, ubi templum *Veneri Erycinæ*, quod ab Ænea dicitur excitatum: cujus simulacrum Marcellus postea Romam transtulit. *Taubmannus.*

Sicanos.] Corripuit *Si*, alibi producit: ut *Sicanio prætenta sinu.* Servius.

25. *Rite memor servata remetior astra.*] Si rite remetior astra, paulo ante servata: scilicet ante tempestatem. Colligit autem vicinitatem ex ratione cursus, qui à peritis, horis colligitur, quas indicant astra. *Idem.*

Remetior.] Eleganter *Remetior* dixit ex disciplina Astrologorum, qui numeris, argumentis & instrumentis astra metiuntur. *Taubmannus.*

26. *Sic poscere v.*] Pro velle. lib. 9. Misc. 20. *Brodæus.*

27. *Jam dudum.*] Non tantum heroicum est, quod dant Æneæ gubernandi scientiam: sed etiam ad prooeconomiam pertinet. Dicturus enim est, *Et ipse ratem nocturnis rexit in undis.* Servius.

Frustra cerno te tendere contra.] Ad illud respondit, *Nec nos obniti contra, nec tendere tantum Sufficimus.* Idem.

28. *Flecte viam velis.*] Ex re mira nata declamatio. In terra enim à via deflectimus nos: in mari ipsam deflectimus viam. Non ergo velorum viam, sed per vela ipsius cursus viam dixit: *Flecte* autem significat *muta*, ut, Pacuvius, *Quæ meûm veniens flexit socium pectora*, & hic ad illud respondit, *Quoque vocat vertamus iter.* Idem.

Flecte viam velis.] Et *flectere iter*, usitatum Poëtæ, more Græcorum, qui κάμπτειν ὁδὸν, νῆσον, πόλιν· Orph. Argon. καὶ ἄθω δενδρώδεα κάμψαν, πελλήνην τ' εὐρεῖαν. *Germ.*

Flecte viam velis.] Obsequere ventis, & in viam, quæ datur, vela converte: vel, obliquatis velis contende in Siciliam. ita Cic. dixit, *viam flectere*: & *flectere promontorium*, id est, circuire, ut exponit J. Godscalcus. ita 7. Æn. vs. 8. dixit, *tendit iter velis.* Servius *flectere* interpretatur *mutare.* Taubm.

29. *Quove.*] Antiqua pleraque exemplaria cum Mediceo, *quove* legunt, particula disjunctiva, non *quoque*, quod nulla habent. *Pierius.*

Fessas navis.] Pro *nos fessos.* Vel *Fessas*, quassas, nec ad plenum refectas. *Servius.*

Dimittere.] Pro *immittere.* Idem.

30. *Dardanium Acesten.*] Ut & supra diximus, Hippotes filiam suam Egestam, ne ad cetos relegaretur, superposuit naviculæ, & misit, quo fors tulisset. Qua delata ad Siciliam, Crinisus fluvius concubuit cum ea, conversus in canem, unde Acestes natus est. Vel, ut, quibusdam videtur, Egestus: hujus rei ut esset indicium, nummum, effigie canis percussum, Siculi habuerunt. Alii dicunt Laomedontem, regem Trojanorum, cum graviter cives sui ab eo ceto, id est, bellua marina infestarentur, propterea quod mercedem Neptuno ob fabricatos muros negasset, ad templum Jovis Ammonis scitatum misisse de mali remedio vel fine, cui cum esset responsum, ut filiam suam Hesionam

Et patris Anchisæ gremio conplectitur ossa?
Hæc ubi dicta, petunt portus: & vela secundi
Intendunt zephyri. fertur cita gurgite classis:
Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.
At procul excelso miratus vertice montis

Ad-

sionam belluæ offerret; & hoc à civibus facere cogeretur, fore respondit, si ante eorum filias belluæ objecisset: quo facto cum plures puellæ à ceto absumptæ essent, plerique parentes filias in longinqua miserunt, ex quibus una Troja, nomine Ægesta * delata in Siciliа est; & Criniso, sicut dictum est, compressa, edidit Acesten. Alii dicunt Laomedontem, cum, sicut narratum est, propter filiam suam seditionem à civibus pertulisset, unum de Trojanis auctorem seditionis occidisse, filiasque ejus mercatoribus exponendas dedisse, à quibus illæ in Sicilia prope Crinisum amnem relictæ sunt, quarum ille una in canem conversus compressa * quidam dicunt Ægestam reversam in matrimonium à Capye ductam, ex quibus Anchisen natum. *Servius.*

Dardanium Acesten.] Videantur illa, 1. Æn.

—— *sunt & Siculis regionibus urbes*
Armaque Trojanoque à sanguine clarus
Acestes.

Legatur & Turn.l.26. c.17. ubi docet, in Maronis Poëmate multam antiquitatem latere sepultam: & Nomina etiam propria non Poëtico conficta esse arbitrio, sed ex re nata & historia: ut hic *Eryx*, *Acestes*, *Entellus*, *&c.* Taubmannus.

Servat.] Hic tenet: ut, *Tantas servabat filia sedes.* vel certe *servat*, habet. *Servius.*

31. *Gremio conplectitur ossa.*] Quasi de matre dixit, & quæritur cur hoc Palinurus, cum ad Siciliam suaderet, *divertere* non dixerit, nisi forte quod luctus Ænean noluerit admonere, propter quod ante Æneas causa mortis paternæ Siciliam oram inlætabilem dixerit. *Idem.*

Gremio conplectitur ossa.] Lucret. l. 1. *Morte obita quorum tellus conplectitur ossa*: & in Epigr. κόλποις ὀστέα ἀμφιβαλεῖν. *Germ.*

32. *Secundi zephyri.*] Quomodo, si tempestas est, sed post conversionem navigii secundi. *Servius.*

34. *Et tandem.*] Vacans particula est *Tandem*: ut, *Et quo sub cœlo tandem*: nam cur *tandem*, cum dicat, *Fertur cita gurgite classis*: aut *tandem*, ideo quia navigantibus etiam cita navigatio tarda videtur, aut tandem periculis liberati. *Idem.*

Læti.] Qui in tempore tempestate caruissent. *Idem.*

Notæ.] Notæ harenæ, ad notam harenam, & utrum *notæ*, dulci? an quia jam ibi fuerant? ut, *Vix è conspectu Siculæ telluris in altum.* Idem.

Arenæ.] Eleganter, pro litore. ita 1. Æn.

—— *hospitio prohibemur arenæ.*

&:

Potiuntur Troës arenæ.

Cerda.

Advertuntur arenæ.] Verbum navigantibus solemne. Sil. Ital. lib. 1. *Mox profugi ducente noto advertere coloni.* ad quem locum vide Dausquium. & eo major Trojanorum lætitia, quod pervenissent, tendentes ad litus, ad loca nota, ut hoc recte Donatus observavit. *Emmeness.*

35. *Excelso.*] Utrum ἄνωθεν, an *ex celso* pro *excelso.* Servius.

At procul excelso.] In veteribus quibusdam codicibus, *& procul* legitur: quod non ita placet: est & distinctis inde dictionibus præpositione & nomine *excelso.* Nonnulli tamen malunt una legendum. *Pierius.*

Miratus.] Is qui mirabatur: aut certe mi-

Adventum sociasque rates, occurrit Acestes,
Horridus in jaculis & pelle Libystidis ursæ:

Troïa

te miratus occurrit. Et bene temperato usus est verbo, ne videretur, aut quasi inhospitalis dolere, aut exultare voti nescius Trojanorum. *Servius.*

Vertice montis.] Juxta civitatem Drepanum: quæ Siciliæ pars cæteris montosior: quo appulisse Æneam, clare scribit Dionysius. *Taubm.*

36. *Adventum.*] Non est excipiendum risu, quod in antiquis aliquot codicibus *atventum* per *t* consonante prima scriptum inveniatur. Fuisse siquidem veterum morem nomen hoc ita scribere non inficiatur Victorinus: sed nos nunc per *d* scribere libentius volunt. *Pierius.*

37. *Horridus.*] Terribilis. *Servius.*

In jaculis.] In hastis. Ennius, *Levesque sequuntur in hastis.* Idem.

Horridus in jaculis & pelle.] Pellibus usi sunt heroës ad muniendum pectus, quod Feithius adstruit veterum testimoniis l. 4. antiq. Homer. c. 8. exquisitum genus loquendi, teste Cl. Grævio in lectionibus Hesiodeis in Scut. Herc. ℣. 231.

Ἐπὶ χλωρᾶ ἀδάμαντος βαίνων.

noster *in veste* l. 4. Æn. ℣. 518. sic Solinus *campus in floribus* pro campo floribus ornato & picto. consule etiam Scheffer. ad Phædr. l. 5. f. 9. *Emm.*

Et pelle.] Refert habitum paternum. erat enim natus ex fluvio: & fluvii pene nudi, sine ambitione vestium pinguntur. *Donatus.*

Libystidis ursæ.] Aut re vera ursæ; aut feræ Africanæ, id est, leonis aut pardi. *Servius.*

Libystidis.] Sunt qui *Libyssidis* per *ss* geminatum, non per *st* legere contendant. Quam lectionem ego nusquam in exemplaribus antiquis inveni: neque formam eam gentilis nominis, aut possessivi, aut patronymici, aut quavis alia velint ea nuncupatione appellitare, traditam à Grammaticis: quamvis id nomen in multas varietur formas. Primo enim *Libys* est proprium nomen, cujus genitivus *Libyos*, à quo *Libya*. Inde nomina deducta vel gentem, vel quid hujusmodi significantia hic & hæc *Libys* & hoc *Liby*, *Libycus ca*, *Libyssa sæ*: à quo *Libyssæus*. à genitivo vero *Libyos*, ex pleonasmo *Libystus*, *Libysticus*, *libystinus*, *Libystias*, & quod in frequentissimo est Latinorum, & Græcorum usu *Libystis*. Et quoniam apud Stephanum legitur, *Libyam* à *Liby* dictam, non importunum fuerit, quid alii quidam super hoc nomine senserint, apponere. *Libyam* ab eo dictam, quod inde *Libs* flat: putat Servius, & plerique alii. Varro vero nomen confictum putat, quod *Libya*, quasi λιποῦσα τοῦ ὕειν, dici crediderit: cui opinioni Sallustii etiam dictum adcommodant, *cælo, terraque penuria aquarum.* Eam tamen Isocrates à matre Busiridis ita vocatam dicit, ubi de nobilitate Busiridis his verbis loquitur,

Ὃς πατρὸς μὲν ἦν ποσειδῶνος, μητρὸς δὲ λιβύης, τῆς ἐπάφου, τοῦ διὸς φασὶ
Πρώτην γυναῖκα βασιλεύσασαν ὁμώνυμον αὐτῇ τὴν χώραν καταστῆσαι.

Fuit itaque Busiris patre Neptuno, matre Libye, quæ Epaphi filia fuit, qui Jovis. Eam autem, quum mulierum prima regnare adgressa esset, suo de nomine regioni nomen indidisse proditum est. *Pierius.*

Pelle Libystidis ursæ.] Hoc epithetum in 8. repetit, quod non otiose à Poëta scribitur, nam & Libya feris abundat, & inde pulcherrimæ solebant pelles adferri. hæc Turnebus, adducitque Hesychium, cujus hæc sunt. δέρμα Λιβυκὸν, ὡς κάλλιστον: *pellis Libyca quam optima.* Adde videri Virgilium contendisse ad Orphei exemplum, qui dixit,

Ἀλλ᾽ ἄρκτου λάσιον στέρνοις ἀμπίσχετο δέρμα.
Sed pectoribus inducit ursi pellem hispidam.

Quo exemplo efficitur, Virgilium de

ursa

Troïa Criniſo conceptum flumine mater
Quem genuit. verum non inmemor ille parentum
Gratatur reduces, & gaza lætus agreſti
Excipit, ac feſſos opibus ſolatur amicis.
Poſtera cum primo ſtellas Oriente fugarat

Clara

urſa vere capiendum, & id ſimplicius, & verius. Africani Urſi ſcriptoribus celebrati. Herodotus in Melpomene de Libya, quæ πρὸς τὴν ἠῶ. καὶ οἱ λέοντες κατὰ τούτους εἰσὶ, καὶ οἱ ἐλέφαντές τε, καὶ ἄρκτοι: *Et leones apud hos ſunt, & elephanti, & urſi.* Solinus cap. 29. *Numidici urſi forma cæteris præſtant, rabie duntaxat, & villis profundioribus* Juven.

Profuit ergo nihil miſero, quod cominus Urſos
Figebat Numidas.

Martial.

Quod freno Libyci domantur urſi.

Lipſius 2. Elect. cap. 4. Strabonem addit, qui ſic de Mauris: *pedites elephantum pellibus pro clypeis utuntur, leonum autem, pardalium, urſorum, induuntur, & indormiunt.* Hi omnes, ut vides, urſos proclamant in Africa naſci. Contra hos omnes Plinii pugnat auctoritas. Qui lib. 8. cap. 35. & 58. ait, urſos non gigni in Africa, miraturque, & ſtupet ad vocem hanc *urſos Numidicos.* multi Plinium explodunt. defendit Lipſius dicto loco, & vult probare, in Africa urſos non naſci, neque Virgilium de urſis capiendum. *Cerda.*

Libyſtidis urſæ.] In Africa urſos eſſe contra Lipſium defendit Salmaſius Plin. exerc. p. 311. 312. *Emmeneſſ.*

38. *Criniſo flumine.*] *Crimiſum* appellari hoc flumen non *Criniſum* vel *Crimniſum* eruit Cluverus antiq. Sic. l. 2. c. 2. ubi plura de nomine & ſitu hujus amnis. Germanum Pimp. quid moveat, cur hoc flumen ignotum putet, & legendum cenſeat κάρησον fluvium Trojanum, facile videt oculatus, quippe in Terra Trojana non extat. Eum conſule in paralipomenis. Ad flumina naſci geſtiebant heroës. vide, quæ notata l. 1. Æn. ℣ſ. 618.

Simoëntis ad undam. Emm.

39. *Non inmemor.*] Liptotes figura. *Servius.*

40. *Gratatur.*] Quidam *gratatur* non gratulatur, ſed lætatur accipiunt, ut quod ad Trojanorum votum pertinet doluerit * ad Siciliam reverſos, quod ad ſuum animum gaudeat. Pacuvius in Hermiona, hoc verbum poſuit: *Ibo, atque dicam frequentes ut eant gratatum hoſpiti.* Accius Pelopidis, *Nec tibi me in hac re gratari decet*, quidam tamen reprehendunt, quod penitus non dederit verba Aceſti gratulanti. *Idem.*

Reduces.] Salvos alibi, *Ut reduces illi ludunt.* Idem.

Gaza agreſti.] Opibus ruſticanis. Nam *gaza* omnis fructus eſt. *Idem.*

Agreſti.] Sunt epulæ, de quibus ait in Bucolicis: *Sunt nobis mitia poma, Caſtaneæ molles & preſſi copia lactis.* His addere poſſumus ova & herbas. *Donat.*

41. *Ac feſſos.*] Vetera aliquot exemplaria legunt, *& feſſos*: Sed magis placet *ac*: quia ſequellam quandam cum properatione ſubinnuit. Eſt & *amicos* legere in codicibus antiquis: ut ſit, *Feſſos amicos*: Sed amicis opibus, hoc eſt, caris, gratis, & optatis, longe magis placet. *Pierius.*

Amicis.] Aliquis hic amet, *amicos.* Cerda.

42. *Stellas fugarat.*] Poëtice dixit. Nam ſi *ſtellæ* ab ſtando dictæ ſunt, quia non fugantur. Semper enim fixæ ſunt præter planetas. Et eſt indicativus modus pro conjunctivo, cum fugaſſet tempeſtates. *Servius.*

Fugarat.] Pindarus Od. 1. Olymp. ſolem, ait, lucere ἐρήμας δι' αἰθέρος, *per deſertum ætherem*, nimirum fugatis reliquis ſideribus ſuo ſplendore. Eadem

Clara dies; ſocios in cœtum litore ab omni
Advocat Æneas, tumuliſque ex aggere fatur:
Dardanidæ magni, genus alto à ſanguine divûm,
Annuus exactis conpletur menſibus orbis,
Ex quo relliquias divinique oſſa parentis
Con-

dem ſententia locutus eſt Valer. Flac. lib. 3.

Tertia jam gelidas Tithonia ſolverat undas,
Exueratque polum.

Sic hic Maro ſtellas fugatas inducit ad diei claritatem. & 3.

Jamque rubeſcebat ſtellis Aurora fugatis.

Pari ſententia Horatius lib. 3. Od. 12.

Dum rediens fugata aſtra Phœbus.

Aliter explicat Leonicerus locum Pindari, ſed hanc eſſe, quam dixi, illius mentem, auctorem habeo Plutarchum, de Iſid. & Oſir. ubi ſic ait: *ἠπεὶ δ' ἡμέρας φῶς ἓν μὲν ἐστι, καὶ ἁπλοῦν, καὶ τὸν ἥλιον ὁ Πίνδαρος ὁρᾶσθαί φησιν ἐρήμας διὰ αἰθέρος*: *Quando diei lumen unum eſt & ſimplex, ac ſolem Pindarus conſpici ait per deſertum æthera.* Cerda.

43. *Clara dies.*] Ad comparationem. *Servius.*

44. *Advocat Æneas.*] Advocata enim proprie concio dicitur. *Idem.*

45. *Dardanidæ magni.*] Frequenter, ut diximus, ad opus ſuum Virgilius aliqua ex hiſtoria derivat. Nam ſic omnia inducit, quaſi divini honores ſolvantur Anchiſæ, quod conſtat Julio Cæſari tribuiſſe Auguſtum. Et bene dicit, *Genus alto à ſanguine divûm.* nam per tacitam œconomiam oſtendit debere Anchiſen generis ſui honorem mereri. Unde eſt, *Dîs genite & geniture deos.* Idem.

Dardanidæ magni.] Dum ſuos in alloquio laudat, ipſe illius præconii particeps eſt, & bene addit genitos à Diis, ut eos firmet. *Emmeneſſ.*

A ſanguine divûm.] *Divûm* & *deorum* indifferenter plerunque ponit poëta: quanquam ſit diſcretio, ut *deos* perpetuos dicimus: *divos* ex hominibus factos, quaſi qui diem obierint. Unde *divos* etiam imperatores vocamus. Sed Varro & Attejus contra ſentiunt, dicentes *divos* perpetuos: *deos*, qui propter ſui conſecrationem timentur, ut ſunt dii manes, quod tangit in duodecimo dicens, *Diva deam ſtagnis, quæ fluminibuſque ſonoris Præſidet.* Servius.

Divûm.] In codicibus aliquot antiquis, *à ſanguine Teucri* legitur: ſed enim magis placet *divûm*, ut perſuaſurus divinos honores celebrandos in honorem patris: idem ipſi ſibi ſperarent, qui genus à *dîs* ducerent. Et in antiquioribus codicibus dubio procul *divom* habetur. *Pierius.*

46. *Annuus orbis.*] Quia menſe ſin ſeſe recurrunt, & annum faciunt. Unde & *annulus* quaſi *annuus* dictus. Sic alibi, *Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.* Servius.

Annuus exact. conpl.] Alludere videtur Poëta ad ritus Græcorum, in Italiam quoque derivatos, circa honorationem parentum, quos lib. de leg. δ. exequitur Plato, edicens, non tantum viventibus parentibus meritos reddi honores, & ut prima & antiquiſſima nomina perſolvi, ſed & mortuis rite juſta rependi, & annuis libationibus eorum memoriam renovari: quas etiam in hunc diem pie imitari videmur anniverſariis ſacris, placamentis, & cenotaphiis. *Germ.*

47. *Divini.*] Aut laus eſt: ut, *Divini opus Alchimedontis.* Aut re vera *divini*; nam ait, *Genitor mihi talia namque, Nunc repeto, Anchiſes, fatorum arcana reliquit.* Multa enim antiqua lectio, Anchiſen futurorum ſcientem concelebrat. aut *Divini*, id eſt, dei, quia apud Romanos defunctorum parentes *Dei* à filiis vocabantur. *Servius.*

48. *Ma-*

Condidimus terra, mæstasque sacravimus aras.
Jamque dies (ni fallor) adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic di voluistis) habebo.
Hunc ego, Gætulis agerem si Syrtibus exsul,
Argolicove mari deprensus, & urbe Mycenæ;

Annua

48. *Mœstas aras.*] Aut ipsi mœsti, aut medium se præbet. Nam & hominem fuisse novit, & vult eum ex consecratione numen effectum. Nam *mœstas aras* ad hominem pertinet; id est, diis manibus consecratas. Et quod paulo post dicit, *Altaria linquit:* vult esse divinitatis post apotheosin, posteaquam deus confirmatus est. Unde est, *Et adytis:* quæ templorum sunt: & *Successit tumulo:* quod est hominis. *Idem.*

Mœstas aras.] Non omnibus exstruebantur aræ, sed viris tantum principibus, ut à posteris Deorum numero haberentur. Vide Guther. de Jure M. l. 2. c. 17. quædam dicta nobis Ecl. 5. ✠ſ. 65. inde religiones Deorum ortas esse docet Lactant. l. 1. c. 15. Tanquam à Deo ab Anchise poscit ventos ✠ſ. 59. *Emm.*

49. *Ni fallor.*] Non quasi nescius dixit: sed propter anni confusionem, quæ erat apud majores. Nam ante Cæsarem, qui nobis anni rationem composuit, quam hodieque servamus, intercalabantur dies: ut etiam in Verrinis legimus, scilicet Lunæ non congruente ratione. Annum autem primo Eudoxus: post Hipparchus: deinde Ptolomæus: ad ultimum Cæsar deprehendit. *Servius.*

Ni fallor.] In antiquis codicibus, *nisi fallor.* Sed monosyllabum venustius. *P.*

Acerbum.] Propter perditum patrem. *Servius.*

50. *Honoratum.*] Quia deus effectus est. *Idem.*

Sic dî voluistis.] Ut in tertio, *Visum superis.* Semper enim de diis salva veneratione conqueritur: Sane subaudiendum *extrinsecus.* Idem.

51. *Gætulis agerem si Syrtibus.*] Si in Getulis Syrtibus agerem, id est, essem. Et bene aut desertos, aut hostiles commemorat locos. Sane multis modis hoc loco ludos fieri debere dicit, à necessitate, *Hunc ego Getulis, &c.* ab opportunitate, *Nunc ultro ad cineres ipsius.* Ut & præmiis inviter, *Bina boum vobis Troja, &c.* deinde genera certaminum, *Quive pedum cursu valet, &c.* & orationem auspicato concludit, dicendo, *Ore favete omnes, & cingite tempora ramis.* Idem.

Exul.] Extra solum suum. *Idem.*

Gætulis agerem si Syrtibus exul.] *Gætulus* cum *æ* diphthongo prima syllaba scribi dictum. Est vero & *exsul* tam ex aliquot codicibus, quam ex antiquorum marmorum testimonio, ac veterum Grammaticorum præceptis, per *x* & *s* scribendum: idque non eo abusu quo *maxsumus*, *auxsilium*, *Alexsander*, & hujusmodi pleraque in veterum monumentis notata superius memoravimus. Sed quia Terentii Scauri, Capri, & quorundam veterum Grammaticorum præceptum est *exsul* cum littera *s* post *x* scribendum, ut scilicet nominis quod insertum est, vis appareat. Siquidem *exsul* extra solum esse significat. Quod vero, intermitti cœperit, & in hac dictione, & in aliis nonnullis, inde factum: quia Thusci natura linguæ suæ *s* literam raro exprimerent. Apud *Latium* vero unde *Latinitas* dicta, & ubi orta, & major populus, & magis egregiis artibus pollens, Capri ipsius testimonio, fuere Thusci: quos nos plurimum sumus imitati. *Pierius.*

52. *Argolicove mari.*] Ionio & Adriatico. *Servius.*

Deprensus.] Occupatus, & proprie navigantium est: ut *Deprensis olim statio tutissima nautis.* Idem.

Urbe Mycenæ.] Græce dixit. Unde singularem numerum posuit. *Mycenæ* autem sicut *Thebæ.* Juvenalis, *Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.* Ut

Annua vota tamen sollemnisque ordine pompas
Exsequerer; struerem que suis altaria donis.
55 Nunc ultro ad cineres ipsius & ossa parentis,
Haud equidem sine mente, reor, sine numine divûm
Adsumus, & portus delati intramus amicos.

Ergo

sit *Mycene Mycenes:* ut *Agave Agaves.* Potest exinde Latinam fecisse declinationem: numerum posuit pro numero, *Mycenæ* autem, *Mycena*, *hujus Mycenæ:* ut *Fidena*, & est Periphrasis *Urbe Mycenæ*, id est, Mycenis: ut, *Urbem Patavi.* Servius.

Mycenæ.] In codicibus aliquot antiquis *Mycenæ* cum diphthongo, in aliquot *Mycena* legitur. Sed sive *Mycene* legendum velint, ut apud Juvenalem *vetus Thebe*, sive declinationem mutatam, ut Grammatici tradunt, ut in erudito quodam carmine, *Mycena ditis*, aliorum sit judicium. Nam Priscianus inveniri quædam ait singulariter prolata, idem significantia. Virgilius quinto, *Argolicove mari deprensus & urbe Mycena.* Mihi sane mirifice placet: quod in Romano codice legi *Mycenis*, figura elocutionis admodum eleganti. Erant & alii codices: in quibus *Mycenis* legebatur numero multitudinis: sed imperitorum hominum injuria contaminati sunt, ultima abrasa syllaba. *Pierius.*

53. *Annua vota tamen sollemnisque.*] Hæc quasi numini. Et *vota* nove funebre sacrificium dixit, id est, ludos funebres, cum *vota* rerum secundarum sint. *Servius.*

Annua vota tamen, &c.] Sic. Stat. Thebaid. l. 1.

Semper honoratam dimensis orbibus anni
Te colet ista domus.

ubi anniversarium sacrum pollicetur. *Solemnis pompas* interpretatur Sanctius Min. p. 453. præcellentes, nam *Solemne* significat, inquit, præcipuum, integrum, singulare & eximium. & *Sollemnis* scribendum arbitratur. *Emmeness.*

Pompas exsequerer.] Signatæ voces, nam & *pompa* ad funera pertinuit, & *exsequiæ* mortuorum sunt. Itaque verbo ipso exsequias signat. Sicut & Terentius Andria, *funus portatur, nos sequimur.* Poëtæ vulgares, nisi clare dicant *exsequias*, non sibi satisfaciunt. Disce à Virgilio & Terentio. ille *exsequerer.* hic *sequimur.* Redeo. Isidorus lib. 11. *Exsequiæ, cadaver dum portatur, imo ipsa pompa & comitatus sequentium cadaver.* Varro dixit *exsequiaria.* Cerda.

54. *Suis donis.*] Congruis, aut certe debitis. Sunt enim tantum superorum: *munera* sunt inferorum: ut in Bucolicis, *Phœbo sua semper apud me Munera sunt lauri, & suave rubens hyacinthus.* Paris autem altari quæ superorum deorum sunt, & hoc ideo, quia Anchises jam deus est. *Servius.*

55. *Nunc ultro.*] Argumentum à minore ad majus. *Ultro* autem, aut *ultra*, id est, insuper, hoc est amplius numina præstiterunt. aut *ultro*, id est, sponte sua, non optantibus, vel volentibus nobis. Vult enim ob hoc tempestatem ortam, non ut ab Italia depellerentur, sed ut sacra renovarentur Anchisæ. *Idem.*

56. *Sine numine divûm.*] Sine voluntate & sine auctoritate. *Idem.*

Haud equidem sine mente, reor, sine numine divûm.] Non vulgaris prudentiæ specimen, quo, quæ obesse videbantur, saluti esse docet, & evenire Deorum voluntate, quorum benevolentia concederetur, justa solvi posse paternis manibus. vide Frontinum de Stratag. l. 1. c. 12. de dissolvendo metu, quo milites ex adversis ominibus conciderunt, & Poliænus l. 5. de Timoleonte. Curt. l. 4. c. 10. *Emmeness.*

57. *Intramus.*] Pro *intravimus*. Serv.

58. *Et*

Ergo agite, & lætum cuncti celebremus honorem:
Poſcamus ventos, atque hæc me ſacra quotannis
Urbe velint poſita templis ſibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troja generatus Aceſtes
Dat numero capita in navis. adhibete Penatis
Et patrios epulis, & quos colit hoſpes Aceſtes.
Præterea, ſi nona diem mortalibus almum

Aurora

58. *Et lætum cuncti.*] In antiquis codicibus tranſpoſitis dictionibus, *& lætum cuncti*, habetur. in aliquibus, *& cuncti lætum.* Pierius.

Celebremus honorem.] Quomodo *lætum honorem*? an pro *nos læti*? & *honorem* dixit, non exſequias. Nam & ventos quaſi à numine vult petere. Et eum deum ubique memorat cum in ſubſequentibus etiam vino libarit, aut quod mortuis non licebat. *Servius.*

59. *Poſcamus ventos.*] Utrum tum, id eſt, tum deinde petamus ventos, & utrum à diis, an ab Anchiſe, quem deum per templa commemorat. *Idem.*

Me ſacra quotannis.] In antiquis aliquot codicibus, *mea ſacra* legitur: à me ſcilicet inſtituta. Sed quia ſubſequitur *Ferre*, magis placet *me ferre*. Eſt & *quot annis* diſtinctis dictionibus, ut in veterum monumentis *centeni, quinquageni, quot annis darentur.* & alia hujuſmodi. *Pierius.*

Sacra.] Alii l. *me*. Senſus eſt: Poſcamus hoc etiam, ut patiatur in urbe conſtituta id genus Sacri quotannis ſibi fieri: ut ſcilicet cultus pro Numine, divinos honores boni conſulat. Facit autem Æneas patri ſuo hic apotheoſin more Romano: itaque & Lectiſternium addit,

—— adhibete penates
Et patrios epulis ——

In Capitolio enim ſtratis tribus lectis convivium parabatur Jovi, Junoni & Minervæ. Et quia ſimulacra veſci non poterant, adhibebantur epulones alii. De quibus Livius l. 5. & 7. & 42. Unde apud eundem, *Ad omnia lectiſternia ſupplicare*, eſt ſupplicare ad omnia templa: ut explicat Turneb. l. 30. c. 32. Sed & *Novendiale ſacrum* adhibet: item *Ludos funebres*: in his & more Romano *naumachiam*: ut docet Turn. l. 26. c. 17. *Taubmannus.*

60. *Poſita.*] Conſtituta: ut, *Et poſuere in montibus urbem Pallantis proavi de nomine Pallanteum.* Dicit autem, Petamus etiam hoc, ut velit nos ſibi ſacra perſolvere. & bene *ſacra* tanquam de deo, & *urbe poſita*, hoc eſt, non quaſi exules & vagi. *Servius.*

61. *Bina boum capita.*] Pro *binis bobus*. De quo loquendi genere conſulendus Bochartus hiſt. Animal. l. 2. c. 34. ubi quid ſit *vituli caput* ex Sacro codice & profanis ſcriptoribus exſerit. *Emm.*

62. *In navis.*] Per *naveis*. *In* enim multa ſignificat, ut diximus ſupra. *Servius.*

Dat capita bina in navis.] Duos boves per naves ſingulas. Plaut. Aul. act. 1. 2. *Dividit argenti nummos in viros*, id eſt, viritim, κατ' ἄνδρα. *Taubm.*

63. *Quos colit hoſpes Aceſtes.*] Non ait Siculos, ſed quos Aceſtes incolit. *Servius.*

64. *Si nona diem mortalibus almum.*] Aut pro confirmativa poſita eſt, ut, *Veſtro ſi munere tellus*, ut ſit *ſi*, pro *cum*, id eſt, cum venerit, aut *Si* pro dubitativa eſt. ut accipiamus *almum*, ſerenum, id eſt, Si dederit diem ſerenum, & talem, qualis ludis aptus eſt. Ergo non de die, qui certus eſt, dubitat: ſed de ſerenitate. Unde paulo poſt, *Serena jam luce.* Et ſciendum: quia apud majores, ubi quis fuiſſet extinctus, ad domum ſuam referebatur. Unde eſt, *Sedibus hunc refer ante ſuis, & conde ſepulchro,*

65 Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina classis.
Quique pedum cursu valet, & qui viribus audax,

Aut

pulchro, & illic septem erat diebus, octavo incendebatur, nono sepeliebatur. Unde Horatius, *Novemdiales dissipare pulveres.* Unde etiam ludi, qui in honorem mortuorum celebrabantur, *novendiales*, dicuntur. Sciendum quia etiam domi suæ sepeliebantur: unde orta est consuetudo, ut dii penates colantur in domibus. Nonnulli tamen *Si*, pro *quando* accipiunt. *Servius.*

Nona diem] Præscripsit tempus ludorum, si tantum aëris temperies esset: & id ipsum nec nimis propinquum, ut posset præparari celebritas: nec nimis longinquum, ne haberet diutinæ expectationis tædium. *Donatus.*

Nona diem.] Mortuis, ritu Romano, non ante diem nonum parentabatur. Tunc iis justa, ludi, epulæ, inscriptio, & funeri finis. Et ab ea mente Justinianus in Novella quadam scribit; *in nonum diem fieri μνήμας defunctorum.* Glossæ, *Novemdialia*, ἔννατα, ἐπὶ νεκρῷ ἀγόμενα. Nam apud majores ubicunque quis fuisset exstinctus, potentiorum inprimis, ad domum suam referebatur. unde 6. Æn. ✈︎. 152.

Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulcro.

(quanquam hic versus non quadrare videtur Nascimbænio) atque illic septem reservabatur dies: octavo cremabatur: nono reliquiæ sepeliebantur. unde & Horat. Epod. 17.

Nec in sepulcris pauperum
Novendiales dissipare pulveres.

Nam & ludi, qui in honorem mortuorum celebrabantur, *Novendiales* dicebantur. Et quia prius in domo sua quisque sepeliebantur: factum est, ut dii penates in domibus colerentur. Videatur Servius, Lipsius ad lib. 6. Tacit. Turneb. l. 24. c. 27. & Meursius Exercit. Crit. part. 2. c. 20. & Des. Heraldi Advers. lib. 1. c. 6. *Taubm.*

Si.] Hac particula non hic notari conditionem, sed tempus, Ant. Muret. admonet in Catull. ut in 6.

—— *si lumina vitæ*
Attigerint.

& Catullus ipse:

Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia. Cerda.

Si nona diem.] *Si* pro *postquam* usurpari aliquando docet Donat. ad Ter. Phorm. 1. 2. 69.

Non, si redisset pater, veniam daret. Horat. l. 1. Epist. 7. temporis est particula: *Quod si bruma niveis Albanis illinet agris.* an cadaver asservatum sit septem dies in dubium vocat Kirchmannus l. 2. c. 1. contra Servium: nullum enim præfinitum fuisse certum tempus conjicit. & Acronis sententiam profert Torr. ad Hor. Epod. od. 17. vs. 48. *Emm.*

Almum.] Tranquillum debemus accipere. Edixit autem ludos non impudicos, ut Mimi sunt, sed fortes & quibus virtutes in homine accenduntur. *Donatus.*

66. *Prima.*] Revera *prima.* Nam cætera non eo, quo dicit, editurus est ordine. Ergo ἀνακόλουθον. *Servius.*

Ponam certamina classis.] Vide quæ ad locum supra Georg. 2. *Velocis jaculi certamina ponit in ulmo.* Germ.

Ponam certamina.] Ita & Græci dicunt ἆθλα τιθέναι, & νικητήρια: unde & ἀγωνοθέται & ἀθλοθέται certaminum designatores, βραβευταί, qui præmia certaminis statuunt. Sed videatur P. Faber Agonist. lib. 1. c. 18. ubi Agonothetas eosdem cum athlothetis esse docet, contra omnes. *Taubm.*

67. *Quique pedum.*] Id est, hinc, vel inde. *Servius.*

Viribus audax.] Hoc ad omnia pertinet. Et potest non subdistingui, quamvis quidam luctationem accipiant, quod non reddidit. *Idem.*

68. *Aut*

Aut jaculo incedit melior, levibusque sagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu:
Cuncti adsint, meritæque exspectent præmia palmæ.
Ore favete omnes, & cingite tempora ramis.

Sic

68. *Aut jaculo incedit melior, levibusque sagittis.*] Id est, jactu velocium sagittarum: ut vacet *Ve*. Sic ista junxit in nono, *Insidiis, jaculo & longe fallente sagitta*. Id est, jaculo longe fallentis sagittæ. Nam non exhibuit jaculatores. Aut notandum quod jaculatores promisit, nec exhibuit. *Idem.*

Melior.] Comparativum pro absoluto, sed in usu jam, & pro absolutis accipiuntur. *Idem.*

Levibusque.] In Antiq. *levibusque*: atque id expositive positum. in quibusdam *levibusve*. Pierius.

69. *Crudo cæstu.*] Aut crudeli, aut duro. Ut sit simpliciter dictum, quod ex corio duro sint cæstus, aut per diphthongon, pugilum arma significat. habet etiam pluralem numerum, & est quartæ formæ. Nam *cestus cesti* numeri tantum singularis, sine diphthongo, balteum Veneris significat. *Servius.*

Crudo fidit pugnam.] In antiquis aliquot codicibus transpositis verbis legitur, *seu pugnam crudo fidit*. quod in medio relinquimus eorum, qui arcanam hanc musicam adamant, judicio perpendendum: ita etiam quod subsequitur transpositis tantum dictionibus variatum. *Pierius.*

Seu crudo fid. pug. comm. cæstu.] Apollon. ἱμάντας ὠμοὺς πυγμῆς vocat: Græci autem μάχην συνάπτειν, ut hic *pugnam committere*. Germ.

70. *Meritæ.*] Præmonet quod recto judicio attribuetur palma. *Donatus.*

Spectet.] Vel videat, vel speret. *Idem.*

Præmia palmæ.] Id est, virtutis: à præcedenti, id quod sequitur. *Servius.*

Palmæ.] Id est, victoriæ. noster l. 3. G. ꝟs. 49.

Olympiacæ miratus præmia palmæ.

Cur potissimum victores hujus arboris fronde coronati fuerint tradit Gell. l. 3. c. 6. & Paschal. de Coron. c. 6. c. 21. *exspectent* interpretatur Donatus, vel *sperent* vel *videant*. Sunt qui legunt *emeritæ*, ut apud Stat. l. 1. *Sol emeritus* qui cursum absolvit, & passim *Emeritus* qui stipendia implevit. *Emm.*

71. *Ore favete omnes.*] Apto sermone usus est, & sacrificio & ludis. Nam in sacris taciturnitas necessaria est, quod etiam præco magistratu sacrificante dicebat, *favete linguis*, *favete vocibus*, hoc est, bona omina habete, aut tacete: In ludis quoque necessarius favor est, quem propter plausum futuris spectatoribus dicit. Favet autem ore quis per taciturnitatem. Horatius posuit, *Favete linguis carmina non prius audita musarum Sacerdos*. Servius.

Ore favete.] In sacris hoc significat indicere silentium. Hic vero admonet, ut lætis clamoribus favorem accommodent. *Donatus.*

Ore favete omnes.] Id est, Precamini, & clara voce navigationem secundam, & locum in regione pacata urbis condendæ orate. Hoc enim vult hic Æneas. *Vel sic*: Faustis ominibus lætisque acclamationibus favorem commodate. Nam *favere linguis*, sive *ore*, est, etiam bona verba dicere, & profanis ac male ominatis parcere. Græcis εὐφημεῖν: ut contra, δυσφημεῖν. Vnde & Festus *Faventiam* exponit *bonam ominationem*. quod *Favere* sit (ut addit) *bona fari*. Ovidius lib. 3. Trist. 23.

Concipiamque bonas ore favente preces.

Horat. 3. Oda 1. non imperat silentium illo: *Favete linguis*: sed quæ ipse ad institutionem juventutis facere arbitraretur, eadem ipsi & meliora deos rogent, & bene precantur, admonet. Statius 2. Silvar.

Lucanum canimus: favete linguis.
Vestra est ista dies, favete Musæ.

 Non

Sic fatus, velat materna tempora myrto.
Hoc Helymus facit, hoc ævi maturus Acestes,

Hoc

Non enim Musas invitat, ut ipsum audiant: quod temerarii esset: sed ad opem ferendam, & prope ad dictandum. Juvenal. Sat. 12. Martial. l. 10, 87. Ovid. 1. Fast. *Prospera lux, &c.* ut ambitiosissime docuit, post Brissonium in Form. Jos. Castalio Observat. Decade 2. cap. 10. Etiam Germ. Val. Pimpontius monuit, ista formula, *Favere linguis*, non merum perpetuumque silentium indici, sed tempestivum: ut scil. in tempore sileretur, & pro tempore rite præfanti sacrifico, à choro populoque responderetur, & fauste acclamaretur. Planum ex illo Ovidii xv. Metam.

En deus est, deus est: animis linguisque favetis:
Quisquis adest, visum venerantur numen, & omnes
Verba sacerdotis referunt geminata, piumque
Æneadæ præstant & mente & voce favorem.

Locum quem contra obtendunt è Seneca de vita b. c. 27. perperam explicari docet Castalio: cum inibi non silentium, sed vocalis precatio imperetur. Ita *gallum* Ennii, apud Cic. 2. De Divin. *favere fautibus*: id est, Cantu favorem suum præstare, &c. *Taubm.*

Cingite tempora ramis.] Ex Romano more. Nam festis ludis omnis ætas coronata spectabat, quod ostendit per Æneam, Acestem, Ascanium: per quos omnem demonstrat ætatem. *Servius.*

Cingite tempora.] Quod in Romano codice, & aliquot aliis ita habetur, *& tempora cingite ramis.* nempe ad similium syllabarum concursum evitandum *te*, *tem*, & *ra*, *ra*. Verum hujusmodi syllabarum homophoniæ plerunque de industria fiunt à Poëtis, ut eo loco, *Et nos fas extera quærere regna*: de quo superiore libro dictum. *Pierius.*

Cingite tempora ramis.] Ex more sacrorum, quo, qui ea peragerent, coronabantur. Tertull. de corona militis: *Ipsæ denique fores, ipsæ hostiæ, & aræ, ipsi ministri, & sacerdotes eorum coronantur.* Serv. in hunc locum: *Ex Romano more. Nam festis ludis omnis ætas coronata spectabat.* Phrasis ipsa, *cingite tempora*, est in Horatio & Tibullo. Prior lib. 1. Od. 7.

Tempora populea fertur cinxisse corona.

Posterior lib. 2. eleg. 1.

—— Et spicis tempora cinge Ceres.

Nester quoque 1. Georg.

—— cingens materna tempora myrto.

Cerda.

72. *Materna myrto.*] Vel quasi filius, vel quasi Veneris sacrificaturus marito. Et quia dixerit *ramis* superius, ipse reddidit, cum dicit *myrto.* Unde autem myrtus Veneri dicata est? Fabula autem talis est, Myrrha Cinyræ filia cum adamasset patrem, & ejus se stupro nocturnis horis captata ebrietate paterna subjecisset, gravidaque eadem esset facta, prodito incesto, cum patrem insequentem se stricto gladio fugeret, in arborem versa est: quæ cum infantem, quem intra uterum habuerat, etiam in cortice retineret, percussa, ut quidam volunt à patris gladio, ut quidam ab apro, parvulum edidit. quem educatum Nymphæ Adonem appellaverunt; hunc Venus vehementissime dilexit, & cum ira Martis ab apro esset occisus, sanguinem ejus vertit in florem, qui nunquam vento decuti dicitur: Arborem quoque myrtum, ex qua puer natus fuerat, tutelæ suæ adscripsit: quamvis alii dicant ideo myrtum Veneri dicatam, quia cum à mari exisset, ne nuda conspiceretur, conlatuit in myrto, vel quia fragilis est arbor ipsa, ut amor inconstans, vel quia jucundi odoris, ut, *Sic positæ quoniam suaveis miscetis odores.* Eclog. 2. *Serv.*

73. *Hoc Helymus facit.*] Princeps Trojanorum, qui dicitur in Sicilia condidisse

Hoc puer Ascanius: sequitur quos cetera pubes.
Ille è concilio multis cum milibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho,
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro,
Pur-

didisse civitates Ascam, Entellam, Segestam. Alii dicunt eum post incensum Ilium, cum Aceste in Siciliam venisse, eique participem fuisse. Alii Anchisæ nothum filium tradunt habuisse Helymum regem in Sicilia genitum, Erycis fratrem fuisse dicunt. * *Idem.*

Hoc Helymus.] Acestes & Ascanius. quia omni ætati congruebat. *Donatus.*

Hoc Helymus, &c.] Omni ætati congruebat, nec erat indignum viris ætate conspicuis, nec ignominiæ verti poterat, Ascanium senum vestigiis insistere. Acestes *maturus ævi* dicitur, qui annis ferme confectus est, ut apud Horat. de art. poët. ℣s. 115. *maturus senex.* Justin. l. 1. c. 2. *inmaturus filius*, qui necdum ea ætate est, ut imperium tractare posset. Maturæ senectuti opponit Turn. l. 22. c. 11. & 18. *viridem.* De constructione consule Vechnerum lib. 1. Hellenol. c. 2. qui, præter alia, hoc ex nostro habet l. 9. ℣s. 246.

Hic annis gravis, atque animi maturus
Alethes.

pro eo Ovid. l. 8. Metam. ℣s. 616.

Ante omnesque Lelex, animo maturus
& ævo.

sic apud Græcos πέπειρος pro sene & πέπειρα pro anu. Et *Helymi* & *Acestæ* meminit Sil. Ital. l. 14.

Miscuerunt Phrygiam prolem Trojanus
Acestes,
Trojanusque Helymus.

Emmeness.

Ævi maturus.] Honestius, quam si *ævo maturo* diceret, vel certe, *ævi maturi.* Servius.

74. *Sequitur.*] Imitatur, ut, *Victriciaque arma sequutus.* Servius.

Cetera pubes.] Pro flore juventutis vel potius adolescentia. l. 1. G. ℣s. 345.

Pubes agrestis.

l. 1. Æn. ℣s. 403.

Haud aliter puppesque tuæ pubesque
tuorum.

Cic. pro Mil. c. 23. *omnem Italiæ pubem commiserat.* Emm.

77. *Rite.*] Secundum ritum sacrificii, quod exigebat, ut libaret de mero aut Baccho, id est, puro. *Servius.*

Carchesia.] Genus poculorum est. Dicitur autem & summitas mali, per quam funes trajiciunt. *Idem.*

Carchesia.] Genus poculi hoc loco. Ovid. 7. Met. ℣s. 246.

Tum super invergens liquidi Carchesia
Bacchi.
Æneaque invergens tepidi Carchesia
lactis.

vide ℣s. 380. l. 4. G. De usu sanguinis in libationibus Feith ant. Hom. l. 1. c. 2. Recte in mensam. consule Lipsium ant. lect. c. 3. defendentem illic Maronem nostrum contra Macrobium. *Emm.*

Hic duo rite, &c.] Inferias *fundi* & *mitti* significat, quas ideo Græci χοὰς appellant. Fundere autem Diis Manibus placamina solebant vinum meracum, mel, lac, aquam, sanguinem, aliaque ejusdem generis; ut notat Turneb. l. 14. c. 4. *Taubm.*

78. *Humi.*] Terræ. *Servius.*

Lacte novo.] Aut statim emulcto: aut post fœtum, quod *colostrum* dicitur neutro genere. Umbræ autem sanguine & lacte satiantur, unde fœminæ, quæ mortuos persequuntur, ubera tundunt, ut lac exprimant. Cuncti autem se lacerant, ut sanguinem effundant. *Id.*

Sanguine sacro.] Victimarum: ut diximus supra. Et notandum, quia partim quasi mortuo pari numero sacrificat: partim impari, quasi deo: ut, *Cædit quinas de more bidentes.* Nam legimus, *Numero deus impare gaudet.* Id.

79. *Pur-*

Purpureosque jacit flores, ac talia fatur:
Salve, sancte parens: iterum salvete recepti
Nequicquam cineres, animæque umbræque paternæ.
Non licuit finis Italos fataliaque arva,
Nec tecum Ausonium, quicumq; est, quærere Thybrim.
Dixerat hæc: adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem

79. *Purpureosque jacit flores.*] Ad sanguinis imitationem, in quo est sedes animæ. Sic in sexto, *Purpureos spargam flores.* Item, *Purpureasque super vestes velamina nota.* scilicet, ut sedis suæ cognoscat imitationem. *Servius.*

80. *Salve, sancte parens.*] *Salve & Vale* secundum Varronem in logistoricis synonyma sunt. Unde his & in salutatione utimur, & in execrationibus: ut, *Valeant qui inter nos dissidium volunt.* Unde etiam hæc mortuis dicimus: non quod eis optemus salutem, in quibus nulla esse potest: sed ut significemus nos sic digredi, ut ostendamus eos nunquam in nostram communionem esse venturos. Et hoc verbum *Salve*, apud auctores bonos ter enunciatum invenitur, *Salve Salve resalve ter.* Idem.

Sancte.] Ut significet inter deos receptum: nam in secundo libro, quia vivus erat, & ab eo minime divelli volebat, non *sancte* dixit, sed *chare.* D.

Iterum.] Pro *secundo*, hic distinguendum: nam quo tempore sepeliit eum, dixit sine dubio *salve & vale.* Servius.

Iterum.] Nam primo salutaverat, cum sepeliit. *Donatus.*

Recepti Nequicquam cineres.] *Cineres* pro ipso patre posuit, ac si diceret, salve pater de Trojæ periculis liberate. *Nequicquam* autem sine causa, propter quod sequitur, *Non licuit fines Italos fataliaque arva.* Alii ad historiam supradictam referunt distinctione mutata, ut dicant, Recepti iterum cineres, semel ex Troja, semel à Diomede: qui dicitur ossa ejus eruta cum Palladio rededisse Æneæ. *Nequicquam* autem secundum Epicureos, qui dicunt omnia perire cum corpore. *Servius.*

81. *Animæque, umbræque paternæ.*] Vocativus pluralis est. Nam Plato, & Aristoteles & omnes periti dicunt in homine quatuor esse animas: Unam *intellectualem*, per quam & cogitare, & & judicare possumus. Alteram esse *sensualem*: ut in mutis animalibus, in quibus est sensus & timoris & gaudii. Esse etiam *vitalem*, ut in vermibus, qui tantum moventur. Esse etiam quartam infra omnes, quæ physice vocatur *naturalitas*: ut est in herbis & in arboribus, quæ etiam motu carent, vitam tamen habent. Nam & nascuntur, & crescunt, & pereunt. Inde est, *Atque interfice messes.* His rebus colligitur hominem harum omnium animarum esse participem. Unde & Salustius ait, *Alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est.* De umbris autem facilis est probatio. Nam si quatuor sunt animæ, sequitur ut tot sint umbræ: ut si quis inter duas stet lucernas, geminam umbram creat. Hoc autem de animis etiam Lucretius asserit: sed non tantum veritati studet, quam sectæ Epicureæ. Alii ista fugientes, dicunt *animæ* & *umbræ* genitivum esse singularem: ut sit, *cineres umbræ & animæ paternæ,* quod non valde probandum est. Nec enim umbra, aut anima cineres habet. *Idem.*

Animæ umbræque.] Casus genitivus est in singulari. *Donatus.*

82. *Non licuit.*] Propter quod in Tertio dixit: *Heu tantis nequicquam erepte periclis.* Idem.

83. *Quicumque est.*] Aut quia adhuc eum nusquam vidit, aut tædio longæ navigationis hoc dicit. *Servius.*

84. *Adytis ab imis.*] Ecce, sicut dictum

Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit,
Amplexus placide tumulum, labſuſque per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverſo ſole colores.
Obſtupuit viſu Æneas. ille agmine longo
Tandem inter pateras, & levia pocula ſerpens,
Libavitque dapes, rurſuſque innoxius imo

Suc-

ctum eſt, ubi tanquam de deo loquitur; templorum enim & deorum *adyta* dicimus. *Idem.*

Lubricus anguis.] Labilis. alias locum dicit: ut, *Per lubrica ſurgens.* Alii hoc ſecundum Platonem dictum volunt, qui ait animas per ſeptem circulos ad corpora penetrare. *Idem.*

85. *Septem ingens gyros.*] Loci genium per magnitudinem vult probare. Nullus enim ſine genio locus eſt: qui per anguem plerunque oſtenditur. Perſius, *Pinge duos angues: pueri (ſacer eſt locus) extra Mejite.* Sane hunc locum de Homero ſumpſit, qui inducit Græcos apud Aulidem omen futuri decennalis belli ex ſerpente collegiſſe: qui etiam matrem conſumpſit novem pullis comeſis. Ita ergo nunc etiam Æneæ omen ſui erroris oſtenditur ſeptem gyris. Nam ſeptimus ei annus eſt finis erroris: & eſt optimum figmentum. Annus enim ſecundum Ægyptios indicabatur ante inventas literas picto dracone, caudam ſuam mordente: quia in ſe recurrit. *Idem.*

Gyros.] Nomen legimus: verbum exinde non invenimus. *Idem.*

86. *Amplexus placide tumulum.*] Hoc eſt molliter, quiete repens, nec dixit *corripuit* ſed *amplexus* eſt. *Idem.*

87. *Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro, &c.*] *Cæruleæ notæ, & auro maculoſus fulgor*, hoc eſt, pro *auri fulgor.* Idem.

88. *Incendebat.*] Id eſt, illuſtrabat. *Idem.*

Arcus mille trahens, &c.] Lucret. lib. 6. *Hinc ubi ſol radiis tempeſtatem inter opacam Adverſa fulſit nimborum aſpergine contra, Tum color in nigris exiſtit nubibus arqui.* Germanus.

90. *Agmine longo tandem.*] Poſt illos gyros tandem longo repere cœpit *Agmine*, id eſt, impetu, tractu. *Servius.*

Agmine.] Dixit *agmen*, quo naturaliter impellitur ſerpens. Pulchritudo & innocentia ſerpentis, rem cæleſtem & non noxium animal, ſignificat. propter quod magis honores reſtauravit. *Donatus.*

91. *Serpens.*] Participium eſt, non nomen: ac ſi diceret *repens.* Servius.

92. *Libavitque dapes.*] Leviter guſtavit epulas ſuperpoſitas, quæ *ſilicernium* vocantur, quaſi *ſilicenium*, ſuper ſilicem poſitum. *Idem.*

Libavitque dapes.] Notat Turnebus in eum Horatii locum, *vernaſque procaces Paſco libatis dapibus*, hoc ad antiquorum pietatem referendum: qui partem cœnæ Lari, Diiſque donabant, & in focum mittebant Lari ſacrum: quod *dapes libare* fuiſſe aſſerit. Cui etiam ſententiæ videtur adſtipulari locus Virg. lib. 3. *Solennes tum forte dapes, & triſtia dona Libabat cineri Andromache.* Huic quoque loco non omnino repugnat hæc interpretatio, quod quodammodo ſerpens genius famuluſve Anchiſæ libarit dapes, ac veluti Diis manibus ſacrarit: niſi malis ſimpliciter accipere, pro eo, quod eſt, leviter deguſtavit, ut ſupra: *Oſcula libavit natæ*: ut reſpondeat ſequenti verſui, *Depaſta altaria liquit*: & verſibus his lib. 1. *Laticum libavit honorem:*

norem:

Successit tumulo, & depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet: cædit quinas de more bidentis,
Totque sues, totidem nigrantis terga juvencos:

Vina-

norem: *Primaque libato summo tenus attigit ore.* Germ.

Libavitque dapes.] Hæc cœna funebris vocabatur Silicernium, de quo Guther. de jure Man. l. c. 26. cujus vocis originem tradit Kirchmann. de Fun. Rom. l. 4. c. 4. *innoxius* active sumendum, ut apud Phæd. l. 2. fab. 2. *innoxius viator* qui nemini nocet. *Emm.*

Rursus.] Quia inimicorum manibus fuerant effossi, & iterum sua opera conditi: quod beneficium, cum non senserit mortuus dixit: *nequicquam*, & bene ex persona filii, qui vivo quam mortuo beneficium præstare maluisset. *Donatus.*

93. *Depasta altaria.*] *Altaria* species ararum, *depasta* autem, non à se: Nam supra ait, *Libavitque dapes.* Sed hoc dicit, tam diu permansit, quandiu cuncta aris superposita sacer ignis absumeret. *Servius.*

95. *Geniumne loci.*] Quia (ut diximus) nullus locus sine genio est. *Idem.*

Famulumne parentis.] Fuit enim hæc majorum consuetudo, sicut hodie apud Indos est, ut quotiens reges moriebantur, cum his dilecti equi vel servi, & una de uxoribus charior circa rogum occisi incenderentur. Inter quas de hoc erat magna contentio. Possumus ergo *famulum*, servum sepultum cum Anchisa accipere: quem per Apotheosin deum ostendit effectum. Unde ei famulum dat quasi ministrum. Singula enim numina habent inferiores potestates quasi ministras: ut, Venus Adonim: Diana Virbium. Aut certe secundum Pythagoram dicit, qui primus deprehendit de medulla hominis, quæ est in spina, anguem creari: quod etiam Ovidius in quintodecimo Metamorphoseω̃n dicit, loquente Pythagora. *Idem.*

Incertus Geniumne loci, famulumne parentis.] Heroibus sacer erat Draco, teste Turneb. l. 13. c. 12. unde serpentem famulum parentis vocat Æneas. vide Plutarch. in Cleomene & Artemidorum. quod locis & regionibus attributus sit suus Genius, vel Deus Meurs. pluribus docet ad Lycophr. p. 346. *Emmeness.*

96. *Quinas.*] In Romano codice legere est, *binas.* neque desunt qui manibus pari numero hostias mactari solitas dicant. In quibusdam aliis exemplaribus scriptum observes, *cæditque binas*, quod mihi subindicat *quinas* legendum. Siquidem *u* sæpe mutari solitum in *b* literam adnotavi. postea interjectum est punctum: quod *q* à dictione sic scripta *qbinas* dissepararet: ignarique artis metricæ, *Cæditque binas* legendum putavere. *quinas* vero bona pars veterum codicum habet. Jam vero *bidentis* & *nigrantis* per *i* passim scripta sunt. *Pierius.*

Quinas bidentes, Totque sues.] Turneb. l. 14. c. 4. putat genus illud sacrificii hic significari, quod *Solitaurilia* appellabant, ab immolatione suum, ovium, boum. De quibus Festus, & præcipue Scal. ad Festum. Cur autem *quinarium numerum* inculcet, subtiliter disputat Servius. Alii ad ejusdem numeri mirificam potentiam trahunt, qua nec *Septenario* alias decantatissimo cedat. Videatur L. Hortensius. *Taubm.*

Bidentis.] Quare in pretio fuerint bidentes, & de origine vocis erudite disputat Boch. in Hist. ovium l. 2. c. 43. *E.*

97. *Nigrantis terga.*] Nigra terga habentes. *Servius.*

98. *Vina-*

Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchiſæ magni, maniſque Acheronte remiſſos.
Nec non & ſocii, quæ cuique eſt copia, læti
Dona ferunt: onerantque aras, mactantque juvencos.
Ordine aëna locant alii, fuſique per herbam
Subjiciunt veribus prunas, & viſcera torrent.
Exſpectata dies aderat, nonamque ſerena
Auroram Phaëthontis equi jam luce vehebant:
Famaque finitimos & clari nomen Aceſtæ
Excierat. læto conplerant litora cœtu
Viſuri Æneadas, pars & certare parati.

Mune-

98. *Vinaque fundebat, &c.*] Sic Stat. Theb. l. 7.

Vina ſolo fundens cinerem pacabat Adraſtus. Emmeneſſ.

99. *Maniſque Acheronte remiſſos.*] Aut venientes de Acheronte ad hanc parentationem: aut certe *remiſſos Acheronte*, qui jam in Acheronte non eſſent poſt Apotheoſin. *Remiſſos*, ut remitterentur, poſt divinitatis confirmationem. *Servius*.

Maniſque Acheronte remiſſos.] Animam Anchiſæ ab inferis reverſam. *Acheron* enim non ſolum flumen inferorum ſignificat, ſed interdum & inferos ipſos, quæ *Acherontia templa* Lucret. vocat. Turn. l. 14. c. 4. Credebant Animas libationibus exciri. ita apud Æſchyl. in Perſ. Chorus evocat Darii manes. unde & Pluto ἀναπομπὸς & ψυχαγωγὸς dictus: de quo 4. Æn. *Taubmannus*.

100. *Quæ cuique eſt copia.*] Pro ſua quiſque facultate. *Servius*.

101. *Læti dona ferunt.*] Alacres, libenter & ipſi conferunt parentationem. *Idem*.

Ferunt onerantque.] In antiquis aliquot codicibus abſque copulativa particula legere eſt, *dona ferunt, onerant aras*. Sed mihi copula ea inſerta plurimum adridet. *Pierius*.

102. *Fuſi.*] Id eſt, ſtrati. *Servius*.

103. *Subjiciunt veriLas.*] In antiquis *ſubiciunt*, duobus *ii* in unum, idque figura oblonga coëuntibus. & *veribus* per *i* pene ultima, ex Veterum monumentis, & Grammaticorum præceptionibus, pro *verubus*. Pierius.

104. *Exſpectata.*] Quaſi tardius deſiderantibus veniſſet. *Donatus*.

Exſpectata dies aderat.] Poëta hoc lib. præcipue eſt imitatus Hom. Il. ψ. ubi inſtaurantur ludi funebres Patrocli manibus: quod eſt & à Servio obſervatum. *Germanus*.

105. *Phaëtontis.*] Solis, ἀπὸ τοῦ φαίνειν. Sane de Phaëtonte fabulam in decimo plenius invenies. *Servius*.

106. *Famaque finitimos.*] Utrum per ſe potius audienda, an & ipſa ad Aceſten referenda, an ſubtiliter ad Æneam fama, nomen ad Aceſten. *Idem*.

107. *Excierat.*] Evocaverat, invitaverat. *Idem*.

Excierat.] In Romano codice, & in Longobardico *exierat* legitur, quod non placet. Et Priſcianus, ut *cii* præteritum comprobaret, *excierat* ex hoc Virgiliano verſu citat: ſcribendum vero ſingulari numero *excierat* etiam ex antiquis codicibus, non *excierant*. Pier.

Læto cœtu.] Pro *ipſi læti*. Servius.

108. *Viſuri Æneadas.*] Poteſt & abſolute accipi *viſuri Æneadas*, poteſt & per ſyllepſin ſubaudiri, *certantes*. Idem.

Viſuri Æneadas.] Expreſſit pleniſſimam laudem Trojanorum: cum Siculi non

Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio ſacri tripodes, virideſque coronæ,
Et palmæ, pretium victoribus, armaque, & oſtro
Perfuſæ veſtes, argenti aurique talentum:

Et

non ſolum cauſa ludorum convenirent. *Donatus.*

Certare parati.] Hoc eſt, parati ad certandum. *Servius.*

109. *Circo.*] Hoc eſt in ſpatioſo ludorum loco. *Servius.*

Circo.] Non quod eſſet circus, ſed in formam circi. *Donatus.*

Locantur.] Ponuntur. *Servius.*

110. *In medio.*] Ut ab omnibus ſpectari poſſet. *Donatus.*

In medio.] In medio ſtadii. vide Fabr. Agoniſt. l. 2. c. 25. quod *ſpinam* nominat Onuphr. Panv. de l. Circenſ. l. 1. c. 14. inde ortum illud dictum, cujus meminit Ter. in Prol. Ph. ℣ſ. 18. *Palma in medio poſita eſt.* Emmeneſſ.

Sacri tripodes.] Sic pulchri, ut ſacros putares: vel quales ſacrari ſolent. nec enim ſacrilegus erat, ut ſacra donaret. & ſic dictum eſt, ut, *Dodonæoſque lebetas:* quales ſunt in Dodona. *Servius.*

Sacri tripodes.] Παραβολικῶς, ſic pulchri, ut ſacros putares: vel quales ſacrari ſolent. neque enim ſacrilegus erat Æneas. *Tripodas* autem Naſcimb. h. l. intelligit menſas militares tribus pedibus fultas: quibus viri fortes apud Hom. crebro donari ſoleant: unde & Horat. 4. Od. 8. *Donarem tripodas, præmia fortium Grajorum.* Ad quod tamen Cruquius: Tripodas, vaſa anſata, τρίποδες ὠτόεντες dicti Homero & Heſiodo. Athenæus: *In Dionyſii templo Victoriæ ſignum eſt tripos, qui & Cratera dicitur.* Erant autem antiquitus duo tripodum genera: alter igni ſuperponebatur, qui *balneator* eſt dictus, ἐμπυριβήτης καὶ λοετροχόος. alter tripus *crater* dictus fuit, καὶ ἀναθηματικὸς, ornatus gratia dicatus privatis vel publicis uſibus, immaculatus, atque ignibus intactus, ἄπυρος Homero. in hoc vinum miſcebant: atque hic Veritati enunciandæ aptiſſimus tripos fuit Apollini quidem, ob divinationem; Baccho vero, ob ebrietatem. hic autem auritus erat, tres pedes habens pro ſuſtentaculo: unde quod fortiter ſtaret, viris fortibus dari ſolebat in ſignum victoriæ. Plura de tripode diximus 3. Æneid. ℣ſ. 360. Videatur & Caſaub. ad Athen. lib. 10. cap. 4. *Taubm.*

111. *Et palmæ Pretium victoribus.*] Zeugma utriuſque lateris. Nam *victoribus pretium*, & ad ſupra dicta & ad dicenda pertinet. *Servius.*

Armaque & oſtro Perfuſæ veſtes.] Tranſit ad generalitatem, ne ſpeciatim diceret. *Donatus.*

Armaque & oſtro perfuſæ veſtes.] Ad hunc locum vide Fabri Agoniſt. l. 2. c. 9. *Emmeneſſ.*

112. *Argenti aurique talentum.*] Talenti, ſecundum varias gentes, varium pondus eſt: ſed apud Romanos talentum eſt ſeptuaginta libræ, ſicut Plautus oſtendit in Muſtellaria, qui ait duo talenta eſſe centum quadraginta libras. Legimus etiam talentum eſſe paululum quiddam. Nam Homerus in ludis funebribus Patrocli, ultima præmia dicit duo talenta. Quod nos cogit aliquid minimum intelligere. Nam ſi primus victor bovem accipit, conſequens non eſt, ut dicamus ultimum tam magnum accepiſſe præmium. Unde apparet talentum etiam minimum quiddam ſignificare. *Servius.*

Argenti aurique.] In codicibus aliquot antiquis, *auri argentique* legitur: Sed altera lectio melior, & numero, & ordine rei, ut illud, *Argenti atque auri memoras quæ multa talenta Gnatis parce tuis.* Pierius.

113. Et

Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quatuor, ex omni delectæ claſſe, carinæ.
Velocem Mneſtheus agit acri remige Priſtin,
Mox Italus Mneſtheus; genus à quo nomine Memmî,
Ingen-

113. *Et tuba commiſſos.*] Romano more: ſicut hodieque videmus omnibus ludis funebribus, ut ſunt divorum. Nam ſi ſacri ſint, id eſt, feſti, luſtrantur faculis. Ante etiam ab hymnis incipiebant. *Commiſſos canit* . . . . * Servius.

Et tuba commiſſos, *&c.*] Ad tubæ ſonitum inchoatum fuit certamen. ut ℣ſ. 139.

Inde, ubi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnis
(Haud mora) proſiluere ſuis, &c.

Ovid. l. 10. Metam. ℣ſ. 652.

Signa tubæ dederant; cum carcere pronus uterque
Emicat, & ſummam celeri pede libat arenam.

Lucan. l. 5.

—— nec ullæ
Audiri potuere tubæ ——

Quintil. in Gladiatorio, declamat. 9. *Sonabant clangore ferali tubæ.* Sidonius in Carm. cujus meminit Onuphr. Panvin. l. 2. de L. Circenſ. c. 1.

Tandem murmuræ buccinæ ſtrepitu
Suſpenſas tubicen vocans quadrigas,
Effundit celeres in arva curſus.

Græce σάλπιγξ & σαλπίζειν. plura de hoc commiſſionis ſigno Lipſius l. 2. Saturn. c. 19. *Emmeneſſ.*

114. *Prima certamina.*] Punico bello primum naumachiam ad exercitum inſtituêre Romani: poſtquam probarunt gentes etiam navali certamine plurimum poſſe: ad quam rem in hoc certamine alludit poëta. *Serv.*

Pares.] Aut pariter, aut diverſis omparabiles rebus: ut ſequentia indicant, *Melior remis, ſed pondere pinus.* Ordine remotum, quamvis Gyæ tantummodo triremem dicit. Aut *pares*, ita ut ante certamen videbantur. *Idem.*

Gravibus remis.] Fortibus, ut, *Ferit enſe gravem Tymbræus Oſyrin.* Nam graves inferunt tarditatem. *Idem.*

116. *Remige.*] Erit nominativus *remix.* Serenus, *Semiremex Herculis.* Id.

Priſtin.] Vel à tutela depicta, vel ἀπὸ τῦ πρίζειν τὰ κύματα: id eſt, undas incidere, à ſecatione fluctuum. *Idem.*

Priſtin.] In antiquis pleriſque codicibus *Priſtin* legitur, quam παρὰ τὸ πρίζειν dictam volunt, hoc eſt, à ſecandis fluctibus. *Piſtrin* vero pro navigii forma Nonius Marcellus agnoſcit (niſi codices corrupti ſunt) ad ſimilitudinem marinarum piſtricum, quæ longi corporis ſunt, ſed anguſti. *Pierius.*

Priſtin.] Navigium, Nonio teſte c. 13. à marina bellua ita dictum, quæ longi corporis eſt, ſed anguſti. cognomentum triremis eſſe docent Baifius de re Nav. p. 87. Gyrald. Robert. Tit. l. 7. controv. c. 5. & præ cæteris erudite Salm. Plin. exercit. p. 570. *Emm.*

117. *Mox Italus.*] Subaudis *futurus.* Ipſe enim familiam Memmiorum conſtituit. Et bene laudat familias nobilium. Nam à Sergio *Sergia familia* fuit: à Cloantho *Cloentia*: à Gya *Gygania*, cujus non facit mentionem. Nobiles autem familias à Trojanis fuiſſe Juvenalis oſtendit, ut, *Jubet à præcone vocari Ipſos Trojugenas.* Servius.

A quo nomine.] Scilicet Mneſthei. & *Mneſtheus* ſic eſt ut *Tydeus.* Nam diphthongus Græca eſt. *Idem.*

Memmî.] Pro *Memmiorum*, genitivus ſingularis pro plurali, vel à quo nomine genus Ital...* Memmi..* à quo nomine genus Memmii.*genitivus ſingularis nominativus pluralis. *Idem.*

Genus à quo nomine Memmî.] A Mneſtheo Trojano ait ortum duxiſſe Memmiorum familiam, & quidem magnæ Romanorum familiæ ortum duxere à Troja-

Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
Urbis opus: triplici pubes quam Dardana versu
In-

Trojanis. Inde Juven. Sat. 1.

— *jubet à præcone vocari*
Ipsos Trojugenas.

Ita interpres. *Cerda.*

118. *Gyas.*] A Gya ortum est in Romana urbe Geganiorum genus inprimis splendidum. quorum frequenter mentionem Livius infert, præsertim M. Geganii, qui censor fuit cum C. Furio, ut colligitur ex oratione Sempronii lib. 9. idemque tertium Consul. Horum etiam nobilitas vel ex eo intelligitur, quod Dionys. Halic. lib. 3. scribit, Geganiorum familiam Romæ fuisse ad magistratus gerendos. *Idem.*

Ingenti mole.] Motu: ut, *Magna se mole moventem.* Servius.

Chimæram.] Fabula, ex quo hoc nomen translatum est, talis est: Bellerofontes, admissa per ignorantiam cæde, profugit ad Proetum, Argivorum regem, à quo cum esset susceptus hospitio, à Stheneboea uxore ejus adamatus de stupro interpellatus est, qui cum frequentius hoc se indicaturum Proeto minaretur, præoccupatus à Stheneboea, ipse apud Proetum accusatus est, tanquam reginæ castitatem adpetisset, quem cum Proetus ad Jovatem, Lyciæ regem, socerum suum, cum literis signatis, quibus præcipiebat, ut puniretur, misisset, Jovates Bellerofontem adversus Tympios sive Solimos, gentem ferocissimam misit, quos cum ille superasset; revertens insidias, quas sibi Jovates struxerat, incidit, quibus prostratis novissime missus adversus Chimæram triplex monstrum, siquidem prima pars leo erat, posterior draco, in medio caput capræ, quod ignes efflabat. Hanc ille vectus Pegaso equo, qui volabat, occidit. Miratus hanc constantiam Jovates filiam suam ei cum parte regni in matrimonio dedit. *Idem.*

Chimæram.] Ita nominat navem prodigiosæ vastitatis, quale monstrum est, *Chimæra:* vel, quæ insigne sive παράσημον haberet Chimæram. Hesiod. etiam μεγάλην χίμαιραν dixit: de qua Lucret. l. 5. ex Hom. Iliad 2.

Prima Leo, postrema Draco, media ipsa Chimæra, &c.

Taubmannus.

119. *Urbis opus.*] Tam magna, ut urbem putares. *Servius.*

Urbis opus.] Ea fuit Chimæræ magnitudo, ut urbem diceres. Ab locutione hac non abit ea lib. 8.

— *pelago credas innare revulsas*
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos. Cerda.

Triplici versu.] Omnes enim triremes fuerunt. *Versu* autem, aut ordine, ut, *Ille etiam seras in versum distulit ulmos.* aut *versu*, tractu, à verrendo: ut, *Æquora verrebant caudis, æstumque secabant.* Sane unus est sensus & est Græcum, nam illi στίχον dicunt. *Servius.*

Triplici versu.] Τριστοιχεί: triplici remorum ordine; ut ipsemet exponit. ita 4. G.

Ille etiam seras in versum distulit ulmos. Livius lib. 5. Dec. 5. *Regia nave ingentis magnitudinis, quam sedecim versus remorum agebant.* Cumque quattuor istæ naves triplici ordine remorum instructæ fuerint, id de sola tamen Chimæra dixit, alludens nimirum ad Chimæram monstrum triforme. Notat autem Turneb. lib. 14. c. 4. *Triremem* hic describi per ἀναχρονισμὸν sive πρόληψιν Poëtis familiarem: cum belli Trojani tempore nondum fuerit triremis, sed multis postea seculis, auctore Thucydide, à Corinthio quodam ædificata. *Taubm.*

Pubes impellunt.] Figura est: ut, *Pars in frusta secant.* Et sciendum inter Barbarismum & Lexin, hoc est, Latinam & perfectam elocutionem, Metaplasmum esse, qui in uno sermone fit ratione vitiosus. Item inter Soloecismum & Schema, id est, perfectam sermonum connexionem, figura est, quæ fit contextu sermonum ratione vitiosa.

Ergo

Inpellunt; terno consurgunt ordine remi.
Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna; Scyllaque Cloanthus
Cærulea: genus unde tibi, Romane Cluenti.

Est

Ergo Metaplasmus & figura media sunt & discernuntur peritia & imperitia. Fiunt autem ad ornatum. *Servius.*

120. *Inpellunt.*] Est antiquus codex, in quo scriptum est *inpellit* numero unitatis. sed altera lectio ex Mediceo & aliquot aliis magis placet, utpote figuratior. *Pierius.*

Consurgunt.] Rectissime. ita Lucanus de quadriremi lib. 3.

Quasque quater surgens exstructi remigis ordo
Commovet, & terno consurgunt ordine remi.

Erant enim κατὰ τοὺς στίχους τοὺς κατὰ τὸ ὕψος ἐπ' ἀλλήλοις: *secundum versus alium alii juxta ALTITUDINEM INCUMBENTES*: Itaque imus ordo erat propior aquæ: supremus, propior foris navis: medius, inter imum & supremum. Vetustissimæ autem naves uno tantum remorum versu agebantur in longitudinem porrectorum: quas Græci μακρὰς ναῦς vocabant; nos *Galeas* hodie. Vide Scalig. ad Euseb. Chron. pag. 61. & seqq. ubi de re tota accuratissime disputat. *Taubm.*

Consurgunt ordine remi.] Vid. Ovid. l. 11. Metam. ỳs. 462. de Biremi:

——— *Reducunt*
Ordinibus geminis ad fortia pectora remos.

De quadriremi Lucan. l. 3. ỳs. 530.

Quasque quater surgens extructi remigis ordo
Commovet. ———

Negat Turneb. l. 14. c. 4. Trojani belli tempore fuisse triremem. Sed tales ἀχρονισμοὶ apud Poëtas crebri, quibus hoc dandum. Ordines sunt στοῖχοι, οἱ ἐπ' ἀλλήλοις. vel, ut Voss. Instit. Poët. c. 1. l. 3. non κατὰ τὸ μῆκος sed κατὰ τὸ ὕψος. Nec tam significare videntur, quod dextrum est, aut sinistrum, quam quod superius, ac inferius. Per *versus* intelligi series ἐλασίας remigantium: itaque triremis tres habet ordines & sex versus, teste Scheffero de re Naval. l. 1. c. 6. *Emmeness.*

121. *Domus Sergia.*] Familia: ut, *Da propriam Tymbræ domum.* Et inde est Sergius Catilina. *Servius.*

Tenet.] Ultra tenet, vel servat. *Idem.*

122. *Centauro magna.*] Fœminini est generis, si de navi dicas: ut *in Eunuchum suam*, cum comœdiam diceret. Juvenalis contra sentit, dicens, *Et in tergo necdum finitus Orestes.* Sed sciendum genera plerunque confundi, aut metri, aut hiatus causa. Sic Horatius, *Nec cupido sordidus aufert.* Cum significantes cupiditatem fœminino genere dicamus. Ipse etiam Virgilius ait, *Timidi damæ, cervique fugaces*: cum ipse secundum fidem dixerit: *Cum canibus timidi veniunt ad pocula damæ.* At Horatius, *Et superjecto pavidæ natarunt Æquore damæ.* Idem.

Magna.] Codices aliquot antiqui, *magno* legunt. Sed magis placet *magna* fœminino genere: quod agnoscit Servius. Esse vero *Magno* virili genere librarii errorem ostendit lectio, quæ subsequitur, *Scyllaque Cloanthus Cæruleo*: quod genus neque navi, neque Scyllæ possis adcommodare. *Pierius.*

Centauro magna.] Monet, me annuente, Erithræus vim Græcam expressam esse à Poëta epitheto illo *magna*, nam Græci intentiva particula, βου, uterentur, dicerentque βουκένταυρος, ad cujus linguæ imitationem Veneti Ducariam suam, aut Senatoriam navim pictura & auro præfulgentem appellant *Bucentoro*, quasi Bucentaurum. *Cerda.*

123. *Cærulea.*] Aut nigra, aut alta carina. Omne enim altum, nigrum est: ut *Scrupea tuta lacu nigro, nemorumque tenebris.* Servius.

Est procul in pelago ſaxum ſpumantia contra
Litora, quod tumidis ſubmerſum tunditur olim
Fluctibus, hiberni condunt ubi ſidera cori:
Tranquillo ſilet, inmotaque adtollitur unda
Campus & apricis ſtatio gratiſſima mergis.
Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam

Con-

Cluenti.] Ad ipſum Apoſtropha eſt. *Servius.*

Cluenti.] In aliquot exemplaribus antiquis, *Cloanti* legitur: quam primam crediderim cognominationem fuiſſe. Inde *Cluentium* dici cœptum: quo modo ſæpe apud Ciceronem habetur. *Pier.*

124. *Eſt procul.*] Modo *nimis longe*, ut & ſupra diximus. Sic in Bucolicis de nimia vicinitate ait, *Serta procul tantum capiti delapſa jacebant.* Interdum & *ſatis longe* ſignificat. *Servius.*

Tunditur.] Sic Horat. l. Epod. od. 17.

Non ſaxa undis ſurdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus ſalo.

Emmeneſſ.

Olim.] Tunc fere cum cori nubibus abſcondunt & obruunt ſidera. *Servius.*

126. *Condunt ubi ſidera cori.*] Id eſt, tempore nubilo, ait Scalig. lib. 4. c. 16. vel, Quando Cauri, qui ab occaſu æſtivo ſpirant, nubibus ſidera abſcondunt & obruunt. *Taubm.*

127. *Tranquillo.*] Melius ſeptimus eſt quam dativus. *Servius.*

Inmotaque.] Cum unda non tumeſcit, erigitur; & in conſpectu erigitur *campus*, id eſt, latitudo illius ſaxi: quod alioqui, mari turbato, ſeu *brevia*, latet. *Taubm.*

128. *Campus.*] Saxi latitudo. *Serv.*

Apricis.] Sole gaudentibus. Sane *apricus* & locus dicitur ſole calens, quod eſt opaco & abdito contrarium: & *apricos* dicimus locis apricis gaudentes. Virgilius, *Duceret apricis in collibus uva colorem.* Perſius, *Noſtra ut Floralia poſſint Aprici meminiſſe ſenes.* *Apricum* autem quaſi ἄνδυ φρίκης, *ſine frigore*, inde & *Aphrica* quod eſt calidior. *Idem.*

Mergis.] Eſacus Priami filius fuit: hic ſe præcipitavit de muro, nec periit, & cum hoc ſæpius faceret, deorum miſeratione in avem verſus eſt: quæ ad imitationem præcipitandi quaſi idem facit ſæpe mergendo. *Idem.*

Mergis.] Ab aſſiduitate mergendi nomen habet hæc avis. & aquis gaudet αἴθυια teſte Ariſtot. l. 8. c. 3. de Animal. περὶ δὲ τὴν θάλατταν νέμεται. & l. 5. c. 9. τίκτει. Sæpe autem dimiſſo in profundum capite aurarum ſigna ſub fluctibus colligunt (adde, quod Varr. de L. L. l. 4. eſcam capiunt, qua ſatiari poſſunt numquam ſecundum Plinium l. 11. c. 37.) & prævidentes æquoris tempeſtatem cum clamore ad litora tendunt. Nam, ut Iſiodor. l. 12. c. 7. in pelago jam graviſſimam eſſe tempeſtatem conſtat, cum ad litora mergi confugerint. vide Plin. l. 18. c. 35. Inde noſter lib. 1. Georg. ℣ſ. 360.

Jam ſibi tum à curvis male temperat unda carinis
Cum medio celeres revolant ex æquore mergi.

Perſ. Sat. 6. ℣ſ. 30.

—jamque obvia mergis
Coſta ratis laceræ.

Bene *apricis*; nam, cum Ariſtotele loquar l. 1. c. 1. ἐν τῷ ὑγρῷ μὲν τὴν τροφὴν ποιεῖται, cibum è mari quidem emolitur, ſed extra mare degere amat, & quidem ſereno gaudet cœlo, unde Græcis προσήλιοι, εὐήλιοι dicuntur. De hac ave lege Belonium l. 3. de avibus c. 24. Aldrovandum Ornithol. l. 19. c. 49. & ſeqq. *Emmeneſſ.*

129. *Frondenti ex ilice.*] Hæc enim arbor in tutela Jovis eſt, & *frondenti*, pro *frondente*, dativum pro ablativo. *S.*

Metam.] Tractum à Circo Romano, in

Constituit signum nautis pater: unde reverti
Scirent, & longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt, ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori.
Cetera populea velatur fronde juventus,
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.

Con-

in quo metam Græci dicunt τέρμα, καμπτῆρα, γραμμὴν: *terminum*, *flexionem*, *lineam.* Latini cretam, & calcem dixere, quod hæc apta designandis spatiis. Inde Latinis idem est *currere ultra calcem*, quod Græcis, ultra plantas, aut oleas, ἔξω τῶν ἐλαιῶν, nimirum ab oleis Olympicis, quibus stadium cingebatur. Sed & Pacuvius vocem Græcam assumpsit, campteremque appellavit à flexu: *extremum inter campterem ipsum prætergreditur.* Vide ista latius in Bulengero, Fabro, interpretibus Horatii, Polluce lib. 3. in aliis. *Cerda.*

Metam.] Metæ in extremitate spinæ erant, eæque duæ, una quæ circa carceres minus periculosa, altera quæ in fine circi timorem adferebat. de metarum usu in cursu & aliis certaminibus Onuphr. Panv. de Lud. Circens. l. 1. c. 14. & 15. *Emmeness.*

131. *Circumflectere.*] Bene uno sermone & profectionem complexus est, & reversionem. *Servius.*

Longos circumflectere cursus.] Recte videntur aliqui monuisse, his verbis à Poëta non obscure signari morem illum, quo meta septies lustrabatur, nam videlicet circa metam septies quadrigæ flectebantur, dicente Propertio lib. 2.

Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quam metam triverit arte rota?

De qua re jam lib. 1. Georg. Quod Poëta *cursus circumflectere*, Theocritus εἰδ. κε.

—— περὶ νύσσαν
Ἀσφαλέως κάμπτοντα τροχῷ.

Homer. Iliad. 23. περὶ τέρμαθ' ἑλισσέμεν. Ennius hærens huic sermoni, *campsare promontorium* dixit. quod Græci ἄκραν κάμπτειν. *Cerda.*

Circumflectere cursus.] Teste Onuphrio Panvinio l. 1. de Lud. Circens. c. 15. non ante, quam decursis septenis spatiis, bravium sive præmium à victore accipi poterat. Quod multis illic exemplis confirmatur. *Emmeness.*

132. *Legunt.*] Eligunt. *Servius.*

Tum loca sorte legunt.] De sortitione in navalibus & equestribus ludis agit Faber in Agonist. l. 1. c. 25. & Onuphr. Panvinius de L. Circ. l. 1. c. 14. Stat. l. 6. Theb.

Et jam sortitus Proteus versarat aëna
Casside, jamque locus cuique est, & liminis ordo.

Sunt qui brevius spatium decurrendum fuisse ei putant, cui prima sors faverat, alii inter quos Bulenger. de Circ. Romano negat simul prorupisse aurigas, sed sortis beneficio usum fuisse, primum prosiluisse, qui sorte erat primus. *Emmeness.*

133. *Ductores.*] Domini navium, non gubernatores. *Servius.*

134. *Populea velatur fronde juventus.*] Hebe, Græce est juventus, filia Junonis, uxor Herculis. Nunc ergo aut propter hoc juventus utitur populeis coronis: aut imitatione virtutis. Populus enim Herculi consecrata est: ut, *Populus Alcidæ gratissima.* Aut *populea*, quia ludi funebres sunt, & hæc arbor ab Hercule ab inferis allata est, cum canem Cerberum extraheret, nam & ipsa arbor *Acherusia* vocatur. *Idem.*

135. *Nudatos.*] Bene *nudatos:* quia veste tecti esse consueverunt. Nam *Nudum* est quod nunquam tegi solet, ut facies. *Idem.*

Oleo perfusa.] Oleo perfusos habens. *Idem.*

Considunt transtris, intentaque brachia remis:
Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque arrecta cupido.

Inde,

Oleo perfusa.] Ad roborandas & conservandas vires: more luctatoribus Romæ usitatissimo. Augustus centesimum annum excedentem interrogat, quanam maxime ratione vigorem illum animi corporisque custodiisset: respondit; *Intus mulso, foris oleo.* Democritus in simili; *Intus vino, foris oleo.* De quo Plin. l. 23. c. 24. & Cælius l. 6. c. 6. *Taubmannus.*

136. *Transtris.*] Et *transtra* dicuntur & *juga.* ut in sexto, *Inde alias animas, quæ per juga longa sedebant.* Serv.

Transtris.] Sunt *transtra* sedilia, aut tabulæ (banchi vulgo) in quibus sedent remiges: dicuntur & *juga*, Græcis ζυγὰ, inde *Zygii* remiges ejusdem transtri, & *Zygites*, qui sedet in media navi. *Cerda.*

Intenta.] Porrecta, & bene eodem sermone in diversis usus est rebus. Aliter enim brachia, aliter intendimus mentem. *Servius.*

Intentaque brachia intenti.] Servius quidem & *intenta brachia* & *intenti Juvenes* agnoscit. neque tamen idem repetitum, quum diversa sit significatio: aliter enim brachia, aliter mentem intendimus, ait ille. Sed enim in codicibus aliquot antiquis legere est, *nudataque brachia remis intenti.* Quæ si placeat elocutio, ubi lectum erit, *Cetera populea velatur fronde juventus, Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.* suspendantur illa duo verba, *Considunt transtris.* Inde per continuationem superioris membri, *Nudataque brachia remis Intenti expectant signum.* Priscianus tamen *intenta* agnoscit cum Servio, ubi Accusativo inquit inveniri passiva conjuncta, sed figurate: ut, *læditur manum, frangitur pedem.* Virgilius, *Intentaque brachia remis Intenti expectant signum.* atque hoc alibi repetit, dictumque asserit. ut, *Nuda genu,* & *Lacerum crudeliter ora.* Apud quem tamen etiam si *Nudata* legas, traditam ab eo regulam nihil immutabis: quum de modo elocutionis, non de vocabulo sit sermo. Utrobique autem in veteribus Prisciani codicibus *intenta* scriptum est. *Pierius.*

Intentaque brachia.] Q. d. Toto corpore & animo ad signum, quod exspectabatur, intenti erant, qui brachia remis intenta habebant, id est, brachiorum parata virtute remos tenebant. J. C. Scaliger suavissimam in his verbis πιθανότητα, mutato sensu, agnoscit & laudat: quem vide lib. 4. c. 29. Paulo Merulæ, ad illos Enni lib. 7. Annal.

— *tonsam arte tenentes*
Parerent; observarent, portisculu' signum
Quom dare coipisset:

contra absurdam, (ut ait) Servii interpretationem, videtur *Intentus remis* hic vocari *Portisculus*, id est, κελευστής, qui Latinis etiam *Hortator*, & *Jussor* dicitur: unde & *Jussa* apud Sallust. & *Hortamenta* apud Non. in re ista. De qua nos plurima ad Plaut. Asin. act. 3. sc. 1. *Taubmannus.*

137. *Exsultantia haurit Corda pavor pulsans.*] Hypallage, omni parte pulsans pavor corda haurit, id est, ferit, & exultare facit: ut, *Latus haurit apertum.* Servius.

Exsultantiaque haurit corda.] *Haurit*, pro, *exhaurit*, & emovet corda. Subsiliunt enim pavore aut spe. aut, Exhaurit spiritibus, in lucta illa pavoris & cupiditatis affectuum contrariorum; Scal. l. 4. c. 16. Poët. Repetuntur eadem 3. G. v. 105.

Cum spes arrectæ juvenum, exsultantiaque h. &c.

Taubmannus.

138. *Laudumque.*] Ne esset turpe quod ait *pavor.* Sane istæ sunt prolusiones bellorum, unde etiam ad tubam geruntur. Sed sciendum majoris ætatis funera

Inde, ubi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes
(Haud mora) proſiluere ſuis: ferit æthera clamor
Nauticus: adductis ſpumant freta verſa lacertis.
Infindunt pariter ſulcos, totumque dehiſcit
Convolſum remis roſtriſque tridentibus æquor.

Non

funera ad tubam ſolere proferri. Perſius, *Hinc tuba candelæ.* Minoris vero ad tibias: ut Statius de Archemoro, *Tibia enim teneros ſolitum deducere manes. Servius.*

139. *Finibus omnes.*] Secundum naturam ante generali uſus eſt deſcriptione, venturus ad ſpecialitatem. *Idem.*

140. *Clamor Nauticus.*] Κέλευσμα. Mart. l.4.64.

Quem nec rumpere nauticum celeuſma,
Nec clamor valet helciariorum,

id eſt, eorum qui moliuntur funibus moles, naveſque ducunt. *Taubm.*

141. *Adductis lacertis.*] Ὑποτύπωσις. ita Scaliger ad illud Ennii, in remiges;

—— *tonſam antè*

(ita enim legit, non, *arte) tenentes*, notat: Remum porrectis brachiis ante pectora tenebant: dato ſigno, applicabant pectori. *Idem.*

142. *Infindunt pariter ſulcos.*] A re ruſtica. Val. Flacc. lib. 1.

—— *valet immiſsis cava pinus habenis,*
Infinditque ſalum.

Sidon. in Burgo:

—— *pontumque in flumine ſulcas.*

Prudent. Cathem. hymno 5.

Qui pontum rapidis æſtibus invium
Perſulcare vetas.

Cum ſulcis cognata ea metaphora, qua maria dicuntur arari, 2. & 3. Æn. *Cerda.*

143. *Convolſum remis roſtriſque tridentibus æquor.*] Diſſimulandum jam quod in antiquis codicibus habetur, *convolſum.* Et ut Victorinus ſcribendum præcipit *comvulſum.* Illud autem diligentius examinandum, quod olim, quodque noſtra maxime ætate Grammaticorum omnium ingenia perturbat, *roſtriſque ſtridentibus.* In quo variant & ipſi quoque codices antiqui, totque tibi offerunt lectiones, ut cui potiſſimum adhæreas, ambigere cogaris. Nam quum poſt dictionem *roſtris*, *que* particula copulativa multorum omnino veterum exemplarium conſenſu ſubſequatur, veriti plerique ſunt *ſtridentibus* adſcribere: quod primam in eo verbo ſyllabam produci, perſuaſum haberent. Hinc in vetuſto quodam codice, *roſtriſque ſonantibus* ſcriptum eſt. Hinc alii *s* in *ſtridentibus* abundare putaverunt, quod omnino pleriſque aliis locis factum deprendi: in Romano præſertim codice, ſuſpicatique ſunt *tridentibus* legendum. Alii *ruentibus* adinvenere, qua in opinione literatiſſimos ætate ſuperiore viros fuiſſe accepimus. Sed enim lectiones hujuſmodi in nullo ex antiquis exemplaribus, quæ undique conquiſita inſpexerim, offendi. In Oblongo illo codice pervetuſto: quem Pomponii Læti delicias fuiſſe dicunt, *roſtriſque rudentibus* legitur: quod improprie dictum videretur. Quum vero bona codicum antiquiorum pars *roſtrisque ſtridentibus* habeat, eamque lectionem agnoſcat Apronianus, non abſurdum forte fuerit dicere pedem inſolitum, quippe Amphimacrum, vel Moloſſum potius quarto loco poſitum: niſi Poëtam auctoritate ſua primam in *Strideo* ſyllabam, quippe quæ ἰῶτα ſit, vocalis dichrona, corripuiſſe quis aſſerere voluerit. neque obſtiterit, quod, *que*, tribus conſonantibus inhærentibus produci debere videatur: quum *s* inter liquidas quoque rejecta ſit, Capri teſtimonio, & ab Etruſcis inter eas literas, quæ vix pronuntiarentur habita: Licet olim ſuæ cujuſdam poteſtatis, ſonoque ſuo etiam abſque vocalium adminiculo ſonora videretur. Sed quid

Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus:
Nec sic inmissis aurigæ undantia lora
Concussere jugis, pronique in verbera pendent.

Tum

obsecro magis proprium, quam in eo strepitu exprimendo, per eam syllabarum asperitatem, ut vastum nescio quid præter etiam rationem musicam audiatur, legere, *convolsum remis rostrisque stridentibus æquor.* Quamvis neque quidem ea mihi lectio displiceat, quam probant literati plerique viri *Rostrisque tridentibus.* Quam lectionem ab Academia Neapolitana profectam indicavit mihi Angelus Colotius, vir apprime literatus. Videtur vero *Tridentibus* dictum à specie rostri, tridentali effigie: cujusmodi ea est, quæ in Agrippæ nummis habetur. Nam, in honoribus Agrippæ habitis, nummi etiam cum navi rostrata cussi. s. c. quod Virg. in clipeo tangit, *Tempora navali fulgent Rostrata corona.* Movet me præterea Valerii Flacci parodia, ita dicentis,

Volat immissis cava pinus habenis,
Infinditque salum: & spumas vomit ære tridenti. Pierius.

Tridentibus.] Sic mavult legere fretus codicum auctoritate Schott. observ. poët. l. 2. c. 2. quam lectionem pro *Stridentibus* & *Sonantibus* etiam probat H. Stephanus in lect. Virgil. nec non Sanct. Minerva p. 335. Rostra enim tridentia fluctus scindebant in infima proræ parte, ut Salmasius, hunc locum emendans, exserit p. 570. Plin. exerc. *Emm.*

144. *Præcipites.*] Festinantes: ut, *Præcipites vigilate viri*, & est hyperbole. *Servius.*

Bijugo.] Pro *bigarum*: nove dixit. Sane & hoc celeritatis est. Plures enim se impediunt. *Idem.*

145. *Carcere.*] Usurpavit. Nam *carcer* est numero tantum singulari, custodia noxiorum. *Carceres* vero numero tantum plurali, ostia, quibus equi arcentur: unde & *carceres*, quasi *arceres*, secundum Varronem. *Idem.*

Carcere.] In ostiis circi erant carceres, sive equorum emissiones, cancellis clausæ, quibus bigæ & quadrigæ certantes emittebantur. Plura Onuphr. Panvin. l. 1. de lud. Circens. c. 6. vide quæ dicta l. 1. G. ℣s. 512. *Emm.*

146. *Nec sic.*] Veteres aliquot codices manu scripti legunt, *Non sic inmissis*: ut sit altera periodus. Sed vulgata lectio omnino receptior. *Pierius.*

Undantia.] Large effusa. *Servius.*

147. *Jugis.*] Pro *equis jugalibus.* Idem.

Jugis.] Jugales equi Græce *ζύγιοι ἵπποι.* de quibus Virg. l. 3. G. ℣s. 572.

Sed tamen idem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, & frena jugo concordia ferre.

Vide Sceff. l. 1. de re vehic. c. 11. Et hoc loco Macrobio teste Saturn. l. 5. c. 11. Homerum superat Maro. pro *lora concussere jugis* Ovid. 5. Metam. ℣s. 403.

Exhortatur equos. Quorum per colla jubasque
Excutit obscura tinctas ferrugine habenas. Emm.

Pronique in verbera pendent.] Nullus satis sermo occurrit, quo possim tantum hunc affectum explicare. Is est Virgilius, quem sæpissime sentiendo magis debeas meditari, quam interpretari loquendo. Sane neque illa Homerica, Iliad. 23. —— *πολὺς δ᾽ ἀνεκήκιεν ἱδρὼς*
Ἵππων ἔκ τε λόφων, καὶ ἀπὸ στέρνοιο χαμᾶζε:

—— *multusque exiliit sudor*
Equorum, exque summis cervicibus, & à pectore in terram.

Neque illa Sidonii in Narbone,

Instabant alii manu atque voce,
Passim & deciduis in arva guttis
Rectorum, alipedumque sudor ibat,

ita mihi aperiunt fatigationem equorum,

Tum plausu fremituque virûm, studiisque faventum
Consonat omne nemus: vocemque inclusa volutant
Litora: pulsati colles clamore resultant.
Effugit ante alios, primisque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas: quem deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis: sed pondere pinus
Tarda

rum, atque hemistichium hoc Virgilii, ubi nullum otium in rectoribus, nullum in equis tempus vacuum à metu. Aliquid ad rem Virgilii Homerus, cum ait, ἐφ' ἵπποισιν μάστιγας ἄειραν: *super equos flagella sustulerunt.* Sed est aliud, quod hic notes. sicut supra in præterito *corripuêre*, & deinde in præsenti, *ruunt:* ita nunc quoque, *concussere*, & deinde, *pendent.* Nam, quemadmodum equi, qui corripuere ab ipsis carceribus cursum, jam nunc ruunt: ita aurigæ, qui initio concussere lora ad illos excitandos, jam nunc sine ulla intermissione pendent semper in verbera. Adeo sibi Poëta est consonus. Pulchre Propert. lib. 4. el. 8. verbum hoc cum oppositione adhibuit:

Spectaculum ipsa sedens primo temone pependit.

ubi cum sedeat, tamen pendet. Xenoph. 3/ ἀναβ. ἐφ' ἵππων κρέμανται: *pendent ab equis.* Cerda.

Pronique in verbera pendent.] Ovid. l. 3. Amor. El. 2. dicit, *verbere terga notare.* Phædr. l. 3. fab. 7. *temperare jugum flagello lento.* Emm.

148. *Tum plausu fremituque, &c.*] His verbis alludit Poëta ad circi clamores, & studia. Vix autem dici potest, quæ illa fuerint, iccirco Juvenalis, *clamosum circum* vocavit,

—— *clamoso insistere circo.*

Et Martial. lib. 10. epig. 54.

Ille ego sum Scorpus clamosi gloria circi.

Cerda.

149. *Consonat.*] Ideo *consonat* propter echo Nostræ enim vocis est æmula: unde & *Resultant*, ait. *Servius.*

Consonat.] Bene: propter Echo, quæ vocis nostræ est æmula. ita 4. G.

—— *ubi concava pulsu*
Saxa sonant vocisque offensa resultat imago. Taubm.

150. *Resultant.*] Voce repercussa. Æn. 8.

Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.

Idem.

Consonat omne nemus, vocemque inclusa, &c.] Fabulam Ecchus narrat Ovid l. 3. Metam. Nympha fuit, quæ Narcissum cum frustra deperiret, corporis substantiam amisisse dicitur: ℣s. 396.

Attenuant vigiles corpus miserabile curæ
Adducitque cutem macies: & in aëra succus
Corporis omnis abit. Vox tantum atque ossa supersunt,
Vox manet, &c.

Dabit veniam æquus lector, qui quanta negotiorum mole distringor compertum habet, scribenti Ecl. 1. ℣s. 5. hanc Nympham mutatam in calamos, quæ Syringi conveniunt, de qua Longus Pastor. l. 2. de clamore autem nautarum eorumque studio, quod κέλευσμα, idem legendus l. 3. Pastoral. & Faber Agonist. l. 2. c. 30. *Emmeness.*

151. *Primisque.*] In Romano codice, in Longobardico, in Mediceo & aliquot aliis legere est, *primis:* ut sit, *Primis undis.* in aliis *primusque.* Pier.

Elabitur.] Præcurrit celeriter: ut, *Labere nympha polo.* Servius.

152. *Turbam inter.*] Tumultum, hoc est, in ipso principio. *Idem.*

153. *Sed pondere pinus Tarda.*] Sic Stat.

Tarda tenet. post hos æquo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt superare priorem.
Et nunc Pristis habet, nunc victam præterit ingens
Centaurus: nunc una ambæ junctisque feruntur
Frontibus, & longa sulcant vada salsa carina.
Jamque propinquabant scopulo, metamque tenebant:
Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis conpellat voce Menœten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige gressum.
Litus

Stat. Theb. l.6.

— *non arte rudes, sed mole tenentur.* Emmeness.

154. *Discrimine.*] Vel interstitio, vel certamine, vel cursu. Et bene variat, nunc naves, nunc ductores commemorans. *Servius.*

155. *Priorem.*] Inter se, hoc est, tertium. *Idem.*

156. *Et nunc Pristis habet.*] In antiquioribus codicibus legere est, *& nunc Pristis habet*, pro *& nunc Pistris abit.* Sed quamvis *Pristin*, ut paulo ante dicebamus παρὰ τὸ πρίζω dictam velint, nihil me moverit, utrum *r* prima an secunda syllaba collocetur, quum multa hujusmodi ex Metathesi, tam apud Græcos, quam apud Latinos, enuntiari soleant. Quod vero *habet* legitur, ideo placet, quod intelligitur de priore loco, quem ambo superare contendebant. Sicui tamen *abit* magis placeat, illi sit integrum suo jure legere: Eam sane lectionem ego raro in his codicibus antiquis observavi, nisi subdititiam, priore abrasa lectione, quæ scilicet *habet* erat. Non prætereibo autem esse veteres codices, in quibus supra verbum *habet*, adscriptum sit loco paraphrasis, *Victoriam.* Pierius.

157. *Junctis frontibus.*] Sæpe noster eandem sententiam habet vario flexu. Quod enim hic *junctis frontibus*, in hoc libro postea, *æquatis rostris:* & iterum, *æquatis velis.* Quæ verba etiam sunt in 4. Æn. Livius etiam lib. 36. *æqua fronte ad pugnam accedere.* Cerda.

158. *Longa sulcant.*] In Romano codice legere est, & *longa sul. va. sal. carina.* neque obstat, quod duo sint, quum subintelligi possit, unusquisque sua. In Mediceo quidem *carina* prius fuerat, sed aliena manu & atramento *carinæ* factum. Est ibidem *longe* absque diphthongo, ut adverbium videatur, quanquam ea in aliis quoque nominibus desideratur. in quibusdam *longæ* invenias. *Pierius.*

159. *Metamque tenebant.*] Nauticum verbum. *Servius.*

Cum.] In antiquis aliquot codicibus scriptum est *tum.* Pierius.

Princeps.] Modo ordinis est. *Servius.*

162. *Quo tantum mihi.*] Vacat *mihi:* ut solet plerunque. *Idem.*

Quo tantum mihi dexter abis.] Id est, à meta, nam teste Turn. l. 14. c. 4. sinister orbis & interior ad metam fuit (& ut Salmas. p.936. exerc. Plin.) dexter exterior & longius à meta. Idem confirmat J. Castalion in var. lect. l. 1. & Bulling. de circo c. 29. unde Sil. Ital. l.16.

Sed lævo interior stringebat tramite metam.

Ovid. l.3. Amor. El.2.

Nunc stringam metas interiore rota.

& ipse noster infra ℣s.170.

Radit iter lævum interior, &c.

sic palma præripiebatur. & ℣s.203.

Dum proram ad saxa suburget interior. Emmeness.

Gressum.] Vulgata quidem exemplaria *cursum* habent. Sed in Romano & pleris-

Litus ama, & lævas stringat sine palmula cautes;
Altum alii teneant. dixit. sed cæca Menœtes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diversus abis? iterum pete saxa, Menœte,
Cum clamore Gyas revocabat: & ecce Cloanthum
Respi-

plerisque aliis uno exemplo legas, *gessum.* De navigatione tamen *cursum* potius dici passim observes. *Pierius.*

163. *Litus ama.*] *Litus* est omne, quod aqua alluitur. Unde & saxum *litus* vocavit. *Servius.*

Litus ama & lævas.] In Longobardico legere est, *litus amet. levas*, non quod utrunque de palmula dicatur: nam qui sensus in palmula, ut amare possit, nisi figurate dicatur? Sed quia *am'et* per Apostrophen, una elisa vocali, scriptum fuerit in antiquis: Quam scriptionis rationem, aliquot veterum inscriptionibus, quæ adhuc in marmoribus restant, alibi comprobavimus. Et quia forte dicerent aliqui apostrophen apud Latinos in uno tantum verbo *est* fieri solitam: Invenimus *hor' unc* pro *horum hunc*. In antiquissimo monumento ad Divi Bartholomæi Pontem, qui jungit insulam Æsculapii Janiculum versus, ita luculentissimo scriptum Senariolo, *gnatos duos creavit horunc alterum.* Ibi enim *u* & *m* literæ una cum aspirationis nota elisæ sunt. nisi quis maluerit *Horunc* pro *Horunce*, positum. ut ex *Hocce*, *Hocc.* demum *Hoc:* de quo superius disputatum eo loco, *Hoc erat Alma parens.* Pierius.

Stringat.] Radat: ac si diceret, Hoc volo, quod times. *Servius.*

Palmula.] Extrema pars remi in modum palmæ protenta. *Idem.*

Palmula cautes.] Palmula pars remi latior: unde ἐλίαστην πλάτην ἁλίαν, κωπηλατεῖν· & apud Eurip. ἐκθεινόντας εἰναλίαν πλάτην· & ταρσοὶ κωπῶν apud Pollucem palmulæ remorum dicuntur. Vide apud Bayf. ταρσὸς παραξύστην, & παραχαράκτην. Catullus autem *palmulas* & *palmas* dixit: *Sive palmulis opus foret volare, sive linteo:* & alibi, *Cærula verrentes abiegnis æquora palmis.* Ut autem hic *littus ama*, *altum alii*, Propert. *Alter remus aquas, alter tibi radat arenas, Tutus eris: medio maxima turba mari.* Germ.

Stringat sine palmula cautes.] Et in navali & curuli certamine metam quam proxime præterire laudi putabatur, inpingere in eam, periculum minabatur contendentibus. inde Horat. lib. 1. od. 1.

—— *metaque fervidis*
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.

Emmeness.

164. *Sed cæca.*] Τὸ πρέπον nautarum: quod durum genus nec facile tractandum. De quo Scal. l. 3. c. 15. Poët. *Taubmannus.*

166. *Quo diversus abis.*] Alii sic distinguunt:

Quo diversus abis iterum? p. s.

Alii:

Quo diversus abis? iterum p. s.

Ita primum esset imperantis: alterum admirantis: tertium per indignationem interrogantis. Rationem igitur haberent distinct. omnes. *Fabric.* Idem.

Iterum.] Hoc verbum & à poëta potest dici, ut, *Iterum revocabat:* & à Gya, ut *Quo abis iterum:* non, *iterum pete.* Servius.

167. *Et ecce.*] Multi expungunt *&*, quod in antiquis codicibus particulam eam adserant non inveniri. Id qua ratione suffulciant, viderint. Ego sane & in Vaticanæ bibliothecæ codicibus, & in plerisque aliis, qui mihi præ manibus fuerunt, passim *&* ipsum notatum animadverti: quare pro iis, qui Throchæum quarto loco statuere in hoc versu volunt, nihil habeo certi, quod ex antiquis codicibus afferre possim. *P.*

169. *In-*

Respicit instantem tergo, & propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyæ scopulosque sonantis
Radit iter lævum interior, subitusque priorem
Præterit, & metis tenet æquora tuta relictis.
Tum vero exarsit juveni dolor ossibus ingens:
Nec lacrimis caruere genæ. segnemque Menœten,
Oblitus decorisque sui sociûmque salutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister:
Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.

At

169. *Inter navemque.*] *Que* vacat. *Servius.*

170. *Subitusque.*] In Mediceo, & antiquis aliquot aliis codicibus, *subito* legitur. Sicui magis nomen faciat satis, integrum unicuique est, quam maluerit, lectionem eligere. *Pierius.*

171. *Metis tenet æquora tuta relictis.*] Hæc fuit felicitas Cloanthi, ut citius ad metam perveniret, quia interior ivit, id est, sinisterior: itaque evasit inter navem Gyæ, & inter scopulos, qui erant ad saxum illud, ubi sita erat meta: evasit vero in pelagus jam expeditum, & liberum. *Cerda.*

172. *Exarsit juveni.*] Causa pendet ex causa. Horatius, *Non ego hoc ferrem calidus juventa consule Planco.* Servius.

Exarsit dolor.] Animi generosi indicium, dolere palmam sibi ereptam: quod & in Equis, 3. G. ostendit. *Taubmannus.*

173. *Nec lacrimis caruere genæ.*] Nimis irascentum est. Cicero de Verre, *Cum irasceretur, lacrimas vix interdum teneret.* Servius.

Nec lacrimis.] Similis affectus in certamine Homerico, ubi enim princeps unus illius cursus se videt superari, erumpit in lacrimas præ iracundia,

Τοῖο δ' ἀπ' ὀφθαλμῶν χύτο δάκρυα χωομένοιο.

Hujus vero ab oculis fundebantur lacrimæ irati.

Iterum, an de eodem, excidit,

— τῷ δ' οἱ ὄσσε
Δακρυόφιν πλῆσθεν:
— eique oculi
Lacrimis impleti sunt.

Cerda.

174. *Decorisque sui.*] Inhonestum enim est irasci, duci præsertim. *Servius.*

Sociûmque salutis.] Possumus intelligere, *oblitus salutis suæ socium*, id est, gubernatorem. Possumus & *socium salutis oblitus*, pro *sociorum*, præcipitato scilicet gubernatore. *Idem.*

175. *Deturbat.*] In antiquis aliquot codicibus, *detraxit*, venustate, & proprietate haud quaquam pari. Est & in *Deturbat* subitarius impetus. *Pierius.*

176. *Ipse gubernaclo.*] Ut ostenderet, nihil esse, quod etiam ipse, qui non profusus erat, posset implere. Ut in VI. Æneid. *Cui deinde subibit.* Serv.

177. *Hortaturque viros.*] Aut ipse dicit Celeusma. Nam *hortatores* dicuntur, aut id *hortatur* ideo, quia consternati fuerant, perdito gubernatore. *Idem.*

Clavum.] Fustem gubernaculi. *Id.*

Fundo vix tandem redditus.] Præcipitatus Menœtes, & *vix*, & *tandem* emersit ex undis. Ideo *tandem*, quia *vix*. Dicit caussas difficultatis & moræ. Cadenti enim in præceps, ne mature possit emergere, impedimento fuerunt & vestes & senectus. *Donatus.*

Imo est.] In nonnullis codicibus antiquis,

At gravis ut fundo vix tandem redditus imo est
Jam senior, madidaque fluens in veste, Menœtes;
Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit.
Illum & labentem Teucri, & risere natantem:
Et salsos rident revomentem pectore fluctus.
Hic læta extremis spes est accensa duobus
Sergesto Mnestheique, Gyan superare morantem.
Sergestus capit ante locum, scopuloque propinquat:
Nec tota tamen ille prior præeunte carina:
Parte prior: partim rostro premit æmula Pristis.
At media socios incedens nave per ipsos

Hor-

tiquis, *est* verbum desideratur: In aliquot aliis per apostrophen scriptum invenias *im'est*. Sed hæc quoniam ætas nostra videtur abhorrere, quamvis ita sæpe in codicibus antiquis scripta repperero, pluribus tamen locis, ne cuipiam fastidio sim, consulto dissimulabo. *Pierius.*

178. *Jam senior, madidaque fluens in veste, Menœtes.*] Contra illud, quia occurrebat gubernatorem natandi peritum fuisse debere: addidit seniorem veste madida. Et ideo *gravis madida. Fluens* autem, id est, cui vestis fluebat. honeste locutus est: sic Juvenalis, *Et multo stillaret penula nimbo.* Servius.

181. *Risere natantem.*] Unde in ludis voluptas quæritur. *Idem.*

182. *Revomentem.*] Sæpius vomentem, vel quod diu hauserat. *Idem.*

Et salsos rident revom.] Hom. Od. ε. στόματος δ' ἐξέπτυσεν ἅλμην πικρήν. & Aristot. ἀποπτύει τὴν θάλασσαν, respuit mare. *Germ.*

183. *Spes est accensa duobus.*] Duobus postremis spes accessit ex casu Gyæ, quoniam ejus mora poterat prodesse sequentibus, ut superiores efficerentur. Propinquabat scopulo Sergestus, sic tamen, ut non tota navis esset libera: pars quippe ejus videbatur præteriisse, pars vero premi posterioris rostro. *Æmulam Pristin* dicit, quæ transire conabatur. *Donatus.*

Mnestheique.] In codicibus aliquot antiquis, *Mnesthei* legitur. ut in Georgicis, *inferias Orphei.* Eaque est recta declinatio: quamvis *Mnestheo* per Synizesin legi posse non negarim. *Pierius.*

184. *Morantem.*] Imperitia gubernantis. *Servius.*

186. *Nec tota tamen ille prior præeunte carina.*] Nonnulli eo syllabarum similium concursu offensi, qui apparet in *tota tamen*, neque non aliqua omnino asperitate, quæ resultat, ex continuatione dictionum itidem duarum *prior præeunte*, versum in vocaliorem quandam musicam redegere. Itaque in antiquis plerisque codicibus versus hoc legitur ordine dictionum, *nec tamen illud prior tota præeunte carina.* Sed utcunque isti auribus ita suis adblandiantur, nihil est in lectione illa pervulgata, quod me vel tantillum offendat. *Pierius.*

187. *Partim.*] In codicibus aliquot antiquis, *partim* legitur: nescio an mutatione ea familiari ex *e* in *i*, an adverbium esse voluerint: mihi sane magis placet *partem* nomen. *Idem.*

Æmula Pristis.] Ejusdem rei studiosa. Ut, *illo æmulo atque imitatore studiorum meorum*: Cicero in Cæsarianis. Alias *inimicum* significat. *Servius.*

189. *In-*

Hortatur Mnestheus: Nunc, nunc insurgite remis,
Hectorei socii; Trojæ quos sorte suprema
Delegi comites: nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gætulis Syrtibus usi,
Ionioque mari, Maleæque sequacibus undis.
Non jam prima peto Mnestheus, neque vincere certo.
Quamquã ô! sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti.
Extremos pudeat rediisse. hoc vincite, cives,

Et

189. *Insurgite.*] E contra Lucanus, *Atque in transtra cadunt.* Serv.

190. *Hectorei.*] Aut fortissimi, qualis Hector fuit: aut quondam Hectoris. *Idem.*

Hectorei socii.] Id est, fortissimi. aut, quondam Hectoris. De qua emphasi Scal. l.3. c.78. *Taubm.*

Trojæ sort. sup.] In exscidio Trojæ. *Idem.*

192. *Gætulis.*] Africanis. à parte totum. Nam Getulia Mediterranea est. Syrtes vero juxta Libyam sunt. sic de Syrtibus Horatius, *Ubi Maura semper æstuat unda.* Fuisse autem Trojanos in Syrtibus ille indicat versus, *In brevia & Syrtes urget, miserabile visu.* Serv.

193. *Ionioque mari.*] Quando juxta Charybdin navigaverunt. *Idem.*

Maleæque.] *Malea* promontorium est Laconicæ provinciæ: unde sunt *sequaces*, id est, persecutrices: ut, *Capreæque sequaces Inludunt.* Idem.

Maleæque sequacibus undis.] *Malea* promontorium est Laconiæ, quod per quinque passuum millia in mare protenditur: ubi undæ sunt *sequaces*, id est, persecutrices, & quæ crebro retrahunt spe jam tutos & securos. Unde & Proverb. *Maleam legens, quæ domi sunt, oblivíscere.* Propert. l.3. el. 17.

Et placidum Syrtes portum, & bona litora nautis
Præbeat hospitio sæva Malea suo.

Græcis μάλεα & μάλεια scribitur. *Taubmannus.*

Maleæ.] De Malea, promontorium quæ est Laconicæ terræ, Mela l.2. c.3. circa quod periculosa navigatio. unde Stat. Theb. l.2.

Spumantis Maleæ formidatum caput.

l. 4.

Et dubiis Malea vitata carinis.

& l. 7.

— *raucæ circumsonat ira Maleæ.*

Strabo l.8. ἔστι δὲ τραχὺς ὁ περίπλους οὐδεὶς ἀπὸ μαλεῶν ἀρξάμενος, &c. Sophiano appellatur *Cabo Malio.* graviora superata esse pericula, in memoriam revocat, quod prudentis est ducis officium. Ita Cæsar, congressurus cum Germanis, ut suis addat animos, superatos Germanos docet ab Helvetiis, quos tamen vicerant Romani. Cæsar l.1. de bell. Gall. *hos esse Germanos, quibuscum sæpenumero Helvetii congreßi non solum in suis, sed etiam in illorum finibus plerumque superassent, qui tamen pares esse nostro exercitui non potuerint.* Emm.

194. *Prima.*] Quasi quæ soleo. *Servius.*

Mnestheus.] Ille victor semper. *Idem.*

195. *Quamquam ô.*] In antiquis plerisque codicibus imperite, ineptequé abrasa est castior lectio, scilicet, *Quamquam ô*, & ejus loco repositum *quemquam*, ut ab eo pendeat; *Vincere certo*: quod valde absurdum est, suos tamen habet amatores. *Pierius.*

196. *Extremos pudeat rediisse.*] Ita Horat. in Arte:

Occupet extremum scabies. mihi turpe relinqui est. Taubm.

Hoc vincite.] Loco victoriæ sit, ultimos non redire. *Servius.*

197. *Ne-*

Et prohibete nefas. Olli certamine summo
Procumbunt: vastis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahiturque solum. tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit: sudor fluit undique rivis.
Adtulit ipse viris optatum casus honorem.
Namque furens animi, dum proram ad saxa suburget
Inte-

197. *Nefas.*] Modo opprobrium. *S.*

198. *Ærea.*] Fortis: ut, *Et junctos temo trahat æreus orbes.* Nam puppis ærea non est, sed prora. *Idem.*

Ærea puppis.] In Romano codice, *puppes* per *es* nominativo casu numeri singularis habetur. Eamque veram esse lectionem ex Valerii Probi præceptione conjicimus, qui vocabulum hoc nominativum in *es* mittere ostendit, dum ait, *Puppes*, *Valles*, *Rupes*, *Vulpes*, *Aspes* nominativo singulari proferri: At nunc vix unum aut alterum ex his pronuntiari per *es* videas. Tot ea fuerunt quæ Grammatici juniores, usumne secuti nescio, an abusum, immutarunt. *Pierius.*

199. *Subtrahiturque solum.*] Unicuique rei quod subjacet, unde est *solum* navis mare: & aër avium. & est verbum, cujus perlucida significatio per naturam non invenitur. *Servius.*

Solum.] *Solum* sæpe significat, quicquid alteri rei substernitur, & veluti pro fundamento est; Vel dicas, *solum* esse, quod Dialectici vocant superficiem cujusque rei. sic mare *solum* dicitur Virgilio: sic cœlum Ovidio,

Astra tenent celeste solum, formæque Deorum.

sic & apud Aristot. (observatore Germano) ὑποκείμενον, quæ vox signat quicquid subjacet, accipitur pro quocumque fundamento, sive terreum sit, sive aqueum, sive aërium, unde & ab interpretibus *solum* redditur. Isidorus accipiens, ut solet, à Grammaticis, ita definit l.11. c.1. *Solum dicitur omne, quod aliquid sustinet, quasi solidum; unde & terra solum, quod cuncta sustineat, & solum pedis, quod totam corporis molem portet.* Et notabis non tantum *solum* communem esse vocem mari, & cœlo, sed fretum, sed æquor. Ennius apud Nonium:

Crassa pulvis oritur, omnem pervolgat cæli fretum.

Accius in Atreo:

Sed quid tonitru turbida torvo
Concussa repente æquora cœli
Sensimus sonare? Cerda.

200. *Sudor fluit undique.*] Hæsit Homer. 16. Iliad. —— ἱδρὼς
Πάντοθεν ἐκ μελέων πολὺς ἔῤῥεεν:
Undiq; ex membris fluebat sudor multus.

Ennius 15. Annal. dixit:

Totum sudor habet corpus, multumque laborat.

Loquitur de Cælio, quem hostes plurimi circumvenere in acie. *Idem.*

Rivis.] Quasi rivis, more rivorum: ac si *rivatim* diceret. *Servius.*

202. *Furens animi.*] Figurate dixit: ut, *Præstans animi juvenis.* Idem.

Furens animi, dum proram ad saxa suburget.] In codicibus aliquot antiquis legere est, *nanque furens animis.* Sed enim Arusianus Messius *furens animi* casu quippe genitivo, elocutionis modum loco hoc agnoscit. quanquam Virgilius alibi *furens animis* dixerit, ut eo loco, *Ecce furens animis aderat Tirynthius.* Est & *suburguet* per *u* post *g*, Attiano more in antiquis plerisque codicibus. Sed Attium Velius Longus Auctorem appellat vitiosum. *Pierius.*

Suburget interior.] *Interiorem* hic Turnebus accipit, quod propinquiore spatio & breviore ad scopulum, qui meta erat, pergeret: ex illo Ciceronis loco, *Nam cursu interiore brevi utitur orbe*: qui locus respondet, meo judicio,

Interior, ſpatioque ſubit Sergeſtus iniquo;
Infelix ſaxis in procurrentibus hæſit.
Concuſſæ cautes, & acuto in murice remi
Obnixi crepuere, inliſaque prora pependit.
Conſurgunt nautæ, & magno clamore morantur:
Ferrataſque trudes, & acuta cuſpide contos
Expediunt; fractoſque legunt in gurgite remos.
At lætus Mneſtheus, ſucceſſuque acrior ipſo,
Agmine remorum celeri, ventiſque vocatis,

Prona

cio, illi Æn. 11. de Camilla: *magnumque agitata per orbem Eludit gyro interior, ſequiturque ſequentem*: nimirum quod illa in perſequendo & agitando hoſte, quem obequitationibus & gyris vexabat, ſemper & arte & potiore loco, videretur centrum orbis & interiora tenere. *Germ.*

203. *Interior.*] Siniſterior. Cicero, *Quem omnia intus canere dicebant.* Saluſtius, *Igitur introrſus prima Aſiæ Bithinia eſt.* Servius.

Iniquo.] Anguſto: ut, *Et ſilvis inſedit iniquis.* Idem.

204. *Procurrentibus.*] Prominentibus, & objectis & velut obviam venientibus. *Idem.*

205. *Murice.*] Saxi acumen eminens per tranquillitatem. *Idem.*

Murice.] *Murex*, cochlea eſt in dorſo faſtigiata inſtar acuti ſaxi, ita ut torno acuminata videatur. Ab hac muricis conchylii ſimilitudine vocavit acumen ſaxi eminens, & aſperum, cui remi & verberando impacti diſſiliere. *Taubmannus.*

Murice.] Stat. l. 2. Achill. *murice frenat acuto Delphinas bijuges.* Id eſt, aſperitate, ut Non. Marcell. ſaxi, quæ Græce κλῶμαξ, qua, non cedente, crepuerunt remi & fracti ſunt. *Emm.*

206. *Prora pependit.*] Tale quid de nave Tarchontis:

—— *dorſo dum pendet iniquo.*

Et de naufragis in 1.

Hi ſummo in fluctu pendent.

Cerda.

207. *Morantur.*] Id eſt, retro agunt. *Servius.*

208. *Ferrataſque trudes.*] In Mediceo, & antiquis aliquot aliis exemplaribus, *trudes* legitur. In quibuſdam *ſudes*. Sunt vero *trudes* conti præacuta cuſpide, quibus repelluntur & naves, & alia, à *Trudendo* dicti. Neque vero timendum ſyllabæ, quum tam multa reperiantur, quæ derivata à longis, brevia tamen ipſa ſint, ut *Duces* à Duco, ita dicax, lucerna, ſopor, fragilis, coma, & hujuſmodi alia pleraque. *Pier.*

Trudes.] Pertica robuſta, qua naves propelluntur. Gyrald. de navig. c. 13. utitur & hac voce Tacit. l. 3. ann. c. 46. *quidam trudibus inertem molem proſternere.* & bene Donatus, quemque ſedulo hoc egiſſe, inquit, quod præſens poſtulabat periculum & ad liberandam navem uſui videbatur. ideo *expediunt alii, &c.* Emmeneſſ.

Cuſpide.] Iſidorus l. 8. c. 7. *Contus ferrum non habet, ſed tantum cuſpide acuta eſt.* Alii obvii. *Cerda.*

209. *Legunt.*] Vel *Prætereunt*: ſed melius *Legunt*, id eſt, collegunt. Nam ſequitur, *Et fractis diſcentem currere remis.* Servius.

210. *Succeſſu acrior.*] Ex incommodo Sergeſti. Sic ℣ſ. 231.

Hos ſucceſſus alit.

Sic ſolet homines inflatos reddere ſucceſſus Pro eo Juſt. l. 24. c. 4. *Hortante ſucceſſu.* Suet. in Ner. c. 20. *blandiente profectu.* qui tamen non paucos ad perniciem devocat, ut Phædr. l. 3. f. 6. *Emmeneſſ.*

212. *Pro-*

Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.
Qualis ſpelunca ſubito conmota columba,
Cui domus & dulces latebroſo in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plauſumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre labſa quieto
Radit iter liquidum, celeris neque conmovet alas.
Sic Mneſtheus, ſic ipſa fuga ſecat ultima Priſtis
Æquora: ſic illam fert inpetus ipſe volantem.
Et primum in ſcopulo luctantem deſerit alto
Sergeſtum, brevibuſque vadis, fruſtraque vocantem
Auxilia, & fractis diſcentem currere remis.

Inde

212. *Prona.*] Vicina litoribus. Unde *altum*, eſt longe poſitum. *Servius.*

Prona maria.] Facilitatem reditus voluit demonſtrare: *pronum* enim dicimus, quicquid difficultatem non habet, & *arduum*, quicquid difficulter ſuperatur. *Donatus.*

Pelago decurrit aperto.] Signate dicit, *decurrit*: quaſi alto mari, quod proprie *pelagus* eſt. *Apertum* vocat ſcopulis aut brevibus non infeſtum. *Taubmannus.*

213. *Columba.*] Ubique de his domeſticis *columbas* Virgilius dicit. Perſius vero ait, *Teneroque columbo Eſt ſimilis.* Nam agreſtes, *palumbes* vocantur. *Servius.*

Qualis, &c.] Hanc Comparationem Scal. l.4. c.6. exemplum ponit *Venuſtatis mollioris* (quam prudentiam quandam electionis, & collocationis δεξιότητα vocat) in ſupremo Orationis charactere. *Taubm.*

215. *Exterrita pennis.*] Pinnarum concuſſione terrorem ſignificans: ut, *Timuitque exterrita pinnis Ales.* Non enim timet pinnis: ſed indicat timorem. *Servius.*

216. *Dat tecto ingentem.*] In codicibus aliquot manu ſcriptis, *Plauſumque exterrita pennis Dat tergo ingentem,* legitur: Sed *tecto* omnino melius. *Pierius.*

217. *Radit.*] Secat. *Servius.*

Liquidum.] Purum aërem. *Idem.*

218. *Ultima.*] Obſervo, credo, alicubi, *ultimum* æque dici de utroque extremo, verbi gratia, *anni ultimi ætatis*, ſunt anni & pueritiæ, & ſenectutis. Cicero enim dixit, *pueritiæ memoriam recordari ultimam.* de altero exempla abundant, & hic ita capiendus Virgilius. Ceterum hæret Poëta in ſermone Circi. Ita enim hic *ſecat ultima*, ut Eurip.

— ἐπ' ἄκραν ἥκομεν γραμμὴν:
— *venimus ad ſummam lineam.*

& Sen. ep.26.

Decrepitos, & extrema tangentes. Cerda.

220. *Et primum.*] In codicibus aliquot antiquis *at*, in aliis *ac*, ſed hoc melius, niſi *et* malueris. *Pierius.*

221. *Brevibuſque vadis.*] *Brevia*, ſunt vadoſa loca maris, navigantibus inſidioſa: quod ibi undæ breves ſint, nec in altum adſurgant. ita *Syrtes*, loca ſunt importuoſa & undarum brevibus infeſta. Æn. 1.

In brevia & Syrtes urget. Taubmannus.

Fruſtra.] Quis enim ei relicta victoria ſubveniret. *Servius.*

222. *Fractis diſcentem currere remis.*] Jocoſe & argute. Et habet ſpeciem Proverbii, in eos, qui tenui præſidio nituntur. *Taubm.*

Inde Gyan, ipſamque ingenti mole Chimæram
Conſequitur. cedit: quoniam ſpoliata magiſtro eſt.
Solus jamque ipſo ſupereſt in fine Cloanthus:
Quem petit, & ſummis adnixus viribus urguet.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique ſequentem
Inſtigant ſtudiis: reſonatque fragoribus æther.
Hi proprium decus, & partum indignantur honorem,
Ni teneant: vitamque volunt pro laude paciſci.

Hos

223. *Ingenti mole Chimæram.*] Ita ſupra,

Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram
Urbis opus. Cerda.

224. *Magiſtro eſt.*] Et hoc quoque per apoſtrophen ſcriptum in antiquis aliquot exemplaribus hoc modo, *magiſtreſt*: de qua ſcribendi ratione exempla veterum alibi recitavimus. *Pierius.*

225. *Ipſo ſupereſt in fine.*] Prope terminum certaminis. Ut, *ſpatia etſi plura ſuperſint, Tranſeat elapſus prior.* Servius.

Solus jamque ipſo, &c.] Ultimum certamen Mneſtheo cum Cloantho eſt. Conanti tranſire Mneſtheo magis favebat ſpectantium turba. Qui locum primum tenebant, hunc ne amitterent, laborabant; itaque ducebantur gloria, ut hanc ſaluti ſuæ præſumerent proponendam. Alterius navis viros, qui primum locum præripere nitebantur, erigebant res ſecundæ & fortunæ ſuffragium, eo magis, quod videbantur auſus ſuos poſſe complere. *Donatus.*

226. *Adnixus viribus urguet.*] In Longobardico *adniſus* per *ſ* ſcriptum, cujus ſcriptionis rationem alibi reddidimus. Et in aliquot aliis antiquioribus *urguet*, uti paulo ante *Suburguet*, ex inſtituto Attii. *Pierius.*

228. *Inſtigant ſtudiis.*] Sententiam ex Homero hauſit, apud quem Græci Ulyſſem excitant hortanturque, ut victoriam Ajaci præripiat, qui in curſu præcedebat,

—— *ἴαχον δ' ἐπὶ πάντες Ἀχαιοὶ*
Νίκης ἱεμένῳ, μάλα δ' ὀτρύνοντι κέλευον:
—— *Acclamabant vero omnes Achivi*
Victoriæ cupido, valde autem feſtinantem hortabantur. Cerda.

Reſonatque fragoribus.] In Romano codice antiquiſſimo, & in aliquot aliis manu ſcriptis legere eſt, *reſonatque fragoribus æther.* ut id totum de remigatione intelligatur, & plauſu, qui per ſtrepitum editur. Quanquam neque *clamoribus* diſplicet, quum dictum ſit, *Cunctique ſequentem Inſtigant ſtudiis*: quod per clamores fieri neceſſarium eſt. Sane in Mediceo *Clamoribus* habetur: Sed ibidem *reſonatque* ſcriptum eſt, quod rationem metricam vitiaret: niſi quis amphimacrum in hoc genere carminis ferre poteſt. *Pierius.*

229. *Proprium decus.*] Quaſi jam partam victoriam & honorem ni teneant, indignantur. *Servius.*

230. *Vitamque volunt pro laude paciſci.*] Id eſt, mutare ex pacto vitam cum laude. ita 12. Æn.

—— *letumque ſinas pro laude paciſci*,

id eſt, eligere mortem pro laude. Scal. lib. 4. cap. 12. *Taubm.*

Vitamque volunt pro laude paciſci.] Simile eſt illud Terentianum in Phorm. 1.3.14. *ut mihi liceat, quod amo, frui. jam depeciſci morte cupio.* pro eo Sil. l. 7.

—— *& unanimi vel morte emiſſe volebant*
Spectari Fabio.

Stat. Theb. l. 1.

—— *hac ævum cupiat pro luce paciſci.*

Emmeneſſ.

231. *Suc-*

Hos ſucceſſus alit: poſſunt, quia poſſe videntur.
Et fors æquatis cepiſſent præmia roſtris:
Ni, palmas ponto tendens utraſque, Cloanthus
Fudiſſetque preces, divoſque in vota vocaſſet:
Dî, quibus imperium eſt pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in litore taurum
Conſtituam ante aras voti reus, extaque ſalſos
Porri-

231. *Succeſſus.*] Fœlicitas. *Servius.*

Poſſunt, quia poſſe videntur.] Sperabant victoriam opinione ſpectantium: ut, *Cunctique ſequentes Inſtigant ſtudiis.* Idem.

232. *Et fors.*] Pro *fortaſſe.* Idem.

233. *Palmas utraſque.*] Diximus ſupra antiquum hoc eſſe. Carminius tamen dicit (qui de elocutionibus ſcripſit) per naturam vitioſam eſſe hanc elocutionem: & ſive *utranque palmam,* ſive *utraſque palmas* dixerimus, eſſe in aliquo uſurpationem. *Idem.*

Ni palmas.] Feſtivum commentum, ſed tamen pium: quo docetur omnem victoriam cælitus dari. unde & *Victoriam* deam pinnatam finxerunt, ut è cælo devolare poſſet. Auſonius:

——— *ab æthereo præpes Victoria lapſu.*

Romæ Victoriæ ſimulacrum de cælo tactum fuit: ejuſque ſolæ alæ deciderunt. Illud prodigium fauſtum eſſe interpretatus eſt Pompejus: quod inde avolare Victoria amplius non poſſet. *Taubmannus.*

235. *Imperium pelagi.*] Id eſt, *In pelago:* ut, *Dii quibus imperium eſt animarum.* Servius.

Di, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro.] In antiquis primum codicibus, *Di* per arctationem literarum: ut apud Varronem eſt, uno fere legitur exemplo. In Longobardico mox una plus dictione *imperium eſt pelagi,* ut etiam apud Servium eſt. In Oblongo Vaticanæ Bibliothecæ, in Mediceo, & in aliquot aliis omnino vetuſtis, *imperium pelagi eſt.* Sed enim judicio meo recte factum in Romano, ubi verbum id tam inconſtans locum non habuit. Demum in exemplaribus aliquot antiquis, *quorum æquore* ſeptimo caſu legitur. Sed *æquora* quarto caſu magis ſplendida videtur elocutio. *Pierius.*

236. *Lætus.*] Victor: à præcedenti quod ſequitur. *Servius.*

Lætus ego hoc candentem in litore taurum.] In Romano codice abſque *in* præpoſitione locali legitur, quod magis placet. In Mediceo una plus dictione legitur, *ego hoc candentem in litore,* ut cito etiam ſoluturum ſe votum innuat. *Pierius.*

237. *Ante aras.*] De quibus paulo poſt, *Pars ſpoliant aras.* Servius.

Voti reus.] Debitor. Unde vota ſolventes, dicimus *abſolutos.* Inde eſt; *Damnabis tu quoque votis,* quaſi reos facies. *Idem.*

Voti reus.] Id eſt, voti debitor. unde & *vota ſolventes* dicimus abſolutos: ut Serv. exponit. Quanquam Joſ. Caſtalio Decade 3. cap. 9. hæc non probat. ſed,

Conſtituam taurum ante aras voti reus, ipſi eſt, Ex voto taurum immolabo, & ſacrificium, ſuſcepto voto, faciam. Ita Statius l. 6. Th. *Voti reum* dicit, qui vota ſub conditione ſuſcepiſſet. Macrob. l. 3. c. 2. vocem hanc ait eſſe Sacrorum propriam: ut *Reus* vocetur, qui, ſuſcepto voto, ſe Numinibus obligat: *Damnatus* autem, qui promiſſa ſolvit. Vide Not. V. Ecl.

——— *damnabis tu quoque votis.*

(ita n. leg. pro vulg. *non*) Servius P. Danielis, Æn. 4. ỳſ. 699. *DAMNARE* *eſt*

Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Dixit,

est damno afficere, id est, *debito liberare*. *Ideo &, cum vota suscepimus*, *Rei VOTI dicimur, donec consequamur beneficium, & donec condemnemur, id est, promissum solvamus*. Livius l. 7. *Inter ipsam dimicationem L. Furius ædem Junoni Monetæ vovit, cujus DAMNATUS voti, cum Victor domum revertisset, Dictatura se abdicavit*. Et lib. 10. *Ut ædem etiam fieri senatus juberet, bis ejusdem VOTI DAMNATA Repub. in religionem venit*. Et l. 27. *DAMNARENTURQUE VOTORUM, quæ pro ipsis suscepissent*: & alibi sæpius. *Vota* vero *solvi*, & *reddi* dicebantur. de quibus accurate Brisson. l. 1. Formul. Vide & Not. Eclog. 5. vs. 80. *Taubm.*

238. *Porriciam.*] Exta projiciuntur in fluctus. *Aris projiciuntur*, hoc est porriguntur. Nisi forte dicamus etiam fluctibus offerri. quod si est, *Porriciam* legendum est, id est, *porro jaciam*. Servius.

Porriciam.] Non sum nescius, quid Macrobius lib. III. Saturnalium super hoc verbo tradiderit. Antiqua tamen omnia exemplaria, quotquot habere potui, uno eodemque exemplo legunt, *proiciam*: idque unico *i* pro sui temporis consuetudine. Ut tamen verbum hoc immutatum sit, Macrobius Grammaticorum, & Librariorum imperitia factum ait. *Pierius.*

Extaque salsos Porriciam in fluctus.] Ex Hom. Il. τ. ἡ, καὶ ἀπὸ στόμαχον κάπρου τάμνηλέϊ χαλκῷ, τὸν μὲν Ταλθύβιος πολιῆς ἁλὸς ἐς μέγα λαῖτμα ῥίψ᾽ ἐπιδινήσας βόσιν ἰχθύσιν. Cæterum auctoritate Macrobii adductus legendum contendit Barn. Brissonius, *extaque salsos Porriciam in fluctus*, contra eorum sententiam qui *Prosiciam* legunt, existimatque aliud fuisse *prosecare*, aliud *porricere*: quæ res à veterum sacrificiorum ritu atque ordine ipsi pendere videtur. Notat igitur ante fuisse *prosecta*, tum deinde *porrecta exta*, quod hostiæ cæsæ exta prosecarentur primum, dein porricerentur, hoc est, aris inferrentur, seu imponerentur, & *Prosecare* esset exta minutatim concidere: *Porricere* vero, ut Varro lib. 1. De re rustic. cap. 29. interpretatur, *exta Diis dare*. Ita *dissecta exta Diis porrici*, in altaria, aram, focumve, eove quo exta reddi debebant, offerri imponi ipse etiam Brissonius asseverat, cum Prosecta exta aris imponi solita doceat Ovidius lib. 12. Metamorph. *Cujus ut imposuit prosecta calentibus aris*. Idem lib. 4. Fastor. *Ast ubi visceribus vitulos rapuêre ministri, Sectaque fumosis exta dedere focis, Igne cremat vitulos quæ natu maxima virgo est.* ubi observat ordinem, secta fuisse exta, post data: & quod ait *exta dedere*, porricere exponit, his locis variis suam firmans sententiam, Varronis lib. 4. De ling. Lat. *Insicia ab eo quod insecta caro*, ut in carmine Saliorum est. Quod in extis dicitur nunc *prosectum*, & Lactantii Statii interpretis, qui particulas minutas membrorum omnium ait dici *prosecta* in sacris, quæ inferuntur aris. Item ex Dionys. Halicarn. lib. 7. cum ait, δείραντες καὶ μελίσαντες, ἀπαρχὰς ἐλάμβανον ἐξ ἑκάστου σπλάγχνου, καὶ παντὸς ἄλλου μέλους, ἃς ἀλφίτοις ζέας ἀναδεύσαντες προσέφερον τοῖς θύουσιν ἐπὶ κανῶν, οἱ δὲ ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιτιθέντες ὑφῆπτον, notatque actiones diversas in sacris, λαμβάνειν ἀπαρχὰς ἐξ ἑκάστου σπλάγχνου, hoc est, prosecare; nam *prosiciæ* in veteribus glossis ἀπαρχαὶ τῶν θυμάτων definiuntur. item, ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιτιθέναι, quod est *porricere*. Sed & Festum adducit, aut certe Paulum, apud quem *Prosicium* est, quod *prosecatum porricitur*, & Varronis locum lib. 11. Rerum divinarum, apud Nonium, *Prosiciem extorum vel in mensam porricere*. Docet etiam Nonium prosecta exta explicare, quæ aris dantur ex fibris pecudum dissecta. Et quod Varro lib. 5. De lingua Lat. ait ex mercibus libamenta Herculi porrecta, Tertullianum in Apologetico, in aram imposita dicere: Cum de decima, ait, *Herculis nec tertiam partem in aram ejus impo-*

Dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereïdum Phorcique chorus, Panopeaque virgo;
Et pater ipse manu magna Portunus euntem
Inpulit. illa noto citius volucrique sagitta
Ad terram fugit, & portu se condidit alto.
Tum satus Anchisa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro:
Muneraque in navis ternos optare juvencos,
Vina-

imponitis. Et quoniam etiam extra aras exta Diis dari jus erat, rite Virgilium vult Brissonius, cum Diis marinis sacrificium fieret, exta dixisse in fluctus *porrici*, quod *prosecari* in fluctus non esset congrua locutio, nec hoc recti sermonis oratio pateretur, cum prosecandi verbum motum non admittat. Denique superiorem Virgilii lectionem confirmare Livium lib. 29. ubi Scipio è prætoria navi Deos precatus, *Secundum*, ait, *eas preces cruda exta, cæsa victima, uti mos, in mare porricit.* nec locum illum emendationem illam *Prosiciam in fluctus*, ferre. *Germ.*

Porriciam.] Verbum hoc antiquum & genuinum, ut Steph. in lect. Virg. lib. 4. ad sacra pertinet, de quo Macrob. l. 3. Saturn. c. 2. pro ara aut mensa libatur hic in mari, ut Turn. l. 11. c. 7. *E.*

240. *Phorcique.*] Latine *hic Forcus, hujus Forci* dicimus: nam apud nos, Græca hujus nominis non est declinatio. Est autem hic Forcus deus marinus. *Servius.*

Panopeaque virgo.] Una de Nereidibus: quam ideo separatim dixit, ut illas non virgines intelligamus. *Idem.*

241. *Portunus.*] Deus marinus, qui portubus præest. Et bene *Impulit* eum ipse jam vicinum portui. Nota est autem fabula. Indignata Juno, quod ex pellice sua Semele natus Liber pater, ab Ino matertera ejus esset nutritus, Athamanti viro ejus regi Thebanorum, sive, ut quidam volunt, Orchomeniorum, furorem immisit, qui cum occiso Learcho filio dum eum feram credit, Melicertam alterum filium cum Ino uxore sua persequeretur, & se illi in mare præcipitassent, voluntate numinum in deos versi sunt: Melicerta in Portunum, qui Græce *Palæmon* dicitur: Ino, in matrem Matutam, quæ Græce dicitur *Leucothea.* Idem.

243. *Portu se condidit alto.*] Id est, usque ad interiora pervenit. *Idem.*

244. *Ex more.*] Ludorum, scilicet per præconem. *Idem.*

245. *Victorem.*] *Primum* Cloanthum subaudis. Nam & illi duo victores Sergesti: unde paulo post habes: *Quum modo navali Mnestheus certamine victor Consequitur.* Idem.

Præconis voce.] Alludit ad ritum antiquum, quem laudat Corn. Nep. in præfat. *magnis in laudibus fuisse tota Græcia victorem Olympiæ citari.* Vide Fabr. Agonist. l. 2. c. 13. Turneb. l. 26. c. 17. *Emmeness.*

246. *Advelat.*] Non Æneas, sed præco. qui enim victores declarabat, etiam coronabat. Cic. l. 5. ad Lucejum epist. *Præcones ludorum gymnicorum cum cæteris coronas imposuerunt victoribus, eorumque nomina magna voce pronunciarunt, &c.* Taubm.

247. *Optare.*] In Romano codice legere est, *optare*: ut munera sint honestiora, quæ scilicet victores ex sua possent libidine seligere. Eaque lectio in quibusdam aliis vetustis exemplaribus habebatur. Qua abrasa, *aptare* inde suffectum est. *Pierius.*

Vinaque, & argenti magnum dat ferre talentum.
Ipſis præcipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura mæandro duplici Melibœa cucurrit:
Intextuſque puer frondoſa regius Ida

Velo-

248. *Dat ferre.*] Græcum eſt duo verba conjungere, ut paulo poſt: *Donat habere viro.* ſed hoc datur poëtis. *S.*

Dat ferre.] Simile illud Terentii A. 3. 2. 4. *Quod juſſi ei dare bibere, & quantum imperavi, date.* Ad quem locum Donatum conſule. noſter hoc l. ꝟſ. 307. *dabo ferre bipennem.* lib. 6. Æn. ꝟſ. 688. *Datur ora tueri.* Horat. l. 1. Ep. 16. *da fallere.* Homer. lib. x. Iliad. ꝟſ. 115. *δωτέμεν ἄγειν.* hic *ferre* pro *auferre.* Idem l 4. od. 8. *neque tu peſſima munerum ferres.* Emm.

Magnum talentum.] Ut diximus, quiddam breve: ſed *Magnum* dixit, comparatione alterius. *Servius.*

Magnum dat ferre talentum.] Cum dicit, *magnum talentum*, credibile eſt, eum reſpicere ad talentum Atticum majus, quod valuiſſe dicitur coronatos octingentos: minus autem ſexcentos. Quintil. l. 9. c. 3. *Pontanus.*

250. *Chlamydem.*] Quid *Chlamys*, dictum 4. Æn. ꝟſ. 137. Hic veſtem prætextam deſcribi ait Turneb. eandemque Phrygiam: nam acu pingere Phryges invenere. l. 14. c. 4. *Taubm.*

Circum.] Id eſt, in parte extrema: ut diximus. *Servius.*

251. *Mæandro duplici.*] Flexuoſo. & dicit, Erat in chlamyde flexuoſa & in ſe remeabilis purpura, in modum Mæandri fluminis Cariæ provinciæ, qui ſinuoſus eſt. *Idem.*

Purpura mæandro, &c.] Χλαμὺς περιπόρφυρος. *Duplicem* vocat ſinuoſum vel ſimpliciter geminum. Lucr. l. 2.

Jam tibi barbaricæ veſtes, Melibœaque fulgens
Purpura Theſſalico concharum tincta colore.

Eſt autem *Melibœa* Theſſaliæ civitas. Et hunc Mæandrum limbum tortuoſum bene expreſſit etiam Statius:

At tibi Mæonico fertur circumflua limbo
Pro meritis, Admete, chlamys

Euripides hujuſmodi fimbrias ambituſve & ornamenta περιδρόμους vocat. Et ut Virgilius hic *Currere* ad artificium Phrygionum vel ſutorum tranſtulit, pro eo quod eſt κύκλῳ περιφέρεσθαι: ita Hom. θέειν, ad figuli opificium & rotam, Odyſſ. 18. de quo Euſtath. *Taubm.*

Mæandro.] Mæandrum *genus picturæ* nominat Feſtus *à ſimilitudine flexuoſi amnis, qui Mæandrus dicitur.* vel ut N. Marcell. *ab opere laberynthorum ortum, claviculis illigatum.* inde *facies mæandrata*, quæ multas habet picturas ſive orbiculos pictos, quibus gaudet delicatum feminarum genus. Mæandri autem conficiebantur in veſtibus à multitudine pannorum & faſciarum, unde veſtes dicebantur bilores, trilores, pentelores, ut hæc Salmaſ. ad Hiſt. Aug. Script. vol. 2. p. 575. *Emm.*

Melibœa.] Melibœenſis. Alii putant Mileſia. Eſt autem civitas Theſſaliæ Melibœa. *Servius.*

Melibœa.] Sic dicta eſt purpura ab inſula, in qua tinctio illius celebris. Feſtus: *Melibœa purpura à nomine Inſulæ, in qua tingitur, eſt dicta.* Illius mentio apud Lucretium lib. 2.

Jam tibi barbaricæ veſtes, Melibœaque fulgens
Purpura Theſſalico concharum tincta colore.

& Sidonium epiſt.

Rutilum toreuma byſſo.
Rutilaſque ferte blattas,
Recoquente quas aheno
Melibœa fucat unda. Cerda.

252. *Regius.*] Trois regis Frygiæ filius. *Servius.*

Iu-

Velocis jaculo cervos cursuque fatigat
Acer, anhelanti similis: quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.
Longævi palmas nequicquam ad sidera tendunt
Custodes: sævitque canum latratus in auras.
At qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Levibus huic hamis consertam auroque trilicem
Lori-

Intextusque puer.] Significat, chlamydi intextum fuisse, quo pacto Ganymedes, Trois regis filius, in venatu ad montem Idam ab Aquila in cœlum sit raptus. De quo & Hom. Iliad. 20. & Ovid. lib. 10. Met. Fab. 5. comparat autem hæc cum aliis Scal. l. 5. c. 16. *Taubmannus.*

253. *Fatigat.*] Laus picturæ, quasi gerat. *Servius.*

254. *Acer.*] Id est, velox. *Præpes.*] Modo volans. *Idem.*

255. *Sublimem.*] In altum. *Idem.*

Præpes armiger] Id est, avis armigera. Poëtis sæpe est *Præpes*, qui Græcis οἰωνὸς, id est, avis rapax, ut aquila & accipiter, quod volatu valeant. quanquam hîc exponi tantum potest *armiger volans.* Turneb. l. 23. c. 5. & l. 29. c. 4. *Taubmannus.*

Jovis armiger.] Ita & Ovid.

——— *quæ fulmina curvis*
Ferre solet pedibus. Idem:
——— *magni præpes adunca Jovis.*

Horat. 4. Od. 4.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex deorum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Juppiter in Ganymede flavo. Idem.

256. *Longævi, &c.*] Δολιχαίωνες, & μακραίωνες. Est autem in his egregia διατύπωσις: de qua Scal. l. 3. c. 32. Vides, *inquit*, ἦθος: quia & senum interest, amissa requirere, & custodum sarcire damna. & πάθος, *Tollunt palmas:* item amplius, *Nequicquam*. illud vero exactissimum,

——— *sævitque canum latratus in auras.*

ubi & Physiologia est, à fide canis: & expressio ejus miro carmine. quis enim ex pictura visu percipiat latratum? *Idem.*

Palmas ad sidera tendunt.] Aut mirantes: aut increpantes deos. *Servius.*

Palmas ad sidera tendunt.] Sic Stat. Thebaid. lib. 1. de Ganymede rapto, qui nostrum imitatur, hic & in plurimis:

Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alis.
Gargara desidunt surgenti, & Troja recedit.
Stant mœsti comites, frustraque sonantia laxant
Ora canes, umbramque petunt, & nubila latrant. Emmeness.

257. *Sævitque canum latratus.*] Ex Vario: cujus hæc sunt, quæ jam in Bucol. videmur exhibuisse: *Ceu canis umbrosam lustrans Cortynia vallem, Si veteris potuit cervæ comprendere lustra, Sævit in absentem, & circum vestigia lustrans Æthera per nitidum, &c.* Germanus.

258. *Virtute secundum.*] Quia primus favore vicerat numinum. Unde & Præmia dantur Congrua: illi chlamys, deorum continens fabulam: huic lorica, id est, virtutis insigne. *Servius.*

259. *Levibus.*] Minutis & omni subtilitate perfectis, ostendit illam fortem & pulchram. Deinde accedit tertia laus, ab auctore. *Donatus.*

Hamis auroque.] Hamis aureis. *Serv.*

Trilicem.] Loricæ videntur ex eo *trilices* appellatæ, quod cum essent hamis vel squamis ferreis consertæ, præterea tribus erant liciis ornatæ per eas currentibus. Turn. l. 29. c. 35. Vide Not. 3. Æn. v. 467. *Taubm.*

Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto,
Donat habere viro, decus & tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem, conixi humeris. indutus at olim
Demoleus cursu palantis Troas agebat.
Tertia dona facit geminos ex ære lebetas;
Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis.

Jamque

261. *Simoënta.*] Venit à nominativo Græco, non in ις, sed in εις, exeunte, ut σιμόεις σιμόεντος. *Servius.*

Sub Ilio alto.] O brevis fit sequente vocali. *Idem.*

Sub Ilio alto.] Græcorum imitatione, qui pro Poëtica opportunitate & modulo vel elidunt, vel retinent vocalem ante vocalem. Sic autem Æsch. in Agamem. sub persona Clytæmnestræ de Agamemnone, τόσον δ' ὅσονπερ ἐστὶν ὑπ' ἰλίῳ· & ibidem, τόνδ' ὑπ' ἰλίῳ σέθεν κίνδυνον· & post paulo, ὀλέσαι ὑπὸ τρίῳ. *Germanus.*

262. *Decus & tutamen.*] Quia triplex & aurea. *Servius.*

Decus.] Propter aurum. *Donatus.*

Tutamen.] Propter texturam trilicem laudat Demoleum, quia illa armatus agebat hostes. Laudat magis Æneam, qui illum vicerit ac spoliaverit, & portaverit. Laudat eum, cui donatur: quia & ipse portare optime posset, propterea que esset dignus dono. *Idem.*

Donat habere viro decus, &c.] Ad hunc locum vide Victor. var. lect. l. 38. c. 17. *Emmeness.*

263. *Vix illam, &c.*]Illustris ἀκριβολογία: ubi & loricæ gravitatem circumscribit, & Demolei fortitudinem. Unde & hoc colligas: Si Demoleo victor detraxit, quantum putes Æneam? Scal. l. 3. cap. 32. Idem de qualitate monosyllabi, *Vix*, differit lib. 4. c. 47. *Taubmannus.*

Phegeus Sagarisque.] Nominatim dicendo addidit laudem. *Servius.*

265. *Cursu palantis Troas agebat.*] Ad Æneæ, qui eum vicit, pertinet laudem. *Servius.*

266. *Geminos lebetas.*] Respexit duo lebetum genera, ἐμπυριβήτας, & ἀναθηματικά. Turneb. lib. 26. c. 17. *Taubmannus.*

267. *Cymbiaque.*] Pocula sunt in modum cymbæ navis. *Servius.*

Cymbiaque argento.] Utebantur etiam poculis argenteis, quibus imagunculæ quædam & gemmæ erant insertæ. atque ipsa pocula navis forma erant effigiata, quam Latini *Cymbam* dixerunt. Signa autem nominat imagines: ut & ℣. 536. *Cratera impressum signis.* Habuerunt & gemmas insertas: ut 1. Æn.

—— *gravem gemmis auroque* ——

immo habebant pocula tota gemmea. *Taubmannus.*

Cymbiaque.] Inter vasa numerat Non. Marcell. qui ex Varrone de vita P. R. l. 1. hæc habet: *Erant inter vasa vinaria aquilinæ pateræ, Cymbia, &c.* vide l. 3. G. ℣. 66. *Emmeness.*

Aspera signis.] Hoc est ἀνάγλυφα. *Servius.*

Aspera signis.] Quia cælata variis imaginibus. *Leve* & *asperum* opponitur apud Juvenal. Sat. 24. ℣. 62.

Hic leve argentum, vasa aspera tergeat alter.

Stat. Achill. l. 4.

—— *Clipeumque iis jungere donis*
Qui pulcher signis, auroque asperrimus ardet.

Sic *asper nummus*, Turnebo monente l. 8. c. 28. est recens, & cujus forma integra est. *Emmeness.*

268. *Om-*

Jamque adeo donati omnes, opibuſque ſuperbi,
Puniceis ibant evincti tempora tæniis:
Cum ſævo è ſcopulo multa vix arte revolſus,
Amiſſis remis, atque ordine debilis uno,
Inriſam ſine honore ratem Sergeſtus agebat.
Qualis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens,

Ærea

268. *Omnes.*] Qui vicerunt ſcil. *Serv.*

Donati omnes.] Infra: *nemo non donatus abibit.* Germanus.

269. *Puniceis tæniis.*] Vittis roſeis: & ſignificat lemniſcatas coronas, quæ ſunt de frondibus & diſcoloribus faſciis. & ſicut dicit Varro, magni honoris ſunt. *Tænis* autem modo vittis: alias vittarum extremitates dicit: ut *Fit longa tænia vittæ.* Servius.

Puniceis tæniis.] Vittis roſeis. *Donat.*

Puniceis tæniis.] Id eſt, roſeis vittis: & ſignificat coronas lemniſcatas, quæ erant è frondibus & faſciis diſcoloribus; olim magni honoris, teſte Cic. & Varrone. Feſtus ait, *Tæniam* eſſe *laneum ornamentum capitis honorati:* ad quæ Scal. videatur. Turn. l.26.c.30. dictum cenſet è conſuetudine coronarum certaminum ſacrorum, quibus faſciæ, quæ & *tæniæ* & *lemniſci* poſſint dici, adderentur. Domitius Cæſar inſtituit *Agonas Capitolinos*, in quibus omne genus artificum certabant, Citharœdi, Hiſtriones, Poëtæ, aliique. Unde & mos *Poëtarum laureatorum* primum manavit: qui poſtea à Cæſaribus ipſis Germanis coronabantur: magnoque in pretio ſemper erant, qui id honoris virtute ingenii conſecuti eſſent. In veteribus autem Capitolinis agonibus qui vicerant, corona & ramo lemniſcatis, aut torque involutis donabantur. Sed qui ſecundi erant, eorum coronæ & palmæ ſine lemniſcis erant. id vel ex Auſonio cognoſcas ad Paulinum:

Et quæ jamdudum tibi palma Poëtica pollet
Lemniſco ornata eſt; quo mea palma caret.

De quibus Scal. ad Auſon. l.1.c.10. ſed hæc quaſi obiter. *Taubm.*

Tæniis.] Hoc loco plerique codices antiqui, *Tenis* unico *i* ſcribunt. Qui geminare malunt, alii Dactylicum eſſe verſum: alii pro unico tantum *i* accipi debere contendunt. Non diſſimulabo quod in antiquo codice pro *Teniis*, *vittis* ſcriptum eſt: ſed id ſumptum ex paraphraſi, quum omnino *Teniis* hic agnoſcant docti omnes. *Pierius.*

270. *Arte.*] Id eſt, virtute. Quod Græce ἀρετὴ dicitur. *Servius.*

E ſcopulo multa vix arte revolſus.] In Romano codice, *ex ſcopulo* legitur. & *revolſam*, quippe *ratem* legas. Cui lectioni adſtipulatur etiam Oblongus codex pervetus, ubi *revolſam* habetur. In aliis *revolſus* quippe Sergeſtus legitur, veluti vulgata habent exemplaria. *Pier.*

271. *Atque ordine debilis uno.*] Sergeſtus ſcilicet. Et bene ex mutatione conquiſivit ornatum. Nam inrideri & ſine honore eſſe, hominis eſt: remis carere, navis. *Servius.*

Ordine debilis uno.] Ταῤῥωμα, & ταρσωμα ordo & ſeries remorum Polluci: & ταρσοὶ κωπῶν & νεῶν, ſeries remigii in triremibus, & palmulæ ipſæ remorum. *Germanus.*

272. *Inriſam.*] In antiquis omnibus exemplaribus, *irriſam* vel *inriſam* legi: tametſi ſuperius *Inliſa prora pependerat.* Nam quæ in ludis male ſuccedunt, riſu excipi ſolent. Ut quum Niſus lapſum ſe lamentaretur, riſit pater optimus. Et quum Menœtes in aquas à Gya deturbatus eſſet, *Illum & labentem Teucri, & riſere natantem, Et ſalſos rident revomentem pectore fluctus.* Pierius.

273. *Viæ in aggere.*] *Agger* eſt media viæ eminentia, coaggeratis lapidibus ſtrata. Unde *viæ aggere* dixit. *Serv.*

Aggere.]

Ærea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator,
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus;
Parte ferox, ardensque oculis, & sibila colla
Arduus adtollens; pars volnere clauda retentat
Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem.
Tali remigio navis se tarda movebat:

Vela

Aggere.] Ait *agger viæ*, nam viæ publicæ, ut quæ militari labore erant munitæ, exaggerabantur, ut imber deflueret, minusque lutulentæ redderentur. Proinde *agger* pro *via* usurpatur, quod jam Turnebus monuit l. 11. c. 6. ex Sidonio:

Antiquus tibi ne teratur agger:
Cujus per spatium satis vetustum
Nomen Cæsareum viget columnis.

& epist. 5. lib. 5. *ad usque aggerem calcabili silice crustarunt crypticis arcubus fornicavit.* id est, ad usque viam. Serv. etiam: *agger est media viæ eminentia, coaggeratis lapidibus strata.* Cerda.

Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens.] Non dissimilis comparatio apud Ovid. l.6. Met. ℣s. 558.

Utque salire solet mutilatæ cauda colubræ,
Palpitat, & moriens dominæ vestigia quærit.

& Lucret. l. 3. *Emmeness.*

274. *Ærea.*] Fortis: ut, *Ærea puppis.* Servius.

Gravis.] Fortis, ut, *Gravibus certamina remis.* Idem.

276. *Tortus.*] Hos tortus, id est, sine causa tentat incessus. *Idem.*

Dat tortus.] *Tortus* vocat elationem & vibrationem spiræ, τὴν καμπὴν, ἢ ἐπιςροφὴν, & ut Cicero;

Vidimus immani specie tortuque draconem
Terribilem.

Vide H. Grotium ad Aratum. *Taubm.*

277. *Et sibila colla Arduus adtollens.*] In Romano codice legere est, *pars sibila colla arduos adtollens.* Sed quantum ad emendationem primam pertinet, quum jam dictum sit, *Parte ferox ardensque oculis*, melior mihi videtur illa continuatio, *& sibila colla Arduus attollens.* Loco vero suo est, *Pars vulnere clauda retentat.* Quod vero *arduos* & hic & alibi scriptum sit toto eo codice, Carisius eam scriptionem in plurium syllabarum nominibus improbat: nempe ne aliqui ita inde acciperent pronuntiandum, veluti *Divos*, *Servos*, *Vivos*, & bissyllabum esse *arduos* existimarent: quare addit *Carduus*, *Arduus*, trium syllabarum. *Pierius.*

278. *Clauda.*] Ab homine transtulit. Cicero, *Mancam ac debilem Præturam tuam.* Servius.

Volnere clauda.] Ita Tacit. l. 2. Annal. de navibus fractis: *Claudæ naves raro remigio revertere.* Ita Lucret. de avib. l. 6.

Claudicat extemplo pennarum nisus inanis,
Et conamen utrinque alarum proditur omne.

Et lib. 4. —— *in portu clauda videntur*
Navigia —— Taubm.

279. *Nexantem nodis.*] Utrunque *nodis* & *nodos*, in antiquis habetur exemplaribus: Sed ubi *nodos*, ibi itidem *nexantem* à *Necto nectis* habes. Ubi vero *nodis*, plurimum ibi *nixantem* frequentativa forma à *Nitor*, legere est, quod alibi non memini me legere. Sed enim hoc citato loco *nexantem nodis*, ut etiam in codice Mediceo est, agnoscit Priscianus à *Nexo nexas*. Pierius.

Nexantem nodis.] Vett. libri & *nodis*, & *nodos* agnoscunt. *Taubm.*

Membra.] Etiam hoc ab homine transtulit. *Servius.*

281. *Vela*

Vela facit tamen, & velis subit ostia plenis.
Sergestum Æneas promisso munere donat,
Servatam ob navem lætus, sociosque reductos.
Olli serva datur, operum haud ignara Minervæ,

Cressa

281. *Vela facit tamen.*] Ἀνακόλουθον. Nam non præmisit, Quanquam remigare non possit. *Idem.*

Vela facit.] Dicimus *dare vela. ducere vela. facere vela* & *pandere vela.* De his loquendi formulis exempla habet Baif. de re navali. An Dædalo an Icaro velorum inventio adscribenda sit disputat L. Gyrald. de navig. c. 14. *Emm.*

Plenis velis.] Facit contra nauticam consuetudinem: nam subituri portum demittunt vela; sed necessitas coëgerat, quia carebant remis. *Donatus.*

Subit ostia.] Portus: ut supra diximus, ideo quia exitus fluminum frequenter portus efficiunt. *Servius.*

Velis subit ostia plenis.] Antiqua omnia, quæ legerim hactenus exemplaria, à vulgatis omnibus diversa sunt, duarum dictionum transmutatione, *& velis subit hostia plenis.* Erunt tamen aliqui, qui vulgatam lectionem *ostia velis*: ut suaviorem magis probent, & *ostia plenis* ut duriusculam improbent. unusquisque autem aures consulat suas. *Pier.*

282. *Promisso.*] Aut magno: aut ante promisso, κατὰ τὸ σιωπώμενον, ut intelligamus in omnibus ludis illud esse servatum, *Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.* Quod etiam in pyctali ait certamine, *Victor, velatum auro vittisque juvencum: Ensem atque insignem galeam solatia victo.* Aut certe promisisse eum intelligamus, quando vidit navem periclitantem. *Servius.*

283. *Navem.*] Non adeo triviale cuipiam videatur, si male legi in codicibus plerisque etiam veteribus *navim* per *im* dixero; quum Varronis præceptum sit apud Fl. Sosipatrum, ut *avem*, & *navem* per *e* dicamus: quoniam ab hac *Ave*, & *Nave* faciat, quibus accusativus per *i* dari non potest. Cicero tamen *avi incerta* dixit. *Pierius.*

284. *Olli serva datur operum haud*] Longe alio numero carmen hoc habetur in codicibus quibusdam antiquis, in quibus ita legitur, *olli serva operum datur haud ign. Min.* Puto vero ita transpositas fuisse dictiones, quod aliqui penthimemerim ut brevem Poëtæ nostro noluerint indulgere. Nam in priori eademque vulgata lectione nihil est, quod me offendat. Ne vero quis observationes hujusmodi ut inanes, & nullius pene momenti stomachetur, sciant, eos, qui versus faciunt, eo curiosius hujusmodi numeros observare solere, quo peritiores sunt, & elegantiores haberi volunt. Neque illud præterierim, quamquam leve, *haut* in antiquis plerisque codicibus, per *t* scriptum esse: quod & Pontanus agnovit priscorum consuetudine. & *haud*, *d* quidem litera terminari Sosipater dicit, admittere tamen sonum vocis, ut per *t* scribatur. Placuit tamen posterioribus, ut *Aut* conjunctio, & *Haud* adverbium primis, & ultimis literis differrent. *Idem.*

Operum haud ignara Minervæ.] Perita lanificii. *Servius.*

Operum haud ignara Minervæ.] Sic & Græci in texturis, telis, lanificio, variegaturis ἔργα dicunt: Hom. Il. ζ. ἔργα γυναικῶν Σιδονίων· & Il. ψ. θῆκε γυναῖκα ἄγεσθαι ἀμύμονα ἔργ' εἰδυῖαν· unde & ἐργάνη Minerva. *Germanus.*

Olli serva datur oper. h. ign. Min.] Respexit Maro Homerum, qui Iliad. ψ. vs. 259.

Νηῶν δ' ἔκφερ' ἄεθλα, λέβητάς τε τρίποδάς τε,
Ἵππους θ', ἡμιόνους τε, βοῶν τ' ἴφθιμα κάρηνα,
Ἠδὲ γυναῖκας ἐϋζώνους, πολιόν τε σίδηρον·
Ἱππεῦσιν μὲν πρῶτα ποδώκεσιν ἀγλά' ἄεθλα

Θῆκε

Cressa genus Pholoë, geminique sub ubere nati.
Hoc pius Æneas misso certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant silvæ: mediaque in valle theatri
Circus erat, quo se multis cum milibus heros
Con-

Θῆκε γυναῖκα ἄγεσθαι ἀμύμονα ἔργ' εἰδυῖαν. & ỳs. 700.
Ἀνδρὶ δὲ νικηθέντι γυναῖκ' ἐς μέσσον ἔθηκε
Πολλὰ δ' ἐπίστατο ἔργα.
Sic præmii loco datam feminam docet Ovid. Epist. 3. Heroidum:
—— *Forma præstante puellæ*
Lesbides. & quidem post certamen habitum vel finitum bellum. idem libro 11. ỳs.
Nec pars militiæ Telamon sine honore recessit,
Hesioneque data potitur. Sil. Ital. l. 16.
Laus Burni prima infixit qui spicula metæ
Est Damon serva, albantes invertere lanas
Murice Gætulo docta.
recte *operum,* nam inde apud Græcos *minerva ἐργάνη.* Ælian. var. Hist. l. 1. c. 2. Quemadmodum hæc *Cressa genus Pholoë* dicitur, sic Hor. l. 3. od. 9. *Thressa Chloë.* E.

285. *Cressa genus.*] Hoc est, Cretensis, & hoc est figura Græca: ut, *Qui genus, unde domo.* Servius.

Cressa genus.] Plena laus servæ, quæ est ab artificio, à genere, & à fœcunditate. *Donatus.*

Pholoe.] Nomen proprium: erat autem lactans. Nam infantes lactentes dicimus. *Servius.*

Ubere.] In Romano codice, *sub ubera* quarto casu numero plurali legitur: Sed *ubere* figuratius est, & magis placet. *P.*

Sub ubere nati.] Sic & Græcis ὑπομάζιοι παῖδες, & βρέφη. *Germanus.*

287. *Gramineum.*] Graminosum. Cicero de hastis, *Bene etiam ne gramineas hastas.* Quia *gramineum* est ex gramine: *graminosum* gramine abundans. *Serv.*

Collibus undique curvis.] Mutavit. Non enim silva colles habet: sed est in collibus silva. Debuit dicere, Quem colles cingebant silvis. *Idem.*

288. *Mediaque in valle theatri.*] Media in valle erat circus theatri, id est, spatium spectaculi. Et *theatri* Græce dixit à circunspectione. Omne spectaculum *theatrum* possumus dicere, ἀπὸ τῆς θεωρίας: non enim est speciale nomen. *Idem.*

Theatri circus erat.] In valle media erat circus theatri instar; vel spacium spectaculi. Nam omne spectaculum, inquit Serv. possumus *Theatrum* dicere, ἀπὸ τῆς θεωρίας. Lycophron in Cassandra ejusmodi locum θεατρόμορφον, id est, *Theatriformem* appellat. Justinus l. 24. in descriptione Parnasi: *Media saxi rupes in formam theatri recessit.* Calpurnius in Bucol. 7.
Qualiter hæc patulum vallis contendit in orbem,
Et sinuata latus, resupinis undique silvis,
Inter continuos curvatur concava montes:
Sic tibi planitiem curvæ sinus ambit Arenæ.
J. Cæs. Bulengerus l. 1. c. 9. de Theatro, putat Virgilium sensisse, mediam partem theatri Circum efficere: quasi Theatrum (Isid. l. 18, 42.) olim rotundum fuerit; & Circus semicirculi aut Lunæ dividuæ formam expleverit. Nisi, inquit, enallage sit Casuum. q. d. mediaque in parte Circi theatrum erat: quia Circus rotundus fuit; Theatrum semicirculum explevit; Amphitheatrum, circulum. *Circulum* autem Tertullianus, Libro de Spectaculis, c. 8. à *Circe* dictum docet; quæ primum patri Soli spectaculum ediderit, unde & κιρκήσια, Circenses ludi Græcis. *Taubmannus.*

289. *Circus erat.*] De circo maximo & præcipuis ejus partibus (ad quem alludere

Consessu medium tulit, exstructoque resedit.
Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat pretiis animos, & præmia ponit.
Undique conveniunt Teucri, mixtique Sicani,
Nisus & Euryalus primi.
Euryalus forma insignis, viridique juventa;
Nisus amore pio pueri. quos deinde secutus

Regius

ludere videtur poëta) Onuphr. Panv. l. 1. de L. Circ. c. 5. & 6. *Emm.*

290. *Consessu medium tulit.*] Ordo est, Quo se Æneas medium tulit cum multis millibus, & extructo consessu resedit. *Servius.*

Medium tulit.] Honoris ergo ita apud Justinum l. 9. c. 6. *ad quorum spectaculum Philippus cum sine custodibus, medius nter duos Alexandros, contenderet.* Eandem locutionem agnoscit Corn. Nep. n Datame l. 4. *quem procul Aspis conbiciens ad se ferentem pertimescit.* Emm.

Exstructoque.] In Ant. *exstructo* nulla detrita litera. Sed enim id asperum omnino nimium videtur, quattuor onsonantibus, & earum una duplici nter duas vocales constipatis. *Pierius.*

Exstructo.] Allusum ad militaria tri unalia, quæ ducibus ex aggesto & extructo cespite attollebantur ad conciones, de quibus loquar lib. 12. Hic tanum adducam locum Ammiani, quia l verbi usurpat ex l. 26. *Progressus Va ntinianus in campum, permissusque triunal ascendere celsius structum, &c.* Cerd.

291. *Cursu.*] Auctor est Pausanias, Eleos primos omnium sine ullo veteris memoriæ exemplo instituisse certamen cursus, sicut & luctæ. Multa qui scire velit de hoc gymnico certamine, adeat Petri Fabri Agonistica, & Hieronynum Mercurialem de Re Gymnast. tque etiam Wolfgangum Lazium. hi nim complexi sunt, quæ multis alii. entencia est Homericis istis Iliad. 23.

Καὶ τ' Ἀχιλλεὺς θῆκεν ἄεθλον οὗ ἑτάροιο,
Ὅστις ἐλαφρότατος ποσὶ κραιπνοῖσι πέλοιτο:

Et hoc Achilles posuit præmium sui socii,
Quicunque levissimis pedibus velocissimus esset. Cerda.

292. *Animos.*] *Eorum* subaudis. *Servius.*

Præmia ponit.] Pro *proponit.* Sic apud Phædr. l. 1. fab. 15. *bibere jussit posito præmio.* Emmeness.

293. *Mixtique Sicani.*] Quia ait, *Pars & certare parati.* Servius.

295. *Forma insignis.*] Id est, decorus. *Idem.*

Viridique juventa.] Ætates omnes Varro sic dividit, *Infantiam, pueritiam, adulescentiam, juventam, senectam.* Hæ tamen, sicut etiam de temporibus supra diximus, singulæ trifariam dividuntur, ut sit prima viridis, præceps: hinc est, *Et viridi juventa:* &, *Cruda deo viridisque senectus:* item Sallustius, *Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingressus, matre sua veneno interfecta.* Idem.

Viridique juventa.] Hanc notam ascribe Lævino in Horatium. Ut Græci χλωρὸν, aut χλοερὸν dicunt, pro ἀκμάζων, teste Suida, Hesychio, aliis, ita Latinis *viror.* Hîc Virg. *viridi juventa.* Ovid. *viride ævum.* Horat. *virent genua.* Idem, *Donec virenti canities abest.* Ad eum modum *flos,* & *florere* de ætate sunt frequentissima. Plura istis ille. *Cerda.*

296. *Amore pio pueri.*] Casto, non infami, aut genitivus est, & dicit eum ob hoc venisse, ne amicum relinqueret. aut distinguendum per se, & est nominativus pluralis: ut *Pueri* non referamus ad ætatem, sed ad agonale studium, in quo sunt puerorum & virorum separata certamina. Nam dicuntur, licet

Regius egregia Priami de ſtirpe Diores.
Hunc Salius, ſimul & Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeææ ſanguine gentis.
Tum duo Trinacrii juvenes Helymus Panopeſque,
Adſueti ſilvis, comites ſenioris Aceſtæ.
Multi præterea, quos fama obſcura recondit.
Æneas quibus in mediis ſic deinde locutus:
Accipite hæc animis, lætaſque advertite mentis:
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Cnoſſia bina dabo levato lucida ferro

Spicula,

cet non ſint unius ætatis παῖδες, ἄνδρες. *Servius.*

297. *Diores.*] Alterius Dioræ viri jam, & militaris commeminit Poëta in bello Latino 11. Æneid. quem Turnus interfecit una cum fratre Amyco. *Cerda.*

298. *Salius ſimul & Patron.*] Turnebus Nomina hæc pleraque non ficta, ſed ex hiſtoria petita cenſet: quem vide l. 26. c. 17. *Taubm.*

Acarnan.] Epirota. Acarnania enim eſt pars Epiri. *Servius.*

Acarnan.] Scribendum eſt acuto accentu in ultima ſyllaba. *Acarnan.* Oxytona enim Ακαρναν Αινιαν ab oppido, quod in Ponto Strabo memorat. *Atintan, Athaman, Aizan*, gentium nomina, quæ aucta in genitivo in pene ultima circumflexum habent ΑκαρνανοΣ, ΑινιανοΣ. Pierius.

299. *Ab Arcadio.*] In Romano codice, *Arcadio*, quippe ſanguine legitur: quæ denominationis forma apud Val. Flaccum eſt, *Arcadio cujus armata veneno Tela.* Sed enim hic *ab Arcadia* longe caſtior eſt lectio. Eſt & ubi legatur, *Alter ab Arcadio Tegeææ ſanguine gentis*, abſque *de* præpoſitiva particula. *Idem.*

Tegeææ ſanguine gentis.] Si derivativum fuerit, *de* non ſequitur: ſi *Tegeæ* legerimus, non ſtat verſus, niſi addita *de* ſyllaba. Derivativum autem ille indicat locus, *Tunc lateri atque humeris Tegæum ſubligat enſem.* Tegæum autem oppidum eſt Arcadiæ, à Tegæo Arcadiæ filio. *Servius.*

300. *Helymus.*] Ecce ubi ſubtiliter Elymum cum Aceſte ad Siciliam dicit veniſſe, cum ait, *comites ſenioris Aceſtæ.* Idem.

Helymus.] In Romano codice, ſemper *Helemus* per *e* media ſyllaba, non per *y* ſcriptum invenias. Sed enim *Helymum* Heroïs nomen memorat Strabo, & reliqui omnes antiqui codices, unc conſenſu *Helymum* legunt: niſi qui *Helenus*, aut quid corruptius habent. *Pierius.*

301. *Adſueti ſilvis.*] Id eſt, venatores. *Servius.*

302. *Multi præterea.*] Dictum hoc Macrobius obſervat ex imitatione Ennii, qui prius, *Multi alii adventant paupertas quorum obſcurat nomina.* Cerda

Quos fama obſcura recondit.] Hoc dicendo per contrarium illos omnes eſſe nobiles indicavit. *Servius.*

Quos fama obſcura recondit.] Apoll. 4 ἀνώνυμοι καὶ ἄφαντοι ἐπιχθονίοισι δαῆναι. *Germanus.*

305. *Non donatus.*] Ἀδώρητος, u Theocr. ιϛ. οὐδ' αὖθις ἀδωρήτους ἀποπέμψει. Item Hom. Il. α. ὄφρα μὴ οἶος ἀργείων ἀγέραστος ἔω. Eurip. in Hecub. οὐδ' ἀδώρητος φίλων ἔσται πρὸ ἀνδρῶν. Et Hom. Od. ι. ὡς μήτις μοι ἀτεμβόμενος κίοι ἴσης. *Idem.*

306. *Cnoßia.*] Cretenſia. Cnoſu enim civitas Cretæ. Et bene, ſicut etian in

Spiculá, cælatamque argento ferre bipennem.
Omnibus hic erit unus honos. tres præmia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva.
Primus equum phaleris insignem victor habeto:
Alter

n navibus & generalia dat & specialia. *Servius.*

Gnoßia.] Utrunque & *Cnosia* per *c*, & *Gnosia* per *g* scriptum invenio: quod ex earum literarum cognatione tantundem est. *Pierius.*

Levato.] Nitido: ut, *At levem clypeum sublatis cornibus Io.* Servius.

Levato lucida ferro.] Sic Stat. Theb. lib. 1.

Pars teretes levare manus, ac disponere mensas.

evis & *levare* scribendum absque diphthongo. consuetudini est opponendum vocis etymon λεῖος glaber. Consule Dausq. orthogr. *Emmeneß.*

307. *Spicula.*] *Spiculum* hic non sagitta est, sed telum missile: cujus ferrum, auctore Vegetio l. 2. c. 15. est triangulum, unciarum novem: hastile pedum quinque & semis. Veteres *Pilum* appellabant. Ad hujus jactum exercebantur milites: ita, ut arte & virtute directum scutatos pedites & loricatos equites sæpe transverberarent. unde . Æn.

—— *lenta lacertis Spicula contorquent.*

Erat & minus: quod primum *verriculum*, deinde *verutum* nuncupabant. *Taubmannus.*

308. *Omnibus.*] Notanda oppositio, in qua plurimus est Poëta. frequenter enim unitatem conjungit cum voce, quæ multitudinem signet. 2. Æn.

Collectis omnibus una
Defuit.

. Georg.

Omnibus una quies operum.

...erum, mens omnibus una. & in 1. *ter... magis omnibus unam.* Non dubitavem, Livium lib. 6. ex observatione Virgilii dixisse, ubi sermo est de Man...: *adeo in uno omnibus satis auxilii ...sse, nullam opem in tam multis uni esse?* & iterum ad Camillum, *cede unus omnibus.* Cerda.

Primi.] Aliorum comparatione: Nam unus est primus. *Servius.*

309. *Flava.*] Viridi: ut supra, *Iaspide fulva.* Idem.

Caput nectentur.] Explica, nectentur ad caput. Sequor libenter judicium Budæi, qui inde vult casum pendere ad Græcorum imitationem, qui in simili constructione subaudiunt κατὰ. *Cerda.*

Flava oliva.] Respexit ad Olympia, in quibus Victor olea coronabatur: quod ea cariem non sentiat, &c. *Flavam* autem dixit, Æschyli epitheton in Persis secutus. ubi Interpres Græcus *flavam* dicit *olivam* vocari, quod posterior pars folii videatur porracei esse coloris: ut notat Turn. l. 24. c. 4. Ecl. 5.

—— *pallenti cedit oliva:*

& Ovid. 2. Met. Minervam dixit *flavam.* Vide & Agell. l. 2. c. 26. *Taubm.*

310. *Phaleris.*] Equorum ornamentis. sermo Græcus est. *Servius.*

Phaleris.] Per *ph* Caper in orthogr. scribendum monet. Græce φάλαρα. *a* fit *e* in *phaleræ*, ut talentum à τάλαντον. sunt ornamenta equorum. Juvenal. Sat. 11. ℣s. 103.

Ut phaleris gauderet equus.

Alludit Ovid. l. 8. Met. ℣s. 132.

Purpureusque albi stratis insignia pictis
Terga premebat equi. ——

& vera equitis sunt præmia, teste Suet. in Aug. cap. 25. Lips. de Mil. Rom. l. 5. c. 17. & Aldo Manutio de quæsitis per epist. l. 1. c. 10. inde *phaleratus equus.* quod translate pro *fucatus*, ut *phaleratis dictis ducere aliquem* apud Ter. Ph. 3. 2. 15. *Emmeneß.*

Habeto.] Habeat: tertia persona est à futuro imperativi, quæ in hoc modo numeri singularis similis secundæ est. *Servius.*

Alter Amazoniam pharetram, plenamque sagittis
Threïciis: lato quam circumplectitur auro
Balteus, & tereti subnectit fibula gemma.
Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Hæc ubi dicta, locum capiunt, signoque repente
Corripiunt spatia audito, limenque relinquunt,

Effusi

311. *Amazoniam.*] Quasi Amazoniam: ut, *Sacri Tripodes.* Servius.

Amazoniam pharetram.] Vel quasi Amazoniam. vel ea forma, qua utebantur Amazones: vel revera à bello Amazonico superstitem, cui Priamus cum Anchisa interfuit. *Taubm.*

312. *Circumplectitur.*] In codicibus antiquis plerisque omnibus una plus dictione distincta legitur, *circum amplectitur.* utrunque placet. *Pierius.*

Auro.] Ex more & elegantia veterum, quibus balteus militaris ornatus auro. Persius:

Cæcum vulnus habes, sed lato balteus auro
Protegit.

Spartianus in historia Hadriani, virtutem hujus commendans, sic ait: *Exemplo etiam virtutis suæ cæteros adhortatus, cum etiam vicena millia pedibus armatus ambularet, vestem humilimam frequenter acciperet, & sine auro balteum sumeret.* Livius lib. 9. *auratæ vaginæ, aurata baltea illis erant.* Cedrenus Chosrois ζώνην, id est, balteum, χρυσῆν, vocat, καὶ διάλιθον, *aureum, gemmatumque.* Cerda.

313. *Balteus.*] *Balteus* dicitur, non tantum quo cingimur, sed etiam à quo arma dependent. *Servius.*

314. *Galea.*] Galeam Varro à galero deducit. sunt qui ἀπὸ τῆς γαλέης, fele, aut mustella. dicuntque Galeam proprie esse, quæ à feris petitur. Isidorus certe sic discernit, *cassis de lamina est; galea de corio.* pro quo facit Tacitus de Germanis sic scribens, *vix uni, alterive cassis, aut galea,* ubi manifeste abjungit. Statius l. 7. videtur adjuvare adductum etymon,

Tela rudes trunci, galeæ vacua ora leonum.

Ista jam Lipsius lib. 3. Milit. Rom. *Cerda.*

Contentus abito.] Quasi de parvo munere. *Servius.*

Contentus abito.] Explicationem Servii de parvo munere, quam jam attuli, sequantur verba hæc Nonii: *contentus, cui res etiam parva abunde est.* Propert. lib. 3. eleg. 3.

Contentus niveis semper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.

ubi Passeratius: *Recte hic, contentus cycnis, quia parvi vectores, præ equis.* Sic idem Propertius eodem lib. eleg. 7.

Quod si contentus patrio bove verteret agros.

Sic M. Curius apud Val. Max. cap. 4. populari dono *contentus* fuit, spretis magnis præmiis. In Cedreno de re parva est ἐπιχαίρων pag. 394. Juven. Sat. 14.

Vivite contenti casulis, & collibus istis. Cerda.

315. *Hæc ubi dicta.*] Quia ignobilior fuisset hic ludus, exornat illum descriptione: quia ponit varios casus. *Donatus.*

316. *Corripiunt spatia.*] Raptim eunt, ut, *Corripit Æneas aditum custode sepulto.* Servius.

Corripiunt.] A pernicitate equus dicitur rapere terram. Vide quæ disputat Bochart. de equis l. 2. c. 6. *Emmeness.*

Limenque relinquunt.] Aut regulam, aut signum de creta factum. *Servius.*

Limen.] Id est, carceres; aut regulam

aut

Effusi nimbo similes: simul ultima signant.
Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, & ventis & fulminis ocior alis.
Proximus huic, longo sed proximus intervallo,
Insequitur Salius: spatio post deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumque Helymus sequitur: quo deinde sub ipso
Ecce volat, calcemque terit jam calce Diores,
Incum-

ut signum creta factum. Hinc *alba* illa *inea* in ludis, cujus eruditi crebro meninerunt. vide Cælium lib. 5. c. ult. *Taubmannus.*

317. *Simul ultima signant.*] Intuenes & notantes ultima spatia, id est, fiem cursus aviditate vincendi, & deest *visu:* ut Cicero, *Notat & designat oculis.* Aut signant ultima culmorum, scilicet ummitatem: signant vestigiis: ut alii, *Vix summa vestigia signat arena.* Servius.

Simul ultima signant.] Designabant ocum, qui finem cursibus daret. *Don.*

318. *Primus abit.*] Sicut & de navibus, post generalitatem transit ad specialitatem. & bene, cum tribus statuta int præmia, quinque commemorat, scilicet casuris duobus. *Servius.*

Nisus emicat.] Vide supra de Palladio b. 2. *Emicuit, parmamque tenens, &c.* Germanus.

319. *Alis.*] Velocitate: quia tam entos, quam fulmina alata fingunt oëtæ: ut, *Et alitis austri.* Servius.

Ocior alis.] Alibi, *Euro ocyor.* alibi:

— *ventos æquante sagitta.*

li tropi jucundi sunt. non ingratus est le Hesiod. in Scuto,

— ὅδ' ὥστε νόημ' ἐποτᾶτο:

— *ille autem ut mens volabat.*

ermo est de Perseo. Apud Statium . Theb. Tisiphone vocatur *igne Jovis tatior.* id est, fulmine. Plinius l. 2. c. 54. irgilio hæsit: *spiritum ocyorem fulmine.* erda.

320. *Proximus huic.*] Secundum nc locum, *proximum* autem dicimus etiam longe positum nullo interveniente. *Servius.*

Sed proximus intervallo.] Ita & Cic. in Bruto: *Duobus summis proximus accedebat, sed longo intervallo tamen proximus.* Taubm.

323. *Quo deinde sub ipso.*] Sub ipso, id est, post ipsum, juxta ipsum. *Serv.*

324. *Calcem calce terit.*] *Calcem* dicimus unde terram calcamus. Ergo non proprie dixit, *Calcem calce terit.* Plantam enim calce potuit terere: unde à parte totum accipiendum, id est, calce pedem terebat. *Idem.*

Calcemque terit, &c.] Hunc locum vindicat Scalig. lib. 5. c. 3. contra congelatos quosdam Criticos, qui Homericum illum è penult. Iliade præferebant: eumque ait imitatum esse Stat.

— *quem deinde gradu premit horridus Idas,*
Inspiratque humero flatuque & pectoris umbra
Terga premit.

Rectissime autem dixit: *Calce calcem terit.* Nam in cursu pari, æquata linea utriusque calcibus ita dirigebatur, ut calces inter se attererent. Quod fieri non potuit, si alter subsequatur. Cum enim currimus certatim, nunquam quenquam sequimur: neque enim ullum antecedentem præcurrere, aut superare possemus, si in ejus vestigia pedes poneremus. Sed à latere cursum continuamus, quemadmodum ipsis in carceribus constiteramus. neque si par sit in duobus celeritas, alter alterius occupare cursus lineam audeat. Sic enim ex curva linea

Incumbens humero: ſpatia & ſi plura ſuperſint,
Tranſeat elabſus prior, ambiguumque relinquat.

Jamque

va linea plus ſpacii faciendum ſumeret, non ſine periculo ſuo magno. Quamobrem Homerus quoque dixit, στῶν δ᾽ μεταστοιχεί. In XII. aliter,

— *trepidiq; pedem pede fervidus urget.*

Atque hæc Scaliger Pater. Filius, ad Manilium lib. I. dictum ait eodem ſenſu, quo illud Horatii,

— *ver proterit æſtas.*

& illud Manilii,

Poſteriora pedum Cynoſuræ proterit aſtra.

Taubmannus.

Calcemque, &c.] Quod Ovid. l. I. Met. *tergo imminere* dicit, quando aliquis non tantum veſtigiis inhæret, ſed eadem premit. ut de Pyrrho noſter l. 2. Æneid. ✠ſ. 529.

— *illum ardens infeſto vulnere Pyrrhus*
Inſequitur, jam jamque manu tenet, & premit haſta. Emm.

325. *Incumbens humero.*] Aut Helymi humero: aut currentis eſt geſtus. *Servius.*

Incumbens humero.] In Romano codice, in Longobardico, & aliquot aliis *humero* legitur, quod & Servius agnoſcit. Idque viciniorem oſtendit, ut non tantum calcem calce tereret, verum etiam humero antegreſſi Helymi incumbere, aut inhærere videretur. *humero* vero unitatis numero, ad exprimendum geſtum illius, qui nihil ſocium declinet, ut liberius præterire poſſit. *Nam ſpatia, ſi plura ſuperſint, tranſeat elabſus prior.* in quibuſdam *humeris*, invenias. *Pierius.*

326. *Elabſus prior.*] Ut dum labitur, id eſt, celeriter currit, ut prior fiat: ſed ſatis licenter eſt dictum. *Servius.*

Tranſeat, ambiguumque relinquat.] Verbum *tranſeo* Circi eſt. Caſſiod. l. 3. epiſt. 51. *tranſit praſinus, pars populi mœret.* Sid. in Narbone,

Ut meta ulterior remiſit omnes,
Fit collega tuus prior duobus,
Qui te tranſierant.

Sed & *relinqui*, in certaminibus eſt, ſuperari, vinci, quod in Lucretium Giſanius, & in Virgilium Germanus monuerunt. ſic Græci ἀπολείπεσθαι, & ab Iſocrate in primis νενικηκότες dicuntur ἀπολελοιπότες. Victores dicebantur antecedere. Seneca 2. de Ben. c. 25. hærens in imagine curſus, *magna illi celeritate opus eſt, magna contentione, ut conſequatur antecedentem.* & l. 3. c. 3. *Curſor metam prior contingit, velocitate alium, non animo, anteceſſit.* Porro in voce *ambiguum*, inſtitit quodammodo Poëta Homero, Il. 23.

Καί νύ κεν ἢ παρέλασσ᾽, ἢ ἀμφήριστον ἔθηκεν:

Et certe prævertiſſet, vel ambiguum feciſſet certamen.

iterum,

Τῷ κέν μιν παρέλασσ᾽, οὐδ᾽ ἀμφήριστον ἔθηκε:

Sic ipſum præteriiſſet, neque dubiam rem poſuiſſet. Cerda.

Ambiguumque relinquat.] Minus firmum ad celeritatem. *Servius.*

Ambiguumque.] In codicibus aliquo[t] antiquis, *ambiguumque.* Sed *ve* disjuncta particula magis placet: ut ex duobus alterum omnino futurum dicat. Aut quippe tranſeat, aut niſi tranſierit ambiguum relinquat, uter eorum prior fuerit. Si vero *que* legamus, ſenſus erit pari adeo eos greſſu concurriſſe, u[t] quamvis hic tranſiſſet, ambiguum tamen relicturus eſſet, quia ſocii vicinitas ſpectatores fefelliſſet. *Pierius.*

Ambiguumque relinquat.] Turnebu[s] l. 14. c. 4. *Ambiguum* exponit paren[tem] & ambigentem de curſus palma cum e[o] & victoria. & *Relinquat* idem vult eſſ[e] quod *prætereat:* quoniam qui aliquem præterit, eum poſt ſe relinquit. Plus inquit, ſpacii ſi ſupereſſet, eum præteriret, qui cum eo juris in curſu ambigu[us] fuit, quum ſimul ad metam pervenerint. Plurimi autem libri legunt *ambiguumve*, non *que*. ita exponeretur: [ſi] plus ſpacii ſupereſſet, eum præteriret au[t]

Jamque fere spatio extremo, fessique sub ipsam
Finem adventabant; levi cum sanguine Nisus
Labitur infelix: cæsis ut forte juvencis
Fusus humum viridisque super madefecerat herbas.
Hic juvenis jam victor ovans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo: sed pronus in ipso
Concidit immundoque fimo sacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
Nam

aut certe in dubio relinqueret, uter prior ad metam pervenisset. Atque hæc probat H. Stephanus: & in *ambiguum* subaudit *cursum*: ut in simili illo Hom. ἀμφήριστον subaudiatur δρόμον. Alii è JCtis explicant, apud quos *Ambigere* de locorum finibus proprie dici volunt. *Taubmannus.*

327. *Sub ipsam finem.*] *Finem* bis subaudis, Sub ipsam finem, aut fessi adventabant ad finem. *Servius.*

Sub ipsam.] In omnibus pene codicibus antiquis, *sub ipsam* fœminino genere positum inveni: de cujus nominis genere plura alibi. Sane vero præteritum non sinam locum apud Livium l. IIII. pr. Dec. *Finem ergo non fieri nec futurum*, ita vulgata habent exemplaria, virili genere. Vetus autem codex, *futuram* legit fœminino. Sunt tamen, qui *sub ipsum* hoc loco legunt. *Pierius.*

328. *Cum sanguine.*] In exemplaribus aliquot manu scriptis, *tum* habetur: sed *cum* magis placet. *Idem.*

329. *Labitur infelix.*] Quia parata victoria caruit. *Servius.*

Cæsis ut forte juvencis.] Bene rem notam, per transitum tetigit. Agonalis enim moris fuerat, post sacrificia ad certamen venire. *Idem.*

Cæsis ut.] Explicui particulam *ut* pro *ubi*. Interpretes hoc non suppeditant. Et cur pudeat à Lambino sumpsisse? Observat hic in Od. 17. l. 1. eam particulam apud bonos auctores valere idem quod, *ubi*, & præsertim in hoc loco Virgilii. Erit ergo sententia: ibi lapsus est, *ut*, id est, *ubi*, erat sanguis fusus, quem levem vocat: nam, ut ait Donatus, illum terra non biberat, & inter herbas congelatus supererat. Sic Catull.

Verum totius ut lacus putidæque paludis
Lividissima, maximeque est profunda vorago.

Id est, *ubi*. Terentius: *Mater consequitur: jam ut limen exirem, ad genua accidit.* id est, ubi, aut, cum exirem limen. Possis quoque capere vulgariter, ut dicat, Labitur in sanguine, ut forte erat fusus. *Cerda.*

330. *Fusus humum viridisque super madefecerat herbas.*] Ordo est, superfusus. *Servius.*

Humum.] In Longobardico quidem, & in Mediceo codice, *humi* legitur. Sed in Romano & aliis fere omnibus, *humum* accusativo casu habetur: ut sit ordo, madefecerat humum & viridis herbas. *Pierius.*

332. *Titubata.*] Participium sine verbi origine. *Servius.*

Titubata.] Est hoc quod Plautus Mercat. *Genua hunc cursorem deserunt.* Cerda.

Titubata.] Pro, *titubantia*: neque enim *titubor* dico. *Taubm.*

In ipso concidit.] Ablativum posuit, quia non est mutatio. *Servius*

334. *Oblitus amorum.*] Id est, Euryali. Et divisit sententiam Euryali: *Amorum*, pro *amoris*. nec supradictis congruit; ait enim, *Amore pio pueri*: nunc *amorum*: qui pluraliter non nisi turpitudinem significant. *Idem.*

Non ille oblitus amorum.] Propter hanc inquit causam posuit in superioribus

Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens.
Ille autem spissa jacuit revolutus arena.
Emicat Euryalus, & munere victor amici
Prima tenet, plausuque volat fremituque secundo.
Post Helymus subit, & nunc tertia palma Diores.
Hic totum caveæ consessum ingentis, & ora

Prima

tantum inter illos amorem. *Donatus.*

Amorum.] In veteribus plerisque codicibus, una plus dictione *amorum est* legitur. Verum id verbum ex paraphrasi mihi videtur insertum. Missos facio codices, in quibus *amoris* unitatis numero legitur: quum longe venustius omnino *amorum* numero multitudinis habeatur. *Pierius.*

336. *Spissa arena.*] Tenui. quanto enim quid minutius, tanto est densius. *Servius.*

Spissa arena.] Non subscribo sententiæ On. Panvinii l. 1. de lud. Circ. p. 68. qui pro ipso certaminis loco vel palæstra sumit. Quod tamen sæpe significat, ut *gladiator consilium capit in arena.* Sed partem hic sanguine madefactam, vel lubricam factam arenam notat, quæ in palæstris usui est. Pro nobis facit ℣s. 358.

Et simul his dictis faciem ostentabat, & udo
Turpia membra fimo. —

Emmeneſſ.

337. *Emicat Euryalus.*] Celeritatem & concitationem quandam motus hoc verbum innuit, ut supra, *Terque solo emicuit:* &, *linguis micat ore trisulcis:* & Cic. de Nat. Deor. 2. *Jam vero venæ & arteriæ micare non desinunt, quasi quodam igneo motu:* animadversumque sæpe est, cum cor animantis alicujus evulsum ita mobiliter palpitaret, ut imitaretur igneam celeritatem, &c. Nimirum Græci σφύζειν ἀρτηρίας dicunt, quam vocem etiam ad alia transferunt. *Germ.*

338. *Prima tenet.*] Τὰ πρῶτα, prisca. *Servius.*

Prima tenet.] Quæ sunt hæc prima spatia, quæ victor occupat? Recurre ad ea, quæ jam dixi, de linea fieri solita non modo ad carceres, sed ad metam, qua occupata victores jam esse credebantur. Pind. Od. 9. Pyth.

— ποτὶ γραμμᾷ μὲν αὐτὰ στᾶσε κοσμήσαις, τέλος ἔμμεν ἄκρον.

ipsam cum exornasset, collocavit ad lineam, terminus ut esset extremus. Lege quæ docte & late Petrus Faber lib. 2. Agonist. c. 7. *Cerda.*

Fremituque secundo.] Bene *secundo* addidit: quia est & irascentium. *Serv.*

340. *Hic totum caveæ.*] *Hic* temporis adverbium est, modo. *Idem.*

Caveæ consessum.] Per *caveam* autem plebem significat. Nam *caveæ* consessus est populi. *Idem.*

Caveæ.] Idcirco theatrum *cavea* dicitur, quod inclusos contineat spectatores. *Donatus.*

Caveæ.] *Cavea* dicebatur & quæ in theatro, & quæ in amphitheatro, ipsum nimirum ædificii cavum: prior locus scenis dicatus fuit, posterior cædibus. Clarius: theatrum dictum est cavea, & amphitheatrum cavea. De theatro capiendus Cicero de Amicit. *qui clamores tota cavea nuper in hospitis & amici mei M. Pacuvii fuerunt nova fabula, cum ignorante Rege, uter esset Orestes, Pylades se esse Orestem diceret, ut pro illo necaretur, &c.* Et Arnobius l. 4. *assurgunt theatra, caveæ omnes concrepant fragoribus, atque plausibus.* Videndus etiam Suetonius in Claud. c. 21. De Amphitheatro Prudentius:

Quid pulvis caveæ semper funebris, & illa
Amphitheatralis spectacula tristia pompæ?

& in

Prima patrum magnis Salius clamoribus inplet;
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lacrimæque decoræ,
Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

Adju-

& in Peristeph. hym. 6.

Intrant interea locum rotundæ
Conclusum cavea: madens ferarum
Multo sanguine quem furor frequentat.
Cum spectacula perstrepunt cruenta,
Ac vilis gladiator ense duro
Percussus cadit, & fremit voluptas.

Quin in theatro mentio est plurium cavearum, dicente Tullio lib. de Senectute: *Ut Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea spectat, delectatur tamen etiam, qui in ultima. Sic adolescentia, &c.* Ab his locis, metaphorice quilibet circus, aut consessus conjunctus in modum Theatri, dicitur *cavea*, & hac translatione usus Poëta. Hoc loco demum addo *caveam* dici in venatione Romano locum, ubi asservatæ feræ. Stat. 2. Sil.

——— *stat cardine aperto*
Infelix cavea, & clausis circum undique portis,
Hoc licuisse nefas, pavidi timuere leones.

Cerda.

Consessum.] In codicibus aliquot antiquis, *consensum* habetur. Sed puto *conse'sum* fuisse notatum cum sicilico, de quo apud Victorinum haberi diximus, quod librarii pro nota compendiaria *n* literam significante, transcripsere. Nam *consessum caveæ* omnino castior lectio videtur. *Pierius.*

Hic totum caveæ consessum.] Lucret. 4. *Nam ibi consessum caveai subter, & omnem Scenalem speciem Patrum.* Tacit. lib. Ann. 13. *Interea, quæ barbaris ostentantur, intravere Pompeji theatrum, quo magnitudinem populi viserent. Illic per otium (neque enim ludicris ignari oblectantur) dum consessum caveæ, discrimina ordinum, quis equis, ubi senatus, percunctantur.* Germ.

Et ora prima patrum.] Hoc est, quod Juvenalis ait, *Et omnibus ad podium spectantibus.* Servius.

342. *Erept. dolò red. s. p. honorem.*] Τὸ γέρας καταβραβευθέν. Græcis enim καταβραβεύειν, est, in capiendo bravio aliquem circumvenire. *Germ.*

343. *Tutatur.*] Tale quid in Statio,

—— *Accessit lacrimarum gratia formæ.*

Euryali pulchritudo hic, & in nono extollitur. fuit hæc (ut credi potest) eximia, & veteribus admiranda, quod etiam Ibycus prodidit, qui sic apud Athen. Εὐρύαλε γλαυκέων χαρίτων θάλος καλλικόμων μελέδημα, σὲ μὲν Κύπρις, ἅτ' ἀγανοβλέφαρος Πειθὼ ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι θρέψαν: *Euryale cæsiarum gratiarum germen pulchricomarum cura, te certe Venus, & blandis oculis Suadela, roseis in floribus educarunt.* Illud *veniens* explicat Nannius in epistola ad Pison. *crescens.* ita etiam illud Ecl.

Venientis sibilus Austri. Ita & Horat.
Sic honor, & nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit.

id est, crevit. *Cerda.*

Lacrimæque decoræ.] Ipse etiam fletus habebat aliquid venustatis, ortus à gaudio: ut Terentius, *Lacrimo gaudio.* Quod & congruit puero propter victoriam inopinatam; aut certe ad miserationem movendam contra eum, qui se adserebat esse victorem. *Servius.*

344. *Veniens.*] Crescens: ut, *Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ.* Idem.

Et pulchro veniens in corpore virtus.] Tanta formæ est potentia, ut ipsi quoque virtuti ex ea non levis accedat commendatio. Vide Junium de pict. veterum l. 3. c. 9. de hac re fusius disputantem Brod. Misc. l. 5. c. 35. *venire* pro crescere apud Hor. de art. poët. vers. 401.

Sic honor & nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. Emmeness.

 346. Qui

Adjuvat, & magna proclamat voce Diores:
Qui ſubiit palmæ, fruſtraque ad præmia venit
Ultima, ſi primi Salio redduntur honores.
Tum pater Æneas, Veſtra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri; & palmam movet ordine nemo:
Me liceat caſus miſerari inſontis amici.
Sic fatus, tergum Gætuli inmane leonis
Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.
Hic Niſus, Si tanta, inquit, ſunt præmia victis,
Et te labſorum miſeret; quæ munera Niſo

Digna

346. *Qui ſubiit palmæ.*] In locum proximum victoriæ ſucceſſit. *Taubm.*

Ad præmia venit ultima.] Neque enim ex quinque iſtis Curſoribus tum tertius fuiſſet, (tribus autem duntaxat primis præmia Æneas propoſuerat) ſed quartus: atque ita præter ſpicula bina & bipennem nihil accepiſſet, ſi primi loci præmium Salius ſumeret. *Idem.*

347. *Redduntur.*] In exemplaribus pleriſque veteribus legere eſt, *reddantur* conjunctivo modo. Sed *redduntur* finitivo modo in emendatioribus. *Pierius.*

349. *Certa manent.*] Firma. *Servius.*

Pueri.] Ut diximus ſupra: quia *ἄνδρες καὶ παῖδες* dicuntur. *Idem.*

350. *Me liceat.*] Liceat me miſerari. Nam non dicimus *me liceat*: ſed, *mihi liceat*. Idem,

Caſus.] Alluſit à cadendo. *Idem.*

Caſus.] In codicibus omnibus quotquot legi, *caſus* habetur: Quorum nonnulli verbum etiam alterius figuræ, quippe *miſereri* ponunt: ut *Caſus* ſit genitivo caſu. Sed enim *caſum miſerari* ſatis magis facit auribus eruditis: ut, *Miſeratus agreſtes.* Pierius.

Caſus miſerari inſontis amici.] Euſtath. in illud Il. ψ. *τὸν δὲ ἰδὼν ᾤκτειρε ποδάρκης δῖος ἀχιλλεύς. οἰκτείρειν δὲ κυρίως τὸ λαλεῖν λόγους, οἳ κινοῦσιν εἰς οἶκτον, ἤτοι ἔλεον.* Unde & *Miſerari* Latinis, eſt verbis, aut lacrimis, aut geſtu dolorem ex alicujus miſeria contractum oſtendere, *χετλιάζειν*. Feſtus: *Miſeratur is, qui conqueritur aliena incommoda.* Virgil. *Miſerantem incommoda noſtra.* & Æn. 12. *Et Turni ſortem miſerantur iniquam.* & 10. Æn. *Ingemuit miſerans graviter, dextramque tetendit.* Et *miſeratio*, *οἰκτιρμός*. *Germanus.*

351. *Tergum.*] Mutavit more ſuo. Nam *tergus* debuit dicere. *Servius.*

Tergum leonis.] Pro, *tergus*, quæ pellis eſt, ut 1. Æn. *Tergora diripiunt coſtis.* *Tergum* vero habet carnis appellationem. Et notat etiam Chariſ. *Tergus* de brutis dici. *Taubm.*

Gætuli.] Scribendum *Gætuli* cum diphthongo *æ*, ut alibi oſtenſum. *Pierius.*

Gætuli leonis.] Illius meminit Horat. l. 1. od. 23. *atqui non ego, tigris ut aſpera Gætulusve leo frangere perſequar.* & l. 1. od. 20. *non vides, quanto moveas periculo, Pyrrhe, Getulæ catulos leænæ.* & Sil. Ital. pro *villis onerosum* dicit l. 16. *villoſa leonis terga feri.* Emmeneſſ.

352. *Onerosum.*] Plus eſt, quam ſi *oneratum* diceret: ſicut *ſceleratum* & *ſceleroſum.* Servius.

Dat Salio villis onerosum.] Imitatione illius apud Hom. loci Il. ψ. ubi Achilles Eumelum noluit indonatum dimittere, quod fracto à Minerva curru, præteritus à concertatoribus in agonali certamine fuiſſet. *Germ.*

354. *Et te labſorum miſeret.*] Sic Antilochus ad Achillem. Il. 23.

Εἰ δέ μιν οἰκτείρεις, καί τοι φίλον ἔπλετο θυμῷ;

Si

Digna dabis? primam merui qui laude coronam;
Ni me, quæ Salium, Fortuna inimica tuliſſet.
Et ſimul his dictis faciem oſtentabat, & udo
Turpia membra fimo. riſit pater optimus olli,
Et clipeum efferri juſſit, Didymaonis artes,
Neptuni ſacro Danais de poſte refixum.
Hoc juvenem egregium præſtanti munere donat.
Poſt ubi confecti curſus & dona peregit:
Nunc ſi cui virtus animuſque in pectore præſens,
Adſit, & evinctis adtollat brachia palmis.
Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittiſque juvencum;

Enſem

Si autem ipſum miſeraris, & tibi gratum eſt animo.

Cerda.

355. *Qui laude coronam.*] Virtute: à ſequenti quod præcedit. *Servius.*

356. *Fortuna.*] Bene dolum ſuum excuſat. *Idem.*

358. *Optimus olli.*] Aut ei adriſit: aut olli juſſit efferri. Sane congrue arma dat juveni. *Idem.*

359. *Didymaonis artes.*] Laus ab artifice: ut, *Divinum opus Alcimedontis.* Idem.

Et clipeum efferri juſſit Didymaonis artes.] De clipeo dictum alibi. In antiquis aliquot codicibus *offerri* eſt, quod non æque placet. Sunt etiam codices, in quibus *Didymæonis* media per *æ* diphthongum notatum ſit: quod nomen eſſet à cognomento Apollinis, qui etiam *Didymæus* appellatur. Sed hæc parvi omnino momenti ſunt. Illud ſilentio minime prætereundum eſt, quod in Romano codice, *artem* unitatis numero, hoc eſt, opus, legitur: quam lectionem etiam in aliquot aliis manu ſcriptis obſervavi. *Pierius.*

360. *Neptuni ſacro Danais de poſte refixum.*] *Danais*, à Danais, & intelligimus hoc ad Æneam tranſiſſe per Helenum. *Servius.*

Neptuni ſacro.] Morem, quo Deorum templis arma dicabantur, affigebantur, ſuſpendebantur, quemque hic attingit poëta, alibi perſequor. Cum dicat Poëta *clypeum refixum de ſacro poſte*, credamus ad illum alluſiſſe Horatium Od. 28. lib. 1.

— *quamvis clypeo Trojana refixo.*

& epiſt. 2. lib. 1.

Sub duce qui templis Parthorum ſigna refixit. Cerda.

363. *Præſens.*] Fortis: ac ſi diceret, ſi adſit quis plenus animi. *Servius.*

Animuſque in pectore præſens adſit.] Id eſt, audeat, ita Scalig. l. 4. c. 16. interpungit & explicat. *Taubm.*

365. *Pugnæ.*] *Pugna* nomen eſt polyſemum, atque adeo quamvis ſtricte ſumptum diſtinguatur à cæſtibus, ut etiam Hieron. Mercur. in Agoniſt. tamen hic ad cæſtuum ſignificationem trahitur. non enim dubium, quin de cæſtibus loquatur Poëta. *Cerda.*

366. *Velatum.*] Id eſt, coronatum. *Servius.*

Auro.] Quia ſolent habere laminas quaſdam: ut, *Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum.* Idem.

Juvencum.] Facit donum militare. Livius l. 7. in hiſtoria Corvini, *Conſul, concione advocata, laudatum tribunum decem bobus, aureaque corona donat.* & lib. 26. poſt expugnatam Novam Carthaginem: *Ante omnes* (Scipio) *C. Lælium, præfectum claſſis, & omni genere laudis*

Ensem, atque insignem galeam, solatia victo.
Nec mora; continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virûm se murmure tollit:
Solus qui Paridem solitus contendere contra:
Idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten inmani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,

Per-

laudis sibimet ipse æquavit, & corona aurea, ac triginta bobus donavit. Cerda.

367. *Solatia victo.*] Prudentiam Æneæ & versum hunc supra jam dedi. Institit vero Poëta imitationi Homeri Iliad. 23. ubi in pugilatu non solum victoris, sed victi quoque ratio habetur. Locus, & quia aliis dictus, mihi siletur. Illud non silendum, bis eandem rem in eo loco repeti nulla necessitate; semel Poëtæ, deinde Achillis ore. *Idem.*

368. *Nec mora; continuo.*] Ducta hæc ad Homericum filum,

Ὣς ἔφατ'. ὤρνυτο δ' αὐτίκ' ἀνὴρ ἠΰς τε, μέγας τε,
Εἰδὼς πυγμαχίης υἱὸς Πανοπῆος Ἐπειός:
Sic dixit, prodiit autem statim vir amplusque magnusque
Sciens pugillaris pugnæ filius Panopei Epeus. Idem.

369. *Virûm se murmure tollit.*] Cum suffragio plurimorum. *Servius.*

Magnoque virûm se murmure tollit.] Id est, effert se secundo rumore, & suffragio plurimorum: Servius & Scal. lib. 4. c. 16. Idem lib. 3. cap. 2. Daretis hujus Personam audacem & militarem describit, quem vide. *Taubm.*

370. *Solus qui Paridem sol. cont. contra.*] Multi hæc à poëta volunt dici: melius tamen verba sunt populi. Unde &, *Virûm se murmure tollit.* Servius.

Paridem.] Venit ab eo quod est *Paris, Paridis*, vel *Paridos.* Quod autem legimus, *Urbe paterna, Parin creat*, venit ab eo quod est, *πάρις, τοῦ πάριος, τῷ πάρι, τὸν πάριν.* & volunt, si proprium sit, in *dos* exire genitivum: si appellativum, in *os.* Sane hic *Paris* secundum Troica Neronis fortissimus fuit: adeo ut in Trojæ agonali certamine superaret omnes: ipsum etiam Hectorem, qui cum iratus in eum stringeret gladium, dixit se esse germanum: quod, allatis crepundiis, probavit, qui habitu rustici adhuc latebat. Hos autem ludos transfert Virgilius ad Hectoris tumulum: qui sunt facti, cum ludi funebres celebrarentur cadaveri Hectoris, ab Achille occisi. *Idem.*

371. *Occubat.*] In vetustis aliquot exemplaribus, *maxumus adcubat*, & *accubat* habetur. Sed *occubat* vel *obcubat* de sepultis rectius dici puto. *Pierius.*

372. *Buten.*] Alterius Butæ, qui filius Pandionis, Athenarum regis, (unde ἐτεοβουτάδαι nomen familiæ illustris apud Athenienses) Stephanus meminit. *Cerda.*

Inmani c.] Vastum corpus habentem, Macrob. l. 6. c. 8. *Taubm.*

373. *Amyci de gente ferebat.*] *Amycus* fuit Neptuni filius & Nymphæ Melies: qui à Polluce victus est pyctali certamine. *Bebrycia* autem ipsa est Bithynia. Salustius, *Igitur introrsus prima Asiæ Bithynia est, multis antea nominibus appellata. Ipsa enim est & major Phrygia.* Servius.

Amyci.] *Amycus* Neptuni filius, celeberrimus pugil, à Polluce, qui cum Argonautis eo venerat, victus est cæstu: imperavit *Bebryciis*, id est, Bithynis. de ea pugna Val. Flaccus lib. 2. c. 4. & imprimis Theocrit. in *Geminis* Idyll. 22. *Taubm.*

Bebrycia veniens Amyci de gente.] Illius meminit Stat. l. 1. Achill.

—— *crudo*

Perculit, & fulva moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in prœlia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

Quæ-

—— *crudo quo Bebryca cæstu*
Obruerit Pollux.

qui idcirco Ἀμυκοφόνος dicitur. Ex nemore insidias struebat, inde idem .3. Theb. eum appellat

—— *servatoremque cruentum*
Bebrycii nemoris. Emm.

374. *Perculit.*] Antiquus admodum codex, *percutit* legit: quæ quidem anachronia esset, pro *Percussit.* Nam *percellere* ad animum grammatici referre volunt: quod tamen non usquequaque receptum video: Codicibus præsertim antiquis sæpe *percussus* pro *Perculsus*, ponentibus. Verum esto inter utrunque verbum differentia, loco hoc *perculit* omnino ad animum referri potest, quum significet ex ictu adeo consternatum, ut abalienato animo consideret moribundus. *Pierius.*

Moribundum.] Morienti similem. *Servius.*

Moribundum extendit.] Ita Theocrit. 23. εἰδ.

—— αὐτὰρ ὁ πλαγεὶς
Ὕπτιος ἐν φύλλοισι τεθαλόσιν ἐξετανύσθη.

—— *at ille sauciatus*
Supinus in foliis virentibus extensus
jacuit.

iterum,

—— πᾶς δ' ἐπὶ γαῖαν
Κεῖτ' ἀλλοφρονέων.

—— *totus vero humi*
Jacebat exanimis.

Sermo est de Amyco interfecto à Polluce. Recte vero ait Germ. Lucanum dixisse lib. 5. verbo *explico*, quod Virgilius verbo *extendo*, cum scripsit:

—— *rudibus Pæan Pythona sagittis*
Explicuit. Cerda.

375. *Talis.*] Qualem multitudo loquebatur. *Servius.*

Talis, &c.] Id est, cum tanta fama. Et est eximia ὑποτύπωσις jactabundi. in quod exemplum ferocula juventus intueatur. Comparat autem hanc Cæstuum pugnam & Daretis personam Scaliger cum similibus, ex 2. Apollonii. lib. 5. c. 6. Poët. *Taubm.*

376. *Ostendit.*] Melius dixisset *Ostentabat.* Servius.

Ostenditque humeros latos.] Græci ὠμοκυδιᾷν, ob latitudinem humerorum & bonam corporis habitudinem superbire dicunt. *Germ.*

Humeros latos.] Inde *Plato* consecutus nomen, teste Apulejo de dogmatic. Platonis. *Platoni habitudo corporis cognomentum dedit, namque Aristocles prius nominatus.* de humeris Platonis Ælian. l. 2. var. hist. c. 10. ubi πλάτος de latitudine humerorum. *Emmeness.*

377. *Et verberat ictib. auras.*] Sic Hom. Il. 13. ἠέρα τύψε: *aërem verberavit.* & Græci sæpe, ἀέρα δαίρειν, *aërem cædere, verberare.* unde & δῆρις, contentio, pugna. Ista German. Sed & credibile adumbratum à Poëta morem gladiatorum, qui ante pugnam in arena ipsi prius se exercebant, verberantes aërem. Hoc prælusorium certamen attingit, & explicat Plato lib. 8. leg. ab illis verbis, ἢ πύκται γε ὄντες, &c. Sed adhibeo tantum Latina: *vel si pugiles essemus, nonne pluribus ante diebus pugnare didicissemus, omnia facientes, quibus in vero certamine, ubi ad victoriam contenditur, uti oporteat, quam proxime ad id, quod simile est, accedentes.* Inter exercitationes militum Vegetius l. 2. c. 11. *saltus quoque, & ictus facere pariter assuescant.* Eodem pertinet Græca parœmia, ἀέρος πληγή. Hanc exercitationem, hoc præludium, hanc inanem aëris verberationem, proprio verbo Seneca dixit *ventilare* ep. 117. *Quam*

 stultum

Quæritur huic alius: nec quiſquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibuſque inducere cæſtus.
Ergo alacris, cunctoſque putans excedere palma,
Æneæ ſtetit ante pedes: nec plura moratus,
Tum læva taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate dea, ſi nemo audet ſe credere pugnæ,
Quæ finis ſtandi? quo me decet uſque teneri?
Ducere dona jube. cuncti ſimul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promiſſa jubebant.

Hic

ſtultum eſt, cum ſignum pugnæ acceperis, ventilare. Remove iſta luſoria arma, decretoriis opus eſt. Cum quo Senecæ loco congruit locus Damaſcen. orat. de Transfig. ἐνθυμότερόν πως πρὸς τοὺς ἀγῶνας στελήσονται, οὐκ ἀνθρώποις παρατασσόμενοι, οὐδὲ ἀέρα δαίροντες: Pollux l. 3. de athletis σκιαμαχεῖν, *cum umbra pugnare.* Virg.

— *fruſtra ferro diverberat umbras.*

Eſt hoc plane, quod 3. G. de tauro, *ventoſque laceſſit.* Quod Catull. de Nupt. Pelei:

— *nequicquam jactantem cornua ventis.* Cerda.

379. *Cæſtus.*] De Cæſtu Scal. de poët. l. 1. c. 20. Onuph. Panvin. l. 1. de l. Circ. & quæ dicta à nobis l. 3. G. ℣ſ. 20. vide. *Emm.*

380. *Alacris.*] Cum *acer* ubique dicat, *alacer* tamen non dicit: licet inde naſcatur. Vitat enim confuſionem. Unde utrunque non vult dicere. Nam *alacer* nuſquam: & iterum *acris* nuſquam dixit. Inde eſt quod etiam Papinius ſupprimit genus, quia dubitatur. *Servius.*

Alacris, cunctoſque putans excedere palma.] In Romano codice, & in Longobardico, *palma* non *pugna* legitur, quod valde placet. Nam & apud Priſcianum duobus antiquis codicibus, & apud Cariſium literis Longobardicis ita ſcriptum obſervavi. Ea ratione citato verſu, ut utrum *Alacer* per *er*, an *Alacris* per *ris* dicendum ſit, terminetur, placetque, vel Virgilio in primis auctore, dici *Alacris*. Conſuetudo tamen, ut ait Plinius libro dubii ſermonis ſexto, *alacer* dicit. *Pierius.*

Putans.] Jam ex hoc ſignat emerſurum alium, qui vincat. *Donatus.*

383. *Si nemo audet.*] Ὅρος βίαιος; Argumentatur enim ſe viciſſe, ex eo quod ad certamen nullus accedit. *Servius.*

Quæ finis ſtandi.] Fœmineo genere enuntiat, ut Lucretius lib. 1. & Horatius bis terve. *Cerda.*

384. *Teneri.*] In Mediceo, & veteribus quibuſdam aliis codicibus, *morari* legitur. Mora enim erat reliquis deſidentibus. Sed magis placet *teneri*: ut in Porcio exemp. eſt, propter ſuſcepti muneris obligationem. *Pierius.*

385. *Cuncti.*] Ut pro victore ab omnibus haberi oſtendat, & ſimul eſt teſtimonium ſuorum meritorum. *Donatus.*

386. *Reddi.*] Quaſi debita promiſſa: quia ait, *Victori velatum auro vittiſque juvencum.* Servius.

Jubebant.] Vox notanda. Nam quî jubebant? quî imperabant Æneæ? Ergo hæc vox traducta ab militaribus exhortationibus: milites enim dicuntur *jubere*, cum animos faciunt plauſu, favore, fremitu. Hinc itaque arrepta Vati, & aliis. Quibus *jubere* eſt ſuadere. Sic 3. Æn.

Sed votis precibuſque jubent expoſcere pacem.

Et in fine hujus libri, *ignorare jubes.* Inde illud tritum, *jubeo te flere*, id eſt, volo

Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes,
Proxumus ut viridante toro consederat herbæ:
Entelle, heroum quondam fortissime frustra,

Tan-

olo ut fleas. & illud Comicorum: *jubeo te salvere*, id est, volo, ut salveas. *Cerda.*

387. *Hic gravis.*] Tunc: gravis vel tate, vel objurgatione. *Servius.*

Castigat.] Increpat, objurgat. *Id.*

388. *Toro consederat herbæ.*] Verbum e verbo. Nam *torus* à tortis dictus est erbis. *Idem.*

Proxumus ut viridante toro consederat erbæ.] In Ant. *proxumus ut vi. to. con. erba.* Sed *herbæ* possessivo casu omnio melius. *Pierius.*

Toro consederat herbæ.] Quare *toro erbæ*? Lux ab Julio Scaligero lib. 1. Poëtic. cap. 21. Ne judicibus ludorum, affluente turba, objectu corporum conspectus adimeretur, aggestis cespitibus ditiorem locum sibi, pulvillis auctis, aciebant, & eam ob causam medius locus depressior fuit, ac propterea cavea lictus. Addo, verba Virgilii significantissima esse ad tori etymon indicandum. *Torus* enim dictus est, quod fieret primum ex torta herba, ideo ait *toro herbæ.* Propertius quoque l. 3. eleg. 13.

Altaque nativo creverat herba toro.

Inde stragula, quæ sternebantur supra torum, dicebantur *toralia.* Vide quæ de hac re late Ciacconius de Triclin. Rom. & commentatores in Horat. ad illud lib. 1. epist. *Ne turpe toral*, atque item 2. Serm. ad illud, *illota toralia.* sed & etymon ipsum alii indicant. Plin. l. 8. c. 48. *Antiquis enim torus è stramento erat.* Tib. l. 2. eleg. 5.

At sibi quisque dapes, & festas extruet alte
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.

Apul. l. 5. *Psyche teneris, & herbosis locis in ipso toro graminis suave recubans.* Vides, ut una cum toro conjungebantur stramenta, cespites, loca herbosa graminis. *Cerda.*

389. *Entelle, heroum.*] Objurgatio non injuriosa, cui sit admixta laus. *Donatus.*

Entelle.] Lubitum transcribere Turnebi verba lib. 26. c. 17. *Entellus ille, qui cum Darete ad pugilatum committitur, Entellæ Siciliæ urbi, vocabulum indidit. Ita siquis antiquos pervolitet scriptores, nullum fere in Marone reperiet nomen, non ex antiqua depromptum historia. Sed cum illa antiquitatis monumenta non ita essent oblivione ex hominum memoria deleta, ut hodie, fiebat ut Maronis poëma magna eruditione præditum, gloria floreret, & laude ferretur ingenti: nunc nobis illa doctrinæ vestigia non comparent, ita & ingenio & laudi Poëtæ minus favemus, quo minus intelligimus quod in eo sit prædicandum.* Non omittenda hæc fuerunt, quæ luculenta in laudem Virgilii; & quæ nostris commentariis excusationem afferant, si aliquando penuria obliteratæ jam antiquitatis, minus Poëtam illustramus. In Plinii certe l. 3. c. 8. *Entellinos* legas, ubi populos Siciliæ percurrit. *Cerda.*

Entelle.] Ab hoc oppidum *Entella*, cujus cives Stephano ἐντελλῖνοι, Ciceroni 3. Verr. *Entellini.* urbis meminit Sil. Ital. l. 14.

—— *largoque virens Entella Lyæo,*
Entella Hectoreo dilectum nomen Acestæ.

Quo loco positum sit hoc oppidum, dabit Cluver. antiq. Sicil. lib. 2. cap. 12. *Emmeness.*

Frustra.] Ordo est, Tantane dona tam patiens sines tolli frustra? Sane sciendum hunc secundum Iginum, qui de familiis Trojanis scripsit, unum Trojanorum fuisse, de quo Virgilius mutat historiam. *Servius.*

Frustra, Tantane tam patiens.] Singula verba cum pondere pronuncianda. *Frustra*, id est, sine laboris merito. *Donat.*

Frustra.] Hæc vox ita componenda, *frustra quondam fortissime.* non, ut volunt Servius, & Donatus. à me est Nascimbæ-

Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines? ubi nunc nobis deus ille, magister
Nequicquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam, & spolia illa tuis pendentia tectis?
Ille sub hæc: Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu: sed enim gelidus tardante senecta
San

cimbænus. itaque ait: frustra olim fuisti fortissimus, si nunc sinis patienter tam præclara dona duci à Darete absque ulla pugna. Nec dissimilis sententia Homeri lib. 7. Iliad.

Ὤ μοι ἀπειλητῆρες Ἀχαΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί:

Hei mihi minaces Achivæ, neque amplius Achivi.

Quo sensu Maro in 9. *ô vere Phrygiæ, neque enim Phryges.* Demum hæc explicatio sequentibus firmatur; nam ut hic *frustra fortissimus*; ita statim,

Nequicquam memoratus Eryx. Cerda.

390. *Tanta.*] Tam preciosa, tam pulchra, sine gloria vincendi tolli dona patieris. Est autem sententia, quoniam in superioribus ille dixerat, si nemo audet, videberis tu etiam timuisse. *Don.*

391. *Nobis deus ille, magister.*] *Nobis* non vacat: ut Cicero, *Qui mihi accubantes*, sed pro *noster* est positum, vitandi propter similitudinem homœoteleuti causa. *Servius.*

Nobis.] Hoc πάρελκον, & similia frequentissima Græcis, & Latinis. Oppian. 1. Cyneg.

Τοὔνεκά μοι δέμας ὧδε κεραστάμψοι φοιτώντων. Horat. epist. 3. l. 1.

Quid mihi Celsus agit.

sed utriusque linguæ quæ non redundant exempla? *Cerda.*

Ubi nunc Deus, &c.] Quasi diceret, indignus tanto es magistro, & eo nomine, si hunc sine pugna sequi patiaris præmia. Simili exprobrandi formula utitur Cicero pro Milon. c. 34. *ubi nunc senatus est, quem secuti sumus? ubi equites, &c. ubi studia, &c.* Emmeness.

392. *Eryx.*] Fuit hic Rex Siciliæ, egregius cæstuum decertator, ut qui à parentibus veluti jure quodam hereditario eam artem traxisset. Amycus enim Rex Bebryeiorum, & qui primus cæstibus pugnavit, Buten genuit. Butes Erycem. Ab Eryce artem pugilicam didicerat Entellus. Ait ergo: frustra gloriaris de magistro. Vocat hunc *Deum* more usitato ethnicorum: magnos enim viros ita appellabant. Possis ad Erycis apotheosin referre. *Idem.*

393. *Spolia illa tuis pendentia tectis.*] Turnebus more Romano vult dixisse Poëtam, nam ut scribit Plin. Nat. hist. lib. 35. *Romani ædium suarum limina, adfixis hostium spoliis, exornabant, quæ mutato domino, nec emptori refigere licebat.* unde hac imitatione & repræsentatione, de Caco Maro, *foribusque affixa superbis Ora virûm, &c.* Germanus.

394. *Ille sub hæc.*] Aut statim: aut post hæc. *Servius.*

Non laudis.] In aliquot codicibus antiquis, *nec laudis amor, nec gloria.* Sed in pluribus *non.* Pierius.

395. *Sed enim gelidus tardante senecta Sanguis hebet.*] Aliud pendet ex alio, quare *Hebet?* quia gelidus est: quare *Gelidus?* quia senex. *Servius.*

Hebet.] Non placeret quod in Romano codice legitur *habet*, nisi lectionem eandem invenissem apud Asperum veterem Grammaticum in antiquissimo itidem codice: placet tamen & *hebet* ut vulgata habent exemplaria. *Pier.*

Gelidus sanguis hebet.] Deferbuit ardor. Frigidioris quippe sanguinis sunt senes, ideoque obtusioris ingenii, inde Horat. ut hoc *gelidus sanguis hebere* dicitur, l. de art. Poët. ℣s. 169.

Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti,

Vel

Sanguis hebet, frigentque effætæ in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quaque inprobus iste
Exsultat fidens, si nunc foret illa Juventas:
Haud equidem pretio inductus pulchroque juvenco
Venissem: nec dona moror. sic deinde locutus,
In medium geminos inmani pondere cæstus
Projecit; quibus acer Eryx in prœlia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obstupuere animi. tantorum ingentia septem

Terga

Vel quod res omneis timide gelideque ministret.
uvenal. Sat. 10. ỳs. 217.
Præterea minimus gelido jam in corpore sanguis. Emmeness.

396. *Effætæ.*] Exhaustæ, & est translatio à mulieribus, quas partus frequens lebiles reddit. *Servius.*

397. *Inprobus iste.*] Qui sine certamine postulat præmium. *Idem.*

398. *Illa Juventas.*] Aut magna, quæ quondam fuerat. *Idem.*

Juventas.] In Romano codice, *Juventas* legitur: veluti prius erat in Longobardico. Reliqui etiam codices ita sæpe soliti sunt scribere, ut in VIII. *Cum mihi prima genas vestibat flore Juventas.* In aliquot aliis *juventus* est. Sed enim Grammatici quid *juventus*, quid *Juventas*, quid *juventa* sit, suis singula differentiis finiunt. *Juventutemque* de juvenum multitudine dici volunt, quum *Juventas* Dea sit, *Juventa* ætas. Quanquam sunt, qui duo hæc aliter accipiant. In nummo tamen Aurelii, & aliorum quorundam *Juventus* inscribitur, quod de Dea dici nemo dubitarit. Et No. Marcello *Juventas* Dea, *Juventa* ætas est. Nam & Catullus, *Exercere Juventam* dixit, quod nemo non de ætate dictum affirmet. Quod vero *Juventas* pro ætate toties in antiquis exemplaribus inveniatur, minime displicet, quum figurata sit elocutio, perinde ac illa, *sine Cerere & Baccho.* Pierius.

399. *Pulchroque.*] In Mediceo per disjunctivam, *pulchrove* legitur. *Pier.*

Pretio, juvenco.] Ἓν διὰ δυοῖν, id est, præmio juvenci. Hoc autem indicium est animi generosi, cui *merces unica virtus.* Taubmannus.

400. *Nec dona moror.*] Id est, non expecto. Hic enim sensus tam superioribus, quam sequentibus congruit. etenim supra ait, se non præmii causa dimicare, sed gloriæ, & paulo post bovem victor interemit. *Servius.*

Nec dona moror.] Sic Horat. l. 1. ep. 15.
Vina nihil moror illius oræ. Emm.

401. *In medium geminos.*] Hæc & multa alia apparent facta ad imitationem Apollonii lib. 2. Agon. *Cerda.*

Inmani pondere.] Pro *immanis ponderis*, more suo: ut, *Hamis auroque trilicem.* Servius.

402. *Quibus.*] Quorum instructu. *Idem.*

403. *Ferre manum.*] Contendere. Nam utraque manus armatur. Et *manum*, pro *manus.* Idem.

Intendere brachia tergo.] Ligare: ut, *Intenditque locum sertis.* Idem.

Brachia.] Monet Jul. Scalig. l. 1. Poët. c. 22. cæstus initio breviores fuisse: mox ne excuterentur ictibus, majores fieri cœptos, ita ut non solum manum occuparent, sed cubitum, brachia, humeros. Inde & Propertius in cæstibus, brachiorum quoque meminit:
Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris. Cerda.

404. *Obstupuere.*] Non in Virgilianis tantum codicibus, *obstipuere* per *i* secunda syllaba reperitur, verum in Terentii,

Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.
Ante omnis stupet ipse Dares, longeque recusat:
Magnanimusque Anchisiades & pondus & ipsa
Huc illuc vinclorum inmensa volumina versat.
Tum senior talis referebat pectore voces:
Quid, si quis cæstus ipsius & Herculis arma
Vidisset,

rentii, Horatii, & aliorum Auctorum antiquis exemplaribus verbum id hoc eodem modo notatum invenias. *Pier.*

Animi tantorum.] Hic distinguendum est, hoc est, virorum fortium, quos æquum non erat magna mirari. Unde addit, *Ante omnes stupet ipse Dares.* Nam stultum est dicere tantorum boum: cum diceret septem. *Servius.*

405. *Terga boum.*] Statius l. 6. ℣s. 730.

—— *nigrantia plumbo*
Tegmina cruda boum induitur.

Sed operæ pretium esset legere totum istum librum divinæ Thebaid. ubi plane similia habentur. *Taubm.*

406. *Ante omnis.*] In antiquis, *omnis.* Sed libet hoc loco clarissimorum hominum testimonia proferre, qualesque fuerint, qui de levibus hujuscemodi quæstiunculis disputare operæ pretium existimarunt. Sosipater Carisius integrum sane libellum C. Julii Romani de Analogia transcribit, in quo illud etiam adnotatur, quod Pomponius secundus poëta, ut refert Plinius, propter homonymiam Nominativi Accusativo casu *omnes* non putat dici, sed *omnis* tamen idem Plinius in eodem permanet, dicens *omnes* tum demum posse dici Accusativo, ut *canes.* quod Genitivus pluralis horum *Canum,* ante *um, i,* non habet. Ponunt inde exempla, variatam esse dictionem apud unum eundemque Auctorem, præcipueque apud Sallustium, ejusque varietatis Asperum Grammaticum solicitum fuisse. Nam *omnes* per *e* scriptum esse in Catilinario eo loco, *omnes homines P. C. qui de rebus, &c.* Per *i* vero tertiam vocalem *omnis* in eodem commentario, *omnis homines qui sese student.* Quæ quidem scribendi ratio quotidie nunc corrumpitur: neque codex jam ullus extat, quem non Librarii arbitrio suo totum audeant contaminare. *Pierius.*

Longeque.] Valde: ut, *Tyberinaque longe Ostia.* Servius.

Longeque recusat.] Pari sensu Prudent. in Psychomachia:

—— *monumenta tristia longe*
Spernit ——

Ennius:

Jus atque æquum se à malis spernit procul.

Servius & Non. *longe* exp. *Taubm.*

408. *Vinclorum vol.*] Sutilium lororum. Eleganter, *volumina*, hic & alibi vocat gyros, spiras, sinus, orbes, flexus. ita 3. G.

Equus sinuat alterna volumina crurum.

Æn. XI.

Serpens sinuosa volumina versat.

Ita alii, *volumina cœlorum.* Idem.

Versat.] Considerat: Salustius, *Exercitum majorum more verteret*, hoc est, consideraret. *Servius.*

409. *Senior.*] Secundum Varronem *senior* & *junior* comparativi sunt per imminutionem. Hinc est, *Jam senior: sed cruda deo viridisque senectus.* Additum enim hoc est ad exprimendum, qui sit senior. Item Ovidius: *Inter juvenemque senemque.* Et re vera non convenit hunc satis senem accipi, qui & vincere potest, & uno ictu taurum necare. Ergo *senior*, non satis senex: sicut *juvenior*, non satis juvenis, intra juvenem: sicut *pauperior*, intra pauperem. dicit autem hoc Varro in libris ad Ciceronem. *Idem.*

410. *Cæstus & arma.*] Ἐν τοῖν δυοῖν: arma, id est, cæstus. *Idem.*

411. *Tri-*

Vidisset, tristemque hoc ipso in litore pugnam?
Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.
Sanguine cernis adhuc sparsoque infecta cerebro.
His magnum Alciden contra stetit: his ego suetus;
Dum melior vires sanguis dabat, æmula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed, si nostra Dares hæc Troïus arma recusat,
Idque pio sedet Æneæ, probat auctor Acestes;
Æquemus pugnas: Erycis tibi terga remitto:

Solve

411. *Tristemque hoc ipso in litore pugnam.*] Aut in quo magister occisus est: aut in tristi litore, id est, infœcundo. Varro enim dicit sub Eryce monte esse infœcundum campum fere in tribus jugeribus, in quo Eryx & Hercules dimicarunt. *Serv.*

412. *Hæc germanus.*] Germanus est, secundum Varronem in libris de gradibus, de eadem genitrice manans, non (ut multi dicunt) de eodem germine, quos ille tantum fratres vocat. secundum quem bene nunc Erycen Butæ & Veneris filium, Æneæ dicit fuisse germanum. *Idem.*

Germanus.] Non ὁμοπάτριος, sed uterinus. Vide Rutgers. var. lect. l. 1. c. 9. *Emmeness.*

413. *Sanguine cernis adhuc.*] Non Herculis quippe victoris, sed Erycis, quæ infecerat se tegendo. *Servius.*

415. *Melior sanguis.*] Propert. *dum vernat sanguis.* Silius: *Hinc virides ausis anni.* Taubm.

Æmula.] Necdum adversa virtuti. *Servius.*

Æmula senectus.] Cui cum vigor absit, aliis habentibus invidere solet. ideo Donatus *æmulam* interpretatur *invidam*: Servius, *adversam virtuti*: Vel, quæ vult esse æmula juvenilis roboris; & frustra id conatur. *Taubm.*

416. *Temporibus.*] In his apparet statim indicium senectutis. Aristoteles de Generat. Animal. l. 5. c. 4. τοὺς δὲ κροτάφους πολιοῦνται πρῶτον: *tempora primo canescunt.* Hac maxime nota cogniti, & descripti senes. Sophocles in Antigon.

—— ἐξ ὅτε λευκὴν ἐγὼ
Τὴν δ' ἐκ μελαίνης ἀμφιβάλλομαι
τρίχα:
—— *ex quo albos ego*
Hos ex nigro induor capillos.

Et Propert. lib. 3. eleg. 5.

Atque ubi jam Venerem gravis interceperit ætas,
Sparserit & nigras alba senecta comas.

Cerda.

Geminis.] Duobus. *Servius.*

Temporibus geminis canebat sparsa senectus.] *Tempora* inde dicta dicit, quod inde petamus senectutis indicia, inde Homerus Iliad. θ. senes appellat πολιοκροτάφους, teste Sanct. Min. p. 418. quibus autem caput est interspersum rara canitie, ut Apulejus l. 5. Metam. eos Hesychius μεσαιπολίους nominat, vel οὐ σφόδρα πεπολιωμένους, quibus cani per tempora sparguntur, quo verbo etiam utitur Propertius alibi:

Sparserit & nigras alba senecta comas.

Emmeness.

418. *Idque pio sedet Æneæ, probat auctor Acestes.*] In codicibus aliquot antiquis una plus dictione legitur, *sedet Æneæ, hoc probat auctor.* Sed mihi nequaquam placet, quod quidem ex paraphrasi inculcatum puto Librariorum inscitia. *Pier.*

Auctor Acestes.] Hujus certaminis scilicet. *Servius.*

419. *Æquemus pugnas.*] Id est, arma. à sequenti quod præcedit. *Idem.*

Tibi.] Pro *te*: ut, *Tibi deserit Hesperus OEtam.* *Idem.*

Tibi

Solve metus, & tu Trojanos exue cæstus.
Hæc fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque
Exuit, atque ingens media consistit arena.
Tum satus Anchisa cæstus pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Constitit in digitos extemplo adrectus uterque,

Bra-

Tibi terga remitto.] Ita accipiendum ut apud Horat. *Atride magis apta tibi tua dona remitto*, hoc est, cedo tibi, & illis renuntio: neque enim *remitto* pro iterum mittere vel simpliciter conveniret, cum Telemachus αὐτοπρόσωπος cum præsente Menelao ageret: nisi ad ἀποπέμπειν Græcorum referamus: quale illud apud Plutarch. περὶ τύχ. οὔτε καλῶς ὁ ἡσιόδου προμηθεὺς τῷ ἐπιμηθεῖ παρακελεύεται, μήποτε δῶρα δέξηται παρὰ ζηνὸς ὀλυμπίου, ἀλλ' ἀποπέμπειν, τὰ τυχηρὰ λέγων, καὶ τὰ ἐκτός. *Germanus.*

Erycis tibi terga.] Pari forma Mart. l. 9.

Loricam clypeumque tibi galeamque remitto.
Tutus ut invadat prælia, nudus eat.

Taubmannus.

420. *Exue.*] Projice, solve. *Serv.*

Exue.] Ovid. l. 2. Metam. 419.

Exuit hic humero pharetram. ——

Sic l. 9. ℣f. 31.

—— *rejeci viridem de corpore vestem.*

Quo verbo & Noster seq. ℣f. utitur. *Emmeness.*

421. *Duplicem amictum.*] Id est, Abollam, quæ duplex est: sicut chlamys. Horatius, *Contra quem duplici panno patientia velat.* Servius.

Rejecit.] In veteribus aliquot exemplaribus, *dejecit* habetur, hoc est, demisit propere, ut nudato apparuerit pectore, thoraceque omni, vestibus circa pudenda subligatis. Plura tamen exemplaria vetusta, *rejecit* habent. *Pierius.*

422. *Magna ossa lacertosque.*] In perveteri quodam codice, sententia non parum diminuta, legere est, *magnosque lacertos exuit.* quod veriti sunt hypermetrum facere. In aliquot aliis *magna ossa lacertos* absque particula copulativa enclitica: ut sit magnos membrorum artus, ac lacertos, appositive magna ossa. Sed enim in ea vastitate, visendaque membrorum magnitudine, versum & pleniorem esse, & numeris habundare valde mihi videtur esse ex carminis dignitate: Quare libentius legerim *Magna ossa, lacertosque*: ut pleraque habent exemplaria tam impressa, quam manu scripta. Non præteribo, quod in Actio Pontani *magna ora lacertosque* legitur, quod non crediderim temere positum, tametsi *Magna ossa* corporaturam illam athleticam ostendere videantur. *Pierius.*

426. *Constitit.*] Hic distinguendum propter vitium, ut sit arrectus in digitos. Est autem hic totus locus de Apollonio translatus. *Servius.*

Constitit.] Indicatur hoc verbo habitus pugnantium. Donatus enim de hoc verbo in Adelph. Terentii: *est audacter, & constanter stare.* Plautus Curcull. *Neque quisquam in foro vobiscum audet consistere.* Cerda.

Constitit.] Ὑποτύπωσις valde simplex, ait Scal. l. 3. c. 32. Iccirco autem dicitur *Erectus in digitos*: quia tanto fortius percutit, quanto corporis proceritate fuerit sublimior. *Taubm.*

In digitos.] Adde *pedum*, nam horum sunt digiti, non manuum, vel ex Apollonio, quem postea adducam. Homer. Il. 23. pugiles Epeum & Euryalum comparans. sic incipit:

Τὼ δὲ ζωσαμένω βήτην ἐς μέσον ἀγῶνα
Ἄντα δ' ἀνασχομένω χερσὶ στιβαρῇσιν ἅμ' ἄμφω

Σύν

Brachiaque ad ſuperas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu:
Inmiſcentque manus manibus, pugnamque laceſſunt.
Ille pedum melior motu, fretuſque juventa:
Hic membris & mole valens: ſed tarda trementi
Genua labant: vaſtos quatit æger anhelitus artus.
Multa

Σύν ῥ' ἔπεσον, τὸν δέ σφι βαρεῖαι χεῖρες ἔμιχθεν:
Hi autem accincti iverunt in medium certamen:
Ex adverſo autem elevatis manibus validis, ſimul ambo
Congreßi ſunt, atque ipſis graves manus commiſtæ ſunt.

Et iterum, Ajacem & Diomedem:
Ἐς μέσον ἀμφοτέρων συνίτην μεμαῶτε μάχεσθαι,
Δεινὸν δερκομένω:
In medium utrorumque congreßi ſunt prompte pugnare,
Horrende aſpicientes.

Apollon. lib. 2. Amycum & Pollucem,
Ἔνθαδ' ἔπειτ' Ἄμυκος μὲν ἐπ' ἀκροτάτοισιν ἀερθεὶς
Βουτύπος οἷα πόδεσσι τανύσσατο:
Dicit Amycum in pedes ſummos exſtitiſſe, inſtar illius, qui bovem cædit. Theocritus εἰδ. 23.
Ἐς μέσσον συνάγον, φόνον ἀλλάλοισι πνέοντες:
In medium congreßi ſunt, cædem ſibi mutuo ſpirantes.

Livius lib. 7. ante pugnam ſingularem Manlii Torquati & Galli, hanc excitat attentionem: *ubi conſtitere inter duas acies, tot circa mortalium animis ſpe metuque pendentibus, &c.* Cerda.

428. *Abduxere retro, &c.*] Solent pugiles, cum dextra adverſarium petant, caput ab ictu in lævam longius deflectere, ne feriantur. vide Turn. lib. 13. c. 11. *Taubmannus.*

429. *Pugnamque laceſſunt.*] Provocant potius quam gerunt; vel certe irritant. *Servius.*

Pugnamque.] Antiqui aliquot codices, *pugnas* numero multitudinis habent: ut ſit quædam juſti prælii ſimilitudo, perinde ac ſi collatis ſignis dimicandum eſſet: antea enim quam directa acie concurratur, leves quædam pugnæ à præmiſſis equitibus, vel à funditoribus, nonnunquam etiam ab exploratoribus committi ſolent. *Pierius.*

431. *Membris & mole.*] Hoc eſt mole membrorum: ut, *Molemque & montes.* Sed utrumque in pedum, an in manuum digitos? *Servius.*

432. *Genua labant.*] Proceleuſmaticus eſt, quem (ut ſupra diximus) ſic ſemper ponit, ut cogi poſſit in dactylum: ut, *Genua labant,* &, *Arietat in portas.* Idem.

Genua labant, &c.] Cæterum magna eſt inter grammaticos de hujuſmodi verſibus controverſia: quum alii neceſſe putent pedem illis alioqui inuſitatum, nimirum proceleuſmaticum, conſtituere, alii I & V pro conſonantibus poni exiſtiment. Ego certe his potius quam illis aſſentior: & quemadmodum *ſiluæ* ab Horatio per diæreſim dicitur pro *ſilvæ*, ſic quum in illis contrarium fiat, quoddam ſynæreſeως genus illic eſſe, dicere nos poſſe arbitror. Hoc ſaltem conſtat Virgilium non ſine veterum exemplo id ſibi permiſiſſe, quum apud Lucretium non uno in loco *tenuia* eodem modo poſitum legatur. Hæc Henr. Steph. in lect. Virg. p. 21. cui addas licet Scal. de poët. l. 2. c. 37. idem ſentiendum in *tenuis* fieri diſſyllabum. de his Ger. J. Voſſ. l. 2. de art. gramm. 14. Monendum etiam, *genua virere* in flore ætatis, ut Horat. l. Epod. od. 13. ſed, ingraveſcente ætate, in nulla corporis parte infirmitatem magis ſentiri, quam in genubus, quæ ilico quoque tremunt,

Multa viri nequicquam inter se volnera jactant,
Multa cavo lateri ingeminant, & pectore vastos
Dant sonitus, erratque auris & tempora circum
Crebra manus: duro crepitant sub volnere malæ.
Stat gravis Entellus, nisuque inmotus eodem,
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.

Ille,

tremunt, cum timor invasit. Inde Horat. l. 1. od. 23. *& corde & genibus tremit.* Emmenesſ.

433. *Nequicquam.*] Non profutura victoriæ. *Servius.*

Volnera jactant.] Ictus. *Idem.*

434. *Pectore vastos dant sonitus.*] Hæc clarent ex illis Tullii 2. Tuscul. *Pugiles cum feriunt adversarium, in jactandis cæstibus ingemiscunt: non quod doleant, animove succumbant; sed quia in profundenda voce omne corpus intenditur, venitque plaga vehementior.* Taubm.

435. *Auris.*] Hæc pars faciei petita in duro hoc ludo, uti apparet ex Philostrato in Heroïcis: τὰ ὦτα κατεαγὼς ἦν, οὐχ ὑπὸ πάλης: *fractus erat aures, non ob luctam.* Negans quippe rem indicat. Tertullianus de Spectac. *cicatrices cæstuum, & callos pugnorum, & aurium fungos.* Demum studium erat totius faciei deformandæ. Tertullian. eodem libro: *pugnos, & calces, & colaphos, & omnem petulantiam manus, & quamcunque humani oris, id est, divinæ imaginis depugnationem.* Cerda.

436. *Crepitant.*] Crepitatio ista referenda ad dentes, qui sub malis stridebant vi ictuum. Nam crepitus dentium est. Hesiodus in Scuto, ὀδόντων καναχή: *dentium crepitatio.* Theocritus in pugna Amyci & Pollucis, εἰδ. 27.

Λαιῇ δ' ςόμα τύψε, πυκνοὶ δ' ἀράβησαν ὀδόντες:

Sinistra autem os verberavit, densi autem resonuerunt dentes.

Apollonius de eadem pugna,

— βρυχὴ δ' ὑπετέλλετ' ὀδόντων
Ἄσπετος.

suberat autem ingens crepitus dentium. De dentibus quoque capias Homerum Il. 23. cum in suo pugilatu ait: δεινὸς χρόμαδος γενύων γένετ': *factus est crepitus maxillarum.* Plautus clare sub persona Ergasili Captiv. cum respectu ad pugilatum, ut legenti apparet, ita signate: *Dentilegos omnes mortales faciam, quemcunque offendero.* Seneca in Oedip. recte, ut Noster, de Sphinge, *Crepuere malæ.* Sen. ep. 56. cum aspectu ad gymnastas: *Audio crepitum illisæ manus humeris.* Idem.

438. *Tela.*] Ictus. *Servius.*

Exit.] Vitat, declinat, unde de Tarchonte, *Et vim viribus exit.* & hoc verbo bis usus est tantum. *Idem.*

Exit.] Ita XI. Æn.

—— *& vim viribus exit.*

Exire, verbum est gladiatorum, aut militare: ut & *Eludere*; item *Excedere*. *Eludit*, qui, vel gladio, vel rude objecta petitionem alterius vitat: *Exit*, qui declinat & effugit. Manil. l. 5.

Ille cito motu rigidos eludere cæstus,
Nunc exire levis missos.

Cicero in Catil. *Tuas petitiones parva quadam declinatione, &, (ut ajunt) corpore excessit:* quod Prudentius interpretatur,

—— *lateris sinuamine flexi*
Ludere ventosas jactu pereunte sagittas.

Statius lib. 6. ℣ſ. 800.

—— *immodice venientem eludit, & exit.*

ibid. ℣ſ. 770.

—— *instat gressu, vultuque recedit.*

Valerius, *redit hic oculis & pondere.* Ictus autem ipsos & invasiones nominabant *Petitiones*, & *Manus*, *ein Streich.* Videatur & *Lipsius* Saturn. l. 2. c. 20. & Turnebus l. 14. c. 4. & l. 28. c. 15. *Taubmannus.*

Exit.]

Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana sedet circum castella sub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum; & variis adsultibus inritus urguet.
Ostendit dextram insurgens Entellus, & alte
Extulit: ille ictum venientem à vertice velox
Prævidit, celerique elabsus corpore cessit.
Entellus vires in ventum effudit; & ultro
Ipse gravis, graviterque ad terram pondere vasto
Con-

Exit.] Sic Stat. Theb. l. 4. *exiſtis casus*, id est, evasistis fortunæ ludibrium. Lucret. l. 5.

Nam transversa feros exibant dentis adactus
Jumenta. ——

Plura Giphan. in indice de his gladiatorum verbis. *Emmeneſſ.*

439. *Qui molibus urbem.*] Amphibolon est, aut celsam molibus: aut quæ molibus oppugnantur. *Servius.*

440. *Sedet circum castella.*] Tmesis est, hoc est, circunsedet. *Idem.*

441. *Nunc hos, nunc illos aditus.*] In Romano cod. variato numero legere est, *nunc illos nunc hos aditus.* Sed loquendi modus frequentissime, *Hunc* & *illum*, dicit, & *huc* & *illuc*, & hujusmodi reliqua. Catullus, *Et circumsiliens modo huc modo illuc. Pulvinusque peræque & hic & illic.* Ludebat numero modo hoc modo illoc. A viciniori enim inchoandum est, utpote magis noto. *Pierius.*

442. *Adsultibus.*] Id est, oppugnatione varia. *Taubm.*

443. *Ostendit dextram.*] Aut fiducia virtutis est ostendere, quod minaris: aut certe proventus ætatis ostenditur, qui eum ex improviso ferire non sinit. *Servius.*

Ostendit dextram, &c.] Attollit. totum hoc in gestu positum est. Ita Valer.

Emicat hic, dextramque parat, dextramque minatur.

Taubmannus.

444. *Velox.*] Velociter, nomen pro adverbio. *Servius.*

Ictum venientem, &c.] Hoc supra nominat *tela exire corpore.* pro eo Apulejus l 4. Metam. *variis corporis sui schemis ac motibus tandem domo prolapsus est.* Emmeneſſ.

446. *Effudit.*] In antiquis aliquot, *effundit* præsenti tempore, res enim nunc agitur. Aliis magis præteritum placet. *Pierius.*

Ultro.] E contrario. Ille enim cadere debuerat. *Servius.*

447. *Gravis graviterque.*] Figura à similitudine. *Idem.*

Gravis.] Ut Poëta *gravis, graviter,* ita Homerus Il. 16. de Cebrione, μέγας μεγαλωστί. A frustratione ictus Entelli, non abit illa Galli pugnantis cum Torquato apud Livium l. 7. *Gallus, velut moles, superne imminens projecto lævo scuto in advenientis arma hostis vanum cæsim cum ingenti sonitu ensem dejecit.* Similem ruinam cujusdam Æthiopis, pugnantis singulari certamine cum Theagene, narrat Heliodorus lib. 10. hist. Æthiop. Homerus quoque in suo pugilatu alterum pugilum concidentem inducit. Et quidem nota pulveris, quæ dari solet luctatoribus, ut cum ait Aristid. in 2. Platonica, ἄνδρα οὕτως αὐχμῶντα, καὶ κεκονισμένον κάλλιον, ἢ τῶν παλαιστῶν, καὶ τῶν γυμναστικῶν: *Virum tam squalidum, & quovis luctatore, vel gymnasta magis pulvere conspersum.* Hæc (inquam) nota pulveris data gymnastis, non solum quod pugnarent,

gnarent,

Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho,
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis Teucri & Trinacria pubes:
It clamor cælo, primusque adcurrit Acestes,
Æquævumque ab humo miserans adtollit amicum.

At

gnarent in arena; sed verius propter similes casus, & ruinas. *Cerda.*

448. *Cava pinus.*] Id est, exesa vetustate, & dicendo *cava pinus*, bene respexit ad ætatem. *Servius.*

Concidit, ut.] Hesiod. in Scuto:

Ἤριπε δ' ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν:

Concidit, ut cum aliqua quercus concidit.

Homer. 16. Iliad.

Ἤριπε δ' ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν, &c.

Seneca Trag. in Furente:

Totus ad terram ruit,
Ut cæsa silvis ornus.

Horatius lib. 4. Od. 6. ubi de Achille ita ait:

Ille mordaci velut ictu ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Concidit late, posuitque collum in
Pulvere Teucro.

Statius l. 9. Theb.

— Getico qualis procumbit in Hæmo,
Seu Boreæ furiis, putri seu robore quercus
Cælo mista comas.

Petrus etiam Apollonius cadentem in bello hominem magnæ molis ita comparat:

Tam graviter, subitoque solent in montibus altis
Annosas Euri insani dimittere pinus
Avulsa radice simul.

Cerda.

Erymantho.] Mons Arcadiæ. *Servius.*

449. *Ida in magna.*] Modo non Cretæ, sed Frygiæ propter pinos. *Idem.*

Radicibus.] In Romano codice & aliquot aliis, *radicitus* adverbium est. Sed *radicibus* nomen longe plurium codicum consensus, & usitata loquendi figura libentius legit. *Pierius.*

450. *Consurgunt studiis.*] In studia. *Servius.*

451. *It clamor cælo.*] Pari forma in 12.

— It tristis ad æthera clamor.

Alia forma Ennius 8. Annal.

Clamor ad cælum volvendus per æthera vagit.

Quem tamen versum ad Virgilii formam ita legit Scaliger,

Clamor it ad cælum, volitatque per æquora vagor.

Sed Virgilius Homerum omnino transtulit, αὐτὴ δ' οὐρανὸν ἷκεν. *Cerda.*

It clamor cælo.] Sic apud Sil. *descendere nocti* pro ad noctem. Vide novantiq. lect. Modii epist. 78. *Emm.*

Adcurrit.] In Oblongo codice perveteri, *occurrit* legitur. Sed *adcurrit*, vel *accurrit* omnino melius. *Pierius.*

Adcurrit.] Non *occurrit*. Monente Nobiliss. N. Heins. ad Ovid. Fast. l. 2. ✠ſ. 372. *Emmeness.*

452. *Ab humo miserans adtollit amicum.*] Supra, *ut me quoque possim Tollere humo.* Didici autem jam olim à præceptoribus, lege pugilatus prostratum vel collapsum allevare & erigere licuisse, alioqui casu Entelli, Daretis victoriam fuisse. Id & mihi probabile est, & ejus rei argumenta interlucere mihi videntur ex pugna Pollucis & Amyci apud Theocr. item Ajacis & Hectoris Il. η. βλάψε δέ οἱ φίλα γούναθ'· ὁ δ' ὕπτιος ἐξετανύσθη, ἀσπίδι ἐγχριμφθείς· τὸν δ' αἶψ' ὤρθωσεν Ἀπόλλων. Discessum autem fuit incerta dubiaque victoria. Theocriti quoque in Dioscur. hoc est: ἔνθα μάχη δριμεῖα πάλιν γένετ' ὀρθωθέντος· & Hom. Il. ψ. in idem argumentum, αὐτὰρ ἐπειδὸς χερσὶ λαβὼν ὤρθωσε· quæ respondent his etiam Maronis sequentibus versibus, *Acrior ad pugnam redit, &c.* Et Calab. 6. μὶν ἔγειρεν ἀπὸ χθονός. *Germ.*

454. *At*

At non tardatus casu neque territus heros,
Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitat ira.
Tum pudor incendit vires, & conscia virtus:
Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto;
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
Nec mora, nec requies. quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant; sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.
Tum pater Æneas procedere longius iras,
Et sævire animis Entellum haud passus acerbis;
Sed finem inposuit pugnæ, fessumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis: ac talia fatur:

In-

454. *Ac vim.*] Veteres plerique codices, *ac vim* legunt: quod magis placet, quam *& vim.* Pierius.

Vim suscitat ira.] Pythagoricum est: *Ira cos fortitudinis.* Taubm.

455. *Pudor.*] Est hic magnus stimulus ad vires recuperandas, & languentem animum excitandum. Livius lib. 2. *Nunc indignatio, nunc pudor pectora versare, &c.* & lib. 3. *Tantumque hos pudor quam alios laudes excibant.* & lib. 7. *Itaque tantos pudor stimulos admovit, ut ruerent in hostium tela, alienatis à memoria periculi animis.* Cerda.

456. *Præcipitemque Daren.*] Celerem: ut, *Præcipites vigilate viri.* Servius.

457. *Nunc ille sinistra.*] *Ille* vacat, nam metri causa additum est. De ipso enim dicit: ut, *Creber utraque manu pulsat, versatque Dareta.* Idem.

458. *Nec mora, nec requies.*] Sumptum à Lucretio lib. 4.

Nec mora nec requies inter datur ulla
fluendi.

Alio flexu Ennius 15. Ann. ita extulit, loquens de re belli: *Nec respirandi fit copia.* Hæsit vero Virgilius his Theocriti,

Αἰεὶ δ' ὀξυτέρῳ πιτύλῳ διαλεῖτο προ-
σωπον
Μέχρι συνηλοίησε παρήϊα:

Semper acriore pugnorum ingeminatione lædebat faciem,
Donec contudit genas. Cerda.

Nec mora, nec requies.] Pro eo Apulejus l. 7. Metam. *nec mora, nec cunctatio.* Emmeness.

Quam multa grandine nimbi.] Hypallage. Nam debuit dicere, Quam multo nimbo grando præcipitatur. *Servius.*

460. *Versatque Dareta.*] Dares Daretis, unde est Dareta: & Dares Daris, unde est Daren; sicut Chremes & Chremis & Chremetis. *Idem.*

461. *Procedere longius iras.*] Προβαίνειν περαιτέρω τὰς ὀργάς. Sunt autem qui *producere* legant: ego tamen à recepta lectione non possum recedere, tum quod mihi vetustior & magis poëtica videtur, tum quod & Græci προχωρεῖν ὀργὰς dicunt, & πρὸς ὀργὰς & μάχην. ut Lucian. πρᾶγμα μὴ πρὸς μάχην προχωρήσῃ· & Aristoph. in Ran. νῦν γὰρ ἀγὼν σοφίας μέγας χωρεῖ πρὸς ἔργον ἤδη. *Germ.*

462. *Acerbis.*] Hoc exemplo, & multis aliis Virgilianis efficit Josephus Castalio postponi posse eleganter in carmine adjectivum nomen substantivo, quod alii secus senserunt, putantes necessarium ad elegantiam esse, ut præcedat adjectivum. Adi illum in Var. Lectionibus. *Cerda.*

 465. *Insi-*

Infelix, quæ tanta animum dementia cepit?
Non vires alias, converſaque numina ſentis?
Cede deo. dixitque, & prœlia voce diremit.
Aſt illum fidi æquales, genua ægra trahentem,
Jactantemque utroque caput, craſſumque cruorem
Ore ejectantem, mixtoſque in ſanguine dentis,
Ducunt ad navis; galeamque enſemque vocati
Accipiunt: palmam Entello taurumque relinquunt.

Hic

465. *Infelix.*] Conſolatio eſt, unde non dicit imbellis, ut fortunæ videatur eſſe, quod victus eſt. *Servius.*

Infelix.] Qui audeas contra numina. eſt autem optima conſolatio, cum oſtendat non illum ab homine, ſed à numine vinci. *Donatus.*

467. *Cede deo.*] Errant qui putant Entellum Deum ab Ænea vocari, ſed Deum dicit, favens illi numen. *Idem.*

Dixitque.] Vacat *que* metri cauſa: & maluit periſſologiam facere, quam uti communi ſyllaba, quæ frequens vitioſa eſt. Unde Horatius, *Nec tanta in metris venia conceditur uti.* Græci enim his utuntur frequenter. *Servius.*

Dixitque & prælia v.] Id eſt, dixitque, & dicendo prælia deremit: tanta erat dicentis auctoritas. Neque enim hoc vitium eſt in maximo Poëta, ut Serv. & alii cenſuerunt. Scal. l.4. c.29. *Taubmannus.*

468. *Fidi æquales.*] Homero, φίλοι δ' ἀμφίσταν ἑταῖροι οἵ μιν ἄγον δι' ἀγῶνος ἐφελκομένοισι πόδεσσι, αἷμα παχὺ πτύοντα, κάρη βάλλονθ' ἑτέρωσε. *Servius.*

Ægra.] Quibus paulo ante tantopere valebat. *Donatus.*

469. *Utroque.*] In utramque partem. *Servius.*

Caput.] Quod paulo ante in cœlum tollebat propter ſuperbiam. *Donatus.*

Jactantemque utroque caput.] Hom. Il. θ. μήκων δ' ὡς ἑτέρωσε κάρη βάλεν. ubi Euſtath. ἀντὶ τοῦ ἔκλινε τὴν κεφαλήν. *Craſſum cruorem ore rejectantem,* Theocr. in Dioſc. ἔστη δὲ πληγαῖς μεθύων, ἐκ δ' ἔπτυσεν αἷμα φοίνιον· & Il. ξ. κελαινεφὲς αἷμ' ἀπέμεσσεν. Vocant autem Græci ἀναφορικοὺς, qui morbo à partibus infra fauces cruenta & vitioſa rejectant. *Germ.*

470. *Ore ejectantem.*] Antiqua aliquot exemplaria, *ejectantem* legunt. Alia *rejactantem* vocali à *jacto* non immutata. Sed *rejectantem*, vulgata lectio magis placet. *Pierius.*

Mixtoſque in ſanguine dentis.] Sic Ovid. 612. Metam. vſ. 256.

Cumque atro miſtos ſputantem ſanguine dentes.

ad quem locum plura Nobiliſſ. Heinſ. *Emmeneſſ.*

471. *Vocati accipiunt.*] Bene eorum oſtendit pudorem: vel quia erant occupati circum amicum, *vocati* dixit. *Serv.*

Vocati.] Hunc locum imitatur Silius lib. 16.

Accitum donat ductor, miſeratus & ævum,
Et ſortem caſus.

Ita legit Modius ad imitationem Virgilii, non *attritum*, ut in vulgatis: ſed *accitum*, ut Virgilius *vocati*. Cerda.

472. *Palmam taurumque relinquunt.*] Exprimit quanto cum dolore hæc facerent. *Donatus.*

Palmam Entello, &c.] Attamen in præmio mentionem *palmæ* Æneas non fecerat. Sed, ut Plutarch. in Sympoſ. refert, *palma* commune erat omnium certaminum præmium: quamvis aliud proprium eſſet. neque enim hic, ut reor, ſimpliciter victoriam declarat. Turneb. l.26. c.17. *Taubm.*

473. Su-

Hic victor, ſuperans animis, tauroque ſuperbus,
Nate dea, voſque hæc, inquit, cognoſcite, Teucri;
Et mihi quæ fuerint juvenali in corpore vires,
Et qua ſervetis revocatum à morte Dareta.
Dixit, & adverſi contra ſtetit ora juvenci,
Qui donum adſtabat pugnæ, duroſque reducta
Libravit dextra media inter cornua cæſtus
Arduus, effractoque inliſit in oſſa cerebro.

Ster-

473. *Superans animis.*] Exſultans ſpiritus ferocia. Fortaſſis eſt Catulli *ſuperfluens*, ὑπερφίαλος Hom. metaphora à vaſis nimium plenis. *Idem.*

474. *Nate dea.*] Verſus iſti delibati alicui videantur ex Andromacha Euripidis, ubi Peleus ſenex de ſe ita loquitur gloriabunde:

Ἡμεῖς δέ τ' ὀρθοὶ κοὐ γέροντες, ὡς δοκεῖς, &c. *Cerda.*

Cognoſcite Teucri.] Habet rationem perſonarum: quia virtutem ejus noverant Siculi. *Servius.*

475. *Juvenali.*] In Romano codice, atque aliis pleriſque omnibus, *juvenali* per *a* in pene ultima notatum legas: in quibuſdam *juvenili.* neque id in Virgilianis tantum codicibus, verum & in aliis auctoribus. Eſt apud me Ovidii codex admodum vetuſtus, in quo ea dictio paſſim per *a* ſcripta eſt, ut (ea nunc præ manibus erat) in epiſtola ad Maximum, de amore loquens, *Tu mihi dictaſti juvenalia carmina primus.* Et ita alibi. Præterea C. Julius Ro. in libro de Analogia, nomen hoc *Juvenalis*, ſi homo ſic vocetur, ab altero nomine *Juvenalis*, ſicut ait Maro, *Juvenali in corpores vires*, qua dictione res, non perſona cenſetur, non alia ratione diſcernit, niſi ab Ablativi ſingularis finali litera. Nam pro nomine proprio in *e*: pro Adjectivo in *i* finiri tradit, non taciturus, ſiquam aliam literam facere differentiam agnoviſſet. *Pierius.*

476. *Et qua ſervetis.*] Et quanta mortis acerbitate liberaveritis Dareta veſtrum beneficio Æneæ. Alii *quâ* interpretantur, qua ratione: quo modo. *Taubmannus.*

479. *Libravit media inter cornua.*] Cæſtus ergo illiſit inter cornua juvenci. Hæc enim pars capitis maximam habet duritiem, proindeque maximam frangendi difficultatem, & tamen ictus iſtius, effractis oſſibus uſque ad cerebrum penetravit. Qua ergo morte interiit bos, ipſa oſtendit Darem interire potuiſſe. *Donatus.*

Libravit.] Quaſi collimans: ne ictus falleret. *Taubm.*

480. *Effractoque inliſit in oſſa cerebro.*] Hypallage, fregit oſſa, & inliſit cerebrum. *Servius.*

Effractoque inliſit in oſſa cerebro.] Sunt qui *illiſit oſſa* abſque præpoſitione legi debere contendunt, perinde ac illud etiam ſuperius legunt abſque *&* particula, *Cum clamore Gyas revocabat, Ecce Cloanthum.* Sed enim in antiquis omnibus exemplaribus, quæ ad manus meas pervenere, uno exemplo ſcriptum inveni *illiſit vel inliſit in oſſa.* & hoc loco hypallagen figuram agnoſcit Servius, dum dicit, *Fregit oſſa, & Illiſit in cerebrum cæſtus.* Ac mihi quidem videntur qui ex hoc verſu *in* præpoſitionem adimunt, vim etiam ex ictu illo pene omnem adimere, ita languere oratio, atque etiam imperfecta reddi, verſuſque ipſe flaceſcere videretur. Non prætereibo tamen legiſſe me in codicibus aliquot manu ſcriptis *immiſit in oſſa.* Sed *illiſit* omnino melius. *Pierius.*

 481. *Humi*

Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super talis effundit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Per-

481. *Humi bos.*] Cur cum de uno loquatur, hic bovem, alibi juvencum, alibi taurum appellat; sed videtur pro tempore ac diversitate usus, ideoque *Juvencum* ait. Est autem hic pessimus versus in monosyllaba desinens. *Servius.*

Humi bos.] Versus præceps & anhelans: cui similis, *Lutulenta ruit sus.* & supra, *Præruptus aquæ mons: Nascetur ridiculus mus.* Apoll. lib. 2. γνὺξ ἤριπεν. Theocritus: πᾶς ἐπὶ γαῖαν κεῖτ' ἀλλοφρονέων. *Hartung.*

Procumbit humi bos.] Propert. 4. *Euandri profugæ procubuere boves.* Germ.

Procumbit humi bos.] Incomparabilis hic versus est: quem Servius incogitantissime (modo Servii est id Scholion) pessimum vocat, quod terminetur monosyllabo. Utrum enim malis? huncne, an,

Sternitur, exanimisque tremens bos corruit ictu.

Ita 1. Æn.

Dat latus, insequitur cumulo præruptus aquæ mons.

Potuisset sic:

Dat latus, insequitur tumidis mons incitus undis.

Verum, ut corruit taurus; ut confluxit in unum montem mare: ita corruit versus in monosyllabum, copia multarum syllabarum in unam syllabam coacta; sicut & in illo 2. Æn.

—— *ruit Oceano nox.*

item 6. Æn.

—— *en hæc promissa fides est?*

Nihil enim aptius indignationi, quam oratio desinens in monosyllabum. Vel evolve Demosthenis orationes. Horatius quoque, quum è magnis cœptis futile Poëma exiturum stomacharetur, ex prolixis vocibus eduxit monosyllabum,

Parturient montes, nascetur ridiculus mus, &c.

Videatur Scalig. l. 4. c. 48. & J. Douza præcidan. in Tibull. c. 9. item Erythræus, & Corn. Valerius, Lipsii doctor. *Taubm.*

Proc. humi bos.] Ad ruinam ejusque celeritatem exprimendam rectius terminatur hic versus monosyllabo. Vide Voss. l. 3. de instit. poët. c. 7. *Emm.*

483. *Meliorem.*] Aptiorem. Nam animalem hostiam dat. *Servius.*

Hanc tibi, Eryx, meliorem animam.] Naso quoque lib. Fast. 6. ubi de lustratione de bimestri porca: *Cor pro corde precor, pro fibris sumere fibras; Hanc animam vobis pro meliore damus.* Sic & Græci hostiarum animam nominabant, ut Plutarchus, cum agit de hostiæ probatione: τὴν δὲ ψυχὴν δοκιμάζουσι, τοῖς μὲν ταύροις ἄλφιτα, τοῖς δὲ κάπροις ἐρεβίνθους παραθέντες· τὴν δὲ αἶγα διελέγχει ψυχρὸν ὕδωρ. Sic autem & lib. 12. *meliorem victimam* dixit: *Hoc habet, & melior magnis data victima Divis:* quo fortasse & proverbium Græcum pertinere poterit, δευτέρων ἀμεινόνων· quod succidaneas κατ' εὐφημισμὸν hostias respicit. cum prior fortasse non litasset. Eurip. quoque in Androm. ἀγαθὰς ψυχὰς dixit: ψυχὰς δὲ πολλὰς κἀγαθὰς ἀπώλεσας. *Germ.*

Hanc tibi Eryx, &c.] Cum enim Daretem, tanquam hostiam, sacris vovisset, & interficere decrevisset, proinde quasi ea hostia grata heroi (Eryci magistro suo) non esset futura, nec litatura, succidaneam sese meliorem dare demonstrat. Nam in sacris succidaneis, Græci, qui rem divinam faciebant, per εὐφημισμὸν clamabant, δευτέρων ἀμεινόνων. Et huc allusisse Poëtam, docet Turneb. l. 14. c. 4. & l. 20. c. 24. & l. 28. c. 19. Cum autem duo sunt genera Hostiarum; *Animale* unum, alterum *Consultatorium*; Poëta hic *Animalem* ostendit hostiam. Atque ut nuncupata vota significaret, ait, *Per-solvo*

Perſolvo: hic victor cæſtus artemque repono.
Protenus Æneas celeri certare ſagitta
Invitat, qui forte velint; & præmia ponit:
Ingentique manu malum de nave Sereſti
Erigit; & volucrem trajecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo ſuſpendit ab alto.
Convenere viri: dejectamque ærea ſortem
Acce-

ſolvo: quod de voti-reo proprie dicitur: de quo Macrob. l. 3. c. 5. Donatus ait, hic *Animam meliorem* hanc eſſe, quæ ſine periculi contagione mactata ſit. *Taubmannus.*

484. *Perſolvo.*] Verbum hoc ſacrum eſt, & Briſſonio credo obſervatum. Addas huic ſimplex. Virg. in Ciri:

Debita cum caſtæ ſolvuntur vota Minervæ.

Uſurpat quoque Valerius Maximus l. 1. c. 1. *Cerda.*

484. *Cæſtus artemque repono.*] Et arma depoſuit, & arti renuntiavit. Id eſt, catalyſin fecit. *Servius.*

Repono.] In Romano codice, & in aliquot aliis admodum vetuſtis dicta videntur hæc ex perſona Poëtæ, quia *reponit* perſona tertia ſcriptum eſt. Verum minime diſplicet, Entelli ea eſſe verba, qui, hac depugnata pugna, votum nuncupet, ſe nunquam amplius in certamen deſcenſurum. Et *repono* perſona prima in reliquis pleriſque codicibus habetur. *Pierius.*

Repono.] Recurre ad locum Bucol. *Pendebit fiſtula pinu.* Conſtat enim alluſum ad emeritos milites, artificeſque, ut ibidem docuimus. Juvenalis quoque eadem forma verbum idem expreſſit, *nunquamne reponam?* Germ.

Cæſtus artemque repono.] Arma ſeono & pygmachiæ valedico. Alludit utem ad morem, quo gladiatores, rude donati, ſolebant arma Herculi ſuſpendere, & quaſi conſecrare. Horat. 1. Epiſt. 1. ỷſ. 5. *Taubm.*

486. *Præmia ponit.*] Sic ỷſ. 292. quid it τιθέναι ἄθλα *præmia ponere* docet Cl. Cuperus l. 3. obſerv. c. 20. *Emm.*

487. *Ingentique manu.*] Magna multitudine. *Servius.*

Malum.] *Malus*, arbor & navis, generis eſt maſculini. Horatius, *Nec malus celeri ſaucius Africo.* Et dictus eſt *malus*, vel quia habet inſtar mali in ſummitate: vel quia quaſi quibuſdam malis ligneis cingitur, quorum volubilitate vela facilius elevantur. *Idem.*

488. *Trajecto.*] Extento: unde tranſenna dicitur extentus funis. Salluſtius, *Machinato ſtrepitu tranſenna corona in caput imponebatur.* Idem.

Trajecto in fune.] Pro tranſenna, de qua Turnebus l. 5. c. 9. qui confutat Non. Marcellum. L. Gyrald. de navig. c. 15. firmans Servii ſententiam *extenſum funem* eſſe docet. Hunc de certamine ſagittarum locum mutuatus eſt noſter ex Homero, teſte Macrob. Saturn. l. 5. c. 7. *Emmeneſſ.*

489. *Quo.*] In quam. Nam ponit adverbia pro pronominibus, ut, *Genus unde Latinum.* Servius.

Tendant.] In codicibus aliquot antiquis *tendat* ſingulari numero ſcriptum eſt, ut ferrum ſit ſuppoſitum. Sed longe magis placet *tendant* plurali numero, ut ſit de Certatoribus. *Pierius.*

490. *Sortem.*] Uſitatum veteribus, ut ſortibus uterentur in omni fere ludorum genere. In Circenſibus miſſus aurigarum fiebant ſortibus. Tertull. lib. 2. de ſpectaculis: *ſemper oculi in urna*, & reliqua. In ludis ſcenicis citharœdi ſorte emittebantur. Sueton. in Neron. cap. 21. *ſine mora, &c.* In ſpectaculo gladiatorio Statius 3. Syl.

—— *ſortibus ardens*
Fumat arena ſacris.

 Vulgo

Accepit galea: & primus clamore secundo
Hyrtacidæ ante omnis exit locus Hippocoontis:
Quem modo navali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus evinctus oliva.

Ter-

Vulgo male legitur *fortibus*. Ad hos mores, & similes respexit Plinius lib. 8. epist. *scilicet ut in spectaculis quibusdam sors aliquem seponit, ac servat, qui cum victore contendat: sic in senatu, &c.* Quin ipsa cœnarum jucunditas sortes habuit; huc enim pertinet vetus illud institutum, quod Cælius adducit l. 27. quo, μοῖρα καὶ λάχεσις ἰσότητα τὴν περὶ τὰ δεῖπνα, καὶ συμπόσια κοινωνίαν ἐβράβευον· *sors, & lachesis* (hæc dicta à sortiendo est) *in cœnis æqualitatem & in conviviis communionem dispensabant.* Adeo miseræ gentes subjectæ huic malo, & ludibrio dæmonum. *Cerda.*

491. *Accepit galea.*] In bello urnæ locum galea sustinuit ad mittendas sortes. Hujus moris crebra mentio. Homer. 23. Il.

Κλήρους δ' ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλον ἑλόντες:

Sortes autem in galea ærata movebant accipientes.

& lib. 7. — κλῆρον
Ἐν δ' ἔβαλον κυνέῃ Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο:

Sortem injecerunt in galeam Agamemnonis Atridæ.

Æschyl. in fabula septem ad Thebas,
—— τρίτῳ γὰρ Ἐτεόκλῳ τρίτος πάλος.
Ἐξ ὑπτίας πήδησεν εὐχάλκου κράνους,
— *tertio Eteocli sors tertia*
Exiluit ex ærea inversa galea.

Plura alii congerunt, ad morem cognoscendum hæc satis. *Idem.*

Accepit galea.] Sic Stat. l. 6. Theb. *Et jam sortitus Proteus versarat ahena Casside.* Usos fuisse homines militares galea pro forensi aut urbana sitella vel urna testatur Turneb. l. 28. c. 16. ut hic *dejicere sortem* sic Græci κλήρους ἐμβάλλεσθαι. *Emmeness.*

Primus.] In Romano codice, *primum* legitur: magis tamen placet *primus*, scilicet locus, ut in exemplaribus aliis antiquis, & vulgatis omnibus habetur. *Pierius.*

Clamore secundo.] Sicut supra ait, *Magnoque virûm se murmure tollit.* Servius.

492. *Exit locus Hippocoontis.*] Κλῆρος θόρε sæpe apud Hom. & Il. γ. πάλος δ' θοῶς ἐκ κλῆρος ὄρουσε· & Æsch. in ἑπτὰ, τρίτος πάλος ἐξ ὑπτίας πήδησεν εὐχάλκου κράνους. Valerius lib. 6 cap. 3. de Severitate, *Conjectis in sortem omnibus tribubus, Polliæ, quæ proxima exierat, primum nomen urna extractum citari jussit.* Germ.

493. *Quem modo.*] Id est, nuper: nam ut diximus, victor fuit duorum Urbanus vero dicit *modo*, propemodum pene. Nam secundus fuit. Alii *victor* voti compos volunt: ut, *Rapidisque rotis insistere victor.* Optaverat enim ne extremus rediret: ut, *Hoc vincite cives* Servius.

Victor.] Primus locus in primo certamine navium Cloanthi fuit; secundus, Mnesthei: sed pleno ore victorem vocat, nam re vera victor, si virtutem spectes. inde de eo Poëta:

At qui deinde locum tenuit virtute secundum.

Nam Cloanthus precibus, & votis vicit, non admodum gloriose. Hanc rem præmia indicant: Cloantho enim datum est imbelle ex auro, & purpura Mnestheo militare. adi superiora. Non placent, qui incogitantiam inurunt Virgilio, & *modo* explicant, per, *propemodum.* Non sic est, sed vere victor fuit ea ratione, qua explicui. *Cerda.*

494. *Oliva.*] Supra hoc tacuerat tantum in genere dixerat:

Purpureis ibant evincti tempora tæniis Idem.

495. Cla

Tertius Eurytion, tuus, ô clarissime, frater,
Pandare: qui quondam, jussus confundere fœdus,
In medios telum torsisti primus Achivos.
Extremus, galeaque ima subsedit Acestes;
Ausus & ipse manu juvenum tentare laborem.
Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri, & depromunt tela pharetris.
Primaque per cælum nervo stridente sagitta
Hyrtacidæ juvenis volucris diverberat auras:
Et

495. *Clarissime, frater, Pandare.*] Nobilissime, qui fuit Lycaonis filius. Pandarus autem qui secundum Homerum, Minervæ persuasione, singulare Menelai & Paridis certamen, cum in eo esset, ut Paris vinceretur, jactu teli, diremit, quo Menelaum vulneravit. *Servius.*

496. *Jussus.*] A Minerva. *Idem.*

Jussus confund. fœdus.] Pandarus Lycaonis filius, secundum Hom. Iliad. 4. jussu Minervæ, certamen Menelai & Paridis jactu teli diremit. *Taubm.*

498. *Subsedit Acestes.*] Hoc est remansit. Nec enim proferebatur sors, quæ remanserat sola: aut certe *subsedit*, retulit. Unde & *subsessores* vocantur, qui occisuri aliquem delitescunt. De quo verbo plenius dicitur illo versu, *Devicta Asia subsedit adulter.* Servius.

499. *Manu.*] Conjungit Passeratius Poëtas quosdam, qui cum de arcu, & sagittis loquantur, usurpant vocem hanc *manus.* Itaque non solum manu pugnat, qui gladium versat, sed etiam, qui arcu & sagittis utitur, ut hoc loco Acestes. Ita in 9.

—— *fortemque manu fudisse Numanum.*

Cum sequatur, *Sonat una lethifer arcus.* Et Tibullus l. 2. eleg. 1.

Illic in docto primum se exercuit arcu:
Hei mihi quam certas nunc habet ille manus.

Propertius l. 1. Eleg. 9. de Cupidine sagittis feriente:

Qui non apte patet, donec manus attigit ossa. Cerda.

500. *Flexos incurvant.*] Mutatione usus est. Nam *curvos inflectunt* debuit dicere. *Servius.*

Flexos.] Expendi jam, quo ordine Poëta procedat, & moneo hic observatum hoc prius, Homero loquente de Pandaro lib. 4. Prius enim hunc inducit, τανυσάμενον τόξον, *tendentem arcum.* Deinde ex pharetra, ἑλόντα ἰόν, *extrahentem sagittam.* Demum ἐπὶ νευρῇ κατακοσμοῦντα, *aptantem illam in nervo.* Cerda.

501. *Pro se quisque viri.*] Pro qualitate roboris sui. *Servius.*

502. *Stridente.*] Hæsit Homero Il. 4.

—— νευρὴ δὲ μέγ' ἴαχεν:
—— *nervus autem valde sonuit.*

Verba *strideo, stridor, stridulus*, in emissis telis, sæpius occurrent. lib. 12. Æn.

—— *stridentque hastilibus auræ.*

& lib. 7.

—— *stridente sagitta.*

in hoc lib.

—— *sonitum dat stridula cornus.*

Homer. Il. 4. λίγξε βιός: *Stridit arcus.* Cerda.

503. *Diverberat auras.*] Scindit. *Servius.*

Auras.] Sunt qui ex Ti. Donato *alas* legendum autument, & paulo post *Timuit exterrita pinnis Ales.* Cæterum in antiquis omnibus codicibus quos inspexerim, *auras* notatum observavi, quare suum unicuique judicium integrum relinquam. *Pierius.*

504. *Ar-*

Et venit, adverſique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, & ingenti ſonuerunt omnia plauſu.
Poſt acer Mneſtheus adducto conſtitit arcu,
Alta petens: pariterque oculos telumque tetendit.
Aſt ipſam miſerandus avem contingere ferro
Non valuit: nodos & vincula linea rupit,
Quis innexa pedem malo pendebat ab alto.
Illa notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus jam dudum arcu contenta parato

Tel

504. *Arbore mali.*] Sic dixit: ut, *Luſtrat Aventini montem.* Servius.

Arbore mali.] Locutio Poëtica, ſic fluvius Tagi, urbs Patavi, mons Aventini: pro, Tagus, Patavium, Aventinus. Non poëtice, dices: fluvius Tagus, mons Aventinus. Livius l. 38. *ſuper Mæandrum amnem poſuit caſtra.* Ab urbe Roma, in urbem Romanam, & ſimilia, millies in eodem Salluſt. in Jugurth. *Armati Aventinum montem occupavere.* & 3. Hiſt. *apud flumen Durium.* Livius lib. 39. *ad Tagum flumen profecti ſunt.* Itaque Poëta dicat, *arbor mali.* Non Poëta, *arbor malus.* Scio iſta interdum commutari. Porro (hoc jam monuit Eryth.) quia malus frequentiſſima eſt arbor, ideo placuit Latinis ſcriptoribus ab ea malum nauticum appellare. ſicut rurſus, pomum, quo omnes omnium arborum fœtus ſignificantur, præſertim, qui non ſunt duri corii, vulgo uſurpamus pro fructu mali. *Cerda.*

505. *Exterrita pennis.*] Timorem ſuum pinnis ſignificans. Singula enim animalia habent ſigna, quibus indicant ſuum timorem. Unde ipſe de ludo, *Caudamque remulcens, Subjecit pavitantem utero.* Item de Caco, *Turbatumque oculis.* Hominum enim timorem primi indicant oculi. *Servius.*

506. *Omnia plauſu.*] Alii *pinnarum* dicunt, ſed melius ſpectantium favore. Illud enim eſt incredibile. *Idem.*

507. *Adducto arcu telum tetendit.*] Hypallage eſt, nam adducitur telum, & arcus intenditur. *Idem.*

509. *Miſerandus.*] Qui perfecta re difficiliore, victoria caruit. *Idem.*

510. *Rupit.*] In antiquis aliquot *rumpit* eſt præſenti tempore. Sed magis placet *rupit* præteritum, ut *Non valuit.* Pierius.

511. *Innexa pedem.*] In nexu pedem habens. *Servius.*

Malo alto.] Carcheſium ſignat, quæ pars mali ſumma, & extrema. Lucilius:

Tertius hic mali ſuperat carcheſia ſumma.

Cinna:

Lucida cum fulgent alti carcheſia mali.

Quem verſum Catullo attribuit Non. Marcellus. Lege Lilium de navigii cap. 12. *Cerda.*

512. *Atque atra.*] In codicibus aliquot antiquis *adque alta volans in nub.* legitur. Sed enim inferius eſt, *Nigra figit ſub nube columbam.* quare *atra nubila* potius legendum videtur: quamvis eadem *alta, profunda, nigra.* Pierius.

513. *Tum.*] Deinde, & eſt adverbium ordinis. Nam *tunc* temporis eſt. *Servius.*

Tum rapidus.] Morarum impatiens. Quod ait, *ſpeculatus*, artis fuit, debuit enim volatum ejus explorare, quia turbato eo atque incompoſito, locus feriendi inveniri non poterat. Ubi igitu

Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit,
Jam vacuo lætam cælo ſpeculatus; & alis
Plaudentem nigra figit ſub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in aſtris
Ætheriis, fixamque refert delabſa ſagittam.
Amiſſa ſolus palma ſuperabat Aceſtes:
Qui tamen aërias telum contendit in auras,
Oſtentans artemque pater, arcumque ſonantem.
Hic

r hanc vidit lætis & ſecuris volatibus rri, jecit ſagittam, & columbam in re confixit. Magnæ peritiæ, volantem in alto conſtitutam figere, præterea umbratam nube atra. Non dixit aum ſagitta revocat columbam, quæ ptis vinculis libera avolarat, ſed quod at pulchrius, ales ipſam ſagittam revocat. *Donatus.*

Tum rapidus.] Homerus de Pandaro).4. Iliad.

Αἶψα δ᾽ ἐπὶ νευρῇ κατεκόσμει πικρὸν ὀϊστόν:

Statim autem in nervum aptabat acerbam ſagittam.

lib.23. de Merione.

Σπερχόμενος δ᾽ ἄρα Μηριόνης ἐξείρυσε χειρὸς
Τόξον. ἀτὰρ δὴ ὀϊστὸν ἔχεν πάλαι ὡς ἴθυνεν:

Feſtinans autem Meriones extraxit manu
Arcum, ac jam ſagittam tenebat dudum, ut direxerat.

aque, quod Virg. *rapidus*, Homerus, m αἶψα, jam σπερχόμενος. Reliqua ſe confer, neque enim dubium, quin Græcam umbram lux Latina. *Cerda.*

Arcu contenta parato Tela tenens.] ontento arcu tela tenens parata. *Servius.*

514. *In vota vocavit.*]Nam apud Lyos colitur, quaſi heros. *Idem.*

Fr. Eurytion in v. vocavit.] Pandam: qui apud Lycios colebatur ut eros: & quem Homerus ſagittandi ritia pæne æquat Apollini. *Taubm.*

516. *Nigra nube.*] Id eſt, alta. *rvius.*

517. *Vitamq; reliquit in aſtris.*] Unde ſumpſerat vitam: ut, *Hinc hominum pecudumque genus, vitæque volantum.* Sane ſciendum hunc totum locum ab Homero eſſe ſumptum. Unde inanis eſt vituperatio Æneæ, quod ſuſpenderit avem maternam. Nam & res eſt tranſlata ſimpliciter: & quamcunque ſuſpendiſſet avem, in hanc incideret vituperationem. Nulla enim avis caret conſecratione, quia ſingulæ aves numinibus ſunt conſecratæ. Quanquam Urbanus dicit matrem citius potuiſſe placari. *Idem.*

Vitamque reliquit in aſtris.] Eurip. in Phœniſſ. βίοτον μὴ λιπόντες ἐνθάδε. & paulo poſt, ἐλιπέτην βίον. *Germ.*

Vitam reliquit in aſtris.] Putat Macrob. l. 3. c. 8. alludi ad vet. ritum, quo volucres immolarentur ſtellis. *Taubmannus.*

Aſtris Ætheriis.]In vetuſtiſſimis pleriſque exemplaribus, *æthereis* legere eſt, plura vero de vita ita in aſtris relicta, Macrobius lib. III. Saturnalium. Sunt tamen qui malint *aëriis.* Pierius.

520. *Aërias telum contendit.*]Hoc vero loco *aërias* legitur in codicibus illis, in quibus *æthereis aſtris* paulo ante legebatur. Pro *contorſit* vero, *contendit* in Romano, & in Mediceo, & pleriſque aliis antiquis exemplaribus, & eodem modo *Contendit telum,* lib. IX. ſcriptum invenimus. *Idem.*

521. *Artemq; pater, arcumque ſonantem.*] Semelque culpat hoc Virgiliomaſtix. Artem enim in vacuo aëre oſtendere non poterat: quanquam dicant periti poſſe ex ipſo ſagittariorum geſtu

Hic oculis subitum objicitur magnoque futurum
Augurio monstrum. docuit post exitus ingens:
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuisque recessit
Consumta in ventos: cælo ceu sæpe refixa

Transſ

gestu artis peritiam comprobari. *Servius.*

Ostentans artemque pater, arcumque sonantem.] Nonnulli syllabæ, quæ in heptimemeri sita est, timentes, *que* illi particulam addidere, ita legentes *artem pariterque arcumque.* Sed quanto magis placet quod in Romano, & in Mediceo, & plerisque aliis codicibus vetustis legere est, *ostentans artemque pater arcumque.* Quam lectionem dubio procul agnoscit Asper Grammaticus; Scansionis etiam apposita ratione: quam, ut apud ipsum legimus, referre non pigeat, ut quo diximus modo legendum esse, nulli dubium relinquamus. *osten.* Spond. *tans ar.* Spond. *temque pa.* Dact. *ter ar.* Spond. plurimaque ejusmodi recitat exempla. Denique id genus syllabæ, quæ pede quarto posita est *ter ar.* vel inter longas censeri debere tradit, apud Auctores, vel parcissime metrum usurpare. Id tamen apud Virgilium frequentissimum reperiri. *Pierius.*

522. *Objicitur.*] Superius de his particulis secundum Jubam artigraphum tractavimus. Sed dicunt alii istas monosyllabarum ratione vel produci vel corripi. Sane sciendum naturæ esse, ut breves sint, euphoniæ vel Jubæ ratione: in compositione producuntur, si tamen *i* sequatur: quæ licet non sit consonans, potest tamen in declinatione pro consonanti haberi. *Servius.*

523. *Augurio monstrum.*] *Augurium* dictum quasi avigerium, id est, quod aves gerunt. Et bene de sagitta dixit *augurium*, quæ habet pinnas: quanquam omnia ad unum congesserit locum, monstrum augurium, auspicium, ora culum. *Idem.*

524. *Sera.*] Gravia. Sallustius, *Se rum bellum in angustiis futurum.* id est grave. Et quod improbant vates, Æ neas amplectitur, deceptus augurii si militudine quod apud Trojam proba verat pater, ut, *Stella facem ducens.* Idem

Seraque terrifici cecin. omina vates. Lucret. 1. *vatum Terriloquis victus di ctis desciscere quæres.* Turnebus autem *sera dira* interpretatur, non *tarda*, quo mox incensa classe, diri illius porten fides repræsentata fuerit: adjuvat ea interpretationem versus etiam ille Vir gilianus, *seraque culminibus ferali ca mine bubo.* Germanus.

Seraque terr. &c.] Οὐ πάνυ Grono in Observ. l. 1. c. 17. *serum* hic non si gnificare *triste*, ut Servius, nec *dirum* ut Turnebus l. 26. c. 17. sed simplici sime *serum malum*, hoc loco sumi doce pro malo futuro: inde dicitur *serus ve sper.* quod proverbium notum Tir nibus: *nescis quid serus vesper veha* Emmenesſ.

525. *Volans.*] Ita Pindar. Od. Olymp. πτερόεντα ὀϊστόν, *alatam sagi tam.* Cerda.

Liquidis in nubibus.] *Nubes* pro *aë* posuit. Nubes enim liquidæ esse no possunt. *Servius.*

526. *Signavitque viam.*] Ita 2. Æn de stella, quæ apparuit in aëre, *signan temque vias.* Cerda.

527. *Ceu sæpe refixa.*] Poëtice dix secundum publicam opinionem. Nam ut Lucretius dicit, *Ventus altiora peten æthereum ignem secum torquet, qui fracti imitatur stellas cadentes.* Servius.

Cælo seu sæpe refixa.] Vide quæ sup lib

Transcurrunt crinemque volantia ſidera ducunt.
Attonitis hæſere animis, Superoſque precati
Trinacrii Teucrique viri: nec maximus omen
Abnuit Æneas, ſed lætum amplexus Aceſten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume, pater: nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auſpiciis exſortem ducere honores.

Ipſius

). 2. annotata ſunt ad illum locum, *'e cælo lapſa per umbras Stella facem du-ns.* Horat. quoque, *Refixa cælo devo-re ſidera*, Epod. dixit. Ut hic *Tranſ-rrunt*, Ariſtot. Meteor. lib. 1. ἀστέρας ᾳθέοντας, & ἄστρων διαδρομὰς vocat, ıas negat in ſupero loco accidere, ſed infero: atque eo argumento probat :lum nec calidum, nec ignitum, his :rbis: σημεῖον δ᾽ ἱκανὸν, ὅτι ὁ ἄνω τό-πος οὐκ ἔστι θερμὸς, οὐδ᾽ ἐκπεπυρωμέ-νος, καὶ αἱ διαδρομαὶ τῶν ἄστρων ἐκεῖ μὲν οὐ γίνονται· κάτω δὲ, καίτοι τὰ μᾶλλον νούμενα καὶ θᾶττον, ἐκπυροῦται θᾶττον. *ermanus.*

528. *Tranſcurrunt.*] Plinius lib. 2. 26. loquens de ſtella, quæ apparuit ente Germanico gladiatorium ſpe-aculum, *præter ora populi meridiano nſcurrit.* Id ductum ex Græco. nam riſt. 1. Meteor. ἀστέρας vocat διαθέον-ς, *ſtellas currentes.* & ἄστρων διαδρο-ὰς, *tranſcurſus aſtrorum.* Cerda.

Crinemque volantia ſidera ducunt.] :li per celeritatem incenſi comparatio n ſtella, inde Stat. Theb. l. 5.

— *& multa crinitum miſſile flamma.*
nmeneſſ.

529. *Attonitis animis.*] Intentis, ıpefactis per tonitrua: quæ cohærent eleſtibus ignibus. *Servius.*

530. *Nec maximus omen Abnuit.*] nplexus eſt, & probavit. Nam ſecun-m augurum diſciplinam dixit ad ſe n pertinere. Nam noſtri arbitrii eſt, à omina vel improbare, vel recipere. *em.*

Nec omen Abnuit Æneas.] Æneas ac-ɩit omen ut lætum, quod averſari ut um debuit. Celeritas autem volan-tis ſagittæ celeritatem etiam eventus portendit. Ut enim volantium ſiderum eſt ociſſima ſignificantia, ut eorum quæ ἀκοντίαι vocantur: ſic & ſagittæ ardentis, & jaculum aut cavatam ſtellam referentis. Turneb. l. 26. c. 17. *Taubm.*

531. *Sed lætum.*] In Romano codice, *& lætum* legitur. In Longobardico *lætus* ultimæ ſyllabæ colliſione, quod alii viderint. *Pierius.*

532. *Mun. cumulat.*] Exemplo fortaſſe Homeri, qui præmio afficit ſenem Neſtorem, qui nihil geſſerat, Il. 23.

—— δίδωμι δέ τοι τὸ δ᾽ ἄεθλον
Αὔτως:

—— *do tibi hoc præmium*
Gratis. Cerda.

533. *Sume pater.*] Percipe. Nam verbum eſt juriſconſultorum, quo utuntur quotiens legatum non ab herede datur, ſed eſt in accipientis arbitrio. *Serv.*

534. *Exſortem.*] Ἄκληρον, Sine ſorte. *Idem.*

Exſortem ducere honores.] In Romano codice, *exſortem* cum *ſ* litera ſcriptum eſt, ut *Exſul* ex grammaticorum ſcribitur præceptione, quod, *extra ſolum*, dictiones complectatur, ita *Exſortem* extra ſortem. Eſt etiam in eodem codice atque etiam in Mediceo *honores* numero multitudinis, quod frequentiſſime invenies apud Hiſtoricos eodem ſignificato. in quibuſdam *honorem.* Pierius.

Exſortem ducere honores.] Id eſt, præmium extra ordinem, ait Scal. l. 4. c. 16. *Extra ſortem* autem, hoc eſt, non fortuna aut caſu, ſed judicio decretoque donari, honorificentiſſimum & ampliſſimum erat. ita 8. Æn. *Ducunt exſortem Æneæ.*

Ipsius Anchisæ longævi hoc munus habebis,
Cratera inpressum signis: quem Thracius olim
Anchisæ genitori in magno munere Cisseus
Ferre sui dederat monumentum & pignus amoris.
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro:
Et primum ante omnis victorem adpellat Acesten.
Nec bonus Eurytion prælato invidit honori;
Quamvis solus avem cælo dejecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit:

Extre

Ænea. & lib. 9.

—*cristasque rubentes Exciperem sorti.* ut notat Turn. lib. 13. 8. Pari autem forma & Græci vocant *ἄκληρον* & *ἐξαίρετον*, *sorti exceptum.* Jam *honorem*, pro *honorario* frequentant JCti. *Honor* etiam pro pretio accipiebatur Romanis, imitatione Græcorum, quibus, *τιμὴ* in eodem usu est. V. & N. 3. Æn.

—*quæ sortitus non protulit ullos.*

Taubmannus.

535. *Anchisæ munus.*] Quod Cisseus rex Thraciæ (secundum Virgilium pater Ecubæ, ut, Cisseis regina Parin creat) Anchisæ aliquando donaverat. *Servius.*

536. *Inpressum signis.*] Impressa signa habens, id est, emblemata. *Idem.*

Inpressum signis.] Æneæ, eburneæ, argenteæ figuræ alteri cuipiam materia inpressæ *signa* generali nomine dici solent. Vide Junium de Pict. vet. l. 2. c. 8. *Emmeness.*

537. *Cisseus.*] Ita scribendum docet Turneb. l. 14. 4. Fuit autem Rex Thraciæ, & pater Hecubæ. *Taubm.*

538. *Sui monumentum.*] Μνημόσυνον. Jubet autem Scal. l. 4. c. 16. hanc locutionem notare,

Genitori in magno munere
Ferre sui dederat monumentum.

Idem.

539. *Viridanti.*] Species participii sine verbi origine, temporis præsentis. *Servius.*

540. *Primum ante omnis.*] Unum vacat. *Idem.*

Adpellat.] Vel dicit, vel salutat. Sa lustius, *Jugurtha adveniens velox Qua storem appellat.* Idem.

541. *Prælato invidit honori.*] Id es prælatum honorem. *Idem.*

Prælato invidit honori.] Observanc hæc phrasis, qua rebus dat, quod perso narum est: ut Eurytiona accipiam non invidisse, prælatum sibi in hono & munere decernendo Acesten. Cu autem ex Aristotele constet nemesi inter *φθόνον* & *ἐπιχαιρεκακίαν* sitan nihil esse aliud quam justam indign tionem, qua prosequimur *παρ᾽ ἀξίαν* præter meritum prospere agentes: v detur hîc *invidere* poëta & *φθονεῖν ἀν τοῦ νεμεσᾶν* usurpasse: prærogativa eni & privilegio ætatis Acestes, Eurytio meritam lege Agonali palmam inte verterat. *Germanus.*

543. *Proximus.*] Post Erytionen *Servius.*

Donis.] Ad dona. *Idem.*

Ingreditur donis.] Qui adepti sin victoriam, gloriabundi esse solent, jactantiores æquo. Et quidem ver *ingredior*, & *incedo*, militaria sunt. supra,

—*aut jaculo incedit melior.*

& statim: *incedunt pueri.* & in 10. trumque conjungit, cum ait:

At vero ingentem quatiens Mezenti hastam
Turbidus ingreditur campo, quam ma gnus Orion
Cum pedes incedit, &c.

& supra:

Ja

Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Æneas nondum certamine misso,
Custodem ad sese comitemque inpubis Iuli
Epytiden vocat, & fidam sic fatur ad aurem:

Vade

Jamque adeo donati omnes, opibusque superbi,
Puniceis ibant evincti tempora tæniis.
Ibi arrogantiam agnoscis in eundo. Ergo hic: *ingreditur donis*, arroganter quidem, & gloriabunde. Non, ingreditur ad dona, ut ait Servius. *Cerda.*

544. *Extremus.*] Ostendit hos sua munera percepisse: Aceften vero sumsisse præcipua. *Servius.*

545. *Nondum certamine misso.*] De peractis loquitur rebus. Inde debuit dicere *vocavit*, & *fatus est*. Ergo aut tempus est pro tempore; aut sic refert, ut videatur non de præterito loqui, sed dictum præteriti temporis ponere & referre. *Idem.*

546. *Custodem ad sese.*] Secundum Tullium, qui dicit ad militiam euntibus dari solitos esse custodes, à quibus primo anno regantur. Unde ait de Pallante, *Sub te tolerare magistro Militiam & grave Martis opus.* Idem.

Inpubis Iuli.] Ab eo quod est *hic pubis*. Nam quod ait Sallustius, *Puberes omnes interfici jubet:* venit ab eo quod est *puber*, & sunt ista communis generis, si referantur ad singulos. Multitudo autem si dicatur, generis tantum fœminini est, ut *hæc pubis*. Idem.

Custodem Iuli.] Serv. & Turneb. l. 7. c. 3. & l. 26. c. 22. tradunt, Ciceronem scripsisse, anno stipendii primo solitos esse dari publice Custodes adolescentibus militaturis: sub quibus disciplinam discerent, & acuerentur. Ita 8. Æn. —*sub te tolerare magistro Militiam, & grave Martis opus.*
Quod & Plautus monuit Mostellaria act. 1. 2. Erat autem antiquitus annus militiæ decimus septimus; finis, quadragesimus sextus, & postea etiam quinquagesimus. De quo Lipsius 2. Annal. Taciti. Verum enimvero, cum Poëta Iulum *impuberem* dicat, nec dum ætatis militaris; vide num illum Custodem intelligat, qui pueris Nobilibus usque ad pubertatem dabatur: qui Plauto in Asin. dicitur *Custos herilis*. De quo & Horat. in Arte:

Imberbis juvenis, tandem Custode remoto,
Gaudet equis.

Ita & supra ℣. 257. Ganymedi nondum militiæ sacramentis initiato tribuuntur Custodes. *Taubmannus.*

Custodem ad sese, &c.] Pueris regendis præficiebantur viri gravitate & ætate qui erant conspicui. Stat. Silv. lib. 5. in Epiced. patris:

Hinc tibi vota patrum credi, generosaque pubes
Te monitore regi, mores & facta priorum
Discere. De hoc equestri puerorum certamine Onuph. Panv. agit l. 2. de l. circ. c. 9. hoc loco *inpubis Iuli* alio modo inflectit Cicero, qui *impuberis* genitivum facit, teste Charisio, l. 1. Instit. Gramm. p. 54. *Emmeness.*

547. *Epytiden.*] In codicibus aliquot antiquis, *Æpytidem* cum diphthongo prima syllaba, & *y* secunda scriptum est. Nam apud Auctores veteres *Æpytus* pro nomine proprio celebratur, & tam illi, quam nostri patronymici formam solent usurpare. Est & ἠπυτίδης nomen apud illos, sed rationi metricæ non responderet. *Pierius.*

Epytiden.] Sic scribenda vox, non ut in vulgaribus, vel ex Homero 17. Iliad. dicente,

—— δέμας Περίφαντι ἐοικὼς
Κήρυκι Ἠπυτίδῃ.
—— *corpore Periphanti similis*
Præconi Epytidæ.

Cerda.

Epytiden.] Periphantem Epyti F. Turneb. l. 7. c. 3. *Taubm.*

Fatur ad aurem.] Sequitur & *Dic ait.* Unde

Vade age, &, Ascanio, si jam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas, & sese ostendat in armis,
Dic, ait. ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, & campos jubet esse patentis.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntis
Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona.

Cornea

Unde sicut & in tertio diximus, unum vacet necesse est. *Servius.*

Fidam.] Nam is fidam semper operam navaverat, non Æneæ solum, sed etiam seni Anchisæ, erat enim ex antiquissimis famulis illius domus, de quo sic Il. 17. —— παρὰ πατρὶ γέροντι
Κηρύσσων, γήρασκε, φίλα φρεσὶ μήδεα εἰδώς.
—— *apud patrem senem*
Præconem agens consenuit, amica mente consilia doctus.

Ubi pater senex Anchises est: qui consenuit, Epytides. Aliqui hinc adimunt hoc hemistichium, tum quia ociosum, tum quia infra est verbum, *ait.* Cerda.

549. *Cursusque instruxit equorum.*] Illustrari potest hic locus simili historia, quam adducit Athen. l. 4. Pueri enim Laconum in equis ornatis theatrum percurrebant, in ea celebritate, quæ ab Laconibus peragebatur, in honorem demortui Hyacinthi. *Idem.*

550. *Ducat avo turmas.*] In honorem Anchisæ. Est autem *Turma* Equitum XXXII. *Taubm.*

551. *Dic, ait.*] In veteribus codicibus quotquot habere potui, scriptum inveni *dic ait*, quod si aliter legas, imperfecta erit oratio: plena vero hoc ordine, *Et ait,*

Dic Ascanio, si jam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum:
Ducat avo turmas, & sese ostendat in armis.
Quibus imperatis, Ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, & campos jubet esse patentis.

In non nullis codd. legitur, *Sic ait.* Pier.

552. *Campos jubet esse patentis.*] Discessu populi jubet fieri campos patenteis. *Servius.*

553. *Incedunt pueri.*] Aut poëtica licentia confudit ætates: ut, modo pueros, modo juvenes dicat. Nam ait, *Una acies juvenum.* aut certe secundum quosdam sequenti distinctione mutata, magistros, pueros dicit: sequentes vero, maturioris ætatis. *Idem.*

Incedunt.] Non tam de incessu pedestri, quam qui fit cum sella, vel lectica, imo qui equo vehuntur, dicuntur *incedere*, ut Scheff. l. 2. c. 18. *Emmeness.*

554. *Lucent.*] Armis sc. splendescentibus. Hoc autem verbum minus usitatum, quam *fulgent*, Scaliger l. 4. c. 16. notare jubet. ita 8. Æn. *Virgatis lucent sagulis.* Taubm.

Quos omnis euntis.] Quos euntes omnis turba fremit, id est, cum favore prosequitur. *Servius.*

556. *In morem.*] De more. ita 8. *Pellibus in morem cincti.* Taubm.

Tonsa coma.] Composita. Nam proprie *comæ* sunt non cæsi capilli. *Serv.*

Pressa corona.] Id est, galea. & sermone Homeri usus est, nam galeam στέφανον dixit. Et re vera corona non potest intelligi, cum sequatur, *Galeam ante pedes projecit inanem.* Sed alii dicunt, potuisse eos galeas habere coronatas.

Cornea bina ferunt præfixo hastilia ferro:
Pars levis humero pharetras. it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Tris

as. Bebius tamen Macer dicit à Cæsa-e Augusto pueris, qui luserunt Trojam, lonatas esse galeas, & bina hastilia: ad uod Virgilium constat adludere. *Serv.*

Tonsa coma pressa corona.] Difficilis ersus non tam se ipso, quam explica-orum, & Servii inprimis interpreta-nento, in quo non ferendus ordo hîc, *onsa coma, pressa corona*, cum detrimen-o carminis. sic explico. Inerat omni-ous coma pressa, videlicet à galea, co-ona supra galeam eminente. Nisi hi ueri gestassent galeas, facilis erat in-erpretatio; atqui gestarunt, dicente nox Poëta de Ascanio,

——*galeam ante pedes projecit inanem,*
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.

Ergo: erat coma, supra hanc galea pre-nens comam, supra galeam corona. Restat, breviter probem. Compressio omarum à galea. vere. Ovid. in Epist. Laodamiæ:

Ipsa comas pectum, galea caput ille pre-
metur?

& contrarium huic *solvo*, cum galea de-nitur. idem in Fast.

Mars ades, & nitidas casside solve co-
mas.

In re longe alia utrunque verbum idem pposuit 2. de Arte:

Cum modo frigoribus premimur, modo
solvimur æstu.

Pergo ad alterum. corona erat supra ga-eam: ex quo more in 7. Æn.

Quin & Marrubia venit de gente sa-
cerdos,
Fronde super galeam, & felici comptus
oliva.

Et Apulejus lib. 10. *irrupit alia, quam utares Minervam, caput contecta fulgenti galea, & oleagina corona tegebatur ipsa galea.* Non ergo novum, coronas ga-eis superimponi. Inde facilis explica-io illius versus, *galeam ante pedes pro-ecit inanem.* Nimirum inanem corona, am hac amissa vel in agitatione eque-stri, vel in tumultu subito, qui exortus ab incendio navium. Explicatio Servii esset procul dubio explicatior, & me-lior nostra; quæ vult coronam sumi pro galea, Homeri exemplo, nisi ob-staret attributum, nam *galea* qui dici potest *tonsa*? Cerda.

Tonsa corona.] Vide quæ dicta l. 3. G. ℣. 21. & interpretem Salmas. Plin. exerc. p. 1000. *Emmeness.*

557. *Bina.*] Poëtam illustrant verba hæc Servii: *Bebius Macer dicit, à Cæsare Augusto, pueris, qui luserunt Trojam, donatas esse galeas, & bina hastilia: ad quod Virgilium constat alludere.* Faciunt hæc quoque ad ea, quæ diximus, pue-ris gestatas galeas. *Hastilia cornea* sunt, breves quædam ex corno hastæ. *Cerda.*

Præfixo hastilia ferro.] Codices anti-qui omnes, quos inspexi *præfixa hastilia ferro*, legunt, utraque elocutio Latina est. *Pierius.*

558. *It pectore summo.*] Sic legen-dum est, ne sit soloecismus: & rei ina-nimali dedit motum dicendo *It*. Sum-mum autem pectus ait, pectoris & col-li confinium. *Servius.*

It pectore summo flexilis.] Quamvis lectio hæc vulgata candidior videatur, in quibusdam tamen codicibus anti-quioribus ita legere est, *& pectore sum flexilis obtorti per collum it circulus auri.* quæ lectio nequaquam aliena est à ve-nustate. *Pierius.*

559. *Circulus.*] Non abit illud l. 10.

——*fusos cervix cui lactea crines*
Accipit, & molli subnectit circulus auro.

Neque illud, 7.

——*fit tortile collo,*
Aurum ingens coluber.

Neque illud Nævii apud Charisium,

Collum marmoreum torqueis geminata
coronat.

Sæpissime sane in Poëtis ubi est mentio colli, est etiam auri torti, quo signatur torques. Nam, ut ait Isidor. lib. 9. c. 31.

Tris equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores: pueri bis seni quemque secuti
Agmine partito fulgent, paribusque magistris.
Una acies juvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus; tua clara, Polite;
Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis
Portat

Torques circuli aurei à collo ad pectus dependentes, & à viris geruntur, ut à fœminis monilia. Non dubitaverim appellare torques, catenas aureas, quas viri nobiles inter Hispanos solent gestare. Hæ enim & collo circundantur, & pendent ad pectus. Qui hos pueros in Virgilio bullatos capiunt, longe à re abeunt, torquatos tantum exhibet. Quodque Xenoph. 1. ἀναβ. ait, στρεπτὸν χρυσοῦν, *torquem aureum:* In eodem post multa locum signat στρεπτοὺς περὶ τραχήλῳ, *torques circa collum.* Nota discrimen illud Isidori inter *torquem*, & *monile.* Ille est virorum, hoc fœminarum. Firmat mentem Isidori, Nonni locus lib. 5. Dionys. ubi, cum Cadmo ducenti Harmoniam Dii dona dent, Venus Harmoniæ dat monile. Adi locum Nonni (est enim longissimus) in quo multa sunt ad cognitionem monilis non contemnenda. *Cerda.*

560. *Tris equitum numero turmæ.*] Rem Romanæ militiæ suo intulit carmini. Nam constat primo tres partes fuisse populi Romani: unam *Tatiensium*, à Tito Tatio duce Sabinorum jam amico post fœdera: alteram *Ramnetum* à Romulo: tertiam *Lucerum*, quorum secundum Livium & nomen & causa in occulto sunt. Varro tamen dicit Romulum dimicantem contra Titum Tatium, à Lucumonibus, id est, Tuscis auxilia postulasse. Unde quidam venit cum exercitu: cui recepto jam Tatio pars urbis est data: A quo in urbe Tuscus dictus est vicus. Horatius, *Ac Tusci turba impia vici.* Ergo à Lucumone *Luceres* dicti sunt. Sic autem in tres partes divisum fuisse populum Romanorum constat, ut etiam qui præerant singulis partibus, tribuni dicerentur. Unde etiam sumptus, quos dabant populo, tributa nominarunt. *Servius.*

Tris equitum, &c.] Turnebus putat tres hasce turmas referre tres istos Equitum Rom. Centurias sub Romulo, Ramnensium, Tatiensium & Lucerum. De quibus Livius lib. 1. Solet autem Poëta rem Romanæ militiæ suo carmini inserere. *Taubm.*

Terni.] Tres, & ait more suo. *Servius.*

561. *Ductores pueri.*] Hic quidam distinguunt, ut diximus supra. *Idem.*

562. *Paribusque magistris.*] Et hoc adludit. Nam hodieque equitum dicuntur magistri. *Idem.*

564. *Polite, progenies.*] Illum dicit, quem supra à Pyrrho introduxit occisum; de quo Cato in Originibus dicit, quod ad Italiam venerit, & segregatus ab Ænea condiderit oppidum *Politorium* à suo nomine. *Idem.*

Polite.] In Romano & antiquis aliquot aliis exemplaribus, *Polytes* Atticorum more scriptum est. *Pierius.*

Polite.] *Polites* Priami filius: quem Æn. 2. ℣s. 526. introduxit occisum à Pyrrho Achillis F. quem Cato in Originibus dicit in Italiam venisse, & oppidum *Politorium* à suo nomine condidisse. *Taubm*

565. *Quem Thracius albis.*] Cum tres dixerit duces, duorum equos commemorat. Sed aut prætermisit, quod ut consequeretur necesse erat: nec enim unus pedes esse poterat. aut illo redditur loco: ut, *Cætera pubes senioris Acestæ Fertur equis.* Quamquam multi, distinctione mutata, tres equos commemorant:

Portat equus bicolor maculis; vestigia primi
Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini:
Parvus

morant: ut sit plena, *Equus bicolor maculis*, & de alio dicatur, *Vestigia primi Alba pedis*. Id est, primorum pedum vestigia. & frontem albam ostentabat alter. *Servius.*

Thracius.] Floruit Thracia equis. Hesiodus dixit, διὰ Θρήκης πωλοτρόφου: *per Thraciam nutricem equorum.* Cerda.

566. *Equus.*] Non est silentio prætereundum, cur in vetustis aliquot codicibus, *equs* unico tantum *u* notatum reperiatur. Nonnulli enim, quia *q* non literam, sed notam esse putabant, duas in se literas continentem *c* & *u*; *qis*, *qæret*, & *qid* scribere instituerunt absque *u*, ut Velius Longus ait, quod alii *cuis*, *cuæret*, *cuid*, scribere malebant. Sed utrunque jam ex usu recessit. Quantum vero pertinet ad dictionem *equus*, dubitabant veteres, utrum primum illud *u* consonans, an vocalis esset, neutrum enim esse non concedebatur. Si consonans, non alterius naturæ esse poterat quam *b* mutæ, in quam tam sæpe abit nunc scriptura, nunc pronuntiatione: quocirca necesse erat primam positione longam in *equo* fateri, quia *q* pariter consonantem mutam esse nemo inficiaretur. Id vero Poëtarum omnium exemplis contrarium inveniebatur: quum *Equus* apud omnes primam corripiat. Sin vocalem esse concederent, vel novam diphthongum facere ex duobus *uu* (quod, ut sæpe dictum, Attius in vocalibus natura longis factitare consuevit) necessarium esse, vel in duas syllabas dividere. Atqui neutrum recte fieri posse manifestum est: quod *Equus* utranque syllabam correptam habet, & pro dictione bisyllaba passim ponitur. Quare boni illi viri, ne in has dilaberentur difficultates, *equs* unico *u*, uti & *qis*, & *qid* scribere maluerunt. Nonnulli autem inventi sunt, qui *q* literam adeo adamarint, ut eam pro *c* passim sufficerent. Ideoque non tantum *sequtus*, *loqutus*, & similia per *q* scribere instituerunt, verum etiam ubicunque *u* ante *c* positam invenirent, pro literis *c* & *u* unam tantum *q* supponere minime veriti sint. Hinc *secui* præteritum à *seco*, *seqi*, & *aqi* pro *acui* scriptitabant: adversus quos Probus in arte disputat. Sane quidem illi, uti paulo ante dicebamus, *q* literam & *c* & *u* præ se ferre, siquis notam diligentius inspiceret, asseverabant. post enim *c* vocalem *u* adplicitam esse, parte illa, quæ ad instar gravis accentus premitur, adcurvata, altera vero, quæ acuti accentus in morem surrigebatur, subter lineam dejecta, vel ex Librariorum commoditate, vel ne præcedentibus literis esset impedimento. hæque sibi invicem figuræ successerunt, cv. ꝗ. ꝗ. Quare minime mirum est, si & *equs*, & *eqi*, & *equo*, & hujusmodi pleraque absque *u* in veterum inscriptionibus notata reperiantur. *Pierius.*

567. *Frontem albam.*] Intelligit frontem stella candida spectabilem, non autem totam albam: deteriores enim sunt. Vide Scal. l.3.c.3. Poët. & Not.4. Æn. ℣. 156. Ita Equi, quibus albi pedes quattuor, in pretio olim habiti, hodieque apud Belgas alicubi immunitatem vectigalium dicuntur vectori præstare. Vide Not. 9. Æn. ℣. 49. *Primi pedis* ergo sunt primorum pedum vestigia. *Taubm.*

Arduus.] Diximus jam in antiquis passim, *arduos* per *os* haberi, quæque Carisium ratio moverit, ut huic nomini ita scripto, calculum non adhibezet suum. *Pierius.*

568. *Genus unde Atii duxere Latini.*] Propter Atiam dicit matrem Augusti: de qua Antonius ait, Aricina mater. Vult enim ejus etiam maternum esse genus antiquum. *Servius.*

Atii.] Scribendum *Atti* ex antiquis codicibus. In aliquot vero duplici *ii*, *Attii*,

Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus, formaque ante omnis pulcher Iulus
Sidonio est invectus equo: quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum & pignus amoris.
Cætera Trinacriis pubes senioris Acestæ

Fertur

Attii, ex Velii Longi sententia. Sed enim de hujusmodi Genitivi ratione satis in primo dictum. Quod vero *Attius* duplici *tt* scribatur, non autem per *ct*, *Actius*, Victorini alibi auctoritatem citavimus, in libello de Orthographia præcipientis *Attius* duplicato *tt*, scribendum esse. Quodque ita etiam in veterum monumentis scriptum inveniatur, satis superque fuerit unum ex multis indicasse.

D ſ. M
ATTIAE T. F. QVINTILLAE
ATTIVS PHEGON PATER ATTIA
QVINTA MATER ATTIVS
T . F

& quæ sequuntur: quæ siquis oculata fide inspicere voluerit, habentur hæc in D. Mariæ fano, quod est ad busta gallica Romæ situm. *Attia* præterea apud Græcos etiam duplici *tt* scribitur: quando Servius ait dictum à Virgilio, *Genus unde Attii dixere Latini*, propter *Attiam* Augusti matrem, quo maternum etiam ejus genus prædicaret antiquissimum. Sed ut levem de scribendi ratione disputatiunculam graviori aliquo examine pensemus, diversi à Latinis abeunt Græci in historia de matre Augusti referenda. Nam Suetonius *Attiam* Augusti Octaviani matrem ex Balbo & Julia sorore Cæsaris genitam ait. Dion historicus in XLV. οὕτω γὰρ ὁ τῆς ἀττίας τῆς τοῦ καίσαρος ἀδελφῆς υἱὸς ὠνομάζετο. ex quibus verbis videre est *Attiam* ab eo Cæsaris Sororem appellatam, nisi mendum sit in Græco codice, quem inspexi, & ἀδελφίδης esse debeat. Sed enim eadem Plutarchus in Ciceronis vita. Addat huc forte quispiam, quod in Liviani libri CXVI. perioche scriptum est: *Testamento Cæsaris heres ex parte dimidia institutus C. Octavius ex sorore Nepos, & in nomen adoptatus est.* Unde Servius scripserit Augustum ex sorore Julii Cæs. natum. Sed enim vetus codex Livianæ Perioches *sororis nepos* habet, non *ex sorore*: id quod cum Suetonio congruit. *Pierius.*

569. *Pueroque puer.*] Locutio perelegans, quam placitum locupletare breviter, Græcis primum deinde Latinis. Eurip. supplicib. ἔκτεινον, ἐκτείνοντο: *occidebant, occidebantur.* iterum, οὐκ ἀξίως, οὐδ' ὑπὸ ἀξίων: *indigne, & ab indignis.* in Alcestide, ἄλγος ἄλγει προσκείμενον, *dolor dolori additus.* In Phœniss. ἐκ γὰρ ἄλγους ἄλγος: *ex dolore dolor.* iterum, ἔφερες ἄχεα πατρίδι φόνια φόνιος: *attulisti dolores patriæ cruentos cruentus ipse.* Sophocles in Ajace flagellif. πόνος πόνῳ πόνον φέρει: *labor labori laborem affert.* Virg.

Talibus orabat, talesque miserrima fletus
Fertque refertque soror: sed nullis ille movetur
Fletibus.

ubi, *tales talibus: fletus fletibus.* & 3. Æn.

— *Tibrin, vicinaque Tibridis arva.*

infra: *orbibus orbes.* Livius l. 38. *vim vi arcendi jus est.* Cerda.

570. *Extremus.*] Quantum ad numerum spectat. *Servius.*

571. *Sidonio.*] In antiquis aliquot codicibus *Sidoneo* scriptum familiari quadam mutatione ex *i* in *e*, ut *atherius*, & *athereus*, qua forma video nunc Latinos libentius uti. Neque vero mirum fit *Sidonius* secundam à principio syllabam communem habere. Siquidem ea tam per ω magnum, quam per ο parvum indifferenter scribi solita est, ut ait Steph. Byzant. ex Hecatæo. *Pier.*

574. Ca-

Fertur equis.
Excipiunt plausu pavidos, gaudentque ruentes
Dardanidæ; veterumque adgnoscunt ora parentum.
Postquam omnem læti consessum oculosque suorum
Lustravere in equis; signum clamore paratis
Epytides longe dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrere pares, atque agmina terni
Diductis

574. *Cætera Trinacriis.*] Cætera pu-)es equis Acestæ fertur. *Servius.*

Trinacriis.] In Romano cod. legere :st *Trinacrii*, ut sit appositive *Cætera* ›*ubes*. Sed enim in eo codice, *s* litera inalis sæpe habundat, sæpe etiam de-ideratur. In Longobardico, in Medi-:eo, & plerisque aliis, *Trinacriæ pubes* egitur. ac præfixo puncto, uno inde nembro legitur, *Senioris Acestæ Fer-*'*ur equis.* Nam qui dixerat aliquot ex Trojanis pueris suis invectos, mox cæ-:eram Trinacriæ pubem, equis senio-:is Acesti ferri subjungit. *Pierius.*

575. *Pavidos.*] Gloriæ cupiditate sollicitos, ut, *Corda pavor pulsans.* Servius.

576. *Veterum adgnoscunt ora paren-*'*um.*] Hesiod. τίκτουσι δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι· Catull. *Sit suo si-nilis patri Manlio, & facile insciis No-scitetur ab omnibus, Et pudicitiam suæ Matris indicet ore:* & Horat. *Laudantur simili prole puerperæ.* Vide Plutarch. l. 5. De plac. philosoph. πόθεν γίνονται τῶν γονέων ὁμοιώσεις, καὶ τῶν προγόνων. Sed & Aristot. lib. Polit. 2. oppugnans Pla-:onis politeiam, negat liberos ita com-munes posse haberi, ut non fere à sin-gulis ex parentum similitudine agnosci & discerni possint, his verbis: οὐ μὴν ἀλλ' οὐδὲ διαφυγεῖν δυνατόν. *Germ.*

579. *Epytides.*] In antiquis, uti su-perius dictum, *Æpytides* per *æ* & *y* scri-bitur. *Pierius.*

Flagello.] Virga quæ sonat in morem flagelli. *Servius.*

Signum dedit flagello.] Id est, virga, quæ sonat in morem flagelli. Atque hoc à more Rom. sumptum est: apud quos Magistratus aliquis Ludis præsi-dens ex superiori loco auspicandorum ludorum signum dabat: de quo In-terpp. ad Sueton. in Nerone: item ad Martial. lib. 12. ep. 29.

Cretatam vellet Prætor cum mittere
mappam, &c.

Taubmannus.

Insonuitque flagello.] Humile mihi videtur hoc, parumque ei majestati & gravitati, quam ubique alias servat quam diligentissime, consentaneum: fuisset magis decorum, tuba vel lituo signum exhibere. Opinor tamen eo Homerum alicubi æmulatum esse: Iliad. ψ. οἱ δ' ἅμα πάντες ἐφ' ἵπποισιν μάστιγας ἄειραν πέπληγόν θ' ἱμᾶσι. *Hart.*

Insonuitque flagello.] Qui inde dicti μαστιγοφόροι, μαστιγονόμοι, ῥαβδοῦχοι à virga, qua signum dabant pugnæ. de his Faber in Agon. lib. 1. cap. 21. *Emmeness.*

580. *Atque agmina terni.*] In Ro-mano codice, & aliquot aliis antiquis, *deductis* habetur participii voce, plurali ablativo. In Mediceo & aliquot aliis, quod magis placet, *diductis.* Sunt et-iam codices manu scripti, qui legant *ternis.* sententiaque ipsa videtur aper-tior, si dicamus tris illas equitum tur-mas, quæ uno agmine consessum om-nem lustraverant, ad flagelli sonitum in ternos choros diductas esse, una-quaque turma sua spatia corripiente. Quod si *solvere agmina Terni diductus.* legas, frigidum nescio quid invenias. Sed hoc ego in medio relinquam: eos libenter auditurus, qui militarium lu-dorum peritiam aliquam profiteantur. *Pierius.*

Diductis solvere choris, rursusque vocati
Convertere vias, infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversis spatiis, alternosque orbibus orbis
Inpediunt, pugnæque cient simulacra sub armis:
Et nunc terga fuga nudant; nunc spicula vertunt
Infensi: facta pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta

Pa-

581. *Choris.*] Aciebus. *Servius.*

Diductis choris.] Aciebus separatis. Tres Duces tribus aciebus erant præpositi, quæ in unum agmen se Patribus ostenderunt. inde solutum est agmen illud unum, & rursus in tres choros sive acies divisum est: quæ quidem singulæ acies æque in diversas partes currendo & recurrendo, nec non in gyrum se vertendo spacia sua confecere. Pierius l. *ternis choris:* eodem sensu. *Taubmannus.*

Vocati.] Ictu virgæ. *Servius.*

582. *Infestaque.*] In Mediceo codice, *instructaque tela* legitur. Sed *infesta* in aliis. *Pierius.*

584. *Adversis spatiis, alternosque orbibus orbis.*] In codicibus aliquot antiquis, *adversi* legitur. Sed vulgata lectio me nihil offendit. Id vero non improbarim, quod *alternisque orbibus orbes* quædam habent exemplaria, licet tantundem sit. *Idem.*

Orbis inpediunt.] Miscent: implicant. Hos autem orbes elegantissime Hom. Iliad. 18. suis versibus fingit: ubi de *Pyrrhicha saltatione* in clypeo Achillis formata meminit. Quidam putant alludi ad evolutiones per decuriam & juga: cujus speciem, *Persicam* vel *Cretensem choream* appellabant. *Taubm.*

585. *Pugnæque cient simul. sub armis.*] Pugna imaginaria Suetonio: μάχη ἐσκιαγραφημένη. Lucret. lib. 2. *Fervere cum videas belli simulacra cientes.* Nimirum & Plato in Rep. sua talem requirit ludicram armorum exercitationem, ut pugnæ seriæ præliique præ se speciem ferat, Leg. lib. θ. καὶ πᾶσαν μιμουμένους τὴν πολεμικὴν ὄντως, σφαιρομαχεῖν τε καὶ βολαῖς, &c. *Germ.*

586. *Et nunc terga nudant.*] Tria, quæ in bellis geruntur, cuncta commemorat: fugam, pugnam, pacem. *Servius.*

Fuga.] In antiquis aliquot, *fuga* est ablativo casu: quod etiam superius observatum. Sed melius omnino videtur acquisitivo. *fugæ*, quod in aliis. *Pierius.*

Nudant.] Ut verbum *nudo* ad rem militarem transtulit, ita sæpe Livius. Nam lib. 26. *nudata defensoribus mœnia.* & lib. 29. *agro inermi ac nudo præsidiis.* & lib. 37. cum respectu fortasse ad Poëtam, *Auxilia in fugam versa nudarunt omnia usque ad cataphractos equites.* & sæpe alias. Cedrenus, γυμνὸν ἀντιπάλων χωρίον: *locum nudum hostibus.* Cerda.

Nuda.] Qui enim fugit, tergum inerme hosti insectanti exponit. *Taubmannus.*

Spicula vertunt.] In uno tantum codice Romano, *spicula torquent* habetur. In aliis omnibus, *vertunt*, quod ludicro certamini magis convenire videtur. *Pierius.*

588. *Ut quondam Creta.*] Cælius l. 9. c. 34. Lect. Antiq. Proverb. *Labyrinthus.* Dicitur autem, παρὰ τὸ μὴ λαβεῖν θύρας. *Hart.*

Labyrinthus.] Locus apud Cretam factus à Dædalo perplexis parietibus: ubi Minotaurus inclusus est. *Servius.*

Labyrinthus.] Λαβύρινθος παρὰ τὸ

μὴ

Parietibus textum cæcis iter ancipitemque
Mille viis habuiſſe dolum, qua ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus & inremeabilis error.
Haud alio Teucrûm nati veſtigia curſu
Inpediunt, texuntque fugas & prœlia ludo,
Delphinum ſimiles: qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque ſecant, luduntque per undas.
Hunc

μὴ θύραν λαβεῖν· Vide Suid. & Eraſ. Chil. unde & λαβυρινθώδης ἐρώτησις. Poëta autem Epig. πολυγνάμπτους λαβυρίνθους vocat: & Callim. in Delo, γναμπτὸν ἕδος σκολιοῦ λαβυρίνθου. *Germanus.*

Labyrinthus.] Vide Ovid. Met. l. 8. Fab. 2. Ita Catullus in Epithal. Pelei:

Ne labyrintheis è flexibus egredientem
Tecti fruſtraretur inobſervabilis error.

Vide Plin. l. 36. c. 13. Et docet Scal. l. 1. c. 18. Labyrinthum non eſſe fabulam. extare eum hodieque in Creta. Et Poëtam noſtrum non ſine ſumma eruditione & admiratione hanc Comparationem adhibuiſſe ludo Trojæ, &c. Vide ibid. & Notas ad ℣ſ. 27. Æn. 6.

—— *& inextricabilis error.*

Taubmannus.

Alta.] Ita in 6.

Contra elata mari reſpondet Cnoſſia tellus.

Itaque, hic *alta Creta*, quod ibi, *elata*. Adi. *Cerda.*

589. *Parietibus textum cæcis iter.*] Hypallage eſt, cæcum iter intextis parietibus. *Servius.*

Ancipitem dolum.] Perplexum errorem. *Idem.*

590. *Mille viis hab. dolum.*] Ambages. Ovid. l. 8. ℣ſ. 161.

—— *turbatque notas, & limina flexu*
Ducit in errorem variarum ambage viarum. Taubm.

591. *Falleret.*] Frangeret, deciperet. Eſt autem verſus Catulli. *Servius.*

Falleret indeprenſus & inremeabilis error.] In Romano codice, & aliquot aliis, *frangeret* habetur. *indeprehenſus* varie ſcribitur: ſed unico *e*, *indeprenſus* placere Velio Longo diximus. Eſt & *inremeabilis* integra præpoſitione, ut reliqua. in quibuſdam *irremeabilis.* Pierius.

Inremeabilis error.] Infra lib. 6. *inextricabilis error*, de labyrintho: & Catul. *Ne labyrintheis è flexibus egredientem Tecti fuſtraretur inobſervabilis error.* Germ.

593. *Inpediunt.*] Implicant, intexunt. Quod à veſtibus tractum. *Servius.*

594. *Delphinum.*] Aut venit ab eo quod eſt *Delphin delphinis*, à *delphine*: aut *delphinum* pro *delphinorum* poſuit. *Idem.*

Maria humida.] Homerus, ὑγρὰ κέλευθα. *Idem.*

Secant maria.] Ita Pind. Ἰονίαν τάμνειν θάλασσαν. *Taubm.*

595. *Carpathium.*] Mare eſt inter Ægyptum & Rhodum, ab inſula Carpatho illic poſita dictum. Nec mirum duas eum poſuiſſe comparationes, cum & in ſecundo hoc fecerit, ut, *In ſegetem veluti cum flamma furentibus auſtris Incidit, aut rapidus montano flumine torrens.* Et in Georgicis tres poſuit comparationes, *Frigidus ut quondam ſilvis immurmurat Auſter.* Et, *Ut mare ſollicitum ſtridit refluentibus undis.* Et, *Æſtuat incluſis rapidus fornacibus ignis.* Servius.

Carpathium Libycumque ſecant, luduntque per undas.] In Oblongo illo codice, ſane quam vetuſto Vaticanæ Bibliothecæ, quem Pomponius Lætus delicias ſuas appellabat, & in aliquot aliis dimeter hic Anapæſticus hypercatalecticus, *luduntque per undas* deſideratur.

Hunc morem cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius, Longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit, & priscos docuit celebrare Latinos.
Quo puer ipse modo, secum quo Troïa pubes,
Albani docuere suos: hinc maxima porro
Accepit Roma, & patrium servavit honorem:
Trojaque nunc, pueri Trojanum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.

Hinc

Trimeterque tantum Dactylicus hypercatalecticus notatus est *Carpathium, Libycumque secant.* Pierius.

Carpathium.] Mare inter Ægyptum & Rhodum: ab insula *Carpatho*, quæ hodie *Scarpantho* dicitur: in qua regnum Prothei fuisse traditur. *Taubm.*

596. *Hunc morem cursus.*] Vetera exemplaria, *hunc morem cursus* plurimum habent: Sed altera lectio magis Poëtica est, nempe *hunc morem, hos cursus.* Quam lectionem in quibusdam codicibus invenias. *Pierius.*

Primus Ascanius.] Generis ordinem docet: ut in primo diximus. *Servius.*

598. *Rettulit.*] Innovavit, quod ante jam fecerat. *Idem.*

Rettulit.] Ut hic producta syllaba prima, ita Q. Serenus,

Sic etiam rutilus reffertur pectore sanguis.

& Horatius,

Unde pedem refferre pudor vetat, aut operis lex.

Sic legunt Turn. Lamb. Achilles, & antiqui codices. Ovid.

—— *sed enim quia rettulit Ajax.*

Itaque falsa est quædam Grammaticorum distinctio vulgo inculcata. Semper hæc syllaba corripitur lege sua, & cum producenda est, semper debet litera geminari. *Cerda.*

Priscos Latinos.] Ita dicti loca ubi Alba est condita. *Servius.*

Priscos Latinos.] Ita dicti loca, ubi *Alba* est condita: ita Dan. Servius. Sed planius & propius ad rem. Trojani cum suo duce à Latino suscepti, & *Aborigines* communi nomine nuncupati fuerunt *Latini*; qui & Πρῖσκοι, auctore Dionysio lib. 1. ita Festus: *Prisci vocabantur proprie, qui priusquam Roma conderetur, fuerunt.* Hi iidem & *Casci* nominabantur. Vide P. Merulæ Cosmograph. Part. 2. lib. 4. *Taubm.*

600. *Porrò.*] Post longum intervallum, & est adverbium temporis. *Servius.*

602. *Trojaque nunc, pueri Trojanum dicitur agmen.*] Ut ait Suetonius Tranquillus, *Lusus ipse, quem vulgo Pyrrhicham appellant, Troja vocatur*; cujus originem expressit in libro de puerorum lusibus. *Idem.*

Trojaque nunc, pueri.] Ἱππομαχία Græcis. Tacit. lib. 11. Ann. *Sedente Claudio Circensibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Trojæ inirent, interque eos Britannicus imperatore genitus, & L. Domitius adoptione mox in imperium, & cognomentum adscitus, favor plebis acrior in Domitium loco præsagii acceptus est.* Ludus autem ille *claßicus* etiam *decursus*, & *decursio ludicra* dicitur, ἐπίδειξις, διέλασις, ἀνθιππασία. Cæterum etsi hic ludus in equis solis ageretur, sapere tamen videtur τὴν Τρωϊκὴν διφρείαν, curulem Trojanæ rationis agitationem à Xenophonte lib. 6. Cyri discipl. memoratam, & à Cyro rejectam. *Germ.*

603. *Hac celebrata tenus.*] Tmesis est, hoc est, *hactenus.* & hic sermo, quantum ad artem spectat, duas continet partes orationis: ut *Hæc* pronomen sit, *Tenus* præpositio, sicut *pube*

tenus

Hinc primum Fortuna fidem mutata novavit.
Dum variis tumulo referunt sollemnia ludis,
Irim de cælo misit Saturnia Juno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti
Multa movens, nec dum antiquum saturata dolorem.
Illa viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa, cito decurrit tramite virgo.

Con-

nus, & *crurum tenus*: sed jam usus btinuit, ut pro una parte habeatur. rgo adverbium est (omnis enim pars rationis cum desierit esse quod est, in dverbium migrat) & est temporis: am *hucusque* significat. *Servius*.

604. *Hinc primum.*] Sequitur enim alinuri mors, vel Miseni. *Idem*.

Hinc.] In Romano codice, & aliuot aliis, *hinc*. Sed *hic* magis placet. *ierius*.

Fortuna fidem mutata novavit.] Id st, alia fortuna evenit: Scal. lib. 4. ap. 16. *Taubm*.

606. *Irim de cælo misit Saturnia Juno.*] Ex magna parte servatur, ut Mer- urius ad concordiam, Iris ad discor- iam mittatur: unde & *Iris* dicta est uasi ἔρις. Falsum est autem quod di- itur ministra esse tantum dearum: cum à Jove plerumque mittatur: ut, *Aëriam cœlo nam Juppiter Irim Dimit- it, germanæ haud mollia jussa ferentem.* ervius.

607. *Ventosque adspirat eunti.*] Ut le Mercurio, *Voca Zephyros*. Et bene rim mittit, quæ fit de nubibus, quarum lea est Juno. *Idem*.

Ventosque adspirat eunti.] Activè *adspiro*, de quo Sanct. Minerva p. 147. *Emmeness*.

608. *Nec dum antiquum.*] Fuit reti- ıentissima irarum Juno. Inf.

Junonis gravis ira, & inexsaturabile
pectus,
Quam nec longa dies, pietas nec miti-
gat ulla.

Ovid. in Epist. Hyperm.

Scilicet ex illo Junonia permanet ira.

enec. in Furent.

—— *Vivaces aget*
Violentus iras animus, & sævus do-
lor:
Æterna bella pace sublata geret.

Hesiodus in Theog. de iris hujus Deæ adversum Herculem,

Ἄπλητον κοτέουσα βίῃ Ἡρακληείῃ,
Inexplebiliter irascens in virtutem Her-
culis. Cerda.

Saturata dolorem.] Antiqui codices, *antiquum saturata* legunt. Sed melius, *exsaturata*, ut alibi, *Odiis haud exsaturata quievi*. Pierius.

609. *Per mille coloribus arcum.*] Aut subaudis *factum*: aut Antiptosis est *mille colorum*, hoc est, multicolorum. *Servius*.

Arcum.] Quia Iris censebatur descendere in terras per arcum suum. Ovid. 11. Met.

—— *& rediit per quos modo venerat*
arcus.

Monuit Turnebus. Adjungo non absimile esse, ventis eam ferri. Homerus 23. Il.

—— ὠκέα δ' Ἶρις
Ἀράων ἀΐουσα, μετάγγελος ἦλθ' ἀνέ-
μοισιν:
—— *velox autem Iris*
Preces audiens, internuntia venit
ventis.

Doceat te Claudianus Virgilium imitari. Hic 2. Rapt.

Non sic innumeros arcu mutante colo-
res.

ubi *colores* in quarto casu, *arcu* in sexto: cum contra Noster. Hoc exemplo poteris leviter Virgilii versus flexu alio commutare. *Cerda*.

610. *Nulli visa.*] Ad ipsum retulit numen.

Conspicit ingentem concursum, & litora lustrat,
Desertosque videt portus, classemque relictam.
At procul in sola secretæ Troades acta
Amissum Anchisen flebant, cunctæque profundum
Pontum aspectabant flentes. Heu tot vada fessis,
Et tantum superesse maris! vox omnibus una.

Urbem

numen. Nam arcus semper videtur: quem non Irim, sed viam Iridis dixit. Alii *Nulli visa*, celeritatis esse volunt. Notandum sane etiam de Iride, *arcum* genere masculino dicere Virgilium: Catullus, & alii, genere fœminino ponunt; referentes ad originem, sicut *hac cattus*, & *hæc gallus* legimus. *Serv.*

611. *Conspicit ingentem.*] Quia ait supra, *Undique conveniunt Teucri mistique Sicani.* Idem.

Concursum.] Circa ludicra. *Idem.*

612. *Desertosque videt portus.*] A viris scilicet. *Idem.*

613. *In sola.*] Deserta: Terentius, *Venit meditatus alicunde è solo loco.* Idem.

Troades.] In antiquis aliquot codicibus, *Trœades* habetur per *œ* diphthongum, quæ in τροία primitivo reperitur. Arbitrati enim sunt, eundem in derivativo etiam esse debere, nam *οι* in *œ* apud Latinos transire solet. Hinc in antiquis Terentii codicibus, *Adelphœ* non *Adelphi* comœdiæ nomen scriptum invenies. Græce enim, ut palam est, ἀδελφοί. Sed enim in hoc nomine *Troades*, nulla apud Græcos diphthongus, quum masculinum sit τρῶς ὁμόφωνον τῷ κλίσῃ fœmininum τρώις καὶ τρωίας καὶ τρωάς. Neque tamen inficias ierim nomen hoc cum ΩI diphthongo impropria nonnunquam inveniri. quod si vulgata lectio sit immutanda, *Trojades* potius quam *Trœades* scribendum esset, ut in aliquot antiquis codicibus scriptum est. Sed *Troades* frequentiori Doctorum usu lectio omnino acceptior est. *Pierius.*

Acta.] Mutato *η* in *a*, superiori accentum damus: ut ἑλένη *Helena*, κίρκη *circa.* Ergo quoniam & ἀκτὴ Græcum est, cum *acta* facit, penultima debet habere accentum: sed propter differentiam commutatur, ne non secreta, & amœna litorum, sed *acta* significet participaliter. *Servius.*

In sola secr. Troad. acta.] Ἀκτὴ παρὰ τὸ ἄγνυν, ἢ ἀγνυῶσαι, à frangendis fluctibus: ut supra, *fractos ad litora fluctus.* Ut autem *sola*, sic & supra Georg. 4. *Te solo in litore secum, Te veniente die, te decedente canebat.* Germ.

Acta.] Vox Græca, id est, litus, παρὰ τὸ ἄγνυν, quod eo naves conferantur. Quam tamen vocem jam Latini fecerunt civem suam. Cicer. in Verr. *in acta cum mulierculis jacebat ebrius.* Cornel. Nep. sive, ut alii, Æmil. Probus in Agesilao: *Cum in acta cum suis accubuisset, secretum, & amœnum litus, &c.* Prudentius contra Symmach. *Invenit expositum secreti in litoris acta.* Cerda.

In sola acta.] Pro, Trojanæ mulieres solæ in deserto litore flebant. Georg. 4. *Te solo, &c.* Etiam Cicero de Sicilia loquens dixit *actam* pro litore; ut notat Turneb. l. 3. c. 1. Græcis ἀκτή. Videatur Cujacius lib. 8. Observ. cap. 1. *Taubmannus.*

Secretæ Troades.] Πρέπον. Indecorum est, honestas matronas in publicis spectaculis misceri viris. Tum autem in exequiis, matronarum erat, pullatas solutis crinibus mortuos lugere. *Hartung.*

615. *Aspectabant flentes. Heu.*] Multi *flentes heu*, distinguunt, ut sit miserabiliter flentes: & à persona dicatur poëtæ. alii *heu* à mulieribus dictum accipiunt. *Servius.*

619. *Fa-*

Urbem orant: tædet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias ſeſe haud ignara nocendi
Conjicit, & faciemque deæ veſtemque reponit.
Fit Beroë, Tmarii conjux longæva Dorycli;
Cui genus, & quondam nomen, natique fuiſſent:
Ac ſic Dardanidûm mediam ſe matribus infert:
O miſeræ, quas non manus, inquit, Achaïca bello
Traxe-

619. *Faciemque deæ veſtemque re-nit.*] Duo diverſa uno ſermone con-iſit. *Idem.*

Deæ.] Sic ſæpe vocata Iris. Inf. Virg.

Cum dea ſe paribus per cœlum ſuſtulit alis.

e ea Homerus 3. Il. ὣς εἰποῦσα θεά: *c locuta dea.* & 15. Neptunus illam ›mpellat Ἶρι θεὰ, *Iris dea.* Cice-ɔ 3. de Nat. ita ſcripſit: *Cur autem cus ſpecies non in deorum numerum re-›natur? eſt enim pulcer, & ob eam cau-m, quia ſpeciem habeat admirabilem, ›aumante dicitur eſſe nata.* Cerda.

620. *Tmarii Dorycli.*] Illyrii. Iſma-ıs enim mons eſt Epyri. Et bene ſua-:ntis commendatur auctoritas. *Serv.*

Beroë Tmarii.] Quamvis in Longo-ırdico codice, in Mediceo, & pleriſ-ue aliis, pro *Iſmarii* duabus minus teris *Marii* legatur, nemo tamen ex uditis eſt, cui non potius *Iſmarii* fa-at ſatis. Nam quid ad ea tempora larii nomen? niſi *Marii* factum ſit ex *ıarii* vel *Inarii.* quod aliquot in codi-bus ſcriptum accepi: quamvis hujuſ-ıodi lectionem nuſquam ego viderim :ulata fide. in quibuſdam *Tmarii.* Eſt : illud *Veroë* in exemplari antiquo, ıod quidem præteriiſſem, niſi toties :petitum eſſet: nam inferius *non Ve-ë.* & illud *Veroem digreſſa reliqui.* Sed ibi diximus, unde frequentiſſima æc mutatio ex *b* mutata in *v* digam-ıon emanarit. curque tot inſcriptio-ibus, *Veliſarius* pro *Beliſſarius* ſcriptum t. Ita quod legi nuper in Æde D. Mar-ni, quæ in Exquilino eſt, *miravili* ›*nignitate & incomparabili.* quare nunc ec miſſa ſint. *Pierius.*

Dorycli.] Dorycli cujuſdam (ſi hoc eſt aliquid ad illuſtrationem Poëtæ) filii nothi Priami, Homer. l. 11. Il. meminit,

Αἴας δὲ Τρώεσσιν ἐπάλμενος εἷλε Δόρυκλον
Πριαμίδην, νόθον υἱόν:

Ajax autem in Trojanos inſiliens interfecit Doryclum
Priamidem ſpurium filium. Cerda.

622. *Sic.*] *Sic*, aut mutato habitu: aut iſta dictura. *O miſeræ, &c.* Magna utitur arte perſuadendi, ut non ex abrupto, quod perſuadere vult, dicat, ſed circunſtantiis ad illud veniat. *Servius.*

Dardanidum.] In antiquis aliquot codicibus, *Dardanium* legitur, ut apud Græcos δαρδανίων. quanquam & δαρδάνιοι, & δαρδανίδαι gens ipſa dicatur apud eoſdem: quare *Dardanidum* recte. *Pierius.*

623. *O miſeræ.*] Contra, felix Polyxena, de qua in 3. Æn.

O felix una ante alias Priameïa virgo
Hoſtilem ad tumulum Trojæ ſub mœnibus altis Juſſa mori.

Præſentem locum illuſtrabunt ea, quæ dixi lib. 1. ad illud:

— *ô terque quaterque beati*
Queis ante ora patrum Trojæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere.

Item quæ dixi:

— *Mene Iliacis occumbere campis*
Non potuiſſe?

ut hic *Manus Achaïca*, pari forma Liv. lib. 43. *Achaïco concilio Argis agitato.* Cerda.

Manus Achaïca.] Græcorum ad Trojam copiæ. *Taubm.*

625. Exi-

Traxerit ad letum patriæ ſub mœnibus! ô gens
Infelix, cui te exitio Fortuna reſervat?
Septima poſt Trojæ excidium jam vertitur æſtas,
Cum freta, cum terras omnis, tot inhoſpita ſaxa
Sideraque emenſæ ferimur: dum per mare magnum
Italiam ſequimur fugientem, & volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni, atque hoſpes Aceſtes.
Quid prohibet muros jacere, & dare civibus urbem?
O pa

625. *Exitio.*] q.d. non regno. *Taubm.*

626. *Septima poſt Trojæ excidium jam vertitur æſtas.*] Atqui & Dido dixit, *Nam te jam ſeptima portat Omnibus errantem terris & fluctibus æſtas.* De qua re quidam hoc dicunt: quod Æneas apud Carthaginem paucis diebus fuerit. Nam ait, *Cum ſubito adſurgens fluctu nimboſus Orion: qui oritur* (ut Salluſtius dixit) *juxta Solis æſtivi pulſum.* Item ait, *Dum pelago deſævit hiems & aquoſus Orion:* ut hiemem pro tempeſtate poſuerit. Secundum quod Carthagini paucis fuerit diebus. Sed illud occurrit, *Nunc hiemem inter ſe luxu quam longa fovere.* Et hoc quidam ſic putant, ut dicant potuiſſe fieri, ut intra anni metas, & ad Africam venerit, & inde navigaverit. Sed iſtis occurrit quod in primo ait, *Septima æſtas.* Unde apparet hanc octavam fuiſſe: quod & ab Anchiſæ morte indicat annus impletus. Ergo conſtat quæſtionem hanc unam eſſe de inſolubilibus: quas non dubium eſt emendaturum eſſe Virgilium. *Serv.*

627. *Cum terras omnis.*] Quia peragraverat multa. *Idem.*

628. *Sideraque emenſæ ferimur.*] Aut tempeſtates ait, quæ ortu vel occaſu ſiderum ſæpe naſcuntur. aut provincias, quæ ſideribus ſubjacent: ut, *Æthiopum verſemus oves ſub ſidere Cancri.* Idem.

Ferimur.] In Romano codice, pro Ferimur *tulimus* habetur. Sed *ferimur* longe figuratior elocutio, magiſque movet præſentium malorum objectione. In *tulimus* autem aliqua finis eſſet. *Pierius.*

Per mare magnum.] Procelloſum. Lucretius, *Suave mari magno.* Servius.

Mare magnum.] Servius quidem procelloſum interpretatur: ut in illo Lucret. l.2. ✝ſ.1.

Suave, mari magno turbantibus æquora ventis, &c.

Sed Turn. l.23. c.3. *magnum* interpretatur *internum*: quod Homerus ἁλ- δίαν appellarit, idque veteres Critici *mare magnum* explicarint. Maronem igitur Homeri aſſeclam id imitari. I Merula ad lib. XVII. Ennii, pag. 594 cenſet *magnum mare* hic & *procelloſum* & *Mediterraneum* poſſe exponi: quo hoc quidem tranaverit Æneas, cum Italiam peteret: illud vero multis etiam rationibus probari poſſit. Sic Æn. Ionium mare etiam vocatur *magnum* Quin & Lucan. l. 5. dixit, *A magno venere mari*, id eſt, Mediterraneo. *Taubmannus.*

629. *Italiam ſequimur fugientem.*] U alibi, *Jam tandem Italiam fugientis prendimus oras.* Et revera nullus ſequitur, niſi quod fugit. *Servius.*

Fugientem.] Ita 6. Æn.

—— *Italiæ fugientes prendimus oras.* ita 3. Æn. ✝ſ.496.

Arva Auſoniæ ſemper cedentia retro Quærenda. Taubm.

Volvimur.] Non dixit *navigamus.* Serv.

630. *Hic Erycis fines.*] Argumentum à facili. Et eſt neceſſaria antitheſis, ut opportunitate meliorum præſentium, animi à futuris incertis avertantur. *Idem.*

631. *Quid.*] In Mediceo, & pluriſque

O patria, & rapti nequicquam ex hoste Penates;
Nullane jam Trojæ dicentur mœnia? nusquam
Hectoreos amnis Xanthum & Simoënta videbo?
Quin agite, & mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandræ per somnum vatis imago
Ardentis dare visa faces: Hic quærite Trojam,
Hic domus est, inquit, vobis: jam tempus agi res:
Nec

ſque aliis codicibus, *quid* legitur. ıod magis amplum est: ut non perso-ım tantum prohibentem, sed & caus-ın complectatur. *Quis* tamen non ılli. *Pierius.*

Muros jacere.] Pro *fundamenta jacere*, ım *muri duci* dicuntur. *Serv.*

632. *Nequicquam.*] Qui non pro-:rant, cum essent fatorum comites. *lem.*

633. *Nullane, jam Trojæ.*] Coloni & ofugi solebant effingere simulacra pa-iæ majoris, ejusque nomine urbem, ıam condere & incolere parabant, ficere: sed & amnes repræsentare iis-:m nominibus: ut 3. Æneid. Turneb. :4. c. 4. *Taubm.*

Nusquam.] In Romano codice, *num-ıam* legitur. Superius enim temporis nginquitatem dolere cœpit, quod ptima post Trojæ excidium jam æstas ·rteretur, quum per tot labores Ita-ım fugientem sequebantur. Placet ta-en & *nusquam* quod & pariter questa t *per terras omnis, & tot inhospita saxa rri.* In Romano præterea codice, *ma-s* pro *amnes* scriptum per literarum ansposltionem. *Pierius.*

634. *Hectoreos amnes.*] Quemadmo-ım vidit sibi patriæ recordatione fin-sse, aut non continget mihi videre ımina. *Servius.*

Xanthum & Simoënta.] Conjungit :pe hos duos fluvios, quia conjuncti ısi. Plinius lib. 5. cap. 30. *Xanthus Si-oënti junctus.* Cerda.

635. *Infaustas.*] Mali ominis. *Serv.*

636. *Nam mihi Cassandræ.*] Non cui ·edere non debuerant: sed cum sua :rnicie non crediderant. *Idem.*

638. *Jam tempus agi res.*] Id est, Trojam fieri. *Idem.*

Jam tempus agi res.] In Romano codice, in Mediceo, atque in nonnullis aliis vetustis, legere est, *jam tempus agit res.* ut apud Papinium habetur eadem elocutio. Quin etiam apud Claudia-num *Rem peragit tempus.* In pervetusto quodam codice pro *jam, nunc* repositum est. *Pierius.*

Agi res.] Pari sententia dixit Arnob. l. 6. *quæ in medio sita sunt, docere atque monere debuerunt agere vos nihil, & circa res cassas officiorum impendere navitates.* In quo verbo credo allusionem fieri ad morem sacrorum, in quibus *ago* sol-lemne fuit: ut supra etiam in illis *Quin agite*, res nota. adeundi interpretes Ovidii in Fast. ad illud:

Semper agatne, rogat: nec nisi jussus agit.

Legendus Brissonius. Hic te moneo, verba hæc:

—— *hic quærite Trojam,*
Hic domus est (inquit) vobis: jam tempus agi res.

posse esse aut Cassandræ ad Iridem, aut Iridis ad fœminas: utcunque senten-tia est clara. verba Virgilii arripuere Papin. & Claudian. Prior: *tempus agit rem.* Posterior: *Rem peragit tempus.* An-te omnes Enn. 5. Annal. *occasum juvat res.* Postrema hæc notula Columnæ est. *Cerda.*

Agi res.] Sic Stat. l. 5. Theb. *dum tempus agit rem Consulite.* Emm.

639. *Mora prodigiis.*] Ecce *prodi-gium* de bono: & argumentatur ad in-cendium navium, aras ardere Neptuni: quas ideo *quattuor* dicit, quia singuli duces

Nec tantis mora prodigiis. en quatuor aræ
Neptuno. deus ipſe faces animumque miniſtrat.
Hæc memorans, prima infenſum vi corripit ignem,
Sublataque procul dextra connixa coruſcat,
Et jacit. arrectæ mentes, ſtupefactaque corda
Iliadum. hic una è multis, quæ maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroë vobis, non hæc Rhœteïa, matres,
Eſt Dorycli conjux. divini ſigna decoris,

Arden

duces navium qui certaverant, ſingulas poſuerant. Nam contrarium eſt, *Numero deus impare gaudet.* Alii tamen dicunt à Cloantho eſſe poſitas: qui promiſerat ſupra. *Servius.*

En quattuor aræ.] Ab occaſione: cum ipſi dii ab aris ſuis ignem ſubminiſtrent. Aras autem intelligit vel à Cloantho victore ſuperius Neptuno votas poſitaſque, vel quia ſinguli duces ſingulas poſuerunt. *Taubm.*

640. *Deus ipſe.*] Maris, vel navium. *Servius.*

Animumque.] In Romano codice, *animum* legimus, pro vento quippe, quo in incendio opus eſt. Sed omnino *animum* magis placet, audacia enim opus erat in re tam atroci adgredienda. *Pierius.*

Animumque miniſtrat.] Quomodo *animum*, id eſt, audaciam decus miniſtrat? An quia furorem Juno immiſit in animos mulierum? unde mox ait, —— *excuſſaque pectore Juno eſt.* An Iridis oratione animatæ ſunt? An Deus maris, vel navium id fecit? *Taubmannus.*

641. *Infenſum ignem.*] Id eſt, ipſa infenſa. *Servius.*

Infenſum.] In Mediceo codice, *infeſtum* legitur. Sed lectionem alteram agnoſcit Servius. *Pierius.*

Infenſum ignem.] Ipſa Iris infenſa. Pimpont. mavult *Infenſum ignem* reſpondere τῷ, δήϊον πῦρ apud Hom. ut alibi Maro, *Inimicum ignem.* Taubm.

642. *Sublata dextra.*] More ducum Ita Scipio Naſica impetum facturus i T. Gracchum, ſublata dextra, *Qu Rempub.* inquit, *vult ſalvam eſſe, me ſe quatur.* Idem.

645. *Tot.*] Aut multorum: aut ſupr dictorum: ut, *Quinquaginta illi thalam ſpes tanta nepotum.* Servius.

646. *Non Beroë vobis.*] Non eſt diſ ſuaſio, ut quidam putant: ſed magi hortatur perſuadendo numinis auctori tate. *Idem.*

Rhœteïa.] A promontorio Rhœte *Idem.*

Rhœteïa.] Obſervabis, ſolere Vi gilium complere notitiam rerum vari in locis. Supra dedit patriam marit nunc dat uxoris. Inde emergit plen hæc cognitio, videlicet mulier Troja na Beroë nupſit in via Epirenſi homin Doryclo. De Rhœteïo promontori alibi. Sententia videtur expreſſa ex Q Calabro l. 1. apud quem Trojani, Pen theſileam pugnantem cum vident, pu tant ſe videre non mortalem fœmi nam,

Ἀλλ' ἄρ' Ἀθηναίην, ἢ καρτερόθυμ
Ἐνυὼ,
Ἢ Ἔριδ', ἢ κλειτὴν Λητωΐδα:
Sed Minervam, vel magnam Bellonam
Vel Litem, vel claram Latonæ filiam.
Cerda.

647. *Divini ſigna decoris.*] Omn colligit, quibus numina cognoſcuntur ut, *Namque haud tibi vultus Mortalis nec vox hominem ſonat: ô dea certe.* Ser

648. A

Ardentisque notate oculos; qui spiritus illi,
Qui voltus, vocisve sonus, vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroën digressa reliqui
Ægram, indignantem, tali quod sola careret
Munere, nec meritos Anchisæ inferret honores.
Hæc effata.
At matres, primo ancipites, oculisque malignis
Ambiguæ spectare ratis, miserum inter amorem
Præsentis terræ, fatisque vocantia regna:

Cum

648. *Ardentis oculos.*] Ita J.C. item ugustus, oculos habebant claros ac itidos: & quibus existimari volebant nesse quiddam divini vigoris. Vide ueton. Aug. cap. 79. & Animadv. Caub. *Taubmannus.*

Spiritus.] Odor: ut, *Divinum vertice lorem Spiravere.* Servius.

Qui spiritus illi, Qui voltus.] In codiibus aliquot antiquis legere est, *quis iritus illi, Quis voltus.* Sed *qui* ex recenorum Grammaticorum dictatis, mais proprium. *Pierius.*

649. *Et gressus eunti.*] Ut, *Et vera ncessu patuit dea.* Servius.

Vocisve sonus, vel gressus eunti.] Antiqua aliquot exemplaria legunt, *vocisve inus & gressus* pro *vocisque.* signa enim æc omnia simul fidem faciebant, quæ ingula dubitationem movere potuisent. *Pierius.*

Qui voltus, vocisve sonus.] Sic 1. Æn.
—— *namque haud tibi vultus*
Mortalis: nec vox hominem sonat ——
Taubmannus.

Gressus.] Æn. 1.
Et vera incessu patuit dea.
Nam deorum incessus altior est. ita bid. de Venere:
Ipsa Paphum sublimis abit. Idem.

651. *Ægram.*] Vox *æger* cum de corpore, & animo dicatur, libentius hic ad corpus retulerim, quo fortius sit argumentum. Nam Beroë, etiamsi animo ægra, adesse poterat; non ita, si ægra corpore. De ægritudine animi obvia exempla, de corpore (nam hoc aliqui negant) satis Virg. 3. Georg.
—— *& quatit ægros*
Tussis anhela sues. Cerda.

Quod sola careret.] In antiquis aliquot codicibus, *quæ sola* legitur, quod non displicet. In quibusdam aliis, *quo.* sed nitidum magis est, si legas, *quod careret.* Pierius.

652. *Munere.*] *Munus* est publica celebritas, & spectaculum aut arenæ, aut circi, aut venationis: &c. Suetonius in Jul. c. 75. *bestias quoque ad munus populi comparatas contrucidaverat.* Tertullian. adver. Gent. *qui munere in arena noxiorum jugulatorum sanguinem recentem de jugulo decurrentem exceptum, avida siti, comitiali morbo medentes, hauserunt.* Apul. lib. 10. *munus gladiatorum triduanis spectaculis pollicitus.* Cerda.

653. *Hæc effata.*] Sunt codices antiqui, ubi *hæc est fata* legas. Sed omnino magis placet, *effata* apud hunc poëtam frequentissimum vocabulum. *Pier.*

654. *Primo ancipites.*] Antequam numen agnoscerent. *Servius.*

Oculisq; malignis.] Pro *ipsæ malignæ.* Id.

655. *Miserum inter amorem Præsentis terræ.*] Aut magnum: ut Terentius. *Eam misere amat:* aut *Miserum,* quo fiebant miseriores, cum eis regna negarentur. *Idem.*

Miserum inter amorem Præsentis terræ.] In codicibus aliquot admodum vetustis, *Præsentis terras* legimus accusativo casu: ut omnia pendeant ab infinitivo, *spectare.* Sed longe magis placet, *inter amorem Præsentis terræ.* Pierius.

Cum dea se paribus per cælum sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero adtonitæ monstris, actæque furore
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem:
Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
Conjiciunt. furit inmissis Volcanus habenis
Transtra per & remos, & pictas abiete puppis.
Nuntius Anchisæ ad tumulum cuneosque theatri
Incensas perfert navis Eumelus: & ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus & Ascanius, cursus ut lætus equestris
Ducebat; sic acer equo turbata petivit

Castra:

657. *Cum dea.*] In codice Mediceo, *Tum dea.* Pier.

660. *Conclamant.*] Clara allusio ad militiam, in qua solitum conclamari, hoste interveniente; item ad fugam. Ergo fœminæ invasuræ naves suas tanquam hostiles, prius conclamant. Potestas verbi ad funus quoque traducta. Lucan. lib. 2.

—— *corpora nondum*
Conclamata jacent.

Apul. lib. 1. Asin. *domi tuæ jam defletus & conclamatus es.* Lege Servium ad illud lib. 6. *Pars calidos latices.* Cerda.

Focis penetralibus.] Ab ipsis aræ interioribus partibus, & à profano usu semotis. *Taubm.*

662. *Inmissis habenis.*] Remissis & laxatis. Metaphora ab aurigis. *Idem.*

663. *Transtra per.*] Locutio hæc, & transpositio plena est venustatis, & vetustatis. Lubet firmare. Eurip. Phœniss.

—— τυραννίδ☉ πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν:
Regnum propter, violandum jus est.

& στέρνων δ' ἄπο: *pectoribus ab.* & ὀμμάτων ἔπι: *oculos supra.* Pindarus od. 3. Pyth. Α'ρέθουσαν ἐπὶ κράναν: *Arethusam ad fontem*, Sophocles in Antig.

—— τάχους ὕπο
Δυσπνόους ἱκάνω.
Celeritate præ anhelus venio.

Et in Elect. ὀμμάτων ἄπο: *oculis ab.* Hac elegantia usi etiam Latini. Virgilium hîc vides. Tacit. 4. Annal. *Italiam utroque mari duæ classes Misenum apud, & Ravennam.* Et lib. 6. *urbem juxta.* & 12. *templum juxta.* Lucretius lib. 1.

—— *ignibus ex ignem.*

Cerda.

Pictas abiete puppis.] In abiete pictas. Sane *abiete*, hoc est, quæ erant de abiete. *Servius.*

Abiete pictas.] Pro, in abiete, id est, in abiegnis navibus. *Pictas* autem vel μιλτοπαρῄους Homeri intellige, id est, *minio coloratas*, vel alio quovis colore inductas & oblitas. ut 8. Æn.

—— *pictasque innare carinas.*

vel etiam simulacra animantium aut divorum: ut fit πάθ☉ ab impio. *Taubm.*

664. *Cuneosque theatri.*] Sedes theatri *cunei* appellantur. Juv. Sat. 6. vers. 61.

—— *cuneis an habent spectacula totis*
Quod securus ames —— Emm.

Perfert.] Vide quam brevissime. Notat præclare in Homerum Spondanus Il. 18. nusquam nos breviores esse debere, quam cum tristia nuntiamus. orationis quippe prolixitas longiorem facit tristitiam, & dolorem narratione refricat. Sic Antilochus Achilli necem Patrocli, quam brevissime nunciat. De cuneis dictum 2. Georg. *Cerda.*

665. *Eumelus.*] Latinus accentus est: translato nomine in Latinum. *Servius.*

669. *Ca-*

Castra: nec exanimes possunt retinere magistri.
Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miseræ cives? non hostem, inimicaque castra
Argivûm, vestras spes uritis. en ego vester
Ascanius: galeam ante pedes projecit inanem;
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Accelerat simul Æneas, simul agmina Teucrûm.
Ast illæ diversa metu per litora passim
Diffugiunt; silvasque, & sicubi concava furtim
Saxa, petunt. piget incepti, lucisque, suosque
Mutatæ adgnoscunt, excussaque pectore Juno est.

Sed

669. *Castra.*] Ut, *Nos castra movemus*, id est, *classem*. Idem.

Castra.] Sunt hæc, classis nautica. ut lib. 3. — *nos castra movemus.* Quem locum vide. ut hîc Ascanius advolat, ita pari impetu Apollonius lib. 2. Excid. inducit Vespasianum accurrentem ad exstinguendum incendium. *Cerda.*

Magistri.] Custodes. Terentius, *Me filiis relinquunt quasi magistrum.* Serv.

670. *Quis furor iste novus.*] Quasi ad urentes loquitur. Unde ne tum quidem agnitus, cum dixisset, *En ego vester Ascanius.* Novus autem est aut inopinatus. *Idem.*

Quo tenditis.] Id est, quid habetis intentionis? *Idem.*

672. *Vestras spes uritis.*] Navibus enim ad regna tendebant. *Idem.*

Vestras spes uritis.] Naves, in quibus spes vestræ sunt positæ perveniendi ad sedes quietas. Ita Tibull.

— *quid messes uris, acerba, tuas?*

Taubmannus.

673. *Inanem.*] Concavam, vacuam sine capite. *Servius.*

674. *Ludo.*] Per ludum. *Idem.*

675. *Accelerat.*] Cum hac celeritate, qua itum ad exstinguendum ignem, blandiuntur verba Plutarchi, quæ noui omittere: τὰς μὲν τὰς οἰκίας τῶν φίλων ὅταν καιομένας ἰδῶσι, σβεννύουσιν ὡς ἔχει τάχους ἕκαστος, ἢ δυνάμεως· τὰς δὲ ψυχὰς φλεγομένας αὐτοῖς προσφέρουσιν ὑπεκκαύματα: *Amicorum ædes cum vident ardere homines, unusquisque ad exstinguendum incendium omnem suam celeritatem, omnem vim confert: cum animum vident ardere, ipsi fomites & alimenta incendio suggerunt.* Adjungo etiam locum Senecæ de Tranquill. *Quorundam, quasi ad incendium currentium misereberis.* vide eundem ep. 117. ad finem. Pari aura Joann. Chrysostomus homil. de Doctrin. & Corrept. ἔδραμες ἐπὶ τὸ σβέσαι τὴν πυρὰν. *Cerda.*

676. *Ast illæ.*] De affectu fæminarum Scal. l. 3. c. 13. *Taubm.*

678. *Piget incepti.*] Similis pœnitentia est in rege Perseo; qui jusserat navalia sua incendi. historia est in Livio lib. 44. *Cerda.*

Suosque agnoscunt.] Quos enthusiasmo correptæ agnoscere modo nequibant. *Taubm.*

679. *Excussaque pectore Juno est.*] Furoris causa, non furor. Idcirco quia furor desierat. *Servius.*

Excussaque pectore Juno est.] Vide ad hunc locum Modii novantiq. lect. epist. 81. *Emmeness.*

Juno.] Id est, furoris causa. Alludit autem ad Phœbades vaticinantes: quæ, spiritu excusso, ad se redibant. *Taubmannus.*

680. *Vire*

Sed non idcirco flammæ atque incendia vires
Indomitas posuere: udo sub robore vivit
Stuppa vomens tardum fumum, lentusque carinas
Est vapor, & toto descendit corpore pestis:
Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.
Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,

Auxi-

680. *Vires Indomitas.*] Respexit Homer. *ἀκάματον πῦρ*, id est, *irrequietum & indefessum ignem.* Conflagratio navium describitur & à Lucan. l. 3. *Taubm.*

681. *Udo sub robore.*] Vel vicino aquis. *Servius.*

Udo sub robore vivit Stuppa.] In codicibus aliquot antiquis, legere est *udo sub pectore.* in locis scilicet interioribus, quæ metaphora non satis mihi facit. *Pierius.*

682. *Stuppa.*] Secundum antiquam orthographiam. Nam *stippa* dicta est à stipando: abusive etiam linum dicimus. *Servius.*

Tardum.] Densum, crassum. Nam ignem solet fumus præire. Unde *tardum* ad densitatem retulit. *Idem.*

Tardum fumum.] Quis hic *tardus fumus*? an amarus & acerbus? ut 2. Georg.

— *tardumque saporem Felicis mali.*

Non putat Turnebus: sed potius, qui non celeriter emicat, præsertim densior, ex materia uda & aquis vicina, quique diutius durat & cunctatur. Sed & *vapor*, id est, ignis lentus erat. Nam etsi naves erant unctæ, tamen uda materia nonnihil officiebat igni. l. 14. c. 4. Etiam Lucretio dicitur *vapor* pro igni & calore: Et Horat. lib. 1. Epist. *vaporare*, pro, ardere, vel etiam *calfacere.* de quo Gifan. in Indice Lucret. *Taubmannus.*

683. *Vapor.*] *Vapor* pro igne, & flamma, & calore Græcis familiare, & Latinis. Ergo Homer. Odyss. 9.

—— *ὀφρύας εὗσεν ἀϋτμὴ,*

—— *supercilia cremavit vapor.*

Hesiod. in Theog.

Καῖετο γαῖα ἀϋτμῇ Θεσπεσίῃ:

Ardebat tellus vapore ingenti.

Lucret. 2.

At vapor is, quem sol mittit, lumenqu[e] serenum. & 6.

Deniq; cera liquescit in ejus posta vapore

Plura exempla alii congessere. Certe i[n] Plinio millies reperi vaporem pro calore. ut lib. 2. cap. 17. *quæ in vaporem solis nituntur.* & cap. 4. *solis vapor geminatus ardore sideris.* & cap. 68. *exhaust[a] flammis, & cremata cominus vapore torretur.* Parco infinitis. *Cerda.*

Corpore.] Navium: ut, *Et disjice corpora ponto.* Servius.

Corpore.] Julius 3. Civil. dixit, *corpus navis.* Cerda.

Descendit pestis.] Incendium: mor[e] suo. Et declamavit per contrarium Nam ignis superiora semper petit. *Serv*

Pestis.] Triplici in loco Virgilius po[s]uit *pestem* pro igne, hic, & infra, *Servatæ à peste carinæ.* & in 9. *In partem quæ peste caret.* Est enim *pestis* quicquid pessundat, & devastat. Lege Muretum in Catullum. Etymologia Isidori signatissima est ad Virgilium lib. 4. Ita enim de pestilentiæ nomine: *Dicta pestilenti[a] quasi pastulentia, quod veluti incendium depascat.* Livius venuste hanc vocem transtulit lib. 44. ad bellum: *Cum hostiliter è scaphis cæderentur, retro qui poterant nando repentes terram, in aliam fœdiorem pestem incidebant: elephantes enim ab rectoribus in litus acti, exeuntes obterebant, elidebantque.* Plinius l. 2. c. 48 convertit ad genus quoddam tempestatis, *præcipua navigantium pestis.* & l. 11. c. 29. ad locustas: *Deorum ira pestis ea intelligitur.* Cerda.

684. *Flumina prosunt.*] Id est, vi[s] aquæ. *Servius.*

685. *Tum pius Æneas humeris abscinden[dere]*

Auxilioque vocare deos, & tendere palmas:
Juppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
Trojanos, si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos; da flammam evadere classi
Nunc, pater, & tenuis Teucrûm res eripe leto.

Vel

ere vestem.] Et notant quidam quod amnum quatuor navium vir fortis & ex impatienter doleat: sed magis illud onsiderandum est, quod ait supra Af- anius, *Vestras spes uritis*: ut non dam- um doleat, sed spem navigationis reptam. *Idem.*

Abscindere vestem.] Sic noster l. 12. 'f. 609. —*it scissa veste Latinus Conjugis attonitis fatis.*— ed plurima hunc ritum spectantia col- egit Vir reverend. & literatus Jac. Ly- ius in florum Sparsione ad Pass. 1. c. .75.76. *Emmeness.*

687. *Juppiter omnipotens.*] Figuratis git coloribus: nec enim re vera vult erire: sed agit oblique, ut restinguatur ncendium. Bene autem *si* ubique in- erponit. Hic enim est optimus ductus: ui agentis voluntatem latenter osten- lit. *Servius.*

Juppiter omnipotens.] Amplexus est mnia, quæ pro malorum necessitate erant postulanda. *Juppiter.* Hoc so- im satis est ad auxiliandum. *Omnipo- ens.* Ut non solum præstandi habeat otentiam, sed etiam difficilia possit emovere. Sed quoniam non satis est osse, nisi etiam velit: addit, *Si non mnes ad unum odisti*, id est, nisi me quo- ue odisti. Addit etiam commemora- ionem, ponens egestatis angustias: ostremo ponit meritum postulantis, x plenum auxilium dantis. *Donatus.*

Exosus.] Antiqui & *odi* dicebant & *sus sum*: hinc est *exosus*, quo utimur: cet jam *osus sum*, non dicamus, *odi* au- em & præsens est & præteritum. *Serv.*

Ad unum.] Nullo excepto. *Idem.*

Ad unum.] Subaudi *usque.* sic *ad num omnes occidit.* & Horat. l. 1. sat. 5. *l unguem factus homo.* docente hoc anctio in Ellipsi l. 4. p. 384. *Emm.*

688. *Si quid pietas antiqua labores Respicit humanos.*] Aut si tibi chara pietas præstat aliquid humanis laboribus: aut si quid meremur propter pietatem cultam (ut, *Parce pio generi*) hoc ipsum remunerare. Aut (quod est melius) si vel respicit res humanas pietas, quæ de terris olim recessit. *Servius.*

689. *Da.*] Brisson. l. 1. Form. docet, verbum *da* precationibus plerunque adhibitum esse. Ita alibi:

Da Latio consistere Teucros. Item:
Da pater hoc nostris aboleri dedecus armis.

Horat. 1. Epist. 16.

——— *pulchra Laverna*
Da mihi fallere: da justum sanctumque videri.

Juven. Sat. 10.

Da spacium vitæ, multos da Juppiter annos.

Persius Sat. 2.

Da fortunare penates:
Da pecus & gregibus fœtum.

Plautus Pœn. act. 5, 4.

Da diem hunc sospitem Juppiter rebus meis agendis. Taubm.

Classi.] Antiqua aliquot exemplaria, *classis* legunt accusativo casu, quod non placet. *Pierius.*

690. *Tenuis.*] Hac voce signat summam miseriam, non minus atque illis 1. Æn.

Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos.

Itaque *tenues* Romanis sunt, qui Græcis λεπτοὶ, summe pauperes. Nos *tenui* opponimus divitem, Græci suo λεπτὸς opponunt παχύν. Aristophanis interpres in Vesp. clare: παχὺς δὲ πλούσιος, ὡς δὲ τοὺς ἐναντίους λεπτοὺς πένητας φησίν. Unde, ubi in Aristophane legitur, καὶ γὰρ ἀνὴρ ταχὺς, legendum ἀνὴρ παχὺς, id est, *vir opulentus.* Quod ex verbis Scho-

Vel tu, quod ſupereſt, infeſto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix hæc ediderat, cum effuſis imbribus atra
Tempeſtas ſine more furit, tonitruque tremiſcunt
Ardua terrarum, & campi: ruit æthere toto
Turbidus imber aqua, denſiſque nigerrimus auſtris:
Inplenturque ſuper puppes; ſemuſta madeſcunt
Robora. reſtinctus donec vapor omnis, & omnes,
Quatuor amiſſis, ſervatæ à peſte carinæ.
At pater Æneas caſu concuſſus acerbo,
Nunc huc ingentis nunc illuc pectore curas

Muta

liaſtæ adductis colligas, & jam Chriſtianus monuit. Qui addit, non immerito apud Romanos Craſſum divitem fuiſſe. *Cerda.*

Res eripe leto.] Superflua Acyrologia eſt. *Servius.*

Leto.] Α᾽νυϐολογία: pro, internecione. *Taubm.*

691. *Quod ſupereſt.*] Quod congrue ſequitur. *Servius.*

694. *Sine more.*]Sine exemplo. *Idem.*

Tonitruque tremiſcunt.] Hic ablativus incertus eſt, unde veniat: utrum à neutro indeclinabili *hoc tonitru*, ut *cornu*; nam inde eſt, *Fractæque tonitrua nubes.* ut *cornua.* An à maſculino ſecundum quartam declinationem. Hinc enim Statius, *Tonitrus agis, & mea fulmina torques.* Idem.

Tremiſcunt.] In pleriſque veteribus exemplaribus, & hic & alibi, *tremeſcunt* per *e* in pene ultima notatum eſt: ut etiam alibi dictum. *Pierius.*

695. *Ardua terrarum.*] Periphraſis montium. *Servius.*

Ardua terrarum.]Locutio iſta à Poëtis in alios manavit. Apul. lib. 5. *Ardua montium, & lubrica vallium, & roſcida ceſpitum, & globoſa camporum.* Sidon. lib. 1. epiſt. 5. *amœna fontium, abſtruſa puteorum.* Plin. lib. 8. cap. 1. *Vitulorum fatigatos*, pro, fatigatos vitulos. & lib. 10. cap. 73. *condenſa arborum.* Cerda.

Æthere toto.] Pro *aëre* poſuit. *Serv.*

696. *Denſiſque nigerrimus auſtris.*] Vide Ariſtot. Meteor. lib. 2. ubi doc νότια καὶ ὀπωρινὰ ὕδατα ἀεὶ πλατύτερ etiamſi Vatablus ſalſas & ſalſiuſcul aquas interpretatur. *Germanus.*

697. *Semuſta.*] In antiquis fe omnibus, *ſemiuſta* quadriſyllabum ſcr ptum eſt. Coeunt vero duæ mediæ ſy labæ in unam ex Synizeſi figura poë tica. *Pierius.*

Semuſta.] Ἡμιφλεγῆ. alii *ſemiuſ* leg. ut ſit συνεκφώνησις. *Taubm.*

Madeſcunt robora.] Aut humectantu aut reſolvuntur in cinerem: quod na turale eſt poſt incendium. *Servius.*

698. *Reſtinctus vapor.*] Sic ſæpe Lu cret. vaporem pro igne: ut 5. *Sed periiſ hominum torrenti ſæcla vapore.* Germ.

699. *A peſte.*] Exitio & pernici vſ. 683. *Taubm.*

700. *Caſu concuſſus acerbo.*] Ita in fra in hoc lib.

—— *caſuque animum concuſſus amici.*

Catull. eodem modulo:

—— *caſuque oppreſſus acerbo.* Cerda

701. *Nunc huc ingentis, &c.*] E hoc, quod Homer. 1. Il. dixit,

—— ἐν δέ οἱ ἦτορ
Στήθεσσιν λασίοισι διάνδιχα μερμή ριξεν:

—— *intus autem ipſi cor*
In pectoribus hirſutis in ancipitem par tem cogitavit.

Quo

Mutabat versans, Siculisne resideret arvis
Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.
Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem

Quod idem 19. Odyss.

Ὡς καὶ ἐμοὶ δίχα θυμὸς ὀρώρετο ἔνθα καὶ ἔνθα:

Sic & mihi bifariam animus movetur huc & illuc.

Quod Isocrates expressit unico verbo δόξαν παράλλαττων. Quod Ovid. 10. Me-tam. multis adhibita etiam comparatione. — *utque securi*

Saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat,
Quo cadat, in dubio est, omnique à parte timetur:
Sic animus vario labefactus vulnere mutat
Huc levis; atque illuc, momentaque sumit utraque.

Quod Valerius 3. Arg.

— *vario mutat sententia motu.*

& : — *dubiis variabant pectora curis.*

Quod Claudianus 1. Rapt.

Diversos ducens animos.

Virgilius variis modis hoc extulit, quos alii jam collegerunt. Sed in hac re explicanda ferax fuit Ammianus in l. 15. *In æstu mentis ancipiti.* In lib. 16. *scindebatur in multiplices curas.* In 17. *magnis curarum molibus stringebatur.* in 20. *per varias curas animum versans.* in 25. *curarum ponderibus afflicti.* Locutionem ad hanc rem signandam sumptam à fluctibus alibi exorno. *Cerda.*

702. *Mutabat versans, Siculisne.*] In antiquo admodum codice legere est, *mutabat dubius, Siculisne.* non tamen displicet *versans* vulgata lectio. *Pierius.*

703. *Fatorum.*] Oraculorum. *Serv.*

704. *Tum senior Nautes.*] Bene daturum consilium & ab ætate, & à prudentia, & à religione commendat. Quod autem dicit, *Pallas quem docuit:* propter illud, quod supra diximus, fingitur, quia ipse Romam Palladium detulit; unde Nautiorum familia Minervæ sacra retinebat: quod etiam Varro docet in libris, quos de familiis Trojanis scripsit. *Idem.*

Senior.] Et ætate & arte à Pallade accepta meruerat audiri. Est autem huic sententiæ consona illa Terentiana: *Quando id fieri non potest quod vis, id velis, quod possis.* Donatus.

Nautes.] Ab hoc Naute familia mox Nauticorum aut Nautiorum Romæ clara in primis fuit: in quorum gratiam hæc Virgilius. Sed præclara nota Germani hæc: *Alludit ad custodiam Palladii, quam sibi Nautii, (qui genus ad Nautem illum Trojanum referebant,) sacrorumque Minervæ administrationem vindicabant.* Hujus rei auctor (ut alios omittam) Dionys. Hal. lib. 6. qui ait: *Surrexit Sp. Nautius ex illustrissima familia natus, (nam Nautius, &c.* Attingit autem Poëta locum communem, in senibus prudentiam regnare, quem breviter locupleto. Plutarch. in opere, An seni gerenda Resp. σώζεται πόλις, ἔνθα βουλαὶ γερόντων: *tuta est civitas in qua vigent senum consilia.* Homer. 7. Odyss. de sene Echeneo, παλαιά τε, πολλά τε εἰδώς: *priscaque & plurima doctus.* Isocrat. in ep. de se sene: ἡγοῦμαι συμβουλεύειν μὲ ἀκμὴν ἔχειν· αἱ γὰρ ἐμπειρίαι παιδεύουσι τοὺς τηλικούτους, καὶ δοκοῦσι μᾶλλον τῶν ἄλλων δύνασθαι καθορᾶν τὸ βέλτιστον: *Puto vigorem me nunc habere ad consulendum. experientia enim senes erudit, valentque præ aliis acutius cernere, quæ sunt meliora.* ex Isocrate credo Ovid.

— *seris venit usus ab annis.*

Isocrati Sophoclem adjunge, qui ita apud Stobæum,

Σοφόν γέ τοι τι πρὸς τὸ βουλεύειν ἐστὶ
Τὸ γῆρας, ὡς δὴ πολλ' ἰδόντε, καὶ μαθών:
Sapiens est consiliis senectus, ut quæ multa viderit atque didicerit.

inter Græcas sententiolas hæc circumfertur: γνῶμαι δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν γεραιτέρων: *seniorum meliora consilia.* Cerda.

Tum senior Nautes.] Bene Consiliarium & ab ætate, & à prudentia, & à religione commendat: Alludit autem ad cu-

Quem docuit, multaque insignem reddidit arte,
Hæc responsa dabat, vel quæ portenderet ira
Magna deûm, vel quæ fatorum posceret ordo.
Isque his Æneam solatus vocibus infit:
Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur:
Quicquid erit: superanda omnis fortuna ferendo est.

Es

ad custodiam Palladii, quam sibi Nautii, qui genus ad Nautem illum Trojanum referebant, sacrorumque Minervæ administrationem vindicabant: à quo etiam Romæ illustris *Nautiorum* familia. Vide & Turneb. l. 26. 17. *Taubm.*

Unum.] Præcipuum. *Servius.*

Tritonia Pallas.] Pro uno proprio, duo Antonomasiva. *Idem.*

705. *Reddidit arte.*] Id est, virtute, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς. *Idem.*

706. *Responsa dabat.*] Laus consilii. *Idem.*

Responsa dabat.] Laus consilii, quum divinis comparat responsis. Respicit enim ad divina Oracula, quæ à Minerva didicerat. *Taubm.*

Quæ portenderet.] Quæ præsignificabat. *Servius.*

Portenderet ira deûm.] Est hoc quod apud Plutarchum in Camillo, προφαίνεσθαι θεῶν μῆνιν. *Cerda.*

Ira magna deûm.] Id est, Juno: ut alibi, *Cœlestum vis magna jubet.* Serv.

708. *Solatus vocibus infit.*] Id est, solatur & infit. Nam *solans* debuit ponere: sicut sequens ejus indicat consolatio. *Idem.*

709. *Quo fata trahunt.*] Ut invitos. Seneca de Prov. c. 5. *Volentes quidem non trahuntur à fortuna, sequuntur illam, & æquat gradus.* Seneca in choro Oedipi,

Fatis agimur; cedite fatis,
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi.
Quicquid patimur mortale genus,
Quicquid facimus, venit ex alto.

Cerda.

710. *Quicquid erit.*] Ut ait, *Fuerint quæcunque, fatebor.* Servius.

Ferendo est.] Dum fertur: modu[s] gerundii est à passivo. *Idem.*

Superanda omnis fortuna ferendo est. Similis sententia hæc Euripidis: τὰ γὰρ ἐκ θεῶν ἀνάγκας, θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν: *quæ fata statuunt, ferre mortale decet.* Et hæc Sophoclis in Philoct. ἀνθρώποισι τὰς μὲν ἐκ θεῶν τύχας δοθείσας, ἐστ' ἀναγκαῖον φέρειν: *Necesse est fortunas ferre hominibus à Diis datas.* Nec non hæc Theognidis,

Τολμᾶν χρὴ τὰ διδοῦσι θεοὶ θνητοῖσι βροτοῖσι:

Oportet perferre quæ dii dant mortalibus.

Terentius quoque, *Quod fors feret, feramus æquo animo.* Dionys. Hal. lib. 4. *Quicquid Deus, & fatum tulerit, perpeti sumus parati.* dicuntur hæc ore Bruti. Horatius Od. 11. lib. 1.

—— *ut melius quicquid erit, pati.*

& Od. 24.

Durum, sed levius fit patientia
Quicquid corrigere est nefas.

Seneca de Provid. cap. 2. *Tunc apparet, quanta sit virtus, quantum valeat, polleatque, cum, quid possit, patientia ostendit.* & cap. 5. *Fortiter omne ferendum est.* Consilium hoc tantorum sapientum à necessitate ductum est, cum nemini contingat plena felicitas. Pind. Od. 3. Pyth.

—— αἰὼν δ' ἀσφαλὴς, &c.

Ergo in tanta rerum inconstantia, & florentis fortunæ instabilitate, quod aliud remedium, quam perferre, quam tolerare, quicquid sors dederit? Nam fuga non est viri: *Haud est virile, terga fortunæ dare,* dixit præclare Seneca in Oedip. *Cerda.*

Superanda omnis fortuna ferendo est.]

De

Eſt tibi Dardanius divinæ ſtirpis Aceſtes:
Hunc cape conſiliis ſocium, & conjunge volentem:
Huic trade, amiſſis ſuperant qui navibus, & quos
Pertæſum magni incepti rerumque tuarum eſt:
Longævoſque ſenes ac feſſas æquore matres,
Et quicquid tecum invalidum metuenſque pericli eſt,
Delige, & his habeant terris, ſine, mœnia feſſi:
Urbem adpellabunt permiſſo nomine Aceſtam.

Tali-

De hac re Scal. lib. 3. cap. 11. quæ re- alimus 1. Æn. ad illud: *Durate, & oſmet, &c.* Porro Fortunam videtur Homerus ignoraſſe: cum nuſquam τ̃ ύχης mentionem faciat: ſed Fatis el Parcæ omnia committat. *Taubm.*

711. *Eſt tibi.*] Jam hoc conſilium ſt, id eſt, habes. *Servius.*

Divinæ ſtirpis.] Propter Dardanum b Criniſo fluvio. *Idem.*

712. *Conſiliis ſocium.*] In Mediceo, : in antiquis aliquot aliis codicibus ıanu ſcriptis, *conſilii ſocium* habetur, uod valde placet, tametſi lectionem ılgatam non improbo. *Pierius.*

Volentem.] Voliturum. Nam velle abet, non jam vult. *Servius.*

713. *Superant.*] Superſunt, ſuper- uunt. Dicit autem non tantum debi- :s, ſed etiam nolentes juvenes. Un- : ſequitur, *Longævoſque ſenes.* nec ıim adderet *Que*, niſi ſupra *Juvenes* ixiſſet. Unde ſequitur expreſſius, *Et uicquid tecum invalidum metuenſque ?ricli eſt.* Idem.

714. *Pertæſum magni incepti.*] Ut, *i non pertæſum thalami tedæque fuiſſet.* dem.

Et quos Pertæſum magni incepti.] Eo- em caſu extulit Lucret. lib. 3. *Exit epe foras magnis ex ædibus ille, Eſſe do- ıi quem pertæſum eſt, ſubitoq; revertit.* Germanus.

716. *Metuenſque pericli.*] Ovid. l. 1. letam. v. 323.

— *non illa metuentior ulla Deorum.*

d quem locum conſule Nob. Heinſ. c Horat. l. 2. Epiſt. 2.

— *metuens pendentis habenæ.*

plura dabit Vechner. l. 1. Hellenol. c. 2. *Emmeneſſ.*

718. *Urbem adpellabunt.*] A viris claris indita nomina urbibus. Dio l. 54. *Paphiis terræ motu afflictis largitus eſt* (Auguſtus) *juſſitque, ut urbem Auguſtam nominarent.* Vide Velſerum l. 5. antiquit. *Cerda.*

Permiſſo nomine.] Ab Aceſte ſcilicet. Dicta autem Aceſta, Segeſta. *Servius.*

Permiſſo nomine Aceſtam.] In Romano codice, & pleriſque aliis antiquis legere eſt, *promiſſo nomine:* ut hoc ſit præmium, quod polliceri debeat Æneas, ſi Aceſtes Trojanos recipere non recuſaverit. Nam quod Aceſtes permittere debeat quaſi rem gravem, aut difficilem, aut indecoram, Urbem quod maxime honorificum eſt, ſuo nomine appellari, ita non ſatisfacere videtur. Inferius enim *Gaudet regno Trojanus Aceſtes.* Quamvis etiam *promiſſo* ab oraculis intelligi poſſit: dictum, ut multa à Virgilio κατὰ σιωπώμενον. Neque ſilentio prætereundum, quod in codicibus aliquot antiquis, *Aceſten* per *en* finales literas habetur. ἀσέςην ſane urbem eam à Græcis appellari non negarim. Sed eandem etiam ἄκεςα ab eiſdem dicta, unde gentis nomen ἀκέςαιος. *Pierius.*

Permiſſo nomine.] Vulgo legitur *permiſſo:* commodius in antiquis *promiſſo*, quam lectionem prætuli, & hac utitur Germanus: ita ut Poëta intelligatur κατὰ σιωπώμενον quod ajunt, quamvis nulla hactenus promiſſionis hujus mentio præceſſerit. Si vero legas *permiſſo*, hæc erit interpretatio. Urbs hæc

 ædifi-

Talibus incensus dictis senioris amici,
Tum vero in curas animum diducitur omnis:
Et nox atra polum bigis subvecta tenebat.

Visa

ædificanda, videbatur usurpatura nomen aliquod ex Trojana gente, sed permissum tamen est in gratiam Acestæ, ut vocaretur Acesta. Ait Servius, urbem hanc, eam esse, quæ deinde dicta est Segesta. Stephanus: Ἀκέστη πόλις Σικελίας παρὰ τὸν Ἀκέστην: *Acesta urbs Siciliæ dicta ab Aceste.* Ennius: *simile quiddam in Sicilia fecit Æneas, cum conditæ urbi, Acestæ hospitis nomen imposuit, ut eam postmodum lætus, ac libens Acestes diligeret, augeret, ornaret.* Quam rem hoc exemplo firmet Ennius, invenies in Lactant. l. 1. c. 22. *Cerda.*

Acestam.] Acesta, Ægesta, Segesta eadem urbs, de qua Cic. 4. Verr. c. 33. *Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, judices, quod ab Ænea fugiente à Troja, atque in hæc loca veniente conditum.* de ea Sil. Ital. l. 14.

Miscuerunt Phrygiam prolem Trojanus Acestes,
Trojanusque Helymus structis, qui pube secuta
In longum ex sese donarunt nomina muris.

plura Cluver. ant. Sicil. l. 2. c. 2. & Salmas. Plin. exerc. p. 111. *Emmeness.*

719. *Incensus.*] In codicibus aliquot antiquis, *accensus* habetur. *Pierius.*

720. *Tum vero.*] Nam & ante ea cogitaverat: ut, *Pectore curas Mutabat versans.* Servius.

Animum diducitur.] In Romano codice, in Mediceo, & plerisque aliis pervetustis legere est, *animo deducitur.* Si vero magis placet *animus*, etiam *diducitur* legendum erit. id enim est in diversas partes scinditur, Homerica sententia. *P.*

Animum diducitur.] Græca figura: ut, *Mentem læsus.* Serv.

In curas animum diducitur.] Figuratum & Poëticum genus dicendi. ita alibi: *Mentem læsus:* quod probat Fabric. Alii leg. —— *in curas animo d.* Alii, *animus d.* Taubm.

721. *Et nox atra polum.*] Quasi major causa cogitationis: ut, *Et sub noctem cura recursat.* Servius.

Et nox atra polum.] Νὺξ μελανόχροος, & Pind. Nem. Od. ζ. μέλαιναν εὐφρόναν vocat. *Germ.*

Et nox atra.] Νὺξ μελανόχροος. Eandem & Pindarus Nem. Od. ζ. μέλαιναν εὐφρόναν vocat: quia tunc subtilius homo sapit, quam interdiu. Hic igitur nox ponitur, quasi major causa cogitationis. *Taubm.*

Bigis.] Proprie modo, non ut Statius, *tenuaverat aëra biga*, abusus est. *S.*

Bigis.] Apollonius lib. 3. νὺξ δ' ἵπποισιν ἔβαλλεν ἐπὶ ζυγά: *Nox injecit equis juga.* Sed signatior lux ab Ennio in Andromeda, ubi nocti dat bigas.

Quæ cava cœli signa tenentibus conficis bigis.

Claudian. de Rapt.

—— *sparso nox humida somno*
Languida cæruleis invexerat otia bigis.

Valer. Flacc. lib. 2. Arg.

—— *annue votis*
Diva soporiferas quæ nunc trahis æquore bigas.

Tibull. l. 3. el. 4. tamen quadrigas dedit:

Jam nox æthereum nigris emensa quadrigis
Mundum, cæruleo laverat amne rotas.

Lunæ & plurimum bigæ dantur. Manilius l. 5.

Quadrijugis & Phœbus equis, & Delia bigis.

Sed omitto rem tritam. *Cerda.*

Bigis.] Ut Soli quadrigas tribuunt, ita Lunæ bigas: cui duplex proprietas, crescendi & decrescendi. Man. l. 5. ys. 3.

Quadrijugis & Phœbus equis, & Delia bigis.

Ov. 4. F. Equorum vehiculum ei tribuit

Ut solet, in niveis Luna vehetur equis.:

Auson. Epist. 4. juvencarum:

Jam succedentes quatiebat Luna juvencas.

Catullus *Lunam lucere* dixit *lumine notho:* unde etiam à *mulis* vehi dicebatur: quod, ut mulus non suo genere, sed equis

Visa dehinc cælo facies delabsa parentis
Anchisæ, subito talis effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis; nate Iliacis exercite fatis;
Imperio Jovis huc venio: qui classibus ignem
Depulit, & cælo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat senior: lectos juvenes fortissima corda
Defer in Italiam. gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante

Infer-

equis creetur: sic ea Solis, non suo fulgore luceat. videatur Turneb. & Muret. ad Catullum. Isidorus l. 18. *Quadrigas dant Soli, bigas Lunæ, trigas Inferis, sejuges Jovi, desultores Lucifero & Hespero, qui idem est, tantum mutatis equis.* Taubm.

722. *Cælo facies delabsa parentis.*] Aut secundum quod supra diximus, quia animæ cœlum tenent, simulacra vero apud inferos sunt. aut certe intelligamus, à Jove missam potestatem aliquam, quæ se in Anchisæ converteret vultum, ut religiosus videretur. Nam & dicit, *Imperio Jovis huc venio:* & infert, *Elysiumque colo.* Servius.

723. *Talis effundere voces.*] Antiqua aliquot exemplaria duas transponunt dictiones, *voces effundere talis.* quod non ita placet. Ita quod paulo inferius est, *depulit & cælo tandem.* quod est *depulit & tandem cælo.* Pierius.

724. *Vita Care magis.*] Vitam enim dulcem appellat Pind. Od. 2. Pyth. γλυκὺν βίοτον *Cerda.*

Care magis.] Pro *charior.* Bene autem addidit, *Dum vita manebat.* Ut ostendat vita fuisse chariorem. *Servius.*

Exercite.] Plinius lib. 7. cap. 8. *exercito ævo inter arma mortesque.* Cerda.

725. *Imperio Jovis.*] Ab auctoritate: ut, *Ipse deûm tibi me claro demittit Olympo Regnator.* Servius.

Imperio Jovis.] Adnecte huc eruditionem Lilii 2. Syntag. de Jove Imperatore, quem Græci οὔρειον nominant. *Cerda.*

728. *Nautes Dat senior.*] Ut solet, iisdem usus est sermonibus. Nam ait, *Cum senior Nautes.* Servius.

730. *Gens dura.*] Unde & 9. Æn.

—— *natos ad flumina primum*
Deferimus, sævoque gelu duramus & æstu.

Intelligit autem Rutulos, Aborigines, & Tyrrhenos. (simile quid de *Rheno*, vide in Comment. Taciti Lipsiani.) *Taubmannus.*

Atque aspera cultu.] Quod in nono latius exequitur, *Natos ad flumina primum Deferimus,* usque, *At patiens operum.* Servius.

Aspera cultu.] De prima hac vi, quæ facta Æneæ advenienti in Italiam, ita Livius lib. 1. *Egressi Trojani, cum prædas ex agris agerent, Latinus rex, Aborigenesque, qui tum ea loca tenebant, ad arcendam vim advenarum, armati ex urbe atque agris concurrunt.* Vide, ut in hoc primo tumultu agrestes designet. *Cerda.*

731. *Debellanda tibi.*] Bello perdomanda, & bene victoriam, non bella prædicit, in quibus esse poterat terror. *Servius.*

Debellanda.] Id est, bello domanda, ut noster l. 6. Æn. ℣f. 855.

Parcere subjectis & debellare superbos. pro *pugnare* simpliciter Horat. l. 1. od. 18. *rixa super mero debellata.* Emmeness.

732. *Aver-*

Infernas accede domos, & Averna per alta
Congressus pete, nate, meos. non me inpia namque
Tartara habent, tristes umbræ, sed amœna piorum
Concilia Elysiumque colo. huc casta Sibylla

Nigra-

732. *Averna per alta.*] Ut *Gargarus Gargara*: & *Tartarus Tartara*: *Mænalus Mænala* pluraliter, ita *Avernus Averna*. Servius.

733. *Congressus.*] In Mediceo, & antiquis plerisque codicibus, *amplexus* habetur pro *congressus*, ut alibi, *Ire ad complexum cari genitoris*. Pierius.

Non me inpia namque.] Propter facilitatem. *Servius.*

734. *Tristes umbræ.*] Veteres aliquot codices disjunctive legunt, *tristesve umbræ*. Romanus, Mediceus, atque nonnulli alii, *tristes umbræ* appositive, absque ulla conjunctione. Verum hoc parvi omnino momenti in medio relinquatur. Cum alii etiam probent *tristesque*. Pierius.

Amœna.] *Amœna* sunt loca solius voluptatis plena: quasi *amunia*, unde nullus fructus exsolvitur: unde etiam nihil præstantes, *immunes* vocamus. *Servius.*

Amœna.] Pro eo l. 6. Æn. ℣s. 744.
—— *Pauci læta arva tenemus.*
de tribus locis, quibus defunctorum animæ post mortem continentur, agit Gutherius de Jur. Man. l. 2. c. 38. qui campos Elysios destinatos piis, infernum noxiorum sedes esse, & Tartara ab impiis habitari docet. *Emmeness.*

Piorum Concilia Elysiumque colo.] *Elysium* est ubi piorum animæ habitant post corporis animæque discretionem. Unde & *interitus* dicitur res inter animam & corpus veniens. Ergo *Elysium*, ἀπὸ τῆς λύσεως ab absolutione. Quod secundum poëtas in medio inferorum est suis felicitatibus plenum: ut, *Solemque suum, sua sidera norunt.* Secundum Philosophos *Elysium* est insulæ fortunatæ: quas ait Salustius inclytas esse Homeri carminibus: quarum descriptionem Pius commentator dicit esse sublatam: secundum Theologos circa lunarem circulum, ubi jam aër purior est. Unde ait ipse Virgilius, *Aëris in campis.* Lucanus, *Non illuc auro positi, nec thure sepulti Perveniunt.* Servius.

735. *Colo. huc.*] Nonnulli dant hoc aspirationi, quod *colo, huc* absque synaloepha positum sit. Vim enim consonantis eam habere volunt. Superius tamen nulla fuit adspiratio, quum scriberet Virgilius, *Quid struit, aut qua spe inimica in gente moratur.* & ita sæpe alibi. Dicendum itaque hæc ad Homeri, & Græcorum aliorum imitationem à Virgilio sæpe posita. Nam eam vocalium incolumitatem, altera subsequente, Latini Critici vix indulgent. *Pierius.*

Colo. huc.] De hoc hiatu Scal. l. 4. c. 48. Poët. Vide & Not. 1. Æn. ℣s. 20. *Taubmannus.*

Casta Sibylla.] Ex doctrina gentilium, quibus castæ erant, & viro intactæ foeminæ illæ, quæ reddebant oracula. Inde supra Sibylla dicta est *virgo*, sicut Lucano, & aliis. Plutarchus de defectu oraculorum, etiamsi irridens, de Pythia, ἁγνὴν διὰ βίου, καὶ καθαρεύουσαν: *castam per vitam omnem, mundamque.* Herodot. l. 1. de duabus fœminis, quæ templorum antistitæ, ita: ἀμφότεραι δὲ αὗται λέγονται ἀνδρῶν οὐδαμῶς ἐς ὁμιλίην φοιτᾶν: *putatur utraque non habere consuetudinem cum hominibus.* Mox subjicit quæpiam alia in hanc sententiam. Scholiastes Aristophanis in Plut. etiam scribit, fœminam, quæ daret oraculum ex tripode, virginem fuisse ex vetere instituto. Græca hæc sunt: θεσπιῳδεῖν δὲ τὸ ἀρχαῖον παρθένον λέγεται διὰ τὸ ἁγνός. Deinde narrat historiam Echecratis Thessali, qui Phœbadem rapuit violavitque, elegantem & formosam, unde

lege

Nigrarum multo pecudum te ſanguine ducet.
Tum genus omne tuum, &, quæ dentur mœnia, diſces.
Jamque vale. torquet medios nox humida curſus:
Et me ſævus equis Oriens adflavit anhelis.
Dixerat, & tenuis fugit, ceu fumus, in auras.

Æneas,

ege ſancitum eſt, ut Phœbades deinde uinquagenariæ eſſent. Hæc virtus tan i fuit apud Ethnicos, ut Veſtalem vir inem apud Romanos, ſi quando in ublicum exiret, lictor præcederet, non ninus atque alios magiſtratus. Docet oc Sen. Rhet. controverſ. de Sacerdo e Veſtali proſtituta: *Procedente hac li lor ſummovere jubebitur? huic Prætor ia cedet? ſummum imperium Conſules edent tibi?* iterum: *Non ſine cauſa ſa erdoti Lictor apparet.* Hoc etiam ſcribit Dio l. 47. & adducit rationem, quia uædam, ignorata quæ eſſet, vim paſſa ſt. *Cerda.*

736. *Nigrarum pecudum ſanguine.*] *Averno*, inquit Feſtus, *immolabant urnum bovem, id eſt, nigrum.* ἀδῃ κελαι- ὰ θύματα convenire teſtatur Lycophr. Caſſandr. & noſter l. 6. Æn. ỳſ. 243.

Quatuor, hic primum nigrantes terga
juvencos
Conſtituit.

ic & l. 6. Æn. ỳſ. 249.

—— ipſe atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magnæque
ſorori
Enſe ferit.

Vide quæ dicta l. 4. G. ỳſ. 545.

Nigram mactabis ovem.

Emmeneſſ.

737. *Tum genus omne tuum, &, quæ lentur mœnia, diſces.*] Hæ ſunt cauſæ ropter quas Æneas deſcendit ad infe os: generis agnitio, & civitatis no nen: quod ei nullus unquam prædixe at: ſed ſolus pater indicat. Latet nim, ut ſupra diximus, verum urbis omen, unde ei pater quaſi pro myſte io & adfectione ait, *illa inclita Roma.* Et nomen quidem Romæ à poëta di tum eſt, nam verum urbis nomen, ut ictum eſt, latet. *Servius.*

738. *Torquet medios nox humida curſus: Et me ſævus.*] Dies eſt plenus, qui habet viginti quatuor horas. Nam & nox pars diei eſt. Dicimus autem diem à parte meliore. Unde & in uſu eſt, ut ſine commemoratione noctis, numerum dicamus dierum. Hic autem dies ſecundum Ægyptios inchoat ab occaſu Solis: ſecundum Perſas ab ortu Solis: ſecundum Etruſcos & Athenienſes à ſexta hora diei: ſecundum Romanos à media nocte: & hos nunc ſecutus ait, *Medios curſus nox humida torquet, &c.* Hæc autem plene exſequuntur, & Cicero in auguralibus, & Aulus Gellius in libris noctium Atticarum. hoc etiam illa res juris indicat, quod cum tribunum plebis abnoctare ab urbe non liceret, licebat tamen exire poſt noctem mediam, & ante mediam reverti. *Idem.*

739. *Sævus oriens.*] Solem dicit, cujus lux eſt umbris inimica. Unde Lucanus, *Et medio ferit axe diem.* Eſt autem phyſicum. Nam pereunt umbræ Solis adventu. *Idem.*

Sævus oriens.] Violentus Sol, cujus lux eſt umbris inimica. Vide & Turn. l. 14, 4. Innuit autem Poëta, Romanos, ut nos hodieque, diem à media nocte inchoaſſe. Videatur Agell. lib. 3. cap. 2. *Taubmannus.*

Sævus oriens, &c.] Macrobius l. 1. Saturn. c. 3. deſcribi hic à Marone vult diem civilem, qui à ſexta hora noctis oritur. *Emmeneſſ.*

740. *Ceu fumus.*] Homer. 23. Il.

Ψυχὴ δ' κατὰ χθονὸς ἠΰτε καπνὸς
Ὤχετο:
Anima ſub terram tanquam fumus abiit.

Cerda.

In auras.] Ita de Creuſa in 2.

—— tenueſque receſſit in auras.

& de

Æneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit.
Quem fugis? aut quis te nostris conplexibus arcet?
Hæc memorans cinerem & sopitos suscitat ignis;
Pergameumque Larem & canæ penetralia Vestæ
Farre pio & plena supplex veneratur acerra.

Extem-

& de Anchise ipso in 6.

—— effugit imago
Par levibus ventis.

Cerda.

741. *Æneas, Quo deinde ruis.*] Ordo est: Æneas deinde, quo ruis? *Serv.*

742. *Quem fugis.*] Quasi ignorans rationem, qua fugeret. *Idem.*

Quem fugis.] In codicibus aliquot manu scriptis, *quid* legitur. Sed *quem* legere multo melius, ob emphasin & pathos. *Pierius.*

Quis te nost. ampl.] Adumbratur Homer lib. 11. Odyss.

Μῆτερ ἐμὴ, τί νύ μ' ἐμίμνεις ἑλέειν
μεμαῶτα;
Mater mea, cur me non exspectas amplecti cupidum?

Cerda.

743. *Sopitos suscitat ignes.*] Elegantissime. quasi ignis cineribus coopertus dormiat. Ita in Petronio leguntur *sopiti titiones*, contrarii scil. *ardentibus* & *vigilantibus*. Ejusmodi ignem Auson. *inauspicuum* nominat, auctore Grutero meo. *Taubm.*

744. *Canæ.*] Aut antiquæ, aut propter ignis favillas. *Servius.*

Canæ penetralia Vestæ.] Hoc epitheto Maro Vestam & fidem prosequutus est, tum propter vellus album, quo brachia ad digitos pene sacrifici utriusque sexus rite involvebant, tum quod Vestæ sacræ virgines albo, à primo, purissimo, sincerissimoque colore, amictu uterentur: unde & Propert. lib. 4. *Vel cui commissos cum Vesta reposceret ignes, Exhibuit vivos carbasus alba focos.* Alii epitheton ad canitiem & annos referunt, probitatem & integritatem prisci sæculi respicientes. *Germ.*

745. *Farre pio.*] Vel quia exinde sacrificabant: vel quia mos fuit apud majores, ut divinum ignem farre servarent: qui si durasset in alterum diem, eum aptum agendis rebus significabant. *Far* autem frumenti certa species est, sicut adoreum. Horatius, *Non sumptuosa blandior hostia, Mollibit aversos Penates Farre pio & saliente mica*: Et Tibullus, *Farre pio placant & saliente sale.* Servius.

Farre.] Hoc veteres rem sacram fecisse frequens est. Ovid. 1. Fast.

Imponit libum farraque mista sale.

Præsertim laribus, quod & hic attingit Poëta Juven. Sat. 9.

O parvi nostrique lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui soleo exornare corona.

Cerda.

Pio.] Pii farris, quod ad sacrificia pertinuit, sparsa est apud multos mentio. Arnob. l. 2. *ut pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum solemnia munia.* Hor. od. 23. l. 3.

Mollibit aversos Penates
Farre pio, & saliente mica.

Tibull. eleg. 4. lib. 3.

Et vanum metuens hominum genus, omina noctis
Farre pio placant, & saliente sale.

Idem.

Acerra.] Festi verba trado: *acerra ara est*, inquit, *quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur, alii dicunt arculam esse turariam, scilicet ubi tus reponebant.* In posteriori notatione hoc loco, ut etiam apud Ovid. l. 4. Fastor. ℣s. 934. *cumque meri patera turis acerra fuit.* Pers. Sat. 2. ℣s.

At bona pars procerum tacita libabit acerra.

Depictam tibi exhibet Choulius p. 300. *Emmeness.*

746. *Pri-*

Extemplo socios primumque arcessit Acesten,
Et Jovis imperium & cari præcepta parentis
Edocet, & quæ nunc animo sententia constet.
Haud mora consiliis, nec jussa recusat Acestes.
Transscribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnæ laudis egentes.
Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt
Robora: navigiis aptant remosque rudentisque
Exigui numero, sed bello vivida virtus.

Interea

746. *Primum.*] Principem. *Servius.* *Primumque arcessit.*] In antiquis ...risque codicibus, *arcessit:* de quo ...bi latius dictum. in non nullis *ac-...sit.* Pierius.

749. *Haud mora.*] Hoc est quod ait, *... conjunge volentem.* Servius.

Nec jussa.] Voluntatem, ut supra, *...fandum regina jubes renovare dolorem.* ...ut certe quæ Juppiter jusserat. *Idem.*

750. *Transscribunt.*] Romani moris ...bum est. Transscripti enim in colo...as deducebantur. *Idem.*

Urbi.] Ad urbem. *Idem.*

Transscribunt urbi matres.] Ad ur...m nominatim vel scriptis nominibus ...signant, & à reliquo cœtu sejungunt. ...est Romani moris verbum. *Trans...pti* enim in colonias deducebantur. ...7. Æn.

— *Dardaniis transscribi sceptra colonis.* ...il. l. 4. c. 16. Etiam Græci ita usur...nt μεταγράφεσθαι, & ἀπογράφεσθαι. *...ubmannus.*

Transscribunt.] Sic Ovid. l. 7. ℣ſ. 173. *...osse tuæ videar spatium transscribere vitæ.* Emm.

751. *Deponunt.*] Quasi de navibus. ...it Æneas deponit eos, qui nulla glo... cupiditate tangebantur. aut hi qui ...nt transscripti, id est, matres & vo...tium multitudo deponunt animos, ...st, submittunt inertiæ. *Servius.*

Deponunt.] Quasi onera de navibus ...onunt: & quasi iis naves exonera...ntur. Turn. l. 14. c. 4. Quidam post *volentem*, distinguunt: ut sit, *Deponunt animos*, id est, submittunt se inertiæ. Quæ lectio & sententia nec Servio rejecta, immo Nascimbænio castior visa est. *Taubm.*

Laudis egentes.] *Non egens laudis* est, qui laborat inopia gloriæ, qui gloriæ non est appetens, utique inglorius, & ἀκλεής. Constructio ex nota Germani Græca est: nam Hom. 13. Il. λώβης καὶ αἴσχεος οὐκ ἐπιδευεῖς *contumeliæ & injuriæ non egentes.* & 19. δίκης ἐπιδευὲς *justitiæ indigens.* Sed hæreo: nam fortassis Latina est: huic enim verbo accusativum dabant veteres. Censorinus apud Agel. *Multa egeo.* Varro l. 4. de Ling. Latina, *Dives à Divo, quia ut Deus, nihil indiget.* & lib. 1. *Quod indigent potum, poma dicta.* Sic ergo Virg. *egentes nil laudis.* Cæterum cum sententia Virgilii annexa Horatii. Ut enim in Nostro imbelles in urbem deponuntur, fortes assumuntur ad laborem, ita Horat. od. 16. Epod. *mollis, & exspes*
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca præter & volate litora. Cerd.

752. *Ambesa.*] In antiquis aliquot codicibus, *ambessa* geminato *ss* scriptum est. ut olim *Aussus, Fussus, Odiossus, Imperiossus,* & similia, quæ Victorinus *ss* geminato scribi solita testatur. Nos autem usum sequamur. *Pierius.*

753. *Robora: navigiis.*] Melius hic distinguitur. *Servius.*

754. *Exigui numero sed bello vivida virtus.*] Transiit ad rem à numero. *Id.*

755. *Ur-*

Interea Æneas urbem designat aratro,
Sortiturque domos: hoc Ilium, & hæc loca Trojæ
Esse jubet. gaudet regno Trojanus Acestes,
Indicitque forum, & patribus dat jura vocatis.
Tum vicina astris Erycino in vertice sedes

Fun

755. *Urbem designat aratro.*] Quem Cato in Originibus dicit morem fuisse. Condituri enim civitates, taurum in dextra, vaccam in sinistra jungebant: & cincti ritu Sabino, id est, togæ parte caput velati, parte succincti tenebant stivam obliquam, ut glebæ omnes intrinsecus caderent. Et ita, sulco ducto, loca designabant murorum, aratrum suspendentes circa loca portarum. Unde & *territorium* dictum est quasi tritorium, tritum bubus & aratro. *Serv.*

Urbem designat aratro.] Alexander lib. 6. cap. 14. Cælius lib. 26. cap. 5. *Hartung.*

756. *Sortiturque domos*] Id est, spacia domorum ædificandarum sorte partitur & distribuit. Ubi æquitas Æneæ notanda est. Sorte enim quod cuique obtigit, levatur invidia Principis animus. Vide Not. 1. Æn. ℣s.451. *Taubm.*

Hoc Ilium, & hæc loca Trojæ.] In antiquis aliquot codicibus, *hoc Ilium, hæc loca* absque *&*. In aliquot aliis, *Ilion*: ut per se versus stet absque figura. In plerisque vero antiquioribus, *hæc loca Trojam esse jubet*, quod eruditis auribus mirifice satisfacere videtur. Quod vero dicebamus esse codices antiquos, in quibus *Ilium hæc loca* absque synaloepha scriptum sit, laudat Probus vigilantiam Virgilianam, quod ubique fecerit *m* finalem à vocali excipi, aut ab aspiratione, ut esset synaloephæ locus, quod non observarit Ennius, quum scripsit, *Millia militum octo.* Quare ex Probi sententia, si Latine *Ilium* scripserimus, *&* subjiciendum erit. Si vero *Ilion*, ut Ovidius, *Ilion & Tenedos*, nulla opus erit copulativa. *Pierius.*

Hoc Ilium.] Dat locis Trojana nomina: ut transscripti desiderium patriæ facilius tolerent. *Taubm.*

757. *Regno Trojanus Acestes.*] Su nomine enim ejus fuerat civitas appe lata. *Servius.*

758. *Indicitque forum.*] Id est, tem pus & locum distinguendorum nego tiorum definit, qui conventus vocatu *Indicit* autem verbum juris est, & pe hoc potentem vult significare civitaten *Idem.*

Indicitque forum.] Sic *indicere Sena tum* princeps Senatus, cum habere vel let, solebat, apud Ciceronem, & cla sicos. *Germanus.*

Et patribus dat jura vocatis.] D condendi juris potestatem his quos ap pellaverat patres: aut certe vocatis p tribus jura distribuit: Hi autem, ut S lustius dicit, *Vel ætate vel curæ similit dine patres appellati sunt. Senatores* au tem alii à senecta ætate: alii à sinend dictos accipiunt. Ipsi agendi facult tem dabant per senatusconsultum. *Ser*

Patribus dat jura vocatis.] Hoc a Æneam refertur, ad quem redit po expletam Acestæ benevolentiam. *Do*

759. *Tum.*] Scribendum est omn no *tum* ex codicibus antiquis, & sen tentiæ continuatione, non *tunc*, quo aliqui agnoscere videntur. *Pierius.*

Erycino in vertice.] Eryx mons Sic liæ supra Drepanum, ubi fuit templu Veneris Erycinæ. *Servius.*

Tum vicina astris, &c.] Æneas p sua pietate templum sublime & sider bus quasi proximum, constituit ma Veneri: patrique insuper, ut divo te restri, sacra & sacerdotem ordinat nc sine luco, cujusmodi aris & templis e tra urbes amœnitatis caussa adjungi s lebant. Alludit autem hic ad templu Julium Romæ, quod & Flaminem h buit & lucum. *Taubmannus.*

Erycino in vertice sedes fundatur V ner

Fundatur Veneri Idaliæ, tumuloque ſacerdos
Ac lucus late ſacer additur Anchiſæo.
Jamque dies epulata novem gens omnis, & aris
Factus honos; placidi ſtraverunt æquora venti:
Creber & adſpirans rurſus vocat auſter in altum.

Exori-

...i.] Eryx mons Siciliæ, qui propter c Veneris templum nobiliſſimus, de quo Mela l. 2. c. 17. præcipui mon- ...m Eryx & Ætna. *Eryx maxime me- ...ratus, ob delubrum Veneris ab Ænea ...ditum.* Plura de monte & templo ...uver. antiq. Sic. l. 2. c. 1. ejus altitu- ...nem deſcribit Polyb. l. 1. hiſt. c. 55. ὁ δ' Ἔρυξ ἐστὶ μὲν ὄρος παρὰ θάλατταν Σικελίας, ἐν τῇ παρὰ τὴν Ἰταλίαν ...υθύνῃ πλευρᾷ μεταξὺ Δρεπάνων καὶ ...ανορμου· μᾶλλον δ' ὀχυρὸν καὶ συνάπτον πρὸς τὰ Δρέπανα· μεγέθει δὲ παρὰ πολὺ διαφέρον τῶν κατὰ τὴν Σικελίαν ὀρῶν πλὴν τῆς Αἴτνης. Inde Ovid. l. 4. verſ. 478.

Quaque patet Zephyro ſemper apertus Eryx.

& Sil. Ital. l. 14. *altus Eryx.* hoc templum vetuſtate collapſum refici curavit Claudius, teſte Suetonio in Claud. c. 25. nummo deſcriptum tradit ad hunc locum eruditus Torrentius, quem ſubjicere placuit. *Emmeneſſ.*





760. *Idaliæ.*] Cypriæ. *Servius.*

Sacerdos.] Alii ad tumulum, alii ver- ordine ad templum referunt: ut lu- s tantum tumulo detur Anchiſæ: ut Bucolicis, *Inducite fontibus umbras ...ſtores.* Nemora enim aptabant ſepul- ris. *Idem.*

Tumuloque ſacerdos ac lucus.] Anti- i aliquot codices, *ac lucus* legunt. Sed ...d *que* atque *&*, ut apud Græcos τε, καὶ, ...equentiſſimum eſt apud Auctores bo- ...s, utraque vero lectio non invenuſta. ...erius.

761. *Anchiſæo.*] Pro, *Anchiſeio.* ...n. 4. *Cinis Sichæus,* pro *Sichæius.* Ovid. ... Met. *Orpheum* ſepulcrum, pro *Or- ...eium.* Fabric.

762. *Epulata.*] Vox ſignata, nam de re ſacra, & epulæ ad ſacra pertinuerunt. Sueton. in Jul. cap. 26. *Munus populo, epulumq; pronuntiavit in filiæ memoriam.* Feſt. *Epolonos dicebant antiqui, quos nunc epulones dicimus. Datum autem eſt his nomen, quod epulas indicendi Jovi certiſque Diis, poteſtatem haberent.* in Livio etiam *Jovis epulum* legas. *Cerda.*

763. *Placidi ſtrav. æqu. venti.*] Sic & Epig. lib. 3. ἤδη εἰ μοι γλώσσα καταστορέσαι γαλήνη κύματα, καὶ μαλακὴν φρίκα φέρει ζέφυρος. Sic ſupra Bucol. *Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor.* Germanus.

764. *Creber & adſpirans auſter.*] Sic Cæſ. lib. 3. Bel. civ. *Auſter increbruit, noſtriſque præſidio fuit.* Idem.

Exoritur procurva ingens per litora fletus:
Conplexi inter se noctemque diemque morantur.
Ipsæ jam matres, ipsi, quibus aspera quondam
Visa maris facies & non tolerabile nomen,
Ire volunt, omnemque fugæ perferre laborem.
Quos bonus Æneas dictis solatur amicis,
Et consanguineo lacrimans commendat Acestæ.
Tris Eryci vitulos & Tempestatibus agnam
Cædere deinde jubet, solvique ex ordine funem.
Ipse, caput tonsæ foliis evinctus olivæ,

Stans

765. *Procurva litora.*] G. 2. *procurvam falcem* dixit. *Taubm.*

768. *Visa maris facies.*] Ut alibi, *Mene salis placidi vultum.* Vult autem istos aspectum quoque maris horrere. *Servius.*

Maris facies.] Verf.848. *vultum salis.* Hanc autem inconstantiam fæmininam notat Scal. l. 3. c. 12. *Taubm.*

Tolerabile nomen.] In Romano codice, *cœlum*, non *numen* habetur. Superius enim ferre se tamdiu freta tot, & inhospita saxa, sideraque lamentabantur. positum vero *cœlum* pro Cœli tempestatibus. Sed enim plerique alii codices manu scripti, *numen* legunt. Quæ lectio nequaquam expungenda est. non rejicienda tamen illa lectio, quæ eruditis probatur, *tolerabile nomen.* Pierius.

769. *Fugæ.*] Profectionis. *Servius.*

772. *Eryci & tempestatibus.*] Bene junxit. Procellæ enim aut de fluminibus, aut de montibus fiunt, quas περιπνοίας dicunt, vulgo *peripenas* appellant. *Idem.*

Tempestatibus agnam.] Supra, *Nigram hiemi pecudem.* Docet autem Turnebus id dici à Poëta, quod ex Cicer. l. 3. de Nat. Deor. *Tempestates* populi Romani ritibus consecratæ erant, Tempestatique, ut Deæ minori, minor hostia immolabatur, ut fœminæ fœmina: unde Horatius, *Libidinosus immolabitur caper, Atque agna tempestatibus.* Germ.

Tempestatibus agnam.] Huic Deæ minori ædes posita à Marco Marcello extra portam Capenam in via Appia, de qua Donatus de U. Roma l. 3. c. 13. cum Sardiniam petens, periculo maris ereptus esset. Hinc Ovid. l. 6. Fast. ✓f. 191

Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur,
Cum pæne est Corsis obruta classis aquis

Vide Cicer. de Nat. Deor. lib. 3. c. 20 legendus etiam Thomasinus de Donar c. 25. *Emmeness.*

773. *Solvique ex ordine funem.*] Ordo est, jubet cædere ex ordine, id est, rite peragi sacrificium: & sic solvi funem ut in septimo, *Phrygiamque ex ordine matrem Invocat.* id est, rite. Vel.... quo naves ad terram ligantur. *Servius*

Funem.] In antiquis codicibus, quot quot vidi, *funem* unitatis numero legitur figurate. Sunt tamen, qui pluralem habent *funes.* Pierius.

Funem.] Sic legendum monet Saubertus c. 19. de Sacrif. qui plures hostias continuo fune, atque eodem conligatas ad sacrificia commeasse docet. Hoc Maronis loco literatorum lis deciditur, quorum non nulli ligatas victimas fuisse, quando immolarentur, cum soluta fuerint ante confectionem. *Emmeness.*

774. *Tonsæ olivæ.*] Comptæ minutis frondibus. *Servius.*

Tonsæ olivæ.] Comptæ minutis frondibus. V. N. G. ✓f. 21. *Taubm.*

775. Pro

Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens à puppi ventus euntis.
Certatim socii feriunt mare, & æquora verrunt.
At Venus interea Neptunum exercita curis
Adloquitur, talisque effundit pectore questus:
Junonis gravis ira nec exsaturabile pectus
Cogunt

775. *Procul in prora.*] In parte exema. *Servius.*

Stans procul in prora.] Varia admoım hujus hemistichii lectio est, in cocibus antiquis. Aliquot enim legunt *proram:* quod minime placet, quod ibi *Stare* cum Ablativo, & *in* præpo:ione positum habetur *in prora.* In ongobardico exemplari, *trans procul* usitata admodum lectione. *Stare* ve non nescimus adorantium esse, tam Poëtarum, Historicorumque testioniis, quam ex Cynocephalo stante, Sacris Ægyptiorum literis. Est & ia lectio in antiquo admodum codi:, *stans celsa in puppi.* sed illud alia raone dictum est. Hoc loco Deos maris locuturum, verisimile est in proram ocessisse, quæ jam mare prospectabat, nc illud statim subjectum, *Prosequir surgens à puppi ventus euntis.* Pier.

776. *Porricit.*] Legendum quidem rricit ex Macrobii sententia, contra mnium pene veterum codicum fidem, quibus passim *proicit.* Idem.

Exta porricit in fluctus.] De verbo *rricio* dixi jam in hoc libro. Cæterum luturus Æneas hoc facit sacrum. sic pud Flaccum. lib. 3. Mopsus:

—— *lustramina ponto*
Pone jacit. & post pauca:
Continuo puppem petere, & considere transtris
Imperat Amphicydes.

Apud Silium Scipio lib. 16.

Ipse alacer Sicula discedens Scipio terra
Abscondit latè propulsis puppibus æquor,
Cui numen pelagi placaverat hostia taurus,
Jactaque cæruleis innabant fluctibus exta. Cerda.

Porricit.] V. N. vs. 238. De fundendi autem meri consuetudine, videatur Muretus l. 14. c. 2. *Taubm.*

777. *Surgens à puppi.*] Signat οὐρίαν, καὶ οὖρον ἄνεμον: *ventum secundum.* nam is est, qui à puppi ferit. Signatissime Cicero pro Pompejo, *venti obsecundarint.* Cerda.

778. *Feriunt mare.*] Homerus 4. Odyss.

—— πολιὴν ἅλα τύπτον ἐρετμοῖς:
—— *Canum mare remis verberabant.*

ut hic *verrunt*, ita Ennius 14. Annal.

Verrunt extemplo placide mare marmore flavo. Idem.

780. *Adloquitur talisque.*] In antiquis, *adloquitur talisque*, ut in veterum imperatorum nummis, *adlocutio* per *d* ante *l* notatum. *Pierius.*

Effundit pectore.] Voces. Hoc est cum dolore: ut ait, *Funditque preces rex pectore ab imo.* Servius.

Effundit pectore questus.] Institit Ennio qui 6. Annal. *effudit voces pectore.* Et Catul. in Nup. Pelei:

Clarificas imo fudisse è pectore voces.

Ad quorum imitationem Pedo Albinovanus in navigatione Germanici:

Obstructo tales effudit pectore voces.

Optimo judicio Virg. *voces* Ennii, & Catulli mutavit in *questus.* Cerda.

781. *Junonis gravis.*] Magnum artificium: nam in ipso principio & suam personam commendat, & adversariæ deturpat. & incipit à nomine, & addit, *gravis ira.* & exaggerat, quod pectus ejus dicat insaturabile. Quam autem crudelis in Trojanos sit, ipsius Neptuni testimonio probat. *Donatus.*

Ira nec exsaturabile.] In quibusdam

Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnis:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla;
Nec Jovis imperio, fatisve infracta quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Urbem odiis satis est, nec pœnam traxe per omnem
Relliquias: Trojæ cineres atque ossa peremtæ
Inse-

ira & inexsaturabile. In Romano codice, in Mediceo, & plerisque aliis antiquis ita legitur, & scribitur, *ira nec exsaturabile.* In Longobardico, & aliquot aliis, *neque exsaturabile.* quamvis in Longobardico tantum *s* positum non sit juxta litteram *x*. Harum lectionum, quam quis selegerit, non laboro. *Pierius.*

782. *Preces descendere in omnis.*] Si quid invidiæ est in humillimis precibus, imputandum non est per omnia Junoni. Nam *omnis* dicendo, etiam humiles significat: unde ait etiam *descendere.* Servius.

Prec. desc. in omn.] Plutarch. in Pericl. *δεῖσθαι πᾶσαν δέησιν*, *omnes preces adhibere.* Germ.

783. *Quam nec longa dies.*] Longum tempus: de quo licet melius fœminino genere dicamus, tamen & masculino dicimus. Nam de certo die, masculino tantum utendum est. Ut *natalis meus dies est.* Servius.

Pietas nec mitigat.] Aut Trojanorum, quia pii sunt: aut certe propter illud, *Junonis Argivæ jussos adolemus honores:* quasi quæ nec sacrificiis placaretur. *Idem.*

784. *Fatisve.*] In codicibus antiquis, *fatisque* legere est. Rem enim magis exaggerat utrunque conjungendo. *Pierius.*

Infracta.] Valde fracta: ut, *Turnus ut infractos adverso Marte Latinos.* Servius.

Fatisve infracta quiescit.] Vide lib. 9. *Torpent infractæ ad prælia vires.* Germ.

Infracta.] Id est, fracta, sive evicta. Nam ita *infractum* exponunt Servius, Scal. l. 4. c. 16. N. Faber JC. ad Senec. Controvers. lib. 6. Nec aliter quam affirmative ab ipso etiam Cic. usurpari, vere docet Pontanus. Videatur & Index Eythræi. Ita dicitur: *incurvum aratrum*, *incana menta.* Ita observarunt in Jure legi, *casus indifficilis*, id est, valde difficilis. V. N. Æn. 12. *Taubm.*

Infracta.] Sic Horat. Epod. l. od. 11. *lumbos & infregi latus.* ad quem locum consulueris Torrentium. *Emm.*

785. *Media de gente.*] Id est, totius gentis potentem. *Servius.*

Exedisse.] Muliebriter dictum. Nam inde est quod sequitur. *Idem.*

Exedisse.] Atrox metaphora. & muliebriter dictum: inde sequitur,

— *cineres atque ossa perempta*,

valde miserabiliter: cum cæteri hoste post mortem non sæviant in cineres & ossa. Est enim hoc loco crudelitatis amplificatio gradatim ad summum tendens. *Taubm.*

786. *Nec pœnam traxe.*] Qui *traxisse* amant, summovent *nec.* In antiquis tamen codicibus omnibus, vel ante vel post *Pœnam* id adpositum observavi. *Traxisse* vero per syncopam in bisyllabam dictionem contractum. Id vero apud alios *trasse* geminato *ss.* apud alios, *traxe* per *x* scriptum inveni, ut in Romano codice, & aliquot aliis. Multa tamen exemplaria, versum ex legem ostendunt, *nec pœnam traxisse.* Sed inemendate judicio meo. Est & ea lectio non contemnenda, quæ habetur in Mediceo, & aliquot aliis codicibus, *Urbem odiis satis est Pœnam Traxisse per omnem, κατὰ διάλειπον.* ne vero superne notatum est à Paraphraste. *Pierius.*

787. *Cineres atque ossa peremtæ.*

San-

Insequitur. caussas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis,
Quam molem subito excierit. maria omnia cælo
Miscuit, Æoliis nequicquam freta procellis;
In regnis hoc ausa tuis.
Per scelus ecce etiam Trojanis matribus actis
Exussit fœde puppis; & classe subegit
Amissa socios ignotæ linquere terræ.
Quod superest; oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi: liceat Laurentem adtingere Thybrim:
Si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ.

Tum

ıne *edo* habet & rectam, sed antiquam eclinationem, ut *edo*, *edis*, *edit*: & iomalam, ut *edo*, *es*, *est*. Quarum cunda & tertia personæ longæ sunt, opter differentiam, *Sum*, *es*, *est*. *dit* autem in præterito producit *e*, *edi*, *isti*, *edit*: ut *legit*. Servius.

788. *Caussas tanti sciat illa furoris.*] ene supprimit. Contra ipsam enim nt, quæ Juno in decimo exsequitur, *e duce Dardanius Spartam expugnavit lulter.* Idem.

Caussas.] Harum aliquas Juno ipsa tingit I. & 10. Æn. Sed ait Venus se escire, non quia ignoret, sed quia ijustæ illæ. Verba Virgilii affinia sunt tis Callimachi de eadem Junone, Σὺ δ᾽ ἄνασσα τ᾽ αἴτιον εἴσεαι ὀργῆς: *Scis ipsa ô Regina causam irarum.* erda.

790. *Quam molem.*] Ut, *Tantas au-etis tollere moles.* Servius.

Quam molem subito excierit.] Operæ ecium est videre codicum varietates ı hujus hemistichii numero disponen-o. Nam Romanus codex cum vulgatis onvenit. Oblongus, *Quam subito mo-m excierit.* Aliquot alii, *Quam molem ccierit subito*, legunt: ut si plures essent ictiones, tot putarim numeri futuras ıutationes. *Pierius.*

Molem.] Ut hic *molem tempestatis*, ita ivius, *molem pugnæ* lib. 26. *Cerda.*

Maria omnia cœlo Miscuit.] De hac, & similibus formis adagialibus, lege Erasm. Ch. I. Cent. 3. *Idem.*

791. *Nequicquam.*] Aut sine caussa, id est, nulla extante ratione: aut *Nequicquam*, quantum ad ejus pertinet mentem. Unam enim navem vertit ex omnibus. Unde ait Juno, *Quæ potui infœlix, quæ memet in omnia verti, Vincor ab Ænea.* Servius.

792. *In regnis hoc ausa tuis.*] Ut alibi, *Non illi imperium pelagi, sævumque tridentem.* Idem.

793. *Per scelus.*] Antiqua pleraque exemplaria cum Mediceo & Porcio legunt, *per scelus:* ut invidiosam magis Junonem reddat, pro *Prô scelus.* Pier.

Actis.] Furore compulsis: ut, *Reginam Alecto stimulis agit undiq; Bacchi.* S.

795. *Ignotæ.*] Ignobili. IV. Georg. *Nam sæpe favos ignotus adedit Stellio.* Et dixit *Ignotam*, Italiæ comparatione. Nam ignota non erant, ad quam bis Trojani venerant. *Idem.*

Ignotæ linquere terræ.] Antiqui aliquot codices, *ignota linquere terra* Ablativo casu legunt. Utrunque vero agnoscitur à Grammaticis. *Pierius.*

797. *Vela tibi.*] Id est, per regnum tuum. *Servius.*

798. *Si concessa peto.*] Siquidem. Nam modo *si* confirmantis est. Agit autem à possibili. *Idem.*

Si concessa, &c.] *Si* h. l. Confirmantis est: pro, *Siquidem:* auctore

Servio,

Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti:
Fas omne eſt, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis: merui quoque. ſæpe furores
Conpreſſi & rabiem tantam cælique mariſque.
Nec minor in terris (Xanthum Simoëntaque teſtor)
Æneæ mihi cura tui, cum Troïa Achilles
Exanimata ſequens inpingeret agmina muris,
Milli

Servio, ut & Æn. 6.

Pio ſi pœnas ore repoſco.

ita in aureis iſtis Dionyſii Catonis Diſtichis Moralibus;

Si Deus eſt animus, &c. Taubm.

799. *Tum Saturnius.*] Hujus verſus tumor in deſcribendo Neptuno adducit mihi in memoriam parem tumorem periodi Arnobianæ lib. 3. *Neptunus Stygii frater Jovis, Olympiique germanus, tridenti armatus ferro, piſtricum dominus, Atque mœnarum, Rex ſalſorum gurgitum,& tremebundi motator ſali.* Cerda.

800. *Fas omne eſt.*] Fas te eſt: hoc eſt, poſſibile eſt. *Servius.*

Meis regnis fidere.] *Fido*, dativum tantum regit. *Idem.*

801. *Unde genus ducis.*] Ut diximus ſupra, quia feliciter eſt navigaturus Æneas, Venerem dicit à mari procreatam: & ut fert fabula, Celus pater fuit Saturni: cui cum iratus filius falce virilia amputaſſet, lapſa in mare ſunt: de quorum cruore & maris ſpuma nata dicitur Venus. Unde & ἀφροδίτη dicitur, ἀπὸ τ ἀφρȢ, id eſt, ſpuma. Sed hoc habet ratio, Omnes vires uſu venerio debilitantur: qui ſine corporis damno non agitur. Unde fingitur Venus nata per damnum: de mari autem ideo, quia dicunt Phyſici ſudorem ſalſum eſſe; quem ſemper elicit coitus. Unde etiam myrtus ei conſecrata eſt, quæ litoribus gaudet: ut ait, *litora myrtetis lætiſſima.* Ideo autem diximus Cœlus pater, ut deus ſignificaretur. Nullus enim deus generis neutri eſt. Nam *Cælum* genere neutro elementum ſignificat. *Idem.*

Unde genus ducis.] Nam ex ſpun maris nata Venus eſt. ob quod & ἀφροδίτη dicta eſt, & ἀλιγϛυής. Vide tur Cælius lib. 29. cap. 18. *Taubm.*

Merui quoque.] Etiam præſtiti: u *Nec te regna negabo Promeritam.* Al dicunt, militavi: ut, *Ære merent parv* Servius.

Merui.] H. Stephanus in quibuſda editionibus *metui* inveniri ait. Sed *m rui* tamen probat, cum prior lectio vet. libris non adſeratur, & Pieriu qui diligentiſſime verſavit codices, nu lam illius lectionis (nempe *metu* mentionem faciat. *Merui ut fidere* ſenſus eſt verborum pro *merita ſu* Plura ille habet in lect. Virg. p. 34. 3 rejiciens interpretationem Servii. *Er meneſſ.*

802. *Rabiem tantam cælique mari que.*] Ut in primo legimus. *Servius.*

Rabiem.] Ut hic à canibus *rabie* tempeſtatibus, ita pari metaphora l. Æn.

Vos & Scyllæam rabiem penituſque ſ nantes
Acceſtis ſcopulos.

quam metaphoram apertius uſurpav lib. 7.

Ut pelagi rupes magno veniente fragor
Quæ ſeſe multis circumlatrantib undis
Mole tenet.

& Plin. l. 4. c. 5. *Tot ſinus Peloponnenſe oram lancinant, tot maria allatrant* Cerda.

803. *In terris.*] Etiam in terri Nam augmentum eſt. *Servius.*

805. *Inpingeret.*] Veteres quida codices, *immitteret* habent. Sed long plur

Millia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere posset
In mare se Xanthus: Pelidæ tunc ego forti
Congressum Ænean, nec dìs nec viribus æquis,
Nube cava rapui: cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.

Nunc

ures *inpingeret:* quod rem gestam horbiliorem facit. *Pierius.*

806. *Daret.*] Romanus codex, *dant* legit numero multitudinis, ut l *amnes* referatur, qui & ipsi suis)em allaturi magnam vim morta-ım obruerunt, eo prælio, quod in ab Homero decantatur. Sed neque splicet *daret* singulari numero, quum chilles magnam eodem die Trojano-ım ediderit stragem in Xanthi Fluvii pis, adeo ut ejus libri argumentum '. Φὶ,μόθ@ αἰακόδυο παρ' κιόνας ποτ αμοῖο. *Idem.*

Gemerentque repleti Amnes.] Achils ipse apud Attium in Nonnio:

Scamandriam undam sanctam saiso obtexi sanguine,
Atque acerbos alto in amni corpore explevi hostico.

:d hoc alibi. *Cerda.*

807. *Evolvere.*] In Mediceo, *revolvre* legitur. Sed vulgata lectio candior, & in eo numero picta videtur diffiltas. *Pierius.*

Evolvere, &c.] Hæc omnia Hom. iad. l. 21. ubi Achilles tantam stra-:m edit, ut Trojanorum cadaveribus əstructus Xanthus in mare profluere ən posset. Ita de eodem Catullus in pithal. Pelei:

Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Cujus iter cæsis angustans corporum acervis
Alta tepefaciet permista flumina cæde.

aubmannus.

808. *In mare se Xanthus.*] Omnia ec Homeri sunt. *Servius.*

809. *Nec dìs nec viribus æquis.*] l est, diis iniquis, hoc est, adversis. Liptotes figura. Aut *non æquis*, non æquali favore. Plures enim Græcis favebant. De matribus autem, id est, Thetyde & Venere intelligere non possumus: quia Thetyde melior Venus est, & ei præsenti derogare nollet. *Idem.*

Nec dìs nec viribus æquis.] *Æquis*, junctum duobus duplici significatione. *diis non-æquis*, id est, adversis; *viribus non-æquis*, id est, imparibus. Vel etiam, *diis non-æquis*, id est, non æquali favore prosequentibus. De hoc autem congressu Æneæ cum Achille videatur Hom. Iliad. 20. *Taubm.*

810. *Rapui.*] Perveteres omnino codices aliquot, *rapui* legunt. Sed in Romano, & nonnullis aliis *eripui* est, una plus syllaba. *Pierius.*

Cuperem cum vertere ab imo.] Quod proprium ejus est: ut, *Magnoque emota tridente Fundamenta quatit.* Hinc & ut supra dicimus, ἐνοσίχθων dictus est. fecit autem augmentum, cum se præstitisse dixit iratum. *Servius.*

811. *Structa meis, &c.*] Inde lib. 2. Æn. ℣. 625.

Ex imo verti Neptunia Troja.

& lib. 3. ℣. 3.

Omnis fumat Neptunia Troja.

Emmeness.

Perjuræ.] De perjurio Trojæ est in fabulis, Laomedontem negasse Apollini & Neptuno constructoribus urbis pactam mercedem, propter laborem construendi. Horat. Od. 3. lib. 3.

—— ex quo destituit Deos
Mercede pacta Laomedon.

statim idem Poëta,

—— Priami domus
Perjura.

Cerda.

Nunc quoque mens eadem perſtat mihi: pelle timorem.
Tutus, quos optas, portus accedet Averni.
Unus erit tantum, amiſſum quem gurgite quæret:
Unum pro multis dabitur caput.
His ubi læta deæ permulſit pectora dictis;
Jungit equos auro genitor, ſpumantiaque addit
Frena feris, manibuſque omnis effundit habenas.

Cæru

812. *Perſtat.*] In Oblongo codice, & quibuſdam aliis antiquis, legere eſt *reſtat mihi*, quod nequaquam placet. *Pierius.*

813. *Portus accedet.*] Hic diſtinguendum, ne ſit contrarium Veneris petitioni, quæ ait, *Liceat Laurentem attingere Tybrim.* Servius.

814. *Amiſſum quem gurgite quæret.*] Miſenum dicit: de quo legimus, *Inter ſaxa virum ſpumoſa immerſerat unda.* Idem.

Quæret.] In exemplaribus omnibus antiquis, quotquot habui, *quæres* perſona ſecunda legitur. Quod Venerem oſtendit pro ſalute omnium æque laborare. *Pierius.*

815. *Unum pro multis dabitur caput.*] Hic Palinurum ſignificat. Nam falſum erit, ſi unum voluerimus accipere: duo enim conſtat occiſos, Miſenum & Palinurum. *Servius.*

816. *Læta permulſit.*] Et læta fecit, ut, *Animumque labentem Impulit.* Aut certe perpetuum eſt epitheton Veneris. *Idem.*

817. *Jungit equos auro genitor.*] Nulla non exemplaria vulgata, *curru* legunt. Sed enim vetera omnia manu ſcripta, *jungit equos auro genitor* uno exemplo legunt. Quamvis elocutio ea, qua de prius meminimus, alio apud Virgilium loco inveniatur. *Currus jungit Alæſus equos.* Sed hoc loco placet *Auro*, tum quia rem facit ſplendidiorem, & ornatum illuſtriorem, tum quia dictio *Curru* ſtatim ſubſequitur. *Cæruleo per ſumma levis volat æquora curru:* quod tam cito repetere, ſermonis adſcriberetur inopiæ, neque quicquam tale eſt, ut colorem facere poſſit. Dum ver hæc vulgari jam cœpta eſſent, admc nuit me Camillus Porcius Epiſcopı Aprutinus lectionem eam, *Cui phar tra ex auro*, qua de ſuperiore libr multa retuleramus, agnitam etiam Fı Petrarchæ, multæ lectionis viro: qu epiſtola ea, quæ Libro Sexto Octav Senilium inſcribitur, dixerit, unde e ille Didonis celeberrimus progreſſu *Cui pharetra ex auro crines nodantur i aurum.* quod loco hoc inſerere non fu importunum: quando, quum illa ſcr beremus, nondum hoc legeramus, adhuc ſunt, qui tot à me rationes e loco allatas conentur oppugnare. *Pi rius.*

Spumantia frena.] Spumas vomenti *Servius.*

Feris.] Equis: ut, *Inque feri curvat compagibus alvum Contorſit.* Idem.

Feris.] Id eſt, Equis: ut 2. Æn. *fe rum*, pro equo dixit: aut potius, cur dura ſit repetitio antecedentis, ἐπιθε τικῶς poſuit, pro, *ferocientibus*, ἀγερα νεσι, καὶ ἀγανακτοῦσι, ut Plato loqui tur de Equis. ita 7. Æn. de cervo: *Pe ctebatque ferum*, id eſt, θυμοειδῆ, re pugnacem. erat enim cicuratus. *Taub mannus.*

818. *Manibuſque omnis effundit ha benas.*] Hom. Il. ρ. κατὰ δ' ἡνία χεῦ ἔραζε: infra metaphorice, *irarumque omnis effundit habenas:* & Cic. *effunder eloquentiæ habenas.* Germ.

Effundit.] Id eſt, inmittit. Aliu eſt *dare ſive laxare frena*, aliud *effunde ri*, vel *inmittere*. Is, enim qui in mittit, ſinit frena eſſe libera, qui da non tenet ea adſtricta, non tamen l bei

Cæruleo per ſumma levis volat æquora curru.
Subſidunt undæ, tumidumque ſub axe tonanti
Sternitur æquor aquis: fugiunt vaſto æthere nimbi.
Tum variæ comitum facies; inmania cete,
Et ſenior Glauci chorus, Inouſque Palæmon,
Tritoneſque citi, Phorcique exercitus omnis.
Læva tenent Thetis & Melite Panopeaque virgo,

Neſæe,

ɪera plane eſſe patitur. Græcis eſt ἐνδι-δῦναι τὸ χαλινόν. vide Scheffer. l. 1. c. 13. *immeneſſ.*

820. *Axe tonanti.*] Irrepſit cogita-:io, an ſcribendum *ſonanti:* pro qua ectione conjecturæ ſunt, quas ipſe, ne tacente, ſuſpicaberis. *Cerda.*

821. *Sternitur.*] Dictum ad Græcam .mitationem. Calaber lib. 5. κῦμα ϛόρνυτο. Homer. ἐϛόρεσε θεὸς μεγακήτεα πόντον: *ſtravit Deus pontum, cui :ete immania.* Virg. ſup.

— *placidi ſtraverunt æquora venti.*

& ecl. 9.

Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor.

Plin. lib. 2. cap. 47. *Sternitur mare Hal-:yonum fœturæ.* Idem.

Aquis.] In antiquis aliquot, *equis.* Sed *aquis* melius. *Pierius.*

822. *Variæ comitum facies.*] Aut belluas dicit marinas, ſecundum natu-:am: aut poëtice deos marinos. *Servius.*

Inmania cete.] Græca declinatio τὸ κῆτος κήτη, ut, βέλος βέλη. Nam Latine ſic declinari non poteſt. Nul-.um enim apud nos animal generis neutri eſt, niſi forte *hic cetus*, *hujus :eti* dicamus: quod nuſquam lectum eſt. Nam dicuntur canes marini. *Idem.*

Inmania cete.] Plinius l. 32. c. 1. tradit hujuſmodi belluas Arabiæ flumen intraſſe ſexcentorum pedum longitudine, CCCLX. latitudine. *Taubm.*

823. *Et ſenior Glauci chorus.*] Glaucus Anthedonius piſcator fuit: qui cum captos piſces ſupra herbam abjeciſſet, & eos vidiſſet recepiſſe quam amiſerant animam: intellecta herbarum potentia, decerptam herbam guſtavit, & ſe præcipitavit in maria, & in deum marinum commutatus eſt: cujus *chorum* ideo *ſenem* dicit, quia ipſe ſenex fuerat. Aut certe propter ſpumarum colorem: ſicut pene omnes dii finguntur eſſe maris. *Servius.*

Inouſque Palæmon.] Melicerta Inus filius. Et notandum patronymicum à matre in auctore idoneo. *Idem.*

Inouſque.] Male omnino in codice Romano legitur, *Ionius.* nulli enim non conſtat, Palæmona Inus filium. Aliquot alii codices, *Inoius*, ut *Saturnius*, legunt. Sed ea forma mihi videtur uſitatior, quæ *Inous* eſt. *Pierius.*

Inouſque Palæmon.] Ita ab ejus matre, quæ dicta Ino. Quippe Palæmonis aurigationem, quam hic attingit Poëta, inveniet lector in Philoſtrato l. 2. Icon. & in Ariſtidis Iſthmica ad finem. uterque delphino inſidentem deſcribit. Signata verba utriuſque ſunt, prioris, ἐπὶ δελφῖνος εὐνηθείς. poſterioris, ἐπὶ δελφῖνος φερόμενον· Ab Nonno l. 1. Una Nereidum inducitur ἐζομένη δελφῖνι. *Cerda.*

824. *Tritones.*] *Triton*, Neptuni buccinator & tubicen, qui concha utitur. De quo Ovid. 1. Met. Fab. 10. *Taubmannus.*

Phorcique exercitus omnis.] Dii qui ſub Phorco agunt. Hic autem Phorcus dicitur Thooſæ nymphæ & Neptuni filius. Ut autem Varro dicit, rex fuit Corſicæ & Sardiniæ: qui cum ab Atlante rege, navali certamine cum magna exercitus parte fuiſſet obrutus, finxerunt ſocii ejus, eum in deum marinum eſſe converſum. *Servius.*

825. *Læva tenent Thetys.*] Satis pru-

 denter

Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque.
Hic patris Æneæ suspensam blanda vicissim
Gaudia pertentant mentem: jubet ocius omnis
Adtolli malos, intendi brachia velis.
Una omnes fecere pedem; pariterque sinistros,
Nunc dextros solvere sinus: una ardua torquent
Cornua,

denter sexum debiliorem sinistræ adplicat parti. *Serv.*

Melite Panopeaque virgo, Nesæe, Spioque.] Quia corrupta sunt hæc nomina in omnibus fere codicibus, libuit, quo pacto scriberentur apud Græcos, apponere ex Hesiodo: *καὶ μελίτη χαρίεσσα.* inferius, *νησαίητε.* ita apud Homerum, *ιλ. σ. νησαίη σπειώτε.* & paulo infra, *καὶ μελίτη καὶ ἴαιρα.* *Pierius.*

826. *Nesæe.*] Media diphthongus est. *Servius.*

827. *Vicissim.*] Quia reliquerat quidem socios, sed feliciter petebat Italiam. *Idem.*

828. *Pertentant.*] Sollicitant. *Idem.*

829. *Adtolli malos.*] Id est, vela per malorum volubilitatem levari. Nam cum navigaret, non dubium, quod olim erexerat arbores. *Idem.*

Velis.] In Romano codice, pro *velis* positum est *remis*, ut cum superiori elocutione congruat, *brachia remis intenti.* Quod si *velis* legas, intelligendum antennas velis esse brachiorum vice: Quum maxime sequatur, *Una omnes fecere pedem.* Pierius.

830. *Fecere pedem.*] Id est, podium, hoc est, funem quo tenditur velum. *Servius.*

Fecere pedem.] *Pes*, in navi, *pars est veli infima, quæ ad navis latus religatur: quam nautæ, prout tempestas poscit, aut contrahunt aut laxant.* Ita Bayfius, de re navali, describit pedem. (Alii funem accipiunt, quo velum tenditur. Inde, *facere pedem*, pro, vela tendere: qua forma, *Vela facere* dicimus.) Duo autem pedes sunt: dexter & sinister. Catullus Carm. 4.

—— *sive utrumque Juppiter*
Simul secundus incidisset in pedem.

Seneca in Medea ℣. 320.

—— *nunc lina sinu*
Tendere toto: nunc prolato
Pede transversos captare Notos.

Sed &, *Proferre pedem*, est funibus imum veli minus adducere, sed laxius esse finere, & longius producere: nam pede velum tenditur: aut potius utramque partem veli æquatam non pati esse, quod fit altero fune producto: atque ita obliquantur veli sinus. prolato enim fune, & sinu veli obliquato, sic colligitur ventus, ut adversæ naves, eodem vento inflatæ, possint concurrere. Vide etiam Not. ad ℣. 16.

Obliquatque sinus in ventum:

Turn. l. 20. c. 4. Ita Lipsius ad illud Senecæ Philos. l. 2. c. 34. de Benef. *Pedem & nostrum dicimus, & lecti, & veli, & carminis*; notat: Pars utraque inferior veli, ubi funibus distenditur, *Pes* dicitur: & quidem pro lateribus, *Dexter* aut *Sinister.* Lucanus l. 5.

Obliquat lævo pede carbasa.

Catullus:

—— *sive utrunque Jup.*

Græcos etiam *πόδα* & *ποδεῶνα* eodem modo usurpare, docet copiose Pimpontius, & Ant. Delrio in Medeam Senecæ. *Taubm.*

Fecere pedem.] *Pedes* proprie sunt funes ad angulos velorum, quibus ea vertebantur. Inde *æquis pedibus* est æquis velis. Vide Salmas. Plin. exerc. p. 568. & L. Gyrald. de navig. c. 15. & Baif. de re navali p. 140. *Emm.*

Sinistros, Nunc dextros.] Pro auræ mutabilitate. *Servius.*

832. *Cor-*

Cornua, detorquentque. ferunt sua flamina classem.
Princeps ante omnis densum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alii cursum contendere jussi.
Jamque fere mediam cæli nox humida metam
Contigerat: placida laxabant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautæ.
Cum levis ætheriis delabsus Somnus ab astris
Aëra dimovit tenebrosum, & dispulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans
Inson-

832. *Cornua.*] Antennarum extre-
nitates. *Idem.*

Sua flamina.] Prospera, à puppi ve-
ientia. *Idem.*

Ferunt sua flamina classem.] Similis
enitas euntis classis expressa est à M.
latone in oratione dierum dictarum
e consulatu suo. *Postquam Massiliam
veterimus, inde omnem classem ventus
Auster fert lenis: mare velis florere vi-
eres ultra angulum Gallicum.* Explicui
ua flamina, id est, secunda, utique à
uppi. Juvencus quoque signate l. 2.

*Conscendunt navem, ventoque inflata tumescunt
Vela suo.* Cerda.

834. *Princeps ante omnis.*] Unum
erbum vacat. *Servius.*

835. *Mediam cœli metam.*] Perite lo-
uutus est. Nam medium cœlum meta
st ἀναβιβάζοντος circuli: qui medius
st inter ortum & occasum. A medio
utem cœlo & finitur ortus, & occasus
ncipit siderum. alter est horizontis,
ui segregat aspectum hujus cœli, ab
lio invisibili nobis. *Idem.*

836. *Laxabant.*] In antiquis aliquot
odic. *Laxabant* habetur. Sed longe plu-
es *laxarant* habent, exacta specie. *Pier.*

837. *Sub remis fusi per dura sedilia
nautæ.*] Id est, requierant paululum, sic
emos tenentes. *Servius.*

Sub remis fusi, &c.] Ὑποτύπωσις fa-
s elegans: sicut remos tenebant ma-
ibus, somnus eos oppressit. Stat. The-
aid. l. 5. *domibus fusi*, qui dispersi hic
ic jacebant. Hunc locum ex Marone
desumsit Prop. l. 1. el. 8. quo socios nau-
ticos lecti duritiem non sentire annuit:

*Tum audire potes vesani murmura ponti?
Fortis & in dura nave jacere potes?*
Emmeneß.

838. *Levis.*] Vel adventu, vel dis-
cessu. Nam in utroque est levis. *Serv.*

Aëra dimovit tenebrosum.] Infra, *te-
nebrosa palus Acheronte refuso.* Quidam
vir non indoctus, eo loco Catulli, *Qui
nunc it per iter tenebricosum*, tenebrosum
non satis Latine dici censet: quamvis
& apud hunc auctorem, classicosque sit
dictio obvia & familiaris. *Germanus.*

839. *Dispulit umbras.*] Nam semper
deos ambit nimbus. *Servius.*

Dispulit umbras.] Suas sc. nam sem-
per deos ambit nimbus. de quo supe-
rius alicubi. Porro *Somni* descriptiones
luculentissimas habes apud Ovid. l. 11.
Met. Fab. 12. item apud Statium l. 10.
Theb. *Taubmannus.*

840. *Te, Palinure, petens.*] Factiose
aggrediens, adpetens. Et sciendum in
majus celebrari Palinuri mortem more
poëtico, quem dormientem in undas
constat missum. *Servius.*

Somnia.] Soporem. Bene autem dis-
cernit ista Virgilius, ut *Somnum* ipsum
deum dicat: *Somnium*, quod dormimus:
Insomnium, quod videmus in somnis:
ut, *Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia
manes.* Idem.

Somnia tristia.] Multi quidem codi-
ces antiqui vertunt illud *somnia tristia
portans.* Sed enim *tristia somnia* lenius
omnino sonat. *Pierius.*

842. *Phor-*

Insonti; puppique deus consedit in alta,
Phorbanti similis; funditque has ore loquelas:
Iaside Palinure, ferunt ipsa æquora classem;
Æquatæ spirant auræ: datur hora quieti.
Pone caput, fessosque oculos furare labori.
Ipse ego paullisper pro te tua munera inibo.
Cui vix adtollens Palinurus lumina fatur:
Mene salis placidi voltum fluctusque quietos

Igno-

842. *Phorbanti.*] Codices nonnulii sane quam vetusti *Forbantis* habent. Grammatici tamen genitivum ad mores, dativum ad faciem referunt. *Pier.*

Phorbanti similis.] Somnus in Homero fit ἐοικὼς Νέστορι, *similis Nestori*: in Calabro, πατρὶ ἐοικὼς, patri Penthesileæ similis. viros tres Phorbantes nominant Græcorum Commentatores, interque eos filium Priami, quem hic Poëta inducit. *Cerda.*

Funditque.] Vetera omnia exemplaria, quæ legi, *Fundit* habent instanti tempore pro præterito *fudit*. Pierius.

843. *Iaside.*] Fili Iasi. *Servius.*

Ipsa æquora classem.] Id est, & æstu & aura nostris utimur. *Idem.*

Ferunt ipsa æquora classem.] Vicina huic locutioni illa Propertii l. 1. eleg. 8. *auferet unda rates.* Cerda.

844. *Æquatæ spirant auræ.*] Prosperæ: ut, *Æquatis classem procedere velis.* Servius.

Æquatæ auræ.] Sunt hæ implentes vela nulla obliquitate, veluti justæ & æquæ cum ipsis puppibus. Et videtur mihi expressus Pind. Od. 7. Nem. ubi ait, εὐθυπνόου ζεφύροιο πομπαῖ: *impulsus Zephyri rectà flantis*: ut *æquatæ auræ* sint, cum rectà flat ventus, & nulla est obliquitas. & Plin. l. 12. c. 18. dixit, *Hi* (Euri) *recto cursu per sinus impellunt.* Cerda.

845. *Pone caput.*] Bene particulatim ad id venit, quod aperte dictum refutaretur. *Servius.*

Pone caput.] Infra 11. de Camilla: *Et captum letho posuit caput.* Germanus.

Pone caput.] Ita 11. Æn. *letho posui[t] caput*, & in somno Propertius lib. 2.

Mecum habuit positum lenta puella caput.

Plautus etiam Curcul. *Caput deponit, condormiscit.* Cerda.

Labori.] Ex intuendis sideribus. *Serv.*

Fessosque oculos furare labori.] Est hoc quod Tibullus dixit lib. 1. eleg. 2.

Occupet ut fessi lumina victa sopor.

Cerda.

846. *Paulisper.*] Hoc est, paululum dum tu quiescis. *Servius.*

847. *Vix adtollens lumina.*] Aut à sideribus removens. aut certe numinis præsentia prægravatus: quod est melius Nam & sequens ejus oratio turbata est quod & semiplenæ indicant elocutiones. *Idem.*

848. *Voltum.*] Mutabilitatem, qua fit pro qualitate ventorum. *Idem.*

Mene salis placidi voltum.] In codicibus aliquot antiquis legere est, *Mene salis placidum voltum.* quod forte non displiceat, quanquam & *placidi sali[s]* admodum suave est. *Pierius.*

Mene salis placidi.] In eandem sententiam Lucret. lib. 2.

Per terrarum omnes oras fluitantia a-
plustra
Ut videantur, & indicium mortalibu[s]
edant,
Infidi maris insidias, viresque, do-
lumque
Ut vitare velint, neve ullo tempore cre-
dant,
Subdola cum ridet placidi pellacia ponti

Alludens Lucret. ad Pollucis καταγέλασμα τῆς θαλάττης. *Germanus.*

849. *Ju*

Ignorare jubes? mene huic confidere monstro?
Ænean credam quid enim fallacibus austris,
Et cæli toties deceptus fraude sereni?
Talia dicta dabat, clavumque adfixus & hærens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.
Ecce deus ramum Lethæo rore madentem,
Vique soporatum Stygia super utraque quassat

Tem-

849. *Jubes.*] Vis: ut, *Infandum re-na jubes renovare dolorem.* Servius.

Mene huic confidere monstro.] Subau-s, *vis*, *jubes*. Idem.

850. *Ænean credam.*] Per contra-um dicit. Cur Æneam committam ælo, & auris fallacibus, qui sum to-ens serenitatis fraude deceptus? *Idem.*

Quid enim.] Quid ni? cur non? *Id.*

Ænean credam quid enim fallacibus ıstris.] In codicibus aliquot antiquis, *ris* habetur. Utrunque placet. Est & *nean* per *n* finalem: de quo sic Priscia-us, Accusativus primæ declinationis mutando *æ* diphthongum genitivi si-dativi in *am.* ut *Poetæ, Poetam*: fre-uentius tamen invenimus in Græcis ominibus in *as* & in *es* terminanti-us, accusativum Græcum proferre au-ores. Virgilius in quinto, *Ænean cre-m.* Pierius.

851. *Fraude sereni.*] Serenitatis: ut, *rvantissimus æqui.* Alii legunt, *dece-us fraude cæli sereni.* Servius.

Fraude sereni.] Antiqui codices ver-m hunc varie corruptum habent. Nam *fraude serena*, & alibi *cælo sereno* le-tur, utrunque male. *Pierius.*

852. *Clavumque adfixus.*] Verbum stodiendis rebus aptum: Juvenal. *stos adfixus ibidem.* Tibullus: *puellam fixam pensis*, alio loco, *foribus* dixit. ide ars gubernandi, quia vigilantiam diligentiam desiderat, Lycophroni citur τέχνη ἄϋπνος. quod etiam se-uens docet versus. *Emmenes.*

853. *Oculosque sub astra tenebat.*] xplica, tenebat fixos intentosque. ale illud, *intentique ora tenebant.* Gu-ernator quidem astra intuetur, à qui-bus pendet ea ars. Quod Virgilius, *te-nebat oculos sub astra.* Silius lib. 2. dixit, *intentus cælo*, ut in Vulgatis legitur; vel *affixus cælo*, ut corrigit Modius. Si-lii versus sunt,

Quam multa affixus cælo sub nocte serena
Fluctibus è mediis sulcator navita ponti
Astra videt.

Ego præfero vulgarem lectionem. Non enim ita venuste *affixus cælo*, ut *affixus clavum.* Nam Virgiliano filo Modius ducitur. *Cerda.*

854. *Ecce deus ram. Leth. rore mad.*] Hic locus pendet ab illo Apollonii l. 4. de Medea draconem sopiente: ἡ δέ μιν ἀρκευθοιο νέον τετμηότι θαλλῷ βάπτουσ' ἐκ κυκεῶνος ἀκήρατα φάρμακ' ἀοιδαῖς ῥαῖνε κατ' ὀφθαλμῶν, περί τ' ἀμφί τε νήριτος ὀδμὴ φαρμάκου ὕπνον ἔβαλλε, γένυν δ' αὐτῇ ἐνὶ χώρῃ θῆκεν ἐρειδομένος. *Lethæo rore* autem dixisse videtur, ut supra, *Inferias Orphei lethæa papavera mittes*: & Georg. 1. *Lethæo perfusa pa-pavera somno*: ut quibus vis insit à fri-giditate somnifica. Ita autem & Poëtæ alii virgam soporiferam somno tribue-bant: Papinius, *extremo me tange cacu-mine virgæ.* Germanus.

855. *Vique soporatum Stygia.*] Mor-te plenum. *Servius.*

Vique soporatum Stygia.] Id est, so-porifero, ὑπνωτικῷ ἢ ὑπνοποιῷ φαρ-μάκῳ imbutum: vel, ut Servius, mor-te plenum. Ut autem *somno* hic ramus tribuitur; ita eidem virga à Statio l. 5. Silv. Carm. 4.

—— *extremo me tange cacumine virgæ.*

Servius l. 6. *Somnum* pingit cum cornu: ut & Valerius l. 8. Argon. item Seneca in Apocolocynthosi,

—— *& ob-*

Tempora; cunctantique natantia lumina solvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus:
Et super incumbens, cum puppis parte revolsa,
Cumque gubernaclo liquidas projecit in undas
Præcipitem, ac socios nequicquam sæpe vocantem.
Ipse volans tenuis se sustulit ales ad auras.

Curri

— *& obscuri crescebant cornua Somni:* quod tum cresceret nox. Tribuitur ei & papaver: ut 1. G.

— *Lethæo perfusa papavera somno.*

De quo Pimpont. & Turneb. l. 9. c. 26. & lib. 21. cap. 4. *Taubm.*

Utraque tempora.] Per utrunque tempus. *Servius.*

Quassat.] Nimirum ut rore illo perfunderentur tempora. Ita Tibullus libro 1. eleg. 2.

— *multo perfusum tempora Baccho.*

Sic legit Sigonius contra Robortellum, qui *percussum* legit. *Cerda.*

856. *Cunctanti.*] Quasi reluctanti. *Servius.*

Natantia.] Errantia somni vicinitate. *Idem.*

Natantia lumina.] Fluctuantia & errantia somni vicinitate. ita 4. Georg. ✠. 496. (ubi Notas vide.)

— *conditque natantia lumina somnus,* id est, fluitantia, ut exponit Scaliger. nunc enim aperiuntur, nunc clauduntur. Ita Lucret. l. 3. l. 4. 16. Poët. *Nare oculos* dixit, qui humore sunt oppleti & lippiunt: ut observavit Gifanius. *Taubmannus.*

858. *Et super incumbens, &c.*] Elegans hypotyposis. Sic autem Somnus præcipitem dedit in fluctus Palinurum, ut secum & gubernaculum traheret, & partem navis; frustra opem dormientium sociorum implorans. *Projecit* autem, est porro jecit, aut procul jecit: ut 3. Æn.

— *projectaque saxa Pachyni.*

Et est bona proœconomia: ut triduo natare potuerit. *Idem.*

Cum puppis parte.] Proœconomia: ut triduo natare potuerit. *Servius.*

860. *Præcipitem.*] Est hoc quod c gubernatore alio in 1.

— *pronusque magister*
Volvitur in caput.

Plauserunt sibi Poëtæ in simili clac depingenda. Ovidius, & Seneca, cu mergunt, prior Ceycem, posterior Aj cem, Virgilio hæserunt. Nam ut apu Virgilium cadit Palinurus cum par puppis revulsa, ita Ceyx 11. Metan arripuerat *fragmina navigii.* & Ajax i Agamemnone cum parte montis me gitur, ascenderat quippe rupem ad qua rendam opem, sed frustra ea fuit. ve sus tragici sunt:

Tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus, imis exerens undis caput,
Solvitque montem, quem cadens secu
tulit,
Terraq; & igni victus, & pelago jace

Apud Homerum Odyss. 12. cadit gube nator in mare percusso capite, & co fractis ossibus, misera quadam carni cina. vide etiam, uti idem vates desc bat Ulyssem lib. 5. Odyss. præcipitatu è navi tempestatis vi. Credo Senecai de Consolat. ad Marciam habuisse Vi gilium in animo, cum scripsit cap. *Turpis est navigii rector, cum gubernacu fluctus eripuit, qui fluctuantia vela d seruit, permisit tempestati ratem: at il vel in naufragio laudandus, quem obru mare clavum tenentem & obnixu* Cerda.

861. *Ales.*] Alitem facit Somnu volantemque, ab alis, quibus fingitu & pingitur. Eurip. in Phœniss. πτα ὄνειρον, *somnium volatile:* & in Tau πτερωτῶν ὀνείρων: *somniorum pennatoru* Idem in Hecuba, Terram vocat matre μελανοπτερύγων ὀνείρων: *somniorum a l*

Currit iter tutum non ſecius æquore claſſis,
Promiſſiſque patris Neptuni interrita fertur.
Jamque adeo ſcopulos Sirenum advecta ſubibat;
Difficilis quondam, multorumque oſſibus albos.

Tum

us alæ nigræ. Callimachus in hymno,
—— *ληθαῖον ἐπὶ πλεῤὸν ὕπνος ἔρεισι:*
—— *lethæas Somnus circumjacit alas.*
'ibull. lib. 2.
Poſtque venit tacitus fulvis circumdatus alis
Somnus.
ropert. lib. 1. eleg. 3.
Dum me jucundis laſſam ſopor impulit alis.
'vidius 1. Metam. de Morpheo,
Ille volat, nullos ſtrepitus facientibus alis.
: 8.
Lenis adhuc Somnus placidis Eriſichthona pennis
Mulcebat.
.lius:
—— *quatit inde ſoporas*
Devexo capiti pennas.
liqui in Propertio *lapſam* legunt, non
ſſam: Fortaſſe, quia Virg. in 4.
—— *animumque labantem*
Impulit.
um quo verſu ſimilitudinem habet
:opertianus. & quia Propertius idem
b. 1. eleg. 10.
Donec labentes premeret mihi Somnus ocellos. Cerda.

862. *Currit iter.*] Ut Cicero, *Ite iam, redite viam.* Servius.

Tutum.] Præſidio Neptuni. *Idem.*

Non ſecius.] Ἀλλοιοτέρως: à *Secus*, harif. p. 53. Alii leg. *Segnius*. Taubm.

863. *Sirenum.*] Sirenes ſecundum bulam parte virgines fuerunt, parte olucres, Acheloi fluminis & Callio-es Muſæ filiæ. Harum una voce, alte-ı tibiis, alia lyra canebat: & primo ıxta Pelorum, poſt in Caphareis inſu-s habitaverunt, quæ illectos ſuo can-ı in naufragia deducebant. Secundum :ritatem meretrices fuerunt, quę tranſ-ıntes, quoniam eos ducebant ad ege-atem, his ficta ſunt inferre naufragia: has Ulyſſes contemnendo deduxit ad mortem. *Sirenum* autem genitivus eſt, veniens ab *hac Sirene*. Servius.

Scopulos Sirenum.] Caprearum inſulam intelligit, quæ eſt in ora Campaniæ contra Neapolim. De Sirenibus Homerus Odyſſ. μ. Et Ovid. l. 5. Met. Fab. 12. aliique plurimi. Et earum quidem Homer. duas agnoſcit; Servius tres: quarum una voce, altera tibiis, tertia lyra canebat, quæ illectos ſuo cantu in naufragia deducebant. Quidam etiam 4. nominant. De qua re copioſe Hortenſius. Ita Horat.

Sirenum cantus & Circes pocula noſti?

Secundum veritatem, meretrices fuiſſe ait Servius, quæ tranſeuntes, quoniam deducebant ad egeſtatem, his ficta ſunt inferre naufragia. aliter Pontanus l. 6. Bell. Neapolit. vide Proverb. Σειρήνων μέλος. *Taubmannus.*

Sirenum.] Fabulam enarrat Hyginus Fab. 141. *Sirenes Acheloi fluminis & Melpomenes Muſæ filiæ, Proſerpinæ raptu aberrantes ad Apollinis terram venerunt, ibique Cereris voluntate, quod Proſerpinæ auxilium non tulerant, volaticæ ſunt factæ. His reſponſum erat, tam diu eas victuras, quam diu cantantes eas audiens nemo eſſet prætervectus: quibus fatalis fuit Ulyſſes. Aſtutia enim ſua cum ſcopulos prænavigâſſet, in quibus morabantur, ſe in mare præcipitârunt: à quibus locus Sirenides cognominatur, qui eſt inter Siciliam & Italiam.* Vide Apollod. l. 1. c. 4. Alludit Sil. Ital. l. 12.

—— *æquore cujus*
Regnavere diu cantus, cum dulce per undas
Exitium miſeris caneret non proſpera nautis. Emm.

865. *Difficiles.*] Navigiis pernicioſos: ut qui ſævitiam ſuam multitudine oſſium teſtarentur. *Taubm.*

866. *Tum*

Tum rauca aſſiduo longe ſale ſaxa ſonabant:
Cum pater amiſſo fluitantem errare magiſtro
Senſit, & ipſe ratem nocturnis rexit in undis
Multa gemens, caſuque animum concuſſus amici.
O nimium cælo & pelago confiſe ſereno,
Nudus in ignota, Palinure, jacebis arena.

866. *Tum rauca.*] Ac ſi diceret, antehac delectabili voce reſonabant, tunc fluctibus ſolis, & bene imitatus eſt maris ſtridorem. *Servius.*

Sale ſaxa ſonabant: Cum pater amiſſo fluitantem errare magiſtro Senſit.] Naturale enim eſt, ut fluctuet navis ſine gubernatore. *Idem.*

Sale ſaxa ſonabant.] Σιγματισμῷ ſtridorem maris expreſſit. De quo Scal. l. 4. c. 48. item ſupra, 4. Æn. vſ. 526. *Adſiduo* autem *ſale*, eſt, frequenti maris impulſu & adſultu. *Taubm.*

Fluitantem.] Antiquiores codices, *fluvitantem* uti ſuperius: *Fluvidum lavit inde cruorem*, *u* geminato legunt, altero tamen digammo, ut in *fluvio* eſt. Nunc placet eruditis unico *u* ſcribere. *Pierius.*

Magiſtro.] Rector navis *magiſter* dicitur, uſurpavit ter aut quater Virgil. & Valer. Flacc. in 1. & 3. item Sidon. Apollin. Panegyr. dicto Antemio:

— ceu victa procellis
Atque carens rectore ratis, Reſpublica fractam
Intulit, ut digno melius flectenda magiſtro.

Cerda.

868. *Nocturnis rexit in undis.*] Dat ei hoc & in decimo, ut, *Ipſe ſedens clavumque regit, veliſque miniſtrat.* Servius.

Nocturnis rexit in undis.] Id eſt, per noctem in mari. Heroicis autem temporibus, ut nandi inſcitia probro erat; ita & Heroës αὐτόχειρες gubernandæ navis peritia valebant: ut non ſolum ab hac facultate Ulyſſem commendet Homerus, & ſiderum ſcientia; ſed & ab opificio & fabrili arte compingendæ navis: ut Odyſſ. Ad quem vide Euſtath. ut & Lipſium De Militia Rom. Noſter hoc dat Æneæ etiam lib. 10.

Ipſe Sedens clavumque regit veliſque mi-
niſtrat. Taubm.

869. *Multa gemens.*] Nomen pro adverbio. Hoc eſt, multum & ſatis gemens. *Servius.*

Caſu amici.] Propter ruinam: alluſ ad nomen. *Idem.*

870. *Pelago confiſe.*] Hoc eſt, quod ſu pra Palinurus excuſat. *Idem.*

871. *Nudus.*] Inſepultus, mortuus ut; *Et freta deſtituent nudos in litore piſces.* Idem.

Ignota.] Peregrina, ante non viſ Nam in ſexto dicturus eſt, *Paulatim adnabam terræ, jamque arva teneban* Sciendum ſane Tuccam & Varrum hun finem quinti eſſe voluiſſe. Nam à Vi gilio, duo verſus ſequentes huic junc fuerunt: unde in nonnullis antiquis co dicibus ſexti initium eſt, *Obvertunt pe lago proras: tum dente tenaci.* Idem.

Nudus in ignota.] In antiquis omn bus exemplaribus, quæ verſare mil contigit *nudus ignota* legitur. in aliqu bus tamen videtur inventum: *nudus & ignota*. De *Harena* cur adſpirationei admittat, alibi diſputatum. Nunc a Libri Sexti caſtigationem adgrediamu *Pierius.*

Ignota arena.] Ita Propert. l. 3, el. 1/ *Aut humet ignotæ cumulus vallatus aren* Eſt autem hic πάθος à circumſtantii quod *nudus*: quod in *ignoto loco*: quo in *litore*, ubi nemo verſetur, *inſepultus* a que indefletus jaceat. Hunc autem ve ſum Macrob. l. 5. c. 14. tanquam *heroi incomptum* vocavit, quemadmodum i illum Ecl. 10.

Omnia vincit amor: & nos cedamus a mori:

ut qui ab uſu loquendi nihil differren *Taubmannus.*





G. Appelmans, sculp

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS
LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.

Cumas advectus Æneas, antrum Sibyllæ petit, peractoque de more sacrificio, Phœbi oraculum consulit. Ibi & instantia pericula & futuri belli eventum discit. Miseni cadaver in litore inventum exurit, reliquiasque sub proximo monte sepelit, qui Miseni nomen ab illo obtinuit: Inde columbarum ductu ad aureum ramum pervenit: quo decerpto, mactatisque hostiis deos inferos veneratus, Sibylla duce, per Averni fauces ad inferos tendit. Palinurum, quod sepulchri honore careret, circa Stygiam paludem oberrantem invenit, eumque una in ulteriorem ripam trajicere cupientem Sibylla prohibet, cenotaphiique, & exequiarum spe consolatur. Post hæc Stygem trajectus Æneas, Cerberoque medicatis offis sopito, per loca infantium, eorumq; qui falso crimine damnati capite supplicium luerant, iter faciens, pervenit ad sedem eorum, qui amoris impatientia manus sibi consciverant. Ibi Elisam conspicatus, cum ei se purgare vellet, illa indignabunda conspectum ejus effugit. inde progressus Deiphobum in sedibus eorum, qui bello aliquando claruerant, multis vulneribus lacerum conspicit, necisque ejus indignum modum ab ipso edocetur. Relicto deinde ad lævam Tartaro, sceleratorumque pœnas à Sibylla edoctus, ad Ditis ipsius mœnia contendit, aureumque ramum in ipso regio limine defigit. Post hæc ad fortunatorum sedes iter instituit, & à Musæo ad patrem suum perducitur. Ibi Anchises Æneæ filio Albanorum Romanorumque regum catalogum recenset, nobiliumque aliquot Romanorum nomina percurrens, ad Julii Cæsaris, & Augusti laudes descendit, Marcellumque Octaviæ filium immatura morte præreptum, miris in cœlum laudibus effert. Inde per eburneam portam ad superos egressus socios revisit, relictisque Cumis Cajetam petit.

SIc fatur lacrimans, classique immittit habenas,

Et

TOtus quidem Virgilius scientia plenus est: in qua hic liber possidet principatum: cujus ex Homero pars major est. Et dicuntur aliqua simpliciter, multa de historia: multa per altam scientiam Philosophorum, Theologicorum Ægyptiorum: adeo ut plerique de his singulis hujus libri integram scripserint pragmaticam. Sane sciendum, licet primos duos versus, Probus & alii in quinti reliquerint fine, prudenter ad initium sexti esse translatos. Nam & conjunctio poëmatis melior est, & Homerus etiam sic inchoavit, ὡς φάτο δακρυχέων. *Servius.*

Sumtum est hujus libri argumentum ex Odyss. λ. De descensu ad inferos duce Sibylla agit & monitis Anchisæ, ut Macrob. l. 5. Saturn. c. 2. & in hoc sexto libro eruditionis multiplicis splendor, qui in aliis quidem est copiosus, admirandus elucescit, ut hoc monet Crinitus de hon. discipl. l. 5. c. 11. Quare etiam Turnebus in plurimis locis eum interpretatur. Sensus autem allegoricus accuratissime exponitur à Cælio l. 7. c. 1. *Emmeness.*

1. *Sic fatur lacrimans.*] Ὡς φάτο δακρυχέων, Hom. qui Heroas semper φιλοδακρύας inducit. *Germ.*

Lacrimans.] Exigit hic locus, ut quum *Lachryma* varie notetur, de scriptionis in eo nomine ratione aliquid disseramus. In Romano quidem codice,

dice, & aliquot aliis, *lacrima*, & *lacrimans*, passim per *i* Latinum, absque adspiratione ulla scribitur. Qui vero *y* in hoc vocabulo volunt, *δάκρυα* opponunt, Græcam dictionem, à qua eodem significato *lacrymæ* ad nos defluxerint. Qui Latinum *i* notant, à *lacerando* dictas contendunt. Latinam vero dictionem agnoscit Cicero, & adspirationem ex consuetudine illi accessisse. Antiqui plerique codices, neque pauca veterum monumenta, *lacrumæ*, & *lacrumare* absque adspiratione per *u* vocalem ultimam scriptitant, ut illud, *hæc ridenda mihi est, hic lacrumandus erit.* Et,

Quæ tibi cumque mei potuerunt pignora amoris
Nata dari, populo sunt lacrumante data.

neque non illud, *Ælius Macer antesignator trib. lacrumas pos.* In aliquot per *u* quidem scriptum est, sed inter *c* & *r* nota aspirationis est ea forma, qua Græci veteres utebantur ⊢, ut in ædibus Marii Maffei Volaterrani Romæ, HOSPES STA. ET LAC⊢RVMA. Minime vero crediderim in hoc vocabulo *u* scribi solitum, per mutationem Græcæ literæ *y* in *u*, uti in aliis *inclutus Cumarum*, quod adhuc in codicibus aliquot antiquis, *y* servat. Sed ex illius ætatis usu, quæ *i* mutare in *u* mirifice gavisa est, ut ex Decimo Maritimo, *decus maritumus*, & similia: quæ tam in vetustis M. Tullii Ciceronis exemplaribus, quam in Livianis & Plinianis & aliorum auctorum, per *u* notata deprehenduntur. Sed nostra tempestate adeo invaluit consuetudo, ut *lachrymare* per *ch* & *y* notetur, ut si de *i* Latino mentionem feceris, risui pene omnibus habearis: Sed sit sane, ut *Unusquisque sua noverit ire via.* Pierius.

Classique inmittit habenas.] Navibus suis, sive navi quæ *classis* dicitur: vel quod fiat de fustibus. *Calas* enim dicebant majores nostri fustes, quos portabant servi, sequentes dominos ad prælium: unde etiam *Calones* dicebantur. Nam consuetudo erat militis Romani, ut ipse sibi arma portaret, & vallum: *vallum* autem dicebant *calam*: sic Lucilius, *Scinde calam ut caleas*, id est, ò puer, frange fustes & fac focum. Inde ergo *classem* dictam dicunt. Alii *classem* hinc magis dictam volunt: apud majores nostros stipendium prælio terrestri miles pedester dabat: equites vero dabant in navali certamine. nam adhuc pauper fuerat populus. Exinde jam quod ab equitibus dabatur stipendium, tractum est: ut diceretur *classis*. Proprie enim *classes* equitum dicimus. *Servius.*

Classique.] Aut suæ navi, quæ classis, ut in primo diximus, dicta est, ἀπὸ τῶν κάλων, id est, à lignis. Unde Horatius, *Me vel extremos Numidarum in agros Classe releget.* Aut omnium quæ ejus cursum sequentur. Palinuri enim implet officium, de quo supra ait, *Ad hunc alii cursum contendere jussi.* Idem.

Inmittit habenas.] Aut funes per metaphoram dixit: aut Homerum secutus est, qui ait ἐντιμώαντο δ' ἐρετμὰ τροποῖς ἐν δερματίνοισιν. Et alibi, ἕλκον δ' ἱστία λευκὰ ἐϋστρέπτοισι βοεῦσι, id est, loris tortis; his enim utebantur antiqui. *Idem.*

Classique inmittit habenas.] Id est, liberum dat cursum. metaphora ab equo, cui frenum laxatur currenti. Ita Lucret. lib. 5.

Arboribusque datum est variis exinde per auras
Crescendi magnum immissis certamen habenis.

Titianus tamen Maronem ex vero ait locutum: quod vela apud veteres loris tortis ligarentur. *Taubm.*

Classique inmittit habenas.] Sic noster de palmite l. 2. Georg. ℣s. 364.

—— *laxis per p[illegible]m inmissus habenis.*

frena & habenæ [illegible] competunt, sed metaphoræ freque[illegible] usus ab equo ad navem. noster l. 1. Æn. ℣s. 63. de Æolo,

—— *& laxas sciret dare jussus habenas*

Sen. Med. ℣s. 3.

Novam frenare docuisti ratem.

com

Et tandem Euboïcis Cumarum adlabitur oris.
Obvertunt pelago proras: tum dente tenaci
Ancora fundabat navis, & litora curvæ

Præ-

omparationem utriusque & equi & navis, celeriter provectæ, Homerus habet l. Odyss. ν. ℣s. 81. inde naves λὸς ἵπποι appellantur eodem teste l. δ. Odyss. ℣s. 708. & Plaut. Rud. 1. 5. 10. navem *equum ligneum* nominat. Hanc militudinem omnium optime Florus xpressit lib. 2. cap. 2. *ad similitudinem pugnæ equestris, sic remis classis, uasi habenis agebatur.* ad quæ vera consulendus Freinshemius. *Emmeness.*

2. *Et tandem.*] Ad Æneæ desiderum retulit, olim ad Italiam venire apientis. Cæterum mora non contruit, de Capreis Cumas usque in tan- i vicinitate longam fuisse navigatioem, præsertim accedente favore Neuni. An *tandem* ad consuetudinem avigantium, quibus nulla non longa avigatio videtur? an *tandem*, ad idem mpus refertur, ex quo Troja navigaim est? *Servius.*

Euboicis oris.] A colonia Cumas ppellavit. Nam Eubœa insula est, in uaCalchis civitas est, de qua venerunt, ui condiderunt civitatem in Campaa, quam *Cumas* vocarunt: vel ἀπὸ κυμάτων: vel à gravidæ mulieris auurio, quæ Græce ἔγκυος dicitur. *Iem.*

Adlabitur.] Venit celeriter: ut, *Lare nympha polo.* Idem.

Adlabitur.] Notat Turneb. lib. 29. 24. *Allabi* proprie ad litus pertine-, quemadmodum *appellere* & *applire.* Ita 10. Æn.

—— *totumque allabi classibus æquor.*
id.

Sed mare inoffen[...] crescenti allabitur æstu.
aubmannus.

3. *Pelago.*] In pelagus, sic dictum , ut, *It clamor cœlo.* Bene autem *vertunt*, non *obvertit*, ut non Æ- æ, sed sociis vilia & nautica dentur officia. Ars gubernandi vero soli tribuitur Æneæ. *Servius.*

Pelago.] In pelagus. nam longinquius erant profecturi ad agrum Laurentem. Et solebant nautæ ad litus appulsam navim in proram convertere: non solum ut ad reditum & aliam navigationem parati essent; verum etiam id sibi ominantes. Val. Flaccus lib. 5.

—— *atque illi, dextra sine, versa magistri*
Protinus in proram rediit ratis omine certo.

Turn. l. 11. c. 8. *Taubm.*

Dente tenaci.] Unde in primo, *Unco non alligat ancora morsu.* *Ancora* (ut diximus) in Græco aspirationem non habet: nam ἄγκυρα dicitur. Inde apud majores sine aspiratione proferebatur. Contra *thus* & *orchus* veteres dicebant & *lurcho*, id est, vorax: quibus sequens ætas detraxit aspirationem. *Servius.*

4. *Fundabat.*] Id est, sistebat. quia quod in fundo est, non movetur. Anchora autem fundo committit naves. Scal. lib. 4. cap. 16. Ita & Paullinus loquitur: *Ne navis illideretur, anchoris fundare conati sunt.* Anchora enim navibus pro quodam firmamento subjecta est: ut fundamenta esse solent deorsum jacta. Vide Turn. lib. 13. cap. 21. *Taubmannus.*

Ancora fundabat navis.] Inde ancora fundamentum navis dicitur, & *fundamentum* sæpe pro ancora sumitur, teste Salmasio exerc. Plin. p. 1014. Monuit Servius l. 1. Æn. ℣s. 169. per adspirationem scribi contra regulam, adde contra notationem genuinam, ut Dausquius in Orthogr. Græce enim ἄγκυρα, unde *ancora*, quæ est *dens ferreus*, ut Isidor. l. 19. c. 2. ergo recte *dente tenaci*, nam, Nonio teste, l. 6. *dens* est, non tantum, quo comminuitur cibus, sed omne significat, quo

 aliquid

Prætexunt puppes. juvenum manus emicat ardens
Litus in Hesperium: quærit pars semina flammæ
Abstrusa in venis silicis: pars densa ferarum
Tecta rapit silvas, inventaque flumina monstrat.

At

aliquid exsecari vel teneri potest. Lycophron καμπύλους ὀδόντας appellat. noster l. 1. ✠ſ. 169. *uncum morsum.* Ancoræ inventor Anacharsis, ut Diog. Laërt. in illius vita. *Emmeness.*

5. *Prætexunt.*] Bene explicat Bayfius in re vestiaria, si non hunc locum, similes certe alios. Puppes enim, cum sunt naves in portu, ita litus tegunt, uti videantur litus ipsum *bordare.* Hoc enim verbo, quod Hispanicum est, Bayfius utitur. Ergo, ut vestis, quæ ad oras aurum habet, dicitur auro prætexta, id est, *bordada.* ita litus quoque dicitur prætextum puppibus. Pari Ovidius, & cum animo ad Virgilium:

Quid referam Bajas, prætextaque litora velis?

Pari Lucanus lib. 10.

—— *densæ prætexunt litora classes.*

Pari Sen. ep. 89. *Nullum flumen, cujus non ripas ædificia vestra prætexant.* & ep. 101. dixit, vias prætexi tumulis, & monumentis. *Cerda.*

Juvenum manus.] Post conditam in Sicilia civitatem, senum aut nulla aut rara fit mentio. *Servius.*

Emicat.] Gestum lætitiæ designat. Ovid. l. 1. Met. ✠ſ. 776.

Emicat extemplo lætus post talia ——

Emmeness.

Ardens.] Festinans: ut, *Instant ardentes Tyrii.* Servius.

6. *Litus in Hesperium.*] Hic ostenditur esse minorem, & omnem Italiam *Hesperiam* dictam (ut supra diximus) vel à rege, vel à stella. *Idem.*

Semina flammæ.] Σπέρματα πυρὸς Homerus dicit, id est, semen ignis. *Idem.*

Semina flammæ.] Homer. σπέρματα πυρὸς: Odyss. ε. quæ sunt scintillæ. Lucret. lib. 1.

Semina sunt ardoris multa.

vide Turn. l. 13. c. 21. *Sie schlagen Fewer auff.* Taubm.

7. *Abstrusa in venis silicis.*] In Georg. *Et silicis venis abstrusum excuderet ignem.* *Abstrudere* enim est, de industria celare. *Servius.*

Abstrusa.] Antiqui aliquot codices, *obstrusa* legunt. Sed *abstrusa* receptior lectio. *Pierius.*

Quærit pars semina flam. Abstr.] Epig. lib. 6. καὶ τὴν ἐγρεσιφαῆ πυρὸς ἔγγονον ἔμφλογα πέτρον. & eodem, καὶ λίθον ἀντιτύπῳ κρούματι πυρσοτόκον. Respondet & seminibus flammæ & illud in Epigr. σπέρμα πυρὸς σώζειν πέτρον ἐπιστάμενον. Dicitur item πυρίτης λίθος. Affine autem est huic Virgilii loco illud Sophoclis in Philoct. εἶτα πῦρ ἂν οὐ παρῆν, ἀλλ' ἐν πέτροισι πέτρον ἐκτρίβων, μόλις ἔφην' ἄφαντον φῶς. Græci etiam id πύρειον vocant, quod constat silice & ferro, quæ collisa ignem excutiunt: quod & ἔναυσμα, & ἐμπύρευμα dicunt. Alludere autem videtur ad illud Lucretii lib. 1. *Verum semina sunt ardoris multa, terendo Quæ cum confluxere, creant incendia silvis.* Germ.

Abstrusa in venis silicis.] Sic l. 1. Æn. ✠ſ. 174.

Ac primum silici scintillam excudit Achates
Suscepitque ignem foliis, &c.

ignis semina esse in lapidibus probat ex veteribus Brod. l. 5. Misc. c. 36. idque confirmatur à Silio Ital. l. 2.

—— *focique*
In silicis venis.

Lambinus ad Horat. l. 1. od. 3. legit *obstructis.* Emmeness.

Ferarum tecta.] Epexegesis silvæ. *Servius.*

8. *Flumina monstrat.*] Quæcunque fluenta. Et sciendum monstrari Æneæ ad expiandum se. Nam funestatus fuerat

At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,
Antrum inmane, petit: magnam cui mentem animumque
Delius

:at morte Palinuri: non quod eum vi-
lerat, sed quod funus agnoverat, id
:st, doluerat. In eo enim est pollutio,
juod ait, *Casuque animum concussus*
imici. Nam ipsa impiant, quæ agnosci-
nus. Unde in Livio habemus, Hora-
ium Pulvillum, cum Capitolium de-
licare vellet, audisse ab inimico mor-
:uum filium: & ne pollutus dedicare
ıon posset, respondisse, *cadaver sit.*
Hanc autem purgationem Æneæ dat
ıbique Virgilius, ut paulo post, *Cor-*
usque recenti Spargit aqua. Idem.

Flumina monstrat.] Seneca 3. de Ben.
Beneficium est arentibus siti monstrare fon-
'em. Cerda.

9. *At pius Æneas.*] Oportune hoc
oco, quippe ad templa festinans. *Ser-*
vius.

Arces, quibus altus Apollo.] Cum
ıbique arx Jovi detur, apud Cumas in
ırce Apollinis templum est: *altus* au-
em vel magnus: ut, *Jacet altus Oro-*
tes. Et de ipso Apolline, *Sic pater ille*
leum faciat, sic altus Apollo. Vel ad si-
nulacri magnitudinem retulit, quod
uisse constat altissimum. Cælius enim
le Cumano Apolline ait, *Est in fano*
ignum Apollinis ligneum, altum non mi-
nus pedes xv. Cujus meminisse putatur
Virgilius. *Idem.*

Altus Apollo.] Addit Stat. Theb. l. 3.
Consiliis. ut *sed altus consiliis pater, &c.*
Emmeneß.

Quibus præsidet.] Quibus præest,
juas defendit. *Servius.*

10. *Horrendæ.*] Venerandæ: ut,
Horrendum silvis & relligione parentum.
Idem.

Horrendæ.] Sic *horrere* sæpe idem
juod *venerari.* Horat. l. 1. Epist. 18.
Sic nutum divitis horret. ad hunc locum
vide Torrent. & me l. 1. Æn. ℣. 165.
Emmeneß.

Procul.] Haud longe. *procul* enim
:st & quod præ oculis est: & quod por-
ro ab oculis. Unde duplicem habet si-
gnificationem. *Servius.*

Sibyllæ.] Quasi σιῦ βυλὴ, id est, Dei
sententia. quod Poëta expressit, cum
addit,

— *cui mentem animumque*
Delius inspirat vates,

id est, Apollo fatidicus. Æolici autem
σιὺς vocant Deos. *Taubm.*

11. *Antrum inmane petit.*] Epexe-
gesis domus Sibyllæ. *Servius.*

Sibyllæ Antrum inmane] De eo Lyco-
phr. ἔνθα παρθένυ ϛυγνὸν σιβύλλης ἐϛὶν
οἰκητήριον. De hoc Aristot. l. περὶ θαυμ.
ἀκυσμ. & Agathias histor. l. 1. *Emm.*

Mentem animumque.] Perissologia est.
Nam secundum Lucretium unum est,
mens & animus. Servius.

Mentem animumque.] Servius & P.
Lætus περισσολογίαν censent. Turneb.
lib. 28. cap. 44. & alii discernunt. ut
Lactant. lib. 7. *Non idem est,* inquit,
Mens & Animus. aliud enim est, quo
vivimus: aliud quo cogitamus. nam dor-
mientium Mens, non Animus sopitur: &
in furiosis Mens exstinguitur, Animus
manet. Certe *Amentes* dicuntur & *de-*
mentes, consilii expertes, quod *Mens* pro
sapientia & intellectu capiatur: *Ani-*
mus vero pro vitæ ac voluntatis funda-
mento. Hinc illud Terentii in Andr.

Mala mens, malus animus.

Hinc & Maro lib. 4. Didonem vocat,
amentem animi. Ita Plautus Cistell. act. 1.
sc. 2.

Nubilam mentem animi habeo.

ubi Notas nostras vide. Lucret. l. 5.

— *animi vix mente videtur.*

lib. 4.

Mens animi vigilat.

Catullus ep. 51.

Mens animi tantis fluctuat ipsa malis.

Ita & Cic. distinguit Tuscul. 3. De Fi-
nib. lib. 5. & alibi. Item Aristot. qui
Mentem in Animo esse ait, quod oculus in
corpore. Taubm.

Delius inſpirat vates, aperitque futura.
Jam ſubeunt Triviæ lucos, atque aurea tecta.
Dædalus (ut fama eſt) fugiens Minoïa regna,

12. *Delius inſpirat vates.*] Apollo fatidicus. & ſic ait *Delius*, ut, *Nunc Lyciæ ſortes*, id eſt, Apollineæ. Bene autem Sibylla quid ſit, expreſſit, *Magnam cui mentem animumque Delius inſpirat vates.* Nam, ut diximus, *Sibylla* dicta eſt quaſi σιῦ βȣλὴ, id eſt, dei ſententia. Æolici enim σιὺς *deos* dicunt. *Servius.*

13. *Triviæ lucos.*] Congrue Apollini, Dianæ juncta ſunt templa: ut & paulo poſt, *Phœbi, Triviæque ſacerdos.* Et bene fit Lucorum Dianæ commemoratio, quia petiturus eſt inferos. *Servius.*

Triviæ lucos.] Id eſt, Dianæ, quæ triviis præſidet. unde & ab Orpheo τριοδῖτις vocatur, & paſſim à Græcis ἐνοδία θεός. Ita Theocr. ὁ θεὸς ἐν τριόδοις. Congrue autem Apollini & Dianæ juncta ſunt templa. ut & paulo poſt,

—, *Phœbi Triviæque ſacerdos.*

Et bene lucos Dianæ memorat: quia petiturus eſt Inferos. *Taubm.*

Aurea tecta.] Apollinis ſcilicet. *Servius.*

14. *Dædalus (ut fama eſt) fugiens Minoïa regna.*] Ubique de incertis dubitat, ut, *Fama eſt Enceladi.* Sane fabula de hoc talis eſt. Indicato à Sole adulterio Martis & Veneris, Vulcanus minutiſſimis catenis lectulum cinxit: quibus Mars & Venus ignorantes implicati ſunt, & cum ingenti turpitudine reſoluti ſub teſtimonio cunctorum deorum. quod factum Venus vehementer dolens, ſtirpem omnem Solis perſequi infandis amoribus cœpit. Igitur Paſiphaë Solis filia, Minois regis Cretæ uxor, Tauri amore flagravit: & arte Dædali incluſa intra vaccam ligneam, ſeptam corio juvencæ pulcherrimæ, cum tauro concubuit. Unde natus eſt Minotaurus: qui intra Labyrinthum incluſus humanis carnibus veſcebatur. Sed Minos de Paſiphaë habuit liberos plures, Androgeum, Ariadnem, Phedram: Sed Androgeus cum eſſet athleta fortiſſimus, & ſuperaret in agonibus cunctos, apud Athenas ab Athenienſibus conjuratis occiſus eſt. Quod Minos dolens, collectis navibus bella commovit: & victis Athenienſibus pœnam hanc ſtatuit, ut ſingulis quibuſque annis ſeptem de filiis ſuis edendos Minotauro mitterent. Alii dicunt à Minoë in vindicta filii occiſi, ſicut dictum eſt, Phœbum rogatum, qui cum Athenienſibus peſtilentiam miſiſſet, præceptum oraculo eſt de ſeptenis filiis annuis ad Minotauri paſtum dirigendis. Sed tertio anno Ægei filius Theſeus miſſus eſt, potens tam virtute, quam forma, qui cum ab Ariadne regis filia amatus fuiſſet, ex Dædali conſilio labyrinthi iter filo rexit: &, necato Minotauro, cum rapta Ariadne victor aufugit. Quæ cum omnia factione Dædali Minos repperiſſet effecta, eum cum Icaro filio ſervandum in Labyrinthum truſit. ſed Dædalus corruptis cuſtodibus, vel, ut quidam tradunt, ab amicis ſub faciendi muneris ſpecie, quo ſimulabat ſe regem placare poſſe, ceram & linum accepit & pennas, unde tam ſibi, quam filio alis impoſitis evolavit per ſummam *ædis* partem, quæ apud veteres ſine tecto erat, cum filio volavit, ipſe juxta terram volans. Icarus altiora petens, dum cupit cœli portionem cognoſcere, pennis Solis calore reſolutis, mari, in quod cecidit, nomen Icarium dedit. Dædalus vero primo Sardiniam, ut dicit Saluſtius, poſt delatus eſt Cumas: & templo Apollini condito ſacratiſque ei alis, in foribus hæc univerſa depinxit. Dicendo autem Virgilius, *ut fama eſt*, oſtendit requirendam eſſe veritatem. Nam Taurus notarius Minois fuit: quem Paſiphaë amavit, cum quo in domo Dædali concubuit: & quia geminos peperit, unum de Minoë, a-

Præpetibus pennis ausus se credere cælo,

Insue-

ım de Tauro, enixa esse Minotaurum citur: quod & ipse paulo post osten- t dicens, *Mixtumque genus*. Sed inclu- m Dædalum corruptis relaxavit regi- ı custodibus: quia misso in mari filio, ıvi delatus est Cumas: quod & ipsum ngit dicens, *Remigium alarum*. *Alæ* ıim & volucrum sunt, & navium, ut *elorum pandimus alas*. Panoticos de- ıcon * Dædalum propter supradictas usas fugientem navem conscendisse, cum imminerent, qui eum sequeban- r, intendisse pallium ad adjuvandum ntos, & sic evasisse. Illos vero, qui sequebantur, reversos nuntiasse, pin- s illum evasisse. Menecrates Dæda- m occiso patruele fratre Cretam pe- sse dicit, Icarum filium ejus ab Atti- s pulsum, dum patrem petit naufra- o perisse, unde mari nomen. Qui- ım hunc Dædalum, Eupalami filium, te fabrili nobilem, occiso Perdice so- ıris suæ filio, quem solum habere me- ebat æmulum artis suæ, nam ab illo & um serræ de osse interiore piscis, & rcinum propter nomen suum. * Nam iquibus circinus putatus est appellatus, l ut quidam organum inventum tra- ınt, fugientem invidiam ad Minoëm latum Cretam, Pasiphaës uxoris ejus fandi stupri dolum fabricasse. *Serv.*

Minoïa regna.] Cretam scilicet, id t, è Minois sævitia*. *Idem.*

Dædalus, &c.] Fabulam Dædali adit Ovid. l. 8. Metam. vs. 182. & seqq. l. Ital. l. 12. alludit Horat. l. 1, Od. 3. *xpertus vacuum Dedalus aëra Pennis n homini datis.* Emmeness.

Ut fama est.] Antiqui plerique codi- s, *est* non habent. Sed absque eo ver-) versus nimium elanguescere videre- r. *Pierius.*

Ut fama est.] Quæ admirabilia sunt, magna, & quæ possunt fidem exce- re, famæ solens Virgilius adscribit. ıde hic, *ut fama est*, & alibi: *Fama* , *Enceladi*; atque illud: *Namque fe- nt fama, Hippolytum.* Notarunt hæc qui, quibus Magius lib. 3. Miscell. cap. 12. addidit Aristotelem in lib. de Poëtica: ὅλως δὲ τὸ ἀδύνατον μὲν, ἢ πρὸς τὴν ποίησιν, ἢ πρὸς τὸ βέλτιον, ἢ πρὸς τὴν δόξαν δεῖ ἀνάγειν: *In summa, quod fieri nequit, vel ad ipsam poësin, vel ad meliorem modum: sive etiam ad famam referendum est.* Dicuntur hæc ab Aristotele forma quadam præceptionis poëticæ. Talis ea præfatio Livii lib. 1. *Si famæ credimus, ab Ulysse, Deaque Circe oriundus.* Huc allusisse crediderim Aristophanem in Irena, ubi quidam Trygæum parantem se ad volatum, ita admonet:

Ἐκεῖνο τήρει, μὴ σφαλεὶς καταῤῥυῇς
Ἐντεῦθεν, εἶτα χωλὸς ὢν, Εὐριπίδῃ
Λόγον παρέχοις, καὶ τραγῳδία γένῃ:
Illud cave, ne labens cadas
Inde, ac deinde claudus Euripidi
Sermonem præbeas, & fias tragœdia.

Similes enim ruinæ tragicorum sermonibus vulgabantur, ibantque in παροιμίαν, ut accidit volanti Icaro. *Cerda.*

15. *Præpetibus pennis,*] Vel velocibus, vel felicibus. *Præpetes* autem dictæ, vel quod priora petant, vel summi volatus, vel qui præ petit volatum, vel quæ secundum auspicium facit, & quidam *præpetes* tradunt, non tantum aves dici, quæ prosperius prævolant, sed etiam locos quos capiunt, quod idonei felicesque sunt, unde bene Dædali pinnas *præpetes*, quia de locis, in quibus periculum metuebat, in loca tutiora pervenit, *præpetes* enim sunt aves boni augurii, quod huic dat quia pervenit. *Servius.*

Ausus se credere cœlo.] Quasi alienis rebus. Horatius, *Expertus vacuum Dædalus aëra Pennis non homini datis.* Idem.

Ausus.] Ut rem arduam, & homini insuetam. Sillius:

—— *æthereas aliena tollere in auras*
Ausus se penna, atque homini monstrare volatus.
Suspensam hic librans media inter nubila corpus
Enavit, superosque novus conterruit ales.

Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicamque levis tandem superadstitit arcem.
Redditus his primum terris, tibi, Phœbe, sacravit
Remigium alarum, posuitque immania templa.

I

Natum etiam docuit falsæ sub imagine plumæ
Attentare vias volucrum, lapsumque solutis
Pennarum remis, &c. Taubm.

16. *Insuetum.*] Hominibus scilicet. *Servius.*

Enavit ad Arctos.] Bene miscet utrunque. *Nare* enim & de navibus dicimus: ut *Natat uncta carina.* Item, *Et terris adnare necesse est.* Et de volatu: ut, *Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen. Ad Arctos* autem, si ad fabulam, contra Septentrionem, ut quidam volunt propter fervorem Solis & ceratas pinnas: si ad veritatem, ad Septentrionis observationem, quod navigantibus convenit. *Idem.*

17. *Chalcidicamque.*] Quam civitatem Chalcidenses condiderunt, & supra de insula, nunc à civitate dedit epitheton. *Idem.*

Chalcidicamque, &c.] Julius Hyginus hunc errorem in historia à Virgilio admissum notat apud Gell. l. 10. c. 16. in plurimis etiam editionibus *Chalcidica arce* legas. Utrumque recte. *Emmeness.*

18. *Redditus his primum terris.*] Quasi de alieno elemento in suum. Horatius, *Finibus Atticis reddas incolumem precor.* Servius.

Redditus his terris.] Sic Cic. pro Milon. c. 34. *Ego cum te patriæ reddidissem.* Horat. l. 1. od. 3. *Creditum Virgilium: finibus Atticis reddas incolumem precor.* Verbum sane, quod respondet præcedenti *credere.* Vide Lambinum arguentem Servium, quod nec Horatii, nec Virgilii mentem perceperit. *Emmeness.*

Sacravit.] Alas Dædalus in honorem Phœbi suspendit, quarum ope volaverat ex more veterum, qui solebant Deorum templis res illas offerre, quæ sibi vel usui fuissent, vel ornamento. Ita ari[es] Phryxi sacratus est Marti apud Colcho[s] quo ille per maria vectus fuerat, & M[i]das regiam sellam obtulit Apolli[ni] Delphico, in qua sedens jura dedera[t] quod narrat Herodotus lib. 1. Ita Dio[dorus] dux apud Plutarchum de mali[g]nitate Herodoti, dedicat Latonæ ar[]ma. Ita sellam Xerxis, & acinacen[] Mardonii dicata fuisse, alteram è Sala[]minia, alterum è Platæensi victoria scribit Enarrator Demosthenis in 3. O[]lynth. Omitto multos. Potest enim locus iste illustrari his, quæ in Eclogi[s] ad illud,

Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.
Cerda.

19. *Remigium alarum.*] Artem volandi. Et iterum miscet dicendo *remigium*, quod est navis. *Servius.*

Remigium alarum.] Sic & Lucret. l. 6 de volucribus: *Remigii oblitæ pennarum vela remittunt:* & Plaut. in Amphitr. *Non ocyus quivi si me Dædaleis tulissem remigiis:* & Æsch. in Agam. στροφοδινοῦνται πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι de expeditione Græcorum in Troadem ad Helenam recipiendam. Sic & Hesiod. in Theog. de aquila Promethei, ἴσα δ' εὐξέστοις ὠκύπτερα πάλλεν ἐρετμοῖς· & Epigr. 3. εἰς ἀλέκτορα, οὐκ ἔτι μ' ὡς τὸ πάρος πυκιναῖς πτερύγεσσιν ἐρέσσων ὄρσεις ἐξ εὐνῆς, &c. & Luciano εἰρεσία τῶν πτερῶν. Græcis autem ταρσὸς κωπῶν, & νεῶν, & ταρσοὶ simpliciter: & πτερὰ, series remigii in triremibus, & palmulæ ipsæ remorum dicuntur. Aristotel. quoque pinnas piscium, quas ad natationes explicant, πτερύγια vocat: τοῖς μὲν ὄρνισιν αἱ πτέρυγες, τοῖς δ' ἐνύδροις τὰ πτερύγια. *Germanus.*

Remigium alarum.] Ita & Lucret. l. 6. de avibus:

Remigii oblitæ pennarum vela remittunt.

Ala

In foribus letum Androgeo: tum pendere pœnas
Cecropidæ juffi (miferum) feptena quotannis

Cor-

'la autem navium (ut & P. Lætus no-t) funt remorum ordines, ταρσοὶ & *ἱερὰ*; non autem vela. Prop. l. 4. el. 6.

— *claßis centenis remiget alis.*

libi tamen:

— *velorum pandimus alas.*

aubmannus.

Pofuit.] Exædificavit. *Servius.*

Pofuitque inmania templa.] Aufo-us quoque hos verfus Maronis re-exit his fuis: *Non hoc fpernat opus rtinius aliger ædis Conditor Euboïcæ, fus quem fingere in auro Conantem arios patrii pepulere dolores.* Germa-us.

20. *Letum Androgeo.*] Secundum tticam linguam genitivus fingularis ræcus eft: cum ipfe alibi, *Androgei leam*, quidam tamen hic fubaudiunt *fuit*, id eft, pinxit: ut Horatius, *Qua-Parrhafius prodidit aut Scopas Solers, nc hominem ponere nunc deum: Hic xo, liquidis ille coloribus.* Sane non-illi hunc *Androgeum*, non ita quem-modum fupradictum eft, infidiis oc-fum; fed à Marathonio tauro, qui mmas vomere dicebatur, conflagra-m tradunt. *Servius.*

Androgeo.] Quamvis Prifcianus & rvius in *Androgeω* Atticum agnofcant ioma, in veteribus tamen plerifque dicibus, *Androgei* Lat. idiomate fcri-um obfervavi. Quam lectionem im-obat Probus, ne novam hanc quis ret quæftionem, eveniffeque id ob ræcæ declinationis, qua Virgilius ufus erit, ignorantiam dicit. Citat etiam arifius locum hunc, ubi genitivum *Androgeω*, facere oftendit ex nomina-vo, qui fit *Androgeως*, de quo fecun-libro plura diximus. *Pierius.*

Androgeo.] Gignendi cafus Atti-s τοῦ ἀνδρόγεω. Erat autem *Andro-us* Minois filius, athleta fortiffimus: em cum Athenienfes ex invidia in-liofe interfeciffent, rex devictos eo egit, ut quotannis feptem mares totidemque fœmellas Minotauro devorandos Cretam mitterent. ut Plato etiam & Ifocrat. tradunt. Hinc Catullus in Argon.

Nam perhibent olim crudeli pefte coactam
Androgeoneæ pœnas exfolvere cædis
Electos juvenes, fimul & decus innuptarum
Cecropiam folitam effe dapem dare Minotauro.

Atque hanc hiftoriam in foribus templi hujus Apollinei pictam aut potius *fculptam* (ftatuarius enim fuit Dædalus, auctore Platone) fuiffe hic Maro ait. Ego malim τὸ *pofuit* ἀπὸ κοινοῦ repeti. Horat. 4. Oda. 8.

— *artium*
Quas aut Parrhafius (pictor) *protulit,*
aut (fculptor) *Scopas;*
Hic faxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem PONERE, nunc
deum. Taubm.

Foribus Androgeo.] Quod moris fuit. incidebant enim columnis, pilis, foribus res infignes, quarum memoriam extare volebant. Noftrum imitatus eft Sil. Ital. l. 3.

In foribus labor Alcidæ Lernæa recifis
Anguibus Hydra jacet, &c. Emm.

Pendere.] Solvere: quod ut fupra diximus, tractum eft à pecuniaria damnatione. *Servius.*

21. *Cecropidæ juβi.*] Athenienfes à rege Cecrope. *Idem.*

Miferum.] Dolentis interjectio: ac fi diceret *nefas*. Et quid eft *miferum* fubjunxit dicens:

Septena quotannis corpora natorum.] *Septena quotannis*, quidam feptem pueros & feptem puellas accipi volunt, quod & Plato dicit in Fædone, & Saffo in Lyricis, & Bacchilides in Dithyrambis, & Euripides in Hercule, quos liberavit fecum Thefeus, quorum hæc nomina feruntur: Hippoforbas & Libi, id eft * Arcadis, Antimachus Euandri,

Mneftcus

Corpora natorum; ſtat ductis ſortibus urna:
Contra elata mari reſpondet Cnoſſia tellus:
Hic crudelis amor tauri, ſuppoſtaque furto

Mneſteus Sumiani, Fidocus Ramnutis, Demolion Cydani, Purieſion Celei: Puellæ, Hæcperibea Alcatini * Medippe Pyrii, Ieſione Celei, Andromache Eurymedontis, Eurymeduſa Polixeni, Europe Laodicis, Milita Triaconi. * *Serv.*

Septena quotannis.] *Septena* pro bis ſeptem, ut Plato in Phædone hanc fabulam perſtringens, τοῦτο ἐστι πλοῖον, ὥς φασιν Ἀθηναῖοι, ἐν ᾧ Θησεύς ποτε εἰς Κρήτην τοὺς δὶς ἑπτὰ ἐκείνους ᾤχετο ἄγων, καὶ ἔσωσέ τε καὶ αὐτὸς ἐσώθη. Huic autem loco reſpondet illud Catulli: *Nam perhibent olim crudeli peſte coactam Androgeoneæ pœnas exolvere cædis Electos juvenes, ſimul & decus innuptarum Cecropiam ſolitam eſſe dapem dare Minotauro.* Germanus.

Quotannis.] Ovid. tamen & Plutarch. nono quoque anno factum ſcribunt. *Taubmannus.*

22. *Corpora natorum.*] Bene *corpora*, quæ adempta vita conſumebantur. Vt ſuper orbitatem parentibus ne ſepelire quidem liberos licuiſſet, magna ergo periphraſi dicta eſt. *Servius.*

Stat.] Aut horret: ut, *Stant lumina flamma.* Aut plena eſt, ut, *pulvere cælum Stare vident.* Aut re vera *ſtat*, poſt ductas ſortes; aut certe ad picturam reſpexit. Nam volvi in pictura non poterat urna. Et licet non poterat, & non ſit urnæ ſtare, de pictura tamen bene dictum eſt. Sed ſi *ſtat*, horret acceperimus. *Idem.*

Ductis ſortibus.] Intelligimus de qua ducebantur: ut, *Et qua vectus Abas.* Nam à paſſivo (ut ſæpe diximus) inveniri non poteſt participium præſens. Proprie autem *ductis ſortibus*: Salluſtius, *Sorte ductos fuſti necat.* Idem.

23. *Contra.*] Pro è regione. ut Ovid. Met. l. 7. ℣ſ. 587.

Templa vides contra gradibus ſublimia longis. Emmeneſſ.

Elata mari.] Perite dixit, eminens eſt enim, & bene ſitum expreſſit: [...] enim Saluſtius dicit, *Creta altior eſt, qu[a] parte ſpectat Orientem.* Servius.

Elata mari.] Ex natura inſularum, [&] Cretæ inprimis. Inſularum, nam in[-]ſulæ omnes in mari aſſurgunt: Creta[m] nam Salluſtius, citante Servio: *Cret[a] altior eſt, qua parte ſpectat Orientem.* At qui Athenæ reſpectu Cretæ ad Orien[-]tem pertinent, ut videas nihil fruſtr[a] dici à vate. Ex eadem peritia in 5.

Ut quondam Creta fertur Labyrinthus i[n] alta.

Fabius Declamat. 388.

Elato alluitur mari.

Cerda.

Reſpondet.] Aſpicitur. Nam contr[a] Athenas eſt poſita. *Servius.*

24. *Suppoſtaque furto.*] Hoc eſt, fur[-]tim incluſa in vaccam ligneam, quæ e[-]rat operta ejus vaccæ corio, quam ma[-]xime taurus adpetebat: aut *furto* adul[-]terio, ut *Vulcani, Martiſque dolos & dulcia furta*; poteſt autem, ſicut dictum eſt, & ad vaccam referri, cujus ſpeci[e] tauro furata ſit coitum. *Idem.*

Furto.] Alludit ad concubitum oc[-]culte factum. nam quicquid occulte fit Poëtæ *furtum* appellant. Tibull.

Celari vult ſua furta Venus.

Infra 7. Æn. ℣ſ. 282.

Suppoſita de matre nothos furata creavit.

Ita Muſæus dixit, σκοτόεσσαν ὑποκλέπτειν Ἀφροδίτην. & eleganter ὑποκλέπτειν εὐνὴν, id eſt, *furari*, pro concum[-]bere dixit Sophocles. σκοτίους Homeru[s] vocat ex ejuſmodi furto natos. Pinda[-]rus παρθενίαν ὠδῖνα eleganter è furt[o] natum vocat, Olymp. 5.

Παρθενίαν ὠδῖνα κρύψαι κόλποις.

Vide & 4. Georg. *Paſiphaë* autem Soli[s] filia, Minois uxor tauri amore flagra[-]vit, & arte Dædali incluſa intra vac[-]cam ligneam & corio circumtentam cum tauro concubuit. unde natus eſt Minotaurus, qui Labyrintho incluſu[s] humani

Pasiphaë, mixtumque genus, prolesque biformis
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandæ:
Hic labor ille domûs, & inextricabilis error.
Magnum reginæ sed enim miseratus amorem
Dædalus,

manis carnibus vescebatur. Historiæ :em fides hæc est: Taurus fuit Minois . Notarius vel Magister militum: em Pasiphaë amavit, cumque eo in mo Dædali concubuit: & quia ge- nos peperit, unum de Minoe, alte- n de Tauro; enixa esse Minotaurum itur. Sed Dædalum inclusum regina, ruptis custodibus, relaxavit: qui, a- sso in mari filio, navi delatus est Cu- is. quod ipse Poëta innuit, dum ver- navium aviumque prudenter com- scet. Porro Plutarchus in Præcept. onjug. hæc omnia mystice vel Ethice letur accipere. *Taubm.*

25. *Mixtumque genus.*] Secundum itatem. *Servius.*

Prolesque biformis.] Secundum fabu- n. *Idem.*

Prolesque biformis.] Secundum fabu- n: quia viro mixtus esset taurus. Ovid. *Discordemque utero fœtum tulit.* em,

—geminam tauri juvenisque figuram, cat. *Taubm.*

26. *Veneris monumenta.*] Aut me- oria turpissimi coitus, aut ultio Ve- ris à Sole proditæ. Significat autem inotaurum. *Servius.*

Hic labor ille.] *Ille*, cum emphasi. : Labyrintho aliquid diximus lib. 5. n. ℣s. 588. Erat autem *Labyrinthus* rtentosissimum ingenii humani o- s, itinerum ambages quamplurimas cursus recursusque inexplicabiles con- iens, crebris foribus ad fallendos itus, ut subinde in eosdem errores deundum esset. neque quisquam ex- dire se poterat, nisi fili glomere gu- rnaretur. Et memorantur in historiis rum quattuor, *Ægyptiacus*, *Lemnius*, *tlicus*, & hîc *Creticus*, qui quidem ad emplum Ægyptii exstructus fuit: qui tus erat ex lapide quadrato & polito: latera singula pedes tricenos lata, quin- quagenos alta, in basi quadrata. Pyra- mides quinque habebat, in singulis an- gulis singulas, & in medio unam cen- tenum ac quinquagenum pedum, ita quidem fastigiatas, ut in summo esset orbis æneus, & petasus unus omnibus impositus fuerit, ex quo penderent ex- cepta catenis tintinnabula, quæ vento agitata longe sonitus referebant. Su- pra quem orbem quattuor Pyramides insuper singulæ erant, altæ pedum cen- tenum: & cætera, quæ Varro, apud Plin. lib. 36. cap. 13. memoriæ prodi- dit. *Taubmannus.*

27. *Inextricabilis error.*] Insolubilis, indeprehensibilis. Horatius, *Si pugnat extricata densis cerva plagis.* Si *extricata*, est soluta: *Inextricata*, insoluta sine dubio. *Servius.*

Inextricabilis error.] Pro eo Catull. in Carm. Pelei & Thet. *inobservabilis error.* Mela in Labyrinthi descriptione à Psammeticho extructi, lib. 1. cap. 9. *Magno & inexplicabili errore perplexus est.* vide Coel. ant. lect. l. 14. c. 34. *Emmeness.*

28. *Reginæ.*] Regis filiæ Ariadnes. *Servius.*

Magnum reginæ.] Servius Ariadnæ regis filiæ interpretatur, ut nimirum Polyxena apud Eurip. se reginam vocat, hoc est, regis filiam: ἐν νεκροῖσι γὰρ δούλη κεκλῆσθαι, βασιλὶς οὖσ' αἰσχύνομαι· & idem in Phoeniss. Antigonem Laii fi- liam ἄνασσαν· item & Antigone OEdi- podis filia se apud Sophocl. reginam ap- pellat: λεύσσετε Θήβης οἱ κοιρανίδαι τὴν βασίλειαν μούνην λοιπήν· quo loco nun- tius refert reges mortuos de Hæmone Creontis filio, & Antigone: τόδ' αὖ τόδ' ἄχθος βασιλέων ἥκεις φέρων. Nem- pe prisci omnes regii generis personas pari honore & nomine designabant.

Sic

Dædalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit,
Cæca regens filo vestigia. tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes:
Bis conatus erat casus effingere in auro:
Bis patriæ cecidêre manus. quin protenus omnia

Perle

Sic & ἄνακτες reges, & regum filii, & Cæsares, vel regum fratres. Aristot. de Cypriorum politia: καλοῦνται οἱ μὲν υἱοὶ καὶ ἀδελφοὶ τοῦ βασιλέως, ἄνακτες· αἱ δὲ ἀδελφαὶ καὶ γυναῖκες, ἄνασσαι. Dædalum autem non abs re Poëta reginæ miseratum amorem narrat, cum ex Homero constet eum studiose Ariadnam coluisse, Il. σ. ἐν δὲ χορὸν ποίκιλλε περικλυτὸς ἀμφιγυήεις τῷ ἴκελον, οἷόν ποτ' ἐνὶ κνωσσῷ εὐρείῃ δαίδαλος ἤσκησεν καλλιπλοκάμῳ ἀριάδνῃ, ἔνθα μὲν ἠΐθεοι, καὶ παρθένοι ἀλφεσίβοιαι ὠρχεῦντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες. *Germanus.*

Reginæ.] Ariadnæ Minois filiæ, quæ Theseum deperibat. Ita *Polyxena* apud Euripid. se ἄνασσαν vocat, quæ erat regis filia. Nam prisci omnes regii generis personas pari honore & nomine designabant. *Taubm.*

Reginæ.] Sic pro regis filia apud Stat. Achill. l. 2. *--effulget tantum regina decori Deïdamia chori.* Inde Justin. lib. 11. c. 9. matrem, uxorem, filiasque Darii ut *reginas* haberi præcepit Alexander. *E.*

30. *Cæca regens filo vestigia.*] Est hoc quod Catullus dixit:

Errabunda regens tenui vestigia filo.

Quod Plinius: *sine glomere lini exitum* (non) *invenire.* Quod Ovidius in epist.

Quæ regerent passus pro duce fila dedi.

& iterum:

Fila per adductas sæpe recepta manus.

& iterum:

Perfidus Ægides ducentia fila secutus.

Quod Propertius lib. 4. eleg. 4.

Cum patuit lecto stamine torta via.

Et lib. 2. eleg. 14.

Dædaleum lino cum duce rexit iter.

Eustathius, & Didymus ἀγαθίδα μίτου vocant, *ductum fili.* Plutarchus de sera vind. ἀναλαβόντος κλωστῆρος, quia, resumpto filo, errores solvuntur. Aristophanes in Lysist. verbo διαλύει præcessit enim κλωστήρ. *Cerda.*

Cæca vestigia.] *Errabunda* Catull. *c*[...] *cum* non solum oculis captum, sed [...] insidiosum, & occulte malum, vel l[...]tens & tacitum quid veteres dicendu[...] existimaverunt, teste Nonio c. 5. [...] *mare* dicitur *cæcos fluctus provolver*[...] qui naufragium minantur. *Emm.*

31. *Opere in tanto.*] In foribus adf[...]bre factis. *Servius.*

Partem opere in tanto, sineret dolor, Ic[...]*re, haberes.*] In antiquis aliquot, duo ill[...] verba *Icare haberes* desiderantur, Tetr[...]metro dactylico codicibus tantum ac[...] notato, *partem opere in tanto sineret do*[...]*lor.* Sed sive Virgilius, sive alius quil[...]piam versum absolverit, nihil mihi vi[...]detur eo fine dici potuisse adcommoda[...]tius. *Pierius.*

33. *Bis patriæ cecidere manus.*] Ideo[...] Quia Patriæ. *Servius.*

Bis patriæ cecidere manus.] Q. d. Ic[...]ri quoque filii tragicum casum pate[...] Dædalus in auro atque in foribus effin[...]xisset, si dolor & affectus paternæ pieta[...]tis sivisset. Ita Auson. in Mosella:

Non hoc spernat opus Gortynius alig[...]
ædis
Conditor Euboicæ, casus quem fingere i[...]
auro
Conantem Icarios patrii pepulêre dolore.

De Icaro tamen in ære efficto extar[...] Epigrammata Græca. Vehementior au[...]tem est affectus, cum dicit Poëta, ma[...]nus ipsas artifici patri cecidisse, quam [...] dixisset, scalpellum aut cælum manib[...] excidisse. *Taubm.*

Quin protenus omnia.] Ostendit plur[...] fuisse quam dixit depicta. *Servius.*

Quin protenus omnia Perlegerent ocu[...]*lis.*] In veteribus nonnullis exempla[...]ribus, *omnem* omnino scriptum anim[...]

advert[...]

Perlegerent oculis, ni jam præmissus Achates

Adso-

erti. Et quia *Picturam perlegerent* vius exponit, putarunt multi *Omnem* positum: ut, *picturam*, subintelli-etur, quæ quidem duricies à Virgi-ia phrasi, à facilitate, candoreque › plurimum aliena est. Sane vero crobius & Priscianus, & plerique *omnia* castiorem lectionem agnos-it, proque dactylico carmine locum int: neque opus ut qui subsequitur sus à vocali incipiat, ut fiat hyper-tri synalœpha. Nam & ejusmodi ra-is versus alibi etiam reperiuntur, n Bucol. *Nec tantum Rhodope miran- & Ismarus Orphea.* neque non il-, *Atria dependent Lychni laqueari-aureis.* Quod si quis dactylicum non nittat, saltem Synizesin ex tam bre-us duabus ultimis in dictione *omnia* abis non rejiciat, quæ quidem tam es, tamque tenues sunt, ut vix pro longa sufficiant. At veteres plerique ices, partim *omne* una minus lite- partim *omnes* legunt. Ac *omne* qui-ı in Romano est, quia veriti sunt rarii dactylum in fine ponere: ge-tamen mutare non ausi sunt. Qui › *omnes* scribere maluerunt, subin-igi Duces, Heroas, aut viros ibi pi-s voluere. Sed pluris apud me fuerit crobii & Prisciani auctoritas, quam um conjectura, qui veneres, quas se ferunt numeri, figuræque hujus-di admittere verentur. Quod autem inet ad Servium, tametsi exposuit *Perlegerent*, scilicet *picturam*, non ostendit, *Omnem picturam*, legen-n esse: quum Servius immoretur in ut verbum *Perlegerent* non alienum ndat à verbo γράψαι, quod & *scri-*, & *pingere* significat. Quantum › pertinet ad verbum *Perlegerent*, entius Scaurus (ubi de geminandis idis in compositione, si verbum se-ns ab aliqua earum incipiat, præce-tradit) Virgilii locum hunc citat, d quem *Pelligerent* scriptum asserat, ctumque ita ab Auctore ipso: Eos improbat, qui *perlegerent* per *r*, ut vulgata nunc habent exemplaria, legant, dicendumque ait *pelligo*, ut *alligo*, & *colligo*, prout etiam omnes antiqui, ut ait ille, dicere consuerunt. Ad hæc Velius Longus *per* præpositionem omnibus integram præponi dicit, nisi quum incidit in *i* literam: tunc enim elegantioris sermonis viri eam, ait, geminare malunt quam *l* literam exprimere. Hinc *pellabor* malunt dicere, quam *perlabor*. Adverte vero in exemplis citandis Velii codices corruptos esse: de iis loquor, qui in manus nostras devenere. Sed quanquam ita Grammatici legendum tradant, nullum tamen adhuc antiquum codicem inveni, in quo non scriptum sit *perlegerent* præpositione incolumi. Ita plerumque *adligo*, & *conligo*. Ætas vero nostra majorem Grammaticis, quam antiquis scriptionibus fidem adhibet. Et tamen Scauri nullus adhuc, quod sciam, sententiam est secutus. *Pierius.*

Omnia.] Hanc lectionem Fabricius, Cælius lib. 26. cap. 10. Macrob. lib. 5. cap. 14. Priscianus, aliique doctiores castiorem esse censent: etiam Crinitus l. 24. c. 7. *omnia*, δισυλλάβως, non, *omnem*, legendum, curiose probat: ut sit dactylicus versus. *Taubm.*

34. *Perlegerent.*] Perspectarent. Scilicet picturam. Nec incongrue dictum legerent: nam Græce γράψαι, *scribere* significat & *pingere*. Hoc est quod ait Horatius in arte poëtica, *Et nova fictaque nuper habebunt Verba fidem, si Græco fonte cadant parce detorta.* Servius.

Perlegerent.] Ter. Scaurus probat *Pellegerent*, hoc autem pro, *pellegissent*: uti mox, *Afforet*, pro *affuisset*. Et bene dixit, *Legere picturam*: cum Græce γράψαι & *pingere* dicatur & *scribere*: unde γραφεὺς & *pictor* & *scriptor*. Notusque est inter picturam & poëma consensus. Certe Simonides vocavit *picturam*, *pictam poësin*; & *Poësin*, *loquentem picturam*: auctore Plutarcho. *Taubm.*

Perlegerent oculis.] Ad hunc locum vide Junium de Pict. veter. l. 1. c. 4. *Emm.*

Præ-

35 Adforet, atque una Phœbi Triviæque sacerdos
Deiphobe Glauci, fatur quæ talia regi:
Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.
Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentis.

Tal

Præmissus Achates.] Καλὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus *secundum*, id est, secundum taciturnitatem. *Servius.*

36. *Deiphobe Glauci.*] Subaudis *filia*, & est proprium nomen Sibyllæ. Multæ autem fuerant, ut supra diximus, quas omnes Varro commemorat: & requirit, à qua sint fata Romana conscripta: & multi sequentes Virgilium, ob hoc Cumanam dicunt: ut quæ licet longæva legatur, tamen non valde congruit eam usque ad Tarquinii tempora durasse, cui Sibyllinos libros constat oblatos. Ducitur tamen Varro ut Erythræam credat scripsisse, quia post incensum Apollinis templum, in quo fuerant, apud Erythram insulam, in Asia ipsa inventa sunt carmina. *Idem.*

Deiphobe.] Innumeros pene codices invenias, in quibus inemendate *Deiphœbe*, vel *Deiphebe* scriptum sit. Sed enim casta lectio Δηϊφόβη *Deiphobe*. uti etiam Δηΐφοβος inferius, quod fere passim in codicibus antiquis, librariorum inscitia, *Deiphœbus* scriptum habetur. *Pierius.*

37. *Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.*] Ut supra diximus Apollinem sex mensibus apud Lycios, & sex apud Delum dedisse responsa. Item lectum est deos aliquotiens tantum calendis, aliquotiens tantum idibus vaticinari: nonnunquam diei vel prima, vel media, vel postrema parte. Unde est in jure *fissus dies*, id est, non totus religiosus: quem nunc ostendit dicens non oportere Æneam, religiosam diei partem perdere, id est, oraculis congruam. Sane sciendum *poscit* lectionem esse meliorem. Tempus enim poscit spectacula, non à spectaculis poscitur. *Servius.*

Poscit.] In Romano codice, *poscunt* numero multitudinis est: ut tempus appositum, quippe quod alii negotio impendendum. *Pierius.*

38. *Nunc grege de intacto.*] *Grege* pro *armento* posuit. Nam de juven dicturus est, sed hæc per poëticam centiam sæpe confundit. Illo loco pr prie posuit, *Quinque greges illi bala tum quina redibant Armenta.* Servius

Intacto.] Indomito: ut, *Intacta to dem cervice juvencas.* Idem.

Grege de intacto, &c.] *Gregem* p *armento* posuit: nam de juvencis dict rus est. Proprie 7. Æn.

Quinque greges illi balantum, qui redibant
Armenta.

Per *intactum gregem* intelligit ἀδμῆτ βόας Homeri, qui *boves* vel *hostiæ in ges* vocantur Macrobio lib. 3. cap. hoc est, quæ nunquam domitæ ac ju subditæ sunt. Inepti autem sacris era vel quia impium esset, boves arato immolare, vel quia manu & labc rustico pollutos credebant: de q Turn. l. 18. c. 2. *Taubm.*

39. *Lectas de more bidentis.*] *De r re*, antiquo scilicet, quem prætern sit: quasi tunc omnibus notum, id e ne habeant caudam aculeatam, ne li guam fissam, ne aurem nigram: quod docet aliud esse *intactum*, ali *lectum*. *Bidentes* autem, ut diximus pra, oves sunt circa bimatum habe tes duos dentes eminentiores: q erant aptæ sacrificiis. *Servius.*

Lectas bidentis.] *Bidentes* dictæ ov quod circa bimatum duos dentes h berent eminulos: unde & *ambiden* dictæ. Glossarium διόδοντα πρόβα vocat. de quo eruditissime Scaliger *Festum* & *Varron.* pag. mihi 31. & Neque *oves* tantum *bidentes* dici, sed

tai

Talibus adfata Ænean (nec ſacra morantur
Juſſa viri) Teucros vocat alta in templa ſacerdos.
Exciſum Euboïcæ latus ingens rupis in antrum:
Quo lati ducunt aditus centum, oſtia centum:
Unde ruunt totidem voces, reſponſa Sibyllæ.
Ventum erat ad limen, cum virgo, Poſcere fata
Tempus, ait. deus ecce, deus. cui talia fanti
Ante fores ſubito non vultus, non color unus,
Non comtæ manſêre comæ; ſed pectus anhelum,

Et

uros & *verres* qui bimi ſint, docet iem Scal. ad *Cirin*, & Agellius lib. 16. 6. Quidam (ut & Erythr.) putarunt *dentes* dici, quaſi *biennes*, immiſſa *d* tera. Porro oves ad ſacrificium ex- ꝑtæ proprie dicebantur *lectæ*, quem- dmodum boves *egregii*, & porci *exi- ii*: de quo uberius 4. Æn. ℣ſ. 57. & .Georg. ℣ſ. 538. *Taubm.*

42. *Euboicæ latus rupis.*] Deeſt *eſt*, oc eſt montis Cumani, quem Euboi- habitaverunt. Eſt autem Acyrologia. olonia enim epitheton rei dedit im- iobili. *Servius.*

In antrum.] In antri ſimilitudinem, t *Portus ab Eoo fluctus curvatus in arcum.* dem.

Exciſum in antrum.] Id eſt, in mo- um & ſimilitudinem antri: ut 3. Æn. *Portus curvatus in arcum.*
1. Æn.
Pellis in plumam conſerta.
. Æn.
Corripit in nodum.
'urneb. l. 24. c. 40. *Taubm.*

43. *Quo lati ducunt aditus centum.*] Ion ſine cauſſa & aditus & oſtia. Nam 'itruvius, qui architectonica ſcripſit, *ſtium* dicit per quod ab aliquo arcemur ngreſſu, ab oſtiando dictum: *aditum*, b adeundo, per quem ingredimur. *ervius.*

Oſtia centum.] Finitus numerus pro ıfinito: licet & poſſit rationabiliter ictum eſſe. Reſponſa enim Sibyllæ ı hoc loco plus minus centum ſermo- um ſunt. Inveniuntur tamen Apolli- nis elogia, & viginti quinque & trium ſermonum. Unde & melius eſt finitum pro infinito accipi. *Idem.*

44. *Totidem voces.*] Ac ſi diceret, tot ſermones. *Idem.*

46. *Deus ecce, deus.*] Vicinitate templi jam adflata eſt numine. Nam furentis verba ſunt deum velle oſtendere, qui ipſi tantum videtur. Sane cauti eſſe de- bemus, quando plena ſit numine, & quando deum deponat. De Miſeno enim poſt vaticinationem dictura eſt. *Idem.*

Deus ecce, deus.] Vicinitate tem- pli jam afflata eſt numine: nam fu- rentis eſt, dæmonem ἀόρατον & in- adſpicuum aliis velle oſtendere. Ita Ovid. 15. Met.

En deus eſt, deus eſt: animis linguiſ- que favete,
Quiſquis adeſt, dixit.

Ejuſmodi autem homines dicebantur *fanatici*, Græcis ἔνθεοι & θεοφορούμενοι, quod non ſponte, ſed numine ferren- tur. De quibus Budæus ad Pandect. Vult autem hic cautos eſſe Trojanos, ut auſcultent oraculis, antequam deum iterum deponat. *Taubm.*

47. *Non color unus.*] Idem Lucanus, *Stat nunquam facies.* Servius.

Non color unus.] Enthuſiaſmi deſcri- ptio: qualis & 4. Georgic. ℣ſ. 450. *Taubmannus.*

48. *Comtæ comæ.*] Antehac ſcilicet. Nam propter ſacra reſolutæ ſunt, ut, *Vittaſque reſolvit Sacrati capitis.* Ser- vius.

Et rabie fera corda tument: majorque videri,
Nec mortale sonans, adflata est numine quando
Jam propiore dei. Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Ænea? cessas? neque enim ante dehiscer
Adtc

49. *Rabie.*] Sc. divinandi, & spiritu fanatico. *Taubm.*

Fera corda.] Ita ℣ſ. 79.

— tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans.

Idem.

Rabie fera corda tument.] Horat. l. 1. od. 16.

Non Dindymeæ, non adytis quatis
Mentem sacerdotum incola Pythius.

An à terra oriatur illa animi concitatio disputat Cic. l. 1. de divinat. *Emm.*

Majorque videri.] Videbatur, sicut solebat in vaticinatione apparere per numinis præsentiam: quod humanis inludebat aspectibus. Unde ait, *Majorque videri.* Non enim erat re vera. *Servius.*

Majorque videri.] Incepit enim videri major Sibylla illusione dæmonis. Ita Seneca in Agamemn.

Nunc levat in auras altior solito caput,
Graditurque celsa.

Quippe afflati numine videbantur majores solito. Ita explicabis Catullum de Nupt. Pelei, qui de ministris afflatis Bacchi furore:

Plangebant alii proceris tympana palmis. Cerda.

50. *Nec mortale sonans.*] Alia enim vox numinis est: ut, *Nec vox hominem sonat.* item, *Vocisve sonus, vel gressus euntis.* Servius.

Adflata est numine.] Nondum deo plena: sed adflata vicinitate numinis. *Idem.*

Adflata est numine.] *Afflati* dicuntur vates, quomodo dæmonio sive spiritu, qui ventus quidam est, corripiuntur. Servius *afflatam* hic interpretatur, Nondum Deo plenam, sed afflatam vicinitate numinis. Nascim. a. contrarium ab ipso Poëta significari ait, cum addat; *numine propiore dei:* quo nihil aliud velit intelligi, quam præsentia numinis in interiore corporis parte S byllæ. unde ℣ſ. 79.

— si pectore possit
Excussisse deum.

Nam *afflari* esse non tantum flatu co tingi, sed & spiritu repleri: ut ap Ovid. 6. Fast. de tibia:

— Afflatam sensit habere sonum.

Ita Cicero pro Archia, *Poëtas*, ai *divino quodam spiritu afflari*, id es repleri. *Taubm.*

Quando.] Siquidem: nam conju ctio est, nec dubium adverbium. *Se vius.*

51. *Cessas in vota.*] Tardus es a vota facienda. Nam si dixerit *Cessas votis*: hoc significat, tardus es, du vota facis. Aliud est *cessas in illam re* aliud *cessas in illa re*: tardus es ad f ciendam rem, & tardus es in facien re. Figurate autem dixit, *cessas*, cir promittenda vota numinibus. *Idem.*

Cessas in vota.] Nunquam hic vat est absque decoro. Vides ut libere S bylla virum principem reprehendat, decoro religionis, cui subditi esse d bent principes. Ita sup.

Non hoc ista sibi tempus spectacula p scit.

Visum mihi verba ipsa ducta ab Turp lio in Thrasyleone: *Cesso occupare*, *me in colloquium conferre horum?* Cerd.

52. *Tros.*] Principale pro derivat vo, pro *Troïus.* Servius.

Ante dehiscent.] Trahit hoc de M tris deûm templo: quod non man sed precibus aperiebatur. *Idem.*

Neque enim ante dehiscent.] Par lo cus 3. Æn. ubi post orationem istam,

Da propriam Thymbræe domum,

Oraculi vox auditur. Par apud Senecа in Oedip. ubi etiam oraculum reddit post ista,

Ut sa

Adtonitæ magna ora domus. & talia fata
Conticuit. gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor, funditque preces rex pectore ab imo:
Phœbe, gravis Trojæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque

Cor-

Ut sacra templa Phœbi supplici intravi pede,
Et pias, numen precatus, rite summisi manus, &c.
:erda.

53. *Adtonitæ.*] Stupendæ, non stu-ntis. Ergo *attonitæ*, facientis atto-itos: ut, *Mors pallida, Tristis sene-us.* Servius.

Adtonitæ domus.] Id est, stupendæ; l reddentis attonitos, propter nu-inis præsentiam. ita *Mors* dicitur *allida:* S. Turnebus l. 28. c. 44. *At-nitum*, inquit, non est dubium dici, : Græce ἐμβρόντητον: sed hic de æde telligo fumosa & fatidica & vatici-ante, & Oraculum habente: quod rore concitatos præsagos futuri red-it. *Taubm.*

Ora domus.] Quia supra ait, *Unde unt totidem voces responsa Sibyllæ.* Ser-us.

Ora.] Fores antri. sic Ovid. l. 1. let. ỿs. 281. *fontibus* dat *ora*. Emm.

54. *Conticuit.*] Quasi tegeretur à umine, neque aliter posset. Ita A-ileius lib. 11. *Ad istum modum vatici-itus sacerdos egregius, fatigatos anheli-s trahens conticuit.* Cerda.

Per dura cucurrit Ossa tremor.] Relli-onis est non divinæ & reverentiæ. libi, *Ipse manum multo suspensum nu-ine ducit.* Servius.

55. *Funditque.*] In antiquis pene mnibus exemplaribus, *fundit* præ-nti tempore scriptum est, pro *fudit*. ierius.

Pectore ab imo.] Mentis intimo, nec imerito: nam illa re divinitas flecti-r, quæ est nobis cum divinitate com-unis, id est, sensu. *Servius.*

56. *Phœbe, gravis Trojæ semper mi-rate labores.*] Secundum Homerum, qui eum dicit semper Trojæ propugnatorem fuisse. & bene ait, *Miserate*, quia Troja defendi non potuit. Ideo non dixit, qui defendisti: sed miseratus es. *Idem.*

Phœbe, &c.] Pro Trojanis stetit Apollo; quod etiam Sil. Ital. l. 12.

—— *& ipse*
Delius avertet propiora pericula vates
Trojanos notus semper minuisse labores.
Emmeness.

57. *Dardana qui Paridis.*] Achilles à matre tinctus in Styge palude, toto corpore invulnerabilis fuit, excepta parte, qua tentus est: qui cum amatam Polyxenam, ut in templo acciperet, statuisset; insidiis Paridis, post simulachrum latentis, occisus est. Unde fingitur, quod tenente Apolline, Paris direxerit tela: & bene ait *direxti*, quasi ad solum vulnerabilem locum. *Dardana* autem ideo, ut non adultero, sed genti præstitisse videatur. *Servius.*

Tela manusque.] Vel quia aliud sine alio esse non potest. vel hoc dicit, Et artem per tela nosse, & ut nosset quid feriret: & virtutem per manus dedisti, ut ejus vota compleres. *Idem.*

Paridis direxti tela manusque Corpus in Æacidæ.] Alludit Horat. l. 4. od. 6.

Dive, quem proles Niobæa magnæ
Vindicem linguæ, Tytiosque raptor
Sensit, & Trojæ prope victor altæ
Phthius Achilles.

Verbo eodem utitur Ovid. l. 12. Met. ỿs.

Certaque lethifera direxit spicula dextra.

& Sil. Ital. l. 9.

—— *quæ nocturno mea lumine tela*
Dirigis in patrium corpus.
Emmeness.

Tela.] Sagittas accipe. Nam Pari-

dem

Corpus in Æacidæ; magnas obeuntia terras
Tot maria intravi duce te, penitusque repostas
Massylûm gentis, prætentaque Syrtibus arva.
Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.
Hac Trojana tenus fuerit Fortuna secuta.

Vo:

dem sagittarium utique Græci inducunt, quod etiam notavit Ger. Homerus 3. Il. illi dat *καμπύλα τόξα*. Ab Euripide in Oreste dicitur *τοξότας*. Græcorum commentarii de hac ipsa historia: *ἐν τῷ τοῦ Θυμβραίου Ἀπόλλωνος ναῷ Ἀλέξανδρος λάθρα τοξεύει τὸν Ἀχιλλέα*: *In templo Thymbræi Apollinis occulte Paris sagittam in Achillem conjecit.* De Achille etiam Pindarus Od. 3. Pyth. *τόξοις ἀπὸ ψυχὰν λιπὼν*: *sagittis animam amisit.* Calaber, *ἰὸς*, dixit de nece Achillis. *Cerda.*

58. *Æacidæ.*] Id est, Achillis, *Æaci* nepotis, *Pelei* F. Achilles autem à matre tinctus in Stygem paludem toto corpore invulnerabilis fuit, excepto calcaneo, quo manu matris tentus est. Hinc bene, *direxti*: quasi ad solum vulnerabilem locum. Statius:

—— si te Stygis amne severo
Armavi: totumque utinam!

Videatur Q. Calaber l. 3. & 8. Is enim cum Polyxenam Priami F. in templo Apollinis accipere vellet, à Paride, post simulacrum latente, occisus est. Hinc Ov.

At postquam cecidit Paridis Phœbique sagittis.

Apollo autem semper stetit pro Troja, constantissimo Homeri testimonio. *Taubmannus.*

Magnas obeuntia terras Tot maria intravi.] Terras cingentia: Oceanus quidem ambit omnes terras: & licet iste per ea maria navigaverit, quæ terris cinguntur: tamen non dixit improprie, si de Oceano ista nascantur. *Servius.*

59. *Tot maria.*] Dicendo *Maria*, partes eum maris navigasse significat, non totum mare. *Mare* enim elementum est totum. *Maria* vero, partes sunt: sicut & *terræ*, partes sunt: *terra* vero totum elementum est. *Idem.*

Penitusque repostas.] Longe remotas avias. *Idem.*

Penitusque repostas.] In Romano codice legere est, *Penisque repostas*: hoc est, ad Pœnos usque, elocutione insolita, quare longe melius *penitus*. ut illud, *Et penitus toto divisos orbe Britannos.* Pierius.

60. *Massylûm gentis.*] Massyli sun Mauri. Unde speciem pro genere po suit. Nam Æneas ad Africam venit cujus partem constat esse Massyliam Mediterranea enim est pars Mauritaniæ. Unde à parte totum accipere debemus. *Servius.*

Pen. rep. Massylûm gentis.] Sic Si. Ital. l. 3.

Quin & Massyli fulgentia signa tu lere
Hesperidum veniens lucis domus ultim terræ.

& l. 16.

Non tibi Massylæ gentes, extentaqu tellus
Syrtibus. Emmeness.

Prætentaque Syrtibus arva.] Circum fusa. Incerta enim illic sunt maria & terræ. Unde ait Lucanus, *Æquora fracta vadis, abruptaque terra profundi* Servius.

61. *Italiæ fugientis.*] Ita lib. 7.

Italiam sequimur fugientem, & volv mur undis.

Cerda.

Prendimus.] Quippe fugientem Italiam. *Servius.*

Prendimus.] Quippe fugientem. v de 3. Æn. ✻ſ. 496. & lib. 5. ✻ſ. 62 *Taubmannus.*

62. *Hac Trojana tenus.*] Id est, hactenus, huc usque: id est, hic sit fini Nam *tenus* proprie est extrema pars a cus, ut Plautus ostendit, unde tractu

Vos quoque Pergameæ jam fas est parcere genti,
Dique Deæque omnes, quibus obstitit Ilium, & ingens
Gloria Dardaniæ. tuque ô sanctissima vates
Præscia venturi, da (non indebita posco)
Regna meis fatis; Latio considere Teucros,
Erran-

:, ut *hactenus*, hucusque significet. *rvius.*

Trojana.] *Fortuna.* Ideo à præjudi-o, id est, mala, adversa: & dicit ini-ium esse, ut Trojanam fortunam pa-antur in Italia. *Idem.*

86. *Hactenus f. secuta.*] Id est, hucus-ie nos persecuta. Q. d. Hic sit finis rojanæ illius calamitatis: nec eam ex-riamur in agro Italico. *v.* 3. Æn. 493. *Taubm.*

Hac.] *Fini* subaudit Sanct. quem de p.300. & 348. *Emm.*

63. *Fas est parcere genti.*] Quæ se vi-am fatetur. *Servius.*

Parcere.] In codicibus aliquot anti-iis, *parcite* legitur deposcendi forma, od forte non displiceat, quanquam *rcere* infinitivum sonat elegantius. *ierius.*

64. *Quibus obstitit Ilium.*] Ganyme-s enim Hebæ obfuit: Paris Minervæ, Junoni. Cur autem cum dixerit, *ique deæque omnes*, dearum tantum periamus exempla? non mirum est, im supra dixerimus ἀρσενοθήλεις esse mnes deos. Possumus ergo & per u-im rem utrunque intelligere, licet catur etiam Neptuno obfuisse Troja denegata mercede. Novimus præ-rea esse morem poëticum, ut duabus æpositis rebus uni respondeant: ut, *avita cum stellis numeros, & nomina cit Pleiadas, Hyadas, claramque Ly-onis Arcton.* Nam suppresso numero ixit nomina. *Serv.*

Ilium & ingens.] Veteres plerique odices, *Ilion ingens* legunt. ut Ovidia-um illud *Ilion & Tenedos.* Sed enim agis Virgilianum est *Ilium & ingens* gere, gratiore numero, & sententia lucidiore. *Pierius.*

65. *Sanctissima.*] Cur? quia vates, & præscia venturi. Illustro loco Athenæi l.9. apud quem Nicander in Georgicis brassicam, *μάντιν*, id est, *vatem* cum vocet, ipse Athenæus rationem hujus rei reddens, ita ait, ὁ Νίκανδρος μάντιν κέκληκε τὴν κράμβην ἱερὰν οὖσαν: *Nicander brassicam, quæ sacra est, vatem appellavit.* Illam autem sacram esse probat testimonio Hipponactis. Sicuti ergo brassica, vates, quod sacra: potiore jure Sibylla, sacra, quod vates. Merito ergo, & suo jure Ovidius:

Et sacri vates, & Divûm cura vocamur.

& Ennius Poëtas *sanctos* appellat. *Cerda.*

66. *Præscia venturi.*] Absolutum est, rerum venturarum. *Servius.*

Da.] Dic, ut *Qui sit, da Tityre nobis.* Unde est è contra, *Accipe nunc Danaum insidias.* Non enim aliquid præstare poterat, sed indicare futura. *Idem.*

Non indebita posco Regna meis fatis.] Deest *Si.* Est autem εἱρμὸς, id est, longissimum Hyperbaton, Phœbe, & Vos dii deæque: tuque ô vates *da*, id est, dic Latio Teucros considere, si non posco regna meis fatis indebita. *Dic* autem *considere*, id est, utrum possimus considere. Et verecunde ait, *Non posco indebita*, cum certum constet regna deberi. *Idem.*

67. *Considere.*] In Romano codice, *consistere* legitur. Et in primo Æneidos eandem hujus verbi varietatem ostendimus eo loco, *Vultis & his mecum pariter Considere regnis?* Nam aliquot exemplaria, ibi etiam *consistere* legunt. Sed enim *considere* omnino magis placet eruditis viris. *Pierius.*

 68. *Er-*

Errantisque deos, agitataque numina Trojæ.
Tum Phœbo & Triviæ solido de marmore templum
Instituam, festosque dies de nomine Phœbi.
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.
Hic ego namque tuas sortis, arcanaque fata

Dic

68. *Errantisque deos.*] Ut, *Diis sedem exiguam patriis.* Servius.

Agitataque numina Trojæ.] Aut mecum vexata: aut signa ξόανα dicit, id est, simulacra brevia, quæ portabantur in lecticis, & ab ipsis mota infundebant vaticinationem: quod fuit apud Ægyptios & Carthaginenses. *Idem.*

69. *Tum Phœbo & Triviæ.*] Ut solet, miscet historiam. Nam hoc templum in palatio ab Augusto factum est: sed quia Augustus cohæret Julio, qui ab Ænea ducebat originem, vult ergo Augustum parentum vota solvisse. *Id.*

Solido de marmore templa.] Hoc est, de uno solo lapide, ut Tusanus accipit: quemadmodum & μονόλιθον in Epigr. interpretatur, ut & supra, *solidoque adamante columnæ:* &, *solido elephanto.* Hoc vero templum Augustus, ut ex veterum monumentis constat, tanquam avitis nominibus obnoxius, & Æneæ voti reus, in Palatio posuit, & perfecit: ad quod allusit Propert. lib. 4. hoc versu: *Atque ubi navali stant sacra palatia Phœbo, Euandri profugæ procubuêre boves:* ubi *navalem deum* vocat, quod Augustus, devicta Ægypto, structuræ templi columnas æreas ex rostris navium, quæ per ignominiam subactis classibus adimebantur, conflatas nuncupasset & dicasset ad vota majorum solvenda: quod & respexisse videtur Maro lib. Georg. 3. eo carmine: *navali surgentes ære columnas.* Germanus.

Templum instituam.] In Romano codice, *templum constituam* legitur. In Longobardico, *templum* quidem est, sed *instituam* verbum, ut etiam ad festos dies adcommodetur. *templa* tamen etiam invenitur. *Pierius.*

70. *Festosque dies de nomine Phœbi.*] Ludos Apollinares dicit, qui secundum quosdam bello Punico secundo insti tuti sunt: secundum alios, tempore Si lano ex responso Martiorum fratrum quorum extabant, ut Sibyllina respo sa. *Servius.*

71. *Te quoque magna manent reg penetralia nostris.*] Id est, coleris ut n men: *Manent* autem expectant. *Serv*

Penetralia.] Secreta templorum. *I*

Te quoque.] Te quoque, ô Sibyll exspectant in populo Romano & p steris meis, secreta templorum: in qu bus *Sortes* (κλῆροι, χρησμοὶ) & *Respon* sive *Oracula* tua religiosissime vers buntur. Quomodo autem *Libri Sibylli* Romam venerint, præter alios, doce Livius & Agell. l. 1. c. 19. *Taubm.*

72. *Tuas sortis.*] Sibyllina responsa (de quibus supra diximus) incertum cujus Sibyllæ fuerint: quanquam C manam Virgilius dicat, Varro Er thræam esse. Constat autem, regnan Tarquinio, quandam mulierem, quæ *Malteam* diceret, obtulisse ei nove libros, in quibus diceret fata & rem dia Romana: & pro his poposcisse tr centos philippeos, qui aurei tunc pr tiosi erant. Quæ contempta, alia tribus incensis, cum sex reversa e Et trecentos poposcit, ac denuo co tempta est: item tertio, aliis tribus i censis, cum tribus tantum reversa es & accepit quantum poposcerat, hac ip re commoto rege, quod pretium nc minuebat, tunc mulierem subito nc apparuisse. Qui libri in templo Apoll nis servabantur: nec ipsi tantum, s & Martiorum, & Bigois Nymphæ, q artem scripserat fulguritarum apud Tu cos. Inde addidit modo *Tuas sortes, a canaque fata:* & hoc trahit poëta. A neam tamen inducit quasi de præsen dicentem oraculo. *Servius.*

73. *Lecto*

Dicta meæ genti ponam, lectosque sacrabo
Alma viros. foliis tantum ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Ipsa canas oro. finem dedit ore loquendi.
At, Phœbi nondum patiens, inmanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excus-

73. *Lectosque sacrabo Alma viros.*] uia nisi patricii non fiebant. Scienım tamen primum duos librorum isse custodes, inde decem, inde quincim usque ad tempora Syllana, postcrevit numerus. Nam & sexaginta erunt, sed remansit in his quindecimrorum vocabulum. *Idem.*

Lectosque sacrabo alma viros.] Huc rtinent illa Lactant. lib. 1. cap. 6. *rum omnium Sibyllarum carmina & untur & habentur præterquam Cumææ: jus libri à Romanis occuluntur; nec eos ullo nisi à quindecimviris inspici fas* . Ad hunc versum consulendus Salas. Plin. exerc. p. 78. qui asservata acula Sibyllina in delubro Junonis arca lapidea, cella subterranea affet. *Emmeness.*

74. *Foliis tantum ne carmina manda.*] t Varro dicit, *In foliis palmæ interdum tis, interdum scribebant sermonibus:* diximus supra. *Servius.*

Foliis tantum ne carmina manda.] Fo enim vento turbata componi vix terant. Ante usum chartarum in fos palmarum primo scriptitatum, te Plinio l. 13. c. 11. & Alex. de dieb. n. l. 2. c. 30. in iis exarata fuerunt umææ vatis oracula, de quibus noster 3. Æn. ✝ſ. 444.

Fata canit, foliisque notas & nomina mandat,
Quæcumque in foliis descripsit carmina virgo.

ıvenal. Sat. 8. ✝ſ. 126.

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ. mmeness.

Carmina.] In antiquis omnibus exnplaribus, quotquot versare mihi congit, *carmina*, non *nomina* scriptum inveni: quæ quidem lectio Servium non latuit. *Pierius.*

75. *Ludibria.*] Παίγνια, ἀθύρματα. Horat. *Ni ventis debes ludibrium cave.* Vide Adag. *Sibyllæ folium.* Taubm.

76. *Ipsa.*] Pro *Tu.* & posuit pronomen ejus personæ, de qua loquitur, pro illius, cum qua loquimur. est autem Græcum, nam dicunt αὐτὴ εἰπέ, id est, *tu dic.* Servius.

Finem dedit ore loquendi.] Hoc est, definivit ei, ut ore loqueretur, nec in foliis scriberet. *Idem.*

77. *Nondum patiens.*] Quæ nondum posset implere oraculorum sermones. aut *Dum* vacat: & est impatiens. *Idem.*

At Phœbi nondum patiens.] Imitatur Lucanus 5. Pharſ. Virgilium his versib.

Spumea tunc primum rabies vesana per ora
Effluit, & gemitus, & anhelo clara meatu
Murmura: tum mœstus vastis ululatus in antris,
Extremæque sonant domita jam virgine voces. Cerda.

Nondum.] Sentit Cujacius l. 15. observat. c. 5. vacare in Virgilio *dum*, ut pleraque in Poëtis ex Græcorum imitatione. Sed dici potest, hîc nullam esse redundantiam, ut neque sæpissime in ἔπω. *Idem.*

78. *Phœbi bacchatur vates.*] Bene *bacchatur.* Idem enim est Apollo, qui Liber pater, qui Sol. Unde ait Lucanus, *Cui numine mixto Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.* Unde in eorum sacris erat Phœbadum Baccharumque conventus. *Servius.*

Bacchatur.] Id est, bacchantis more furit. Vel, quia idem est Bacchus, qui Apollo

Excuſſiſſe deum. tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premend[o]
Oſtia jamque domus patuêre ingentia centum
Sponte ſua, vatiſque ferunt reſponſa per auras.
O tandem magnis pelagi defuncte periclis:

Se[d]

Apollo & Sol: ut docet Macrob. lib. I. cap. 18. Unde & in eorum ſacris erat Phœbadum Baccharumque conventus. Etiam Euripid. Caſſandram *βακχεῖον* vocat, veluti *ἔνθεον, θεόπνευστον, φοιβάδα*, &c. Quin & Ulpianum *bacchari* ad fanaticos retuliſſe, docet Pimpontius. Ita *Inſanire*, pro Oracula promere, dixit Tertull. Vide Deſ. Heraldum ad Arnob. lib. I. pag. 5. Hinc & Guntherus Ligurini lib. I.

— *Solis licet inſanire Poëtis.*

Taubm.

Bacchatur.] Quod eſt vaticinantium proprium. pro eo Lactant. l. 4. c. 27. *inſtinctu dæmonis percitus dementit, effertur, inſanit.* Apulejus l. 8. Met. *inter hæc unus ex illis bacchatus effuſius, ac de imis præcordiis anhelitus crebros referens.* Emmeneſſ.

79. *Excuſſiſſe deum.*] *Excuti* proprie de equis dicimus. quod inde traxit, quia Phœbus (id eſt Sol) equis utitur. Et nunc Sibyllam quaſi equum: Apollinem, quaſi equitem inducit: & in ea permanens tranſlatione, *excuſſiſſe* ait, ut *Excuſſus Aconteus.* Item, *Fera corda domans:* quod eſt equorum proprium, frenos pati & ſtimulos. Ut, *Ea fræna furenti Concutit, & ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.* Quod autem dicit, *magnum deum*, non re vera ait: ſed furentis ad effectum, id eſt, colentis, ut *Summe deûm ſancti cuſtos Soractis Apollo.* Unicuique enim deus, quem colit, magnus videtur. *Excuſſiſſe* vero *deum*, pro *excutere:* tempus eſt pro tempore. Eſt autem Attica figura, qua nos uti non convenit: quia hac licenter utuntur poëtæ. *Servius.*

Si pectore poſſet Excuſſiſſe deum.] Tentando an poſſit excutere Apollinem. Vel, Bacchatur, & cum furore ſe exagitat, tentans an p. &c. Ita 5. Æn. ỳ. 67[9]

— *excuſſaque pectore Juno eſt.*

Tralatione autem perpetua hic Siby[l]lam inducit, ut equum; Apollinem, [as]ſeſſorem. Nam & Apollo, id eſt, S[ol] equis utitur: & in forma equi cult[us] traditur in Aſia. *Taubm.*

Excuſſiſſe deum] Enallage tempor[is] præteritum pro præſenti. Qualia mul[ta] Sanct. Min. p. 49. *Emmeneſſ.*

Fatigat.] Exercet: ſuperat. Deſc[ri]bit *οἰστρηλασίαν*: & quæ Æliano *οἴστρησις* & *οἴστρημα* dicitur. *Taubm.*

80. *Fingitque premendo.*] Comp[o]nit: ut, *Et corpora fingere lingua.* Co[m]ponit autem ad moderationem certa[m] dicendi. Diximus enim ſupra, om[nia] quidem vident: ſed non omnia ind[i]cant ſacerdotes. *Servius.*

Fingit.] Subaudi, os. Ita Plaut[us] Amph. *meumque os fingit denuo.* Gra[ce] *στομοῦν*. Plato in Cratylo, *στόμα πλάττειν* *formare os.* Germanus.

Fingitque.] Format & componit [ad] moderationem certam dicendi. Na[m] omnia quidem vident Sacerdotes, ſ[ed] non omnia indicant. Lucanus lib.

— *nec tantum prodere Vati,*
Quantum ſcire licet.

Vide 3. Æn. ỳſ. 461. *Taubm.*

81. *Oſtia namque domus patuere.*] P[re]cibus ſcilicet, & quæ antea oſtia era[nt] patefacta, aditus eſſe cœperunt. *Ser[vius.]*

82. *Ferant reſponſa.*] Quia ut ſup[ra] ait, *Ora domus patuere.* Idem.

83. *Pelagi defuncte periclis.*] Non [li]berate pelago, ſed marinis pericul[is.] Nam adhuc navigaturus eſt: ſed ſi[ne] ullo diſcrimine. *Defuncte* autem lib[e]rate. Nam dicimus functos officio, q[ui] officia debita complerunt. Unde eſt honoribus functi: hinc & *Defunct[os]* mortuos dicimus, qui compleveri[nt]

vi[tæ]

Sed terræ graviora manent. in regna Lavini
Dardanidæ venient; mitte hanc de pectore curam:
Sed non & venisse volent. bella, horrida bella,
Et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simoïs tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint. alius Latio jam partus Achilles,
Natus

vitæ officia. Unde est; *Et nil jam cœlestibus ullis Debentem.* Idem.

O tandem, &c.] Vaticinium Sibyllæ ad Æneam habet quoque Tibullus lib. 2. eleg. 5. Lege in illo. *Cerda.*

84. *Sed terræ.*] Legitur & *terra.* Unum tamen est *Servius.*

Terræ.] In codicibus quibusdam admodum vetustis, *terræ* Genitivo casu legitur, subintelligendo *pericula:* veluti dixerat, *Pelagi defuncte periculis.* Magis tamen placet *terra* adverbialiter. *Pierius.*

Sed terræ graviora manent.] Locus omnino oppositus illi 1. Æn.

O passi graviora, dabit deus his quoque finem.

Et hic verbum *manent* opponitur verbo *defuncte:* id est, futura pericula, præteritis; & terra, mari. *Cerda.*

In regna Lavini.] Alii *Latini* legunt, cujus tunc erant: sed quia divina loquitur futura, præoccupat. Postea enim *Lavinium* dicitur, licet possit ad Lavinum Latini fratrem referri, qui illic ante regnavit. *Servius.*

In regna Lavini.] Vetera quædam exemplaria legunt, *& regna*, pro *in regna* præpositione præterita: prout etiam factum statim in principio libri primi, *Italiam fato profugus Lavinaque venit Litora.* Sunt & qui *Latini* legendum autument. Servio etiam super syllaba *Lavini* prima plurimum dubitante. In codicibus tamen omnibus antiquioribus *Lavini* scriptum observavi, præter nonnullos, in quibus *Latini* subdititia lectio est, priore abrasa dictione. Sed enim plura de hoc in VII, ubi versum illum, *Exsulibus ne datur ducenda Lavinia Teucris.* In codicibus quibusdam antiquis aliter legi ostensum est. *Pierius.*

85. *Mitte hanc de pectore curam.*] Sunt qui hic legunt: *dimitte hanc pectore curam.* Vide Nobiliss. Heins. ad Ovid. l. 1. ℣. 209. *Emmeness.*

86. *Horrida bella.*] Quæ contra hospitem cognatumque suscepta sunt: ut Latinus dicturus est, *Arma impia sumpsi, Promissam eripui.* Servius.

87. *Et Thybrim multo, &c.*] Ita in magnis cladibus. De Trojana hoc in primis celebratum Homero, & aliis. De conflictu Severi & Nigri Herodian. lib. 3. ait tantam utrinque editam stragem, *ὡς καὶ τὰ ῥεῖθρα τὰ διὰ τοῦ πεδίου ποταμῶν ῥεόντων αἵματος πλεῖον, ἢ ὕδατος κατάγειν θάλασσαν*, *ut flumina per eam planitiem decurrentia majore vi sanguinis quam aquarum in mare se volverent.* Cerda.

Spumantem sanguine cerno.] Quasi non solum præsciat, sed prævideat, quod facturus est Turnus, ut *Recalent Tyberina fluenta Sanguine adhuc.* Servius.

88. *Non Simoïs tibi, nec Xanthus.*] Tyberinus & Numicus, in quem cecidit. *Idem.*

Nec Dorica castra.] Græca. & re vera: nam Turnus Græcus fuit: ut, *Et Turno si prima domus repetatur origo, Inachus Acrisiusque patres mediæque Mycenæ.* Idem.

89. *Partus Achilles.*] Turnum significat. & sic hoc dictum est, ut in Bucolicis, *Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo Delectos heroas.* & hoc est, quod dicit, *Obscuris vera involvens.* Nam licet vera sint, latent. Unde Apollo λοξίας dicitur, id est, obliquus. *Idem.*

Alius Achilles.] Positus Achilles pro hoste,

Natus & ipſe dea. nec Teucris addita Juno
Uſquam aberit: cum tu ſupplex in rebus egenis
Quas gentis Italûm, aut quas non oraveris urbis!
Cauſſa mali tanti conjux, iterum hoſpita Teucris;
Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis: ſed contra audentior ito,
Quam tua te Fortuna ſinet. via prima ſalutis,
Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.

Tali-

hoſte, ut 2. Æn. Myrmidones, & Dolopes. Ita Ariſtoph. Veſp. Μῆδός τις, pro quovis hoſte, nam Medi fuerunt hoſtes Græcorum acerrimi. Notat hoc tibi Scholiaſtes, cum ait: Μῆδος ἀντὶ τοῦ ἐχθροῦ. & addit rationem. πολέμιοι γὰρ Ἕλλησιν οὗτοι. Adi quæ ego 4. Ecl. ad illud:

Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

ubi ego late: & adjunge adhuc poſitum Achillem pro quovis viro forti. Firmant hoc verba Procopii l. 1. de Ædificiis Juſtiniani, ubi loquens de Juſtiniani imagine, ita ait: *equo inſidet æreum Regis ſimulacrum, ſtatuæ perſimile, Achillem vocant, propter figuram, quam refert.* Adi locum. Debet gloriam hanc Achilles ſuo Homero. *Cerda.*

90. *Natus & ipſe dea.*] De Venilia ſorore Amatæ: ut, *Cui diva Venilia mater.* Nec debet mirum eſſe Amatam fuiſſe mortalem, cum etiam Turnus Juturnæ frater mortalis fuerit. Nam hæc fuerunt divina beneficia. *Servius.*

Addita Juno.] Inimica. Eſt autem verbum Lucilii, & antiquorum: ut Plautus, *Argus quem quondam Ioni Juno cuſtodem addidit.* Idem.

Addita.] Multi quidem codices ex antiquis, *abdita* legunt: ſed inemendate. *addita* vero vocabulum Lucillianum agnoſcit Servius. *Pierius.*

Addita.] Id eſt, infeſta, & veluti affixa, explicatore Macrobio, nam Lucilius lib. 14. Sat.

Si mihi non prætor ſiet additus, atque agitet me. Cerda.

91. *In rebus egenis.*] Per tranſitum oſtendit famem futuram. *Servius.*

Rebus egenis.] Petron. Satyr.

—— *ſed inops, & rebus egenis Attritus.* Cerda.

93. *Conjux iterum hoſpita.*] Nam & Paris ab Helena fuerat ſuſceptus hoſpitio. *Hoſpita* autem more ſuo dixit. Et bene, ne aliquid imputetur Æneæ, quaſi fatorum hoc eſſe prædicit. *Servius.*

95. *Tu ne cede.*] Ne cedas: ſed eſto audentior quam tua te fortuna permittit. Et bene adverſam fortunam docet virtute, aut vitari, aut minui, aut patienter ſuſtineri. *Idem.*

96. *Quam.*] In pleriſque veteribus codicibus, *qua* legere eſt. quod forte non diſpliceat. Sed plus eſt *quam* dicere: quia id etiam adhortatur, ut fortunam ipſam ſuperare contendat, quum ex altero ei tantum obſequendum præcipiatur. in quibuſdam *quum* invenitur. *Pierius.*

Quam tua te.] Aliqui legunt *qua*, cujus lectionis ſententia erit, ut obſequatur fortunæ. Prætuli *quam*, contraria ſententia, quam lectionem Servius ſequitur, aliique non pauci. Invitat etiam locus Taciti 2. Hiſt. *fortes, & ſtrenuos, etiam contra fortunam, inſiſtere ſpei.* Illuſtrabis verſum hunc ab Eraſmo, adagio, *palmam ferre.* Cerda.

Via.] Ratio, opportunitas. *Serv.*

97. *Quod minime reris.*] Putat Meyerus hinc fluxiſſe Ovidii imitationem hanc: —— *ſemper tibi pendeat hamus, Quo minime reris gurgite, piſcis erit.* C.

Graja pandetur ab urbe.] Propter

Euan-

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera involvens. ea frena furenti

Con-

uandrum, qui eum in Tusciam missus ad Tarchontem est. *Servius.*

98. *Ex adyto.*] Locum vaticinationis ostendit. *Idem.*

Cumæa Sibylla.] Bene addidit propter ...scretionem. *Idem.*

Cumæa Sibylla.] Multa quidem ex ominibus Græcis, quæ jure Latii do...ata sunt, *y* in *u* commutarunt. In ...omano tamen codice, pleraque ex iis, ...uæ vulgo per *u* proferimus, per *y* scri...ta reperias, ut *Cymæa*, quod etiam in ...ediceo est, & superius *Cymarum*. Con...a vero, quæ usus nunc per *y* scribit, & ...nuntiat, ibi per *u* vocalem Latinam ...ripta esse, ut *inclutus*: quæ quum in...onstanter adeo posita sint, bonam eo...am partem præterire consilium fuit. ...*ierius.*

99. *Horrendas.*] Ita Pindar. Od. 4. ...yth. κρυόεν μάντευμα: *horrendum vaticinium.* Cerda.

Ambages.] Ab hac vaticiniorum ambiguitate dictus est Apollo λοξίας. & ...assandra fatidica in epigr. λοχοῖεόγυς. ...ophocles Sphingem vocat ποικιλῳδὸν, ...*arie canentem.* Tiresiam quoque lo...uentem inducit, αἰνικτὰ καὶ ἀσαφῆ, *ænigmatica & obscura.* Æschylus in Pro...meth. χρησμοὺς, *oracula*, vocat αἰολοστόμους, ἀσήμως, δυσκρίτως τ' εἰρημένους, ...uod varia sint & difficillime perci...iantur, dicanturque cum ambagibus. ...lutarchus in opere de Pythiæ oraculis, ...his attribuit περιφράσεις, σκιὰν, ὑπόνοιαν, ἀμφιλογίαν, περιαγωγὴν, λοξότητα, ἀσάφειαν, μυχὸν, ex Sophocle ...tiam αἰνικτῆρα: *periphrases, umbram ...erba plena suspectus, ambiguitatem, cir...uitionem, obliquitatem, obscuritatem, te...ebras, ænigmata.* Philostratus lib. I. de ...itis Sophist. ait, Apollinem loqui ὥσπερ σοφιστὴς, *instar Sophistæ.* Accinit ...azianzenus orat. 39. qui τρίποδος ...ελφικοῦ σοφίσματα. Tacitus 2. Ann. ...*ermanico per ambages, ut mos est oraculis, maturum exitium cecinisse.* Arnobius 3. insultans gentibus: *Divinationis scientiam largitur hariolantibus Pythius: & cur obliquata, & dubia? cur obscuritatibus submersa caligine dat sæpius, submonstratque omnia responsa?* Tullius 2. Divinat. hæc oracula vocat *falsa, casu vera, flexiloqua, obscura.* Idem.

Canit ambages.] Hoc σιβυλλιᾶν vocant. Ita Lucan. lib. 5.

—— *flexâ sic omnia Tuscus,*
Involvens multaque tegens ambage canebat.

Inde & Apollo dicitur λοξίας, id est, perplexus. Pacuvius:

Flexa, non falsa autumare dictio Delphis solet.

Arnob. l. 3. *Et cur obliquata, dubia; cur obscuritatibus submersa, caligine dat sæpius submonstratque responsa?* Mart. Capella lib. I. *Quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus, &c.* Et Lycophron in Cassandra, δυσφάτους αἰνιγμάτων οἴμας *Dictionum* sive *Oraculorum inobservabiles Camænas,* ut vertit Scalig. *Taubmannus.*

Antroque remugit.] Quia in antro est, ut *Pulsati colles clamore resultant.* Serv.

Antroque remugit.] Noster l. 3. Æn. vs. 92.

—— *& mugire adytis cortina reclusis.*

Stat. Thebaid. —— *Apollo*
Mugiat insano penitus seclusus in antro.

Emmeness.

100. *Obscuris vera involvens.*] Vera & obscura confundens. est autem Hypallage, veris obscura inserens. *Serv.*

Obscuris vera involvens.] Potuit imitari Homerum, qui,

—— ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα:
—— *mendacia multa proferens veris similia.*

& Euripidem, qui in Oreste,

Καλοῖς κακοὺς λόγους ἑλίσσων:
Bonis malos sermones involvens.

Luca-

Concutit, & stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primum cessit furor, & rabida ora quierunt;
Incipit Æneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mî facies inopinave surgit.

Omnia

Lucanus quoque lib. 5.

—— *flexa sic omnia Thuscus*
Involvens, multaque tegens ambage canebat. Cerda.

Obscuris vera involvens.] *Involvere* pro tegere. noster l. 3. Æn. ✝ſ. 197.
Involvere diem nimbi.
Phædr. habet l. 4. fab. 6. *sævum ingenium variis involvens modis.* Inde Ovid. *obscuram vatem* appellat l. 7. ✝ſ. 761.
Immemor ambagum vates obscura suarum. Emmeness.

Frena furenti concutit.] Ita Lucan. de Phœmonoe Pythia:

—— *nec verbere solo*
Uteris: & stimulos flammasque in viscera mergis.
Accipit & frenos, &c.

Huc facit, quod Cælius l. 21. c. 20. advers. Horatii,
Et tragicus plerunque dolet sermone pedestri,
notat: Vel quia Poëtæ furoris divini afflatu perciti vicem equi implent; equitis vero, insidens numen, sive is Apollo sit, sive Musa, seu quivis alius. Quod & in Sibylla hic servatur. *Taubm.*

Ea frena furenti concutit.] Solebant teste Scheffero l. 1. de re vehic. cap. 13. equorum excitandorum gratia percutere ipsorum colla habenis, quod Pollux appellat ἀνακλάσαι τὸ αὐχένα ἐκ τῶ χαλινῶ. quod Sil. Ital. l. 16. vocat *quatere.* Emmeness.

101. *Vertit.*] In codicibus aliquot antiquis, *versat* habetur. Sed in hac sententia, melius est *vertit.* Pierius.

102. *Cessit furor.*] Non penitus recessit, sed paulatim cœpit imminui. Nam paulo post de Miseni morte dictura est: quod non procedit, si nec numen recessit. *Servius.*

Rabida.] Vetera pleraque exemplaria, *rapida* legunt: quique lectionem eam volunt, *Rabiem* inquiunt ex Aristotele in hominem non cadere, minus vero in Deum. Sed enim hoc alterius est negotii: nos superius habemus de hac eadem persona, *Et rabie fera corda tument.* Pierius.

103. *Non ulla laborum.*] Pro nulla, ut *nullus aratro Cessit honos.* Servius.

104. *O virgo.*] O, licet sit naturaliter brevis in Latinis sermonibus, apud Virgilium tamen pro longa habetur, ut hoc loco, *O virgo.* Item alibi, *Quis te magne Cato tacitum.* Exceptis *ego*: ut, *Ast ego quæ divum.* & *duo*, ut, *Si duo præterea.* & *scio*, ut, *Nunc scio quid sit amor:* & *nescio*, ut, *Nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos.* Apud alios *o*, nisi in Græcis nominibus non producitur: quod & nunc sequi debemus. Dicunt tamen quidam, quod *o* tunc producitur in nominativo, quando & in genitivo producta fuerit: quod falsum est. Nam & Virgilius produxit *virgo*, cum *virginis* faciat, & Lucanus *Cato* corripuit: ut, *Nos Cato da veniam:* cum *Catonis* faciat. Item *Juno* cum producat Virgilius, Statius corripuit. Sane sciendum adlocutionem hanc esse suasoriam cum partibus suis. Nam honestum est, quod dicit, se patrem requirere: utile, ut ab eo patriæ originem discat: necessarium, quia jusserat pater: ut, *Ditis tamen ante Infernas accede domos:* possibile, quia ait, *Quando hic inferni janua regis Dicitur.* Item, *Potes namque omnia:* si omnia, etiam hoc. *Servius.*

Nova mi facies.] Id est, species. Sciendum tamen *mihi* pronomen nunquam in Synæresim venire, ne incipiat esse blandientis adverbium: & licet quidam hujus loci nitantur exemplo, non procedit; vel quia unum est exemplum, vel quia potest esse etiam blandientis adverbium, *nihil* vero pro metri necessitate

Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.
Unum oro: quando hic inferni janua regis
Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refuso:

Ire

ite cogitur. Nam si pars sequens ora-
nis à vocali inchoet, *Nihil* dicimus, *Heu nihil invitis fas quemquam fidere vis.* Si autem à consonanti inchoet, *l* ponimus. ut Juvenalis, *Nil tale ex-ßes: emit sibi multa, videmus.* Idem.

Mî facies.] Romanus codex, *mihi* mper eodem modo scribit tam pro onosyllabo, quam pro soluta in duas llabas dictione. *Pierius.*

Facies.] Laboribus dat faciem, ut fra sceleribus. & Cic. *faciem honesti, ciem civitatis.* Alii amorum, rerum, nsilii, agri faciem, dixerunt. Nota ec Interpretum est. *Cerda.*

Inopinave surgit.] Nomen est, non rticipium. Nam *inopinatam* diceret, iod non procedit. *Opinatus* enim ve-t ab eo, quod est *opinor*; sed quia *inopi-r* non dicimus, ideo nec *inopinatus* cit. sicut & *nocens* participium est, iia invenimus *noceo* verbum: *innocens* :ro nomen, quia *innoceo* non dicimus, se participium non potest. Nullum t enim participium, quod & à verbo on trahitur: licet à sui verbi forma on veniat, ut *placita*, licet *placeor* non camus, tamen *placeo* invenimus. Item *gnata, triumphata.* Unde *galeatus* & *nicatus* & *togatus* nomina compro-antur. Nullum enim verbum horum riginis reperitur. *Servius.*

105. *Omnia præcepi, atque animo me-im ante peregi.*] *Præcepi*, ante cognovi Heleno, vel à patre, qui ait, *Gens du-t atque aspera cultu Debellanda tibi Latio i.* Dicit autem se futura partim au-isse, partim mente præcepisse. Sed oc-irrit, Si novit omnia, quid consulit umen? Sed nosse se dicit omnia, quan-ım ad labores pertinet: & concedit otam petitionem, ut ad illud veniat, uo possit patrem videre. Nam quod icit *unum oro:* non solum dicit, sed ræcipuum, ut, *Unam posthabita coluisse amo.* Idem.

Præcepi.] In Romano codice, & quibusdam aliis antiquis, *præcepi* legitur: quod idem est, cum animo mecum ante peregi. Si vero *percepi* placet, ut in Longobardico, & in Mediceo habetur, *ante* præpositio utrique verbo fuerit applicanda, *Omnia ante percepi, & omnia ante mecum animo peregi.* Pierius.

Omnia præcepi.] Volunt Interpretes dici hoc ex Stoicorum doctrina, qui dicebant, sapientem omnino debere animo excubare, ut nihil omnino improvisum sibi accidat; sed omnia prius tanquam ex specula præviderit, & providerit. Muretus lib. 5. Var. cap. 12. adducit locum ex Æschylo, ad quem videri possit Poëta contendisse. Ait Prometheus:

Καὶ τοι τί φημί; πάντα προὐξεπίσταμαι
Σκεθρῶς τὰ μέλλοντ', οὐδέ μοι ποταίνιον
Πῆμ' οὐδὲν ἥξει:

Sed quid hæc dico? omnia prænosco
Optime quæ sunt futura, nec mihi improvisum
Malum ullum eveniet.

Alludit quippe Prometheus ad nomen suum. Tale illud Senecæ in Hippol.

Ne metue clades fortiter fari asperas,
Non imparatum pectus ærumnis gero.

& Terentii in Phormione: *Meditata sunt mihi omnia mea incommoda.* & post pauca: *Horum nihil quicquam accidet animo novum.* Hæc in Interpretibus sunt, ex quorum mente ego ista: nam mihi verisimilius est, Poëtam non tam ad Stoicorum doctrinam contendisse, quam ad Heleni monita, quæ habentur lib. 3. Æn. Sed locum istum de malis præoccupandis, ut leniora sint, cum veniant, satis illustravi lib. 2. Æneid. *Cerda.*

106. *Quando.*] Siquidem: & est conjunctio. *Servius.*

107. *Et tenebrosa palus Acheronte refuso.*] *Paludem* pro *lacu* posuit. Nam Aver-

Ire ad conſpectum cari genitoris & ora
Contingat: doceas iter, & ſacra oſtia pandas.
Illum ego per flammas, & mille ſequentia tela
Eripui his humeris, medioque ex hoſte recepi:
Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnis pelagique minas cæliqueferebat

Inv

Avernum ſignificat: quem vult naſci de Acherontis æſtuariis. *Palus* autem, bene iſte produxit *lus*: quia *palus*, *paludis* facit, quod ſupra plenius diximus. Horatius corripuit: ut *Sterilisque diu palus aptaque remis*. *Tenebroſa* autem, nigra, per quod altam ſignificat: ut, *Nigra fugit ſub nube columbam*, id eſt, alta. *Servius.*

Acheronte refuſo.] *Acheron* fluvius dicitur inferorum, quaſi ſine gaudio: ſed conſtat locum eſſe haud longe à Bajis, undique montibus ſeptum: adeo ut nec orientem, nec occidentem Solem poſſit aſpicere: ſed tantum medium diem. Quod autem dicitur ignibus plenus, hæc ratio eſt: omnia vicina illic loca calidis & ſulphuratis aquis ſcatent. Sine gaudio autem ideo ille dicitur locus, quod necromantia vel ſciomantia, ut dicunt, non niſi ibi poterat fieri: quæ ſine hominis occiſione non fiebat. Nam & Æneas illic, occiſo Miſeno, ſacra iſta complevit, & Ulyſſes, occiſo Elpenore: quanquam fingatur in extrema Oceani parte Ulyſſes fuiſſe: quod ipſe Homerus falſum eſſe oſtendit ex qualitate locorum, quæ commemorat ex tempore navigationis. Dicit enim eum circa unam noctem navigaſſe: & ad locum veniſſe, ubi ſacra perfecit. Quod de Oceano, non procedit: de Campania, manifeſtiſſimum eſt. Præterea à Bajo ſocio ejus illic mortuo, *Bajas* conſtat eſſe nominatas. Dicit etiam vidiſſe Herculem: ideo quia illic ſunt *Baulia*, locus Herculis dictus quaſi *Boaulia*: quod illic habuit animalia, quæ Geryoni detracta ex Hiſpania adduxerat. *Idem.*

108. *Ire contingat.*] Ut minus eſt, *Ut ire contingat:* ut iter doceas. *Idem*

Ire ad conſpectum cari genitoris & c
Contingat.] In Romano codice, per tuus ille modus, *ire*, pendet à verb *unum oro.* alio inde membro & *contingam* legitur. In aliquot etia codicibus inemendate *contingit* enu tiativo modo poſitum eſt. Magis tam placet *oro contingat ire*, quod etiam Se vius agnoſcit. *Pierius.*

109. *Sacra oſtia pandas.*] Aut ven rabilia, aut execranda: ſicut de Ta taro dicturus eſt, *Sacræ panduntur po tæ.* Servius.

110. *Illum ego per flammas.*] Mei tum approbat patris, ut juſtum vide tur eſſe deſiderium. *Idem.*

Sequentia tela.] Ut, *Ardente cl peos atque æra micantia cerno.* Idem.

111. *Ex hoſte recepi.*] Liberavi, u *Frugesque receptat.* *Ex hoſte* autem, pl eſt, quam ſi *ex hoſtibus* diceret, ut dix mus ſupra. *Ex hoſte* enim generalit dicitur: *ex hoſtibus* partem oſtendit. ſi ut dicendo *terram*, ſignificamus el mentum, *terras* vero ſingulas parte ut Africæ, Italiæ. *Idem.*

112. *Meum comitatus iter.*] Non ſ ſalutis, ſed mei cauſſa, ut, *Cedo equ dem, nec nate tibi comes ire recuſo.* Iden

Ille meum comitatus.] Eurip. in C reſt. συμπόνῳ ἐμοὶ πόνοις. *Germ.*

113. *Pelagique minas.*] Quintilia declam. 258. *inter fluctus, & turba maris minas.* Arator Poëta lib. 2. *N pelagi cœlique minas.* Pari aura Prope tius, *Nili minas* dixit lib. 3. eleg. 11.

Et Tiberim Nili cogere ferre minas.
Cerda.

Cœlique ferebat.] Ut ante morte pra ventus ſit quam ferre deſierit. Et mi impe

Invalidus, vires ultra ſortemque ſenectæ.
Quin, ut te ſupplex peterem, & tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. natique patriſque,
Alma, precor, miſerere. potes namque omnia: nec te
Nequicquam lucis Hecate præfecit Avernis.
Si potuit Manis arceſſere conjugis Orpheus
Threï-

nperfecto uſus eſt tempore, ac ſi diret, adhuc ſi viveret ferret. *Servius.*

114. *Invalidus.*] Eurip. φρȣ̃δ☉ ὁσ6υς. Sic Calab. de Neſtore filium Memnone cæſum ulciſci aggrediente: ...ικ, ἄρ αὐτὸν παιδὸς ἀποφθιμϑύοιο ποποτὶ μῶλον ἄγκσηε πὰρ δύυαμιν. *...rmanus.*

Vires ultra ſortemque ſenectæ.] Quia ...nectæ ſors eſt quies & otium: ſic ...pueritiæ, ludus: amor, adoleſcen...e: ambitus, juvenilis ætatis. Ergo ...ud ferebat pater, quam ſors exige...t ſenectæ. *Servius.*

115. *Ut te ſupplex peterem, & tua ...ina adirem, Idem orans mandata da...t.*] In pleriſque omnibus antiquis ...emplaribus, inter hæc membra non ...betur & copulativa particula, & ...m *orans* varie legitur. Nam codices ...nnulli *id memorans* legunt, quod hoc ...co mihi videtur otioſum. Alii qui...m *id me orans*. Unde puto per libra...orum inſcitiam illud, *id memorans* ...nanaſſe. Mihi vero tam vulgata le...io *idem orans*, quam antiqua ea *id me ...ns* ſummopere ſatisfacit. *Pierius.*

116. *Orans mandata dabat.*] Sic di...um eſt, ut, *Et ſupplex tua numina ...ſco.* Major enim ad impetrandum vis ...t eum rogare, qui poſſit jubere. *Ser...us.*

Mandata dabat.] Ut, *Huc caſta Si...lla Nigrarum multo pecudum te ſangui...e ducet.* Idem.

Orans mandata dabat.] Hoc argu...ientum ad neceſſitatem contrudunt ...iqui; cum reſpectu ad ea, quæ ſcripta ...int lib. 5. & quia hic *mandata* dicun...ir, quibus ut filius pareat neceſſe eſt. ...go ad honeſtatem traduco, quia mandata non eam vim inferunt, quam præcepta; imo ſæpiſſime continent mandata rationem benevolentiæ & obſequii. Cic. ad Q. Frat. *tua mandata perſequor diligenter.* Abſit ut Quintus Marco præciperet ſeniori. Itaque bene conjunxit Poëta *orans mandata dabat.* Præterea, quî poterat pater filio præcipere, ut adiret infernos, quod in filii poteſtate ſitum non erat? ſcio hoc extremum poſſe eludi. *Cerda.*

Natique.] In antiquioribus exemplaribus, *gnati*, quod nonnulli alii corrupte *geniti* ſcripſere. Probus autem Valerius hoc citato loco Metaplaſmum eſſe ait, κατὰ πρόθεσιν. Quare *Gnati* ſcribendum, ut etiam in Mediceo codice habetur. *Pierius.*

118. *Lucis Hecate præfecit Avernis.*] *Hecate* trium poteſtatum nomen eſt. Ipſa eſt enim Luna, Diana, Proſerpina. ſed ſolam Proſerpinam dicere non potuit, propter lucos, qui Dianæ ſunt. Item Dianam, quia *Avernis* ait. Unde elegit nomen, in quo utrunque conſtabat. Unde Lucanus de Proſerpina ait, *Hecate pars ultima noſtræ.* Servius.

Hecate.] Adi Lilium, & Natalem lib. 3. c. 15. Quid illis addam ad cognitionem hujus Deæ, nihil habeo. *Cerda.*

119. *Si potuit Manis.*] Nititur exemplis, quæ inferiora ſunt per comparationem: ut ipſe videatur juſtius velle deſcendere. Nam Orpheus revocare eſt conatus uxorem: hic vult tantum patrem videre. Orpheus autem voluit quibuſdam carminibus reducere animam conjugis: quod quia implere non potuit, à poëtis fingitur receptam jam conjugem perdidiſſe, dura lege Plutonis. quod etiam Virgilius oſtendit, dicendo

Threïcia fretus cithara fidibusque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties. quid Thesea, magnum
Qui

cendo *arcessere:* quod evocantis est proprie. *Servius.*

Manis arcessere.] In antiquis *Manis*, non *Manes*. In Romano, & aliquot aliis *accersere*. Utrunque vero *accerso*, & *arcesso* recte dici alibi ex antiquis Grammaticis ostendimus. *Pierius.*

Manis conjugis.] Pathos ab exemplo. Nam indignum videtur negari sibi, quod aliis indultum est. Deinde auget invidiam à caussa dispari. Manes illic conjugis, hic patris: illic, arcessere: hic, videre, &c. Videatur Macrob. l. 4. c. 5. Fabulam de Orpheo habes 4. G. *Taubm.*

120. *Fidibusque canoris.*] Bene sonantibus chordis. *Fidibus* autem est à nominativo *hæc fidis*, ut sit pyrrhichius. Nam *fides*, jambus est. *Servius.*

Fidibusque.] Singulari utuntur Persius Sat. 6.

Atque marem strepitum fidis intendisse
Latinæ.

& Hor. l. 1. od. 27. *fide Teia dices, &c.* Emmeness.

121. *Si fratrem Pollux alterna morte redemit.*] Ut diximus supra, Helena & Pollux de Jove nati immortales fuerunt. Nam Castor Tyndarei filius fuit: cujus mortem suo interitu fraterna pietas redemit. Quod ideo fingitur, quia horum stellæ ita se habent, ut, occidente una, oriatur altera. & iterum exemplum per comparationem: quod quia pium est, se ad frequentiam contulit dicendo, *Itque reditque viam totiens*. Servius.

Alterna morte.] Minutius Felix Octavio: *Castores alternis moriuntur, ut vivant.* Noster in Ceiri:

Illi etiam alternas sortiti vivere luces
Tyndaridæ.

Martial. etiam l. 10. epigr. 51. *Castorem alternum* dixit, hoc est, ἑτερήμερον. Castor & Pollux fratres fuere, è Leda geniti; hic patre Jove, ille Tyndaro. inde factum, ut hic immortal esset, ille mortalis. Pollux autem pr fratre orans impetravit, ut, commun cata immortalitate, alternis viveren Quod ideo fingitur: quia horum ste læ, id est, sidus Geminorum, ita habent, ut occidente una, oriatur a tera. Aliter tamen hæc Eustath. a Hom. Odyss. λ. Videatur Pind. Nen Od. 10. & Pyth. Od. 11. *Taubm.*

Alterna morte.] Inde Pindaro Od. 1 Nem. παρ' ἀμέραν vivere dicuntur, Lycophron appellat ἡμιθνῆτας. Fabu la est 80. apud Hyginum. alludit Sta Theb. l. 8.

—— (*Quid enim mihi nuntius amb*
Itque reditque domos?) emittam, &
utrumque tenebo
Tyndaridem. Sil. Ital. l. 13.
Victuram hinc cernit Ledæi Castoris um
bram,
Alternam lucem peragebat in æthe
Pollux.

Ire viam noster l. 3. Georg. ℣s. 77. l. 4. ℣s. 108. *ire iter.* Quæ illic not ta, vide. Ovid. l. 1. Fastor. ℣s. 126.

It redit officio Jupiter ipse meo.

ad hunc consule Nob. Heinsium. *Em*

122. *Quid Thesea.*] Durum exemplur Unde nec immoratus est in eo. Di autem inferos debere patêre pietat qui patuerunt infanda cupienti. Na hic ad capiendam Proserpinam ier cum Pirithoo: & illic retentus In pœnas: ut, *Sedet æternumque sedel Infelix Theseus.* Servius.

Quid Thesea.] Theseus, Ægei A thenarum regis filius, cum Pirithoo Ixionis filio, ad inferos descendit ad piendam Proserpinam, ubi compr hensi & vincti sunt: Theseus tam ab Hercule liberatus; sed alter occis fuit. Dicit igitur: Si inferi sacrile patent: quidnî homini pio patean Censuram hujus loci vide apud Agel l. 10. c. 16. *Taubm.*

123. *Mag*

Quid memorem Alciden? & mî genus ab Jove summo.
Talibus orabat dictis, arasque tenebat.
Cum sic orsa loqui vates: Sate sanguine divom,
Tros Anchisiada, facilis descensus Averno.
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:

Sed

123. *Magn. quid mem. Alciden.*] lelius sic distinguitur: licet quidam le- int, *Quid Thesea magnum:* ut epitheton dent, qui per se non est magnus. Nam erculem etiam sine epitheto *magnum* itelligimus. Sed melius est *Magnum* ire Herculi, quam sacrilego. *Servius.*

Alciden.] Hercules Cerberum raptu- is descendit. Ita Ovid. 4. Met. Fab. 4.

Est via declivis, per quam Tyrinthius heros
Restantem, contraque diem radiosque micantes
Obliquantem oculos, nexis adamante catenis
Cerberon attraxit, &c.

e rebus gestis Herculis & Thesei co- osc Herodot. & Plutarch. *Taubm.*

Et mî genus ab Jove summo.] Occurrit citæ quæstioni tanquam Sibylla dixe- t. Sed ii enim qui descenderant, à diis icebant originem. *Servius.*

Et mî genus ab Jove summo.] Hic pro- er egregias personas non habuit Æ- ıas, quod minueret, vel quod auge- t: verum quod in illis elucebat, hoc i jactat cum iis commune: nempe iod æque genus suum ab Jove ducat. lacrob. l. 4. c. 5. *Taubm.*

Mî.] Sic Juvenal. Sat. 10. ꝟ. 8. *Pallidulus mî, &c. fuit obvius.* mmeneff.

124. *Arasque tenebat.*] Rogabant iim deos, ararum ansas tenentes. *Ser- ius.*

Arasque tenebat.] Precantes aram nebant. unde Varro lib. 5. Rerum vin. *aras* primum *ansas* ait dictas. a 4. Æn. ꝟ. 219. item 12.

Tango aras: medios ignes & numina testor.

lacrob. l. 3. c. 2. *Taubm.*

Arasque tenebat.] *Sumtis in manu al- taribus* inquit Justinus l. 24. c. 2. *pre- cabantur jurabantque veteres.* ad illum locum vide Bernegg. *Emmeneff.*

125. *Sate sanguine divom.*] Unde Æneas desiit, inde hæc sumpsit exor- dium. *Servius.*

126. *Facilis descensus Averno.*] Le- gitur *Averni* & *Averno:* id est, ad A- vernum: sed si *Averni*, inferorum signi- ficat: & lacum pro inferis ponit. *Idem.*

Facilis descensus Averno.] Seneca in Furent. pluribus:

Nec ire labor est; ipsa deducit via.
Ut sæpe puppes æstus invitas rapit:
Sic pronus aër urget, atque avidum Chaos:
Gradumque retro flectere haud unquam sinunt
Umbræ tenaces.

In Græco epigr.

Εἰς Ἀΐδην πάντεσσι κατάβασις.

Cerda.

127. *Noctes atque dies patet atri ja- nua Ditis.*] Id est, omni tempore ho- mines in fata concedunt, & hoc poë- tice. Nam Lucretius ex majore parte, & alii integre docent inferorum regna nec esse quidem posse. Nam locum ipsorum quem possumus dicere, cum sub terris esse dicantur Antipodes? In media vero terra eos esse, nec solidi- tas patitur, nec centrum terræ. quæ si in medio mundi est: tanta ejus esse profunditas non potest, ut medio sui habeat inferos, in quibus esse dicitur tartarus, de quo legitur, *Bis patet in præceps tantum tenditque sub umbras, Quantus ad ætherium cæli suspectus Olym- pum.* Ergo hanc terram, in qua vivi- mus, esse inferos voluerunt, quia est omnium circulorum infima: planeta- rum scilicet septem, Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, Lu- næ;

Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. pauci, quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.
Dis geniti potuere. tenent media omnia silvæ,
Cocytusque sinu labens circumvenit atro.
Quod si tantus amor menti, si tanta cupido est,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre

Tar

næ: & duorum magnorum. Hinc est quod habemus, *Et novies Styx interfusa coërcet.* Nam novem circulis cingitur terra. Ergo omnia, quæ de inferis finguntur, suis locis esse comprobabimus. Quod autem dicit, *Patet atri janua Ditis, &c.* aut poëtice dictum est, aut secundum philosophorum altam scientiam, qui deprehenderunt bene viventium animas ad superiores circulos, id est, ad originem suam redire, quod dat Lucanus Pompejo, *Ut vidit quanta sub nocte jaceret Nostra dies.* Male viventium vero diutius in his permorari corporibus permutatione diversa, & esse apud inferos semper. *Servius.*

129. *Pauci, quos æquus amavit Juppiter.*] Tria genera hominum dicit ad superos posse remeare: quos diligit Juppiter, id est, hos quos in ortu benignus siderum aspectus irradiat. Juvenalis, *Distat enim quæ Sidera te excipiant modo primos incipientem Edere vagitus quos prudens sublevat.* Nam hoc est, *Aut ardens evexit ad æthera virtus.* Item religiosos, quos à diis genitos dixit. Consequens enim est, ut deorum soboles religionibus vacet. *Idem.*

131. *Dis.*] *Geniti*, quia corporibus se infundebant potestates supernæ. Unde Heroës procreabantur. *Idem.*

Tenent media omnia silvæ.] Causam reddit, cur non facilis sit animarum regressus, quia omnia polluta & inquinata sunt. Nam per silvas, tenebras & lustra significat, in quibus feritas & libido dominatur. *Idem.*

132. *Cocytusque sinu labens circumvenit atro.*] Fluvius inferorum, dictus ἀπὸ τοῦ κωκύειν, id est, lugere. Nam Homerus sic posuit. Est autem locu vicinus Acheronti: de quo diximus su pra. Qui ideo luctuosi esse finguntur quia, ut exposuimus in primis partibu libri, hæc sacra, morte hominis facie bant. *Idem.*

Circumvenit.] In antiquis omnibu exemplaribus, quotquot versare conti git, uno exemplo scriptum legi, *cir cumvenit.* vulgata quidem lectio, *circum fluit*, minime displicet. Sed tot codice variis locis & ætatibus scriptos, no temere convenire credendum est. *Pie*

Cocytusque.] Græce κώκυτον, quod κωκύειν *cum gemitu flere* atque *ejulari* ut observat Torrent. ad Horat. lib. 2 od. 14. ubi meminit hujus infernal fluvii:

Visendus ater flumine languido
Cocytus errans. Emm.

134. *Bis Stygios innare lacus.*] Mod & post mortem. Quod autem dicit Ov dius, Æneam inter deos relatum, no mirum est. Nam, ut supra etiam dix mus, necesse est, etiam relatorum int deos apud inferos esse simulacra: Herculis, Liberi patris, Castoris Pollucis. Multi hoc non videntes, Sibyllam referunt, ut dicat, Vis n bis inferos cernere: modo: *& cum n lucis Hecate præfecit Avernis:* quod e paulo post dictura. quod si est: no *bis* hæc, sed tertio inferos cernet. Na quandoque etiam ipsa morietur. Ite hi supradictam non videntes rationen dicunt de se Sibyllam dicere. Nam de Ænea dicat, non eum prævidet deu futurum. quod si est, caruit numine, quemadmodum de Miseno, vaticinatu Unde referre nos debemus ad id, ut d

cant

Tartara; & insano juvat indulgere labori;
Accipe, quæ peragenda prius. latet arbore opaca
Aureus & foliis & lento vimine ramus,

camus etiam post apotheosim apud inferos remanere simulacra. *Stygios lacus.* *Styx* palus quædam apud inferos dicitur: de qua legimus, *Dî cujus jurare timent, & fallere numen.* Quod secundum fabulas ideo est, quia dicitur Victoria, Stygis filia, bello Gigantum Jovi favisse: pro cujus remuneratione Juppiter tribuit, ut dii jurantes per ejus matrem, non audeant fallere. Ratio autem hæc est, *Styx* mœrorem significat: unde ἀπὸ τοῦ στυγεροῦ, id est, à tristitia *Styx* dicta est. Dii autem læti sunt semper, unde etiam immortales. Quia ἄφθαρτοι καὶ μακάριοι, id est, sine morte beati. Hi ergo quia mœrorem non sentiunt, jurant per rem suæ naturæ contrariam, id est, tristitiam, quæ est æternitati contraria. Ideo jusjurandum per execrationem habent. *Servius.*

Bis Stygios innare lacus.] Semel vidisse scimus Ænean inferorum regna, cum Sibylla descendens, nam Divis adscriptus, inde Ovid. lib. 14. Met. ℣s. 590.

—— *satis est inamabile regnum*
Adspexisse semel, Stygios semel isse per amnes.

Emmeness.

135. *Tartara.*] Locus inferorum profundus: de quo Lucanus ad inferos dicit, *Cujus vos estis superi.* Servius.

Tartara.] Abyssus inferorum profundissima. unde Lucanus ad Inferos dicit:

Cujus vos estis superi ——

Plutarch. à frigore deducit, & ταρταρίζειν *tremere* interpretatur. *Taubm.*

Insano.] Magno. *Servius.*

136. *Accipe, quæ peragenda prius.*] Si vis, inquit, reverti, audi observationis præcepta. Et sub imagine fabularum docet rectissimam vitam, per quam animabus ad superos datur regressus. *Idem.*

Latet arbore opaca aureus.] Licet de hoc ramo, hi, qui de sacris Proserpinæ scripsisse dicuntur, quiddam esse mysticum affirment, publica tamen opinione hoc habet: Orestes post occisum regem Thoantem in regione Taurica cum sorore Iphigenia (ut supra diximus) fugit: & Dianæ simulacrum inde sublatum, haud longe ab Aritia collocavit. In hujus templo post mutatum ritum sacrificiorum, fuit arbor quædam, de qua infringi ramum non licebat. Dabatur autem fugitivis potestas, ut, si quis exinde ramum potuisset auferre, monomachia cum fugitivo templi sacerdote dimicaret. Nam fugitivus illic erat sacerdos, ad pristinæ imaginem fugæ. Dimicandi autem dabatur facultas, quasi ad pristini sacrificii reparationem. Nunc ergo istum inde sumpsit colorem. Ramus enim necesse erat, ut & unius causa esset interitus, unde & statim mortem subjungit Miseni, & ad sacra Proserpinæ accedere, nisi sublato ramo, non poterat. *Inferos* autem *subire*, hoc dicit sacra celebrare Proserpinæ. De reditu autem animæ hoc est; Novimus Pythagoram Samium vitam humanam divisisse in modum Y literæ, scilicet quod prima ætas incerta sit, quippe quæ adhuc se nec vitiis, nec virtutibus dedit. Bivium autem Y literæ à juventute incipere: quo tempore homines aut vitia, id est, partem sinistram: aut virtutes, id est, dextram partem sequuntur. Unde ait Persius, *Traducit trepidas ramosa in compita mentes.* Ergo per *ramum* virtutes esse sectandas, qui est Y literæ imitatio. Quem ideo in silvis dicit latere: quia re vera in hujus vitæ confusione, & majori parte vitiorum, virtus & integritas latent. Alii dicunt ideo ramo aureo inferos peti, quod divitiis facile mortales intereunt. Tiberianus, *Aurum quo pretio reserantur limina Ditis.* Servius.

137. *Aureus ramus.*] *Aureo ramo* significatur *Ratio* vel potius *Prudentia,*

Junoni infernæ dictus sacer. hunc tegit omnis
Lucus, & obscuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam quis decerpserit arbore fœtus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit. primo avulso non deficit alter
Aureus; & simili frondescit virga metallo.

Ergo

quam Plato discretam à reliquis virtutibus *oculum mentis* vocabat: & qua nihil non, quantumvis arduum, confici potest. Prudentiæ igitur Sole q. prælucente homo potest ab inferis remeare, id est, vitiis declinatis ad Virtutem redire. Nam per Ramum, qui literæ illius Pythagoricæ Y imitatio & imago est, innuit Poëta, Virtutes esse sectandas. Quem quidem Ramum ideo *in silvis & vallibus umbrosis latere* dicit, quia revera in hujus vitæ confusione, ex majori vitiorum parte Virtutis integritas latet: atque ita abstrusa paucis obvia est & parabilis. Videatur etiam Erasmus l. 2. de Copia, item P. Crinitus l. 10. c. 6. *Taubmannus.*

Lento vimine.] Flexili, ut *Lenta quibus torno facili superaddita vitis.* Alias, gravi. *Servius.*

138. *Junoni infernæ.*] Proserpinæ: ut, *Sacra Jovi Stygio.* Idem.

Dictus.] Dicatus. *Idem.*

Junoni infernæ.] Pari circumflexione Statius,

—— *Stygiæque severos*
Junonis thalamos. Idem:
Jam complexa manu crinem tenet infera
Juno.

& Silius:

—— *comites Junonis Avernæ.*

Cerda.

Junoni infernæ dictus sacer.] Id est, Proserpinæ sacratus vel dicatus. Si enim Pluto dicitur *Juppiter Stygius*: ergo & conjux ipsius, Juno. Turn. l. 28. c. 48. *Taubm.*

139. *Et obscuris claudunt convallibus umbræ.*] Re vera nemus Aricinum densum est. *Servius.*

140. *Sed non ante datur.*] Sive justis sive injustis. sic intelligentes removebimus quæstionem. Hinc enim dicit, *Longo post tempore visum.* Ex eo enim quod dicit descendisse aliquos, ramum quoque depositum esse significat. *Idem.*

Telluris operta.] Secundum eos, qui dicunt inferos in medio esse terrarum: quos Juvenalis dicit putari esse sub terris: ut, *Esse aliquos manes & subterranea regna.* Idem.

Telluris operta.] Signate dixit, *operta.* Constat *Bonam deam* & *Tellurem* eadem esse. Ubi autem Bonæ deæ fiebat mentio, *opertum* vocabant, quo viris ingredi nefas erat. Cic. 1. l. ad Attic. *Quasi in operto dicas fuisse.* Et in Paradoxis: *Ut, si in opertum Bonæ deæ accessisses, exulares.* Muret. Var. lib. 14. c. 2. *Taubm.*

141. *Decerpserit.*] In codicibus aliquot antiquis *discerpserit* scriptum est, avellendus enim erat ramus: objectaturque ita in conficiendo negotio difficultas, quum *decerpere* minus laboris quodammodo polliceatur. Plura tamen exemplaria manu scripta, *decerpserit* habent. *Pierius.*

Auric. quam quis decerpf. arb. f.] De hoc ramo aureo Ov. l. 14. Met. ℣. 113.

——— *& auro*
Fulgentem ramum silva Junonis Avernæ
Monstravit jussitque suo devellere trunco.

Emmeness.

142. *Pulchra.*] Quæ rapi meruit. *Servius.*

Suum.] Sibi charum. *Idem.*

143. *Non deficit alter.*] Ne diceretur, ab iis, qui primo descenderunt, esse sublatum. *Idem.*

144. *Frondescit.*] In naturam redit: & ho-

Ergo alte vestiga oculis, & rite repertum
Carpe manu. namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant: aliter, non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Præterea jacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu nescis) totamque incestat funere classem;
Dum

& honeste locutus est dicens, *Habet frondes sui metalli.* Idem.

Et simili frondescit virga metalli.] Ad hunc locum vide Cl. Gronov. Observ. l. 1. c. 11. ubi Servii interpretatio, *sui metalli* quid velit, edocet. dici *suum aurum*, *sua poma*, *sui rami*, pro nativo, pro eo quod est τὸ οἰκεῖον ϗ ἰθαγενές. de fruticibus aureis, & metallis frondentibus mentionem infert Solinus c. 24. ad quem locum consule Salmas. p. 292. *Emmeness.*

145. *Alte vestiga oculis.*] Require omni intentione. *Servius.*

Rite repertum Carpe.] *Rite carpe*, id est, cum observatione, non *rite repertum.* Idem

146. *Non*] In Romano codice, *nec*: ut sit repetitio cum eo, quod sequitur, *Nec duro poteris convellere ferro.* Sed magis placet *non*, ut in reliquis habetur. *Pierius.*

147. *Si te fata vocant.*] Hoc est, si quem fata vocant, facile sequetur. *Serv.*

148. *Poteris.*] Poterit quis. Tertiæ enim personæ significationem ad secundam transtulit, & generaliter loquitur. Nam ut de Ænea dicat, non procedit. Si enim dubitat, caret deo: nec potest de Miseno vaticinari. *Idem.*

Duro ferro.] Et genus esse potest & species. *Idem.*

149. *Praterea.*] Ac si diceret, est & alia oportunitas descendendi ad inferos, id est, Proserpinæ sacra peragendi. Duo autem horum sacrorum genera fuisse dicuntur. Unum Necyomantiæ, quod Lucanus exequitur: & aliud Sciomantiæ, quod in Homero, quem Virgilius sequitur, lectum est. Sed secundum Lucanum, in Necyomantia ad levandum cadaver sanguis est necessarius: ut, *Pectora tunc primum ferventi sanguine supplent.* In Sciomantia vero, quia umbræ tantum est vocatio, sufficit solus interitus. Unde Misenus in fluctibus occisus esse inducitur. *Idem.*

Jacet.] Vox cadaverum. Sophocl. in Elect. θανὼν ἔκειϲο: *mortuus jaceres.* Notanda periphrasis: *corpus exanimum jacet*, pro, cadavere. *Cerda.*

Tibi.] Ideo addidit *tibi*, ne *Amici* posset etiam ad Sibyllam referri. *Serv.*

150. *Incestat.*] Polluit, & *incestus* est quæcunque pollutio. *Idem.*

Incestat.] Non semper hoc verbum respicit propudiosas nuptias inter affines: Nam Servius: *incestus est quæcunque pollutio.* & Festus ad quodcunque facinus torquet: *Incestus à Græco trahitur, nam illi facinus dicunt ἀνήκεστον.* Magnum pondus Tibullus, qui:

Nunc feror incestus sedes adiisse Deorum.

Denique cum *incestus* dictus sit, auctore Isidoro, quasi non castus, sit perinde, ut de his dici possit, de quibus vox hæc *castus.* atqui *castè* dicuntur fieri, quæ ex more & ritu sacrorum. Unde Lucretius lib. 1. loquens de Iphigenia:

Sed casta inceste, nubendi tempore in ipso,
Hostia concideret mactatu mœsta parentis.

Hoc est, explicatore Germano, *particulariter, & præter fas, & morem.* Cerda.

Incestat.] *Incestum* dicitur flagitium in affines admissum, sed, teste Nonio Marc. c. 6. *incestare* est funere polluere. infaustum enim videbatur & mali ominis, si quis corpus socii insepultum reliquisset, ut Herald. adversar. l. 1. c. 9. *Emmeness.*

Dum consulta petis, nostroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulcro.
Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto.
Sic demum lucos Stygios regna invia vivis
Aspicies

151. *Pendes.*] Sollicitus es: ut, *Ipse manu multo suspensum numine ducit.* Et proprie *pendere* est desiderare aliquid audire: ut, *Pendetque iterum narrantis ab ore.* Servius.

152. *Sedibus hunc refer ante suis.*] Apud majores (ut supra diximus) omnes in suis domibus sepeliebantur. Unde etiam umbras, *larvas* vocamus. Nam Dii penates alii sunt. Inde est, quod etiam Dido cenotaphium domi fecit marito. Ergo aut secundum istum locutus est morem, quamvis adhuc Trojani domos non habuerint. Aut dicit, Refer hunc naturalibus sedibus, id est, terræ: nam in aqua perierat. Verum tamen illud est, ut intelligamus eam dicere *Sepeli eum.* Nam Sepulchrum *sedes* vocatur. Horatius, *Nulla certior tamen rapacis orci fine destinata divitem manebat herum.* Virgilius, *Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen.* Persuadet autem sepulturam, ut possit recentis cadaveris uti anima: ut ait Lucanus, *Non in tartareo latitantem poscimus antro, Assuetamque diu tenebris: modo luce fugata Descendentem animam primo pallentis hiatu Hæret adhuc orci.* Idem.

Sedibus hunc refer ante suis.] Servius putat attingi morem, quo olim mortui in suis ædibus condebantur, quod hîc tamen necessarium non est. Nam neque hoc perpetuum fuit, dicente Poëta in 11. de mortuis corporibus, *Finitimos tollunt in agros.* Neque hoc jam placitum boni judicii hominibus, qui hîc per *sedes suas* terram ipsam capiunt condendis mortuis destinatam. Quam explicationem secundo loco eligit Servius ipse. Plinius lib 7. c. 55. loquens de mortuis: *quæ deinde sedes, quantave multitudo tot sæculis animarum velut umbrarum.* ubi *sedes* capit pro loco, ubi futuræ animæ. *Cerda.*

Conde sepulcro.] Non est tautologia Duo dicit, videlicet, refer ad sepulturam, & relato terram injice, nam ho est, condo. Græcis sepulcra ἠρία dicuntur, παρὰ τὴν ἐπιχεομένην τοῖς νεκροῖς ἔραν, ut scribit interpres Theocriti in Pharmac. id est, *ab ea, quæ mortuis injiciebatur terra.* & hoc esse καλύπτειν, i est, *condere*, idem ait. *Idem.*

153. *Duc nigras pecudes.*] Lucr. l. 3 *Et nigras mactant pecudes, & Manibu Divis Inferias mittunt.* Germanus.

Prima piacula sunto.] Ad expiationem pollutionis, quæ fuerat nata morte Miseni. *Servius.*

Piacula.] Ἀφοσιώσεις, καθάρσεις, ἁγνισμοί. Unde & *piaculare sacrum* Livio, ἀγνευτήριον. *Germanus.*

154. *Sic demum.*] Ad postremum: hoc est novissime. Et hæc particula tam apud Virgilium, quam apud omnes idoneos auctores hoc significat, licet in aliis diversa significet. *Servius.*

Lucos Stygios regna invia vivis Aspicies.] Seneca scripsit de ritu & de sacris Ægyptiorum. hic dicit circa Sienem extremam Ægypti partem esse locum, quem *Philas*, hoc est, amicas vocant, ideo quod illic est placata ab Ægyptiis Isis: quibus irascebatur, quod membra mariti Osiridis non inveniebat, quem frater Typhon occiderat. Quæ inventa, postea cum sepelire vellet, elegit vicinæ paludis tutissimum locum, quem transitu constat esse difficilem. limosa enim est & papyris referta & alta. Ultra hanc est brevis insula inaccessa hominibus. Unde ἄβατος appellata est. Lucanus, *Hinc Abatos, quam nostra vocat veneranda vetustas.* Hæc palus *Styx* vocatur, quod tristitiam transeuntibus gignit. Sane ad illam insulam, ab his, qui sacris imbuti sunt, certis transitur diebus. Lectum est etiam, quod vicini populi cada-

Aſpicies. dixit, preſſoque obmutuit ore.
Æneas mæſto defixus lumina voltu
Ingreditur, linquens antrum; cæcoſque volutat
Eventus animo ſecum. cui fidus Achates
It comes, & paribus curis veſtigia figit.
Multa inter ſeſe vario ſermone ſerebant:

Quem

ıdavera ſuorum ad alteram regionem :ansferunt: ſed ſi quis forte in fluvio ereat, nec ejus inveniatur cadaver, oſt centum ei annos ultima perſolvuntur officia. Hinc eſt tractum, *Centum errant annos, volitantque hæc litora ircum.* Servius.

Stygios regna invia.] Antiqua omnio pleraque exemplaria legunt, *Lucos tygios & regna invia vivis.* ut ſit verſus juſdem generis cum eo, *Aut ovium fœtus, aut urentis culta capellas.* Sed enim go hæc libentius miſſa fecerim: ni uibuſdam ſit obſequendum, qui ſibi mnia qualiacunque ſint, ex antiquoum codicum fide flagitant explicari. unt vero etiam codices manu ſcripti, n quibus *lucos Stygis & regna invia* leatur. Sed enim ea omnino lectio proabilior, quæ in Mediceo, atque aliquot liis abſque copulativa particula, *Regna invia* appoſitive ſcriptum oſtendit. *Pierius.*

Regna invia.] Quæ contra naturam unt, non afferunt præjudicium generalitati. Unde ait, *Invia regna*, licet Hercules & alii tranſierint: & ſit tranſiturus Æneas. Sic dictum eſt illud: *Evaditque celer ripam irremeabilis undæ.* Servius.

155. *Preſſ. obm. ore.*] Plato: ἐπεστομίσθη. *Germ.*

156. *Mæſto voltu.*] Propter mortem amici, & rami inquiſitionem. *Servius.*

Defixus lumina.] Defixa lumina habens: per quod triſtitia mentis oſtenditur. *Idem.*

Mæſto defixus lumina voltu.] Egregie hic Pontanus annectit Juvenal. Sat. 4.

Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas & gaudia: ſumit utrunque
Inde habitum facies. Cerda.

157. *Ingreditur.*] Pro *graditur*: vacat præpoſitio: ut, *Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.* Servius.

Ingreditur.] Quia Servius *ingreditur* pro *graditur* poſitum ait, ita ut *in* vacare innuat, fuere nonnulli, qui vetuſta abraſa lectione in exemplaribus manu ſcriptis, *egreditur* facerent. Sed enim *ingredi* pro *ire*, non tam apud Poëtas, quam etiam apud Oratores, ſæpe reperitur. *Pierius.*

159. *Paribus curis veſtigia figit.*] Aut ſimili ſolicitudine detentus incedit: aut *figit veſtigia*, id eſt, ſtat ſubito: quod cogitantes facere conſueverunt. *Servius.*

Paribus curis.] Id eſt, συμπάσχων. Eſt hoc πρέπον veri amici: *quia triſtitiæ communicatio mœrentis animi quædam quaſi allevatio eſt.* Verba ſunt Achillis Alexand. lib. 7. de Clitoph. & quidem alluſum ad etymon Achatis, qui dictus ἀπὸ τοῦ ἄχους à *ſollicitudine*. Cerda.

Veſtigia figit.] Eſt hoc quod alibi: *veſtigia firmat.* & poſtea, *veſtigia preſſit.* Quod Lucretius lib. 5.

Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis.
Idem.

160. *Multa inter ſeſe vario ſermone ſerebant.*] Hic proprie dictus eſt *ſermo*, qui inter utrunque ſeritur. *Servius.*

Sermone ſerebant.] Vetera quædam exemplaria, *ferebant* pro conferebant. Sed recte Servius *ſerebant* agnoſcit, unde proprie *Sermo.* Pierius.

Sermone ſerebant.] Alludit ad etymon, nam *ſermo* dictus, quia ſeritur. Sic in 12. *Sermoneſque ſerit varios.*

Quem ſocium exanimem vates, quod corpus humandum
Diceret. atque illi Miſenum in litore ſicco,
Ut venêre, vident indigna morte peremtum;
Miſenum Æoliden: quo non præſtantior alter
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas inſignis obibat & haſta.

Poſt

Ita Græci pari indole ἀπερμολογεῖν, & ἀπερμολογία. & Plutarchus, ἀπείργοντες λόγους. integra pete à Germano. *Cerda.*

163. *Indigna morte.*] Miſerabili: non congrua ejus meritis: vel propter animæ etiam extinctionem, elementi contrarietate. *Servius.*

Indigna morte.] Quæ non convenit viro forti: ergo non tantus dolor fuiſſet, ſi in bello cecidiſſet. *Donatus.*

Morte peremtum.] Ita Lucretius l. 3.

Quo minus eſſe diu poſſimus morte peremti. Cerda.

164. *Quo non præſtantior alter.*] Tale quid Homerus 2. Il.

Τῷ δ' οὔπω τις ὁμοῖος ἐπιχθονίων γένετ' ἀνήρ:

Huic nondum quiſquam vir inter terreſtres fuit ſimilis.

Idem.

165. *Ære ciere viros.*] Enumerat quæ in tali viro eſſent dolenda: primo, quia Æolides, id eſt, nobili genere: ſecundo, quod ſummus artifex in ſono tubæ. *Donatus.*

Viros.] Homines fortes, quia imbelles nullis exhortationibus citari poſſunt. *Idem.*

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.] Sic Tac. l. 2. hiſt. c. 29. *omiſſo tubæ ſono, quo miles ad belli munia cietur.* pro *vocare* apud Lactant. l. 4. c. 1. *per totum orbem ſeptem ſoli fuerunt, qui hominum vocabulo cierentur.* inde *citatio* apud Hyginum pro ſigno vocali: & ut hic Miſenus ob cantum laudatur, ita *canorus* ab Ovid. appellatur l. 14. vſ. 102. & locus, quo conditus fuit, demonſtratur. *Emmeneſſ.*

Martemque accendere cantu.] Hemiſtichium hoc dicitur addidiſſe dum recitat. *Servius.*

Martemque accendere cantu.] Not verba *accendere*, & *cantu*. in quibus clara imitatio Ariſtophanis in Irena, Τὸν πόλεμον ἐκζωπυρήσετ' ἔνδοθεν κεκραγότες. *Bellum accendetis intus clamantes.* Græcus πόλεμον, Latinus *Martem*: ille ἐκζωπυρήσετ', hic *accendere*: ille κεκραγότες, hic *cantu*. Non abludit ab Græcis pugnam ſignificari per βοὴ, id eſt clamorem. & quidem docti interpretes Homericum illud de Menelao, βοὴν ἀγαθὸς, explicant, *bonus pugna.* Ab clamore certe verbum βοηθεῖν, militare. *Cerda.*

166. *Hectoris hic comes.*] Maxima laus, quod nunquam niſi præcipuis comes eſſet. *Donatus.*

167. *Et lituo pugnas & haſta.*] Non ſolum tuba alios accendere poterat, ſed & ipſe pugnabat. *Idem.*

Lituo.] Lituus medium inſtrumentum fuit inter tubam, & cornu; non rectum prorſus, ut illa; nec totum incurvum, ut iſtud, quamvis ſcriptores interdum confundant. A tuba enim ſejungit Lucanus libro 1.

Stridor lituûm, clangorque tubarum.

à cornu Seneca, Oedip.

—— *ſonuit reflexo claſſicum cornu,*
Lituuſque adunco ſtridulos cantus eliſit ære.

Inde jam cum tuba, jam cum cornu jungebatur. De tuba Horat. Od. 1. l. 1.

—— *& lituo tubæ*
Permiſtus ſonitus.

De cornu Juvenal. Sat. 14.

—— *ſolvunt tibi cornua ventrem*
Cum lituis audita.

Cum

Poſtquam illum vita victor ſpoliavit Achilles,
Dardanio Æneæ ſeſe fortiſſimus heros
Addiderat ſocium, non inferiora ſecutus.
Sed tum, forte cava dum perſonat æquora concha,
Demens

um autem eſſet incurvus, edebat ſo-
ım ſtreperum & acutum. Ennius:
Inde loci lituus ſonitus effudit acutos.
Horatius 2. Car. Od. 1. *litui ſtrepunt.*
neca, ut vidiſti, *ſtridulos cantus.* Debes
ınc Notam Lipſio lib. 4. de Mil. Rom.
Delrio in Thyeſt. verſu 574. Pon-
no in hunc locum. Adi Agellium l. 5.
p. 8. & me lib. 3. Georg. ad illud, *li-*
oſque pati. Diffidet à Virgilio Pro-
ctius el. 18. lib. 3. à quo Miſenus *tu-*
cen dicitur, non liticen. Sed cum
irg. conſentit Statius 4. Sylv. à quo
iſenus dicitur *liticen.* Cerda.

Pugnas obibat.] Lucretius, *prælia*
ire. Notat Jovianus, hic melius dici
ire, quam *adire*, poſtulante hoc te-
ııitate præcedentis ſyllabæ: contra
Æn. melius, *tot adire labores*, quam
ire, ne in aſperitatem incideret con-
ngens: *tot* & *ob.* ut vero hic *inſignis*
uo & haſta; ita Homerus, κλυτὸς ἔγ-
ϊ, δουρί. *Idem.*

Lituo pugnas obibat.] *Lituus* aliquan-
virgam auguralem ſignificat, hic, te-
Macrob. l. 6 Saturn. c. 8. pro *tuba*
mitur, ut apud Ovid. lib. 3. Faſt.
ſ. 215.
Jam ſtabant acies ferro mortique paratæ,
Jam lituus pugnæ ſigna daturus erat.
ıi lituo canit liticen appellatur, ut
ſtus. *pugnas obire* eſſe tralatitium do-
t Salmaſ. exerc. Plin. p. 35. noſtrum
ııitatur Solinus c. 1. *victor ille omnium*
rtaminum quæ obivit. Emmeneſſ.

168. *Vita ſpoliavit.*] Ad bellum re-
lit: in quo victis tolluntur exuviæ.
rvius.

Spoliavit.] Alluſio ad morem mili-
tem, quo ſpolia detrahuntur: inter
olia autem quid illuſtrius vita? ita
iam Tibull. lib. 4.
—— *ſpoliorque relictis*,
audı, annis. Itaque ex utroque ma-
giſtro dices, *ſpoliare vita, annis.* Cæ-
terum receptiſſimæ opinioni morta-
lium, acceptæque ab Homero, refra-
gatur Dio Chryſoſt. orat. 11. ubi ſatis
indicat, Hectorem fuiſſe interfecto-
rem Achillis, non contra. *Cerda.*

170. *Non inferiora ſecutus.*] Ubique
Æneam Hectori comparat, ut, *Am-*
bo animis: ambo inſignes præſtantibus ar-
mis. Servius.

171. *Cava dum perſonat æquora con-*
cha.] Aut perſonare facit: aut Hyſte-
rologia eſt, dum per cava æquora ſonat.
Idem.

Perſonat æquora concha.] Ut apud Eu-
rip. κόχλους φυσῶν, in Iphig. in Taur.
concha inflata ſonans, ut infra lib. 10.
Immanis Triton, & cærula concha Ex-
terret freta. Ut autem hic *perſonare*
æquora, Cicero *perſonare aures. Voci-*
bus Leptam noſtrum cupio jam delecta-
ri talibus ſcriptis, etſi abeſt maturi-
tas ætatis, tamen perſonare aures ejus
hujuſmodi vocibus non eſt inutile. Quo
tamen loco poſſem concedere neu-
traliter *perſonare* acceptum à Cicero-
ne, tum auctoritate ductus amici
mei viri eximii, tum his exemplis, qui-
bus ſolennis eſt & ordinaria ea forma
verbi hujus uſurpatio, ut ibi: *Canta*
vocum, nervorum, & tibiarum tota vi-
cinitas perſonabat. & alibi: *At vero te*
inquilino perſonabant omnia vocibus ebrio-
rum: & denique: *Cum furialis vox ſe-*
cum illos facere acerbiſſime perſonabat:
niſi & Virgilius hoc ipſo libro de Cer-
bero, *latratu regna trifauci Perſonat*,
dixiſſet: & *aures ſonare* improprium vi-
deretur, cum ſonum accipiant, ſen-
tiantque potius: ut ſub agendi verbo
enuntiatum videri poſſit à Cicerone:
ſed non obluctor. *Germ.*

Perſonat æquora concha.] Sic Horat.
l. 1. epiſt. 1.

Demens & cantu vocat in certamina divos,
Æmulus exceptum Triton (si credere dignum est)
Inte

Est mihi purgatam crebro qui personet aurem.
illic Torrentium consule. inde *concha* Apulejo l. 4. Met. dicitur *sonax*. ignoto tubarum usu conchas habuerunt. Turneb. l. 28. c. 44. Hesychius κόχλοις τοῖς θαλαττίοις ἐχρῶντο περὶ τῆς τῶν σαλπίγγων εὑρέσεως. etiam στρόμβος appellatur. vide Nicandr. interpr. signate Ovid. l. 1. Met. ✝f. 333.

Cæruleum Tritona vocat conchaque sonanti
Inspirare jubet, fluctusque & flumina signo
Jam revocare dato.

Emmeneff.

Concha.] Fortassis tubam intelligit περιφραστικῶς. Sic nonnulli interpretes. Poterit tamen proprie accipi, ut dicat eam fuisse dementiam in Miseno, ut concha etiam marina personaret, unde Triton in majorem iracundiam exarsit, nam id proprium ejus instrumentum. vide lib. 10. ad illud:

Hunc vehit immanis Triton, & cærula concha
Exterrens freta. Cerda.

Concha.] Nam ante inventam à Tyrrhenis tubam, concha utebantur. Turn. lib. 28. cap. 44. Ita apud Euripid. κόχλους φυσῶν. *Taubm.*

172. *Demens.*] Improvidus, qui non consideravit, etiam deos in æmulationem posse descendere. *Servius.*

Demens.] Latet hic affectus commiserationis, ut infra de Salmoneo,

Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen.

Pari affectu Homerus 1. Il.

Φῆ γὰρ ὅγ' αἱρήσειν Πριάμου πόλιν ἤματι κείνῳ
Νήπιος.

Putavit enim is capturum Priami urbem die illo
Stultus.

Calaber lib. 1. bis inducit hunc affectum, loquens de Penthesilea, quæ superba promiserat Achillis interitum Græcorum vastitatem, navium perniciem. Oppianus lib. 3. Halieut.

—— ἐκδῦναι μεμαῶτες Νήπιοι
—— *emergere cupiunt stulti.*

Exornavi credo & alibi hunc affectum *Cerda.*

Vocat in certamina divos.] Allusum ad adagium, *noli cum Diis pugnare.* Nusquam Dii magis exarsere in mortales Exemplum in Minerva, & Musis. Illi apud Ovid. 6. Met.

——*animum fatis intendit Arachnes*
Quam sibi lanificæ non cedere laudibu artis
Audierat.

Istæ apud Homerum 2. Il. invehuntu in Thamyrin cantorem, quod gloria bundus diceret, relaturum se victorian ab Musis, si secum canerent, etiam illæ essent Jovis filiæ. *Idem.*

173. *Æmulus.*] Modo ejusdem re studiosus: alias *inimicus* invenitur. *Servius.*

Æmulus.] Id est, ex provocatione ad versarius: vel ὁμότεχνος. *Taubm.*

Æmulus.] Complectitur studium imitandi cum livore hoc vocabulum, u Non. Mar. c. 5. *Emmeneff.*

Exceptum.] Oppressum insidiis. qu sermone ostendit, eum tantæ fuisse vir tutis, ut, ne à numine quidem, nisi insi diis opprimeretur. *Servius.*

Exceptum.] Ut venabulo feram, qu dum sua feritate plurimum posse cre dat, incauta ruens in ferrum, temeri tatis pœnas dat. *Donatus.*

Æmulus exceptum.] *Exceptum* dixit ut feram venabulo. (est enim verbun venatorum) quæ dum feritate sua plu rimum se posse arbitrabatur, sic incau ta ruit in ferrum, & pœnam suæ teme ritatis expendit. *Idem.*

Exceptum.] Circumventum & op pressum insidiis. ac si virtute & art peritia superari alias non potuisset. It 3. Æneid.

Exe

Inter saxa virum spumosa immerserat unda,
Ergo omnes magno circum clamore fremebant;
Præcipue pius Æneas. tum jussa Sibyllæ
(Haud mora) festinant flentes, aramque sepulcri
Congerere arboribus, cæloque educere certant.

Itur

xcipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.
:i forma Græce ὑποδέχεσθαι dicunt. *ubmannus.*

Triton.] Penultima accentum habet, :n *Tritonis* facit. Si enim ultima ha- :, *Tritontis* facit. quod non procedit: , *Demophoon*, *Demophoontis*. Ergo :a talis perierat: aut quia sic fuerat eremptus. *Servius.*

Triton.] Quid addam Natalis operæ iil habeo, lege illum lib. 8. cap. 3. *rda.*

Triton.] Neptuni ex Salacia F. ejus- nque tubicen. Revera autem piscis , humani juvenis specie: de quo Pli- ıs. Lucanus lib. 9.

lanc, ut fama, deus quem toto litore pontus
Audit ventosa perflantem litora concha.
ubmannus.

Si credere dignum est.] Quasi incredi- e sit, quod homo deum provocave- . *Donatus.*

175. *Ergo omnes magno circum clamo- fremebant.*] Fremebant, inquit, qua- rascentes in naturam, quæ illum tam cessarium, tam optimum virum, co- tem regis, indigna morte pressisset. go planctus fuerunt non usitati; sed ibus querelæ quoque viderentur ad- xtæ. *Donatus.*

Ergo omnes, &c.] De toto hoc loco :uratissime agit J. C. Scaliger lib. 5. . 3. *Taubm.*

176. *Præcipue pius Æneas.*] Æneam ɔra cæteros inducit, mortem cujusli- t dolere: ut, *Nunc Amyci casum ge- t.* Item, *Casuque animum concussus ici.* Hinc ei dat circa sepulturam et- n sordida officia, quæ in aliis dene- : locis. Qui enim de pietatis generi- s scripserunt, primum locum in se- pultura esse voluerunt. Unde cum pon- tificibus nefas esset cadaver videre, ta- men magis nefas fuerat, si visum inse- pultum relinquerent. Genus autem fuerat sepulturæ injectio pulveris. Un- de est, *Aut tu mihi terram Injice (nam- que potes.)* Horatius, *Non est mora lon- ga, licebit injecto ter pulvere curras.* Ser- vius.

Præcipue Æneas.] Eadem causa et- iam pius Æneas dolebat; sed plusquam cæteri. Ex superioribus apparet, quid doluerint omnes. nam supra dixit de Ænea & Achate, quod illius non so- lum mortem; verum etiam genus le- thi doluissent. *Ut venere,* inquit, *vident indigna morte peremtum.* Indigna mors est, quæ non convenit viro forti. nul- lus enim, aut non talis exsisteret dolor, si in pugna cecidisset, & campo. *Do- natus.*

Jussa Sibyllæ festinant.] Σπεύδουσιν ἐντολάς, ut supra sæpe *properare* active. *Germanus.*

177. *Aramque sepulcri.*] Pyram di- cit, quæ in modum aræ construi lignis solebat. Nam & sequitur, *Congerere arboribus, cæloque educere certant.* Et aram, quæ ante sepulchrum fieri consue- vit, intelligere non possumus: ut, *Stant manibus aræ:* cum nondum facta sit fu- neratio, quæ præcedit sepulchrum. Pro- bus tamen & cæteri commentatores, de hoc loco requirendum esse, dixerunt. *Servius.*

178. *Cæloque educere certant.*] Ut hoc faciant, mente pertractant. Nam adhuc ituri ad silvam sunt. *Idem.*

Aramque sep. cong. arb. cæloque educ.] Il. ψ. τύμβον δ' ἀμφ' αὐτὴν ἕνα ποίεον ἐξαγαγόντες ἀκριτον ἐκ πεδίου. Sæpe Ho- merus νηεῖν πῦρ, pro eo quod est, ut Didymus, ξύλα σωρεῦσαι ἕνεκα τὸ πῦρ ποιῆσαι.

Itur in antiquam silvam stabula alta ferarum:
Procumbunt piceæ: sonat icta securibus ilex:
Fraxineæque trabes, cuneis & fissile robur

Sci

ποιῆσαι. *Aram* autem *sepulcri* dixit, quod non solum secundum ipsa sepulcra, sed & in ipsis sepulcris aras antiqui struerent, in quibus D D. Manibus sacra oportunius fierent. Dixit autem Maro *Aram congerere* imitatione Apollonii, qui νήεον αὐτόθι βωμὸν ἐπακτίου Ἀπόλλωνος. Videtur autem in hoc membro Maro mihi illud Homeri Il. *η.* respexisse, χεύομεν ἀμφὶ πυρὴν τύμβον. ubi χέω, vel χεύω eam vim habet, quod est, ex humo egesta extruo: ut intelligat Maro ex mente forsan Homeri, aram, basinque sepulcri cumulatam, congestam, & aggeratam arboribus ad rogum pyramque destinatis: nam quamvis ex ordine & œconomia poëmatis pyra consumpta poëta Æneam narrat imposuisse ingenti mole sepulcrum: nihil tamen vetat, etiamsi aliter sentire videatur Servius, quin præstructo præparatoque jam sepulcri aggere aut fundamento, velut epistylion & coronidem demum Æneas rite imposuerit. *Germanus.*

Aramque sepulcri cong. arb. cœloque educere certant.] Idem fere Sil. Ital. l. 15.

—— alta sepulcri
Protinus extruitur, cœloque educitur ara.

De aris monumenti aut sepulcri videndus Gutherius l. 2. c. 19. *Emmeness.*

179. *Itur.*] Eo, *e* brevis est: itur, *i* longa invenitur. Ergo quia hoc verbum breve est in origine, & in declinatione fit longum; ideo certa ejus natura, nec in temporibus, nec in participiis invenitur. Nam cum *itur* longa sit, *iturus* brevis invenitur: ut, *Superumque in lumen ituras.* Multi tamen tentant dicentes *itur* propter *eo*, quæ prima verbi origo est, per diphthongum scribi debere: quod non procedit, quia diphthongus semper longa est. *I* autem & produci potest & corripi. Hinc est quod *fortuitus* & producit, & corripit. Juvenalis: *Non quasi fortuitu nec ventor rabie: sed Iratus cadat in terras & v dicet ignis.* Contra Horatius: *Nec f tuitum spernere cespitem leges sineba* Hic enim nisi *i* litera longa sit, non f versus. Et hoc protulimus exempl unius sermonis, ne quis dicat *itu* & *itur*, ideo variam habere natura propter temporum varietatem. Un melius est (ut diximus) originis con derare rationem. Sane *fortuitus* ab *e do* est, & a *fortuna* compositum. *Serv*

Itur in antiq. silvam.] Similis lo apud Homerum Iliad. 23. ubi Patro pyra instruitur. Et est egregia ὑποτύπωσις sive tractatio excidentium arb res. Hæc autem sumpta sunt ex Enn

Incedunt arbusta per alta: securibus c
dunt:
Percellunt magnas quercus: excidi
ilex:
Fraxinu' frangitur: atque abies consi
nitur alta:
Pinus proceras pervortunt. omne sona
Arbustum fremitu silvai frondosai.

Taubmannus.

Antiquam.] In qua essent arbo multis sæculis auctæ. *Donatus.*

Stabula ferarum.] Ergo majores ræ ibi stare consueverant: quarum n tus arcebat homines, ne irent cæ ligna. Laus Trojanorum, qui non s deterriti stabulis ferarum, ubi mul rum esset congeries & magnarum: n de minoribus cubilia diceret. *Idem.*

180. *Procumbunt piceæ.*] Picea cundum Plinium in naturali histor quinta species cedri est. Nam cæd dicta est quasi καιομένης δρυὸς ὑγρὸν, est, arboris humor ardentis. *Servius*

Securibus.] Signate & proprie. P lostratus lib. 2. Icon. cum πέλεκυν, est, securim nominarit, subjicit, ὃ τὰ δένδρα αἱρεῖ τὰ μεγάλα: *quæ mag cædit arbores.* Cerda.

Scinditur: advolvunt ingentis montibus ornos.
Necnon Æneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusque accingitur armis.
Atque hæc ipse suo tristi cum corde volutat,
Aspectans silvam inmensam, & sic voce precatur:
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto: quando omnia vere
Heu nimium de te vates, Misene, locuta est.

Vix

82. *Advolvunt.*] Vulgatam lectio-
i *ac volvunt* cum particula conjun-
a & verbo, cum Mediceo antiqua
m aliquot habent exemplaria. Sed
omano, & in Longobardico, *ad-*
unt verbo cum præpositione *ad*,
posito legitur, quod magis placet,
n Georgicis, *Advolvere focis.* Pier.
Advolvunt.] Quod propter ingen-
n illarum arborum magnitudinem,
pondus ad pyram volventes trahere
erentur, cum ferre non possent.
n. lib. 13. c. 21. Alii convenien-
legi ajunt cum MSS. *Ac volvunt.*
bmannus.

83. *Nec non Æneas.*] Bona œcono-
i venitur ad ramum. *Servius.*

84. *Accingitur armis.*] Instruitur
ciis. *Idem.*

85. *Tristi.*] Quamvis de morte ami-
ristis esset, non omittebat curam
ii investigandi. *Donatus.*

Tristi cum corde volutat.] Locutio ista
rpata prius Lucilio, Lucretio, Plau-
quod jam alii indicarunt. Primus:
— *non ante in corde volutas.*
er lib. 3. *mente volutent.* Tertius
tiv. *in pectore hanc rem meo voluto.*
petit Virgilius 1. & 4. Æneid. *Cerda.*

186. *Aspectans silvam.*] Longe no-
or vox, *aspectans*, quam *adspiciens*:
l. l. 4. c. 16. *Taubm.*

Forte precatur.] Vacat *forte*: & est
us de his, qui tibicines vocantur:
ous additur aliquid ad solam metri
entationem: ut, *Nunc dextra, nunc*
sinistra. Nec enim possumus intel-
re eum fortuitu rogasse. *Servius.*

Voce.] In Romano codice, legere est *voce precatur.* In Longobardico *ore.* Sed enim Servius agnoscit *forte*, quod etiam in plerisque codicibus antiquis habetur. Addit vero Servius versum hunc ex eo genere esse, qui Tibicines appellantur, quibus aliquid additur ad solam metri sustentationem. Vacare enim adverbium *forte* putat. Sed enim intelligo, posteaquam hæ variæ lectiones, nostra cura collectæ, per manus hominum circunferri cœptæ sunt, aut *ore*, aut *voce*, peritorum judicio magis approbari, nos vero hoc in medio ponimus. *Pierius.*

187. *Si.*] Adverbium rogantis & optantis est per se plenum: sicut & *o*; licet Neoterici hæc jungant, & pro uno ponant. Persius, *O si Ebuliat patrui præclarum funus.* Servius.

Si nunc se nobis.] *Si* particula est optantis, more Græcorum, qui εἴθε & αἴθε dicunt ἀντὶ τοῦ ὄφελον, utinam. *Germanus.*

Si.] Pro *utinam.* Stat. Achill. l. 4.
Saltem si soboles aptam quam mittere bello
Possem, plena forent mihi gaudia.
Emmeneß.

188. *Quando.*] Siquidem. & *nimium* vere cum ingenti dixit effatu: quasi mors prædicta falsa esse debuerit. *Servius.*

189. *Nimium, &c.*] Soph. in Antig. ὦ μάντι τοῦτος ὡς ἄρ' ὀρθὸν ἤνυσας· unde & ἀληθόμαντις, & ψευδόμαντις. Et Hom. Od. ε. πάντα θεὰ νημερτέα εἶπεν. Ut autem hic *nimium*, sic eadem forma

ἄγαν

Vix ea fatus erat, geminæ cum forte columbæ
Ipsa sub ora viri cælo venêre volantes,
Et viridi sedêre solo. tum maximus heros
Maternas adgnoscit avis, lætusque precatur:
Este duces ô, si qua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos; ubi pinguem dives opacat
Ramus humum. tuque ô dubiis ne defice rebus,
Diva parens. sic effatus vestigia pressit;

Obs(

ἄγαν sæpe Græci efferunt. Æschyl. in Agam. ἄγαν ἔχλυν ἐπίσταμαι φάτιν. *Germanus.*

Heu nimium.] Hæc parenthesi includi posse, censent H. Stephanus. *Taubm.*

190. *Cum forte columbæ.*] Auguria aut oblativa sunt, quæ non poscuntur: aut impetrativa, quæ optata veniunt. Hoc ergo quia oblativum est: ideo dixit *Forte.* Bene autem à columbis Æneæ datur augurium, & Veneris filio & regi. Nam ad reges pertinet columbarum augurium: quia nunquam solæ sunt, sicut nec reges quidem. *Servius.*

Geminæ cum forte columbæ.] Bene datur Æneæ augurium à Columbis: ut qui & filius Veneris, cui dicatæ sunt columbæ; & Rex erat: nam ad reges pertinet augurium columbarum; quia nunquam solæ sunt, sicut nec reges quidem. Videatur & P. Victorius l. 3. c. 14. Cælius Rhod. lib. 17. c. 15. censet, per *geminas columbas* mystice duas animæ alas designari, id est, contemplativam Moralemque virtutem: quæ ad *Ramum aureum*, id est, ad prudentiam altamque illam sapientiam, *auri* nomine sæpius significatam, hominem ducant. quæ etiam à *Venere* mitti dicantur: quod divinarum rerum amor eximius alis nutrimenta sufficiat, quibus erigamur atque in Deum transeamus: quod paulo post. ℣s. 202. significari ajunt: *Tollunt se celeres, &c.* Taubmannus.

191. *Ipsa sub ora.*] Perite: ne si longius volarent, non ad eum pertinere viderentur. Nam moris erat, ut captantes auguria certa sibi spatia desig[nа]rent, quibus volebant videnda ac[-] pertinere. *Servius.*

Maternas.] Veneri consecratas p[ro]pter fœtum frequentem & coitum.

Maternas avis.] Id est, Veneri, ma[tri] sacras: propter fœcunditatem scilic[et] de quo Aristoteles. Græcis & περιστ[ερὰ] dicitur παρὰ τὸ περισσῶς ἐρᾷν, id est, *crebro coitu.* Taubm.

194. *Si qua via est.*] Si est ratio. jam ex hoc loco esse incipit impetra[ti]vum, quod fuerat oblativum. *Serviu[s]*

O.] Posuit cum loqueretur cum [co]lumbis: *O*, cum preces torsisset ad m[a]trem. illic enim ponitur, ubi simp[lex] hortatio est & blanda. *Donatus.*

Cursumque per auras.] *Cursum* vo[ca]vit impetum, & eundi officium. N[am] & navium *cursum* dicimus. *Servius.*

Opacat.] Id est, inumbrat. No[tat] hoc verbum, ut rarum & dignit[ate] plenum Scalig. lib. 4. cap. 16. Po[et.] *Taubmannus.*

196. *Ne defice rebus.*] Ne desere rebus incertis. Et bene in silvis in[vo]cat matrem, quam jam scit sibi vis[am] esse habitu venatricis: ut in primo [le]gimus. *Servius.*

197. *Diva parens.*] Antiqua plera[que] exemplaria cum Mediceo legunt *d[iva]* *parens.* In Romano & aliquot aliis *al[ma]* Pierius.

Sic effatus.] Proprie effata sunt au[gu]rum preces. Unde ager post pome[ria] ubi captabantur auguria, dicebatur [ef]*fatus.* Servius.

Vestigia pressit.] Quia ad captan[da] aug[uria]

Obſervans quæ ſigna ferant, quo tendere pergant.
Paſcentes illæ tantum prodire volando,
Quantum acie poſſent oculi ſervare ſequentum.
Inde, ubi venêre ad fauces grave olentis Averni,
Tollunt ſe celeres; liquidumque per aëra labſæ
Sedibus optatis gemina ſuper arbore ſidunt:

Diſco-

ıguria poſt preces, immobiles vel ſe-
:re, vel ſtare conſuerant. *Idem.*

Veſtigia preſſit.] Obſervabat diligen-
us: quia ſciebat poſſe illas præter ad-
entum ſuum, aliquid propriis mori-
ıs nunciare. *Donatus.*

Veſtigia preſſit.] Id eſt, ſubſtitit.
ıod etiam Scalig. obſervavit. Con-
ſeverant enim ad captanda auguria,
oſt preces vel ſedere, vel ſtare immo-
iles. Captantes autem auguria dice-
ıntur, *Servare de cælo:* ut etiam aves
ſæ, *Servatæ:* de quo Briſſon. For-
ıul. l. 2. hinc P. addit,

Obſervans quæ ſigna ferant.
l eſt, quæ ambulando indicia futuro-
ım eſſent habituræ. *Taubm.*

198. *Obſervans quæ ſigna ferant.*]
bſervare enim & de cœlo & de avi-
us verbo augurum dicitur. *Servius.*

Quo tendere pergant paſcentes.] Hic
m optimum ſignificatur augurium,
ıod paſcebant. Nam Romani moris
ıt, & in comitiis agendis & in bellis
:rendis pallaria captare auguria. Un-
: eſt in Livio, Quod cum quidam, cu-
.dus belli gerendi, à tribuno plebis ar-
:retur, ne iret, pullos juſſit afferri:
ıi cum miſſas non ederent fruges, ir-
dens conſul augurium: ait, *Vel bi-
ant:* & eos in Tyberim præcipitavit.
.de navibus victor revertens ad Afri-
ım in mari cum omnibus, quos duce-
ıt, extinctus eſt. Multi *paſcentes* di-
inguunt: & abſolutus eſt ſenſus. Alii
icunt *paſcentes volando:* & referunt
l naturam columbarum, quæ exilien-
s paſcere conſueverunt. Alii *volando,*
nbulando dicunt. *Vola* enim dicitur
edia pars pedis ſive manus. *Idem.*

199. *Prodire.*] Prodibant: infinitus
pro indicativo. *Servius.*

Prodire volando.] *Prodire* pedum eſt, *volare* alarum: ſed quomodo ambulabant & volabant? ſed intellige *volam* eſſe mediam partem plantæ manus. Ergo *volabant*, id eſt, ambulabant per volam. Unde *involare* dicimus, cum aliquid furtim volæ manus ſubtrahimus. Item *involare* cum violenter manus in aliquem diriguntur. Terent. *In faciem involem venefico.* ergo hic ambulare intelligit: nam cum alarum motum exprimere voluit, dixit: *Cælo venere volantes:* cum autem demonſtraſſet ambulationem in eo, quod eſt prodire volando: & deinde volatum exprimere vellet, dixit: *Tollunt ſe celeres, liquidumque per aëra lapſæ.* ergo uſque ad Avernum ambulaverant. *Donatus.*

200. *Quantum acie poſſent.*] Eſt hoc, quod alio flexu dixit Varr. lib. 6. Lat. lin. *quaqua intuemur oculis.* ex emendatione Joſ. Scal. Quod Virg. ipſe 1. Æn. *Proſpectum late pelago petit.* Cerda.

201. *Grave olentis Averni.*] Male olentis. Alibi bene olentis: ut *Et graviter ſpirantis copia tymbræ Floreat.* Servius.

Grave olentis.] Hac forma 4. G. *graveolentia centaurea.* Et 3. Ecl. *ſuave rubens Hyacinthus.* & 4. Ecl. *ſuave rubenti Murice.* Ennius etiam apud Tullium in Bruto: *ſuave loquenti ore.* Cerda.

202. *Liquidumque per aëra labſæ.*] Non eſt aëris perpetuum epitheton: ſed purum ait, Averni comparatione. Dicit autem eas alte volaſſe ad vitandum Averni odorem. *Serv.*

203. *Gemina.*] In Longobard. *geminæ* legitur, ut ſit de columbis. Sed omnino melius *gemina ſuper arbore.* cujuſ-

modi

Discolor unde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet silvis brumali frigore viscum
Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fœtu teretis circumdare truncos.
Talis erat species auri frondentis opaca

Ilice

modi species tantopere optabatur. *Pierius.*

Gemina.] *Geminæ* legend. non *gemina*, ut in vulgatis. Primo libri aliquot veteres habent *geminæ*. Deinde, credibile, utramque avem sedisse in una arbore, in illa (inquam) ubi aureus ramus, non in duplici. Tertio, supra dixit, *geminæ cum forte columbæ*. Et in utroque loco videtur mihi Poëta allusisse ad partum columbarum, de quo ego jam locutus in Eclogis. *Cerda.*

203. *Super arbore sidunt.*] Secundum antiquam licentiam. *Servius.*

204. *Discolor.*] Nam per arborem viridem fulsit color aureus. *Donatus.*

Auri aura.] Splendor auri. Horatius, *Tua ne retardet aura maritos*, id est, splendor. Hinc & *aurum* dicitur à splendore, qui est in eo metallo. Hinc & *aurati* dicti, quorum favor splendidos reddit. *Servius.*

Aura.] In Romano codice, *auro* legitur casu septimo, ut sit *Refulsit aura splendore aureo*; vel *propter aurum*. Servius tamen agnoscit *auri*: legitque, *Auri*, hoc est, splendor auri. *Pierius.*

Auri aura.] Ut explicui explicant Servius hic, & Lambinus in Horatium. ut enim Virgilius dixit *aura auri* pro splendore auri, ita Horatius lib. 2. Od. 8. *auram* posuit pro nitore oris.

——— *tua ne retardet*
Aura maritos.

Sed certe Horatius aliter posset explicari. Tu lege Ludovicum Carrion. l. 2. c. 20. ubi ad rem hanc tractat locum Manilii. *Cerda.*

205. *Brumali frigore viscum.*] Bene *brumali* addidit. Tunc enim maturum est: & auri imitatur colorem. Nam nova fronde viret: quod ut ait Plinius in naturali historia de fimo turdelarum, in certis arboribus nascitur. Unde Plautus, *Ipsa sibi avis mortem creat*. Servius.

Viscum.] *Viscum* frutex est aurei si-ve crocei coloris, nascens in larice, abiete, quercu, robore, ilice, pinastro, terebintho. Satum nullo modo nascitur, nec nisi per alvum redditum, maxime palumbi ac turdi. hinc illud:

Quod non sua seminat arbos.

De hoc Plautus in Fragmentis: *Ipsa sibi avis mortem creat.* al. *cacat.* De quo Plin. lib. 16. cap. ult. Germ. *Mistel* Taubmannus.

Viscum, quod non sua sem. arbos.] Unde & in Epigr. Argentarius merula admonet quercum vitare, sed in vitutius considere: δρῦς γὸ, inquit, ἐ ὀρνίθεσσι φέρει τ᾽ ἀνάρσιον ἰξὸν, ἢ δ᾽ βροτῶν, σέργει δ᾽ ὑμνοπόλους βρόμιος *Germanus.*

Viscum, quod non sua, &c.] Ad hunc locum Schedius videndus, ubi de visco agit, c. 36. de Dis Germanis. *Emm.*

206. *Arbos.*] Interesse plurimum ait Caper in libello de elegantiis, utrum *arbos* an *arbor* dicatur. Siquidem *arbor* omne lignum dicitur. *arbos* vero non nisi fructifera. Veteres tamen codices hujusmodi differentiam non servant. *Pierius.*

207. *Teretes truncos.*] *Teres* est rotundum aliquid cum proceritate: ut *Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ.* Horatius, *Brachia & vultum teretesque suras Integer laudo.* Servius.

Truncos.] Antiqui aliquot codices *circumdare ramos* habent. Sed *truncos* nihil quicquam displicet. *Pierius.*

208. *Talis erat species auri frondentis*] Κλάδος χρυσίζοντος. Bracteam autem auream Græci χρυσοῦν πέταλον. *Germanus.*

209. *Bi*

Ilice: sic leni crepitabant bractea vento.
Corripit Æneas extemplo, avidusque refringit
Cunctantem, & vatis portat sub tecta Sibyllæ.
Nec minus interea Misenum in litore Teucri
Flebant, & cineri ingrato suprema ferebant.

209. *Bractea.*] In Romano codice, : in Longobardico, *Brattea* duplicato scriptum est. Juniores *Brachtea* per densum scribi volunt, contra omnes rthographiæ regulas, etiam si παρὰ τὸ ῥάχω, *bractea* dicatur. Qui *brattea* uplici *tt* scripserunt, eo decepti sunt, uod in characteribus Longobardicis, & *t* literæ eadem pene forma figuran- ır. Unde etiam errorem illum apud Iartial. provenisse crediderim, quod *ju- entus* pro *juvencus* scriptum est eo versu:

Cæsaris atque Jovis confer nunc schema. Juvencus
Par onus ut tulerit: altius iste tulit.

ta enim scriptum est in antiquo satis ɔdice, quem mihi dono dedit Valerius ictor Viterbiensis, Adolescens inge- io & eruditione supra ætatem admi- .bilis. Quid enim illic agat *Juventus*, ac adinventa lectione, non video. Ut ero ad Virgilium revertamur, In Lon- ɔbardico, & aliquot aliis, *crepitabant* ɔrrupte omnino legitur: non enim *fo- t Bractea* dicimus epitheti forma. Est ero *Bractea* non tantum de metalli la- nina, verum etiam de quacunque ma- ria. Plinius, *ut una arbor sæpius veni- t, excogitatæ sunt ligni Bracteæ.* Pier.

Leni crepitabant bractea.] Bractea te- uissima lamina, ἀπὸ τοῦ βραχεῖν, quod st ἠχεῖν à crepitando. Isid. l. 16. *Crepi- bat tanquam bractea.* Nam ejus folia ea ıbtilitate natura produxerat, ut aura irante, quasi bractea crepitarent. N.

210. *Corripit.*] Ne prolixior esset arratio, non dixit quomodo ad ipsam borem Æneas venerit, sed per aliam am intellige pervenit. *Donatus.*

Extemplo.] Bene verbo usus est au- ırum, ut diximus supra. *Servius.*

Extemplo.] Bene utitur verbo augu- ım sive sacrorum. Hoc autem sacri- ficio patrato, à præcone pronunciaba- tur. quo significabatur, ut exirent ex templo. Quod quia cito fiebat, inde pro cito & propere sumi cœptum est. *Scal. Conject.* Taubm.

211. *Cunctantem.*] Aliud pendet ex alio. *Cunctantem*, quia avidus, ut o- stendat tantam fuisse avellendi cupidi- tatem, ut nulla ei celeritas satisfacere posset. Nam tardantem dicere non pos- sumus eum, qui fataliter sequebatur. Alii *Cunctantem* ad auri naturam refe- runt, id est, mollem, quia paulatim frangitur, id est, lentescit. Alii *Cun- ctantem* gravem dicunt, ut, *glebas cun- ctantes, crassaque terga Expecta.* Serv.

212. *Nec minus.*] Nihilominus ille deflebatur. *Idem.*

Interea.] Dum itur ad silvas. *Idem.*

Litore.] Veteres plerunque sepulcra mortuorum collocabant ad maris lito- ra. Sic in 7.

Tu quoque litoribus nostris Æneia nutrix.

Sed & Ajacis, Hectoris, aliorumque Heroum tumulos collocatos fuisse ad maris litora, notum. Nota etiam Cæ- rani historia illius, qui amatus est à delphine, ad cujus tumulum, qui pro- pe litus, visa ingens delphinorum mul- titudo. Græcus Poëta de Achillis tumu- lo αἰγιαλῷ, &c. quod epitaphium ita vertit Henric. Stephanus:

Adjacet ille mari, streperis celebretur ut undis,
Cui fuerat genetrix, Diva marina, Thetis.

Huic mori vicinus alius, quo veteres ad amnium ripas humabantur. de hoc ali- bi. *Cerda.*

213. *Ingrato.*] Tristi: ut gratum, lætum aliquid dicimus. Alii *ingrato* di- cunt gratiam non sentienti. *Servius.*

Cineri.] Nondum cinis erat, sed mox, com-

Principio pinguem tædis & robore secto
Ingentem struxêre pyram: cui frondibus atris
Inte-

combusto cadavere, erat futurus. *Donat.*

Cineri ingrato.] Vel, Cadaveri gratiam & officium non sentienti: vel nullam gratiam habituro. Auctor Copæ:

Quid cineri ingrato servas bene olentia serta?

Propert. l. 1. el. 3.

Omniaque ingrato largibar munera somno,

id est, officia non sentienti. Ego *ingratum* exposuerim, Trojanis tam amicis officium minus gratum, sive triste. *Taubmannus.*

Suprema.] In Romano codice, *supprema* duplicato *pp* notatum est hoc loco. Nempe quod veriti sunt mutam cum liquida non esse satis ad primam syllabam producendam. Et eodem sane modo in Basilica D. Mariæ, cognomento Majoris, antiquo marmore notatum aspeximus,

Suppremum versus munus donatus & aram.

Sed enim exempla hujusmodi non sunt imitatione digna. *Pierius.*

Pinguem.] Aut de Græco transtulit λιπαρὰν magnam. aut Hypallage est de pinguibus tedis. *Servius.*

Principio pinguem.] Ea adhibuerunt, quæ non solum pyram instruerent, sed etiam facile incenderent. *Donatus.*

Pinguem tædis.] *Teda*, arbor ex genere laricum, sed magis resinifera. Et forte tedam hic vocat, quam ✝ſ. 180. *piceam*: hic *robur*, quam ibidem *ilicem*, vide 4. Æn. ✝ſ. 505. *Taubm.*

Principio pinguem tædis, &c.] Locus sumptus ex Homero ubi agit de sepulcro Patrocli. vide Macr. l. 5. Saturn. c. 7. *E.*

215. *Ingentem struxere pyram.*] Eo honestius censebatur funus, quo altior & grandior pyra. Supra, *cæloque educere certant.* Appianus in Hispanicis de funere Viriati, ἐπὶ ὑψηλοτάτης πυρᾶς ἔκαυσαν: *cremarunt in altissima pyra.* Apud Herodianum lib. 4. Antoninus in Festi, sibi carissimi, funere jubet, ξύλων πολλῶν ἀθροισθῆναι πυρὰν: *compluribu è lignis pyram strui.* Homerus Il. 23. ir funere Patrocli:

Ποίησαν δὲ πυρὰν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα:

Fecerunt autem pyram centumpedun quoquo versus.

In funere Elpenoris Odyss. 12. & ir funere Hectoris Il. 24. magnæ fuiss pyræ indicantur, cum ibi dicatur ex in cisis arboribus summum litus promi nuisse, hic, adductam ἄσπετον ὕλην *immensam materiam.* Dionys. Hal. l. 10 scribit in Sicinii, viri fortissimi, funere maximum rogum à militibus agge stum. Seneca in Oet. de rogo Herculis

Adgeritur omnis silva, & alternæ tra bes
In astra tollunt, Herculi angustum ro gum.

Alii in Seneca præferunt *angustum* Cerda.

Cui.] In antiquis aliquot codicibus pro *cui* suppositum est *tum*: quod si di ligenter advertas, non displicebit. *Pie rius.*

Frondibus atris.] Aptis ad funera *Servius.*

Atris.] Vel infaustis, ut *ater dies* id est, infelix. Vel vere atris, nam e virore frondes erant saturatæ, ut præ ferrent atriciem. Sunt qui in Poët atras frondes intexentes, latera pyra confundant cum cupressibus. Quibu favere potest, Papin. 4. Theb. qui i re simili:

—— *frondes, atque omne cupressus*
Intexit plorata latus.

& lib. 6.

Tristibus interea ramis, teneraque cu presso
Damnatus flammis thorus, & pueril pheretrum
Texitur.

& Ovid. qui 3. Trist.

Funeris ara mihi ferali cincta cupresso.

Hi duo, præsertim Papinius, id mu neri

Intexunt latera, & feralis ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices & aëna undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis & unguunt.

Fit

ris dant cupressui, quod Virgilius atris ondibus. Nihilominus tamen satius : dicere, Virgilium distinxisse atras ondes à cupressu, ut illæ latera intexent, ista ante pyram locata esset ex ore, quem postea aperiam. *Cerda.*

216. *Intexunt.*] Pari verbo in lib. 11. re simili :

Haud segnes alii crates, & molle pheretrum
Arbuteis texunt virgis, & vimine querno.

pinii loca jam attuli. *Idem.*

Ante cupressos constituunt.] Cupressus adhibetur ad funera, vel quod cæsa m repullulat: vel quod per eam funesta ostenditur domus, sicut lætam ondes indicant festæ. Varro tamen cit pyras ideo cupresso circundari opter gravem ustrinæ odorem : ne endatur populi circumstantis coro-, quæ tandiu stabat respondens fleus præficæ, id est, principis planum, quamdiu, consumpto cadavere, collectis cineribus, diceretur novissim verbum *Ilicet*, quod ire licet significat. Unde est, *Dixitque novissima rba.* Servius.

Ante.] Parte rogi anteriore. Ovid. . Trist.

Funeris ara mihi ferali cincta cupressu
Convenit.

rro tradit, pyras ideo cupressu circdari, propter gravem ustrinæ odon: ne eo offendatur circumstantis puli corona. Cætera vide 3. Æn. . 64. & Cæl. Rhod. lib. 25. cap. 2. ubmannus.

Cupressos.] Hoc quoque originatios Græcæ in Romano codice, & quisdam aliis, vocalis ejus naturam reet, qua notatur apud Græcos. *cyssos* itaque scriptum invenitur, quum nen omnes vulgo nunc *cupressos* per *u*, Latine proferant & scribant. *Pier.*

217. *Armis.*] Nam virorum fortium arma, & cætera, quæ charissima haberent, cum ipsis consumebant. *Don.*

Super fulg. armis.] Magni viri nunquam soli comburebantur, sed cum armis, aut equis, aut canibus, aut famulis, rebusque aliis, in vita carissimis. *Taubmannus.*

218. *Pars calidos latices.*] Plinius in naturali historia dicit, hanc esse causam, ut mortui & calida abluantur, & per intervalla conclamentur: quod solet plerunque vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere. Denique refert quendam suppositum pyræ, adhibitis ignibus erectum esse, nec potuisse liberari. Unde & servabantur cadavera octo diebus, & calida abluebantur: & post ultimam conclamationem comburebantur: unde traxit Terentius, *Desine, jam conclamatum est.* Servius.

Aëna undantia flammis.] Hoc est per flammas. Alibi: *Nec se jam capit unda: volat vapor ater ad auras.* Idem.

219. *Lavant frigentis & unguunt.*] Versus Ennii, qui ait, *Tarquinii corpus bona fœmina lavit & unxit.* Idem.

Lavant, &c.] Calida aqua lavabantur cadavera, monente Francisco Robertello, & Turnebo lib. 28. c. 44. de hisce ritibus omnibus Kirchmannus. *Emmeness.*

Corpusque lavant frigentis.] Id est, mortui. Plinius tradit, mortuos ideo *calida ablui*, & per intervalla *conclamari*: quod interdum spiritus vitalis exclusus putetur, & homines fallat. Unde & dies septem cadavera servabantur; & post ultimam demum conclamationem comburebantur. unde tractum illud Terentii: *Desine; jam conclamatum est.* Taubmannus.

Unguunt.] Unctorum cadaverum meminit

Fit gemitus. tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super vestis velamina nota
Conjiciunt. pars ingenti subiere feretro
Triste ministerium, & subjectam more parentum
Aversi

minit etiam Herodot. l. 1. & Juvenal. Sat. 4. Et lotio quidem hodieque durare alicubi traditur, præsertim in Creta & partibus Italiæ: sed unctio desiit. *Taubmannus.*

220. *Tum.*] In antiquis aliquot codicibus propter characterum similitudinem scriptum invenias, *cum membra toro.* Sed magis placet *tum.* Pierius.

Defleta.] Participium ab eo, quod est *fleor*, si tamen inveniatur: alias sine verbi origine esse dicemus. *Servius.*

Toro.] Pheretro, lectica, lecto, κλίνῃ. qui quidem lectus cum corpore comburebatur in pyra. Vide Desf. Herald. Adversf. l. 1, 9. *Taubm.*

Defleta reponunt.] *Ponere*, & *reponere*, vocabula esse funebria, docet Pimpontius. Ita Propert.

An poteris siccis mea fata reponere ocellis? Idem.

221. *Purpureas.*] Ad imitationem sanguinis, in quo est anima: ut diximus supra: ut, *Purpuream vomit ille animam.* Servius.

Purpureas.] Ex precio vestium meritum mortui vult ostendere. Has vestes illum amasse, ex eo demonstrat, quia frequenter illis usus est: & propterea multis erant notæ. *Donatus.*

Purpureasque super vestis.] Sc. Miseni. *Purpureas*, ad imitationem sanguinis, in quo est anima, quæ itidem *purpurea* Nostro dicitur. Et alludit forte ad paludamentum purpureum, quo viri principes in bello utebantur. Sic & Dido, 4. Æn. exsuvias, quas caras habuerat, rogo imponit. Alii alio trahunt. *Taubmannus.*

Velamina nota.] Vel ipsi chara, vel animæ. Ex notitia etiam gignitur charitas: *Hic inter flumina nota.* Servius.

Velamina nota.] Quorum usus in bello frequens. unde illud 11. Æn.

Conjiciunt igni, &c.
— pars munera nota,
Ipsorum clypeos, & non felicia tela, &c.

Cornelia, de rogo Pompeji, apud Lucan.

Collegit vestes miserique insignia Magni
Armaque & impressas auro quas fecerat olim
Exsuvias, pictasque togas, velamina summo
Ter conspecta Jovi, funestoque intulit igni.

Nam more veterum, vestes cum mortuo aut condebantur, aut urebantur. Hom. de Achillis funere Odyss. ω. Καίετο δ' ἐν τ' ἐσθῆτι θεῶν. Vide & Lipsium Epist. Q. lib. 1, 7. *Taubm.*

222. *Pheretro.*] Græce dixit. Nam *capulus* dicitur à *capiendo.* Unde ait Plautus, *Capularis senex*, id est, capulo vicinus. *Servius.*

Subiere pheretro.] Ut *Subeunt muro* Idem.

Pars ingenti subiere pheretro.] Alludit ad Romanorum in clarorum virorum funeratione consuetudinem: qui feretrum præstantissimi quique subibant. Ita apud C. Tacitum lib. 1. de Augusti cadavere: *Conclamant patres corpus ad rogum humeris Senatorum ferendum, &c.* Taubm.

223. *Subjectam.*] Ita Propert. lib. 4

Sic mœstæ cecinere tubæ: cum subdit nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.

Inde & noster:

— subdita flamma medullis.

Lucret. l. 6.

Subdebantque faces.

Græcis δᾳδαὐφάπλειν. *Idem.*

More parentum.] Propinquioribus enim virilis sexus hoc dabatur officium *Servius.*

Paren

Aversi tenuere facem. congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam conlabsi cineres, & flamma quievit;
Relliquias vino & bibulam lavere favillam:
Ossaque lecta cado texit Corynæus aëno.

Idem

Parentum.] Propinquioribus enim irilis sexus hoc dabatur officium: ut uidem Servius exponit, & hunc secu-i omnes novitii, excepto Erythræo, ui *Parentum* exponit, *genitorum*: at-ue id de patre juxta & matre intelli-endum docet. Ita Lucanus lib. 6.

Fumantes juvenum cineres ardentiaque ossa
E mediis rapit ipsa rogis, ipsamque, parentes
Quam tenuêre facem.

Notatque P. Lætus, si affines nulli fuis-ent, amicitiores accendisse rogum. Vide k Kirchm. *de funerib. R.* lib. 3. *Taub-nannus.*

224. *Aversi.*] A tergo enim faces ogo subdebant, ut oculis dolorem pro-iberent: vel, ut significarent, se id in-itos facere. *Idem.*

Facem.] De fune, ut Varro dicit: nde & funus dictum est. Per noctem utem urebantur: unde permansit, ut nortuos faces antecedant. *Servius.*

Congesta.] Copiose tradita. *Donatus.*

225. *Turea dona, dapes.*] Meritum iri ostendit ex multitudine specierum: k cum non dicat quanta, etiam plura ntelliguntur. *Idem.*

Turea dona, dapes.] Stat. Theb. l. 6.
Portant inferias arsuraque fercula primi.
Emmeness.

Dapes.] Epulæ, quibus mortuo pa-entatum erat: *silicernium.* Vide Kirchm. le Fun. R. l. 4, 5. At Nascimb. adi-pem & carnes hostiarum intelligit. ita Homerus scribit, cæsarum ante pyram ovium & boum adipe Patroclum a ca-pite ad calcem coopertum fuisse ab A-chille: excoriataque hostiarum corpora um melle & oleo in rogum ad lectum psius adhibita: ut sc. cadaver citius remaretur. *Taubm.*

Fuso crateres olivo.] Diis superis tan-tum libabant: inferis vero sacrifican-tes etiam vasa in ignem mittebant, un-de ait *Crateres*: quod etiam Statius in Archemori sepultura commemorat. *Olivum* autem ab *oliva* dixit. nam *oleum* ab *olea* dicitur. *Servius.*

Fuso crateres.] Non paulatim, sed se-mel cecidit. *Donatus.*

226. *Conlabsi cineres.*] Horat. lib. 4. od. 13. *Dilapsam in cineres facem.* Taubm.

Flamma quievit.] Pyræ ingentis: quia ut in quarto diximus, pro qualitate personæ pyræ fiebant: sepulchra etiam vel minora, vel magna faciebant. *Serv.*

227. *Relliquias.*] Ossa quæ restabant ex cadavere combusto. *Donatus.*

Relliquias vino lavere.] Vino ablue-bant, quod erat colligendum. Ita vino nigro totus exstinguitur rogus Pa-trocli, Iliad. ψ. & ossa ejusdem aurea phiala & duplici adipe conduntur. Ita Statius, ut magis probet amorem Ursi, rogum ejus vino Setino restinctum di-cit. 2. Silv.

—— *nec quod tibi Setia canos*
Restinxit cineres.

Taubmannus.

228. *Ossaque lecta.*] Aut collecta, aut lecta, ideo quia ut supra diximus, nobiles nunquam soli comburebantur, sed cum dilectis equis, vel canibus, vel famulo. *Servius.*

Lecta.] Ex cineribus lignorum. *Don.*

Ossaque lecta cado.] Lecta scil. e ci-neribus lignorum & carnis. Ossa enim sola condi consueverunt, quæ flammis erant reliqua. Tibullus:

—— *Non hic mihi mater,*
Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus.

Hinc *Ossilegium*, ὀστολογία: & *ossilegus*, ὀστολόγος: & *Ossuaria*, ὀστοδοχεῖα, locus ubi ossa reponuntur. *Taubm.*

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ:
Lustravitque viros, dixitque novissima verba.

A

229. *Ter socios.*] Aut sæpius, aut re vera *ter*. Licet enim à funere contraxerit pollutionem, tamen omnis purgatio ad superos pertinet: unde & ait *Imparem numerum*. aut quia hoc ratio exigit lustrationis. *Servius*.

Circumtulit.] Purgavit. Antiquum verbum est. Plautus, *Pro larvato te circumferam*, id est, purgabo. Nam lustratio à circumlatione dicta est, vel tedæ, vel sulphuris. Juvenalis, *Si qua darentur Sulphura cum tedis*. Idem.

Socios pura circumtulit unda.] Id est, aqua purgavit. Servius: *circumtulit, purgavit. Plautus: pro larvato te circumferam, id est, purgabo. nam lustratio à circumlatione dicta est vel tedæ vel sulphuris.* Græcis est περιαγνίζειν, περικαθαίρειν, περιμάττειν. quod, quia res certæ certaque februa circumferebantur ei, qui expiabatur, *Circumferre* Latini vocarunt circumlustrare & circumpurgare. Is qui hoc faciebat, dicebatur ἀπομάκτης. & περικαθαρτής, item περιστίαρχος, qui domum aut concionem urbemque lustrabat. Turneb. lib. 9. cap. 10. & l. 13. c. 21. De tota re accurate Casaubonus ad Theophrasti Charact. & Sat. 2. Persii; *Pura* autem dicebantur quæ diis offerebant: Gr. καθαρὰ καὶ ἁγνά. Ita *pura aqua* Dion. Halicarnassæo est ὕδωρ ἁγνόν. Vide Herald. ad Arnob. l. 7. *Taubmannus*.

230. *Spargens.*] Quia res infernæ aguntur. In secundo Æneas Deos portaturus ait, *Donec me flumine vivo Abluero*. Hic enim erat mos, ut diximus supra. *Servius*.

Spargens rore levi, &c.] Sparsio aquæ ramo fiebat. A quibusdam Rosinarinus, ut 2. Georg.

Vix humiles opibus casias roremque ministrat,

& quanquam ad sensum accommodatius est aquæ adspersginem & rorem intelligere: tamen adspergillum partim è rore marino, partim ex oliva felic fuisse factum, non inscitum omnino si existimare. adspergillum tamen potiu è lauru fieri solebat: ut apud Juven Sat. 2.

— *lustrari, si qua darentur*
Sulphura cum tedis, & si foret humid laurus,

id est, aqua perfusa & madens ad ad spergendum & purgandum. Sed vid Not. 4. Æn. ✝ſ. 512. *Felicem* porro *ol vam* ad oleastri discrimen, qui infeli est, dicit: ut 3. G.

Infelix superat foliis Oleaster amaris &c

Adspersione autem aquæ fieri solitan illam purgationem, docet etiam Pol lux lib. 8. cap. 8. Apud Maronem tame non tantum aqua mundantur eluuntu que, ut teda, ovis, sulphure, aut e verris: cum addit, *Lustravitque viros* Sed Donatus, *domos* legit, & aquæ puri ficationem hominum & domorum fui se dicit. nam ante Maro de hominibus *Idem ter socios*, scripserat: & ut *lustravit viros*, retineas nihil est necesse novan purgationem excogitare. Turnebu lib. 13. cap. 21. *Taubm.*

Felicis olivæ.] Arboris festæ. se moris fuerat, ut de lauro fieret. San dicit Donatus quod hoc propter Augu stum mutavit. Nam nata erat laurus i palatio eo die, quo natus est Augustus unde triumphantes coronari consueve rant: propter quam rem noluit laurum dicere ad officium lugubre pertinere *Servius*.

Lustravit viros.] Quia totius classi pollutionem posuerat, idcirco omne hic lustrat. *Donatus*.

Viros.] In Romano codice, *lustra vitque domos* legitur: quod impropri positum est. Classem enim totam no domos funere inceſtaverat Misenus Sed enim potuit classem domos appel lare, quia de sacrificiorum more: quun vera in promptu non sunt, simulata pr

veri

At pius Æneas ingenti mole sepulcrum
Inponit, suaque arma viro, remumque, tubamque,
Monte sub aërio: qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per sæcula nomen.

His

tis haberi soleant. hinc in Quarto, *arserat & latices simulatos fontis A-rni.* Pierius.

Novissima verba.] Id est, *Ilicet.* Nam *ile* dicebatur post tumuli quoque per-ta solemnia. *Servius.*

232. *At pius Æneas.*] Superiora cæ-i compleverant: sepulchrum vero circo curavit Æneas, ut magna mo-fieret: quia contemplabatur ejus aximum meritum. Arma etiam po-it, ut quibus in vita floruit, illis in orte ornaretur. *Donatus.*

Ingenti mole.] Ædificat sepulcrum o dignitate ac meritis defuncti. Pla-vetabat, altius excitari sepulcrum, iam viri quinque totidem diebus ex-ui possent: lapides non majores, iam ut possent defuncti laudes quat-or Heroicis versibus comprehendere. *ubmannus.*

.33. *Inponit.*] Antiqua omnia exem-aria, quæ legi, *imponit* præsenti tem-re scriptum ostendunt, non *inposuit* præterito. *Pierius.*

Suaque arma viro.] Ipsi chara sculpsit saxo. Nam supra ea jam legimus ncremata. *Servius.*

Suaque arma viro, remumque, tubam-ue.] Ex more, quo sepulcris impone-ntur defunctorum insignia. Ergo in onorem Miseni fortis, nautici tubi-nis, constituuntur arma, remus, tu-a. Homerus in sepulcro Elpenoris nau-ci viri Odyss. 12.

Πήξαμεν ἀκροτάτῳ τύμβῳ εὐῆρες ἐρετμόν:

Fiximus in summo sepulcro fabrefactum remum.

pud Valerium 3. Arg. Cyzicus, cum d sepulturam ducitur, secum portat eptrum, & regia insignia:

Sceptra manu veterum retinet gestamen avorum.

Tametsi ibi alia ratio assignetur. Aliquid ad hanc rem pertinet versus Euripidis in Troadib. ubi Hecuba loquens de morte Astyanacti, ita ait,

Θέσθ' ἀμφίτορνον ἀσπίδ' Ἕκτορος πέδῳ:

Figite in solo scutum Hectoris utrinque elaboratum. Cerda.

Suaque arma viro remumque, &c.] Sepulcris imponebantur defunctorum insignia, arma, ut Kirchm. l. 3. c. 5. ad Misenum alludit Stat. Silv. l. 3.

Enthea fatidicæ seu visere tecta Sibyllæ
Dulce sit, Iliacoque jugum memorabile remo.

Plura Feith. ant. Hom. lib. 1. cap. 15. *Emmeness.*

234. *Monte sub aërio.*] In aërio. Nam supra est positus. *Aërium* autem alii altum dicunt: alii nomen montis antiquum volunt. Unde est *Qui nunc Misenus ab illo Dicitur.* Servius.

Aërio.] Hoc nomen monti illi apud priscos fuerat. Ergo mira brevitate & vetus & novum ponit nomen. *Æternum per secula:* & propter meritum defuncti, & propter auctoritatem Æneæ, qui hoc voluit. Neque placet quod *Aëreum* non sit nomen proprium, sed significet altum. nam quod vetustum illud nomen fuerit, ostendit Maro, cum de Miseno dicat, qui nunc quasi inferat: dicitur nunc Misenus, qui olim dictus est Aërius. *Donatus.*

Qui nunc Misenus, &c.] Pompon. Mela lib. 2. c. 4. *Misenum, id nunc loci, aliquando Phrygii militis nomen.* Propertius lib. 3. eleg. 18.

Qua jacet & Trojæ tubicen Misenus arena. Cerda.

Qui nunc Misenus.] Sil. Ital. l. 12.

Nec non Misenum servantem Idæa sepulcro
Nomina. Emmeness.

His actis propere exsequitur præcepta Sibyllæ.
Spelunca alta fuit, vastoque inmanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris:
Quam super haud ullæ poterant inpune volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:
[Unde locum Graii dixerunt nomine Aornum.]

Qua-

236. *Præcepta Sibyllæ.*] Ut, *Duc nigras pecudes, ea prima piacula sunto.* Servius.

237. *Spelunca alta fuit.*] Qua ad inferos descendebatur: non ubi fuerat Sibylla vaticinata. *Idem.*

Spelunca alta fuit.] Similis plane & luculenta descriptio est apud Arbitrum in Satyrico, ab illis versibus,

Est locus exciso penitus demersus hiatu
Parthenopen inter magnæque Dicarchidos arva,
Cocyta perfusus aqua: nam spiritus, extra
Qui furit effusus, funesto spargitur æstu.

Lege reliquos. *Cerda.*

238. *Scrupea.*] Lapillosa. Nam *scrupus* proprie est lapillus brevis, qui pressus solicitudinem creat. Unde etiam *scrupulus* dictus est. *Servius.*

Scrupea.] Fortasse à Pacuvio, qui in Nuptis: *scrupulosam specum.* Aut ab Ennio, qui: *Per speluncas saxis structas asperis pendentibus.* & ita *scrupea* erit saxosa. *Cerda.*

Lacu nigro.] Aut alto: aut vere nigro inferorum vicinitate. *Tuta* autem, quia hinc lacu, hinc cingitur silvis. Dicit autem locum, quem nunc *Doliola* vocant. *Servius.*

Tuta lacu.] Hoc facit natura loci, & non humanum artificium quod tuta sit. *Donatus.*

239. *Volantes.*] Volucres, participium pro nomine posuit: ut, *Plurimus Alburnum volitans cui nomen Asylo est.* licet illic sit etiam altera figura. Sane sciendum Lucretium & alios Physicos dicere aërem corporeum esse, unde aves sustinet: sed hunc cedere vapori sulphureo. Unde aves in illis locis desertæ aëre, quo portari solent, concidunt, non odore, sed pondere. Quod potest esse verisimile: quia altius in eodem loco possunt volare: ut, *Tollunt se celeres liquidumque per aëra lapsæ.* Servius.

Quam super, &c.] Explicatur Averni lacus etymon, qui sic dictus quasi ἄορνος, id est, sine avibus. Nam halitus inde effectus, aves enecabat, inde volatus ille non erat impunis avibus. Allusum fortasse ad Homeri versum, Odyss. 12.

Τῇ μέν τ' οὐδὲ ποτητὰ παρέρχεται, οὐδὲ πέλειαι:
Hac neque volucres prætervolant, neque columbæ.

Cerda.

Ullæ volantes.] Id est, volucres. ita 3. Georg. *Plurimus volitans.* Taubm.

240. *Talis halitus.*] Refert causam, cur non possent volare, scilicet propter vim vaporis inde surgentis, quo statim necabantur. *Donatus.*

Talis sese halitus.] Infectum aërem sic describit Sidon. lib. 1. epist. 5. *Spiritus aëris venenatis flatibus inebriatus.* Cerda.

241. *Faucibus.*] Sibi hæret, nam supra:

Fauces graveolentis Averni.

Sic Lucanus lib. 6.

Tænareis faucibus. Idem.

Ad convexa.] Cœli curvitatem. *Serv.*

242. *Aornon.*] Inolevit his temporibus consuetudo, ut *Aornum* scribatur etiam à literatis viris. Sed enim in antiquis codicibus omnibus quotquot habui, *Avernum* notatum observavi. *Pier.*

Aornon.] G. Fabric. è MSS. & Aldo leg.

Quatuor hic primum nigrantis terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina sacerdos;
Et, summas carpens media inter cornua sætas,
Igni-

..g. *Aornon.* ἄορνον, id est, *sine avibus.* .. antequam locus à J. Cæsare, arboibus excisis & purgata ripa, salubrior ..ctus est. Nunc alia, inquit idem, ..allis vicina inter Puteolos & Neapo..m, quam *Sulphurariam* nominant, ..jusmodi letalem spiritum emittit, ad ..uam etiam avis nulla propius accedit. ..e Averno erudite etiam Lucret. l. 6.

Principio, quod averna vocantur, nomen id ab re
Impositum est: quia sunt avibus contraria cunctis:
E regione ea quod loca cum advenere volantes,
Remigii oblitæ pennarum vela remittunt,
Præcipitesque cadunt, molli cervice profusæ
In terram, aut in aquam, &c.

..aubmannus.

243. *Quatuor.*] Procurabat Sibylla ..emedium ad transitum. nam si aves per ..ltitudinem cæli citæ transire non poterant, quid homo efficeret per teterrimum locum & tenebras transiturus tardo gressu? Numerus autem & color & reliqua, quæ adhibentur, pertinent ..d rationem sacrificii. *Donatus.*

Quatuor hic nigrantis terga.] Signate dicit, *Quattuor:* quod *numerus par inferis* conveniat, perinde ut superis *impar.* Et sicuti his candida, ita illis furva hostia faciebat. Et quia inferis etiam sacra fiebant in effossa terra: ideo dixit, *Hic*, id est, in aditu speluncæ. Porro huic loco quædam è 1. Tuscul. Cic. lucem fœnerari possunt. *Taubm.*

Nigrantis.] Dictum alibi de pecudibus nigris inferis, quæ mactari soleant. inde Stat. Theb. l. 4.

Velleris obscuri pecudes armentaque sisti
Atra monet.

Nigræ etiam requirebantur vestes in sacris infernalibus, quibus imbutos oportebat esse sacerdotes. Ovidius in Ibide ℣. 100.

Et nigræ vestes corpora vestra tegant.

Emmeneſſ.

244. *Invergit vina sacerdos.*] In quarto ait, *Media inter cornua fundit.* Et *fundere* est supina manu libare: quod fit in sacris supernis. *Vergere* autem est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur: quod in infernis sacris fit. Hæc autem pertinent ad victimarum explorationem: ut si non stupuerint, aptæ probentur. *Servius.*

Fronti invergit.] De quo ritu Plutarchus, ut notat Serv. & Turneb. l. 13. c. 21. Utitur verbo *Invergere*, & Plautus Curc. act. 1. sc. 2.

Invergere in me liquores suos sino ductim.

& Lucret. l. 2.

In terras igitur quoque Solis vergitur ardor.

Ovid. 7. Met. Fab. 2. de sacris Medeæ:

Tum super invergens liquidi Carchesia mellis,
Alteraque invergens tepidi Carchesia lactis.

Hostias etiam pronas sive cernuas inferis immolabant: quos autem superis destinarent, resupinabant: ut docet Pimpont. ex Apollonii Interprete. *Taubmannus.*

245. *Sætas.*] Antequam pecudes in sacris immolarentur, capitis earum setæ ferro secabantur, quod Græci *κατάρχεσθαι* dicunt, quod est, post immolationem & mactationem, quæ *κατάστεψις* dicitur, sacrificium incipere. mox hoc à sacerdote facto, jugulabatur hostia à victimariis vel popis. ideo sequitur, *Supponunt alii cultros.* Turn. lib. 13. c. 21. & lib. 19. c. 17. Etiam Meursius ad Lycophr. notat, setas illas, quas è fronte victimæ evulsas cum molarum parte in ignem super ara conjiciebant, *ἀπαρχὰς* proprie dictas. *Idem.*

Ignibus inponit sacris libamina prima,
Voce vocans Hecaten, cæloque Ereboque potentem
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. ipse atri velleris agnam
Æneas

Satas.] Duo addo loca ex Homero quem noster hic respexisse videtur l. γ. Iliad. ℣s. 273.

Α᾽ρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας.

& Odyss. l. γ. ℣s. 446.

Εὔχετ᾽ ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας
ἐν πυρὶ βάλλων.

De hoc ritu Hartungius consulendus l. 2. c. 7. *Emmeness.*

247. *Voce vocans.*] Non verbis, sed quibusdam mysticis sonis. Nam ut in Lucano legimus, varia numina invocabantur: ut, *Latratus habet illa canum, gemitusque luporum: Quod stridunt ululantque feræ, quod sibilat anguis Exprimit: & planctus fractæque tonitrua nubes: Tot rerum vox una fuit.* Servius.

Cæloque Ereboque potentem.] Hoc est, quod ait Hecaten, ut plenum numen ostenderet. *Idem.*

248. *Supponunt cultros.*] Id est, victimas cædunt. Fuit autem verbum sacrorum, in quibus mali ominis verba vitabantur. Hinc est quod & *macte* dicebatur, quod magis augere significet. Dicimus autem hic *culter cultri.* Nam *cultellus* diminutivum est; *cultellum* penitus Latinum non est. *Idem.*

Supponunt cultros, &c.] Pro *supponere* Ovidius l. 7. Met. ℣s. 599. *subjicere* utitur:

—— *subjectos tinxit sanguine cultros.*

Hostias solebant veteres primum securibus cædere aut clavis, deinde prostratas suppositis cultris jugulare: *cultros supponere* est quod ὑποτιθέναι σφαγίδας Dionysius dixit, sub collo & jugulo ponere, quod est, jugulare. Sed *jugulare* in sacris ne dicerent, cavebant, cum ominis mali verbum sit, & sacra esset vitiaturum inauspicata voce. Hæc & plura Turneb. l. 15. c. 12. & Saubertus adeundus de Sacrif. l. 19. qui Choulium & Giraldum errasse contendit. Sacrificandi ritum enarrat Feithius antiquit. Homer. l. 1. c. 10. De cultris dictum l. 3. Georg. ℣s. 492. Popa autem victimam jugulante, alius sanguinem excipiebat, quod vas Attici σφάγιον Homerus ἄμνιον vocat, quam vocem exponit Summus ille Bochartus lib. 2. de Bobus c. 33. Latini pateras dicunt, quare Noster ℣s. seq.

—— *Tepidumque cruorem*
Suscipiunt pateris.

Emmeness.

249. *Succipiunt.*] Antique. Nam modo *suscipiunt* dicimus. *Servius.*

Succipiunt.] Ne jam sacratus in terram cadat. *Donatus.*

Succipiunt.] Ita Servius Danielis, P. Lætus, Egnatius & hujus discipulus P. Manutius contendunt, Poëtam antiquo verbo *Succipiunt*, pro *suscipiunt*, usum esse: ut & 1. Æn. ℣s. 179. *Succepitque ignem foliis.* quod & J. C. Scaliger unice probat, lib. 4. cap. 16. Poët. *Taubmannus.*

Ipse atri.] Omnia nigra inferis mactat, & sterilem vaccam, quia nihil ab inferis nascitur. demonstrat quatuor, colorem; genus animalis, cum primo vellere intactum: ergo non attonsum, & Veneris immune. *Donatus.*

Ipse.] Non semper percussio hostiæ fuit victimariorum, & poparum: sed interdum magnorum principum. Firmo hoc ex Athenæo, qui lib. 14. ita notat. Α᾽γαμέμνων παρ᾽ Ο῾μήρῳ θύει βασιλεύων: *Agamemnon Rex apud Homerum sacrificat.* & postea idem notat ex Thrasymede filio Nestoris, qui pro patre jam sene, neque valente id muneris præstare, ipse securim arripit, & κόπτει τὸν βοῦν, *bovem ferit.* Apud Philostratum lib. 6. de vita Appollonii c. 15. Domitianus Imperator sacrificabat. Sed

o Æneas matri Eumenidum magnæque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida inponit taurorum viscera flammis,

Pin-

& sacra nocturna, qualia hîc exhi- Maro, Iason quoque perficit apud ollonium 3. Arg. *Cerda.*

50. *Matri Eumenidum.*] Id est, No- ut, *Hunc mihi da proprium virgo sata te laborem.* Et Eumenides dicuntur Antiphrasim, cum sint immites. *vius.*

Eumenidum.] De origine vocis dum putat Sanctius in Minerva p. 441. l. 4. antiphrasi hanc ut suam profert ex da, qua *pias* & *mites* esse ostendit. *menc ss.*

Magnæque sorori.] Id est, terræ. Nam supra diximus, nihil est aliud nox i umbra terrarum. *Servius.*

251. *Ense ferit.*] Ut eum contra um- s haberet consecratum. hinc est, quod dicit Sibylla, *Tuque invade viam, inaque eripe ferrum.* Item, *Strictam aciem venientibus offert.* Hoc autem am Homerus dicit. *Idem.*

Ipse ense ferit.] Nam ritu heroico i, qui sacrificabant, etiam hostias debant: ut docet Turn. l. 25. c. 12. quidem *Ense* feriisse, notat Servius: eum contra umbras haberet conse- ıtum. *Taubm.*

Sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.] æ congruam, nunquam enitenti. *rvius.*

Ipse atri vell. agn. matr. Eum. ster. i Proserp. vacc.] Ex Od. κ. ἐλθὼν εἰς ἰκὴν στεῖραν βοῦν ἥ τις ἀρίστη, ῥέξειν ἐν γάροισι, πυρήν τ' ἐμπλησέμεν ἐσθ- ν, ἔνθ' οἶν ἀρνειὸν ῥέξειν, ὃς πάντη λανὸν. Nimirum hic Maro Home- n secutus Diis Manibus vaccam ste- em dicavit, ut & Apollonius. ἔντομα λων, dicuntur ex pecudibus castrati ires, qui inferis sacrificantur, ut in- cundi, quales sunt verveces, quorum ita in terram prona inciduntur, n contra, quæ cælestibus immolan- tur, resupinatis capitibus mactari so- leant, ut notavit ejusdem Apollonii interpres. Convenit, quod & obser- vavit Servius, superiori loco, *Invergit vina sacerdos.* Germanus.

Sterilem vaccam.] Στεῖραν βοῦν Hom. Od. κ. Sterilis vacca dicebatur *Taura*: quæ prægnans, *horda*, ait Varro l. 2. c. 5. *De Re R.* Proserpinæ autem ideo ma- ctatur: quia cum virum habeat Pluto- nem, nunquam tamen enixa est. Pru- dentius:

Rapta ad tartarei thalamum Proserpina regis
Placatur vaccæ sterilis cervice resecta.

Taubmannus.

252. *Stygio Regi.*] Ita περιφράζει Plutonem. Sic Pindarus Od. 1. Nem. Ζηνὸς Αἰτναίου. Homerus 1. Il. Ζεὺς καταχθόνιος. *Cerda.*

Nocturnas aras.] Quæ tota nocte ar- derent. *Inchoat* autem perficit. Et est verbum sacrorum. *Servius.*

Nocturnas.] Nam & tempus tene- brosum inferis convenit. *Donatus.*

Nocturnas aras.] In quibus res divi- na noctu fieret, non interdiu: quod recepti moris erat in Plutonis sacris. Vide Turn. lib. 28. c. 44. Servius: quæ tota nocte arderent. *Taubm.*

253. *Et solida inponit taurorum visce- ra flammis.*] Non exta dicit: sed carnes. Nam *viscera* sunt, quicquid inter ossa & cutem est. Unde etiam *visceratio* di- citur, ut diximus supra. Ergo *solida viscera*, holocaustum significat: quod, detractis extis, aræ superimponebantur, quæ nonnunquam abluta, elixa etiam ipsa reddebantur: unde infert, *Fundens ardentibus extis.* Quanquam alii pro parte totum velint: ut per *exta* totum animal intelligatur. *Servius.*

Solida.] Holocaustum intelligunt Servius, & Macrobius. Ita Seneca Oe- dip.

Pingue super oleum infundens ardentibus extis.
Ecce autem, primi sub lumina solis & ortus,
Sub pedibus mugire solum, & juga cœpta moveri
Silvarum, visæque canes ululare per umbram,
Adver

dip. in sacro ferali: *solidasque pecudes urit.* Nam viscera (interprete Servio) sunt, non tantum exta, sed carnes, quicquid nimirum est inter ossa & cutem. inde est, ut postea in *extis* debeas ex parte totum concipere συνεκδοχικῶς. Arnob. lib. 7. locutus est, ut Poëta: *si illibata, si solida concremari animantium viscera*, ubi capiendum quoque holocaustum. sicuti fortasse apud Apul. lib. 10. *Mensaque posita, omne genus edulium solidorum, & illibata fercula jussit apponi.* Cerda.

Solida taurorum viscera.] Innuit majora sacrificia, quum solida corpora, tantum tergore detracto, imponebantur: quæ Græcis ὁλοκαυτώματα & ὁλοκαυτώσεις dicuntur. *Oleum* vero ideo infundit, ut carnes facilius exurantur. Arnob. l. 7. *Si illibata, si solida concremari animantium viscera.* B. Ambrosius Instit. Virg. c. 16. *Perfectorum autem est solida esca*, interpretans ad Hebr. v. τελείων δ' ἐστὶν ἡ στερεὰ τροφή. De *visceribus solidis* vide Colvium, lib. 10. Apul. Porro *Imponendi* etiam verbum sacris solemne esse, docet Brisson. l. 1. Form. *Taubmannus.*

254. *Pingue super oleum.*] In antiquis aliquot exemplaribus, *pingue super oleum* habetur absque ulla interjecta particula, quæ intrusa videtur hic metri necessitate, ut sæpe alias perperam factum. potest tamen non invenuste legi per figuram ἓν διὰ δυοῖν, *Pingue superque oleum*, ut *Molemque & montes.* Sed si etiam *pingue oleum*, dicas: *que* particula secundo loco non invenuste ponitur. *Pierius.*

Oleum.] Ut validius urerentur, oleum infundit. Ostendit igitur quo more, vel quibus, & qualibus, & quantis animalibus cæsis inferorum numinum favor acquiritur. *Donatus.*

Pingue super oleum, &c.] Schedi de Dis German. c. 29. docet oleu pro vino adhibitum in Sacris Plutoni *Emmeness.*

Extis.] Extorum nomine veniu præcipue jecur, pulmo, cor. Viscer autem dicuntur, quicquid inter ossa cutem est. de exticina Salmas. Pli exercit. p. 129. *Idem.*

255. *Ecce.*] Ubicunque ponitur *ecc* necessario sequitur aliquid, quod m tum afferat vel admirationem. *Donat.*

Primi sub lumina solis & ortus.] A qui hæc sacra per noctem fiebant: se locutus est secundum Romanum r tum, quo dies creditur à medio noct incipere. Illo autem loco, quo dici *Nox ruit Ænea:* non *venit*, sed *finit* significat. Quanquam alii dicunt saci hæc à media die incipere: & perdu usque ad mediam noctem. Quod si e *nox ruit*, potest *venit* significare. *Serv.*

Ortus.] Ne incertum esset quid si *sub lumina solis*, addidit, *ortus.* Dona

256. *Mugire solum.*] Silius:

Immugit tellus, rumpitque horrenda p
umbras
Sibila.

Nam cum ad sacra sua adventabat Pro serpina, aut precibus evocata erat, te ra tremere videbatur: audiebanturq canes latrantes: rhedarum fulgor cer nebatur: ut scribit Apollon. l. 3. vid Turn. l. 15. c. 8. & l. 16, 4. *Taubm.*

Moveri.] Ita 3. Æn.

— tremere omnia visa repente.

Idem.

257. *Visæque canes ululare.*] Ita n minis ostendebatur adventus. *Can* autem, furias dicit. Lucanus, *Stygia que canes in luce superna Destituam.* S ut etiam diximus supra. *Ululare* aute & furiarum est. *Servius.*

Visæque.] In codicibus aliquot an tiqu

Adventante dea. Procul ô, procul este, profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco:
o Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum:

Nunc

is *visi* virili genere legitur, quod ita placet. Nam & *visæ* fœminino ere apud Senecam habetur: Ubi m illud observavimus, Pro juga ›ta moveri Silvarum, *juga celsa* scri-n esse: ut participium illud *Visæ* nibus respondeat, *Visum sub pedibus ire solum.* & *Juga celsa Silvarum* ›eri visa, *visæque canes ululare.* Pie-:.

Visæ ululare.] Ita Ter. Eun. 3. 2. *dire vocem visa sum modo militis.* quod Donatus: Omnes sensus *visa* ıntur, ab eo quod est certissimum lorum. Ergo, *visa sum*, id est, sensi. *ıbmannus.*

Canes.] Nam & Dianæ, quæ eadem *Trivia*, canes tribuuntur: & nocti-æ Triviæ etiam nocturnæ canes, s quidam (Servius & Pomp. Sabin.) *ias* interpretantur. Apollonius quo-: ejus canes χθονίας κύνας vocat. rat. 1. Sat. 8.

—— *serpentes atque videres*
'octurnas errare canes.

canus:

—— *Stygiasque canes in luce superna*
'estituam.

ırn. l. 28. c. 44. & 13. 12. *Idem.*

Per umbram.] Ad omnia pertinet, e descripsit. *Donatus.*

258. *Adventante dea.*] Ipsa scilicet ›serpina. *Servius.*

Profani.] Qui non estis initiati. *Id.*

Procul ô, procul este, profani.] Qui Sa-s non estis initiati, quos vulgo *Laicos* camus. Ita Callimachus laudes A-llini dicturus, profanos hac voce ex-ıdit: ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός; unde aud. l. 1. De raptu Proserp.

—— *gressus removete, profani.*

edea apud Ovid. 7. Met.

—— *procul hinc jubet ire ministros*
Et monet arcanis oculos removere profanos.

ıc autem Sacra dicebantur ἀβέβηλα, Plinio *opertanea*: opposita τοῖς βεβήλοις, ad quæ profanis accessus erat. *Taubm.*

259. *Totoque absistite luco.*] Hoc est, non tantum à spelunca, sed ab omni luci vicinitate discedite. *Servius.*

Toto luco.] Ut penitus lucum relinquatis. *Donatus.*

260. *Invade viam.*] Ingredere. *Serv.*

Vaginaque eripe ferrum.] Ut videlicet amoveat irruentes umbras; & multo magis contra monstra, quæ futura postea obvia in ipso vestibulo. Sollemnis est hoc loco Cœlii nota, afferentis, dixisse hoc Platonicum Poëtam ex doctrina Platonicorum, qui ajunt, dæmones timere enses; ac tela illis studiose prætendi. Hortensius dicit, re ipsa compertum dæmones ferri aciem formidare. Hoc sentit hîc Virgilius, & ante illum Homerus, & post utrunque Silius. Apud Græcum enim Ulysses Odyss. 11. ait,

Αὐτὰρ ἐγὼ ξίφος ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ
Ἥμην, οὐδ' εἴων νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα
Αἵματος ἆσσον ἴμεν:

Cæterum ego gladio acuto stricto à femore
Ibam, neque sinebam mortuorum inania capita
Ad sanguinem prope accedere.

Apud Latinum ita Maga alloquitur Scipionem,

Eductumque tene vagina interritus ensem.

An vero hæc tantum gentilium opinio? Scribit diligentissimus Delrius lib. 6. Disquis. cap. 2. sect. 1. quæst. 1. hanc quoque fuisse opinionem Judaicam, ut patet ex Thargumæo in cap. 3. Cantic. vers. 8. Sed hæc esse mera animorum ludibria, & aniles fabulas, certissimum est. Nam facile est dæmoni impedire rem hanc ictu eluso. vide apud Delr. genus quoddam præstigiarum huic simillimum, quod adducit ex Saxone

Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro se inmisit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat.
Di, quibus imperium est animarum, umbræque silente
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte tacentia late;
S

xone lib. 5. Hist. Dan. de Oddone pirata Danico. *Cerda.*

Vagina eripe ferrum.] Dæmones an sentire doloris vim possint: & cur iisdem enses offerantur, disputat Cælius l. 2. c. 8. & l. 10. c. 9. & 10. & Crinitus l. 6. c. 3. *Taubm.*

Vaginaque eripe ferrum.] Pro eo Ovidius l. 10. Met. ℣. 475.

— *Nitidum vagina deripit ensem.*

Emmeness.

262. *Furens.*] Deo plena: aut certe similis furenti. *Servius.*

Aperto.] Id est, quod semper patebat. *Donatus.*

Ille ducem haud, &c.] Similis ferme locus Aristidis orat. 5. sacror. serm. εἰσήειμεν δ' ὑπὸ σκότῳ, καὶ ὑπὸ χειραγωγῷ: *ingressi sumus per tenebras, & manu ducti.* Quod Poëta *haud timidis passibus*, Martialis lib. 4. epig. 8. *gressu licenti.* Cerda.

Vadentem passibus æquat.] Magnam fiduciam Æneæ ostendit. *Donatus.*

264. *Dî, quibus imperium est animarum.*] Plenus locus alta sapientia: de qua varie disserunt Philosophi. Nam dicunt per alios animas ad inferos duci: ut, *Hac animas ille evocat orco Pallentes: alias sub tartara tristia mittit.* Item per alios transferri: ut, *Navita sed tristis.* Per alios purgari, ut, *Aliæ panduntur inanes Suspensæ ad ventos.* Per alios vero ad summa revocari: ut, *Lethæum ad fluvium deus evocat agmine magno.* Sciens ergo de deorum imperio varias esse opiniones, prudentissime tenuit generalitatem. Ex majore autem parte Syronem, id est, magistrum suum Epicureum sequitur. Hujus autem sectæ homines novimus superficiem rerum tractare, nunquam altiora disquirere. *Servius.*

Dî, quibus imperium.] Dicturus qu les esse sedes inferni asserantur, & qu illic gerantur, quæ sunt incognita v ventibus, ne temerarius videatur, v niam à diis petit: asserens non se a ctore, sed aliis proferentibus illa dic re, ne sibi incognita, & in vulgus n proferenda videatur retegere. *Donatu*

Dî, quibus, &c.] Invocationes n tantum in initio operis locum habe attentionis excitandæ causa, sed etia in medio. Voss. l. 3. de Inst. Poët. c. 4.

Umbræque silentes.] Secreta infer rum semper silentia. Nam homin umbræ loquuntur. Hinc est, *Quæ sac silentia norunt.* Invocat autem summu bonum, quod in silentio constare ma festum est. *Servius.*

Umbræque silentes.] Hom. Od. λ. ν κρὶ ἀφραδέες. *Germanus.*

265. *Et Chaos, & Phlegethon.*] El mentorum confusio. Invocat autem r rum primordia, quæ in elementoru fuerant confusione. Per *Phlegethon* inferorum fluvium, ignem significa Nam φλὸξ Græce, Latine ignis, e unde secundum Heracletum cunc procreantur: & re vera sine calore n hil nascitur: adeo ut de Septentrio dicat, *Sterili non quicquam frigore gign* Servius.

Chaos.] Elementorum confusio. Op rosissimam τοῦ χάους Genealogiam hab apud Aristophanem: sed verissima apud Mosen Gen. 1. Ovid. Met. lib. de Chao:

— *rudis indigestaque moles,*
Nec bene junctarum discordia semi
rerum, &c. Taubm.

Loca nocte tacentia late.] Aut hoc e quod supra ait, *Umbræque silentes*: a vult ostendere esse partem mundi, i qua perpetuæ sunt tenebræ. Cum eni pr

Sit mihi fas audita loqui: sit numine vestro
Pandere res alta terra & caligine mersas.
Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,

Per-

obatum sit quod legimus, *Et minima tentos nocte Britannos*, sphæræ exigit io ut è contrario sit regio noctibus cans. *Servius.*

Tacentia.] In Romano codice, quia eriore carmine legebatur, *Umbræ silentes*, quasi ejusdem vocabuli insa esset repetitio, quæque ariditati, ue inopiæ sermonis potius, quam gantiæ adscribi posset: pro *silentia*, osuere *tacentia*, quod nescio quid tullianum sapit, Quum tacet nox. *re* autem est Cornelio Frontoni, um loquentis sermo comprimitur, ipsa significatione litteræ *s*. Tacet o qui nec loqui quidem cœpit. *silentia* tamen Servius agnoscit, & ita relii omnia legunt exemplaria. *Pierius.*

Tacentia.] Pierius *silentia* probare etur. sic Val. Flacc. lib. 3.

—— *Stygiæ devexa silentia noctis.*

id. l. 5. Fast.

Nox etiam Lemures animas dixere silentum.

uleius l. 11. Metam. *inferorum deplota silentia nutibus meis dispenso.* Sed c arbitrio eruditi lectoris relinquo. *meneff.*

266. *Sit mihi fas audita loqui.*] De a dicturus prudentia miscet poëticam entiam. *Servius.*

Audita loqui.] Q. d. Non cognita, l tantum audita. Et licet Plato de Inis multa disputet: pleraque tamen tiquitas sensit, quod Seneca, Con. ad Marciam c. 19. ait: *Cogita, nuldefluctum malis affici. Illa quæ nobis eros faciunt terribiles, fabula est. Nulscimus imminere mortuis tenebras, nec cerem*, (Erebi claustra) *nec flumina* hlegetontem) *flagrantia igne, nec Obionis amnem*, (Letem) *nec Tribunalia*, linois, Rhadamanti, Æaci) *nec reos os in illa libertate tam laxa: nullos itentyrannos. Luserunt ista Poëtæ, & vanos agitavere terroribus. Mors omnium dolorum solutio & finis est, &c.* Ita Pythagoras apud Ovid.

Quid Styga, quid tenebras, & nomina vana timetis?

Videatur & Macrob. lib. 1. c. 19. de Somnio Scip. *Taubm.*

Sit numine vestro.] Concedatur à vestro numine. *Servius.*

267. *Pandere.*] Idem verbum in re simili Claudian. 1. Rapt.

Vos mihi sacrarum penetralia pandite rerum,
Et vestri secreta poli, qua lampade Ditem
Flexit amor. Cerda.

267. *Alta terra, & caligine mersas.*] Bene junxit. Ex terris enim caligo procreatur, id est, umbra. *Servius.*

Res alta terra.] In codicibus aliquot antiquis legere est, *res altas terra & caligine mersas.* Sed quanto melius est *alta terra*, ut emendatiores habent codices. *Pierius.*

Caligine mersas.] Res omnes inferorum unis tenebris, & caligine celebratæ. Ennius Andromacha,

Acherusia templa alta, Orci pallida,
Lethi obnubila, obsita tenebris loca.

Valer. 3. Arg.

—— *superis incognita tellus,*
Cæruleo tenebrosa situ, quo flammea nunquam
Sol juga, sidereos nec mittit Juppiter annos.

Poëta quidam apud Tullium,

crassa caligo inferûm.

Plinius lib. 4. cap. 12. cum respectu ad Virgilium dixit: *pars mundi damnata à natura rerum, & densa mersa caligine*, de Riphæis montibus. *Cerda.*

268. *Obscuri sola sub nocte.*] Aut Hypallage est, *Sub obscura nocte soli ibant*, aut *Sub solæ nocte*, id est, ubi nihil aliud aliud est, præter noctem. *Servius.*

Ibant.] Sic loquitur Catullus,

Qui nunc it per iter tenebricosum.

Et Theocr. in epigram. οἴχεται εἰς ἀΐδαν:

it in

Perque domos Ditis vacuas, & inania regna.
Quale per incertam lunam sub luce maligna
Est iter in silvis: ubi cælum condidit umbra
Juppiter, & rebus nox abstulit atra colorem.

Vest

it in infernum. Sophocles in Antigone, de illa moriente,

Τὰν νεάταν ὁδὸν
Στείχουσαν:
Novissimum iter euntem.

Poëta apud Plutarchum de consolatione Apoll.

Ἅπαντες ἀΐδαν ἦλθον, καὶ λάθας δόμους.

Aristides in obitu Eteonei πορείαν dixit, loquens de hac re. *Cerda.*

Obscuri sola.] In codicibus quibusdam antiquis ita legitur, *ibant obscura soli sub nocte.* Sed Donatus ait solam esse noctem, cui lux nulla succedit. Et lectionem eandem agnoscere videtur Servius, dum hypallagen figuram notat. Est & *per umbram* unitatis numero in pluribus exemplaribus, quod nocti magis convenire videtur. Siquidem *umbra* aliud quiddam significant. *Pierius.*

269. *Domos vacuas.*] Nostri mundi comparatione. Simulachra enim illic sunt, quæ inania esse, non dubium est. Sola nox est, cui nulla lux succedit. *Serv.*

Vacuas.] In quibus nihil videri potest, neque illic occurri. *Donatus.*

Domos vacuas.] Sc. corporibus: etsi simulacris plenissimas: quæ tamen inania cum sint, nullum locum occupant. Ita apud Horat. *domus Plutonia*, dicitur *exilis*, quod inanis & vacua sit: ut exponit Turn. l. 9. c. 27. *Taubm.*

Inania regna.] Inanium: per quod ostenduntur vacua. *Servius.*

270. *Incertam.*] Alii *inceptam* legunt: illic tamen recurrit. Nam *incertum*, incipientem, id est, minorem significat. *Idem.*

Incertam.] In ipsis initiis positam. *Donatus.*

Incertam.] Antiqui codices nonnulli cum Mediceo, *incæptam* legunt. Sed & *incæptam*, & *incertam* eodem recurrere putat Servius. Nam & alias super hoc eodem loco dubitatum à Gramm ticis. *Pierius.*

Luce maligna.] Obscura. Nam n lignum est proprie angustum: ut, *A tusque maligni*, id est, minores, obs ri. Sane sciendum Lunæ, licet mir ris commemoratione, ostendere ei fuisse illic aliquid lucis. Nam ali omnia, quæ dicturus est, videre non terant. *Servius.*

Sub luce maligna.] Id est, non penit illustri, Æneid. 9.

—*sublustri noctis in umbra.*

Scal. l. 4. c. 16. *Taubm.*

271. *In silvis.*] Quæ etiam illud e guum lucis sua densitate possunt eri re. *Donatus.*

Ubi.] Quando. Nam non est lo sed temporis. *Servius.*

272. *Nox abstulit atra colorem.*] Hoc videmus, & tractatur ab Epicureis, bus tollere noctem colorum varie tem. Unde & apud inferos omnia gra esse dicuntur. Contra hos Aca mici una repugnant. Nam squan piscium lucere per noctem comprol tur. *Idem.*

Nox abstulit atra colorem.] Aristo les siquidem lib. 2. De animo: φῶς τοῦ διαφανοῦς ἐνέργεια, δοκεῖ δὲ τὸ φ ἐναντίον τῷ σκότει· ἔστι δὲ τὸ σκότος ρησις τῆς τοιαύτης ἕξεως ἐκ διαφαν Nimirum & Aristot. lib. De sens. sens. hanc tenebrarum rationem c cisam reddit, ὅταν ἐνῇ τι πυρῶδες διαφανεῖ, ἡ μὲν παρουσία φῶς, ἡ δὲ στέρ ἐστι σκότος. Aliam causam lib. 4. l cret. ex Democriti & Epicuri discipl exequitur, quam in simulacra & aër confert his verbis:

Continuo rerum simulacra adaperta quuntur,
Quæ sita sunt in luce, lacessuntque ut deamus:

S

Veſtibulum ante ipſum primiſque in faucibus Orci
Luctus & ultrices poſuêre cubilia Curæ:

Pal-

Quod contra facere in tenebris, & luce nequimus,
Propterea quia poſterior caliginis aër
Craßior inſequitur, qui cuncta foramina complet,
Obſiditque vias oculorum, ne ſimulacra
Poßint ullarum rerum conjecta moveri.
empe & ἀναπλυχαὶ ἡλίȣ, παρὰ τὸ ἀπλύσειν τὰ ἐν σκότῳ, ὅ ἐστιν ἐξαλοῦν, καὶ δηλοποιεῖν, Euſtath. Unde aro:
Jam ſole infuſo, jam rebus luce retectis.
ermanus.

273. *Veſtibulum.*] Ut Varro dicit, ymologiæ non habet proprietatem: d fit pro captu ingenii. Nam *veſtilum*, ut ſupra diximus, dictum ab eo, od januam veſtiat. Alii dicunt à Vea dictum per imminutionem. Nam ſtæ limen eſt conſecratum. Alii dint ab eo, quod nullus illic ſtet. In nine enim ſolus eſt tranſitus: quoodo *veſanus* dicitur non ſanus: ſic *ſtibulum*, quaſi non ſtabulum. *Serus.*

Veſtibulum ante ipſum.] In hoc erant nnia, quæ cruciant vivos, aut defunos affligunt. *Donatus.*

Veſtibulum ante ipſum, &c.] Conntit ille locus Lucret. lib. 3.
Turpis enim fama, & contemptus, & acris egeſtas
Semota ab dulci vita, ſtabilique videntur,
Et quaſi jam leti portas cunctarier ante.
ermanus.

Veſtibulum.] Quid proprie ſit *veſtilum*, poſt Servium copioſiſſime diſtant Agellius lib. 16. c. 5. & ex hoc acrob. Sat. l. 7. c. 8. qui concludit, *vebulum* aream dici, quæ à via domum vidat. *Fauces* autem iter anguſtum ſe, per quod ad veſtibulum de via fleatur. Æneas ergo cum videt fauces que veſtibulum domus impiorum, on eſt intra domum: ſed de via videt ca inter viam & ædes locata. Vide & Floridum l. 2. c. 12. Succiſiv. Lect. Hujus autem veſtibuli meminit & Plato in Axiocho. ut & reliquorum in Phædone: itemque Marſilius, in argumento hujus dialogi. *Taubm.*

Faucibus Orci.] Deum poſuit pro loco: ut Jovem dicimus, & aërem ſignificamus. Horatius, *Manet ſub Jove frigido venator. Orcum* autem Plutonem dicit. Nec per Charonta poſſumus intelligere inferos dictos, quia minor poteſtas pro imperio nunquam ponitur, ſed illa quæ tenet imperium. Ergo alter eſt Charon. Nam *Orcus* idem eſt Pluton, ut in Verrinis indicat Cicero dicens, *Ut alter Orcus veniſſe Ætnam: & non Proſerpinam, ſed ipſam Cererem rapuiſſe videatur.* alibi ait, *Quia Ditem patrem emerſiſſe ab inferis putant.* Dicimus autem & hic *Dis:* & hic *Ditis.* Servius.

Primiſque in faucibus.] In codicibus pleriſque ſane quam veteribus non invenuſte legitur, *primis in faucibus* abſque copulativa particula, ſed ea inſerta verſum reddit canorum magis. *Pierius.*

274. *Luctus & ultrices poſuere cubilia Curæ.*] Ea dicit eſſe in aditu inferorum, quæ vicina ſunt morti: aut quę poſt mortem creantur: aut quæ in morte ſunt, ut pallorem. Luctus enim poſt mortem eſt. *Servius.*

Luctus.] Quorum ſordidus & miſerabilis cultus eſt. *Donatus.*

Luctus.] Stat. 3. Theb. ſic deſcribit:
—— *ſtat ſanguineo diſciſſus amictu*
Luctus atrox.
Claudianus,
—— *ſciſſo mœrens velamine Luctus.*
Luctus formam poteris etiam colligere ex his Senecæ in Furente:
Unde iſte genitor ſqualor, & lugubribus
Amicta conjux? unde tam fœdo obſiti
Pædore nati? quæ domum clades gravat?
De luctu ait Dio Chryſoſt. orat. 16. βασανιζόμενοι τῇ χαλεπωτάτῃ πασῶν βασάνῳ: *torti difficillimo omnium tormento.* Cerda.

Pallenteſque habitant Morbi, triſtiſque Senectus,
Et metus, & male ſuada Fames, ac turpis Egeſtas;
Terri

Curæ.] Conſcientiæ, quæ puniunt ſemper nocentes. *Servius.*

Curæ.] Quæ quæcunque poſſident, torquent. *Donatus.*

Ultrices.] Hanc Curarum carnificinam expreſſit Horatius Od. 1. lib. 3.

Poſt equitem ſedet atra Cura.

& nota vocem *cubilia*. Curæ ergo feræ ſunt, & monſtra: hæc enim in cubilibus, ſignata hac voce, deliteſcere, ab omnibus dicuntur. & ego jam de hac re. *Cerda.*

Ultrices curæ.] Conſcientiæ,quæ ſemper puniunt nocentes. Juvenal.

—— quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animum tortore flagello. Taubm.

275. *Pallenteſque habitant Morbi.*] Mali hujus formam colligas à Dione Chryſoſt. orat. 16. ubi de illo, αἶσχρὸν θέαμα, *turpe ſpectaculum.* poſtea illi dat, μέλαιναν ἐσθῆτα, *nigram veſtem.* Cerda.

Triſtis.] Severa, quæ gignit ſeveritatem. Cicero, *Judex triſtis & integer.* Servius.

Triſtiſque ſenectus.] Et quia noſtros contrahit vultus, & morti vicinos facit. *Donatus.*

Triſtiſque ſenectus.] Id eſt, *ſevera,* id eſt, tetrica, dura: ut Serv. exponit. Cicero: *Judex triſtis & integer.* Probat hoc & Floridus l. 2. c. 12. contra Beroaldum, qui *triſtem* exponit, *querulam & moroſam*, quod apud Ciceronem & Senecam legantur, *Senes moroſi & anxii, & queruli atque difficiles.* Et Horat. dixerit, in mores ſenum;

Difficilis, querulus, laudator temporis acti.

atque inde Silius:

Curæque inſidiæque, atque hinc queribunda Senectus.

Taubmannus.

Triſtiſque ſenectus.] Recte *triſtis*, nam *ipſa Senectus* monente Terenti Phorm. 4. 1. 9. *morbus eſt*, ad quem l cum Donatus ex Apollodoro Græca a dit τὸ γῆρας ἐστὶν αὐτὸ νόσημα: Hoc ig tur ſenectuti cognomen vere imp nendum. Legendus Seneca, qui ep ſtola 30. mala ſenectutis recenſet, qu tanquam βωμός ἐστι τῶν κακῶν, & 10 Virgilium laudat conjungentem ſen per morbos & Senectutem. de Sen ctute non ſpernenda ſententia Epicha mi, quam tradit Ælian. var. hiſt. l. c. 34. *Emmeneſſ.*

276. *Metus.*] Huic peſti etiam pe ſonam attribuit Statius 9. Theb.

—— ſtant uno margine clauſi
Speſque, audaxque Metus, ſimul & F ducia pallens.

Cerda.

Fames.] Non ſolum quæ egeſtate affert victus, ſed quæ cupiditatem r piendi affert. *Donatus.*

Maleſuada Fames.] Impelluntur cer mortales ad rapinas & ſcelera omni urgente & imperante Fame. Ideo egr gie Claudianus, *Imperioſa Fames.* Qui tilianus in Declam. de hoc malo: *A mi tormentum eſt, corporis labes, magiſ peccandi, diriſſima neceſſitatum, deſ miſſima malorum.* Seneca in epiſt.

Venter præcepta non audit, poſcit, a pellat.

Oppianus 3. Hal. cum dixerit, nihil e λιμοῖο κακώτερον, *gravius fame*, adji rationem hanc,

—— κρατέει μὲν ἐν ἀνθρώποισιν ἀτην:
—— imperat ſane inter homines crudel

Philo lib. 1. de vita Moſis famem & tim vocat dominas graves & difficil δέσποιναι γὰρ χαλεπαί, καὶ βαρεῖαι. Cer

Maleſuada fames.] Ita Plauto M ſtell. act. 1. ſc. 3. lena dicitur *maleſua* & alibi Amor *maleſuadus. Famem* tem, non ſolum egeſtatem victus bemus accipere, quæ inopiæ cauſſa ſ gerit prava conſilia; ſed iſtam quoc βουλιμίαν & *ſacram auri famem* locup tu

Terribiles visu formæ; Letumque, Labosque:
Tum consanguineus Leti Sopor, & mala mentis
Gaudia,

:um, qua aliena violenter invadunt. Taubmannus.

Ac.] In Romano codice, in Mediceo, ac plerisque aliis antiquis, *ac turpis* habetur, ut quodammodo jungat egestatem una cum ipsa fame. in aliis *&*. Pierius.

Turpis Egestas.] Quæ turpes facit, & quasi harum rerum imagines facit, quas dicit esse apud inferos. Ideo quia in quem ista concurrent, sit mortalis, necesse est. Unde deos immortales dicunt: quia ista non sentiunt, quibus mors creatur. *Servius.*

Turpis Egestas.] Nam & macie deturpat faciem, & necessitate sordidum relinquit victum & vestitum. *Donatus.*

Turpis Egestas.] Non paupertas, nam hæc virtus, sed egestas, quæ de luxuriosis ac perditis. Inde Cicero in Parad. correctione utitur: *ista paupertas, vel potius egestas, & mendicitas tua.* Et Claudianus de monstris quoque inferorum,

Et luxus populator opum, cui semper adhærens
Infelix humili gressu comitatur Egestas.

Lucretius, ad quem fortasse aspiravit Maro lib. 3.

Turpis enim Fama, & Contemptus, & acris Egestas
Submota ab dulci vita stabilique videntur,
Et quasi jam lethi portas cunctarier ante.

Seneca in Thyeste inter monstra inferorum etiam Egestatem posuit. *Cerda.*

277. *Terribiles visu formæ.*] Omnes scilicet quas supra dixit. *Servius.*

Terribiles visu formæ.] Non re, sed visu terribiles dicit. id est, videri, non esse. Vide mihi, quæ hic disputat divinus Seneca, Epist. 104. *Taubm.*

Labosque.] Antiqua fere omnia exemplaria legunt, *labos* per *s*, non *labor*. Quod vero sequitur soporem consanguineum esse mortis, ex Hesiodo sumptum, qui in Theogonia somnum & mortem noctis filios fuisse dicit. quod vero *Consanguineum* dixit, ita eum Claudianus imitatus, *Te consanguineo recipit post fulmina fessum Juno sinu.* Ea enim Jovis & soror & conjux. *Pierius.*

278. *Consanguineus Leti Sopor.*] Secundum Homerum, juxta illud, *Dulcis & alta quies placidæque simillima morti.* Servius.

Consanguineus Leti Sopor.] Id est, germanus frater: κασίγνητος θανάτοιο Homero Iliad. Ε. Odyss. Ρ. & Hesiodo & Orpheo. Ita Sophocles Teucrum fratrem Ajacis vocat ξύναιμον, id est, *consanguineum.* Seneca *fratrem mortis* dixit, & Val. Flaccus:

—— *fratri Somne simillime Leto.*

Ita & Stat. l. 3. & 11. *consanguineos* vocat fratres germanos; item Claudianus. Videatur Cujacius Observ. l. 11. c. 26. Aristoteles *Somnum* statuit *confinium vivendi & non-vivendi.* unde & Petron.

—— *hic graves alius mero*
Obtruncat, & continuat in mortem ultimam
Somnos.

Taubmannus.

Consanguineus Leti.] Macrob. hunc locum Homero deberi docet l. 5. Saturn. c. 7. de cognatione Somni & Mortis, cujus utriusque parens est Nox, agit Torrent ad Horat. l. 1. Od. 24. Huc facit responsum Gorgiæ, quem senio confectum morboque implicitum, cum ex necessariis aliquis rogaret, quomodo se haberet, respondit (utar verbis Æliani Var. Hist. lib. 2. cap. 35.) ἤδη μὲ ὁ ὕπνος ἄρχεται παρακατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ, *jam Somnus me incipit suo fratri tradere.* Emmeness.

Mala mentis Gaudia.] Generaliter omnium scelerum dicit: ac si diceret *malæ mentis gaudia.* Ut, cum male fecerunt, gaudeant. *Servius.*

Mala mentis Gaudia.] Hæc sunt quæ in scelera ducunt. Adulter enim & latro cum luctu de sceleribus voluptatem capiunt.

Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum,
Ferreique Eumenidum thalami, & Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

In

capiunt. *mala* ergo, quia apud inferos puniuntur. *Donatus*.

Mala mentis Gaudia.] Q. d. *Malæ mentis gaudia.* generaliter ex omni scelere perpetrato. Seneca Epist.59. Poëtam nostrum ait diserte quidem dixisse, sed parum proprie: cum nullum malum sit gaudium. *Voluptatibus*, inquit, *hoc nomen imposuit*, *& quod voluit*, *expressit: significavit n. homines, malo suo latos.* Vide & Lipsium ibid. Alii *vindictam* interpretantur, alii ἐπιχαιρεκακίαν. *Taubmannus*.

279. *Mortiferumque adverso in limine Bellum.*] Mire cum omnia in vestibulo, bellum vero in limine ipso posuit, quoniam nulla major est mortis causa quam bellum, & est familiare epitheton. *Servius*.

280. *Eumenidum thalami.*] Furiæ nunquam nupserunt. Unde thalamos accipiamus habitationum loca, in quibus natæ sunt. Alii *thalamos* dicunt, qui facti sunt auctoribus Furiis: sed non procedit, quia ait, *Terribiles visu formæ*, ut non videatur esse contrarium: quia Furias paulo post alibi dicit esse. Nam possunt hic natæ esse, & alibi manere, & alibi officium exercere pœnarum. *Id.*

Ferrei.] Ut thalami Furiarum ferrei sunt, ita apud Claudianum lib. I. in Ruff. de sedilibus monstrorum inferni,

Complentur vario ferrata sedilia cœtu.

Sed Poëta proverbialiter capi potest, cui thalami Furiarum dicuntur ferrei, à rigore & natura ferri, non quod vere ferrei essent. Itaque Prudentius in Perist. hym. 10.

Quæ cautes illud perpeti spectaculum?
Quis ferre possit æris aut ferri rigor?

Tibullus lib. I.

—— non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.

Ovid. 9. Met.

Nec rigidas silices, solidumve in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit.

Isti, & alii plures proverbialiter locuti sunt. *Cerda*.

Eumenidum thalami.] Duplex hic nodus. Cur Furiæ in aditu inferorum constituuntur, cum sciamus illas esse in tartaro, profundissima parte inferorum, ad puniendos nocentes? Deinde, cum thalamus proprie sit, ubi vir, & mulier θάλλουσιν, cur datur Furiis, quæ virgines sunt? Nihil hoc mirum, fabulæ plenæ his nebulis. Sed in re utraque Virgilium Ovidius juvat. Apud illum Juno 4. Metam. —— *sorores*

Nocte vocat genitas, grave & implacabile numen.
Carceris ante fores clausas adamante sedebant,
Deque suis atros pectebant crinibus angues.

Quid, quod Virgilius, non Furias in aditu constituit, sed earum sedes: nihilque vetat illas hinc inde discurrere. Pergo ad alterum. Idem Ovid. 2. Met. loquens de virginibus,

Pars secreta domus, ebore, & testudine cultos
Tres habuit thalamos, quorum tu Pandrose dextrum,
Aglauros lævum, medium possederat Herse.

Extremum hoc de thalamis monuit Janus Parrhas. in Claudian. I. Rapt. Ex Aristide idem indico, qui de Horis, quas antiquitas virgines fecit, θάλαμον ὡρῶν dixit, in oratione de laudibus Neptuni. Sed & interpres Homeri in l.3. Il. hac voce signari simpliciter οἶκον, domum, adnotat. Damascen. orat. 2. de Nativit. Mariæ παρθενικοῦ θαλάμου dixit. *Idem*.

Discordia demens.] In quam ex dementia incidimus. neque injuria dat sanguinem & serpentes. *Donatus*.

281. *Crinem vittis innexa.*] Ut, *Scissa comam*, & *Oculos suffusa*. Servius.

Vipe-

In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens: quam sedem Somnia volgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.

Multa-

Vipereum, &c.] Ita Ovid. 4. Met. 'ab. 10. de Furiis:

Carceris ante fores clausas adamante sedebant:
Deque suis atros pectebant crinibus angues.

.egatur totus locus qui elegantiss. σύνο-αν cuncti apparatus Orcini continet. nprimis autem Seneca in *Hercule Fur.* versu 660. Luculenti etiam sunt, vel caligero l. 5. c. 13. judice, Claudiani ersus in Rufinum l. 1.

Concilium deforme vocat, glomerantur in unum
Innumeræ pestes Erebi: quascunque sinistro
Nox genuit fœtu: nutrix Discordia belli:
Imperiosa Fames: leto vicina Senectus, &c. Taubm.

282. *In medio.*] Aut vestibulo: aut bsolutum est, & intelligimus hanc esse burneam portam, per quam exiturus :st, quæ res, hæc omnia indicat esse si-nulata, si & ingressus & exitus simula-us est & falsus. *Servius.*

In medio ramos, &c.] Transit à de-criptione vestibuli, & venit ad interio-'em partem, quæ non esset sub tecto. Fuit illic, inquit, ulmi arbor annosa: 'erinde, inquit, ingens, ingentibus amis effusa, & opaca frondibus. Bene posuit annosam, & ingentem: sunt e-nim arbores, non tamen ingentes, nec opacæ, nec ornatæ frondibus. In hac tut & antiquitas apparebat; & ramo-um & frondium opacitas antiquitati respondens. *Donatus.*

Annosaque brachia.] De arbore di-ctum etiam apud Stat. Thebaid. l. 1.

— rapiunt antiqua procellæ
Brachia silvarum. Emmeness.

283. *Ulmus opaca ingens.*] Distin-guenda sunt ista propter duo epitheta. Servius.

Ulmus opaca.] Bene innuit, Somnia 'eri esse sterilia. Nam ulmus multos parit flores, fructus nullos. Sillius *taxum* dicit:

Dextera vasta comas, nemorosaque brachia fundit
Taxus, Cocyti rigua frondosior unda.
Hic diræ volucres, pastusque cadavere vultur,
Et multus bubo; ac sparsis strix sanguine pennis,
Harpyiæque fovent nidos, atque omnibus hærent
Condensæ foliis. sævit stridoribus arbor.

Taubmannus.

Pandit.] Non aperit, sed expandit, id est, extendit, & dicunt quidam *pandit* ab eo quod est *aperit* venire, nam quod apertum, est latius diffusum: hinc est, *Patulæ recubans sub tegmine fagi.* S.

Somnia.] Habitatio *Somni*, ut & *triplex Somniorum genus* luculentissime de-scribuntur ab Ovidio l. 11. Met. Fab. 12. & P. Statio l. 10. Theb. vs. 84. *Taubm.*

Volgo.] Passim, catervatim, an vul-go ferunt? *Servius.*

284. *Vana tenere.*] Utrum καθόλε, an quæ ex his vana sunt, & duo som-niorum genera putantur, unum de cœ-lo, ut, *Visa dehinc cælo facies delapsa parentis Anchisæ*, quod est verum: aliud ab inferis, quod est vanum. *Idem.*

Vana.] Quia ab Inferis. nam Vera mittunt Superi. Homerus: καὶ γὰρ τ' ὄναρ ἐκ Διός. *Taubm.*

Ferunt.] Quia supra:

Sit mihi fas audita loqui.

Non enim debuit auctor esse in incer-tis. *Idem.*

Foliisque sub omnibus.] Qui de som-niis scripserunt, dicunt quo tempore folia de arboribus cadunt, vana esse somnia: quod per transitum tetigit. *Vana* autem ideo, quia ab inferis. nam vera mittunt superi. Homerus, καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός, somnium de Jove. *Serv.*

Foliisque sub omnibus hærent.] Qui de Somniis scripserunt, dicunt; quo tem-

pore

285 Multaque præterea variarum monstra ferarum
Centauri in foribus stabulant Scyllæque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ

Hor-

pore folia de arboribus cadunt, vana esse somnia: quod per transitum ingeniose tangit. Vide Jo. Saresber. in Nug. Curial. lib. 2. 15. Porro loci hujus allegoriam explicat Cælius l. 10. c. 9. *Taubmannus.*

286. *Centauri in foribus stabulant.*] Bene *in foribus*: quia ea, quæ contra naturam possunt creari, statim pereunt. *Servius.*

Stabulant.] Habitant: & usurpative dixit, ut *populat*, *luctat*: nam *stabulor* dicimus. Et bene allusit: quia ex parte equi sunt. *Centauri* autem Ixionis & Nubis filii sunt. Ixion enim amatam Junonem de stupro interpellavit. Illa confessa Jovi est: & ejus voluntate Nubem in suam formam conversam obtulit, unde feruntur nati esse Centauri. *Idem.*

Centauri in foribus.] Ortus & genituras monstrorum, Centaurorum, & hujusmodi aut omnino, aut fere rejiciunt Aristoteles, Galenus, Lucretius: paucique Philosophorum generabilia monstra credunt: pauciores vitalia esse concedunt. Plutarchus tamen lib. An ratio brutis insit, non videtur usquequaque illis assentiri, ut qui Ægipanum, Sphingum, Minotaurorum natales ad promiscuum hominum cum brutis congressum referre videatur. *Germanus.*

Centauri.] Negarunt hos esse multi ex antiquis. Ne, quæ alii conjunxerunt, repetam, lege Magium lib. 1. Miscell. c. 20. Delrium in Hercul. Furen. novis comment. versu 778. Porro ad versum Virgilii contendit Statius in Achill.

Centauri stabula alta patent.

& Solinus cap. 14. *Ossam* (agitent) *quos Centaurorum stabulis immorari juvat.* Ut vero in aditu inferorum hæc monstra, ita Plutarchus de genio Socratis ait, exaudiri rugitus plurimos, & gemitus animalium. *Cerda.*

Scyllæque biformes.] Bene plurali usus est numero. Nam Scylla filia Nisi, secundum alios in avem conversa est, secundum alios in piscem. Ergo etiam ipsa biformis fuit: sicut hæc in Siciliæ freto. Dictum autem est per poëtæ licentiam. Quidam pluralem numerum pro singulari positum volunt, nam quæ in avem conversa est, nihil terroris habet: Harum sane fabulæ in Bucolicis plenius narratæ sunt. *Servius.*

Scyllæque biformes.] Duæ memorantur Scyllæ: una filia Nisi; de qua Ovid. 8. Met. altera Phorci, conversa in monstrum marinum: de qua 14. Met. fab. 1. & noster 3. Æneid. Servius de priore tantum accipit, quæ secundum alios in avem, secundum alios in piscem mutata. *Taubm.*

Biformes] Lucret. l. 5.

Aut rabidis canibus succinctas semimarinis
Corporibus Scyllas.

Idem.

Centauri, &c.] Hæc monstra conjungit etiam Stat. silv. l. 5.

Centaurosque, Hydræque greges Scyllæaque monstra.

& aliorum illic fit mentio. *Emmeness.*

287. *Centumgeminus Briareus.*] Centies duplex: secundum fabulas ipse etiam dictus est Ægæon. Qui, ut nonnulli tradunt, pro diis adversus Gigantes bella gessit; ut vero alii adfirmant, contra deos pugnavit, eo maxime tempore, quo inter Jovem & Saturnum de cœlesti regno certamen fuit, unde eum à Jove fulmine ad inferos tradunt esse trusum. Alii dicunt, cum Juno & Minerva & Neptunus, cæterique dii Jovem ligare vellent, à Thetide Briareum adhibitum, Jovem vinculis exemisse. *Servius.*

Centumgeminus Briareus.] De hoc gigante, qui Cæli & Terræ filius, videatur Hesiod. in Theogon. & Hom. Iliad. 1. ℣. 403.

Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra:
Gorgones, Harpyiæque & forma tricorporis umbræ.
Corri-

[.403. ubi cum etiam ἑκατόγχειρα :it & ab diis quidem *Briareum* dici, ab ›minibus autem *Ægæonem*: quem e-egie etiam noster pingit 10. Æn. [. 565.

Ægæon qualis, centum cui brachia di-cunt,
Centenasque manus, quinquaginta ori-bus ignem
Pectoribusque arsisse;

ıæ tamen secundum quosdam *Centi-ps* etiam fuit. Ideo autem Custos ad-tus est Orci vestibulo, ne Titanes ıptis vinculis vim inferis faciant. *Taub-mannus.*

Ac bellua Lernæ.] Hydram dicit ser-:ntem immanis magnitudinis, quæ ıit in Lerna Argivorum palude: sed atine *Excetra* dicitur, quod uno cæso ia capita excrescebant. Cum sæpe am-ıtata triplarentur, summoto ab Hercu-: incendio consumpta narratur, cujus :lle Hercules sagittas suas tinxisse dici-ır. Sed constat *Hydram* locum fuisse vomentem aquas vastantes vicinam vitatem: in quo uno meatu clauso ıulti erumpebant. Quod Hercules vi-ens, loca ipsa exussit: quibus siccis :ausit meatus. Nam Hydra ab aqua di-ta est, id est, ἀπὸ τοῦ ὕδατος. Potuisse utem hoc fieri ille indicat locus, ubi :icit, *Omne per ignem Excoquitur vitium, tque exudat inutilis humor.* Et utrum ıic distinctio plena sit, an *horrendum tridens* inferioribus jungendum sit: *ridere* enim bene Chimæræ datur, ıuæ & serpentes habet & flammas. *ervius.*

Bellua Lernæ.] Dicta est alio nomi-ıe Excetra. & observabis contra vul-:us mediam corripi, nam Cicero 2. Tusc. convertens versus Sophoclis:

Hæc dextra Lernam tetram mactata Ex-cetra
Placavit.

Quæ hæc fera, & Herculis facinus ubique ›bvium: ut Virgilius hydram in feri-bus locat, ita Tibul. lib. 1. eleg. 3. in porta:

Tum niger in porta serpens, tum Cerbe-rus ore
Stridet.

ita Tibullum legit, & explicat ad imi-tationem Virgilii Josephus Scaliger. *Cerda.*

288. *Horrendum stridens.*] Pro *hor-rende*, adverbium qualitatis derivatum in nomen. *Servius.*

Flammisque armata Chimæra.] Tito-nis & Cheldriæ filia, ore leo; postre-mis partibus, draco: media, capra, se-cundum fabulas, fuit. Re vera autem mons est Siciliæ: cujus hodieque ardet cacumen, juxta quod sunt leones: me-dia autem pars hujus pascua habet, quæ capreis abundant; ima vero montis ser-pentibus plena sunt. Hunc Bellero-phontes habitabilem fecit, unde Chi-mæram dicitur occidisse. *Idem.*

Chimæra.] De eadem Lucret. l. 5.

Qui fieri potuit, triplici cum corpore, ut una
Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra
Ore foras acrem efflaret corpore flam-mam,

De hac etiam Hesiod. in Theogon. qui eam velocem pedibus, robustam, tri-cipitem & flammas vomentem facit. Hanc interfecit Bellerophon, ut est a-pud Hom. Il 6. *Taubm.*

289. *Gorgones.*] Hæ Gorgones For-ci filiæ tres fuisse dicuntur, extre-ma Africa circa Atlantem mon-tem, quæ omnes unum oculum habe-bant, quo invicem utebantur: quarum nomina hæc fuerunt, Stheno, Eurya-le, Medusa: sed Medusa erecta favore Neptuni, ausa est crines suos Minervæ capillis præferre, qua re indignata dea, crines, quibus amatori maxime placue-rat, in serpentes vertit, eamque excidi à Perseo fecit luminibus orbatam, fe-citque, ut quisque caput ejus vidisset,

Corripit hic ſubita trepidus formidine ferrum
Æneas, ſtrictamque aciem venientibus offert,
Et, ni docta comes tenuis ſine corpore vitas
Admoneat volitare cava ſub imagine formæ,

Inruat

verteretur in ſaxum; ſed Perſeus, Jovis, & Danaës filius, cum ad eam occidendam volaret, præ ſe ſcutum ferens ſpeculi candore perlucidum, ſic Minerva monſtraverat, in umbra ejus vidit caput Gorgonæ, & ita averſus accedens id amputavit, quod cum ad Polydioten regem pertuliſſet, iſque negaret id ejus virtute confectum, conſpicuum id regi fecit, cujus conſpectu ille in ſaxum mutatus eſt, quod in Serifo inſula hodieque oſtenditur: Serenus tamen Poëta dicit Gorgonas puellas fuiſſe unius pulchritudinis, quas cum vidiſſent adoleſcentes, ſtupore torpebant: unde fingitur, quod ſi quis eas vidiſſet, vertebatur in lapidem. Sane quidam dicunt verſus alios hos à Poëta hoc loco relictos, qui ab ejus emendatoribus ſublati ſunt,

Gorgonis in medio portentum immane Meduſæ,
Viperea circum ora coma, cui ſibila torquent,
Infameſque rigent oculi, mentoque ſub imo
Serpentum extremis nodantur vincula caudis.

Servius.

Harpyiæque.] Aut jam mortuas intellige: aut ſecundum Platonem, & alios, ſimulachra licet vivarum, illic fuiſſe. Nam dicunt eſſe omnium rerum ideas quaſdam, id eſt, imagines: ad quarum ſimilitudinem procreantur univerſa. Hinc eſt quod in Statio Amfiaraus Plutoni dicit, *Omnibus finitor rerum videris: mihi vero & ſator.* Harum autem ſimlachra bene apud inferos ſunt: quia eſſe dicuntur Furiæ. *Idem.*

Tricorporis.] Erili & Geryonis. *Idem.*

Tricorporis.] Heſiodus Geryonem tantum vocat τρικέφαλον *tricipitem.* Sed Æſchylus in Agamem. & Philo de legatione ad Cajum, τρισώματον, *tricorporem.* Æſchylo hæſit Virgilius. Plutarchus in Politic. dat illi unam animam, ſed πολλὰ σκέλη, καὶ χεῖρας, καὶ ὀφθαλμοὺς, *multa crura, manus, oculos.* Plautus Aulul. ſenas manus, cum ait: *Cum ſeni manibus genere Geryonaceo.* Horatius Od. 14. lib. 2.

—— *ter amplum Geryonem.*

Rittershuſius in Oppian. lib. 2. venat verſu 620. Virgilium aliter explicat quam interpretes omnes. ait enim: *Harpyiarum triplex forma, aures urſorum corpora vulturum, ora virginum: hinc eas Virgilius 6. Æn. vocat formam tricorporis umbræ.* Non placet. Quare dictus tricorpor in Natali invenies, vide etiam Cedrenum pag. 140. Juſtinum lib. ult. Pauſaniam Att. Diodorum lib. 4. *Cerda.*

Tricorporis umbræ.] Geryonis, quem Heſiodus & Æſchylus γηρυόνα τρισώματον & τρικέφαλον dixere. De hoc & Lucret. lib. 5. ✗ſ. 28.

Quidve tripectora tergemini vis Geryonai?

Eundem Horat. 2. od. 14. *ter amplum* vocat: noſter 8. Æn. *Tergeminum:* quem itidem Hercules interemit. *Tricorpor* a. ſeu *triceps* ideo fingebatur: quod una cum duobus fratribus tam concordi fide regnum Hiſpaniæ adminiſtravit, ut ii uno nomine *Geryones* dicerentur. Alii tamen aliter. Vide Claud. Minoem ad Embl. XL. Alciati. *Taubm.*

291. *Offert.*] Non ad feriendum, ſed ad repellendas umbras. Unde *offert* dixit: ſacerdos autem ferire prohibet. *Servius.*

293. *Cava.*] Non ſolida, ſed inani. Turn. l. 12. c. 15. Ita Prudent. adverſus Phantaſmaticos:

Aërium, Manichæus ait, ſine corpore vero

Pervo-

Inruat, & frustra ferro diverberet umbras.
Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas:
Turbidus hic cœno vastaque voragine gurges
Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas & flumina servat
Ter-

Pervolitasse Deum, mendax phantasma, cavamque
Corporis effigiem, nil contrectabile habentem.
aubmannus.

294. *Frustra ferro diverb. umbras.*] ucr. 2. *aërias quod sol diverberet un-us.* Alludere autem videtur ad Epicuri iane, qui prima corpora tanta soliditе esse vellet, ut ictus omnes respue-:nt, & plagarum essent expertia, sicut iane est: *Quod manet intactum, neque ictu frangitur hilum.* Germanus.

Frustra ferro.] Laudat Jul. Scaliger irgilium, quod sapientissime dixerit, *ustra ferro diverberet umbras.* Homeum risui exponit, quod dixerit manes muisse enses & vulnera. Non satis te-:o, in quo positus Homeri lapsus, :que quid rideat Scaliger. Nam Virlius quoque videtur consentire cum omero. Certe, ideo supra Sibylla xit,

'uque invade viam, vaginaque eripe ferrum,

manes terrerentur. Aliter inepta est præceptio. & infra dicit Virgilius rreri umbras latratu Cerberi. Ubi iam locum Senecæ adduco. Dicamus go, putavisse veteres, etiamsi falso, neri à dæmonibus gladios: & hoc erre gentilium ductos tam Virgilium iam Homerum. Certe apud Plutarum in Apophtheg. Laconicis, La- quidam in spectrum ἐπέδραμε τῇ γχῃ, *hasta irruit.* Cæterum Virgilius c versu respicit proculdubio ad athleam doctrinam. Nam Pollux inter rba, quibus athletæ se exercent aërem rberantes, ac ventilantes, adhibet ·bum σκιαμαχεῖν, *pugnare cum um-ı.* Cerda.

295. *Tartarei quæ fert Acherontis ad undas.*] Sequitur illud Pythagoricum dicens, tenuisse eos viam post errorem silvarum; quæ vel ad vitia vel ad virtutes, ut diximus, ducit. *Servius.*

Tartarei Acherontis.] Acheronta vult quasi de imo nasci Tartaro: hujus æstuaria Stygem creare. De Styge autem nasci Cocyton: & hæc est mythologia. Nam Physiologia hoc habet, Quia qui caret gaudio, sine dubio tristis est. Tristitia autem vicina luctui est, qui procreatur ex morte. Unde hæc esse apud inferos dicit. *Idem.*

296. *Turbidus hic cœno.*] Pro qualitate inferni fuit natura aquæ turbida, cœnosa, odoris pessimi: utpote quæ ructaretur à cœno. *Donatus.*

Turbidus hic cœno est, &c.] Eleganter & accurate hunc amnem tartareum describit Sil. Ital. l. 13.

Tristior hic Acheron sanie crassoque veneno
Æstuat, & gelidam eructans cum murmure arenam
Descendit nigra lentus per stagna palude.

Juvenal. Sat. 3. vs. 266. *cœnosum gurgitem* appellat:

— *nec sperat cœnosi gurgitis alnum.*

Emmeness.

297. *Cocyto eructat arenam.*] In Cocytum: scilicet per Stygem. *Servius.*

Cocyto eructat arenam.] In aliquot antiquis codicibus, *Cocyti* legitur possessivo casu. Sed prior lectio magis recepta est. & *harenam* cum adspiratione ex Varronis observatione, uti alibi dictum. *Pierius.*

298. *Portitor.*] Proprie qui portat: abusive etiam qui portatur *portitor* dicitur, sicut *vector.* Servius.

Portitor.] Is proprie est, qui portum observat, ut nullus ejus injussu in alie-

Terribili squalore Charon: cui plurima mento
Canities inculta jacet: stant lumina flammæ:
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.

Ip

nas regiones transeat. His igitur aquis tam male olentibus, tam horridis aspectu erat par custos, nec dissimilis loco & regioni. *Donatus.*

Portitor.] Qui Ovidio *Vector*, Ulpiano *lintrarius* est: *Fehrmeister.* Tibullus:

— *Stygiæ navita turpis aquæ.*

Is enim pro stipe, vel (ut Lucianus ait) lupino, umbras in ulteriorem ripam trajicit. De eodem Propert. lib. 4. el. ult.

Vota movent superos: ubi portitor æra recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.

Juvenal. *Porthmea* vocat:

— *tetrumque novitius horret*
Porthmea.

Ciceroni *Portitor*, publicanus est: ut & *Portorium*, vectigal, quod ipse exigit, &c. videatur Erythr. *Taubm.*

Has horrendus aquas.] Propter tria flumina. *Servius.*

Horrendus.] Charon ipse apud Euripidem in Alceſtide vocat mores suos ἐχθρὸς γε θνητοῖς ϗ θεοῖς στυγούμενος: *Invisos hominibus, Diisque odiosos.* Ab Statio 2. Syl. dicitur, *trux navita*, in Epiced. in Glauciam. *Cerda.*

299. *Terribili squalore.*] Id est, terribilis squalloris. *Servius.*

Terribili.] In nonnullis omnino veteribus exemplaribus, *terribilis* habetur nominandi casu. Sed ablativo magis receptum. *Pierius.*

Terribili squalore, &c.] In hac descriptione Seneca Virgilio hæsit in Furen.

Hunc servat amnem cultu & aspectu horridus,
Pavidosque manes squallidus gestat senex.
Impexa pendet barba, deformem sinum
Nodus coërcet, concavæ lucent genæ,
Regit ipse conto portitor longo ratem.

& in Oedip.

Quique capaci turbida cymba
Flumina servat, durus senior,
Navita crudus, vix assiduo
Brachia conto lassata refert.

Claudianus 2. Rapt. Charonti dat *i[...]* *pexos crines.* Paulinus in Paneg. Ce[...] *tristem squallorem.* Cerda.

Charon.] Κατ' Antiphrasin, qu[...] Acharon. *Servius.*

Terribili squalore Charon.] A tor[...] oculis *Charon* dictus, unde v. 300. *St[...]* *lumina flammæ.* Hercules ob oculoru[...] sævitiam dictus fuit *Charops.* ex eode[...] horrore *Charybdis* nominata videtu[...] Adeundus Thylesius lib. de color. c. [...] ubi de colore agit cæsio. de orgine h[...] jus nominis alia tradit Sanctius l. 4. [...] antiphrasi. *Emmeness.*

300. *Canicies inculta jacet.*] Veter[...] enim non solum comam ornabant, s[...] etiam barbam, ut nonnullas videm[...] statuas. Ideo dixit *Inculta mento ca[...]* *cies.* Servius.

Stant.] Horrent. Et est polysem[...] hoc est, multiplicatio sermonum, [...] diximus supra. *Idem.*

Stant lumina flammæ.] Inflexibiles [...] culi, quasi flammam emittebant. *Do[...]*

Flammæ.] In Romano codice, [...] aliquot aliis antiquis *flammæ* legitur. [...] ve id genitivi casus sit, quod nequ[...] quam placet: sive appositive dictum, *duo lumina, duæ flammæ* videantur: si[...] quod magis placet, facta est duaru[...] vocalium transpositio, cum *flamm[...]* vellent scribere, veluti in antiquis a[...] quot exemplaribus scriptum observa[...] Sed id postea corruptum, velut etia[...] illud, quod supra dicebamus, *Protin[...]* *omnia*, versu dactylico. *Pierius.*

Stant lumina flammæ.] Oculi horre[...] tes & inflexibiles quasdam quasi fla[...] mas emittebant: Serv. & Donatus. v[...] pleni sunt flamma: uti 12. Æn. *S[...]* *pulvere cælum.* id est, pulvere oppletu[...] est. Turn. l. 28. c. 32. *Taubm.*

301. *Nodo.*] Valeant qui *nudo* leger[...]

c

Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba,
Jam senior: sed cruda deo viridisque senectus.

Huc

: contendunt, quum *nodo* passim in
iquis codicibus tota libraria fide le-
ur. Et antiquæ statuæ tot ubique
ctentur, in quibus ornatus ex hu-
ris nodo religatus pendeat. *Pierius.*
Nodo.] Non fibula, sed nodo. Ita
eodem Seneca in Hercule F.

—— *deformem sinum*
odus coërcet —— ℣ſ.765. *Taubm.*

Sordidus amictus.] Sordidum erat
amen, neque tantum ut totum te-
et corpus: & non fibula, sed nodo
ctebatur. *Donatus.*

302. *Subigit.*] Subagit, sursum agit,
git. Et est polysemus sermo. Nam
it significat: ut, *Subiguntq; in cote se-
es.* *Et Compellit:* ut, *Subiitque fateri.*
rvius.

Ipse ratem.] Non agendi potestatem,
pœnam habebat: quia multa simul
icia implebat. nam dabat vela, ve-
bat corpora. *Subigebat.* Id est, non
e labore agebat. *Donatus.*

Ratem conto subigit.] Sententiam sic
ccipio. Continet semper navem in
versam partem fluminis, ne præceps
atur secundo amne. Nam 1. Georg.

Non aliter quam qui adverso vix flumine
lembum
Remigiis subigit. Et hæc esse videtur
ens Servii, qui in hunc locum: *subi-*
, *subagit, sursum agit, rapit.* Est ve-
contus hoc loco, hasta nautica, lon-
, & robusta, qua nautæ utebantur ad
loranda loca fluminum. Inde Græci
uod Lilius admonet in lib. de Navi-
s) κοντωτὰ, navigia dicunt, quæ im-
lluntur conto: quorum fit mentio ab
piano, & Diodoro. Herodotus, ge-
s quoddam pali, quo aguntur navigia,
ὤκτρον vocat. Ab rate hac Charon-
. nata parœmia, qua, quibus impre-
nur, ad navem mittimus, qua usus
istophanes in Lysist.

Χώρει εἰς τὴν ναῦν,
Ὁ Χάρων σε καλεῖ:

Abi ad navem,
Charon te exspectat.

Cerda.

Conto subigit.] Scholiaste Juvenalis
præeunte *ponto subiit* non nulli legunt,
sed male. vide Rutgersii var. lect. l. 5.
c. 10. *Emmeness.*

Velisque ministrat.] Aut pro *vela:* &
est septimus. Aut *velis obsequitur:* & est
dativus. *Servius.*

Velisque ministrat.] Tacitus de mo-
rib. Germanor. *Nec velis ministrant,*
nec remos in ordinem lateribus adjungunt.
Observata quædam circa hanc rem lege
in Acidalio lib.9. animadvers. Q. Cur-
tii. *Cerda.*

303. *Ferruginea.*] Nigra, tristi. Nam
lugubrem ostendit dicens, *Cum caput*
obscura nitidum ferrugine texit. Servius.

Subvectat.] Proprium in hac re ver-
bum, ℣ſ. 391. item Ecl.4. *Argo vehit*
heroas. Sen. in Herc. Fur. *transvectus*
unda tartari. Unde & *Vectores* qui navi
vehuntur. Gloss. *Transvehi*, διαπλεῦ-
σαι. Ibid. *Vector*, πορθμεὺς: *Vectura*,
φόρετρον, ναῦλον. Et certe *navis* q. vehi-
culum est. Vide Des. Heraldi Advers.
lib. 1. c. ult. *Taubm.*

Corpora cymba.] Omne quod potest
videri, *corpus* dicitur. unde paulo post
discretionem fecit, dicens, *Corpora vi-*
va nefas Stygia vectare carina. Servius.

Corpora.] Id est, mortuorum ani-
mas. nam omne quod potest videri,
corpus dicitur. unde ℣ſ. 391. discretio-
nem fecit:

Corpora viva nefas Stygia vectare ca-
rina:

Nam & Plato in Phæd. tradit, animas,
quæ non pure à corpore discesserunt,
visibile aliquid secum trahere. quod
nec Homerus tacuit, Iliad. 23. *Taub-*
mannus.

304. *Jam senior.*] Aut pro positivo
posuit: aut, ut diximus, *senior*, est vi-
rens senex: ut *junior*, intra juvenem
est:

Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimûm heroum, pueri innubtæque puellæ,
Inpositique rogis juvenes ante ora parentum.
Quam multa in silvis autumni frigore primo
Labl

est: quam rem à Varrone tractatam confirmat etiam Plinius. *Servius.*

Cruda deo, viridisque senectus.] Τὸ ἀΐδιον: Ideo *cruda* & *viridis*, quia in deo: & bene *viridis* * *Idem.*

Viridis.] Non propter colorem, sed quæ adhuc non parum de pristinis temporibus retineret. *Cruda* & *viridis*: quia nondum tendebat ad maturitatem. *Donatus.*

Sed cruda deo vir. senectus.] Hesiodus tale epitheton senectuti dedit, sed videris, an eadem significatione, de fœmina loquens: ἰφθιμόν περ ἐόντα δύει ἄπερ ἀνδρὸς, καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν. Sane Gal. lib. De conserv. valetud. triplicem facit senectutem: primam vocari crudam, & ab ea ὠμογέροντας· secundam, circiter annum sexagesimum, à qua γέροντας· tertiam, decrepitam, à qua πεμπέλους. Hom. Il. ψ. ὠμογέροντα δέ μιν φάσ' ἔμμεναι. *Germanus.*

Jam senior: sed cruda senectus.] *Senior* (inquit Turn. l. 22. c. 18.) hic est, qui cum progressiore esset ætate, eam tamen bene ferret, ut senectus cruda & viridis videretur. *cruda* autem est *non matura*, sed viridis adhuc. nam *matura* dicitur in iis, qui ea prope confecti sunt: ut apud Horat.

—— *maturusve senex.* & Æn. 5.
—— *ævi maturus Acestes.*

Hesiodus *crudam senectutem* vocat, quæ ante diem venit, cum ait: καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν. unde & ὠμογέρων. Pimpontius tamen dubitare videtur, utrum hoc Hesiodi de fœmina dictum huc quadret: & addit, Galenum facere *triplicem senectutem*: primam vocari *Crudam*, & ab ea ὠμογέροντας: secundam, circa annum LX. à qua γέροντας: tertiam, decrepitam, à qua πεμπέλους. Jam. J.C. Scal. l. 4. c. 16. *viridem senectutem*, ut 5. Æn. *viridem juventam*, ἀκμὴν interpretatu Porro idem Scalig. lib. 3. c. 2. De *Expressione Personarum*; In his, inqui versibus & ætas & habitus, & habitu do, & officium & instrumenta Ch rontis continentur.

—— *cui plurima mento Canities*: addit, *inculta*, &, *jacet*, sc. neglect *Stant lumina flammæ*, i.e. rigida. σκλ. ὀφθαλμον enim delineavit: cujusmo homines vel crudeles vel pertinaces v impudentes judicamus. *nodo depend amictus*; non, *fibula*. Deinde attribu ex officio instrumenta, *Ipse ratem cont &c.* ut ne remum quidem dederit i crassa ac lenta palude naviganti. Æt tem quoque peculiarem: *sed cruda D viridisque senectus*: quales à veteribi Græcis dicti sunt ὠμογέροντες. *H. Scalig.* Taubm.

Deo.] Charonti. Solent enim Poë tæ ministris deorum tribuere appell tionem Dei, propter immortalitater De Charonte vide Aristoph. in *Ran* Idem.

307. *Pueri innubtæq. p.*] Quos i spem posteritatis servandæ, conven rat in longum senium perduci. Disti guit sexus & ætates, ut ostendat mo tem omnibus esse communem, n moriendi esse ordinem. *Donatus.*

308. *Juvenes.*] Qui adhuc suis con modis inservire patriæ potuissent. *Ide*

309. *Quam multa.*] Ex hac comp ratione, quanta fuerit turba ostend tur. *Idem.*

Autumni frigore primo.] Extremit tem vult ostendere: quod ait Juven lis, *Jam lethifero cedente pruinis Autu no.* Nam ejus prima pars fervet: ut, T *toque Autumni incanduit æstu.* Sa sciendum secund. Plinium, folia Autur nali tempore ideo cadere, quia omr tu

Labſa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
Quam multæ glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris inmittit apricis.
Stabant orantes primi tranſmittere curſum,
Tendebantque manus ripæ ulterioris amore.
Navita ſed triſtis nunc hos nunc accipit illos:
Aſt alios longe ſummotos arcet arena.
Æneas (miratus enim motuſque tumultu)
Dic, ait, ô virgo, quid volt concurſus ad amnem?
Quidve

nc in arboribus humor æſtatis calore venitur exhauſtus. Ergo *cadunt*, non ia tunc ſiccari incipiunt: ſed quia nc eis jam deeſt humor. *Servius.*

310. *Labſa cadunt folia.*] Eſt hoc, od Sidon. dixit epiſt. 13. lib. 5. *de-lu caducæ frondis.* & Græci φυλλορ-ῥοῆν. *Cerda.*

311. *Glomerantur aves.*] Benè rebus litantibus animas comparavit, quæ ipſæ volant. *Servius.*

Glomerantur aves.] Uti grues, anſe-, ciconiæ, & ſimiles, quæ ſub hie-m *terras apricas*, Solique expoſitas, ἀνδυ φρίκης, id eſt, horrore & frigo-expertes petunt. Bene autem volu-bus comparavit animas: nam & æ volant. *Taubm.*

Frigidus annus.] Id eſt, hiems: à to-pars intelligitur. Horum autem ver-ım plenam, brevem, miramque ra-nem delibat Scaliger l. 5. c. 3. & 6. l. 3. c. 6. & l. 4. c. 16. *Idem.*

312. *Inmittit apricis.*] Quaſi ἄνα ικης, id eſt, ſine frigore, ut diximus ra. Unde nonnulli & Africam di-m volunt. *Servius.*

313. *Stabant orantes.*] Volunt aliqui uſum ad morem oratorum, qui ſta-nt. Tacitus Dialog. de oratoribus: *od gaudium aſſurgendi aſſiſtendique er tacentes, in unum converſos coire ulum, & circumfundi coronam, & ac-re affectum, quacunque orator induxe-* Qui tamen mos non fuit perpe-s. Adi Polletum lib. 1. fori Rom. . 5. cum addit poſtea, *tendebantque manus*, quamvis referri ad ſupplices poſ-ſit: ſed non dubium, quin etiam eſſet oratorum; & ſic Poëta perſiſtet in eo-dem more. *Cerda.*

Stabant orantes.] Ecce cum tractu moræ videtur ipſe verſus ſtare. Scal. l. 4. c. 48. *Taubm.*

Primi tranſmittere.] Figura Græca eſt: ut primi tranſirent. *Servius.*

314. *Ripæ ulterioris amore.*] Ad hunc locum verba Apuleji faciunt l. 6. Met. *Nec mora, cum ad flumen mortuum ve-nies, cui præfectus Charon protinus expe-tens portorium, ſic ad ripam ulteriorem ſutili cymba deducit commeantes.* Emm.

315. *Triſtis.*] Aſper, & miſerabilis, ſeverus. *Servius.*

Triſtis.] Dirus, nunquam affabilis. *Donatus.*

Nunc hos.] Nam omnes ſimul non poterat. *Idem.*

316. *Aſt alios.*] Nempe inſepultos, ipſam litoris arenam contingere non ſinit. Unde ſuperſtitioſum illud ſepul-turæ genus inventum, quod *Terræ in-jectio* dicebatur. De quo, verſu 366. *Taubmannus.*

Summotos.] In antiquis aliquot co-dicibus, *ſemotos* legitur. Cui nonnihil ſuffragari videtur adverbium *longe* pro valde. Magis tamen placet *ſubmotos*, quod & proprie & eleganter dictum eſt. *Pierius.*

317. *Æneas.*] Ordo eſt: Æneas ait, dic ô virgo. cætera per parentheſim di-cta ſunt, id eſt, per ſuppoſitionem. *Servius.*

319. *Quo*

Quidve petunt animæ? vel quo diſcrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada livida verrunt?
Olli ſic breviter fata eſt longæva ſacerdos:
Anchiſa generate, deûm certiſſima proles,

Cocy

319. *Quo diſcrimine.*] Qua differentia. *Servius.*

Ripas hæ linquunt.] Repulſæ ſcilicet, non tranſeuntes. *Idem.*

320. *Vada livida.*] Nigra. Et *lividum*, non niſi apud neotericos invenimus. Lucanus, *Livor edax tibi cuncta negat, genteſque ſubactas.* Idem.

Vada livida.] In Romano codice, *vada liquida* legitur: neque timendum eſſet ſyllabæ ex auctoritate Lucretii, niſi & Servius *livida* agnoſceret. Et epitheton id inferis amnibus, quippe turbidis & cœnoſis conveniret. Præterea *vertunt* in aliquot habetur exemplaribus. Sed *verrunt* magis poëticum eſt. *Pierius.*

Vada livida.] Statius 1. Theb.

—— *umbrifero Styx livida fundo.*

Tibullus lib. 3. alio flexu, ſed pari ſignificatu. *pallida Ditis aqua*, &, *luridus orcus aqua.* Cerda.

321. *Breviter.*] Ne qua fieret rebus neceſſariis mora. *Donatus.*

Longæva ſacerdos.] Sibyllam Apollo pio amore dilexit: & ei obtulit poſcendi quod vellet arbitrium. Illa hauſit arenam manibus: & tam longam vitam popoſcit. Cui Apollo reſpondit poſſe fieri, ſi Erythræam (in qua habitabat) inſulam relinqueret, & eam nunquam videret. Profecta igitur Cumas tenuit: & illic defecta corporis viribus vitam in ſola voce retinuit. Quod cum cives ejus cognoviſſent, ſive invidia, ſive miſeratione commoti, ei epiſtolam miſerunt, creta antiquo more ſignatam: qua viſa, quia erat de ejus inſula, in mortem ſoluta eſt. Unde nonnulli hanc eſſe dicunt, quæ Romana fata conſcripſit, quod, incenſo Apollinis templo, inde Romam allati ſunt libri, unde hæc fuerat. *Servius.*

Longæva ſacerdos.] Ovidius de hac Sibylla lib. 14. Met. *vivaciſque antra Sibyllæ.* & Sibylla ipſa poſtea de ſe,

—— *nam jam mihi ſæcula ſeptem Acta vides.*

Ariſtoteles de mirabilib. vocat πο[λυ]χρονιωτάτην παρθένον. Propertius l. proverbialiter, eleg. 24.

At me non ætas mutavit tota Sibyllæ.

Idem lib. 2. eleg. 2.

Et ſi Cumææ ſæcula vatis agas.

Ovid. 3. Faſt.

Invenias illic, qui Neſtoris ebibat ann[os,]
Qui ſit per calices facta Sibylla ſuos.

Auſon.

Vincas Cumanam tu quoque Deiphob[en]

Citantur etiam verſus veteris Poët[æ] qui pro exemplo longæ admodum æ[ta]tis inducit tres fœminas Hecubam, [Si]byllam, Æthram matrem Theſei:

Quædam haud junior Hectoris paren[s]
Cumææ ſoror, ut puto, Sibyllæ:
Æqualis tibi, quam domum revertens
Theſeus reperit in rogo jacentem.

Fabula, quam hîc narrat Servius, co[n]ſentanea in nonnullis eſt cum his, q[uæ] ſcribit Ovidius lib. 14. Met. Adi utru[m]que. *Cerda.*

Longæva ſacerdos.] Nam etiam [A]riſtoteles Σίβυλλαν πολυχρονιωτάτ[ην] παρθένον vocat. Vide Ovid. 14. M[et.] Fab. 4. *Taubm.*

Longæva ſacerdos.] Sunt, qui hanc [vi]xiſſe dicunt ad Tarquinii uſque temp[o]ra, quos refutat Salmaſ. Plin. exe[rc.] p. 76. & de *ſacerdote* idem p. 80. *Em[m.]*

322. *Deûm certiſſima proles.*] Ex quod ſubire inferos potuit. Ideo aute[m] *certiſſima*, quia multi ad gloriam ger[ne]ris ſimulant ſe numinum filios: ut R[o]mulus ex Marte, Alexander ex Jo[ve] Hammone. Hoc ergo excludit. Sic a[li]bi de Hercule, *Salve vera Jovis prol[es.]* Servius.

Deûm certiſſima proles.] Natus homi[ne]

Cocyti ſtagna alta vides, Stygiamque paludem,
Di cujus jurare timent & fallere numen.
Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba eſt:
Por-

ımine, non immerito paves, ſed nil debes metuere: quia à diis principum ducis. *Donatus.*

323. *Cocyti ſtagna.*] Non auget mom: quia reſpondet ad id, quod non terrogat, ſed minuit: nam curat ne oſtea interroget. Stagnum igitur init, Cocyti nomen: palus vero, quæ ſuperfuſione aquæ efficitur, Styx apllatur. Nec indiget probatione, quod ſepulti non tranſportentur: quoniam rnit ibi quos ſepelire non potuit. *'em.*

324. *Et fallere numen.*] Ut ſupra dimus, ſive propter Victoriæ favorem ygis filiæ. Nam dicitur ſtatuiſſe Jupir, ut ſi quis fefelliſſet ejus numen, 10 anno & novem diebus ab ambro1 & nectare prohiberetur. Ratio aum eſt, quam ſupra diximus. Ideo per ygem dii jurant, quia triſtitia conıria eſt æternitati. *Servius.*

Jurare timent & fallere.] Id eſt, jutum numen fallere, ſeu pejerare. eoque Seneca in Thyeſte ℣ſ. 666. ygem *undam* vocat, *quæ facit in cælo 'em:* & Lucan. lib. 6. *timorem ſuperûm* pellat. Nam pejeranti novennio neıre & ambroſiâ carendum: decimo anno à deorum conſortio exulandum it. Servius tamen uno anno & nom diebus ambroſiâ & nectare prohitum ait. Vide Hom. Il. ο. & Od. ε. eſiod. in Theogon. & inprimis Delım in Hercul. Fur. ℣ſ. 710. Sed & æl. 27. cap. 5. & J. Meurſ. in Lycoıron. Caſſandr. item Not. 9. Æneid. ſ. 104. *Taubm.*

Jurare timent & fallere numen.] Jusrandum Diis ſanctius non fuit, quam r Stygias aquas jurare. Homer. Oſſ. ε. ℣ſ. 185.

ιαὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ (ὅςε
μέγιςος
ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακά-
ρεσσι θεοῖσι.)

Apoll. l. 1. Biblioth. Τὸ δὲ τῆς ςυγὸς ὕδωρ ἐκ πέτρας ἐν ἅδου ῥέον, Ζεὺς ἐποίησεν ὅρκον, ταύτην αὐτῇ τιμὴν διδοὺς, ἀνθ' ὧν αὐτῷ κατὰ τιτάνων μετὰ τῶν παίδων συνεμάχησε. *Jupiter Stygis aquam de ſcopulo per inferorum loca fluentem jurisjurandi religione decoravit: quod ipſi contra Titanas una cum filiis opem tuliſſet.* Inde Apulejus l. 6. Metam. *Diis etiam, ipſique Jovi formidabiles aquas iſtas Stygias, vel fando comperiſti? quodque vos dejeratis per minima Deorum, Deos per Stygis majeſtatem ſolere.* Alludunt paſſim Poëtæ. Noſter l. 12. Æn. ℣ſ. 816.

Adjuro Stygii caput implacabile fontis.

Ovid. l. 2. Metam. ℣ſ. 45.

—— promiſſis teſtis adeſto
Dis juranda palus.

Sil. Ital. l. 13.

At magnis ſemper Divis, regique Deorum
Jurari dignata palus.

Aliorum teſtimonia ſexcenta prætérire ſatius eſt. *Emmeneſſ.*

325. *Inops inhumataque turba eſt.*] Duo dicit, id eſt, nec legitimam ſepulturam habet, neque imaginariam. *Inopem* enim dicit ſine pulveris jactu (nam *ops* terra eſt) id eſt, ſine humatione. Vult autem oſtendere tantum valere inanem, quantum plenam ſepulturam. Nam & Deiphobi umbra tranſvecta eſt, cui Æneas cenotaphium fecit: ut, *Hunc egomet tumulum Rhæteo in litore inanem Conſtitui.* Bene autem *ſepultos*, id eſt, fletos; nam ſine fletu ſepultura non eſt. Unde legimus, *Inhumata, infletaque turba.* Facit ſupradicta flumina tranſire, quibus luctus nomen impoſuit. *Servius.*

Hæc omnis, quam cernis, &c.] Fuerunt gentiles in hoc errore. Tertullian. lib. de anima: *Creditum eſt inſepultos non ante ad inferos redigi, quam juſta perceperint, ſecundum Homericum Patroclum, funus in ſomnis ab Achille flagitan-*

Portitor ille, Charon: hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas & rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos, volitantque hæc litora circum.
Tun

gitantem: quod non alias adire portas inferorum posset, arcentibus eum longe animabus sepultorum Locus Homeri, cujus meminit Africanus scriptor, habetur 23. Il. Statius quoque 1. Theb. de hac inferorum lege,

Laïus exstincti nati quem vulnere nondum
Ulterior Lethes accepit ripa, profundi
Lege Erebi.

Idem infra attingit Noster in persona Palinuri. Et Lucanus lib. 1.

—— *umbraque erraret Crassus inulta.*

Et libro 6. de illo, quem Magia excitavit ad incantationes, qui insepultus jacebat, ita ait:

—— *primo pallentis hiatus*
Hæret adhuc orci.

Ante Latinos Euripid. in Troadib. sub persona chori loquentis de Priamo,

Ὦ φίλος, ὦ πόσι μοι,
Σὺ μὲν φθίμενος, ἀλαίνεις
Ἄθαπτος, ἄνυδρος.

Observa autem, animas istas, juxta Virgilium, arceri ab ipso Charonte, ne transmitterent fluvium: nam supra de illo:

Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos,
Ast alios longe summotos arcet arena.

Cerda.

326. *Portitor ille Charon.*] Græci Poëtæ νεκυηγὸν & νεκυοστόλον vocant. *Germanus.*

Portitor ille Charon.] Qui etiam *Porthmeus* dicitur. Juvenal. Sat. 3. ℣s. 265.

—— *tetrumque novitius horret*
Porthmea.

Petron. in Satyr.

—— *vix navita Porthmeus*
Sufficiet simulacra virûm traducere cymba.

Quid *portitor*, dictum supra ℣s. 298. *Emmeness.*

327. *Rauca fluenta.*] Aut rheumata dicit: aut bene pluraliter, quia de tribus loquitur. *Servius.*

Et rauca.] In antiquis omnibus exemplaribus, quotquot habui, pro *nec rauca*, legere est *& rauca.* Pierius.

328. *Sedibus ossa quierunt.*] Id est prius, quam corpus in naturam suam redeat, id est, in terram. *Servius.*

Quierunt.] In Mediceo, & aliquo aliis, *quierint* legitur: Sed finitivus modus eleganter etiam, cum *quam* jungitur, ut alibi ex Grammaticorum præceptis, & ex auctorum usu ostendimus. *Pierius.*

Sedibus.] Id est, sepulcris. Am. Marcellin. l. 22. & Vetus Inscriptio: HANC SEDEM. SIBI. VIVI. POSUERUNT. S *Apostolorum sedes* legitur in Jure. E dem significatione & *domus* appellat sepulcrum; Tibull. l. 3, 11. Et *dom æterna*, in Inscriptionibus: & *stabu cadaverum*, Tertull. de Resurrect. c. 3 *Taubmannus.*

Ossa quierunt.] Unde in Inscri REQUIETORIUM. ἀναστήριον. Hinc C fiodorus lib. 6. epist. 8. *Defunctorum cram quietem* dicit. *Idem.*

329. *Centum errant annos.*] *Cent annos* ideo dicit, quia hi sunt legi mi vitæ humanæ, quibus comple potest anima transire ripas, id est, locum purgationis venire, ut red rursus in corpora. Sane sciendum, q cum *terram* dicimus, *hæc ops* facit: *Nympham* dicamus, *hæc Opis*: si di *tias*, *hæ opes* numero tantum plura *Servius.*

Centum errant annos.] De myste & præstantia numeri denarii (qui cies sumptus dat centenarium) sive *cußis*, & doctrina Platonica, quo P ta respicit, accurate disputat Cæl lib. 22. cap. 14. *Taubm.*

Litora.] Supra dixerat *ripas*, n *lit*

Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.
Constitit Anchisa satus, & vestigia pressit;
Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.
Cernit ibi mæstos & mortis honore carentes
Leucaspim & Lyciæ ductorem classis Orontem:
Quos, simul à Troja ventosa per æquora vectos,
Obruit auster, aqua involvens navemque virosque.
Ecce gubernator sese Palinurus agebat:
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi, mediis effusus in undis.
Hunc ubi vix multa mæstum cognovit in umbra;

Sic

tora. Itaque *litus* dicitur etiam de flu-
ninibus, non de mari solum. Ita Pro-
pertius lib. 1. eleg. 2.

Eueni patriis filia litoribus.

Est Euenus fluvius. Sed hoc alibi. *Cerda.*

330. *Stagna exoptata revisunt.*] Lethæi scilicet fluminis. *Servius.*

331. *Vestigia pressit.*] Scilicet cogitatione tardatus, & intentionem cunctantis ostendit. *Idem.*

332. *Putans.*] Reputans. *Idem.*

Multa putans.] Α'φαίρεσις, pro reputans. Terent. *Dum hæc puto, præterii imprudens villam.* Putamus enim instantia: reputamus præterita. *Donat.*

Sortemque animo miseratus iniquam.] Iniqua enim sors est puniri propter alterius negligentiam. Nec enim quis culpa sua caret sepulchro. Bene autem *animo:* quasi re præsaga. ut alibi, *Præsaga mali mens.* Ipse enim Æneas insepultus jacebit: ut, *Mediaque inhumatus arena.* Servius.

333. *Mortis honore.*] Sepultum: ut, *Quisquis honos tumuli.* Idem.

334. *Leucaspim.*] Videtur ab albo clypeo Sophocl. Adrastum intellexisse: sic autem nomen est proprium. *Germ.*

Ductorem classis.] Apertum exemplum *classem* dici etiam unam navem. Nam legimus, *Unam quæ Lycios fidumque vehebat Orontem.* Servius.

335. *Quos simul à Troja.*] Revocat in memoriam legenti, qui isti essent, & ubi, & quando, & qua vi periissent. Et simul, ne quis daret vitio Æneæ, quod suos non sepelisset: quoniam sepelire non potuit. *Donatus.*

336. *Auster.*] Hic distinguendum. *Servius.*

337. *Sese agebat.*] *Sese agere*, est sine negotio incedere. *Idem.*

Sese Palinurus agebat.] Qui in vita naves, mortuus seipsum agebat. Sic Ter. Andr. act. 4. sc. 2. *quo hinc te agis?* ubi Interpres: *Agere se*, tardi & tristes dicuntur. Ita enim P. Manutius, contra Servium, Donatum, aliosque hæc exponit: quem Erythræus, Nascimb. & alii sequuntur. *Taubm.*

338. *Qui Libyco nuper cursu.*] Bene *Libyco.* Navigatio enim non à diverticulo, sed ab intentione accepit nomen. *Servius.*

339. *Effusus in undis.*] Archaïsmos est: quanquam Donatus esse ordinem velit, *dum servat sidera in undis mediis.* Idem.

In undis.] Non *effusus in undis*, ne sit vitium in casu: sed effusus cum in undis esset. *Donatus.*

340. *Multa mæstum cognovit in umbra.*] Prudentiores dicunt animas recedentes à corporibus, sordidiores esse, donec purgentur: quæ purgatæ incipiunt esse clariores. Unde ait paulo post, *Donec longa dies perfecto temporis orbe*

Sic prior adloquitur: Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis, medioque sub æquore mersit?
Dic age. namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo:
Qui fore te ponto incolumem, finisque canebat
Venturum Ausonios. en hæc promissa fides est?
Ille autem: Neque te Phœbi cortina fefellit,
Dux Anchisiade, nec me deus æquore mersit.

Nam-

orbe Concretam excivit labem, purumque reliquit Æthereum sensum: atque aurai simplicis ignem, id est, non urentis, ut est Solis. Inde est quod aliæ animæ Lunarem circulum, aliæ solstitialem retinere dicuntur pro modo purgationis: Bene ergo Palinurum obscura umbra circumdata dicit: & vix agnitum, qui nec ad loca quidem pervenerat purgationis, sicut etiam alibi de Didone dicturus est, *Agnovitque per umbram Obscuram.* Servius.

Multa umbra.] Hoc excusat, quod amicum non statim agnoverit. *Donat.*

341. *Quis te, Palinure, deorum.*] *Quis deus* debuit dicere: sed Græce dixit *τίς θεῶν*; *Servius.*

342. *Eripuit nobis.*] Bene *nobis*. Gubernator enim communi perit periculo. *Idem.*

Sub æquore mersit.] Tmesis est, *Medio æquore summersit.* Idem.

343. *Dic age.*] Hortantis adverbium. unde est & *age* sta, & *age* facite. *Idem.*

344. *Delusit Apollo.*] Non quidem mendax erat Oraculum, sed *ἀμφίβολον*. nam ℣. 360. prensat visam ab se Italiam: sed non eo fato, quo Æneas. *Taubmannus.*

345. *Qui fore te ponto.*] Nihil dixerat de Palinuro Apollo: sed tacendo de suis adversis, boni aliquid promisisse videtur. *Donatus.*

346. *Venturum Ausonios.*] Κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus. *Servius.*

Fides est.] In codicibus aliquot antiquis, *en hæc promissa fidesque.* Sed vulgata lectio magis satisfacit. *Pierius.*

347. *Cortina.*] *Cortina* dicta est, aut quod cor teneat; aut quod tripos septus erat corio serpentis, ut supra dicitur: aut certe secundum Græcam etymologiam ὅτι τὴν κόρην τείνει, id est, quod extendit puellam: ut, *Majorque videri. Servius.*

Phœbi cortina.] Locum Oraculi dixit, pro ipso Oraculo. Est autem *Cortina* proprie τρίπους & λέβης, in qua lana suffecta succos ebibit: ut notat Scalig. ad Varron. qui eandem etiam à rotunditate dictam ait: quod, ut *cortes*, ita hæc rotunda esset. Ita Severus in Ætna, theatri capacitatem convexam & sinuosam appellavit *cortinam*:

—— *magni cortina theatri.*

atque adeo Ennius hemisphærium cæli *Corpore cæruleo cava quæ cortina receptat* ut notat Turn. lib. 6. cap. 20. In ejusmodi autem cortina Phœbades vaticinantes sedebant. *Taubm.*

348. *Nec me.*] Hic distinguendum, ne si contrarium. Nam eum somnus dejecit Quamquam alii frustra dicant, quod credebat Phorbantem: cum extincti divinandi sit concessa licentia: & nunc jam sciat somnum fuisse. *Servius.*

Nec me deus.] Servius & Fabric. distinguunt:

—— *nec me: deus æquore mersit.*

Ne dicat contrarium illi,

Ecce deus ramum Lethæo rore madentem, &c.

Vide ibid. Contra Francisc. Campanu in *Quæstione Virgiliana* pag. 253. Steph Edit. vulgatam distinctionem

—— *nec me deus æquore mersit*,

animosissime & plurimis armis defendit, ut & Jos. Castalio Observat. Decad. 1

Namque gubernaclum multa vi forte revolſum,
Cui datus hærebam cuſtos, curſuſque regebam,
Præcipitans traxi mecum. maria aſpera juro,
Non ullum pro me tantum cepiſſe timorem,
Quam tua ne, ſpoliata armis, excuſſa magiſtro,
Deficeret tantis navis ſurgentibus undis.
Tris notus hibernas inmenſa per æquora noctis
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto
Pro-

ad. 10. cap. 2. qui ait, Palinurum hoc gnoraſſe: itaque negare ſe à deo ſubnerſum. Quin ipſum fateri, ſe caſu præcipitaſſe, nullo impellente, &c. *Taubmannus.*

Deus.] Cognovit vim illam eſſe divinam, ſed quis deus fuerit ignorat: quia nullum vidit niſi Phorbantem. *Donatus.*

349. *Namque gubernaclum.*] Ut ſit veriſimile, quod poſt triduum tetigit litus Italiæ. *Servius.*

Vi revolſum.] Oſtendit pro viribus pugnaſſe, ut excuſet factum. *Donatus.*

351. *Præcipitans.*] Dum præcipitaer. *Servius.*

Præcipitans.] Hic unice neceſſaria nota illa, quam adhibui 4. G. ad illud *prius hauſtus ſparſus aquarum*, ubi *ſparſus*, pro, ſpargens. *Cerda.*

Maria aſpera juro.] Aut execratio eſt: ut, *Iliaci cineres.* Aut certe jurat, quaſi navita, per maria. *Servius.*

353. *Spoliata armis.*] Propter amiſſionem gubernaculi. *Idem.*

Armis.] Gubernaclo, clavo. De hoc autem affectu Palinuri, qui in media morte de Principe ſuo Ænea ſollicitus eſt, videatur Scaliger l. 3. c. 19. *Taubm.*

Excuſſa magiſtro.] Nove dixit, de qua fuerat magiſter excuſſus. *Servius.*

Excuſſa magiſtro.] Figura hæc venuſtiſſima eſt. Sueton. Aug. cap. 6. *Tenetque civitatem opinio.* Martialis lib. 1. *Scrinia da magnis*, pro, committe ſcriniis libros magnos. Virg. infra:

Nomen & arma locum ſervant.

Pro, locus ſervat nomen & arma. *Cerda.*

Excuſſa magiſtro.] Pro, cui gubernator excuſſus erat. Non abludit ab hac forma Taciti illa lib. 14. Annal. *Exuere magiſtrum.* Taubm.

354. *Surgentibus undis.*] Non quia tempeſtas fuerit favente Neptuno: ſed tumens fuiſſe ſignificat. Nec de Æneæ peritia deſperavit: ſed propter perditum gubernaculum. *Servius.*

355. *Hibernas.*] Aſperas: & retulit ad affectum natantis. *Idem.*

Tris notus, &c.] Locus Homeri Od. 5.

Ἔνθα δύο νύκτας, δύο τ᾽ ἤματα κύματι πηγῷ
Πλάζετο:

Hîc duas noctes, & duos dies in fluctu nigro
Errabat.

Cerda.

356. *Vix lum. quart. Proſp. Ital. ſum. ſubl. ab unda.*] Ex Hom. Od. ε. ἔπλετο νῆσος μὲν, ὅτ᾽ ἄρα σχεδὸν εἴσιδε γαῖαν, ὀξὺ μάλα προϊδὼν, μεγάλου ὑπὸ κύματος ἀρθείς. Et Euripides in Hecu. τριταῖον ἤδη φέγγος αἰωρούμενος. *Adnabam* autem, Eurip. περιτενηχόμενον. *Germ.*

Lumine quarto.] Ennius in Medea Creontis ore:

Si te ſecundo lumine hîc offendero,
Moriêre.

Id eſt, ſecundo die. Illud Tullii pro Milone, *centeſima lux hæc eſt, ab interitu Clodii*, alii adducunt, ſed nemo expendit. Credo itaque latere in Tullio affectum illum, quem jam expendi in Virgilio, & ſignari lætitiam, quæ exorta eſt Romano populo ab interitu Clodii. *Cerda.*

 358. *Ad-*

Prospexi Italiam summa sublimis ab unda.
Paullatim adnabam terræ: jam tuta tenebam;
Ni gens crudelis madida cum veste gravatum,
Prensantemque uncis manibus capita aspera montis
Ferre

358. *Adnabam.*] Et hic distingui potest, *paulatim adnabam*, ut sequentibus jungatur, *terræ jam tuta tenebam.* Servius.

Jam tuta tenebam.] Signat hic Apollinem λοξίαν, qui ita responsa dabat, & involuta omnia, & obscura. Dixerat Apollo, Palinurum perventurum ad Italiam, sed oraculum fidem tantum habuit in hac adnatatione, & scopulorum prehensione, qua sibi jam tutus esse Palinurus, & in Italia videbatur. *Cerda.*

Terræ jam tuta.] In codicibus aliquot antiquis legere est, *adnabam terræ & jam tuta.* quæ quidem particula eo loco inserta, narrationis cursum quodammodo videtur impedire. *Pierius.*

359. *Gens crudelis.*] Lucanorum. Et dicit eum à Veliensibus interemptum: ut, *Portusque require Velinos.* Sane sciendum *Veliam*, tempore, quo Æneas ad Italiam venit, nondum fuisse. Ergo anticipatio est, quæ, ut supra diximus, si ex poëtæ persona fiat, tolerabilis est: si autem per alium, vitiosissima est, ut nunc de Palinuro ait: quanquam alii ad divinandi scientiam referant: quasi ab umbra dictum. *Velia* autem dicta est à paludibus, quibus cingitur, quos Græci ἕλη dicunt. Fuit ergo *Hella*; sed accepit digammon, & facta *Velia*, ut *Enetus*, Venetus. *Serv.*

Ni gens crudelis.] Tale quid Od. λ. ὅτε μ' ἀνάρσιοι ἄνδρες ἐδηλήσαντ' ἐπὶ χέρσου, &c. Sequens autem versus *Prensantem*, &c. vim illius referre videtur Od. λ. de Sisypho, in adversum & assurgentem montem nitente: ἤτοι ὁ μὲν σκηριπτόμενος χερσίν τε ποσίν τε· ut & Apoll. χηλὰς σκηρίπτοντε, de bobus. Alludit autem Maro ad Ulyssem Homericum: qui cum naufragus terræ, beneficio Inus, adnasset, importuosum litus & maris altitudine & objectu procurrentium scopulorum, capere non poterat: eo loco, cui initium est: οὐ γὰρ ἔσαν λιμένες νηῶν ὄχοι, οὐδ' ἐπιωγαί. Ille autem versus Homericus huic Maroniano respondet: ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἐπεσσύμενος λάβε πέτρης, τῆς ἔχετο στενάχων. Post autem paulo non *uncas*, sed θρασείας χεῖρας dixit: ὡς τοῦ πρὸς πέτρῃσι θρασειάων ἀπὸ χειρῶν ῥινοὶ ἀπέδρυφθεν. Item ad ἀκρωνυχίαν videtur etiam Poëta alludere, quæ vel ἀπὸ τοῦ ὄνυχος, id est, jugo montis nomen habet, vel quod, qui scandunt & contendunt in supremos arduosque montes, vel ipsis unguibus, ut uncis, niti consueverint. Tale quid Lycophron de Ulysse, καὶ χεῖρας ἄκρας, αἷς κρεαγρεύτου πέτρας μάρπτων ἀλιβρώτοισιν αἱμαχθήσεται στόρθυγξι. *Germanus.*

360. *Prensantemque uncis manibus.*] De naufrago Lucilius lib. 10. Satyr.

Tu naufragio expulsus uspiam saxis fixu.
asperis
Eviseeratus latere penderes saxa spar-
gens tabo.

Et de naufragio etiam Seneca epist. 53. *Quæ putas me passum, dum per aspera erepo, dum viam quæro, dum facio.* Locutus vero est Virgilius ex imitatione Homeri, qui de Ulysse,

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἐπεσσύμενος
λάβε πέτρης:

Utraque vero manu irruens apprehendi.
petram.

& addit, τῆς ἔχετο στενάχων, *quam tenui ingemiscens.* Hanc adrepentis homini. difficultatem ita expressit Dio Chrysost. orat. 7. προσβὰς πάνυ χαλεπῶς πρός τι ὑψηλόν. Est hoc fere, quod dixit Philo in lib. de confusione linguar. ἀντὶ μὲν γὰρ ποδῶν χερσὶν, ἀντὶ δὲ χειρῶν ποσὶ χρῆται: *pedes funguntur officio manuum; manus, pedum.* Adreptantes pe
præci

Ferro invasisset, prædamque ignara putasset,
Nunc me fluctus habet, versantque in litore venti.
Quod te per cæli jocundum lumen, & auras,
Per genitorem oro, per spem surgentis Iuli;
Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram
Injice,

præcipitia πετροβάτας vocat Appianus lib. 4. ἐμφυλ. Plautus in Rudent. de iisdem *saxum capessere*. Loquitur enim de fœmina, passa naufragium, & ascendente ad scopulum ad vitam tuendam. Hic tu nota, Homerum dixisse λάβε, ἔχετο, perfecta locutione, à quo tamen prudentissime recessit Virgilius, & per imperfectum, *jam tuta tenebam*, ad signandam rem, quæ caruit successu. Cum historia Virgiliana similis ea, quæ habetur in Oedip. Senecæ de Lajo interfecto, quem

— subita prædonum manus
Aggressa ferro, facinus occultum tulit.

Cerda.

Prensantemque uncis manibus.] Quod est naufragorum. sic Sil. Ital. l. 4.

Ille celer nandi, jam jamque apprendere tuta
Dum parat, & celso connixus corpore prensat
Gramina summa manu.

Emmeness.

Capita aspera.] Aspera saxorum, quæ ex montis radicibus, veluti capita in mari extant. *Donatus.*

Montis.] Saxi: ut, *Fertur in abruptum magno mons improbus actu:* pro *saxo*. E contrario, *Saxi de vertice pastor:* pro *montis*. Nam sunt ista reciproca. *Serv.*

361. *Prædamque.*] Vel prædonem è navi dejectum: vel hostem deturbatum, qui Lucanis prædæ esset. *Taubm.*

362. *Me fluctus habet.*] Quia secundum Philosophos corpus solum nostrum est, quod nobiscum perit. Anima enim generalitatis est: & adeo non est nostra, ut etiam in alia corpora plerunque transeat. Ergo *me*, corpus meum: quod est hominis proprium. Est autem Homeri, αὐτὰς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν. *Servius.*

Versant in litore.] Ne in profundo esse videretur. *Donatus.*

In litore.] Exemplaria quædam vetera, *in litora* accusativo casu legunt: quod nescio quid magis miserabile præ se ferret, dum cadaver scopulis illidi sæpius ostenderet. Quamquam *in litore* casu sexto minime displicet, ut longe plures habent codices. *Litus* enim non tam de sicco, quam etiam de asperginibus & extrema maris ora intelligitur. *Pier.*

363. *Cœli jocundum lumen.*] Bene *jucundum* addidit. Est enim apud inferos, sed non jucundum. *Serv.*

Per jocundum.] Quia apud inferos non est jucundum. Quasi dicat, per id ad quod cupis remeare. *Donatus.*

Quod te per c.] Obtestatio ex Od. λ. de qua Macrob. lib. 5. cap. 7. Scalig. lib. 5. cap. 3. Omnia, *inquit*, precantis excussit loca, longe melius, quam Homerus. Certe illa malorum suavissima deprecatio est, cum à mortuo excitatur apud vivum vitæ memoria:

— quod te per cæli lumen:

& addit; *jucundum*. Est enim & apud inferos lumen, sed non *jucundum*. neque ambitiosam petiit sepulturam: sed, *aut mihi terram Injice:* &,

— namque potes. Taubm.

364. *Per genitorem.*] Cujus causa tot subis labores. *Donatus.*

Per spem.] In antiquis omnibus exemplaribus quotquot habui, *spes* numero multitudinis legitur: non Poëtis tantum, verum & oratoribus notum. Fab. Quintilianus, *O meas spes inanes.* Pierius.

Per spem surg.] De hoc 10. Æneid. ℣. 524. *Taubm.*

365. *His, invicte, malis.*] Qui inferos subire potuisti. *His* autem, ac si diceret, quæ cernis. *Servius.*

Injice, namque potes; portuſque require Velinos.
Aut tu, ſi qua via eſt, ſi quam tibi diva creatrix
Oſtendit, (neque enim credo ſine numine divom
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem)
Da dextram miſero, & tecum me tolle per undas;

Sedi-

His malis.] Captat hinc commiſerationem. *Donatus.*

Eripe malis.] Sic Petron. *Eripe me latroni cruento.* Emmeneſſ.

Terram injice.] Bene ante majus petiit, ut vel hoc impetraret. Terræ autem injectio ſecundum pontificalem ritum poterat fieri & circa cadaver, & circa abſentium corpora quibuſdam ſolennibus ſacris. *Servius.*

Injice terram.] Oſtendit facilitatem. *Donatus.*

Mihi terram Injice.] Ita & Græci γῆν ἐπιβάλλειν dicebant. Erat genus ſepulturæ, quod per *injectionem glebæ* fiebat: ut cum quis in cadaver inſepultum incidiſſet. nam inſepultum relinquere, nefas habebatur, quod porca expiandum eſſet. Horat. l. 1. Oda 8.

—— *licebit Injecto ter pulvere curras.*

Atque eadem erat & Græcis opinio, & pulveris injiciendi religio: poſtquam Buziges primum Athenis diris eum devoverat, qui cadaver inſepultum præteriiſſet. Vide Turn. lib. 16. cap. 22. & lib. 25. cap. 6. & Cæl. lib. 17. c. 20. Terræ autem hanc injectionem, ſecundum Pontificalem ritum, potuiſſe fieri & circa cadaver, & circa abſentum corpora quibuſdam ſolemnibus ſacris. *Taubmannus.*

366. *Namque potes.*] Quia ubique eum rerum divinarum inducit peritum. *Servius.*

Portus require Velinos.] Renova laborem quærendi. *Donatus.*

Velinos.] Nempe vocandos aliquando Velinos, per ἀναχρονισμόν. Eſt enim *Velia* Lucaniæ oppidum, poſt annum demum amplius ſexcenteſimum, quam Æneas in Italiam venit, conditum. Itaque hic locus, qui vapulat apud Agell. lib. 10. c. 16. defenditur à Pontano in Antonio. Excuſat quoque Turneb. lib. 22. cap. 1. hanc uſurpationem ex verbali notatione & ſignificatione, quod *Velinus* ſit paluſtris, παρὰ τὸ ἕλος, quaſi dicat, require portum paluſtrem. *Taubmannus.*

Portus require Velinos.] Ad hunc locum ſimilia exempla habet Rutgerſ. var. lect. l. 3. c. 2. *Emmeneſſ.*

367. *Si qua via eſt.*] Si eſt ulla ratio. *Servius.*

Aut ſi qua via eſt.] Oſtendit illum poſſe, & quia tanto vir eſt corporis robore, & animi ingenio: quia natus ex diis, quia Venerem matrem habet, quia ſibi majora dii conceſſerunt, quando viventi hunc deſcenſum permiſerunt. *Donatus.*

Diva creatrix.] Rerum omnium generaliter. *Servius.*

Diva creatrix.] Venus mater: quæ *creatrix* vel tui, vel generaliter rerum omnium. *Taubm.*

368. *Credo.*] Antiqui plerique codices, *crede* legunt imperandi modo. ut aſſerendo adeſſe numen Æneæ, argumentetur ab eo, quod facile fieri poſſit. Sed enim hujuſmodi lectio ſatis mihi nequaquam facit. *Pierius.*

369. *Innare.*] Navigare: more ſuo. *Servius.*

370. *Da dextram.*] Præſta auxilium. Umbra enim nunquam tenetur: ut, *Ter fruſtra compreſſa manus effugit imago.* Idem.

Da dextram.] Patroclus apud Hom. 23. Il. ſimili fato ab Achille petit manum ſibi dari. καί μοι δὸς τὴν χεῖρα: Nazianzenus orat. 24. δίδωμι δεξιὰν κοινωνίας: *do dextram ſocietatis.* Cerda.

371. *Se-*

Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.
Talia fatus erat, cœpit cum talia vates:
Unde hæc, ô Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque severum
Eumenidum aspicies, ripamve injussus abibis?
Desine fata deûm flecti sperare precando.
Sed cape dicta memor, duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longe lateque per urbis
Prodigiis acti cælestibus, ossa piabunt;

Et

371. *Sedibus ut saltem.*] Ut saltem in morte requiescam sedibus placidis. Et bene: quia nautæ semper vagantur. *Servius.*

372. *Cœpit cum talia vates.*] Respondet Sibylla, cui leges inferorum notiores essent. *Donatus.*

373. *Tam dira cupido.*] Cupiditas ex deorum ira veniens, aut certe magna: ut, *An sua cuique deus fit dira cupido?* Servius.

374. *Severum.*] Tristem, & hæc reciproca sunt, ut contra *judex tristis, & integer*, id est, severus. *Idem.*

375. *Eumenidum.*] Circa quem habitant Eumenides, per Antiphrasim dictæ. *Idem.*

Ripamve injussus abibis.] *Abeo*, intus eo, sicut supra diximus: quanquam alii *adibis* legant. *Idem.*

Abibis.] Placet Servio *abibis* legere, & elocutionem eam, *abeo in Tuscos*, figura simili superius commendavit, super eo versu, *Quo regnum Italiæ Libycas averteret oras.* Sed enim antiqua pleraque exemplaria non minus hic *adibis*, quam superius *adverteret* legunt. Opinio vero Servii, ut *abibis* legendum sit: cujusmodi lectio in Mediceo, & nonnullis antiquis aliis exemplaribus invenitur: mihi, ut elegantior & eruditior figura, sane quidem placeret, nisi Valerius Probus *adibis* legendum admoneret, loco hoc in testimonium citato, ubi *ad* præpositionem semper brevem esse tradit: sive loquelis, sive casibus inserviat. *Pierius.*

376. *Desine fata deûm flecti sperare precando.*] Fata quæ semel decreverunt. & locutus est secundum Epicureos, qui dicunt, *Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.* Servius.

Fata.] Fatum dixit judicatum, cujus firmitas moveri non possit. *Donatus.*

Desine, &c.] Sentit Fatale decretum de insepultis non trajiciendis, immutabile esse.

Nec benè pro meritis capitur, nec tangitur irâ.

Taubmannus.

377. *Duri casus.*] Impossibilis ad mutationem. *Servius.*

Longe lateque per urbis.] De historia hoc traxit. Lucanis enim pestilentia laborantibus, respondit oraculum, manes Palinuri esse piacandos. Ob quam rem non longe à Velia & lucum, & tumulum cenotaphion dederunt. *Servius.*

379. *Prodigiis acti cœlestibus.*] Compendiose & pestilentiam ortam, & petitum significavit oraculum. *Idem.*

Piabunt.] Placabunt, expiabunt. *Idem.*

Ossa piabunt.] Ὀστέα ὁσιώσουσι· hoc est, velut procurátionibus expiabunt, luent cædem Palinuri. Alia est autem nonnunquam hujus vocis vis, ut apud Propert. eo loco: *Nam quid Medeæ referam quo tempore matris Iram natorum cæde piavit Amor?* hoc est, piaculo quodam satiavit. *Germanus.*

Et statuent tumulum, & tumulo sollemnia mittent,
Æternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curæ emotæ, pulsusque parumper
Corde dolor tristi: gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant
Navita quos jam inde ut Stygia prospexit ab unda
Per tacitum nemus ire, pedemque advertere ripæ,
Sic prior adgreditur dictis, atque increpat ultro:

Quis-

381. *Æternum.*] In æternum: & est adverbium. *Servius.*

Æternumque locus Palinuri nomen habebit.] Simile illud, quod de Miseno præcessit: ac similis quoque Pelori historia, qui innocens in mare Siculum ab Annibale præcipitatus, sepulcri honorem & statuam obtinuit; atque ab se loco nomen reliquit. Narrat Valerius libr. 9. cap. 8. Lege Plinium libr. 3. capite 5. Similis Canobi, qui gubernator fuit navis illius, qua vehebatur Menelaus, quique mortuus nomen loco dedit, quod in Ægyptiaca scribit Aristides ex Græcis. & Ammianus libr. 22. Itaque tres gubernatores Palinurus, Pelorus, Canobus, navium, Æneæ, Annibalis, Menelai submersi nomen locis dedêre. Canobum alii dicunt *Canopum*, ut & Canopicum otium, cui nomen dedit. Ab historia Pelori illustrabitur Horat. Od. 13. lib. 13.

— *navita Bosphorum Pœnus perhorrescit.*

memor quippe ruinæ naucleri Punici. *Cerda.*

Palinuri.] Plus est quam si *tuum* diceret. *Servius.*

382. *Parumper.*] Id est, paulatim lætari cœpit. Spem enim solam non præsens acceperat beneficium. Unde bene dictum est: quasi ab eo magna moderatione dolor recessit. Alii *parumper*, valde parum volunt. *Idem.*

383. *Gaudet cognomine terra.*] Nominis sui similitudine. Facit autem *hic* & *hæc cognominis*. Nam in Plauto lectum est, cum una de Bacchidibus diceret, *Illa mei cognominis fuit.* Quod autem communi genere in *e* misit ablativum, metri necessitas fecit. *Idem.*

Terra.] In antiquis porro omnibus exemplaribus, quotquot versare contigit, scriptum animadverti *terræ* genitivo casu. Nempe ut *cognomine* substantivum sit: aliter ex Prisciani præceptione ablativum in *e* mittere non posset. Sed enim alia quoque adjectiva in *is*, quorum neutrum exeat in *e*, ablativum casum in *e* & in *i* mittere reperiuntur: ut *à cœleste sagitta* dictum ab Ovidio. *Pierius.*

384. *Ergo.*] Placet explicatio Canteri lib. 4. Nov. Lect. c. 26. ut hic *ergo* sit, *inde*. Sicut in Propertio lib. 3. el. 2. & quia similis vox *igitur*, sæpe in Plauto ponitur pro, *inde*, *deinde*, *postea*. Demum quia Græcum εἶτα sæpe Cicero vertit *ergo*. Cerda.

385. *Navita.*] Epenthesis: ut, *Mavors*. Servius.

Inde ut Stygia prospexit ab unda.] Ut, *Siculo prospexit ab usque Pachyno.* Et hinc ostenditur, quod diximus juncta esse hæc tria, Acheronta, Stygem, Cocytum. De his autem nascuntur alia: unde est, *Et novies Styx interfusa coërcet.* Idem.

386. *Per tacitum nemus.*] Aut solum: aut ipsi taciti, id est, tacite. *Idem.*

387. *Adgreditur dictis.*] Hoc sermone ostendit iratum. *Idem.*

Atque increpat ultro.] Ad hunc credo locum spectat Statius in epicedio patris lib. 5.

Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias: jam istinc & conprime gressum.
Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporæ:
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me sum lætatus euntem
Accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque:
Dis quamquam geniti, atque invicti viribus essent.

Tar-

b. 5. Silvar. optans, ut
— *nullo sonet asper janitor ore.*
;erda.

Increpat ultro.] Non compellatus adritur atque incusat eos iratis dictis. Jam & verbum *aggredi* vehemens est. 'aubmannus.

388. *Quisquis es armatus.*] Bene à roscriptione cœpit: ac si diceret, niil pium molitur armatus. *Servius.*

Quisquis es, &c.] Personam impeiosam *Nautæ*, in Charonte expendit calig. lib. 3. cap. 16. *Taubm.*

389. *Quid venias.*] Cur? nam aderbium est. *Servius.*

Jam istinc.] A loco, in quo es. *Idem.*

390. *Locus est.*] In Romano codice bsque verbo substantivo legitur, *hic ocus & somni.* Pierius.

391. *Corpora viva.*] Quia, ut supra iximus, sunt corpora etiam mortuoum, quæ tantum videntur, id est, umoræ. *Servius.*

392. *Nec vero Alciden.*] Dat exemla eorum, qui apud inferos illicita ommisissent sub occasione, quod deoum originem ducerent. *Donatus.*

Nec vero Alciden me sum lætatus euntem Accepisse lacu.] In codicibus aliuot antiquis legere est, *nec vero Alciden nec sum lætatus*, ut sit ordo, Nec ero sum lætatus accepisse lacu nec Alciden, nec Thesea. Sitque negatio lla, quæ superhabundare videbatur ad najorem intensionem, ut apud Græos frequentissimum. Quod vero non rocedere ait Servius Alcidæ nomen ἀπὸ τ͂ ἀλκῆς impositum fuisse, quia ognomina dentur ab accidentibus, & Iercules id nominis à prima ætate habuerit. Quid obsecro obstat, quin cognomen id Herculi & à prima infantia, & ab accidentibus inditum agnoscamus: qui passim legamus eum in cunabulis, haud multo postquam est natus, geminos angues suis manibus suffocasse, magnasque ea ætatula præ se tulisse vires, & indomitum robur. *Pierius.*

Me sum lætatus euntem.] Lectum est & in Orpheo, quod quando Hercules ad inferos descendit, Charon territus eum statim suscepit. Ob quam rem anno integro in compedibus fuit. Ideo ergo *non lætatus*, scilicet propter supplicium suum. Sane Alciden volunt quidam dictum ἀπὸ τ͂ ἀλκῆς, id est, à virtute, quod non procedit: quia à prima ætate hoc nomen habuit ab Alceo patre Amphitryonis. Et scimus agnomina ab accidentibus dari. *Servius.*

393. *Lacu.*] Ita nunc vocat, quem supra *fluvium*, *stagna*, *paludem.* Cerda.

Thesea Pirithoumque.] Vide Horat. lib. Carm. 2. *Amatorem trecentæ Pirithoum cohibent catenæ*: Hom. Θησέα Πειρίθοόν τε θεῶν ἐρικυδέα τέκνα. *Germanus.*

Thesea.] Fabulas jam libavi explicans. & illa satis. Qui plura volet, legat Alciatum lib. 10. Parerg. c. 8. ubi & de etymo Pirithoi. *Cerda.*

394. *Quamquam.*] Ac si diceret, hoc in te nondum probavi, scilicet per simulationem. Nam noverat. *Servius.*

Dis quamquam geniti.] Nam Hercules, Jove, quod certum: Theseus, Neptuno, quod, præter alios notat Muretus in Scholiis ad Propertium. Plutarchus, quamvis illius paternum genus

 ad Erech-

Tartareum ille manu custodem in vincla petivit;
Ipsius à solio regis traxitque trementem:
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Qua

ad Erechtheum, maternum ad Pelopem referat, sed tamen de illo, & Romulo ait: ἄμφω μὲν ἀνέγγυω καὶ σκότιω γενόμενοι, δόξαν ἔσχον ἐκ θεῶν γεγονέναι: *ambo illegitima & obscura stirpe, opinionem habent divinorum natalium.* Porro Pirithoum Juppiter ipse agnoscit filium ex uxore Ixiona, loquens cum Junone Il. 4. Nondum vidi, vel si vidi, non subit, qua fabula ductus Muretus nepotem dicat, non filium. Verba Jovis sunt: — ἠρασάμην Ἰξιονίης ἀλόχοιο,

Ἣ τέκε Πειρίθοον, θεόφιν μήστωρ' ἀτάλαντον:

— captus fui amore Ixioniæ uxoris
Quæ peperit Pirithoum, diis prudentem similem.

Fiet hoc manifestius adeunti locum. Hoc etiam astruunt natales ipsius Pirithoï, & ratio nominis. de quo vide Alciatum dicto loco. *Cerda.*

395. *Tartareum.*] Una injuria, privare omnes inferos suo custode. *Donat.*

Custodem.] Hesiodus in Theog.

— δεινὸς δὲ κύων προπάροιθε φυλάσσει:
— *Sævus canis custodit præ foribus.*

Propert. lib. 3. eleg. 4.

Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus.

Valer. Flaccus 3. Arg. vocat illum, canem Eumenidum. Horatius lib. 3. Od. 11. janitorem aulæ inferorum: sicut & Virgilius infra. Ad idem pertinet dici de illo à Tibullo lib. 1. eleg. 3.

— *iratus excubat ante fores.*

Ergo qui custos, qui janitor, qui excubitor est, recte fingitur ab Statio & Tibullo esse in foribus ipsis inferni. Prior 2. Theb. de illo, *recubans in limine.* Posterior lib. 1. eleg. 3.

Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet.

Scio hunc versum aliter ab aliis legi. Acceperunt ab Hesiodo, quem jam adduxi. Sed cur Virgilius, non canem aut Cerberum, sed signate *custodem* Invenio acumen ex affinitate vocu ista, *custodem in vincla.* Nam quæ auda cia facere, ut custos vinctorum sit ips in vinculis? hoc ausus Hercules. *Idem*

In vincla petivit.] Hercules à pruden tioribus, mente magis, quam corpor fortis inducitur, adeo ut duodecim ejt labores referri possint ad aliquid. Nan cum plura fecerit, duodecim tantum e assignantur, propter agnita duodecin signa. Quod autem dicitur traxisse a inferis Cerberum, hæc ratio est: qui omnes cupiditates & cuncta vitia terre na contempsit, & domuit. Nam Cer berus terra est, quæ est consumtrix cor porum. Unde & Cerberus dictus e quasi κρεοβόρος, id est, carnem vorans Unde legitur *Ossa super recubans.* Nan ossa citius terra consumit. *Servius.*

396. *Ipsius à solio regis.*] Atque Cer berus statim post flumina est: ut, *Cer berus hæc ingens latratu regna trifau Personat.* Nam illic quasi est aditus infe rorum. Solium autem Plutonis inte rius est. Ergo aut ad naturam canun referendum est, qui territi ad domino confugiunt: aut *solium* pro imperio ac cipiendum est. Ut alibi *arces* pro impe rio posuit: ut, *Imbellem avertis Roma nis arcibus Indum*: cum Indi usque a primos venerint fines, non usque a arces. *Idem.*

Ipsius à solio.] Alia ipsius regis inju ria. *Donatus.*

Trementem.] Injecit timorem Her cules illi, qui neminem timuit. *Idem*

397. *Hi dominam Ditis.*] Aut d Græco tractum est, quia uxorem δέσποι ναν dicunt: aut *Ditis thalamo*, ut do minam Charon ad se retulerit. *Serv.*

Hi dominam Ditis.] Pejus conati sun quam ille. Quot hic loca sunt accusa tionis? Facere vim uxori alienæ: uxo regis & præsentis: ipsi quoque reginæ

& ha

Quæ contra breviter fata est Amphrysia vates:
Nullæ hic insidiæ tales; absiste moveri:
Nec vim tela ferunt: licet ingens janitor antro
Æter-

hæc à persona. A loco vero, de ipso ılamo, quem nosse præter maritum mini licuit. A facto, extrahi, quem neste tangere non licuit. *Donatus.*

Dominam Ditis.] *Dominæ* peculiari- vocabantur reginæ & Augustæ, i. peratorum & Regum uxores: ut æcis *δέσποιναι*: quo nomine hic Pro- pinam honorari ajunt Turneb. lib. . cap. 6. & inprimis Cælius lib. 24. p. 17. Videatur & Pimpontius. Alii, Donatus, Nascimb. & hæsitanter am Servius, non conjungunt, *Do- nam Ditis*: Sed dominam ipsius Cha- ntis intelligunt. *Taubm.*

Adorti.] In antiquis plerisque exem- aribus, *adorsi* legitur: bonaque eo- m pars, in quibus *adorti* legitur, *t* il- l suppositicium habet, abrasa prius *s* era. *Pierius.*

398. *Quæ.*] In antiquis plerisque co- cibus, *quæ* legi: ut sit, *contra quæ*. Ea licet, quæ Charon objecerat. Sanè Mediceo *quæ* scriptum apparet ex no- diphthongi, licet superinducto api- , lectionem aliquis mutare tentave- : in quibusdam *quem*. Idem.

Breviter.] Quia quæ justa sunt, lon- sermone non egent. *Donatus.*

Amphrysia vates.] Apollinea: & est nge petitum epitheton. Nam Am- ıryſus fluvius est Thessaliæ, circa quem pollo spoliatus divinitate à Iove irato dmeti regis pavit armenta: ideo quia ciderat Cyclopas fabricatores fulmi- um, à quibus fulminibus Æsculapius tinctus est, Apollinis filius, quia ippolytum ab inferis herbarum po- ntia revocaverat. *Servius.*

399. *Hic.*] Veteres aliquot codices, *nc* de loco legunt: ut sit, *hinc* scilicet nobis. Placet tamen & *hic*, ut in ediceo est. *Pierius.*

Nullæ insidiæ.] Loquitur ergo con- , ut dixit. Nam loquitur contra illa, quæ suspicabatur. *Donatus.*

Absiste moveri.] Pari forma (notante Rittershusio) Columella lib. 22. c. 19. *Nec absistat id facere.* & Phædrus. *Amare absistite.* Cerda.

Absiste moveri.] i. desine moveri. Simili formâ Æn. 8. *absiste precando*, i. precari. Et Livius: *absistere obsidendo*, i. obsidere. Vide C. Rittershus. ad illud Phædri, p. 41. *vos timere absistite.* Taubmannus.

400. *Nec vim tela ferunt.*] Ac si diceret, tantum repellunt. *Servius.*

Nec vim tela ferunt.] Confutat, quod ille vehementer timebat. Fertur enim ferrum plerunque, non ut inferatur, sed ut repellatur injuria. *Donatus.*

Nec vim tela ferunt.] Possit videri allusio ad Græcam Parœmiam Ἄρης τύραννος. ubi enim ferrum est in manu, jus omne confunditur, & id potuit Charon timere, ubi armatum vidit. ita Lucanus lib. 1.

—— *ferrique potestas*
Confundit jus omne manu.

& Seneca in Hippol. *Pro jure vires esse.* Hanc itaque suspicionem Sibylla amovet. *Cerda.*

Nec vim tela ferunt.] Eo se pacto purgat Orpheus ad inferos descendens. Ov. l. 10. Metam. ℣ſ. 20.

—— *non huc, ut opaca viderem*
Tartara, descendi: nec uti villosa colubris
Terna Medusæi vincirem guttura monstri.

Emmeness.

Licet.] Fas est. & concedentis adverbium, sicut *Esto*. Servius.

Antro.] Apud Senecam, nisi codices corrupti sunt, legere est, *licet ingens janitor orci.* Reliqui codices *antro* legunt. *Pierius.*

Ingens janitor antro.] Cerberum innuit, canem triformem. dictus autem quasi κρεοβόρος. Mortis symbolum. *Hartung.*

401. *Æter-*

Æternum latrans exſanguis terreat umbras:
Caſta licet patrui ſervet Proſerpina limen.
Troïus Æneas, pietate inſignis & armis,
Ad genitorem imas Erebi deſcendit ad umbras.
Si te nulla movet tantæ pietatis imago,
At ramum hunc (aperit ramum qui veſte latebat)
Adgnoſcas. tumida ex ira tum corda reſidunt.
Nec plura his. ille admirans venerabile donum
Fatalis virgæ, longo poſt tempore viſum,

Cæri

401. *Æternum.*] Adverbium eſt, ut ſupra: & ſubauditur bis, *& æternum* latrans, & *æternum* terreat, id eſt, ſemper latrans. *Servius.*

Æternum latr. exſang. terr. umbras.] Κέρβερε δειμαλέην ὑλακὴν νεκύεσσιν ἰάλλων· Epigr. 3. Et Propert. in lenam:

Cerberus ultor Turpia jejuno terreat oſſa ſono. Germanus.

Terreat umbras.] Ita Seneca in Fur. *Hic ſævus umbras territat Stygius canis.* Cerda.

402. *Caſta.*] Sic dictam Proſerpinam vult Germanus, ut ab Homero ἁγνὴν Περσεφόνην, *caſtam puramque Perſephonem.* διὰ τὸ (ut ait Euſtathius) πυρὸς ἁγνισμὸν τῶν νεκρῶν, quod mortui igne purificentur. Sed poſſit quoque Poëta ſimpliciter accipi, ut 2. G.

Caſta pudicitiam ſervat domus.

Quod Horatius vertit Od. 2. Epod.

Quid ſi pudica mulier. Idem.

Patrui.] Quia Jovis eſt filia ex Cerere. *Servius.*

Servet.] Obtineat, cuſtodiat, inhabitet, ut, *Sola domum & tantas ſervabat filia ſedes.* Idem.

Servet limen.] Cuſtodiat domum. Æn. 7.

—— *tantas ſervabat filia ſedes.*

Taubmannus.

403. *Troïus Æneas.*] Id eſt, à diis originem ducens. *Serv.*

Pietate inſignis & armis.] Propter illud, *Pauci quos æquus amavit Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.* Idem.

Pietate & armis.] Nam propter pi tatem deſcendit ad patrem: propt vero fortitudinem non reformida pericula, quæ ſunt apud inferos. *D*

404. *Erebi.*] *Erebus* proprie eſt p inferorum: in qua hi, qui bene vix runt, morantur. Nam ad Elyſium n niſi purgati perveniunt: unde eſt, *pa ci læta arva tenemus.* Hinc fit, ut quær tur, an animæ de Elyſio in corpora pc ſint redire? & deprehenſum eſt n redire, quia per purgationem care cupiditate. *Servius.*

405. *Si te nulla movet.*] Neceſſita vult perſuadere, quia ſcit manes nu re flecti: ut, *Scirent ſi ignoſcere man* Idem.

Pietatis imago.] *Pietas* per periph ſim dicta, ut *Vis Herculea*, id eſt, He cules. *Idem.*

406. *Aperit.*] Nudat: ut, *Aperi procul montes ac volvere fumum.* Idem

407. *Tumida ex ira tum corda re dunt.*] Sic & Horat. *difficili bile tum jecur*: ab Homeri imitatione utrur que: ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ· Apollon. 3. φρένες αἰακίδαο νεόθεν ο δαίνεσκον· & Perſ. *ſub pectore maſcu bilis Intumuit, quam nom extinxerit n na cicutæ.* Germanus.

408. *Nec plura his.*] Nec eſt aliqu ulterius dictum vel à Sibylla, vel à Ch ronte poſt ramum viſum. *Servius.*

409. *Fatalis virgæ.*] Ut ſecutum e *Si te fata vocant.* Idem.

Longo poſt.] Aut adverbium, aut pr poſitio antique poſita. *Idem.*

410. *C*

Cæruleam advertit puppim, ripæque propinquat.
Inde alias animas, quæ per juga longa sedebant,
Deturbat, laxatque foros: simul accipit alveo
Ingen-

410. *Cæruleam advertit puppim.*] m hic color detur undis, & mari, il mirum detur etiam navibus. Va- 8. Arg.

— *cærulei timor æquoris.*

udian. 2. Ruff. *vada cærula.* & 3. nf. Honor.

utrit equos, qui summa freti per cæ-
rula possint
rre viam.

tull.

unc è cæruleo creata ponto.

c pertinet, Neptunum aquarum m dici cæruleum oculis teste Tul- 1. Nat. *Cæsios* (ait) *oculos Minervæ, uleos Neptuno.* Hoc mihi placitum. tu sequere sententiam Thylesii, ait, cærulei coloris esse speciem ni- m, eoque olim vestitu Græcas fœ- nas amictas solere funus producere, deque colorem hunc pro tristi capi, ue ideo à Virgilio dici Cymbam arontis cæruleam, id est, tristem. rte Theocritus in encomio Ptolo- ei vocat Charontis ναῦμα κυάνεον. t hoc, quod supra de nave ejusdem arontis *ferruginea cymba.* Nam in ss. *ferrugineum*, γλαυκόν, κυάνεον. *C.*

Alias animas.] Quo facilius Æneam ret. *Donatus.*

411. *Juga.*] Græce dixit. ζυγὰ enim cunt, quæ *transtra* nominamus. *Serv.*

Juga.] Sunt , *juga* tabulæ illæ na- ularum prominentes ad latera, qui- s aqua arcetur. Explicui *sedes nauti- s.* Docte enim ex Eustathio observat ermanus esse juga ναυτικὰς καθέδρας. inde naves dici ἑκατονζύγες, πολυ- ύγες, quæ centum multasve sedes ha- ant. Ad hunc locum pertinent, quæ xi lib. 5. ex Lilio ad illud, *Considunt ansstris.* Itaque ex interpretatione iam Servii, *juga*, hic sunt transtra, i sunt remiges, nam animæ ipsæ vi- remigum fungebantur, ideo *sede- nt*, nam sedent in transtris remiges quod habes ex 3. Æn.

Linquere tum portus jubeo, & considere
transtris. & ex 4.
Præcipites vigilate viri, & considite
transtris.

Et quidem remigasse animas, non solum liquidum ex locutione *sedebant per juga*, sed quia ipse vates sup.

— *vel quo discrimine ripas*
Hæ linquunt, illæ remis vada livida ver-
runt. Cerda.

412. *Laxatque foros.*] Tabulata vacuat: ut supra, *Et campos jubet esse patentes.* Multitudine enim remota quasi laxantur spatia. *Servius.*

Foros.] Ut hic *foros* de navi, ita 4. Æn.

Complessemque foros flammis.

Explicui vero vectorum loca sequutus Bulengerum, qui ait, sermonem translatum à Circo, in quo subsellia dicta sunt fori. Livius lib. 10. *A Tarquinio loca divisa patribus equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati.* Juvat Sosipater, qui ait, foros navium esse, ubi sedent nautæ. Neque male ad sedes has nautarum referat quispiam verba Ciceronis de Senect. *Cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant, ille clavum tenens sedeat in puppi.* Sunt qui referant ad καταστρώματα navium, cum Lucian. dixerit, διὰ καταστρωμάτων τρέχειν, quæ respondent Tullianis illis, *per foros cursent.* Sunt autem καταστρώματα, tabulæ quædam, quibus navis superiore ex parte strata est, quæque nautas discurrentes, ac milites propugnantes sustinent. Sed, ut redeam ad foros Virgilianos, possit etiam quispiam accipere concava navium latera, quæ dicta sunt fori, à ferendo. Nam 4. Georg.

Complebuntque foros, & floribus horrea
texent.

Id est, cavos alveolos. *Cerda.*

Alveo.] Fluminis scilicet. & per Synæresim *Alvo* facit. *Servius.*

Alveo.]

Ingentem Ænean. gemuit sub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.
415 Tandem trans fluvium incolumis vatemque virumque
Inforı

Alveo.] Accepi capacitatem naviculæ, & cavum ipsum. Servius male de fluminis alveo intelligit. Propertius clare lib. 3.

Aut quidnam fracta gaudes Neptune carina?
Portabat sanctos alveus ille viros.

& Livius lib. 21. *alveos informes raptim faciebant*, id est, naviculas. Id etiam fit liquidum ex Livio & Plutarcho collatis. Ait prior loquens de natalitio Romuli: *tenet fama, cum fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset*, &c. Ait posterior de eadem re loquens in vita Romuli, ἐνθέμενοι ἐν σκάφῃ τὰ βρέφη, κατέβη μὲν ἐπὶ τὸν ποταμὸν, ὡς ῥίψων: ubi alveus Livii, & Plutarchi scapha, idem sunt. Quin ex Livio adverto, alveos esse idoneos transmittendis stagnis, & locis vadosis: quæ res apte congruit cymbæ, Charontis transmittenti paludinosum Cocytum. verba Livii lib. 10. sunt: *fluviatiles naves ad superanda vada stagnorum apte plana alveis fabricatas complent.* Cerda.

Alveo.] Sc. cymbæ. Et notat Pimpont. alveum & in cymba & curru dici. Propert.

Aut quidnam fracta gaudes Neptune carina?
Portabat sanctos alveus ille viros.

Ita quam Plutarchus σκάφην, Livius *alveum* appellat, quo Romulus & Remus expositi sunt. *Taubm.*

413. *Ingentem.*] Bene hunc solum dicit, ut per transitum ostendat purgatioris animi homines etiam corpora habere leviora: quod de Sibylla vult accipi. *Servius.*

Ingentem.] Aut quod revera esset magnus, aut comparatione exiguæ navis, quæ ad incorporeas animas vehendas inventa esset. *Donatus.*

Ingentem Ænean.] Cum studiose fecerint aliquot eruditi homines, ut indicarent locos Homeri, in quibus oı nem præ cæteris operam posuisse vi tur Fulv. Ursinus, hic tamen prætı missus est, teste Mureto Var. Lect. l c. 5. de sutilibus naviculis Gell. l. ı c. 3. Plin. l. 4. c. 16. & l. 7. c. 56. L. G rald. de navig. l. 7. Turn. l. 28. c. 45. hanc Charontis cymbam novita causa fabricatam existimat. *Emmen*

Gemuit sub pondere.] Præclare co jungit duo hæc verba. Nam *gemo* La num à Græco γέμω, id est, *plenus su* ducitur. Inde Græcis γόμος, est *or navis.* Recte ergo cymba gemit s pondere & onere. Vidit hoc Jos. Sc in Conjectan. *Cerda.*

Cymba sutilis.] Turnebus vult no tatis aucupio à Marone confingi hic ı tilem cymbam, quales fuisse Britann rum scribit Plinius. Tamen ego dub hæreo, num affinitate elementor *s*, & *f*, futilis potius cymba Charon dicta sit à Marone, quæ & rimosa, paludem accipere ab eo dicatur, ut rie & situ obsoleta fatiscens: in qua gnificatione *futilis* est Grammatic hoc est, profluens, nec satis fideli commissum liquorem continens: ı si forte Maro ad veteramenta allud quæ crebris suturis interpolantur & ı novantur, ut navigia tempestatibus a nisque evicta, multis sæpe tabulator & fororum centonibus coassulatis ı sarciuntur. *Germanus.*

414. *Sutilis.*] Intexta, per quod fi gilem ostendit. *Servius.*

Multam accepit rimosa paludem.] hoc, quod Appianus dixit l. 5. Civ de navi confracta: Καὶ τὴν θάλαττ ἀθρόως ἐδέχετο: *confertim mare accep* Senecam jam dedi idem cum Virgil dicentem. Paulinus ita epist. 42. *na undam combibit.* iterum:

Quo cymba multam duxerat rimis aqua
Cerda.

415. *Tandem.*] Aut propter ponc
Æne

Informi limo glaucaque exponit in ulva.
Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans inmanis in antro.
Cui vates, horrere videns jam colla colubris,
Melle soporatam & medicatis frugibus offam
Obji-

neæ, quod est melius: aut propter
ıdis magnitudinem: aut propter cœ-
densitatem. *Serv.*

Tandem.] Aut mora fuit, quia navis
ter solitum esset onusta. vel ex affe-
Æneæ, qui properabat ad patrem.
ıatus.

416. *Informi limo.*] Magno, sine for-
. *Servius.*

Ulva.] Herba palustris. *Idem.*

417. *Cerberus.*] Pausanias in Laco-
is scribit, Homerum primum om-
ım, Ditis canem appellavisse illum,
em Hercules extraxit, neque nomen
oprium imposuisse, neque de ejus
ıra quicquam fabulatum, uti de Chi-
era, & aliis monstris. Posteriores
nen Cerberum appellavisse, & cum
tera cani fecissent similem, tria ta-
en illi capita assignasse. Seneca in Fu-
ıte Virgilio insistens, ita cecinit:

Hic sævus umbras territat Stygius canis,
Qui terna vasto capita concutiens sono
Regnum tuetur: sordidum tabo caput
ambunt colubri, viperis horrent jubæ,
ongusque torta sibilat cauda draco,
Par ira formæ.

erda.

Latratu trifauci.] Hoc frequentissi-
um de Cerbero. Nam Sophocles in
ach. Ἅδου τρίκρανον σκύλακα, *Pluto-*
s tricipitem canem. Tibullus lib. 3.

ec canis anguinea redimitus terga ca-
tena,
Cui tres sunt linguæ, tergeminumque ca-
put.

vidius 7. Met. de hoc cane,

Implevit pariter ternis latratibus auras.

litto eundem 4. ejusdem operis. &
enecam in Oedip. à quo *triceps* dici-
ır, & in Furente dantur illi *terna ca-*
ta. à Propertio lib. 3. eleg. 18. *tria*
lla. & eleg. 5. ejusdem lib. *tribus fau-*
cibus. Horatius de illo lib. 2. Od. 19.
ore trilingui. Statius 5. Silvar. *terge-*
minus custos. Proper. el. 7. lib. 4. *Ter-*
geminus canis. Mitto etiam Tullium
1. Tuscul. &. Pausaniam in Lacon. Sed
ita hoc frequens, ut tamen Hesiod. in
Theog. illum vocet πεντηκοντακέφαλον,
feram *quinquaginta capitum.* Facit hunc
numerum duplo majorem Horatius l. 2.
Od. 3. nam centum dat:

Demittit atras bellua centiceps
Aures.

Isacius quoque ἔχει ἑκατὸν κεφαλάς.
Fortasse illi dantur tot capita errore
aliquo, nimirum à serpentibus, qui
oberrant toto tergore, scribente sic
Apollodoro lib. 2. ἔχει δὲ οὗτος (præces-
sit, Cerberus) τρεῖς μὲν κυνῶν κεφαλὰς,
τὴν δὲ οὐρὰν δράκοντος, κατὰ δὲ τοῦ νώτου
παντοίων εἶχεν ὄφεων κεφαλάς: *Habet*
hic tria canina capita, caudam draconis,
at in tergore variorum serpentium capita.
Juvat Tibulli versus lib. 1. eleg. 3.

Tum niger in porta serpentum Cerberus
ore
Stridet.

Vide, ut det illi stridorem per serpen-
tium capita. Sed de serpentibus, qui-
bus vallatus, dicam postea. *Cerda.*

418. *Personat.*] Aut personare fa-
cit: aut per regna sonat: & quia de
anima dicturus est, bene facit ante Cer-
beri commemorationem consumptoris
corporum. Lucanus, *Qui viscera sævo*
Spargis nostra cani. Tunc enim animæ
locum suum recipiunt, cum fuerit cor-
pus absumptum. *Servius.*

419. *Horrere videns jam colla colu-*
bris.] Fingit enim pro pilis habere ser-
pentes: & est Hypallage. In collo ejus
horrebant colubræ. *Idem.*

420. *Medicatis.*] Sunt codices ad-
modum vetusti, in quibus *medicatam*
frugi-

Objicit. ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit objectam, atque inmania terga resolvit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.

Occi

frugibus offam legas. Sunt qui ultimam syllabam abrasam ostenteut, ut incertum sit utrum *medicatis*, an *medicatam* scriptum fuerit. Servius tamen *Medicatis* agnoscit. *Pierius.*

Melle soporatam, &c.] Offam ex melle & speciebus soporiferis confectam. Ita 5. Æn. de ramo Somni dixit, eum *vi Stygia esse soporatum.* Alias *soporatus* proprie dicitur, qui sopitus est & conquiescit. Ita *dolor soporatus*, apud Curtium, est, qui interquievit. At vero pernegat Turnebus vim ullam esse in melle soporandi: & si maxime sit; quid aliis frugibus hic fuisset opus? itaque legit; *Melle saporatam:* & addit, Mel ad gratiam saporis tantum adjici frugibus medicatis: quod veteres in omni dulciario solitos esse, qui saccharum nondum noverant. *Saporata* igitur *melle offa* diceretur, & *medicatis frugibus*, non, quod frugibus saporata sit, sed ita dictum est, ut illud 7. Æn.

Ille Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea:

Non enim succingi poterat lituo. Vide eundem lib. 28. c. 45. & l. 29. c. 6. accuratissime de hac re disputantem. Quin & in pervetusto Prisciani libro clare sic scriptum legi, idem annotat. Cui accedit etiam Hadr. Junius Medicus, qui itidem pro vitiosa, ut ait, voce *soporatam*, legendum contendit, *melle saporatam*, id est, delibutam. Qua quidem voce utitur & Sept. Florens, in Libro de Spectaculis: *Nemo venenum temperat felle & helleboro, sed conditis pulmentis, & bene saporatis & plurimum dulcibus id mali injicit.* itemque Ammianus l. 30. *neque saporatis indigeant cibis, &c.* Taubmannus.

Offam.] Hinc est & diminutio *ofella:* sed *f* non geminat. In diminutione enim plerunque multa mutantur. Quod autem ait *melle* allusit ad corpora quæ plerunque cum melle obruuntur. *Serv.*

Soporatam offam.] Ψωμὸν, μύσιλλ
Canicam, Festo. Pacuvius:

Qui apud te quasi servus est caniceum p
nem. Taubm.

Medicatis frugibus.] Quibus adspe sum fuit aliquantum papaveris ad coi ciliandum somnium. Vide Petr. Vict Var. lect. l. 4. c. 3. pro *soporatam* Sa mas. exerc. Plin. p. 1282. *saporatam* l git, ut *saporatus succus, saporatus sangui* Emmeness.

421. *Objicit.*] Verbum signatum. I Minutio jam audisti *jactum offulæ.* H ratius epod. cum allusione ad canen

Projectum odoraris cibum.

Euripides quoque apud Athenæum l. ἐκβάλλειν λείπανα κυσὶν: *Projicere r liquias canibus.* Herodotus lib. 9. na rans fœminæ unius crudelitatem in a teram, μαζοὺς ἀποτεμοῦσα κυσὶ περιέβ λε: *mamillas præcidens projecit canibu* Philostratus lib. 8. de vita Apolloi cap. 12. μείλιγμα τοῖς κυσὶ περιβεβλ δη. Philostratus Junior in Iconib. pa verbo vocat ἀπορρίπτούμενα, quæ can bus projiciuntur. Seneca 3. de Ir. c. 3 *Irasceris ergo catenario cani? & hic, cu multum latravit, objecto cibo mansuesci* Joan. Chrysost. hom. de juramenti hominem, qui canem cibat, voc ῥίπτοντα. *Cerda.*

Rabida.] Est rabies canum. Athen lib. 3. κυνικὴν λύσσαν dixit: *canina rabiem.* Et 3. G. *canibus rabies venit.* Il

422. *Inmania terga resolvit.*] E hoc, quod Ausonius in epigram.

——*terræ terga supina dedit.*]
Idem.

423. *Totoque ingens extenditur a tro.*] Per hoc magnitudo ejus ostendi tur: sicut ait in tertio de Polypheme *Servius.*

Totoque ing. extend. a.] Similis loci 3 Æn. de Cyclope:

——*jacuitque per antrum*
Immensum.

& infi

Occupat Æneas aditum custode sepulto,
Evaditque celer ripam inremeabilis undæ.
Continuo auditæ voces, vagitus & ingens,

Infan-

c infra de Tityo:

—— *per tota novem, cui jugera corpus*
Porrigitur. Cerda.

424. *Occupat Æneas aditum.*] Raptim ıgreditur. *Servius.*

Occupat.] Celeritatis verbum est. O-id. l. 2. Metam. vs. 150. de Phaëtonte, eleriter ascendente currum patris:

Occupat ille levem juvenili corpore currum.

ustin. l. 1. c. 9. *Magus ante famam a-nißi regis occupat facinus.* vide Torrent. d Horat. l. 1. Epist. 7. vs. 66.

Vilia vendentem tunicato scruta popello
Occupat, & salvere jubet prior.

immeness.

Sepulto.] Dormiente sine pulsu, id st, motu. *Servius.*

Sepulto.] Firmat vox ista superiorem ectionem *soporatam.* Nam ita solutus st in somnum Cerberus, ut eo sepul-us esse dicatur. *Cerda.*

425. *Evadit.*] Modo transit. *Serv.*

Inremeabilis undæ.] Aut perpetuum st epitheton, ut diximus supra, ut sit nagnæ pietatis & meriti, quod ipsi con-essum sit reverti, aut ipse etiam Æneæ nremeabilis. Nam per aliam egressus st portam: ut, *Portaque emittit eburna.* Idem.

Inremeabilis.] Iccirco de morte He-iod. Theog.

—— ἔχἰ δ' ὃν πρῶτα λάζῃσιν
Ἀνθρώπων.

Retinet quem semel arripuit hominum. Orpheus in hymno, Κωκυτοῦ ἀνυπόστροφον οἶμον: *Cocyti semitam irremeabilem.* Non alia mente, quam allusione ad hanc sententiam, dixit Apul. lib. 6. de Asin. *inter orci cancros jam ipsos adhæsisti.* Sed locus iste jam supra in hoc libro illustratus. *Cerda.*

426. *Continuo auditæ voces.*] Novem circulis inferi cincti esse dicuntur: quos nunc exequitur. Nam primum animas infantum tenere. Secundum, eorum qui sibi per simplicitatem adesse nequiverunt. Tertium, eorum qui evitantes ærumnas se necarunt. Quartum, eorum qui amaverunt. Quintum, virorum fortium esse dicit. Sextum nocentes tenent, qui puniuntur à judicibus. In septimo, animæ purgantur. In octavo, sunt animæ ita purgatæ, ut redeant. In nono, ut jam non redeant, scilicet in campo Elysio. *Servius.*

Vagitus & ingens.] Fletus infantum. *Idem.*

Continuo, &c.] Dividit loca, ut etiam Plato lib. 10. Polit. sic & Silius lib. 13. sic alii. De quibus divisionibus dicam in sequentibus Notis, ut necessarium videro. Ergo, erant infantes in primo inferorum parte. Hic tu cognosce doctrinam gentilium circa hanc rem. Detinebantur infantes hoc loci tantum temporis, donec implerent ætatem illam, quam victuri essent, si justum cursum ætatis confecissent. Docet me hoc Tertullianus de Anima: *Ajunt & immatura morte præventas eo usque vagari isthic, donec reliquatio compleatur ætatis, quà cum pervixissent, si non imtempestive obiissent.* Nota etiam discrimen Plauti ab reliquis. Certe reliqui animas præmature obeuntium constituunt trans flumen: atqui Plautus in Mostell. scen. *Habeo Neptune:* ita ait:

Hic habito, hæc mihi dedita est habitatio:
Nam me Acheruntem recipere orcus noluit,
Quia præmature vita careo.

Plutarchus etiam de genio Socratis, nulla facta mentione fluviorum ponit μυρίων κλαυθμὸν βρεφῶν: *multorum puerorum vagitum.* Cerda.

Continuo, &c.] Novem Circulis Inferi cincti sunt. In primo sunt Infantium animæ. 2. Damnati falso crimine: quippe qui sibi per simplicitatem adesse nequiverant. Istis Minos præsidet. 3.

Infantumque animæ flentes in limine primo:
Quos dulcis vitæ exsortis, & ab ubere raptos,
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.
Hos juxta falso damnati crimine mortis.

Nec

αὐτόχειρες. 4. Amantes. 5. Bellatores. 6. Nocentes, quibus pœnæ infliguntur, præside Rhadamantho: ut sunt Titanes, Aloidæ, Salmoneus, Tityus, Lapithæ, Ixion, Pirithous; Jurisconsulti, mali-Tutores, Avari, Adulteri, Milites impii, Perfidi. In septimo, Animæ purgantur. In octavo ita sunt animæ purgatæ, ut redeant. In nono, id est, in Campo Elysio, ita perpurgatæ sunt, ut jam non redeant in corpora: quia per purgationem carent cupiditate. In isto versantur Poëtæ, heroës, sacerdotes, artifices ac benefici. Hæc autem de circulis sive sedibus Inferorum pleraque sumpta sunt è libro 10. Platonis de Rep. ubi Erus quidam Armenius narrat, quæ apud Inferos viderit. *Taubm.*

427. *Animæ flentes.*] Poëtice dixit. Sane *ploratus* tantum lachrymarum est: *planctus* tantum vocum: *fletus* ad utrunque pertinet. quæ plerunque confundunt poëtæ. *Servius.*

Infantumque animæ.] Sedes Infantum, quem *Limbum* à Catholica Ecclesia nominari, annotat Erythræus Venetus. *Taubm.*

In limine primo.] Quia de prima subrepti sunt vita. *Servius.*

In limine primo.] Ajunt interpretes primum limen & partem inferorum assignari infantibus, ut qui vix limen vitæ & partem attigerunt, quemadmodum Lucanus dixit lib. 2.

—— *nec primo in limine vitæ*
Infantis miseri nascentia rumpere fata.

Cerda.

428. *Exsortis.*] Expertes, quos Græci ἀκλήρους dicunt. *Servius.*

Dulcis vitæ exsortis.] Quos dulcis vita cito deseruit & fecit *exsortes*, id est, extra sortem vivendi majorem. *Don.*

Ab ubere.] Ad augmentum miserationis, quod insontes à matris uberibus rapti, ante extinguerentur, quam loqui cœpissent. *Idem.*

Raptos Abstulit atra dies.] Male *rapto* legitur in codicibus nonnullis sane quam antiquis. Sed quod *abstulit una dies* in vetustis itidem habetur exemplaribus, lectorem ambiguum faceret, nisi longe plures codices *atra* legerent, & epitheton id longe plura, & quid magis proprium, & huic sententiæ adcommodatius significaret. *Pierius.*

Raptos.] Vox propria. Rapi enim dicuntur infantes, quique cadunt ætate tenera. Vetus inscriptio: *In primo ætatis flore receptus.* Altera non procul à Circo Flaminio:

Rapta sinu matris jacet hic miserabilis infans.

Item in ædibus Cardinalis Cæsii:

Persephone nostris invidit pallida votis,
Et præmaturo funere te rapuit.

Suetonius etiam in Calig. cap. 8. *duo infantes adhuc, rapti.* Cerda.

429. *Abstulit atra dies.*] Muretus Var. Lect. l. 13. c. 2. existimat Poëtam ad consuetudinem veterum respicere: apud quos, qui juvenes immaturam mortem obierant, albescente cælo ante Solis exortum, à propinquis efferri solebant: quod nefas opinarentur tanti mali spectatorem esse Solem. Atque eam ob causam dies ipsa eos auferre ac rapere dicebatur: quod ut primum dies apparere cœperat, auferebantur. *Taubm.*

Acerbo.] Immaturo: à pomis translatio est. *Servius.*

Funere acerbo.] Id est, immaturo: translatio à pomis. Et mortem juniorum proprie *acerbam* dici, ad Plaut. Amphitr. act. 1. sc. 1. diximus. *Taubmannus.*

Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine judice, ſedes.
Quæſitor Minos urnam movet: ille ſilentum
Conciliumque vocat, vitaſque & crimina diſcit.

Proxi-

431. *Sine ſorte.*] Sine judicio. Traxit autem hoc ex more Romano. Non enim audiebantur cauſſæ, niſi per ſortem ordinatæ. tempore enim, quo cauſſæ audiebantur, conveniebant omnes. Unde & *Concilium* ait. Et ex ſorte dierum ordinem accipiebant, quo poſt diem trigeſimum ſuas cauſſas exequerentur. Unde eſt, *Urnam movet.* Juvenalis, *Gratia fallacis prætoris vicerit urnam.* Servius.

Nec vero hæ ſine ſorte.] Budæus in Comment. idem cenſet *dicas ſortiri*, & *cauſas*, ſub his verbis: *Sortes à Judicibus educebantur, & quæ prima dica exierat, prima agebatur: unde illud Virgilii:* Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine judice ſedes: *& illud Satyrici:* improba quamvis Gratia fallacis prætoris vicerit urnam. *Cicer. in Verr.* Deinde cæteras dicas omnes illo foro M. Poſthumius Quæſtor ſortitus eſt: hanc tu illo conventu reperiere ſortitus: *alibi:* Adveniet dies, quo die ex inſtituto dicas ſortiturum edixerat. Nannius tamen vult Ciceronem pro eodem habuiſſe *ſortiri judicium, ſortiri judices, ſortiri dicas.* Germ.

Nec vero hæ ſine ſorte datæ.] Alluſum ex mente interpretum ad ſortiendi rationem in Romano foro. Budæus in Comment. locum hunc ſic tractat: *ſortes à judicibus educebantur, & quæ prima dica ex urna exierat, prima agebatur, unde illud Virgilianum:*

Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine judice ſedes.

Itaque, ſicuti in foro locus dabatur cauſis ex ſortitione, ſic ex eadem ſedes inferorum à judice. Porro his verbis putat Budæus, *dicas ſortiri*, eſſe idem quod *cauſas ſortiri.* Contra quem valide inſurgit Nannius lib. 9. Miſcell. dicitque, *dicas ſortiri*, eſſe idem quod, *judices ſortiri*, non *cauſas.* Puto victoriam Nannii eſſe. uſus enim urnæ in Romano foro ſortiendis judicibus deſervit. Adi Manutium de Legibus, Franciſcum Polletum lib. 5. c. 7. vel potius Philippum Broïdæum. Quin ipſum etiam Budæum, qui id aperte docet in annotationibus reliquis ad Pandectas. Id ſatis innuit Poëta addens, *ſine judice*, quaſi ſors judicum eſſet, non cauſarum. Itaque potius eſt, ut credam alluſum in re ſignata ſortium, ad Græcum quam ad Romanum morem, quod poſtea aperiam. *Cerda.*

432. *Quæſitor.*] *Quæſitores* autem ſunt qui exercendis quæſtionibus præſunt. Et notandum, quia Minoëm, quaſi crudelem, introducit: quod ei epitheton & Plato & Homerus dant. Nam Æacus & Rhadamenthus fratres mitiores ſunt. *Servius.*

Quæſitor Minos.] Et inquirendi & urnæ agitandæ habet poteſtatem. *Don.*

Minos urnam movet.] Hom. Od. λ. de Minoë: ἔνθ' ἤτοι μίνωα ἴδον διὸς ἀγλαὸν υἱὸν, χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νεκύεσσι, ἥμενον, οἱ δέ μιν ἀμφὶ δίκας εἴροντο ἄνακτα. Ut autem *moveri urnam*, ſic ſæpe Hom. κυνέην πάλλ' ἀχιλλεὺς, ἐκ δὲ κλῆρος θόρε, &c. cum galea in dejiciendis & ducendis ſortibus inter Græcos pro urna eſſet. Idem Il. ω. μεταπαλλόμενος κλήρῳ λάχεν. *Germ.*

Minos.] Unus ex tribus judicibus apud inferos, cujus meminit Horat. l. 4. od. 7.

Cum ſemel occideris, & de te ſplendida Minos
Fecerit arbitria.

Senec. in Agam. *Quæſitor urna Cnoſſius verſat reos.* & in Furent.

Non unus alta ſede quæſitor ſedens
Judices trepidis fera ſortitur reis.
Auditur illo Cnoſſius Minos foro.

De variis ſortiendi generibus Hadr. Junius l. 2. animad. c. 5. *Emmeneſſ.*

433. *Vitaſque & crimina diſcit.*] De his Plato in Gorgia & Axiocho, & 5. de Leg. Hunc locum, ubi judices ſeden-

Proxima deinde tenent mæsti loca, qui sibi letum
Insontes peperêre manu, lucemque perosi
Projecêre animas. quam vellent æthere in alto

Nunc

sedentes inquirunt, quam quis vitam in corpore olim vixerit, *Campum veritatis* nominabant. *Taubm.*

434. *Mæsti loca.*] Ideo *mæsti*, quia ut diximus supra secundum Platonem, graviter puniuntur eorum animæ, qui sibi inferunt mortem. *Servius.*

Mæsti.] Quia, secundum Platonem, graviter puniuntur αὐτοθάνατοι. Apte autem hic locus priori jungitur. namque illi vi occiduntur: hi sponte sibi necem inferunt. Omnino videatur Macrob. l. 1. c. 13. In Somn. Scip. Utrum sibi mortem inferre homini liceat. *Taubmannus.*

435. *Insontes.*] Dicitur causa facti. nihil enim fit, nisi quod faciendi habet necessitatem. *Donatus.*

Lucemque perosi.] Figurate dixit. Nam *perosus illius* dicimus. Sane *perosus* & *exosus* de eo tantum, qui odit dicitur. *Servius.*

Lucemque perosi.] Φιλεῖν & συγεῖν φάος, frequens apud Eurip. *Germ.*

436. *Projecêre animas.*] Quasi rem vilem. *Servius.*

Projecêre animas.] Videtur *projicere animas* dixisse Poëta Græcorum imitatione, canente Homero Il. ι. αἰεὶ ἐμὴν ψυχὴν παραβαλλόμενος πολεμίζειν, hoc est, discrimini intrepide me objiciens, & ῥιψοκινδυνῶν. Eurip. autem in Rheso non παραβάλλειν, sed προβάλλειν dixit: χρὴ δ' ἐπ' ἀξίοις πονεῖν, ψυχὴν προβάλλοντ' ἐν κύβοις δαίμονος· & in Ione, σὺν ψυχὰν ἀπέβαλον τέκνον. Catull. *Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis Projicere optavit potius quam talia Cretam Funera Cecropiæ, &c.* Plutarch. ad verbum, προΐεσθαι τὸν ἑαυτοῦ βίον. Eos autem, qui tædio paupertatis, amoris, tristium, & adversarum rerum mortem consciverunt, de quibus Maro, Aristot. lib. 3. Eth. δειλοὺς non ἀνδρείους censet, quod non, ut honestum, mortem fortiter ferant, sed præ animi mollitie malum visum declinent & fugiant, his verbis: τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ, μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα, καὶ οὐχ ὅτι καλὸν, ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν. Idem Aristot. lib. Eth. 5. ubi de justitia & jure agit, negat sub finem libri, quenquam à seipso injuria affici posse, eumque docet, qui sibi manus attulerit, non tam in se, quam civitatem admisisse, his verbis: ὁ δὲ δι' ὀργὴν ἑαυτὸν σφάττων, ἑκὼν τοῦτο δρᾷ παρὰ τὸν ὀρθὸν νόμον, ὃ οὐκ ἐᾷ ὁ νόμος, ἀδικεῖ ἄρα, ἀλλὰ τίνα, ἢ τὴν πόλιν, αὐτὸν δ' οὔ; ἑκὼν γὰρ πάσχει, ἀδικεῖται δ' οὐθεὶς ἑκών. διὸ καὶ ἡ πόλις ζημιοῖ, καί τις ἀτιμία πρόσεστι τῷ ἑαυτὸν διαφθείραντι, ὡς τὴν πόλιν ἀδικοῦντι. Idem quoque Aristoteles ἀποβάλλειν τὴν ψυχὴν dixit lib. 2. De animo: ἔστι δὲ οὐ τὸ ἀποβεβληκὸς τὴν ψυχὴν, τὸ δυνάμει ὂν ὥστε ζῆν, ἀλλὰ τὸ ἔχον. *Germanus.*

Projecêre animas.] Fortasse ex Catull. qui de Nupt.

Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Projicere optavit.

Simili forma sæpe Græci. Nam Aristot. 2. de Anim. ἀποβεβληκὸς τὴν ψυχήν. Euripides in Ione, ψυχὰν ἀπέβαλον. & in Rheso ψυχὴν προβάλλειν. Homerus 9. Il. ψυχὴν παραβαλλόμενος. Plutarchus quoque ad verbum προΐεσθαι τὸν ἑαυτοῦ βίον. Integra habet German. Cedrenus, ἀπορρήξας τὸ πνεῦμα. Lucanus dixit:

—— *animas effundere viles.*

Martialis pari indole, de his, qui se interficiunt, lib. 1. epig. 9. *facili sanguine.* Ovidius alio flexu:

Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ.

Dignus est, qui in memoriam revocetur mos ille, quem fuisse apud nonnullas gentes ex Egesippo, & Josepho commeminit Lilius in lib. de vario sepeliendi

Nunc & pauperiem & duros perferre labores !
Fas obstat, tristique palus inamabilis unda
Adligat, & novies Styx interfusa coërcet.

Nec

pelìendi ritu, ut videlicet dextra illius, qui se interfecisset, amputaretur prius, cadaver duceretur ad sepulturam: ne scilicet membrum, quod vesano furore in corpus sævierat suum, cum eo pariter sepeliretur. *Cerda.*

237. *Et duros perferre labores.*] Homerus Achillis umbram introducit loquentem, & dicentem libentius se apud superos cuncta adversa tolerare, quam apud inferos imperare. Quod autem ait, *Æthere in alto*, poëtice dictum est. *Æther* enim superius est: sed nostrum habitaculum *ætherem* vocavit, inferorum comparatione. *Servius.*

438. *Fas obstat.*] Jura naturæ. *Idem.*

Tristique.] Tristi unda palus inamabilis: ne si *tristis* dicamus, duo sint epitheta. *Idem.*

Fas obstat, tristique palus inamabilis unda.] In Romano codice, *fas obstat* videtur esse debuisse. Nam *s* tantum litera desideratur in verbo *obstat*. Et Servius in castigatis exemplaribus, *fas obstat* agnovisse videtur, quum præsertim exponit, *fas*, jura naturæ. Quanquam neque ea lectio displicet *fata obstant*. Quod vero sequitur *tristisque palus*, lectionem eam reprehendit Servius, ne duo sint epitheta, mavultque *tristi unda* legere, ut in codice Mediceo, & in Porcio est. Sed enim plerique codices antiqui *tristis* legunt: & in aliquot etiam *undæ* cum diphthongo ultima syllaba, ut duæ primæ dictiones in recto sint *tristisque palus*, reliquum possessivi *inamabilis undæ*. Sunt & qui legant *innabilis*, à *No*, *nas*, quod in veteribus exemplaribus non memini me legere. Sed nescio cur ea lectio *Tristisque palus*, appositive *inamabilis unda*, quenquam offendere debeat; tametsi longe elegantior ea est, quæ legit *palus inamabilis*, addita ratione cur *inamabilis*, Tristi quippe unda, quam στυγερὴν Homerus appellat, ubi fluvius Acheron, ejusdem etymologiæ. *Pierius.*

Inamabilis unda.] Multi *innabilis* legunt. Servio tamen & P. Læto, Agellio l. 2. c. 6. H. Stephano, & Scalig. l. 4. c. 16. magis probatur, *inamabilis*, στυγερά. iccirco addit,

—— *Styx interfusa coërcet.*

Taubmannus.

439. *Novies Styx interfusa.*] Quia qui altius de mundi ratione quæsiverunt, dicunt intra novem hos mundi circulos inclusas esse virtutes, in quibus & iracundiæ sunt & cupiditates: de quibus tristitia nascitur: id est, Styx. Unde dicit novem esse circulos Stygis, quæ inferos cingit, id est, terram, ut diximus supra. nam dicunt alias esse purgatiores extra hos circulos potestates. *Servius.*

Et novies Styx interf. coërcet.] Admonuit me Passeratius hanc novenariam Stygis convolutionem αἰνίττεσθαι & subindicare novendialia sacra, quibus peractis, novissimis verbis mortuus valere & salvere jussus conclamabatur, septem ante diebus servatus, octavo incensus, nono denique sepultus: unde & Horatius: *Novendiales spargere pulveres*: & Maro 5. Æn. *Præterea si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit*, alludens περὶ ἔννατα, hoc est, novendialia justa, quibus & respondebat epulum funebre totidem dierum, quod, ut Græco more περίδειπνον, instaurabatur & agitabatur à Romanis Diis Manibus libantibus, ut ex illo Maronis eodem lib. colligitur: *Jamque dies epulata novem gens omnis, & aris Factus honos, &c.* Causam autem docet Plinius ritus antiqui in conservandis tot dies mortuis, qui & calida abluebantur, & per intervalla conclamabantur, quod solet plerumque vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere, ut constitit in eo, qui pyræ suppositus, adhibitis ignibus erectus est, nec liberari tamen potuit.

 Vide

440 Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi. sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,

Secreti

Vide Aristot. lib. De somno & vigil. & Leonicum interpretem, ubi agit de differentia & consensu somni, apoplexiæ, præfocationis vulvæ, veterni, & id genus morborum. Malo autem in superiore perseverare sententia, quam Servio subscribere, qui ad purgationes, nescio quas, & mysticos virtutum circulos hæc Stygis involucra refert. *Germanus.*

Adligat.] Obstringit, impedit. Leguntur autem hi versus etiam 4. G. sub finem. *Taubm.*

440. *Hinc.*] In Romano codice, & aliquot aliis manu scriptis, *hic* habetur: magis tamen placet *hinc*, ut est in reliquis exemplaribus. *Pierius.*

Partem fusi monstrantur in omnem.] Plures vult ostendere eos, in quibus libido dominatur. *Servius.*

Fusi in omnem partem.] Quocunque oculos tendere poterant. *Donatus.*

441. *Lugentes campi.*] Quasi lucis egentes: quod & amoribus congruit. *Servius.*

Lugentes campi.] Loquitur Maro ex doctrina, qua putabant veteres, Cocytum lugentium fletu & lacrymis increscere. Inde campi juxta Cocyti ripam *lugentes* dicti. Claudianus 1. Rapt. alludens ad hanc rem, dixit,

— *presso lacrymarum fonte resedit*
Cocytus.

& lib. 2. in Ruff.

Est locus infaustis, quo conciliantur in unum
Cocytus Phlegetonque, vadis inamœnus uterque
Alveus, hic volvit lacrymas, hic igne redundat.

Silius lib. 13.

Ultimus erumpit lacrymarum fontibus amnis,
Ante aulam, atque aditus, & inexorabile limen.

Inde hic fluvius dictus Cocytus παρὰ τὸ κωκύω, & κωκύζω, id est, lugeo. Firmat hanc rem contraria sententia. Pindarus enim apud Plutarchum, in tractatu, an recte dictum sit, λάθε βιώσας, ubi describit sedes beatorum, inter alia ait: πεδίον καὶ ποταμοί τινες ἀκλαυστοι καὶ λεῖοι διαῤῥέουσι: *Campum perfluunt fluvii quidam fletus ignari ac leves.* Ab eodem in opere de orbe Lunæ inducuntur animæ in his locis ὀδυρόμεναι, *lamentantes.* Cerda.

442. *Durus amor.*] Immitis, inexorabilis. *Servius.*

Hic quos durus amor.] Ex imitatione Homeri, qui amantibus peculiarem locum assignat in inferno. 11. Odyss.

Νύμφαι τ', ἠΐθεοί τε πολύτλητοί τε γέροντες,
Παρθενικαί τ' ἀταλαὶ, νεοπενθέα θυμὸν ἔχουσαι:

Sponsæque, juvenesque, & multa passi senes,
Virgunculæque tenellæ novo luctu affectum animum habentes.

Cerda.

Tabe peredit.] Corpore defluente paulatim. *Servius.*

Peredit.] In antiquioribus aliquot exemplaribus, *peremit* legitur: quod minime placet, quum *peredit* ideo proprium sit, quod *Amantum est mollis flamma medullas.* Pierius.

Tabe.] De amore quoque Propertius lib. 1. eleg. 15.

Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Æmonio tabuit hospitio.

& lib. 3. eleg. 6.

Gaudet me vacuo solam tabescere lecto.

Nec non Ovidius lib. 3. Metam. nam loquens de Narcisso, ita ait:

Ecquid cum vestræ tot agantur sæcula vitæ,
Qui sic tabuerit, longo meministis in ævo.

Cerda.

Tabe peredit.] Unde eleganter in Epigr. Gr. ἔρως γυιοβόρος, q. membra corpo-

Secreti celant calles, & myrtea circum
Silva tegit. curæ non ipsa in morte relinquont.
His Phędram Procrimque locis, męstamque Eryphylem
Cru-

corporis depascens vocatur. Ita 4. Æn.
— est molleis flamma medullas.
Taubmannus.

443. *Secreti celant calles.*] Amantibus congruit. *Servius.*

Secreti.] Per *secretos* intellige *in abdito constitutos* aut *separatos*. Donat.

Secreti celant calles.] Τὸ πρέπον. Nam amantes in occulto plerunque & secessu constare & confabulari solent. vel alludit ad domos meretricum, quæ fere in angiportubus habitant. Hor. 1. od. 25.
Invicem mœchos anus arrogantes
Flebis, in solo levis angiportu.
Taubmannus.

Myrtea silva.] Quæ est Veneri consecrata. *Servius.*

444. *Curæ non ipsa in morte relinquunt.*] Hoc est, etiam illic amant, & habent peractorum imaginem criminum: sicut etiam de piis dicturus est, *Quæ gratia curruum Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.* Sane sciendum, ut diximus supra, loqui eum de amore generali: sicut etiam Plato in Symposio tractat. Nihil enim interest, quid quis amet, dummodo amore teneatur. Notandum etiam (nam rarum est) quia cum masculino genere supra usus sit, ut, *Hic quos durus amor*: tantum fœminarum ponit exempla. Non quod desint viri: sed elegit sexum impatientem ad amandum. Tamen paulo post etiam Sichæi facturus est commemorationem. *Servius.*

Curæ non ipsa in morte relinquunt.] Tanta fuit vis amoris, ut post mortem ab iisdem curis non desererentur. *Don.*

Curæ non ipsa in morte relinquunt.] Est hoc, quod Propertius lib. 1. eleg. 19. de re alia:
Trajicit & fati litora magnus amor.
ibidem:
Non adeo leviter nostris puer hæsit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.

Quod Tibull. lib. 4.
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.

Sed hoc alibi negat idem Propertius, cum ait l. 1. eleg. 17. curas amatorum una cum corpore sepeliri. Verba ejus:
Illic si qua meum sepelirent fata dolorem.
Sed Poëta omnino videtur reddidisse illud Theocr. εἰδ.
— καὶ εἰς Ἀΐδα κακὸν ἔσσεται ἄλγος ἔρωτος.
— & apud inferos etiam erit dolor amoris. Cerda.

445. *His Phædram.*] Hæc filia fuit Minois & Pasiphaës, uxor Thesei: quæ privignum Hippolytum, amore capta, de stupro interpellavit: & despecta, apud maritum, eum falsi criminis detulit: qui iratus invocavit Ægeum patrem, ut Hippolyto, currus agitanti, immitteret Phocam: quo facto, & Hippolyto interempto, Phædra amoris impatientia laqueo vitam finivit. *Servius.*

Phædram.] De industria sexum elegit amoris impatientem: cum exempla virorum non deessent. De Phædra lege Ovidii Ep. 4. Heroid. & Euripid. in Hippolyto. Hæc laqueo se suffocavit. *Taubmannus.*

Procrimque.] Filia Iphidi, uxor Cephali fuit, qui cum venandi studio teneretur, labore fessus, ad locum quendam adire consueverat: & illic ad se recreandum Auroram vocare. Quod cum sæpe faceret, amorem in se movit Auroræ, quæ ei canem velocissimum Lælapam nomine donavit: & duo hastilia inevitabilia: eumque in amplexus rogavit. Ille respondit jusjurandum se habere cum conjuge mutuæ castitatis. Quo audito Aurora respondit, Ut probes igitur conjugis castitatem, muta te in mercatorem. quo facto ille it ad Procrin, & oblatis muneribus impetratoque coitu, confessus est, maritum se esse: quod illa do-

Crudelis nati monſtrantem volnera cernit,
Euadnenque, & Paſiphaën: his Laodamia
It comes, & juvenis quondam, nunc femina, Cæneus,
Rur-

lens, cum audiſſet à ruſtico quodam amare eum Auroram, quam invocare conſueverat, ad ſilvas profecta eſt, & in frutetis latuit ad deprehendendum maritum cum pellice. Qui cum more ſolito Auroram vocaret, Procris egredi cupiens fruteta commovit: ſperans Cephalus feram; haſtam inevitabilem jecit, & ignarus interemit uxorem. *Servius.*

Procrimque.] Neque illud placet, quod in Romano codice, *Procnin* legitur. Noc enim *Procne* locum habet inter amantes. Sed *Procris* Cephali uxor. Præterea ſumptum hoc ex Homero eſt, apud quem Φαίδρην τε, Πρόκριν τ' ἴδον legitur. *Pierius.*

His Phædram, Procrinque, &c.] Verſus Homeri,

Φαίδρην τε, Πρόκριν τ' ἴδον, καλήν τ' Ἀριάδνην.

& poſt pauca:

Μαῖράν τε, Κλυμένην τε ἴδον, στυγερήν τ' Ἐριφύλην.

Ex utroque verſum ſuum compegit Maro, primi extrema, extremi prima amputando. *Cerda.*

Procrimque.] De hac Ovid. l.7.Met. Fab. 27. & 28. Hæc à marito ſed imprudente interfecta eſt. *Taubm.*

Mæſtamque Eriphylem.]Hæc Amphiarai, auguris Argivi, uxor fuit: quæ latentem bello Thebano maritum Polynici prodidit, monili accepto, quod ante uxori dederat: qui ductus ad prælium hiatu terræ periit. Cujus filius Alcmæon poſtea in vindictam patris matrem necavit: & eſt, ut Oreſtes furore correptus. Vituperatus ſane Virgilius quod *mæſtam* dixerit, quam στυγερὴν legit, id eſt, nocentem. Nam *mæſta* eſt στυγερή. *Servius.*

Mæſtamq; Eriphylen.] Hom. Odyſſ. λ. στυγερήν τ' Ἐριφύλην: Pindarus Nem. Oda 9. ἀνδροδάμαντα vocat. fuitque Amphiarai auguris Argivi uxor. Meminit hujus & Propert. l.3. el.11. & Cic. 6. Verr. *Taubm.*

Mæſtamque Eriphylen.] Στυγερὴν τ' Ἐριφύλην. Homer. Odyſſ. λ. *Hartung.*

446. *Crudelis nati.*] Sc. Alcmæonis: qui eam, quod, monili accepto, maritum bello Thebano latitantem prodidiſſet, interfecit. ob quod matricidium, perinde ut Oreſtes, in furorem actus eſt. De quo diſputat Ariſtoteles 3. Ethic. *Taubmannus.*

447. *Euadnenque.*] Uxor Capanei fuit, quæ ſe in ardentem mariti rogum præcipitavit. *Servius.*

Et Paſiphaën.] Hæc ut diximus, tauri amore flagravit. *Idem.*

Laodamia.] Uxor Proteſilai fuit: quæ cum maritum in bello Trojano primum periiſſe cognoviſſet, optavit, ut ejus umbram videret: qua re conceſſa non deferens eum, in amplexu ejus periit. *Servius.*

Laodamia.] In Romano codice, & pleriſque aliis manu ſcriptis, recte notatum eſt per *a* vocalem primam in media ſyllaba *Laodamia.* ita enim Λαοδάμεια apud Græcos ſcribi neminem, vel mediocriter doctum, ignorare crediderim. Quod vero Latini vocalem eam in *o* mutarint, adhuc mihi non conſtat. Auditurus vero haud gravate ſum, ſiquis ab antiquo aliquo auctore traditum id oſtenderit. *Pierius.*

448. *Nunc femina, Cæneus.*] Cænis virgo fuit, quæ à Neptuno pro ſtupri pretio meruit ſexus mutationem. Fuit etiam invulnerabilis, qui pugnando pro Lapithis contra Centauros, crebris ictibus fuſtium paulatim fixus in terra eſt: poſt mortem tamen in ſexum rediit. Hoc autem dictum Platonicum illud oſtendit, vel Ariſtotelicum, *Animas per* μετεμψύχωσιν *ſexum plerunque mutare. Servius.*

449. Revo-

Rursus & in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phœnissa recens à volnere Dido
Errabat silva in magna: quam Troïus heros,
Ut primum juxta stetit, adgnovitque per umbras
Obscuram, qualem primo qui surgere mense
Aut videt aut vidisse putat per nubila lunam,
Demisit lacrimas, dulcique adfatus amore est:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat exstinctam, ferroque extrema secutam?
Funeris heu tibi caussa fui? per sidera juro,
Per superos, & si qua fides tellure sub ima est;

Invi-

449. *Revoluta.*] In codicibus quidem omnibus vulgatis, & aliquot ex his antiquioribus, *revoluta* scriptum est. In Romano *revocata* legitur. *Pierius.*

Figuram.] Id est, sexum. *Cænis* enim Elati Lapithæ F. principio formosissima puella erat: deinde optione à Neptuno, ob stuprum, impetrata rogavit, ut in virum fortissimum transformaretur, & quidem invulnerabilem: quo facto *Cæneus* vocabatur. De quo Ovid. l. 12. Met. Fab. 5. Vide & Nascimb. & Proverb. *Cænei hasta.* Taubm.

451. *Errabat.*] Vagabatur. Et bene allusit: quia & amaverat, & se interemerat: ut quasi incertum esset, quem circulum posset tenere. *Servius.*

453. *Obscuram.*] Recenti morte: ut diximus supra. *Idem.*

Umbram obscuram.] Cum dicit *umbram obscuram*, habuit aliquid luminis. id enim est *Obscurum*, quod ostendat aliquam lucem, sed & maximas habet mixtas tenebras. *Donatus.*

Qui.] In antiquis plerisque codicibus *qui* legitur. Sed & *quis* reperitur. *Pierius.*

455. *Demisit lacrimas.*] Non cogitavit flere: nam dolor verus, repentinos fletus, non coactos, excludit. *Don.*

456. *Infelix Dido.*] Veniali utitur: & excusat se per necessitatem, ne mortis caussa fuisse videatur. *Servius.*

Infelix Dido.] Personarum & causarum ratio habetur. Dido fuit aspera, propter recentis facti causam: cujus quantus dolor fuerit, ostendit exitus. Acerbitas etiam vulneris, & aspectus auctoris, dolorem duplicabat. Æneas autem se reum agnoscit, &, interposita purgatione, factum fatetur. *Infelix Dido.* Ostendit dolorem, quod miserabiliter ferat: & augetur, quod ferro perierit. *Donatus.*

Verus mihi nuntius.] Κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligendum, quod sit nuntiatus Didonis interitus. Alii ad ignem referunt visum. Alii ad Mercurium, qui ait, *Certa mori.* Sed in neutro ejus ei etiam mortis genus est significatum: & hinc dicit, *Ferroque extrema secutam.* Sane qui nuntiat, genere tantum dicitur masculino. Quod autem nuntiatur, licet neutro dicatur, tamen invenitur & masculini. *Servius.*

458. *Funeris heu tibi caussa fui.*] Ac si diceret, qui fueram ante voluptatis. *Idem.*

Per sidera.] Firmamentum ponit purgationis, quia apud illam fide carebat: & quia hominum testimonium adhiberi non poterat, adhibet deorum. *Donat.*

459. *Per superos, &c.*] Valet, Per superos & per inferos. Per superos, & si quod apud inferos jusjurandum est religiosaque asseveratio, Turneb. l. 23. cap. 3. *Taubm.*

Si qua fides tellure sub ima est.] Ubi pro-

Invitus, regina, tuo de litore cessi.
Sed me jussa deûm, quæ nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
Imperiis egêre suis: nec credere quivi
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro.

Quer

promissa exitum non habent. Respexit autem ad Orpheum, qui receptam perdidit conjugem. *Servius.*

Et si qua fides.] Quia nesciebat, quod genus jurisjurandi apud inferos esset, posuit generalem jurationem. *Donatus.*

460. *Invitus.*] Non te fugi, sed potiorum jussis cessi. *Idem.*

De tuo litore cessi.] Quasi dicat, mutavi locum, sed te in animo retinui. *Idem.*

461. *Quæ nunc has ire per umbras.*] Argumentatur ex eo, quod est inferos subire compulsus, invitum se reliquisse Carthaginem. *Servius.*

462. *Senta situ.*] Squallida. Et est translatio à terra inculta. *Situs* autem proprie est lanugo quædam ex humore procreata. Et fit in locis Sole carentibus. *Idem.*

Senta situ.] *Sentis* est spina: inde *sentum*, & *senticosum*; spinis horridum, & incultum. Utique ἀκανθώδες. *Situs* autem est, squallor ille, qui, ut plurimum, vetustate contrahitur. Loca ergo *senta situ* erunt, squallore obsita, atque horrida, qualiaque describit Seneca in Fur. loquens de infernis locis:

Et fœda tellus torpet æterno situ.

& iterum:

Immotus aër hæret, & pigro sedet
Nox atra mundo, cuncta mœrore horrida,
Ipsaque morte pejor est mortis locus.

Cerda.

Loca senta situ.] Scal. lib. 4. cap. 16. *Situs est* lanugo quædam ex humore procreata; ut fit in locis Sole carentibus. *Taubm.*

463. *Nec credere quivi.*] Argumentationem tetendit: ac si diceret, si crededissem, forte etiam deorum jussa contemnerem. *Servius.*

Nec credere quivi.] Mendacio veris[imili] tutatur causam. Ipsa primo silen[do], & se avertendo, & postremo fugien[do], ostendit iram. *Donatus.*

Nec credere quivi.] Locus, ut appare[t] sumptus ex Calab. lib. 5. apud que[m] Ulysses purgans se de morte Ajacis ita ait:

Εἰ γάρ μοι κέαρ ἔνδον ἐνὶ στέρνοισ[ι]
ἐώλπη
Κεῖνον ἀλαστήσειν καθ' ἑὸν νόον, οὔ τ' ὁ
ἔγωγε
Ἦλθον ἐριδμαίνων νίκης ὕπερ:

Etenim si mihi cor intus in pectorib[us]
sperasset,
Ipsum id ægre laturum sua mente, n[on]
equidem ego
Venissem concertaturus de victoria.

Cerda.

465. *Siste gradum.*] Discedere ea[m] datur intelligi. *Servius.*

Siste gradum.] Est hoc quod Aristo[phanes] phanes in Pluto. στῆθ', ἀντιβολῶ σε, στῆθ[ι]. *siste, obsecro te, siste.* Est etiam locus i[n] Lysistrata ejusdem huic similis:

Τί μοι μεταστρέφεσθε; ποῖ βαδίζετε;
Quid nunc abitis, quive vultum ave[r]
titis? Cerda.

Aspectu.] Quamvis nonnulli dica[nt] codices esse veteres, in quibus *aspect[i]* scriptum inveniatur ea, quæ apud Vi[r]gilium frequentissima est figura: m[a]gis tamen placet *aspectu* per *u*: qu[æ] multa ea terminatione, acquisitivo c[a]su posita reperiuntur apud Virgiliu[m] Ciceronem, & Cæsarem. *Pierius.*

Aspectu.] Vide Agell. lib. 4. cap. 1[?] & Indic. Erythræi Virgil. *Taubm.*

466. E

Quem fugis? extremum fato quod te adloquor, hoc est.
Talibus Æneas ardentem & torva tuentem
Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat:

Nec

466. *Extremum fato quod te adloquor, hoc est.*] Aut quia deus futurus est: t, quod melius est, quia post mor-m tenebit alterum circulum, viris rtibus scilicet, non amantibus dam. *Servius.*

466. *Adloquor.*] Non dubito, quin hunc locum aptari possit eruditio ureti lib. 2. cap. 4. de vi verbi hujus loquor, & *allocutione.* Nam sermo Æ-næ in hoc loco totus est παραμυθικὸς, παρηγορικὸς, id est, *consolatorius,* vult im levare Didonem à mœstitia, & ris, in quibus erat. Nam postea clarissime, *Lenibat dictis animum.* Exemis Mureti adjungo Senecam, qui ad arciam c. 1. *fatigatæ allocutiones amicrum*, id est, παραμυθίαι: & ad Helam: *Quid quod novis verbis, nec ex ulgari & quotidiana sumptis allocutione, us erat homini ad consolandos suos, &c.* t Pollucem, qui inter verba blandiarum, & salutationis, adhibet πρόσ-σιν, & προσηγορίαν. *Cerda.*

467. *Torva.*] Pro *torve*, id est, terbiliter. *Servius.*

Torva tuentem.] Epitheton ab ocurum sævitia, de quo Erythræus in inice. Desumtum ab Homero qui Il. β. f. 235. ὑπόδρα ἰδών. quod Æneæ eveit, idem & Ulyssi accidit cum alloqueretur Ajacem, qui mortuus inimicum mentem non deposuerat, quam sceperat contra Ulyssem vivus. Vide omeri Odyss. l. λ. v. 562. *Emmeness.*

468. *Lenibat dictis.*] Pro *leniebat.* & ntique dixit: ut, *Squamis auroque polibant*, pro *poliebant.* Majores enim in minibus conjugationibus imperativo *im* addebant, & faciebant imperfetum ab indicativo: quod in tribus adhuc observatur: in quarta etiam *e* additur, ut *nutri*, *nutriebat.* Servius

Lenibat.] In codicibus aliquot antiquis, *leneibat* per *ei* diphthongum in penultima scriptum observavi, ut in veterum inscriptionibus *deico*, *ameicus*, & similia. Quo loco super Priscianus ait, Tertiæ & quartæ conjugationis præteritum imperfectum à prima præsentis formari *o* in *e* mutata & addita *bam*, excepto *Eo*, quod *ibam* facit, & derivatis. Antiquos vero, in his præsertim quartæ, loco vocalium transmutato, pro *i* & *e*, *ei* diphthongum proferre solitos, *ut leneibam*, *poleibam.* Sed enim quum hujusmodi scriptionem non in verbis tantum ejus conjugationis & temporis, verum in aliis etiam, & in syllabis à formatione non pendentibus, atque etiam in nominibus, in præpositionibus, & in adverbiis reperiamus. Magis mihi placet Victorini sententia, qui refert Nævium & Livium Andronicum, quum longa syllaba scribenda esset, duas vocales posuisse, præterquam quæ in *i* literam inciderant; eam enim per *ei* scribere maluisse. Quam vero differentiam in his Lucillius ponere commentus sit, quo distingueret similia voce, alibi ex Velio Longo retulimus. *Pierius.*

Lacrimasque ciebat.] Sibi, non Didoni, vel profundebat, aut certe illud dicit; Sermo quidem ejus lachrymas exciebat: sed illa immobilis mansit. Tractum autem est hoc de Homero, qui inducit Ajacis umbram, Ulyssis colloquia fugientem, quod ei fuerat caussa mortis. Nam *ciere* est proprie alteri fletum movere. *Servius.*

469. *Illa solo fixos, &c.*] Eundem iræ habitum dat Hor. Regulo l. 3. od. 5.

Torvus humi posuisse vultum.

& Virgilius Palladi l. 1. Ex his, quæ ibi dico, potest locus iste illustrari in 4. quoque Æn. aliquid est de intuitione illorum, qui alios odio habent: inde

quoque

Nec magis incepto voltum ſermone movetur,
Quam ſi dura ſilex aut ſtet Marpeſia cautes.
Tandem corripuit ſeſe, atque inimica refugit
In nemus umbriferum: conjunx ubi priſtinus illi
Reſpondet curis, æquatque Sichæus amorem.
Nec minus Æneas, caſu percuſſus iniquo,
Proſequitur lacrimans longe, & miſeratur euntem.

Ind

quoque ad hunc locum petatur. Sed hîc non omittam elegantem Plinii locum lib. 11. cap. 37. *In oculis animus inhabitat. Ardent, intenduntur, humectant, connivent: hos cum oſculamur, animum ipſum videmur attingere.* Adeo in oculis apparent affectuum omnium indicia. *Cerda.*

Averſa.] In codicibus aliquot antiquis, *adverſa* legitur, quod minime placet. *Pierius.*

470. *Incepto ſermone.*] A principio orationis. *Servius.*

Nec magis incepto, &c.] Harum particularum conjunctionem *magis, quam ſi minus, quam ſi nihilominus, quam ſi nihilo plus, quam ſi,* ut plenas veteris elegantiæ & obſervat, & exemplis probat Godeſcalc. l. de ling. Latin. *Cerda.*

Voltum.] In codicibus aliquot antiquis, *voltu* caſu ſeptimo legitur. Sed *voltum* quarto caſu figuratius eſt. *Pier.*

471. *Dura ſilex.*] Saxi eſt ſpecies: generalitas enim eſſe non poteſt ſequente ſpecialitate. Nam *cautem Marpeſiam*, Parium lapidem dicit. Marpeſos enim mons eſt Pariæ inſulæ. *Serv.*

Marpeſia cautes.] Ab eruditione, ait Scal. l. 4. 16. ut *Arviſia, Amphryſia.* Ita Stat. 5. Theb.

Illa velut rupes immoto ſaxea viſu
Hæret.

Notatur autem marmor *Parium. Marpeſos* enim mons eſt inſulæ Pariæ. *Taubmannus.*

472. *Tandem.*] Quaſi diu deliberaverit. *Servius.*

Tandem corripuit ſeſe.] Augmentum iræ ſuæ Æneam refugiendo teſtata eſt, & ut fuerat inimica, ita diſceſſit. Dicitur ad quem locum, *in nemus umbriferum* ſeu frondoſum ad Sichæum ſuum qui unum cum ea gerebat animum, & amore mutuo, conſimilique teneba tur. *Donatus.*

Corripuit.] In Romano codice, i Oblongo, in Mediceo, & pleriſque alii antiquis, legere eſt *corripuit ſeſe*: tam etſi *proripuit* placere magis video eruditis auribus. *Pierius.*

473. *Umbriferum.*] Umbroſum. Fron doſum. *Servius.*

Priſtinus.] Prior: quod difficile in venitur. Nam de hoc ſermone quæri & Probus & alii. *Idem.*

474. *Reſpondet curis.*] Aut pari ear diligit affectione: quod in Ænea no fuit, qui plus amatus eſt, & amanten deſeruit: ut expreſſio rei ſupradictæ ſi *Idem.*

Æquatque Sichæus amorem.] Aut cei te reſpondet curis: par eſt mortis ſimilitudine. ferro enim uterque conſum ptus eſt. *Idem.*

475. *Percuſſus.*] Veteres omnes co dices, quos legi, fere paſſim *percuſſus* le gunt. Videnturque mortales tot ætati bus differentiam neglexiſſe, quam in ter *Perculſum* & *Percuſſum* Gramma tici ſtatuere. *Pierius.*

476. *Proſequitur lacrimans longe.* Oculis eam ſequebatur humentibus *Servius.*

Proſequitur lacrimans longe, & miſeratur euntem.] Ultima hujus carmini dictio *eſt*, (quæ in non nullis editioni bus invenitur) nuſquam in antiqui exemplaribus habetur. In Romano co dice verſus totus ita legitur, *proſequitu lacrimis longe & miſeratur euntem.* Er

ver

Inde datum molitur iter. jamque arva tenebant
Ultima, quæ bello clari ſecreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis
Parthenopæus, & Adraſti pallentis imago.

Hic

...ro etiam in codice Longobardico *...ſeratur:* ſed inde abraſum fuit, & *...ſeratus* repoſitum. In Mediceo, *Pro...uitur lacrimas longe & miſeratur eun...m.* Sed *lacrimas* pro *lacrimans* ſcri...um, ut ſæpe reperitur in veterum ...onumentis. *Pierius.*

477. *Datum molitur iter.*] Peragit. *...atum* autem dixit, aut ratione fati ...nceſſum: aut oblatum fortuito, quod *...χὸν* dicunt, an injunctum. *Servius.*

Arva tenebant Ultima] Atqui multa ...huc ſuperſunt: ſed dixit quantum ad *Y* ...rtinet literam. In his enim, quæ di...t, miſta ſunt virtutibus vitia. In his ...tem, quæ dicturus eſt, nocentum poe...s à piorum ſegregat meritis. Nam ...feri (ut diximus ſupra) humanam ...ntinent vitam: hoc eſt, animam in ...rpore conſtitutam. Hæc autem quæ ...xit, miſta eſſe manifeſtum eſt. Licet ...im in viris fortibus laudetur virtus, ...t tamen vituperabile alienum impe...um cædibus occupare. Item amare ...ivignum, crimen eſt: virtus, mari...m. Alii diſtinctione mutata dicunt, *...enebant arva, quæ ultima viri fortes fre...uentant*, id eſt, quæ poſſident ultima. *...dem.*

478. *Ultima.*] Sc. eorum, qui judicum ...ntentiis adhuc ſubjiciendi ſunt. nam ...liqua arva ſeu circuli judicatos conti...ent. De quo Serv. qui & ad literam Pythagoricam illam reſpectum putat: ...em Naſcimb. quanquam hic etiam *...ltima arva* exponit primam partem ...ampi iſtius, quam ſit ingreſſus Æneas: ...nomodo auctor ad Heren. dixerit, *ab ...ltimo initio:* & Cic. 1. Offic. *ultimum in ...micitia*, id eſt, primum. Hic autem ...ommemorat bello cæſos, & præcipue ...ui ad Thebas & Trojam. *Taubm.*

Frequentant.] Obvius ſenſus bonus ...ſt, & commodus. Sed poteſt eſſe alius, ut dicat, *frequentant*, id eſt, celebrant loca iſta, faciuntque illa clara à claritudine, quæ eſt in ipſis. Præceſſit enim *clari bello.* Eſſe autem *frequentare* idem interdum, quod celebrare, jam notavit Janus Douſa in ſchediaſmate ad Sulpiciæ carmen hoc,

Muſa, quibus numeris Heroas, & arma frequentas.

Id eſt, concelebras. & in Virgilio ſermo quoque eſt de ducibus. *Cerda.*

479. *Hic illi occurrit Tydeus.*] Altheæ & OEnei filius, quem in bello Thebano Menalippus extinxit. *Serv.*

480. *Parthenopæus.*] Hic Atalantæ & Martis, ſive Milanionis filius, rex Arcadiæ fuit, qui Thebana bella puer admodum petiit. *Idem.*

Tydeus, Parthenopæus, & Adraſti pall. imago.] Parthenopæum, non Menalippæ filium, ut vult Servius, ſed Atalantæ aſſerit Eurip. in Phœniſſ. ὁ δ' ἐστὶ παρθενοπαῖος ἀταλάντης γόνος· idem quoque in Suppl. ὁ τῆς κυναγοῦ δ' ἄλλος ἀταλάντης γόνος παῖς παρθενοπαῖος εἶδος ἐξοχώτατος, ἀρκὰς μὲν ἦν. Cui Euripidis ſententiæ aſtipulantur illi Sophoclis in Col. verſus: ἕκτος δὲ παρθενοπαῖος ἀρκὰς ὄρνυται, ἐπώνυμος τῆς πρόσθεν ἀδμήτης χρόνῳ μητρὸς λοχευθεὶς πιστὸς ἀταλάντης γόνος. Interpres tamen Æſchyli in ἑπτὰ filium Antiopes Parthenopæum facit, quam & Parthenopen vult dictam, & filio nomen feciſſe de ſuo: quod conſentire poſſit cum Sophoclis hoc loco, niſi quod ille Parthenopæum Antiopæ, hic Atalantæ filium dare videtur. Tydeum autem, Parthenopæum, & Adraſtum conjunxit Poëta, quod (meo judicio) ab Euripide memorentur junctis copiis expeditionem Polynicen Thebas agentem ſecuti, ut item à Sophocle in Colon. Et Euſtathius in eum Iliad. δ. locum,

Hic multum fleti ad superos, belloque caduci
Dardanidæ: quos ille omnis longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Thersilochũqu
Tris Antenoridas, Cererique sacrum Polybœten,
Idæum

cum, ὃ μ. τυδῆϊ γ᾽ ἄλλ φίλον πλωκαζέμεν ἦεν, docet, Adrastum Argivorum regem, monita oraculi secutum, Tydeo Deipylam, & alteram item filiam Argian Polynici in matrimonium elocasse. *Multum fleti*, sæpe πολύκλαυτοι, & πολύκλαυστοι Græcis. *Germanus.*

Parthenopæus.] Atalantæ filius, secundum Euripid. in Phœniss. & Diodor. l. 5. Vide & Stat. lib. 4. Theb. Propert. l. 1. 1. *Taubm.*

Adrasti pallentis imago.] Rex Sicyonis Adrastus primo fuit, post Argivorum, socer Tydei & Polynicis. Quod autem ait *Pallentis*; aut epitheton est umbræ: aut illud respexit, quia in bello Thebano, consumptis sex ducibus, solus aufugit. Fugæ autem comes semper est pallor. *Servius.*

Adrasti pallentis.] Sunt autem quos epitheton palloris induxerit ad credendum, hunc locum ad Adrastum referri debere, qui ab Homero meticulosus; supplex, & ad genua hostis provolutus ad deprecandam mortem describitur: cujus mentionem facit Plutarch. in lib. De aud. Poët. his verbis de Trojanis: καὶ τῶν μὲν ὑποπίπτοντων ἔνιοι τοῖς πολεμίοις, ὥσπερ ὁ ἄδραστος, οἱ ἀντιμάχου παῖδες, ὁ λυκάων, αὐτὸς ὁ ἕκτωρ δεόμενος περὶ ταφῆς τοῦ ἀχιλλέως· ἐκείνων δὲ οὐδεὶς, ὡς βαρβαρικοῦ τοῦ ἱκετεύειν, καὶ ὑποπίπτειν ἐν τοῖς ἀγῶσιν ὄντος, ἑλληνικοῦ δὲ τοῦ νικᾶν μαχόμενον, ἢ ἀποθνήσκειν. Tamen mihi verius Adrasto, Tydei socero, convenire videtur, tum quod Tydei mentio est propinqua, tum quod pallor & metus ex fide historiæ & fuga merito ei attribuitur. *Germanus.*

481. *Hic multum fleti.*] Id est, nobiles, quorum mortem magna sequitur lamentatio. *Servius.*

Multum fleti.] Quia propter suas virtutes magnum reliquerant luctum. *Don.*

Ad.] Pro *apud.* Servius.

Caduci.] Qui bello ceciderint, est, mortui, à cadendo. Unde & c*adavera* dicta. *Idem.*

482. *Longo ordine.*] Ingenti multi[tu]dine, ut *Pueri & pavidæ longo ordi[ne] matres*: non ad ordinem stantes. Sa[lvi] *in* minus est, *In longo ordine*, in inge[n]ti multitudine. *Idem.*

483. *Glaucumque, Medontaque, Th[er]silochumque.*] Vix in Medonte cogno[sci] aliquid potest de mente Poëtæ. Per[se]quitur, ut vides, nomina Trojanoru[m]. In Glauco verus est, nam fuisse hu[nc] Trojanum, filiumque Antenoris, & i[n]terfectum ab Agamemnone, Dict[ys] narrat. Potest etiam Poëta accipi [de] Glauco alio, qui venit in auxiliu[m] Trojanorum, cujus fit illustrissim[a] mentio in 6. Il. Transeo ad Medo[n]tem, in quo falsus videtur Poëta. Na[m] hujus nominis Trojanus nemo, vid[e]tur facta allusio ad versum Home[ri] 21. Il. ubi Achilles,

—— ἕλε Θερσίλοχόντε, Μύδωνάτε, Α[σ]τύπυλόντε:

—— *interfecit Thersilochumque, Mydonaque, Astypylonque.*

unde suspicio est doctis legend. in vat[e] *Glaucumque, Mydonaque, Thersilochum[que]*. Qui quod Medon semper inter Græco[s]. Nam 15. Il. Medonta & Iasium Æne[as] spoliat. & 2. Il. mentio fit Medonti[s], qui erat Oïleï nothus filius. Præter[ea] 4. Odyss. & in epist. Penelopes, ap[ud] Ovidium (hoc Nascimbænus vidit) mentio fit alterius Medontis Græc[i], qui fuit unus è procis Penelopes. It[a]que libenter amplector conjecturam, & in Virgilio *Mydona* lego, non *Medo[n]ta.* De Thersilocho, illum fuisse Tr[o]janum, ex versu Homerico adduct[o] satis est liquidum. *Cerda.*

484. *Tris Antenoridas.*] Multi supr[a] dict

Idæumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant animæ dextra lævaque frequentes.
Nec vidisse semel satis est: juvat usque morari,
Et conferre gradum, & veniendi discere caussas.
At Danaûm proceres, Agamemnoniæque phalanges,
Ut vidêre virum, fulgentiaque arma per umbras,
Ingen-

ros accipiunt: quod falsum esse Ho-
:rus docet, qui eos commemorat. *S.*
Tris Antenoridas.] En alius nodus.
o Servium sequor, qui ait, non acci-
:ndos tres superiores, ut multi vo-
ıt, sed alios, nam Homerus alios ab
s facit filios Antenoris. Nomina
è non adducit. Sunt illi, Archilo-
us, Acamas, Helicon. Pomponius
binus his versibus alios nominat:
'res Antenoridas Polybumque, & Agenora durum,
Equalemque Athamanta deis, juvenilibus annis. Cerda.
Cereri sacrum.] Sacratum: nomen
ɔ participio. *Servius.*
Sacrum Polybœten.] Ostendit numina
s in morte juvare non posse. *Donat.*
Polybœten.] Nominis hujus proprii
ne ultima varie scribitur in antiquis
dicibus. Nam & *Polybœten*, & *Poly-*
ten, & *Polybotem* legas, præter varie-
es alias, quæ vulgatis in codicibus
stunt. Sane quidem πολυποίτης pro-
um viri nomen apud Græcos. Sed
: Perithoi filius, ut Homerus, Il. μ.
ι μ᾽ πειρίθοον ὗα κρατερὸν πολυποί-
υ. Qui quidem in Trojanorum co-
itatu quid agat, non video: neque
:currit nunc, inter Trojanos nomen
positum: alia vero forma & signifi-
o πολυβώτης est, unde sibi forte Vir-
ius nomen ex commodo suo confin-
:it. Neque enim ita se Latini Græ-
addixere, ut non jus sibi esse volue-
ıt, non tantum literas & syllabas,
um totum etiam interdum nomen,
od ab ipsis mutuo caperent, variandi.
rius.
485. *Idæumque.*] Quem aurigam le-
aus Priami. *Servius.*

Idæumque.] Auriga fuit Priami, cujus mentio fit 24. Iliad. Dat illi adhuc in inferno currus. Nam, quo quis studio delectatus fuisset in vita, eodem tenebatur apud manes, de quo alibi. *Cerda.*

Etiam.] Adhuc: ut, *Quæ cura nitentes Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.* Servius.

Etiam.] Id est, adhuc. Nam, ut Plato ait Gorgia, disjuncta anima *simulacrum corporis* eundem habitum apud inferos servat, quem, homine vivente, possidebat. *Taubm.*

Currus.] In Romano codice, *currum* unitatis numero absque ulla collisione legitur: & ita prius in quibusdam aliis legebatur, qui nunc abrasi sunt. non ita tamen, ut non *currum* antiquam lectionem inspicias. Probus tamen, ut alibi diximus, Virgilium ait hujusmodi concursum, nisi faceret synalœpham summa vitasse diligentia. *Pierius.*

Arma tenentem Circumstant animæ.] In omnibus cod. quos versavi, punctum vidi post *tenentem.* Quod referendum omisso puncto videtur ad *circumstant.* E.

487. *Nec vidisse semel satis.*] Musæus: κόρον δ᾽ οὐχ εὗρον ὀπωπῆς. *Germ.*

Usque.] Diu: & est adverbium. *Serv.*

488. *Discere caussas.*] In antiquis codicibus, Romano, & aliquot aliis, *poscere caussas* legitur: eodem modo, quo etiam in primo legi ostendimus. *Pier.*

489. *Proceres.*] Non tantum ordine, sed meritis. *Donatus.*

Phalanges.] Ac si tota Græcia ad inferos migrasse videretur. Ostendit igitur quanti Æneam hostes fecissent in bello: ostendit etiam non sine multa sua cæde vicisse Græcos. *Idem.*

491. *Tre-*

Ingenti trepidare metu. pars vertere terga,
Ceu quondam petiere ratis: pars tollere vocem
Exiguam. inceptus clamor frustratur hiantis.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum videt, & lacerum crudeliter ora,

Or

491. *Trepidare.*] Pro *trepidabant.* Servius.

Trepidare.] Tanaq. Faber lib. 2. epistol. 71. ut probet Ænean apud inferos formidabilem fuisse, locum Ovidii miseris modis torquet, qui est l. 14. Met. ℣. 116. ubi *orce* legendum perperam censet. *Emmeness.*

492. *Ceu quondam petiere ratis.*] Ostendit vitia nec morte finiri. *Servius.*

Pars tollere vocem exiguam.] Ὀξυφώνους appellant manes, quia acutam quandam vocem habent, de qua disputat Gevartius ad Stat. lib. 2. Silv. in princ. & quemadmodum *clamor* hic dicitur *frustrari hiantes*, sic Stat. lib. 4. Theb. manium clamorem *falsum* vocat. *Emmeness.*

493. *Frustratur hiantis.*] Decipit clamare cupientes. Nec nos moveat quod aliis umbris verba dat: hic silentium. Timorem enim exprimit, qui vivis quoque adimit vocem: ut, *Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.* Servius.

494. *Laniatum corpore toto.*] De hac carnificina Deiphobi, ita Dictys Cretens. lib. 5. *Menelaus Deiphobum, quem, post Alexandri interitum, Helenæ matrimonium intercepisse, supra docuimus, exectis primo auribus, brachiisque ablatis, dein naribus, ad postremum truncatum omni ex parte, fœdatumque summo cruciatu necat.* Ab hac historia, & Poëtæ versibus præclare Seneca in Agamemnone,

— *incertos geris*
Deiphobe vultus.

quia vix agnosci poterat præ deformitate. & Ausonius in epitaph.

Et deformato corpore Deiphobus.

Thryphiodorus loquens de morte Deiphobi, tantum signat vulnus *ventris*, μέσσην κατὰ γαστέρα τύψας, scilicet Menelaus: Dares Phrygius redditus ve… tibus, *temporum*: ita enim ait lib. 6.

Impete Deiphobum primo petit, utraq…
jacto
Tempora transadigit jaculo.

Quæsivi sedulo, an aliquis poëta sim… lem descripsisset carnificinam, ut illu… compararem cum Virgilio. sed nem… placuit. Proferam tamen Lucani ve… sus è lib. 2. qui essent boni, si abess… Virgilius. ait ille:

Avulsæ cecidere manus, exectaque li…
gua
Palpitat, & muto vacuum ferit ae…
motu:
Hic aures, alius spiramina naris a…
uncæ
Amputat, ille cavis evolvit sedibus orb…
Ultimaque effodit spectatis lumina me…
bris.

Calaber lib. 12. tantum libavit ha… carnificinam. nam de Sinone ita ait:

Οὔαθ᾽ ὁμῶς καὶ ῥῖνας ἀπὸ μελέων ἐτ…
μον7ο:
Aures simul & nares à membris re…
cant.

Trojani scilicet, ut veritatem ab il… extorqueant. *Cerda.*

495. *Deiphobum videt.*] Qui Helena… duxerat, mortuo Paride. Ad cujus d… mum primum ire necesse erat, ubi fu… rat caussa bellorum: ut, *Iam Deiph… dedit ampla ruinam, Vulcano superan… domus.* Servius.

Lacerum.] Pro *laceratum.* Id est, h… bentem ora dilacerata. *Idem.*

Lacerum crud. ora, ora man. amb. &…
Ἠκρωτηριασμένον. Talem etiam fœd… tionem, & partium extremarum o… truncationem & decurtationem μ… σχάλισμα Græci vocant, & κολοβώμ… τα, & actum μασχαλίζειν, ut Sopho… in Elect. de Agamemnone ab Ægi…

tru

Ora manuſque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto volnere naris.
Vix adeo adgnovit pavitantem, & dira tegentem
Supplicia; & notis conpellat vocibus ultro:
Deïphobe armipotens, genus alto à ſanguine Teucri,
Quis tam crudelis optavit ſumere pœnas?
Cui tantum de te licuit? mihi fama ſuprema
Nocte tulit, feſſum vaſta te cæde Pelaſgûm
Procubuiſſe ſuper confuſæ ſtragis acervom.
Tunc egomet tumulum Rhœteo in litore inanem
Con-

trucidato, ἐμασχαλίσθη. Fuit autem inſigni immanitate tyrannus Epeiri Echetus, qui hoſpites & advenas omni partium extremitate decurtabat: unde & ἐχετισμὸς proverbio ceſſit. *Germanus.*

496. *Populata.*] Vaſtata, id eſt, deformia ſublatis auribus. *Servius.*

Populata.] Vaſtata. ita 1. G. *populant farris acervum.* Scal. l. 4. c. 16. *Taubmannus.*

497. *Truncas.*] Truncatas. *Servius.*

Inhoneſto.] Fœdo, deformi, turpi, ut Terentius, *Illumne obſecro inhoneſtum hominem, quem mercatus eſt here, ſenem mulierem?* Idem.

Truncas inhoneſto, &c.] Truncatas fœdo & deformi vulnere. Græci hoc ῥινοκοπεῖσθαι dicunt. Ita apud Martial. & Athenæum adultero nares abſcinduntur: quod notat Turn. l. 28. c. 46. Cæterum, morem *trucidandi* hoc loco pleniſſime videre eſt: de quo dictum Æneid. 3.

—*patriaſque obtruncat ad aras.*

Vide, quæſo. *Taubm.*

498. *Pavitantem.*] Ne agnoſceretur timentem. *Servius.*

Pavitantem.] Quia præ pudore nolebat agnoſci. De hac efficacia vide Scal. l. 3. c. 26. Poët. *Taubm.*

Tegentem.] Tegere volentem. Nam truncatis manibus quid tegebat? *Tegere* autem eſt celare: ut è contra *nudare* eſt indicare: ut, *Trajectaque pectora ferro Nudavit.* Servius.

Tegentem.] Non quia poſſet manibus, ſed quia toto ſe corpore ſubtrahere conabatur, aut totum avertere. *Don.*

Dira ſupplicia.] Id eſt, vulnera ſupplicii loco inflicta. Euripidi ſunt ἄγρια τραύματα. *Taubm.*

499. *Notis vocibus.*] Amicabilibus. *Servius.*

501. *Quis.*] Non tam interrogantis hæc ſunt, quam admirantis & dolentis. Admiratur primo, cogitare quempiam potuiſſe tot adverſa ſupplicia in viro tam forti: deinde quod auſus eſſet implere; deinde quod totum corpus ſupplicio inſectatus eſſet. *Donatus.*

Optavit ſumere.] Elegit ut ſumeret. *Servius.*

Sumere pœnas.] Soph. in Electra ἀντίποινα λαμβάνεις. Demoſthenes 2. Philip. ita extulit, δίκην ὑπέχειν. *Cerda.*

502. *De te.*] Pro *in te.* Servius.

De te.] Pro, in te: ἐμφατικῶς. Sunt autem hæc omnia non interrogantis, ſed admirantis & dolentis. *Donatus.*

503. *Vaſta te cæde.*] Antiqui omnes codices legunt *vaſta te cæde*, pronomine ſecundæ perſonæ accuſativi caſus interpoſito, pro *vaſta de cæde.* Pierius.

Feſſum procubuiſſe ſuper acervom.] Magna laude afficit: non enim dixit occiſum, ſed procubuiſſe laſſatum. *Donat.*

505. *Egomet.*] Quaſi dicat, Non aliis commiſi. *Idem.*

Rhœteo in litore.] Ubi erat aſylum Ajacis: ſicut in Sigæo Achillis. Et bene illic,

Constitui, & magna Manis ter voce vocavi.
Nomen & arma locum servant. te, amice, nequivi
Conspicere, & patria decedens ponere terra.
Atque hic Priamides: Nihil ô tibi, amice, relictum:
Omnia Deïphobo solvisti, & funeris umbris.
Sed me fata mea, & scelus exitiale Lacænæ

His

illic, quasi ubi tutatus esse potueram. Sane *Rhæteium* dicitur: & facit *Rhæteum*. Cytherea, à Cythera. *Servius*.

Rhœteo in litore.] In Romano codice absque præpositione, *Rhœteo litore* scriptum est: non ita in aliis, & longe melius ea inserta sonat. *Pierius*.

Inanem.] Quia inter hostes confusos jacens reperiri non potuisti. *Donatus*.

Tumulum inanem.] Intelligit tumulum honorarium seu imaginarium, qui iis constituebatur, quorum corpora haberi non poterant. Græcis κενοτάφιον est. Ita de hoc Deiphobi tumulo Ausonius:

Non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocantis
Et pius Æneas & Maro composuit.

Solebant enim manes mortuorum ad tumulum vocare. Ita idem Auson.

—— cui defuit urna sepulcri,
Nomine ter dicto pæne sepultus erit.

Vide Turn. l. 22. c. 10. *Taubm.*

506. *Voce vocavi.*] Non est pleonasmus, sed signat modum, nam vociferanter & clamanter (sic dicam) fiebat vocatio ista, ideo *voce*. Ideo 1. Æn.

—— nec jam exaudire vocatos.

attollebatur enim vox à vocantibus, ut exaudirentur. Ceterum ad hanc rem, in qua sum, sumpta occasio Ausonio ad versus istos,

Proditus ad pœnam sceleratæ fraude Lacænæ,
Et deformato corpore Deiphobus.
Non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocantis,
Et pius Æneas, & Maro composuit.

Cerda.

507. *Et arma.*] Depicta scilicet. *Serv.*

Et arma locum servant.] In Longobardico codice, *locus* nominativo casu legitur. Sed ita *servat* etiam singulare esse debuisset. *locum* tamen quarto casu castiorem esse lectionem ostendit locus alter in VII.

Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna, siqua est ea gloria, signat. Pierius.

Servant.] Obtinent. *Servius.*

Te.] Pro *tuum corpus*: ut, *Nunc me fluctus habet.* Idem.

Te amice.] Feci quod potui, non quod volui, quia te reperire non potui. *Don.*

508. *Ponere.*] Ita Horat. 1. Sat. 9.

Omnes composui felices.

Tibullus lib. 3. 2.

Sic ego componi versus in ossa velim.

Taubmannus.

509. *Atq; hic Priamides.*] In Romano codice, & in quibusdam aliis admodum antiquis legere est, *ad quæ Priamides.* In Longobardico, *ad quem.* quorum utrunque pluribus magis placere video, quam quod in vulgatis habetur exemplaribus. *Pierius.*

Relictum.] In nullo ex his veteribus codicibus inveni verbum *est*, quæ phrasis magis Virgiliana videtur. Quæ tamen particula in quibusdam editionibus invenitur. *Idem.*

510. *Omnia solvisti.*] Quia constituto tumulo manes vocavit. *Servius.*

Et funeris umbris.] Sepulturæ mea umbris. Nam funus illic esse non potuit, ubi nec cadaver quidem fuerat. *Idem.*

Funeris umbris.] Adumbratione sepulturæ in inani sepulcro. Turneb. lib. 23. c. 3. *Taubm.*

511. *Fata mea, & scelus exitiale Lacænæ.*

His merſere malis: illa hæc monumenta reliquit.
Namque, ut ſupremam falſa inter gaudia noctem
Egerimus, noſti; & nimium meminiſſe neceſſe eſt:
Cum fatalis equus ſaltu ſuper ardua venit
Pergama, & armatum peditem gravis adtulit alvo:
Illa

cænæ.] Secundum Mathematicos, qui dicunt etiam inimicitias ex fato deſcendere. Unde iſta conjunxit, *fatum* & *ſcelus* Helenæ, per quæ illi mors contigit. *Servius.*

Lacænæ.] Ad integram cognitionem loci hujus ſciendum, Helenam, interfecto Paride, ceſſiſſe in nuptias Deiphobo, ſtatuente hoc Priamo. Sed Helena ipſa apud Euripidem Troadib. ait:

Βίᾳ δ' ὁ καινός μ' οὗτος ἁρπάσας πόσις
Δηίφοβος, ἄλοχον εἶχεν ἀκόντων Φρυγῶν:

Per vim autem hic novus me rapiens maritus
Deiphobus, uxorem habuit invitis Phrygibus.

Additque, ſæpe ſe voluiſſe demittere funibus è muro, ut rediret ad Græcos: quæ tamen Hecuba eludit, & mendacii Helenam arguit. Inſiſtit porro Virgilius hoc loco narrationi Agamemnonis I. Odyſſ. ubi pariter Græcorum dux narrat Clytemneſtræ facinus adverſum ſe. *Cerda.*

512. *His merſere malis.*] Κατέκλυσε πόνων, & κακῶν apud Eurip. Infra, *fortunave merſit.* Germanus.

Monumenta.] Sermo medius, dictus ab eo, quod moneat mentem. Unde eſt hic de malis. Econtra in tertio, *Manuum tibi quæ monumenta mearum Sunt puer.* Servius.

513. *Falſa inter gaudia.*] Videndus Plato in Philebo, ubi diſputatur, an dici queant gaudia vera, & falſa, ut opiniones veræ & falſæ: & in eam ſententiam fit diſceſſio, ut dici poſſint veræ & falſæ voluptates. Propertius *inanem lætitiam* dixit lib. 3. eleg. 6.

Num me lætitia tumefactum fallis inani.

Cerda.

514. *Egerimus.*] *Ri* metri neceſſitate corripuit. *Servius.*

Meminiſſe neceſſe eſt.] Cicero, *cui placet, obliviſcitur: cui dolet, meminit.* Ergo quia dolet, meminerit neceſſe eſt. *Idem.*

515. *Fatalis.*] Mortifer; ut *Fatiferumque enſem.* Idem.

Fatalis equus.] Seneca in Agamem. de Durateo:

Fatale munus Danaûm.

De eodem Petronius, *uteri notavit fata:* & 2. Æn. *fatalis machina.* Auſonius in epigram. venuſto:

Carminis Iliaci libros conſumpſit aſellus.
Hoc fatum Trojæ eſt, aut equus, aut aſinus. Cerda.

Saltu.] Equum cum dixiſſet, ſaltum dat, ex animalis hujus natura. Ennius quoque in Alexandro apud Macrob.

Nam maximo ſaltu ſuperavit
Gravidus armatis equus,
Qui ſuo partu ardua perdat Pergama.

Poteſt etiam fieri levis alluſio ad lætitiam Græcorum ex capta urbe. Inter notas enim lætitiæ πήδημα σώματος Pollux conſtituit lib. 5. c. 10. *Idem.*

Super ardua venit Pergama.] Aut quod in arce eſt poſitus: aut quia, dejectis muris, ſupra tractus eſt. *Servius.*

516. *Gravis.*] Gravidus. ut, *Graves tantabunt pabula fœtas.* Supra autem dixerat, *Fœta armis.* Idem.

Gravis.] Ita de Trojano equo Poëta metaphora ducta à prægnantibus. Vidiſti jam in Ennio *gravidus*: & Lucret. l. 1.

Nec clam Durateus Trojanis Pergama partu
Inflammaſſet equus nocturno Grajugenarum.

Sed hoc alibi exornavi. *Cerda.*

Gravis alvo.] Id eſt, gravidus. ita de eodem 2. Æn. ✠ſ. 237.

—— *ſcandit fatalis machina muros.*
Fœta armis.

Ita

Illa chorum ſimulans, evantis Orgia circum
Ducebat Phrygias: flammam media ipſa tenebat
Ingentem, & ſumma Danaos ex arce vocabat.
Tum me, confectum curis ſomnoque gravatum
Infelix habuit thalamus, preſſitque jacentem
Dulcis & alta quies, placidæque ſimillima morti.
Egregia interea conjunx arma omnia tectis
Emo-

Ita Ennius:

Nam maximo ſaltu ſuperavit
Gravidus armatis equus,
Qui ſuo partu ardua perdat
Pergama. Taubm.

Alvo.] In Romano codice, *alveo* legitur. Sed magis placet *alvo*, ut in aliis habetur. & in ſecundo eodem modo dictum, *Nota conduntur in alvo.* Pier.

517. *Illa.*] Propter odium, nomen non poſuit: ſic ſupra *Lacænæ* dixit. *Don.*

Chorum ſimulans.] Helena ea nocte ſimulavit, ſe ſacra Bacchi celebrare circa equum, ac tum facibus, quæ erant in miniſterio horum ſacrorum, Græcis ſignum dedit. Diverſa eſt ab hoc Homeri narratio Odyſſ. 4. ubi nihil de ſacris Bacchi, nec de facibus; tantum ait, machinam illam ter luſtratam ab Helena. De eadem Tryphiod. τρὶς περισείχουσα *ter circumiens.* Præclare vero Poëta, *ſimulans.* Nam Helena re quidem uſitata in ſacris potuit Trojanos decipere. Etenim in ſacris & ludis ſolemnis fuit mos jactare lampades. Græci λαμπαδουχεῖν dicunt. Latini fere omnes *jactare* aliqui *rotare.* Claudian. epithal. Palladii:

Et vibrare faces, & noctem ducere ludo.

Diſcurrebant enim in choris, tradebantque ſibi invicem lampades, quod ex Herodoto, Pauſania, Platone, & aliis jam obſervavit Delrius novis comment. in Agam. verſu 350. Lege illum. *Cerda.*

Evantis.] Evanteis Phrygias: aliter non ſtat verſus. *Evanteis* autem Bacchantes à Libero qui *Evan* dicitur. *Chorum* autem ait multitudinem in ſacra collectam. *Servius.*

Evantis.] Ὀργιάζειν, χορεύειν. *Evan* dictus eſt Bacchus. inde Bacchæ ipſæ *evantes*, quod Servius admonet. Sed cum Propertius evantes inducat, facta etiam mentione chori, ut hoc loco Poëta,

Egit ut evantes dux Adriana choros.

exiſtimo tunc Bacchum vocatum hoc nomine, cum Bacchæ choreas celebrarunt, inde hic ex peritia Virgilius locutus; præcedit enim *illa choros ſimulans.* In 7. etiam Æn. in choris Bacchi canitur, *Evoë Bacche.* Inde ſignate Statius in Silvis:

Baſſaridum jactator Evan.

& 5. Theb.

— *& à ſummis auditus montibus Evan.*

Propter clamorem Baccharum. *Cerda.*

518. *Circum Ducebat.*] Diviſit in duos verſus unam partem: ſed ideo quia eſt compoſita. Lyrici vero etiam incompoſitam partem orationis in duos dividunt verſus. *Servius.*

520. *Confectum curis.*] Atqui vacaverat gaudiis: ſed illuc oſtendit, quod ait Statius, *Stant veteres ante ora metus.* Nam curæ ferebantur ſuo impetu ex priſtino bellorum tumultu. Alii hanc ipſam curam volunt: quod habebat conjugem pernicioſam maritis. Unde ſequitur, *Egregia interea conjunx*, per Ironiam. *Idem.*

521. *Infelix thalamus.*] Vel quia in eo talem habui uxorem: vel quia ibi tot ſuppliciis ſum affectus. *Donatus.*

523. *Egregia.*] Pari εἰρωνείᾳ, qua ſupra, *Egregiam vero laudem.* Ut autem, *arma omnia tectis Emovet*, ſic & eadem ſignificatione Od. π. ὅσσά τοι ἐν μεγάροισιν ἀρήια τεύχεα κεῖται, ἐς μυχὸν ὑψηλοῦ θαλάμου καταθεῖναι ἀείρας πάντα μάλα,
nempe

Emovet, & fidum capiti ſubduxerat enſem:
Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit.
Scilicet id magnum ſperans fore munus amanti,
Et famam extingui veterum ſic poſſe malorum.
Quid moror? inrumpunt thalamo. comes additus una
Hortator ſcelerum Æolides. di, talia Grajis
Inſtau-

nempe ut omnem procis armorum capiendorum facultatem adimeret. *Germ.*

Conjunx.] Ex hoc nomine deteſta bilius ſcelus facit, quod violatum ſit conjugium, quod ſacrum eſſe oportet. *Conjunx.* Non dixit *mea*, ſed quæ multorum fuiſſet, neque ſe amaret. *Donat.*

Conjunx.] Dictum jam neque codices antiquos, neque veteres inſcriptiones ullam huic nomini ſcribundo legem præfixiſſe: veteres tamen Grammaticos *ux* literis, *unx* terminandum id adnotaſſe. *Pierius.*

524. *Capiti ſubduxerat enſem.*] Veteres gladium vel ſuſpenſum habebant in cubiculo, ut de Catone teſtatur Appian. l. 2. de bell. civili p. 489. vel ſub pulvino conditum ſervabant, quod de Holoferne notum. Vide de hac re diſputantem Ramirez. ad Martial. l. 1. epigramm. 43. Recte *ſubduxerat*, id eſt, furtim ſubtraxerat ut Donat. ad Ter. E. 4. 7. 25. De ſubducto gladio loquitur Corn. Nep. in Alcibiade c. 10. *ille autem ſonitu flammæ excitatus, quod gladius ei ſubductus erat, familiaris ſui ſubalare telum eripuit.* Emmeneſſ.

525. *Vocat Menelaum, & limina pandit.*] Ante pandit, & ſic vocat: ut, *Subeunt luco, fluviumque relinquunt.* Serv.

526. *Id magnum ſperans fore munus amanti.*] Putavit ſe vitia præterita præſentibus poſſe celare, quod etiam ſequens indicat verſus. *Idem.*

528. *Quid moror.*] Similis locus l. 2.

Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo?
Quidve moror? Et lib. 4.
Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater
Deſtruat.

Itaque advertat ſtudioſus Virgilii, ſimilem locum uſurpandum in conqueſtione, & infecilitate, non in lætitia. *Cerda.*

Inrumpunt thalamo.] In Romano codice, ac pleriſque aliis, *inrumpunt thalamos* accuſativo caſu legitur. Sed *thalamo* dandi caſu, magis poëticum videtur. *Pierius.*

Additus.] In codicibus antiquis pene omnibus, *additus* participii, non verbi voce ſcriptum eſt. *additur* tamen non diſplicet. *Idem.*

Comes additus una.] Ulyſſem dediſſe ſe comitem interfectoribus Deiphobi, Homerus etiam narrat Odyſſ. 8.

Αὐτὰρ Ὀδυσσῆα ποτὶ δώματα Δηϊφόβοιο
Βήμεναι ἠΰτ' Ἄρηα, σὺν ἀντιθέῳ Μενελάῳ:
Cæterum Ulyſſem ad domum Deiphobi
Conſcendiſſe Marti ſimilem cum eximio Menelao.

& Triphyodorus,

— ποτὶ δώματα Δηϊφόβοιο
Στείχουσιν Ὀδυσσεύς τε, καὶ εὐχαίτης Μενέλαος:
— *ad ædes Deiphobi*
Adventant Ulyſſeſque, & bene comatus Menelaus. Cerda.

529. *Æolides.*] Ulyſſes: qui ubique talis inducitur. Nam Anticliæ filius eſt, quæ ante Laërtæ nuptias clam cum Siſypho, Æoli filio, concubuit. Unde Ulyſſes natus eſt. Hoc ei & in Ovidio Ajax objicit, *Quid ſanguine cretus Siſyphio.* Alii *Ilidem* legunt, de quo nuſquam legimus. *Servius.*

Di talia Grajis.] Pulchra apoſtrophe, & multa continens. Oſtendit autem tanti ſceleris ſolos deos ultores eſſe poſſe. *Donatus.*

Instaurate; pio si pœnas ore reposco.
Sed te qui vivom casus, age fare vicissim,
Adtulerint. pelagine venis erroribus actus,
An monitu divûm? an quæ te Fortuna fatigat,
Ut tristis sinesole domos loca turbida adires?

Hac

Dî talia Grajis.] In antiquis codicibus & *Di*, & *Grais*, unico tantum *i* notata sunt, de quibus alibi. *Pierius.*

Dî talia Grajis.] Facta hæc imprecatio ex opinione veterum, qui putabant animas sejunctas à corpore, corporeis adhuc affectibus retineri. In fine hujus libri habes Anchisæ verba hæc:

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes.

Intelligit hærere in ipsa anima separata à corpore affectus, qui insunt in eadem conjuncta cum corpore. Inde itaque iracundia hæc Deiphobi ardentis in Græcos. Probat rem hanc Magius 3. Miscell. c. 5. ex Ovidio 5. Fast. apud quem umbra Remi occisi à Celere pari iracundia,

Sæve Celer crudelem animam per vulnera reddas,
Utque ego sub terras sanguinolentus eas.

& Suetonio, apud quem Nero fatetur exagitari se specie matris, quam occidi jusserat. Livius quoque scribit, Virginiæ manes per domos ad petendas pœnas vagatos. Marianorum animæ Sullam sollicitabant; Orestem matris umbra. Pausaniam phasma Cleonices ab eo trucidatæ. Sed hujus rei seges magna est in Delr. nostro Disquis. Mag. Huc pertinent, quæ ego attuli l. 4. Æn. ad illud:

Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas. Cerda.

530. *Pio.*] In Romano codice, *pios* legitur: sed id librarii potius imperitia, quam ita quis legendum autumet. *Pierius.*

Si.] Siquidem. *Servius.*

531. *Age fare.*] Quærit optime Deiphobus: sed Poëta optimo consilio abscindit responsionem, ne dicta iterum dicenda sint. *Donatus.*

Vicissim.] Quia ipsa narraverat. *Serv.*

Age fare vicissim, Adtulerint.] In antiquis aliquot, *attulerunt* finitivo modo habetur. & (*age fare vicissim*) per interpositionem, sequitur enim, *Pelagine venis*, non venias: quanquam puncta ipsa figuram elocutionis mutare possunt. *Pierius.*

532. *Pelagine venis erroribus actus.*] Non ad inferos, sed ad locum, in quo inferorum descensus est: id est, ad Avernum, si intra terram sunt inferi. Alii altius intelligunt, qui sub terra esse inferos volunt secundum chorographos & geometras, qui dicunt terram σφαιροειδῆ esse, quæ aqua & aëre sustentatur: quod si est, ad Antipodes potest navigatione perveniri: quia quantum ad nos spectat, inferi sunt, sicut nos illis. Hinc est, quod terram esse inferos dicimus: quanquam illud sit, quia novem cingitur circulis. Tiberianus etiam inducit epistolam, vento allatam ab Antipodibus, quæ habet, *Superi inferis salutem.* qua occasione tractat reciprocum hoc, quod diximus supra. Nam prudentiores, etiam animas per μετεμψύχωσιν dicunt ad alterius climatis corpora transire: nec in eo orbe versari, in quo prius fuerint. Unde ait Lucanus, *Regit idem spiritus artus, Orbe alio, longæ canicies si cognita vitæ.* Sciendum tamen Homericum esse. Nam & illic Elpenor similiter Ulyssem interrogat. *Servius.*

534. *Sine sole domos.*] Non est contrarium, *Solemque suum, sua sidera norunt.* Illud enim de campis Elysiis dicit. *Idem.*

Sine sole domos.] Ita Euripid. dixit, ἀνηλίους δόμους, & ἀνηλίους μυχούς. Neque

Hac vice ſermonum roſeis Aurora quadrigis
Jam medium ætherio curſu trajecerat axem:
Et fors omne datum traherent per talia tempus:
Sed comes admonuit, breviterque adfata Sibylla eſt:
Nox ruit, Ænea; nos flendo ducimus horas.
Hic locus eſt, partis ubi ſe via findit in ambas:
Dex-

que hoc contrarium illi eſt. ✠ſ. 641.

— *Solemque ſuum, ſua ſidera norunt.* Illud enim de Campis Elyſiis dicitur. *Taubmannus.*

535. *Hac vice ſermonum.*] Hæc ſacra, ut diximus ſupra, præter unius diei ſpatium non tenebant. Unde veretur Sibylla, ne inanibus fabulis datum, id eſt, ſtatutum & legitimum tempus teratur. Quod autem dicit, *Aurora medium axem trajecerat:* illud oſtendit, quod ſecundum Tuſcos diei ortus eſt à ſexta diei hora. Ortus enim diei habet Auroram. Donatus tamen dicit auroram cum quadrigis poſitam, Solem ſignificare. *Servius.*

536. *Trajecerat.*] *Trajicere* vocabulum proprie nauticum, cum quippiam in litus, ripamve ulteriorem tranſvehitur, habetque ſub agendi ſignificatione frequenter duos accuſandi caſus: ut apud Cicer. *Rhodanum copias trajeci:* aliquando autem ablativo contentum eſt, pro περαιοῦσθαι· ut Liv. bel. Pun. 2. *Amnem vado trajecit:* ſed per metaphoram, ut hic, ad cæleſtia quoque refertur: Cic. De divinat. *Aſſyrii trajectiones, motuſque ſtellarum obſervaverunt.* Et Propert. *Verba per oſtium trajicere:* ut & Græci διαπορθμεύειν ad alia quoque transferunt, reſque amatorias, ut Agathius Epigrammate πορθμεύειν φίλημα dixit calicem ab amaſia delibatum, propinatumque amatori. *Germanus.*

Medium trajecerat axem.] Jam apud ſuperos mortales nox erat media. Hinc autem colligit Macrob. lib. 1. cap. 3. Saturn. *Noctem civilem* à meridie incipere: ut *Diem* à medio noctis. Vide ibid. ut & Agell. lib. 3. cap. 2. *Trajicere* autem vox nautica eſt. Cicero: *Rhodanum copias trajeci.* Livius: *Amnem vado trajicit.* ita Propert. *verba per oſtium trajicere.* Taubm.

537. *Datum tempus.*] Hæc enim ſacra præter unius diei ſpacium, hoc eſt, XXIV. horas, non tenebant. unde noctu deſcendendum, & altera nocte rurſus emergendum. *Idem.*

538. *Sed comes.*] Quæ illi propterea juncta fuit, ut omnibus inſtrueret ignorantem. *Donatus.*

Breviterque.] Quod congruit moram objurganti. *Servius.*

Breviter.] Ne longitudine ſermonis tempus tereret, cum ipſa brevitatis admoneret. *Donatus.*

539. *Nox ruit.*] Si per diem ſacra celebrantur, *Ruit* eſt *imminet:* ſi per noctem, *finitur.* Servius.

Nox ruit.] Diverſo ſignificato dicitur 2. Æn. videlicet de adventante nocte, *& ruit Oceano nox.* Hoc non eſt contra me, nam in Poëtis ſimilia multa. Certe in Virgilio ex multorum explicatione, *cadentia ſidera*, ſunt, vel deſinente nocte, vel appetente. Cum ventus dicitur *cadere*, duplex quoque eſt ſignificatio, dicitur vel de vento incipiente, & incumbente ad procellas vel de eodem ceſſante jam, & deſinente minas, quod in Georgicis probavi. *Cerda.*

Flendo.] Proprie. nam & lachrymæ & gemitus fuerant. *Servius.*

540. *Findit in ambas.*] Compendioſius, quam ſi *duas* diceret. Poteramus enim etiam tertiam ſperare. Sic Saluſtius, *Inter ſecundum atque ultimum bellum Carthaginenſe*, non ait *tertium*. Idem.

In ambas.] Honeſta locutio, *in ambas*

Dextera, quæ Ditis magni ſub mœnia tendit:
Hac iter Elyſium nobis: at læva malorum
Exercet pœnas, & ad inpia Tartara mittit.
Deïphobus contra: Ne ſævi, magna ſacerdos:
Diſcedam, explebo numerum, reddarque tenebris.
I decus,

bas potius quam *in duas.* intellige enim quod ambas vias dixerit, quæ eſſent natæ ex una. *Donatus.*

Hic locus eſt, partis, &c.] Locus aperte Platonis in Gorgia, ubi de his locis ſcribens, ita ait ἐν τῇ τριόδῳ, ἐξ ἧς φέρετον τὼ ὁδὼ, ἡ μὲν εἰς μακάρων νήσους, ἡ δ' εἰς τάρταρον. *in trivio, ex quo geminæ tendunt viæ, altera quidem ad inſulas beatorum, altera autem ad Tartarum.* Pertinent etiam ad illuſtrationem hujus loci, quæ idem Plato ſcripſit in Phædone, ubi ait, hoc iter σχίσεις τε, καὶ τριόδους πολλὰς ἔχειν: *habere multos anfractus & multos tramites.* Quod inde elicit, nam opus eſt ducibus, & ſi una tantum eſſet via (ait ille) nemo erraret. Inde ſupra de Ænea, *ille vadentem ducem ſequitur: &* Æneas ipſe petit ad Sibyllam, *doceas iter, & ſacra oſtia pandas.* Hanc duplicem viam Tibullus attigit lib. 1. eleg. 3.

Sed me qui facilis tenero ſum ſemper amori,
Ipſa Venus campos ducet ad Elyſios.

& deinde

At ſcelerata jacet ſedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra ſonant.

& Horatius lib. 2. Od. 13.

Sedeſque diſcretas piorum.

Diſcretionem vero harum viarum Propertius conſtituit, non hoc loco, quo Poëta, ſed ab initio tranati amnis inferorum. Sic enim loquitur l. 4. eleg. 7.

Nam gemina eſt ſedes turpem ſortita per amnem,
Turbaque diverſa remigat omnis aqua.

Cerda.

542. *Iter Elyſium.*] Ad Elyſium: de quo ſupra diximus. *Servius.*

Hac iter Elyſium] Ἠλύσιος Græcis παρὰ τὸ λύσιν μὴ ἔχειν. *Germanus.*

Elyſium.] De hoc varii varia. vide vel P. Crinitum l. 5. c. 11. *Taubm.*

Malorum.] Impiorum: ut *Multa malus ſimulans, vana ſpe luſit amantem.* Servius.

At læva malorum.] Ad hunc locum legendus Lactant. l. 6. c. 3. & 4. *Emm.*

543. *Inpia tartara.*] Ubi puniuntur impii. *Servius.*

544. *Ne ſævi.*] Ne iraſcere. Terentius, *Ne ſævi tantopere*, & antique dictum eſt. Nam nunc *ne ſævias* dicimus, nec imperativum jungimus adverbio imperantis. *Idem.*

Ne ſævi.] Homerus χαλεπαίνειν. Plautus Epid. *ſi quid ſæviat ſenex.* Cerda.

545. *Explebo numerum.*] Ut diximus ſupra, *Explebo* eſt, minuam. Nam ait Ennius, *Navibus explebant ſeſe, terraſque replebant.* quem Caper ſecutus cum de præpoſitione *Ex* tractaret, hoc exemplum poſuit. Senſus ergo eſt, Minuam veſtrum numerum, & reddar tenebris. Nam circa Æneam & Sibyllam aliquid lucis fuiſſe intelligimus: quippe circa vivos. Unde paulo poſt, *Reſpicit Æneas ſubito.* Et reliqua. Alii *Explebo*, male putant *complebo* eſſe, umbrarum ſcilicet, à quibus diſceſſerat, numerum. Alii *explebo numerum*, dicunt eſſe finitum tempus ſtatutum purgationi & in corpus recurram. *Serv.*

Explebo numerum.] Id eſt, ad tenebras revertens implebo numerum umbrarum. Atque extenuatione uſus, *numerum* vocat, ordinem quaſi vilem & abjectum. quomodo Flaccus dixit: *Nos numerus ſumus.* Quæ quidem ſententia Naſcimbænio aliiſque ſimpliciſſima & veriſſima judicatur. At Servius etiam ille Dan. & Caper, & P. Lætus aliique exponunt; minuam veſtrum numerum: ut ſcil. è tribus vos duo tantum remaneatis.

I decus, i, nostrum; melioribus utere fatis.
Tantum effatus, & in verbo vestigia torsit.
Respicit Æneas subito, & sub rupe sinistra
Mœnia lata videt triplici circumdata muro:
Quæ

neatis. Ennius:

Navibus explebant sese, terrasque replebant.

Et notat P. Merula ibid. Glossarium Fornerii hoc indicare, dum *Explere* interpretetur, ἀποθάλλειν, ἐκτίθεσθαι. Aliorum opiniones vide apud Serv. Sed & Macrobius l. 1. c. 13. de Somn. Scip. subtiliter de his disputat: & hæc ipsa Poëtæ verba laudat: quæ Beroaldo & aliis quidem valde placent, aliis tamen non item. Videatur & Cælius l. 22. c. 9. item Nascimb. *Taubm.*

Reddarque tenebris.] Nam legimus, *Clausæ tenebris & carcere cæco:* ut sit sensus, Irasceris mihi quasi homo: nonne & ego homo futurus sum? Alii dicunt cur irasceris? in locis his sum, quamdiu vitæ per vim ereptæ expleam tempus: post *tenebris*, id est, meis sedibus reddar. Sed hæc omnia, congrua loco non esse, manifestum est. Non enim intelligere possumus, Sibylla aliud volente, scilicet ut abscederet; Deiphobum ad aliud respondisse. *Servius.*

546. *I decus, i, nostrum.*] Aut, *I decus nostrum, utere melioribus fatis*, inferorum scilicet hac comparatione: quia ait supra, *An quæ te fortuna fatigat, Ut tristeis sine Sole domos, loca turbida adires?* Aut certe, *I decus, & fatis utere nostrum melioribus:* id est, quam aut ego aut tu habuimus. *Idem.*

Melioribus utere fatis.] Placavit Sibyllam, & Æneæ felicia ominatus est. *Donatus.*

547. *In verbo vestigia torsit.*] Est hoc, quod Catull. de Nupt. Pelei: *pedem reflexit.* Cerda.

Torsit.] In Romano codice *pressit* legitur. Est vero idem *premere vestigia* atque ingredi. Quia tamen de digressu loquitur, melius est *torsit*. Pierius.

548. *Subito & sub rupe.*] In aliquot codicibus antiquis versus hic non habet *&* copulativam. Sed locus hic particulam eam omnino exigere videtur. *Idem.*

Rupe.] Rupem hanc, quæ est ad Tartarum, Homerus vocat petram, 10. Odyss. ad quam ille constituit Phlegethontis & Cocyti in Acherontem influxum. Scias hîc tam à Virgilio, quam ab Homero discriminari Tartarum ab inferno. De Homero satis multa Spondanus; de Virgilio id certum. Nam Æneam facit infernos adeuntem, nunquam tamen Tartarum. Ex quo enim Æneas Charontis fluvium transmisit, pedem in inferno posuit: jam hîc tantum videt Tartarum, nunquam ad illum advertit, docetur solum à Sibylla de rebus, quæ intus essent. Porro locum nocentium Virgilius nominat Tartarum, Plutarchus in opere, λάθε βιώσας, appellat ἔρεβος, καὶ βάραθρον, *Erebum, & barathrum*, distinguitque hanc partem ab Elysiis, & de Consol. ad Apollonium vocat Tartarum, δίκης καὶ τίσεως δεσμωτήριον: *justitiæ carcerem, atque ultionis.* Quæ verba sumpsit à Platone, qui in Gorgia: τὸ τῆς τίσεως τε καὶ δίκης δεσμωτήριον, ὃ δὴ τάρταρον καλοῦσι. ubi ait vocari Tartarum justitiæ atque ultionis carcerem. Observa, rupem hanc dici, *sinistram*, ex doctrina ejusdem Platonis lib. 10. de Rep. qui ἀδίκους, id est, *injustos* constituit εἰς ἀριστερὰν, *ad lævam.* Sic sup.

—— at læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit. Cerda.

549. *Mœnia lata videt.*] Tartarum dicit, quem vult esse carcerem inferorum. Quod autem ait *lata*, nocentum exprimit multitudinem. *Servius.*

Mœnia lata videt.] Locum describit idoneum coërcendis reis. Primo triplici muro clauditur, ne facile evadere possint.

Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque ſonantia ſaxa.
Porta adverſa ingens, ſolidoque adamante columnæ:
Vis

ſint. Portæ ita ſunt robuſtæ, ut neque vi divina, neque humana poſſint frangi. Poſtremo omnia fluvius claudit, qui & ſaxis & flammis tranſitum prohibet. *Donatus.*

Triplici circumdata muro.] Valde munitum indicat locum. *Servius.*

550. *Quæ rapidus, &c.*] Silius, & Claudianus Poëtam imitantur. Prior lib. 13.

—— *late exundantibus urit*
Ripas ſævus aquis Phlegethon, & turbine anhelo
Flammarum, reſonans ſaxoſa incendia torquet.

& infra:

Ardenti Phlegethonte natat, fervoribus atris
Fons rapidus furit, atque uſtas ſub gurgite cautes
Egerit, & ſcopulis pulſat flagrantibus ora.

Poſterior 2. Rapt.

—— *dominis intrantibus ingens*
Aſſurgit Phlegethon flagrantibus hiſpida rivis
Barba madet, totoque fluunt incendia vultu.

Plutarchus loquens de his locis, ποταμῶν φλεγομένων, *ardentium fluviorum* in opere de aud. Poëtis. *Cerda.*

551. *Torquet.*] Trahit, volvit. *Servius.*

Sonantia ſaxa.] In Romano codice, *tonantia ſaxa* legitur: quod non æque placet. *Pierius.*

552. *Porta adverſa ingens.*] Diſtinctione excludendum eſt vitium de duobus epithetis. *Servius.*

Solidoque adamante.] Lapis eſt duriſſimus, & tantæ ſoliditatis, ut nec ferro poſſit infringi, quem hircino ſanguine frangi dicunt. *Idem.*

Solido.] Ex Theocrito haud dubie, qui in Ptol. στερεοῖο ἐξ ἀδάμαντος. Sic Statius 3. Theb.

—— *ſolidoque datos adamante lacertos.*

Cerda.

Adamante.] Dictum hoc καθ' ἐξοχὴν, & proverbiali quadam ſpecie, qua dura omnia dicuntur eſſe adamantina. Statius lib. 7. de regia Martis,

—— *clauſæque adamante perenni*
Diſſiluere fores.

Apud eundem lib. 3. equi Martis, *mandunt adamanta.* & Mars ipſe apud Horat. inducitur *tunica adamantina*: apud Manilium lib. 1. Diſcordia vincitur *catenis adamanteis.* Idem ſermo creberrimus Græcis. Apud Heſiodum in Theog. quiſpiam dicitur habere, θυμὸν ἀδάμαντος. apud Platonem 10. Polit. ἀδαμαντίνως ἔχειν dicitur, qui ſe habet firmiter. apud Athenæum lib. 13. ex Pindaro, qui amore non vincitur, dicitur habere cor ἐξ ἀδάμαντος, ἢ σιδήρου. Prometheus in Æſchylo alligatur ἀδαμαντίναις πέδησιν, & ἀδαμαντίνου σφηνός. Pindarus Od. 4. Pyth. ἀδαμάντινον ἄροτρον. Oppian. 3. venat. ἀδαμάντινον ἄορ. Æſchines contra Cteſiphontem loquens de Demoſthene mere proverbialiter: Χαλκοῖς καὶ ἀδαμαντίνοις τείχεσιν, ὡς αὐτός φησι, τὴν χώραν ἡμῶν ἐτείχισε: *æreis muris, & adamantinis, ut ipſe ait, regionem noſtram munivit.* Cedrenus etiam proverbialiter pag. 524. ἀδαμαντίνοις δή, ὡς ᾤετο, δεσμοῖς τὴν βασιλείαν ἀσφαλισάμενος: *adamantinis vinculis, ut ipſe putabat, regnum communiens.* Signate invenio hanc vocem datam rebus infernis. Nam hic in Virgilio columnæ Tartari ſunt ex adamante. Ovidius 4. Met. Inferni fores facit *clauſas adamante.* & viæ ipſæ inferorum in Propertio lib. 4. eleg. 12. nam ait:

Non exorato ſtant adamante viæ.

Theocritus quoque in Pharmaceut. καὶ τὸν ἐν Ἅιδα κινήσεις καὶ ἀδάμαντα. *Cerda.*

553. *Vis*

Vis ut nulla virûm, non ipsi exscindere ferro
Cælicolæ valeant. stat ferrea turris ad auras:
Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, & sæva sonare
Verbera: tum stridor ferri, tractæque catenæ.
Constitit Æneas, strepitumque exterritus hausit:

Quæ

553. *Vis ut nulla virûm.*] *Virûm* non l sexum retulit, sed ad virtutem: hoc t, virorum fortium. ut Cicero, *Vim res illa quærebat.* cum de viro forti ceret. Per hoc autem ostendit nullum : tartaro ad superos posse remeare, ne uminum quidem favore. *Servius.*

Ferro.] In Romano codice & aliquot iis antiquis, *bello* pro *ferro* habetur, oc est, magno quantumlibet conatu. :d lectionem vulgatam *ferro*, nunıam ego mutaverim. *Pierius.*

554. *Stat.*] Eminet. *Auras* autem feris congruas intelligamus. Statius : Mercurio ait, *Pigræ auræ ejus impeebant volatum.* De illo enim loco mulquærunt, *Quis tantus plangor ad auus?* Et Pollio dicit Æneæ & Sibyllæ, ıas illi secum traxerant: cum constet, se etiam illic auras. *Servius.*

Ferrea turris.] Hoc quoque dictum κατ' ἐξοχὴν. sed alibi firmo. Ab Homero 8. Il. portæ inferni dicuntur ferεæ, pavimentum æreum.

Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι, καὶ χάλκεος οὐδός.

ta & Statius 7. Theb. communit ferro Iartis regiam:

Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt tecta columnis.

oan. Chrysost. homil. de Morte proerbialiter, εἰ γὰρ λίθος ἦν εἰ γὰρ σίδηρος. Cerda.

555. *Palla cruenta.*] Cruor veteribus ıvisus erat: & eo omnia contaminari ːnsebant. Turn. l. 28. c. 46. *Taubm.*

556. *Vestibulum exsomnis.*] In Lonıbardico, in Mediceo, & aliquot aliis veteribus exemplaribus *exsomnis* legitur. Et in aliquot detrita *s* litera post *x*, *exomnis*. Id enim in plerisque aliis dictionibus asperitatis evitandæ caussa, multi facere consueverant. *Pierius.*

Vestibulum.] Sic ✝ſ. 579.

—— *cernis custodia qualis*
Vestibulo sedeat? facies quæ limina servet.

De excubiis habitis in vestibulo Pignor. de servis. p. 215. *Emmeness.*

557. *Exaudiri.*] Exaudiebantur *Servius.*

Et sæva sonare Verbera.] Sunt antiqui codices, in quibus *sonore*, hoc est sonitu legatur: quo vocabulo etiam alibi usus est Virgilius. Sed & illud etiam, *Verberaque insonuit*, dixit. *Pier.*

Sonare.] Adverti hoc verbo signari furorem Eumenidum. Seneca Oedip.

Tum torva Erynnis sonuit.

Statius 2. Theb.

—— *sæpe Eumenidum vocesque manusque*
In medium sonuere diem.

& 8.

Addit acerba sonum Theumesi è vertice crinem
Tisiphone.

In 11. uni Furiarum dat somnum, ex quo alteri innotuit, *Accipit illa sonum.* Cyrillus in Nahum dixit, φωνὴ μαστίγων: *sonitus verberum.* Cerda.

558. *Tractæque catenæ.*] Et genitivus singularis potest esse, & nominativus pluralis. *Servius.*

559. *Strepitumque exterritus hausit.*] Hoc est, Hausit, & exterritus est, & Hypallage est. *Idem.*

Hausit.] In Romano codice, *hæsit* habe-

560 Quæ ſcelerum facies? ô virgo, effare: quibuſve
Urguentur pœnis? qui tantus plangor ad auras?
Tum vates ſic orſa loqui: Dux inclute Teucrûm,
Nulli fas caſto ſceleratum inſiſtere limen:
Sed me, cum lucis Hecate præfecit Avernis,

Ipſa

habetur. & ita legebatur in Longobardico: quod tranſverſo calamo deletum eſt, appoſitumque *hauſit* aliena manu & atramento. Servius *hauſit* agnoſcit, & hypallagen figuram. *Pierius.*

560. *Scelerum facies.*] Species: ut ſupra, *Viſa maris facies, & non tolerabile numen.* Servius.

Scelerum.] Ut explicui, ita omnes. Sed fortaſſis *ſcelerum*, poſuit pro, *ſceleratis.* ut Terent. *ubi eſt ſcelus qui me perdidit*, pro ſceleratus. Quæ enim ſequuntur in Poëta, videntur hoc facere, ut ſit ſententia: Quæ eſt facies ſceleratorum? quibus urgentur pœnis? quis illorum plangor? Nam verbi illius *urgentur*, nullum eſt aliud ſuppoſitum. *Cerda.*

Quibuſve Urguentur pœnis.] Velius Longus quum Attii conſuetudinem improbet, de ſubjicienda *u* vocali poſt literam *g* in pleriſque verbis, Virgilium abſque *u*, *urgentur* ſcripſiſſe, hoc loco teſte contendit. *Pierius.*

561. *Qui tantus plangor ad auras.*] In Romano, & Longobardico, *qui tantus plangor*, legitur. Et alibi dictum ab eodem Virgilio, *Qui caſus agat res* contra Grammaticorum præceptiones Cariſius obſervat. *Quis tantus, &c.* in non nullis legas. Sunt & codices, ubi pro *auras*, ſcriptum invenias *ad aures*, quod non æque placet. *Idem.*

562. *Vates ſic orſa.*] In Romano codice *tunc vates hinc orſa.* Sed magis placet, *ſic orſa*, ut in aliis habetur. *Idem.*

Dux inclute.] Magna Poëtæ copia. quoties enim Sibyllam loquentem inducit cum Ænea, toties principia cum ejus laude variavit. *Donatus.*

563. *Nulli fas caſto.*] Pio. Et hæc reſponſio oſtendit Æneam quidem voluiſſe ingredi: ſed quaſi pium prohibitum. *Servius.*

Nulli fas caſto.] *Caſtus* Latinis, qui Græcis ἁγνός· non ſolum τὰ ἀφροδίσια reſpiciunt, ſed pium, mundum, purum, intemeratum ſignificant, ut credo præmonuiſſe me ſupra eo loco: *caſti maneant in relligione nepotes.* Germanus.

Inſiſtere limen.] *Inſiſto illam rem* dicimus, non *illi rei*: quod qui dicunt, decipiuntur propter, *Inſto illi rei.* Servius.

Sceleratum inſiſtere limen.] *Limen* idcirco *ſceleratum* dixit, (ut indicavit mihi Paſſeratius, cum ſequentibus quæ ad hunc locum attinent) quia furiarum ſedes eſt in limine: ut lib. 4. *Ultriceſque ſedent in limine Diræ.* item hoc lib. 6. *cernis cuſtodia qualis Veſtibulo ſedeat:* item: *Tiſiphoneque ſedens palla ſuccincta cruenta, Veſtibulum inſomnis ſervat noctesque dieſque.* At ſedes ea Furiarum vocatur *ſcelerata.* Ovid. lib. 4. Metam. *Carceris ante fores clauſas adamante ſedebant, Deque ſuis atros pectebant crinibus angues: Quam ſimul agnorunt inter caliginis umbras, Surrexêre deæ: ſedes ſcelerata vocatur:* item Tibul. Eleg. 3. l. 1. *At ſcelerata jacet ſedes in nocte profunda Abdita, quam circum flumina nigra ſonant: Tiſiphoneque impexa feros pro crinibus angues Sævit, & huc illuc impia turba fugit.* Germanus.

Inſiſtere limen.] Non decipiuntur, qui huic verbo dativum jungunt. Cic. 3. Orat. *Quonam igitur modo tantum munus inſiſtemus.* Adeundus Sanctius, qui in Minerva p. 167. hunc Servii errorem pluribus refellit. *Emmeneſſ.*

564. *Sed me.*] Quia occurrebat, Unde ipſa cognoviſti? *Servius.*

565. *D.ûn*

Ipsa Deûm pœnas docuit, perque omnia duxit.
Gnossius hæc Rhadamanthus habet durissima regna,
Castigatque auditque dolos; subigitque fateri,
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuo sontis ultrix accincta flagello

Tisi-

565. *Deûm pœnas docuit.*] Aut quas nocentibus statuerunt: aut Titanum, quos legimus deos ex terra pronitos. Aut re vera dicit pœnas deom. Fertur namque ab Orpheo, quod pejerantes per Stygem paludem, nom annorum spatio puniuntur in Tarro. Unde ait Statius, *Et Styx perjuri divûm Arguit.* Idem.

566. *Rhadamanthus.*] Radamanus, Minos, & Æacus filii Jovis & uropæ fuerunt: qui postea facti sunt ud Inferos judices. *Idem.*

567. *Subigitque fateri.*] Compellit l confessionem. *Idem.*

568. *Furto lætatus inani.*] Latebra on valde profutura: quippe quæ fuent publicanda post mortem. *Idem.*

569. *Distulit in seram.*] Gravem: Salustius, *Serum bellum in angustiis turum.* Idem.

Distulit.] Nam quamvis homines elerati tacuerint, non tamen pœnas aserunt, sed in aliud tempus distuleint. *Donatus.*

Conmissa piacula.] Propter quæ exatio debetur. *Servius.*

Conmissa piacula.] *Commissum piacum* est, cum aut scelus, aut fraus, aut igitium factum est, cujus causa piaılum dandum, vel sacra facienda sunt acularia. Turneb. l. 28. c. 46. *Taubm.*

570. *Ultrix.*] Tametsi Furiæ omnes trices dicantur, ut alibi dixi, sed peıliariter hoc nomen convenit Tisiphoæ. τίσις enim Græcis ultio est. Staus 8. Theb.

Sed quid ego hæc ita? Tartareas ulciscere
sedes
Tisiphone.

erum, ——*plus erigit ultrix*
Tisiphone.

Eodem spectat, vindicem dici ab eodem hanc Furiam lib. 1. Atque adeo credi potest, ab hac una Furias reliquas dici ultrices. *Cerda.*

Accincta flagello.] Aut hoc dixit quod videmus: quia qui longo flagello utitur, ut id post ictum in se revolvat, necesse est. Aut *Accincta*, dixit instructa ad verbera scilicet, id est, nocentes flagello quatit ipsa præparata. *Servius.*

Flagello.] Hoc armantur Furiæ. Stat. 11. Theb. de una Furiarum,

Diva ter admoto tetigit thoraca flagello.
Valer. Flacc. lib. 8.

—— *torto Furiarum erecta flagello*
Prosilit.

Et nota ex triplici genere verberationis, assumptum deterius, quod omnino servile, relictis videlicet fustuario, & virgis. Omnis enim verberatio fiebat aut fuste, aut virgis, aut flagello. Extrema hæc turpissima, inhonestissima, crudelissima, ac præterea servilis. *Ex quib. caussis*, inquit Marcellus JC. L. servor. ff. de pœnis, *liber fustibus cæditur, ex his servus flagellis cædi, & domino reddi jubetur.* Ab hac pœna Horatius signat Menam servum, Od. 4. Epod. *Sectus flagellis hic triumviralibus.* Merito ergo res plenissima dedecoris assignata à Poëta ad carnificinam nocentium. Addunt Poëtæ, flagella ista esse viperea. Statius 7. Theb.

Has ubi vipereo tactas per utramque
flagello
Eumenis in furias, &c.

Ideo Valer. 7. Arg.

Ipsum (Orestem) *angues, ipsum horrisoni quatit ira flagelli.*

Cerda.

Flagello.] Inde apud Stat. Theb. l. 2.

——*sæpe*

Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans anguis, vocat agmina sæva sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ
Panduntur portæ. cernis, custodia qualis

Vesti

— sæpe Eumenidum vocesque manusq;
In medium sonuere diem. —
Emmeness.

571. *Torvosque.*] In antiquis aliquot exemplaribus, *tortos* legitur. Sed *torvos* in pluribus habetur. *Pierius.*

572. *Intentans.*] Commodissime. Nam in hoc verbo insunt minæ & peculiaris quidam furor, quod monuit Dousa lib. 1. Præcidan. cap. 5. Hac enim phrasi usi Tacitus, Hirtius, Livius, Cicero, & Petronius ipse sæpe, ut cum ait: *intentavi in oculos Ascylti manus.* Pete reliqua ab illo. Huc trahit quoque *digitorum intentationem* apud Senecam. Inde & Virg. *intentant omnia mortem.* Eodem verbo usus Seneca in Furiis, nam in Medea,

Aut cui cruentas agmen infernum faces
Intentat.

& Philosoph. ep. 14. *Nihil habent, quod intentent.* & ep. 71. *In oculos nunc mihi manus intentat ille.* Cerda.

Intentans anguis.] Furiæ in capite & manibus habere angues ad majorem incutiendum terrorem fabulantur poëtæ. Quædam dicta l. 4. Georg. ℣. 482. Catull. in Argonaut.

Eumenides quibus anguineo redimita capillo
Frons exspirantis præportat pectoris iras.
— Et obstantes rejecit ab ore colubras.

Ovid. l. 4. Met. ℣. 490. de Tisiphone:

Nexaque vipereis distendens brachia nodis.

Emmeness.

Vocat agmina sæva sororum.] Aut impetus: ut de Harpyiis dixit: aut serpentum agmina, quos pro comis habent. *Servius.*

Agmina sæva sororum.] Nescio qua consensione poëtarum dictum est *agmen* de Furiis, etiamsi tantum sint tres. Credo, ad signandas illarum iras. Valer. Flacc. 2. Arg.

— velut agmina certant
Eumenidum.

Seneca in Thyeste, *dira Furiarum agmina.* & in Furent.

— agmen horrendum anguibus
Megæra ducat.

Omitto multos. Statius vocem mutavit, nam pro *agmine* dixit *aciem.* 1. Theb.

— quis funera Cadmi
Nesciat? & toties excitam à sedibus imis
Eumenidum bellasse aciem?

Seneca *turbam* nominat, cum ait in Medea.

Quonam ista tendit turba Furiarum impotens?

Nondum reperi *exercitum.* Possit illo uti, qui velit. Male itaque quidam interpretes per *agmina* intelligunt Harpyias. Nam cur non Virgilius loquitur, ut poëtæ alii? Quid, quod nomen *sororum* de Furiis dicitur, ut patet e Statio 2. 11. & 12. Theb. quæ tu vide. *Cerda.*

573. *Tum demum horrisono strident cardine sacræ Pand. portæ.*] Mittuntur, inquit, post verbera ad æternum supplicium. Et est secutus ordinem juris antiquum. Nam post habitam quæstionem, in Tullianum ad ultimum supplicium mittebantur. Alii hoc à poëta dictum volunt, ut illa loquente intelligamus portam esse patefactam. Alii continuant narrationem. *Servius.*

Sacræ.] Execrabiles. *Idem.*

574. *Cernis, custodia qualis.*] *Custodia* est quæ custodit, non quæ custoditur. Usurpatum est autem sicut *hospita*, sic *neptis*. Nam *hic* & *hæc custos* facit. Illa enim quæ in *o* exeunt, ut *fullo*: in *os*, ut *nepos*: in *es*, ut *hospes*, fœminina ex se non faciunt: quæ autem invenimus, usurpata sunt. Unde & dissimilia inveniuntur. Nam *custos*, *custodia* facit: nep

Vestibulo sedeat? facies quæ limina servet?
Quinquaginta atris inmanis hiatibus Hydra
Sævior intus habet sedem. tum Tartarus ipse

Bis

epos, neptis: hospes, hospita. Servius.

Custodia qualis.] Non expressit quæ esset, ut quicquid tetrum, horrendum, c detestabile esset, contuens collige-:t æstimatio. Ergo suppressit speciali-item, ne sola putaretur, quæ forte po-uisset. *Donatus.*

Custodia.] Pro custodibus. ita Tibull. 1. el. 9. —— *poterat custodia falli.* l est, custodes. *Taubm.*

575. *Vestibulo sedeat.*] Megæram si-nificat. *Servius.*

Sedeat.] Ut ostendat assiduitatem & ontinuationem facti. *Donatus.*

576. *Quinquaginta.*] Hoc autem di-t, Cernis hanc quam sæva sit? est in-us alia. *Servius.*

Atris inmanis hiatibus.] Quæ est sæ-or, quam Hydra fuit. Multi ipsam Hy-ram volunt, quod non procedit. Nam im in aditu legimus inferorum: ut, *ic bellua Lernæ*: quam alii tria volunt abuisse capita: alii novem: Simoni-es quinquaginta dicit. *Idem.*

Quinquaginta atris.] De artificio ujus versus, in quo voracitas feritas-ue Hydræ exprimitur, curiosissime dis-itat *Barthol. Maranta Venusin.* Nam *A* & *I.* alternatim replicantur: ho-unque lector per vices aperire & clau-ere os cogitur, quæ mandentium ima-o est. Præterea ex repetito elemen-) *Q.* crassum illum spiritum, quem erisimile sit ex tali monstro efflari, stendi. illudque, *gint atris*, propter oncursum ejusdem literæ morari oris pertionem, quod majorem terrorem icutiat. Sed & Syllabæ *hi* & *hy* avidi-item & hiatum repræsentant. Deni-ue per repetitum *S.* serpentinum sibi-im aptissime expressisse, &c. Videan-ır ibidem longe plura. *Taubm.*

Hydra sævior intus.] Plurimi intelli-unt Tisiphonem, quæ Hydra ista, quæ ı aditu posita est, sævior sit. Quos lascimb. copiose refutat: & de una eademque Hydra capit: quæ pro ne-cessitate huc illucque arcessatur: sicuti & Furiæ, quæ perinde suos in aditu In-ferorum thalamos habeant; tamen hic etiam ad Tartarum collocantur. Alle-goriam autem quinquaginta horum ca-pitum tractat Plato in Euthydemo. *Idem.*

577. *Tartarus.*] Vel quia omnia il-lic turbata sunt, ἀπὸ τ̃ ταραχῆς: aut quod est melius, ἀπὸ τ̃ ταρταρίζειν, id est, à tremore frigoris. Sole enim caret. *Servius.*

Tum Tartarus ipse.] Hesiod. in Theog. τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσον οὐρανός ἐς' ἀπὸ γαίης, ἶσον γὰρ τ' ἀπὸ γῆς ἐς τάρταρον ἠερόεντα. Et hi versus tam Græci quam Latini supra positi sunt. Ut autem Græci τάρταρον & τάρταρα dicunt, sic & Latini eadem sexus mutatione, & usu vocis delectati sunt, quam Servius ἀπὸ ταραχῆς, vel τ̃ ταρταρίζειν deducit. *Tartarum* vero etiam pœnis exercendis locum deputatum, memoravit Plato, & in Phædone aquarum principium, fon-tem, & conceptaculum esse, ipsasque evomere & resorbere statuit, ipsumque nec fundamentum habere nec firma-mentum, sed semper circa medium spi-ras agere, atque motum sursum deor-sumque in amnium rivos exundare & influere: aquas item nonnullas ex eo plerisque in locis stagnare, cujusmodi sit mare: omnes autem ad principium, unde fluere cœperint, in orbem relabi. Eam tamen Platonis sententiam his opportunissimis argumentis Aristotel. lib. Meteor. 2. refellit: Συμβαίνει δὲ τοὺς ποταμοὺς ῥεῖν, &c. Decernit autem idem Aristot. aquæ quidem mare pro-prium locum, non principium tamen, ut quæ extra mare generetur, & sur-sum in aëre, & intra terram ipsam, flu-xuque orta in mare, ut opportunissi-mum receptum, finemque feratur. *Germanus.*

578. *Bis*

Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras:
Quantus ad ætherium cæli suspectus Olympum.
Hic genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.
Hic & Aloïdas geminos inmania vidi

Cor

578. *Bis patet in præceps.*] Ideo *in præceps* addidit: quia potest quid etiam sursum patere. Videtur autem hoc prudentioribus ideo dictum, quia secundum rationem Sphæræ Sol cum in unam concesserit partem, duæ quasi Tartarum faciunt: una à qua discessit: & altera, ad quam nunquam accedit. quod melius sphæræ indicat ratio. Hoc autem dicit, Tartarus ipse bis tantum in præceps patet, & tendit sub umbras. *Servius.*

Bis patet in præceps.] Ut si cæli altitudo sit centum, profunditas inferni sit ducenta. ne Aloidæ, qui manibus cælum tangerent, ex infimo inferno fastigium possent tangere, & inde abire. *Donatus.*

Bis patet in præceps, &c.] Quemadmodum Homerus, cujus locum citat Macrob. l. 5. Saturn. c. 3. & Hesiodus æquale spatium statuunt, ita & Apollodorus in princ. l. 1. Τάρταρος τόπος ἐρεβώδης ἐστὶν ἐν ᾅδου, τοσοῦτον ἀπὸ γῆς ἔχων διάστημα, ὅσον ἀπ' οὐρανοῦ γῆ. *Tartarus locus est tenebrosissimus, qui tantum à terra distat quantum à cœlo terram abesse ferunt.* Emmeness.

579. *Quantus suspectus.*] Id est, altitudo ad Olympum ætherium: & deest est. Servius.

580. *Hic genus antiquum terræ.*] Id est, primum. Titanas enim contra Saturnum genuit: Gigantes postea contra Jovem. Et ferunt fabulæ, Titanas ab irata contra deos Terra, ad ejus ultionem creatos: Unde & Titanes dicti sunt ἀπὸ τῆς τίσεως, id est, ab ultione. De his autem solus Sol abstinuisse narratur ab injuria numinum: unde & cœlum meruit. *Idem.*

Titania pubes.] In Romano codice, *proles* legitur. Sed non displicet *pubes.* Quia Hesiodus ait eos centesimum adhuc annum agentis in sinu matris la-ctentis decubuisse: quamquam etiar si non respicias ad Hesiodum, *Pubes* pr qualibet juvenum manu non indecer ter positum esse dixeris. *Pierius.*

582. *Aloïdas geminos.*] Aloëus Iph mediam uxorem habuit: quæ compres à Neptuno, duos peperit, Othum & Ephialtem: qui digitis novem per singulos menses crescebant. Freti itaqu altitudine, cœlum voluere subvertere sed confixi sunt Dianæ & Apollinis te lis. *Aloïdas* autem sic dixit, ut de He cule *Amphitryoniades* dicimus. *Serviu*

Geminos.] Sui similes. *Idem.*

Aloïdas geminos.] Fabulam de Oth & Ephialte pertractat Apollod. l. 1. Biblioth. Ἀλωεὺς ἔγημεν Ἰφιμέδειαν· ἣτ Ποσειδῶνος ἠράσθη, καὶ συνεχῶς φο τῶσα ἐπὶ τὴν θάλασσαν, χερσὶν ἀρυ μένη τὰ κύματα τοῖς κόλποις ἐνεφόρ συνελθὼν δ' αὐτῇ Ποσειδῶν δύο ἐγέννη παῖδας Ὦτον καὶ Ἐφιάλτην τοὺς Ἀλωε δας λεγομένους. *geminos peperit Otu & Ephialten, quos Aloidas appellarun* Plura illic & apud Hyginum fab. 2 Qui mutuis telis occubuisse testatu Attingit etiam Claudianus de bel Getico:

Quid mirum si regna labor mortalia v
xat?
Cum gemini fratres, genuit quos asp
Alous
Martem subdiderint vinclis, & in ast
negatas
Tentarunt munire vias, &c.

In hoc loco Maronem non adæqua majestatem Homeri exponit Macro l. 5. Saturn. c. 13. *Emmeness.*

Inmania.]

Namque novem cubitos ambo crevê
novennes

In l

Corpora: qui manibus magnum reſcindere cælum
Adgreſſi, ſuperiſque Jovem detrudere regnis.
Vidi & crudelis dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis & ſonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis, & lampada quaſſans,
Per Graiûm populos, mediæque per Elidis urbem
Ibat ovans, divûmque ſibi poſcebat honorem,
Demens! qui nimbos, & non imitabile fulmen

Ære

In latum: longumque novem corpus fuit ulnas: Ut de his Hom. Od. XI. vel, ut Apollodorus lib. 1. de Orig. deor. qui quotannis latitudine cubitum, longitudine vero ulnam crevêre: & nono ætatis anno Jovi bellum moverunt. Male autem vulgus cum Natali Com. *Gigantes* & hos *Aloidas* confundunt. Vide Spondan. ad Hom. Jam de arte Carminis, Scalig. lib. 5. cap. 3. videatur. *Taubm.*

585. *Crudelis pœnas.*] Sævas, nimias. Nam non dicit indignas ferentem, qui ſacrilegus fuit. *Servius.*

Salmonea.] Salmoneus Æoli filius fuit, non regis ventorum, ſed cujuſdam apud Elidem, ubi regnavit: qui, fabricato ponte æreo, ſuper eum agitabat currus ad imitanda tonitrua: & in quem fuiſſet jaculatus facem, eum jubebat occidi. hic poſtea verum fulmen expertus eſt. *Idem.*

Salmonea.] Virgilius hunc impium agnoſcit, & ita fere omnes. Nam Didymus in Homerum, δυσσεβῆ vocat, *impium:* Heſiodus, ἄδικον, *injuſtum*, & ὑπέρθυμον *ſuperbiſſimum.* Galenus, quod vidi in Junio, παραπλῆγα *vecordem.* Suidas eodem filo impium nominat, & dediſſe pœnas impietatis. Quin ipſe Salmoneus ſibi furorem dat lib. 2. epigramm. ait enim, ἀντεμάνην. Aliter Homerus de illo ſentit, nam vocat ἀμύμονα *incuipatum.* Quo epitheto ſolet ille excellentes duces ornare, & filiam ejus Tyro εὐπατέρειαν appellat, id eſt, *bono patre natam.* Aitque Euſtathius, Salmoneum expreſſiſſe fulmina, non ut eſſet in Jovem impius, ſed ut artifex egregius: quemadmodum Archimedes finxit urentia fulgura ex ſpeculis, & alius quidam terræ motus eſt æmulatus. Ferunt fabulæ fuiſſe Salmoneum filium Æoli, & fratrem Siſyphi. Et in his adhuc eſt diſſidium. Sed quid hoc perſequar? *Cerda.*

Salmonea.] Æoli filium ſtatuit Apollod. l. 1. bibl. qui fabulam totam narrat, ſed contractius Hyginus fab. 61. *Salmoneus, Æoli filius, Siſyphi frater, cum tonitrua & fulmina imitaretur Jovis, ſedens quadrigam faces ardentes in populum mitteret & cives, ob id à Jove fulmine ictus eſt.* De artibus, quibus ſonitum excitaverit, agit uberius Gronovius in Obſervat. l. 3. c. 15. *Emmeneſſ.*

586. *Sonitus.*] Quo autem artificio tonitru in ſcenis olim ederetur, docet P. Crinitus lib. 2. cap. 10. *Taubm.*

587. *Invectus equis.*] De Curru Jovis vide & Turneb. lib. 9. 9. *Idem.*

588. *Mediæque per Elidis urbem Ibat ovans.*] Hinc eſt indignatio, quod in ea civitate Jovem imitabatur, in qua ſpecialiter Juppiter colitur. *Servius.*

589. *Honorem.*] In antiquis omnibus, quos habuerim, *honorem* unitatis numero legitur: ut de una tantum fulminandi ſcilicet prærogativa intelligatur. Sane vero *honores* numero multitudinis, pro titulis & dignitatibus poni videas ab auctoribus, *Honores habiti, honores decreti.* Pierius.

590. *Demens.*] De dementia ſine fortitudine, ſed inani gloriæ adjuncta, qualis hic Salmoneus: qualeſque bel-

luæ

Ære & cornipedum pulſu ſimulârat equorum.
At pater omnipotens denſa inter nubila telum
Contorſit, (non ille faces, nec fumea tædis
Lumina) præcipitemque inmani turbine adegit.
Nec non & Tityon, Terræ omniparentis alumnum,
Cer-

lnæ latebant ſub corio Alexandri, Domitiani, Cambyſæ, aliorum, videatur Scaliger lib. 3. cap. 19. Poët. *Taubm.*

Non imitabile fulmen.] Βροντεῖον interpreti Ariſtophanis eſt machina quædam ad edendum ſonum velut tonitruum. Vide *Claudiana tonitrua.* Germ.

591. *Et cornipedum pulſu ſimulârat equorum.*] In codicibus pleriſque vetuſtis, *cornipedum pulſu* legitur: & *ſimularet*, uti etiam in Mediceo eſt, eleganti elocutionis forma: quam lectionem è multis exemplaribus inique ſublatam animadverti, *e* literæ veſtigio membranis adhuc pertinaciter adhæreſcente. In nonnullis legitur *curſu.* Pierius.

592. *Denſa inter nubila telum Contorſit.*] Oſtendit fulminis cauſſam & originem. *Servius.*

Inter nubila telum Contorſit.] Eſt hæc loci hujus ſententia: Jovem non ſimulato fictoque fulmine Salmonei commentum imitationemque contriviſſe, ſed vero genuinoque fulmine, ut quod ἐργαστικώτερον ſit, & vehementius, penetraliuſque, hanc interpretationem ſuggerente Lucretio lib. 2. *Perfacile eſt animi ratione exolvere nobis, Quare fulmineus multo penetralius ignis, Quam noſter fluat è tedis terreſtribus ortus. Dicere enim poſſis cæleſtem fulminis ignem, Subtilem magis è parvis conſtare figuris, Atque ideo tranſire foramina, quæ nequit ignis Noſter hic è lignis ortus, tedaque creatus.* Quæ reſpondere videntur huic Maroniano, *faces, nec fumea tedis Lumina*, &c. *Germanus.*

593. *Ille.*] Scalig. lib. 4. cap. 34. hoc pronomen redundare ait: elegantiæ tamen cauſa tolerari. *Taubm.*

Faces.] Non *faces, nec fumea tedis Lumina*, uti Salmoneus, qui illis imitari telum fulminis ſtudebat. Vide & Macrob. lib. 4. cap. 4. *Idem.*

Fumea lumina.] Id eſt, terrena. Nam æthereus ignis caret fumo: ſolo enim ſplendore viget. *Servius.*

Nec fumea.] In antiquis exemplaribus, *nec fumea.* in quibuſdam *non fumea.* Pierius.

Præcipitem adegit.] Eſt hoc, quod Ariſtophanes in Irena, κάτω κάρα ῥίψας. *Cerda.*

595. *Nec non & Tityon.*] Tityus ſecundum alios filius Terræ fuit: ſecundum alios à Terra nutritus. Unde elegit ſermonem, quo utrunque ſignificaret. Nam *alumnum* dicit. Hic amavit Latonam: propter quod Apollinis confixus eſt ſagittis. Et damnatus hac lege apud inferos, ut ejus jecur vultur exedat. Quanquam Homerus viciſſim dicat duos vultures ſibi in ejus pœnam ſuccedere. Sane in uſu eſt *vultur:* licet Cicero *vulturius* dixerit, quod quidem poteſt eſſe & derivativum. Ennius, *Vulturis in campo miſerum mandebat homonem.* Declinatur autem *hic Tityos, hujus Tityi:* ſicut *Delos Deli.* Servius.

Tityon.] Monoptoton declinatur. Nam *Tityonem* diceret, ſi per caſus variari potuiſſet. *Donatus.*

Nec non & Tityon.] Vide de Tityo Lucret. lib. 3. eo loco, *Qui non ſola novem diſperſis jugera membris.* De eo & Hom. Od. λ. καὶ τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱὸν κείμενον ἐν δαπέδῳ, ὁ δ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα, γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἧπαρ ἔκειρον δέρτρον ἔσω δυνόντες, ὁ δ' οὐκ ἐπαμυνάτο χερσὶ, λητὼ γὰρ ἥλκυσε διὸς κυδρὴν παράκοιτιν. Tityi quoque mentionem facit Apollon. 1. Argon. ἐν δ' ἀπόλλων φοῖβος ὀϊστεύων ἐτέτυκτο βούπαις, οὔπω πολλὸς ἔην, ἐρύοντα καλύπτρης μητέρα θαρσα-

Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur, roſtroque inmanis voltur obunco

Inmor-

θαρσαλέως πιτυὸν μέγαν ὅν ῥ' ἔτεκέν γε δῖ' ἐλάρη, θρέψε δὲ καὶ ἂψ ἐλοχεύσατο γαῖα ubi vide interpretem. *Germanus.*

Nec non & Tityon.] Fabulam Tityi tradit Hyginus fab. 55. Apollod. l. 1. Biblioth. Ovid. l. 4. Metam. ỷſ. 456. ad quem locum conſulendus nobiliſſ. Heinſius. l. 10. ỷſ. 43. Juvenal. Sat. 13. ỷſ. 51. & plures alii. qui *omniparentis alumnus* dicitur apud Stat. l. 1. Theb. *terrigena*, ideoque rectius quam *omnipotentis*, ut ex narratione fabulæ. noſtrum de formicis imitatus eſt Apulejus, quas l. 6. Metam. appellat *terræ omniparentis agiles alumnas.* Emmeneſſ.

Omniparentis.] Vetera omnino exemplaria pleraque, *omniparentis* cum Porcio legunt: quanquam in aliquot ex abraſis literarum apicibus, *omnipotentis* ſcriptum animadverti. In Mediceo compendioſe ſcriptum eſt *omnipotentis.* Sed aliena manu correctum *omniparentis.* Sane vero Aruſianus Meſſus, niſi codex mendoſus eſt, *omnipotentis* videtur agnoviſſe. Utcunque vero, nequaquam mihi diſplicet *omniparentis* vulgata lectio. *Pierius.*

Terræ omniparentis alumnum.] Sic & γᾶ παντρόφος· & Lucret. 5. *Omniparens eadem rerum commune ſepulcrum.* Et Epigr. παμμήτορα γῆν, & Æſch. πολύθρεπτον· & idem in χοηφ. καὶ γαῖαν αὐτὴν, ἣ τὰ πάντα τίκτεται, θρέψασά τ' αὖθις τῶν δὲ κῦμα λαμβάνει· & idem γῆν παμφόρον· & Orph. Arg. 1. ῥέην παμμήτειραν. *Germanus.*

596. *Per tota novem cui jugera corpus Porrigitur.*] Quantum ad publicam faciem, magnitudinem oſtendit corporis: ſed illud ſignificat, quia de amatore loquitur, libidinem late patere, ut ait ſupra, *Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem Lugentes campi.* Sane de his omnibus rebus mire reddit rationem Lucretius: & confirmat in noſtra vita eſſe omnia, quæ finguntur de inferis. Dicit enim, Tityon amorem eſſe, hoc eſt, libidinem: quæ ſecundum Phyſicos & Medicos in jecore eſt: ſicut riſus in ſplene, iracundia in felle. Unde etiam exeſum à vulture dicitur in pœnam renaſci: etenim libidini non ſatis fit, re ſemel peracta, ſed recrudeſcit ſemper. Unde ait Horatius, *Incontinentis aut Tityi jecur.* Ipſe etiam Lucretius dicit per eos, ſuper quos jamjam caſurus imminet lapis, ſuperſtitioſos ſignificari, qui inaniter ſemper verentur: & de diis & cœlo & locis ſuperioribus male opinantur. Nam religioſi ſunt, qui per reverentiam timent. Per eos autem qui ſaxum volvunt, ambitum vult & repulſam ſignificari: quia ſemel repulſi, petitores ambire non deſinunt. Per *rotam* autem oſtendit negotiatores, qui ſemper tempeſtatibus turbinibuſque volvuntur. *Servius.*

597. *Roſtro.*] Notandum reliquit Athen. lib. 3. propie hoc dici de ſuibus, & inde transferri ad alia animalia. Quin notat ex poëta quodam dici etiam ῥύγχος de Diis. *Cerda.*

Voltur.] Virgilius unum tantum adhibet, Homerus duos. Claudianus, Horatius, Seneca, Virgilio hærent. Primus 2. Rapt.

—— *laterisque piger ſulcator opaci.*

Alter Od. 4. lib. 3.

Incontinentis nec Tityi jecur
Reliquit ales.

Tertius in Furente:

Præbet volucri Tityus æternas dapes.

Idem tamen in Thyeſte Homero inſtitit,

Aut pœna Tityi ſemper accreſcens jecur,
Viſceribus atras paſcit effoßis aves.

Tibullus quoque lib. 1.

Porrectuſque novem Tityus per jugera terræ
Aßiduas atro viſcere paſcit aves.

Lucretius itidem lib. 3.

Nec Tityum volucres ineunt Acheronte jacentem.

vidiſti obiter, ut aliqui horum ſuos ver-

ſus

Inmortale jecur tondens, fecundaque pœnis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto
Pectore:

ſus exornaverint Virgiliana Muſa. De natura vulturis, appetentis carnes, multa hic conferri poterant. De Vulturio lege Columnam in Ennium. vide Plutarchum opuſculo, λάθε βιώσας, circa finem, ubi aperit quid mythologice ſignet hæc vulturum carnificina. *Cerda.*

Voltur obunco.] In Romano, & aliquot aliis codicibus antiquis, *voltur abunco* legitur. In Mediceo *adunco* habetur. *Pierius.*

598. *Tondens.*] In antiquis fere omnibus exemplaribus, quæ tractarim, *tondens* habetur: pro decerpens, & leviter abrodens. Sunt tamen, quibus *tundens*, ut in Mediceo eſt, magis placeat: nempe quia ejuſmodi eſt geſtus avium paſcentium. Vel ut cum eo conveniat, quod dictum eſt immortale jecur, adeo ut non abrodi, ſed *tundi* tantum à vulture videretur. *Idem.*

Tondens.] Ita Servius, J. C. Scalig. Paſſeratius, & fere omnes, legunt. Græcis κείρων. Certe & Hom. de eodem ἧπαρ ἔκειρον, id eſt, *jecur tondebant*, dixit: item Sen. Agamemn. act. 1. vſ. 18.

Ubi tondet ales avida fœcundum jecur.

quod ſapit metaphoram ab herbis reſtibilibus & repullulantibus: quo ſequentia alludunt;

—*fœcundaque pœnis Viſcera:*

Item:

—*nec fibris requies datur ulla renatis.*

Alii legunt, *tundens*, id eſt, tundendo depaſcens, ut ſolent alites. Porro noſter, ut & Hor. ſecuti Æſchylum, unum vulturem nominant; Lucretius & Tibullus plures, ſecundum Homerum. *Taubmannus.*

Fecundaque pœnis.] Fœcunda in pœnam. *Servius.*

Fecunda viſcera.] Dio Chryſoſt. cum reſpectu ad Prometheum orat. 8. οἰδοῦντος, καὶ αὐξομένου τοῦ ἥπατος: *tumente & creſcente hepate.* Cerda.

599. *Rimatur.*] Paſcitur: ut, *Rimantur prata Cayſtri.* Servius.

Rimatur.] Multis in locis Prudentius imitatus eſt Virgilium in Periſteph. hym. 10.

Non rupta ſulcis diſſecatis viſcera?
Animam nec intus abditam rimamini?

& in Apotheoſi: *rimatur exta*, iterum:

Rimantes digitos coſtarum in vulnera cruda
Merſimus.

Non abeunt illa ejuſdem in Periſt. hym. 10.

Scrutare vel tu nunc latebras faucium.

& hym. 11.

—*canis coſtarum cratibus altos*
Pandere receſſus. Cerda.

Habitat.] Scal. l. 5. c. 3. Poët. ſingula verba loci hujus expendit, eumque contendit cum ſimili Homer. Ulyſſeæ XI. Sane omnia iſta, quæ finguntur de Inferis, Lucret. l. 3. luculenter docet, in noſtra eſſe vita. Dicit, *Tityon* amorem eſſe aut libidinem, quæ in jecore ſit, ut riſus in ſplene, iracundia in felle. Unde etiam exeſum à vulture dicatur *renaſci*: etenim libidini non ſatis fit, re ſemel peracta, ſed recrudeſcit ſemper. unde Horat. lib. 3. od. 4. *Incontinentis Tityi jecur.* Per eos, ſuper quos *caſurus* imminet *lapis*, ſuperſtitioſos ſignificari, qui inaniter ſemper verentur, & de diis, de cælo & locis ſuperioribus male opinantur. nam *religioſi* ſunt, qui per reverentiam timent. Per eos, qui *ſaxum volvunt*, ambitum vult & repulſam ſignificari: quia ſemel repulſi petitores ambire non deſinunt. Per *rotam* autem oſtendit negotiatores, quia ſemper tempeſtatibus turbinibuſque curarum circumaguntur. *Danaidum* porro *dolium* eos ſignificat, quorum animus nullis bonis unquam ſatiari poteſt. Vide ibid. apud Lucret. plura: quædam etiam apud Macrob. l. 1. c. 10. de Somnio Scip. *Taubm.*

Habitat.] Illo in loco continuo eſt, ut apud Petron. *habitare in culina.* Emm.

600. *Fi-*

Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas Ixiona Pirithoumque?
Quos super atra silex jamjam labsura, cadentique
Imminet adsimilis: lucent genialibus altis
Aurea

600. *Fibris.*] *Fibræ* sunt eminentiæ jecoris. *Servius.*

601. *Quid memorem Lapithas?*] Hi populi Thessaliæ fuerunt, quibus imperabat Ixion amicissimus (ut diximus supra) Jovi, Phlegyæ filius: qui post nubis coitum fictæ in formam Junonis, cum se de ejus stupro jactaret, ab irato Jove ad inferos trusus est, & illic religatus ad rotam circunfusam serpentibus. *Idem.*

Quid memorem Lapithas?] Genus est transitus per omissionem: & ponitur, ne continuatio narrationis horrescat. *Donatus.*

Ixiona.] Dictum de hoc alibi. Ejus tormenti causas duas commemorat Pindarus Od. 2. Pyth. Prior,

—— ὅτι τ' ἐμφύλιον αἷμα πρώ-
τιστος οὐκ ἄτερ τέχνας ἐπέμιξε θνατοῖς·

quod cognatum sanguinem non sine fraude miscuit inter homines. Posterior, quod Διὸς ἄκοιτιν ἐπειρᾶτο· *uxorem Jovis tentaverit.* Cur Pirithous in Tartaro sit, jam supra vates ore Charontis. *Cerda.*

Pirithoum.] Et hic unus de Lapithis fuit, qui descendit cum Theseo ad rapiendam Proserpinam. *Servius.*

602. *Quos super atra silex.*] Hanc pœnam alii dant Tantalo. In his Euripides in Oreste, & Pindarus Od. 1. Olymp. nam loquens de Tantalo,

—— οἱ πατὴρ ὑπερκρέμα-
σε καρτερὸν αὐτῷ λίθον.

illi Pater (Juppiter) *super appendit validum lapidem.* Ab his forte sumpsit Plutarchus, qui de superstit. Tantalo etiam dat λίθον. & ab Archilocho apud eundem in Politicis, Ταντάλου λίθος usurpatur proverbialiter. Dio Chrysost. orat. 6. ait, Tantalo semper imminere πέτρον. Didymus non solum lapidem nominat, sed ait, impositum Tantalo montem Sipylum. Idem scribit Plutarchus in opere adversus Stoicos. Contra, rotæ volucri subjiciunt Ixionem Tibullus, atque Ovidius, præter eos alii. Prior,

Illic Junonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota.

Posterior 4. Met.

Volvitur Ixion, & se sequiturque fugitque.

Sed placitum Poëtæ, ut in re fabulosa (nescio enim, an alia sit ratio multis Virgilianis locis expediendis aptior) Tantali lapidem dare Ixioni, huic rotam auferre. *Cerda.*

Labsura cadentique.] In codicibus plerisque veteribus *que* particula post participium *cadenti* vel minime notata est, vel sublata, in aliquot aliena manu adscripta. Est & *lapsura*, per characteristicon sui thematis: de quod alibi. *Pierius.*

603. *Adsimilis.*] Valde similis, *ad* enim vacat: & à majoribus ad ornatum adhibebatur, ut Horatius, *Qua populus adsita certis limitibus vicina refugit Jurgia.* Servius.

Lucent genialibus altis.] Aliud est: Tantalus rex Corinthiorum amicus numinibus fuit, qui cum frequenter eos susciperet, & quodam tempore defuissent epulæ, filium suum Pelopem occidit, & diis epulandum apposuit. Tunc abstinentibus cunctis, Ceres humerum ejus exedit, & cum eum dii per Mercurium revocare ad superos vellent, eburneus ei est humerus restitutus, sicut supra: *Humeroque Pelops insignis eburno.* Ideo autem sola Ceres dicitur comesse, quia ipsa ipsa est terra, quæ corpus resolvit. Per Mercurium autem ob hoc fingitur esse revocatus, quod ipse est deus prudentiæ, per quam Philosophi deprehenderunt παλιγγενεσίαν vel μετεμψύχωσιν. Tantalus autem hac lege

 apud

Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu. Furiarum maxima juxta

Adcu-

apud inferos dicitur esse damnatus, ut in Eridano inferorum stans, nec undis præsentibus, nec vicinis ejus pomariis perfruatur. Per hæc autem avaritia significatur: ut etiam Horatius, *Quid rides? mutato nomine de te Fabula narratur.* Idem.

Genialibus.] Veluti genialibus. Nam *geniales* proprie sunt, qui sternuntur puellis nubentibus: dicti à generandis liberis. *Idem.*

Genialibus.] Ait Festus: *Genialis lectus, qui nuptiis sternitur in honorem Genii, unde & appellatur.* vide in hunc locum notam Jos. Scaligeri. Juvenal. Sat. 9.

—— Tyrius genialis in hortis
Sternitur.

Horat. epist. 1. lib. 1.

Lectus genialis in aula est.

Igitur lecti hi, aut tori Virgiliani ita sunt magnifici, ut repræsentent nuptiales, ac perinde voluptuosos, & jucundos. *Cerda.*

Genialibus toris.] Sic Hor. l. 1. Epist.

—— lectus genialis in aula est.

ad quem locum consule Torrentium. Cic. pro Cluent. l. 5. *lectum illum genialem, quem biennio filiæ suæ nubenti straverat.* Emmeness.

604. *Aurea fulcra.*] Quibus fulcimur, id est, sustinemur. *Servius.*

Fulcra.] Sustentacula sunt lectorum, de quibus Ciaccon. p. 9. Juvenal. Sat. 11. vs. 75. *nobile fulcrum* pro ipso lecto sumit. *Emmeness.*

Paratæ.] In Rom. codice legere est *paternæ*, quasi adsimulata esset ea edulii species, quam pater ex filio dis condierat. Sed omnino *paratæ* magis eruditis auribus satisfacit. *Pierius.*

605. *Regifico luxu.*] Regali ambitu. *Servius.*

Luxu.] Vox mensarum, ubi illæ exstructissimæ, lautissimæ, apparatissimæ. in 1. Æn.

—— regali splendida luxu.

Silius lib. 11. in re etiam conviviali,

—— stupet insuetus opimæ
Sidonius mensæ miles, faciemque superbi
Ignotam luxus oculis mirantibus haurit.

Sed attributum, *regifico*, ad eandem pertinet magnificentiam. ita in 1.

—— regali splendida luxu.

Et Plautus Persa: *Basilice agite Eleutheria*, id est, regifice. & iterum: *Basilice accipere victu*, id est, regio. Cicero ex Ennio in Tuscul.

Vidi ego te constante ope barbarica,
Tectis cœlatis, laqueatis,
Auro, ebore instructam regifice:

subaudi, domum, aut mensam Priami. *Cerda.*

Regifico luxu.] Hunc locum omnes de *Tantalo* Jovis F. Corinthiorum rege capiunt, qui opibus & luxu claruerit, teste Suida. Ajunt hac pœna affici, quod mysteria quædam deorum divulgasset. de quo Euripid. in Oreste; & Seneca in Thyeste, act. 1. Alii, quod Pelopen filium suum diis, quos convivio acceperat, epulandum apposuisset: de quo Ovid. 6. Met. Fab. 6. Unus Nascimb. contra it: & potius de *Phineo* rege Arcadiæ intelligit, qui cum filiis suis, impulsu novercæ, oculos eruisset, ira divina & ipse cæcus factus est: immissæque Harpyjæ, quæ cibos appositos ei auferrent: ut est apud Apollon. l. 2. & Val. Flaccum lib. 4. Cum præsertim Tantalus ab Homero cæterisque alia lege damnatus prædicetur. quasi in palude, aut Eridano infernali ad labrum usque inferius consistat: qui tamen, quoties se ad bibendum inclinet, ad ima usque vada absorbeatur: arboresque pyri, Punicæ mali, ficus, olivæ, ori impendere: quorum tamen fructus cum captet, capere nullos possit vi ventorum & nubium ablatos. Ita Ovidius:

Quærit aquas in aquis: & poma fugacia captat.

Horat.

Adcubat, & manibus prohibet contingere mensas:
Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, & fraus innexa clienti;
Aut qui divitiis soli incubuêre repertis,

Nec

Horat. 1. Sat. 1. fabulæ hujus μυθολογίαν in avaros, qui quæsitis frui nolunt, trahit:

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina &c.

Beroaldus è Macrob. ad omnes avaros, non ad unum aliquem referendam censet. *Taubm.*

Furiarum maxima.] Id est, sævissima, hoc est, fames: ut, *Vobis furiarum ego maxima pando.* Unde & famem prænuntiat, ut hanc esse Furiarum maximam doceat. *Servius.*

Furiarum maxima.] Per Furiarum maximam recte & convenienter *famem* intelligas, quæ hominem enecare, pro sævissima pœna habetur, & inter crudelitatis exempla refertur. l. 1. cod. de Cust. reor. Quintil. decl. 12. *felix pestilentia, felix præliorum strages, denique omnis mors facilis, fames aspera vitalia haurit, præcordia carpit, &c. durissima necessitatum, deformissima malorum. Imo ne apud inferos quidem ulla pœna est fame gravior.* de abominanda sævitia Tiberii Suet. in ejus vita c. 54. Recte concludit Salustius *ferro quam fame æquius perituros.* Erravit igitur toto cœlo Antigonus, qui ne videretur sævus in amicum Eumenem, *quotidianum victum ei amoveri jussit, nam negabat se ei vim allaturum, qui aliquando fuisset amicus.* Hæc Corn. Nepos in Eumene cap. 12. cum *Fame mori sit miserrimum.* de quo Adagio Erasm. *Emmeness.*

606. *Et manibus.*] Illorum scilicet, non suis. *Servius.*

Prohibet contingere.] Est hoc, quod Plutarchus dixit de Tantalo in libro de vitando ære, εἴργουσι γεύσασθαι τῶν ἰδίων. *Cerda.*

607. *Facem attollens.*] Injiciens ignem avaritiæ, ut abstineant. *Servius.*

Intonat ore.] Nonnulli codices, *increpat* legunt. Sed multo majoris horribilitatis est *intonat* dicere. *Pierius.*

608. *Quibus invisi fratres.*] Hæc quidem constat dicta esse generaliter. Possunt tamen & ad speciem trahi: ut Ægyptum & Danaum, Atreum & Thyesten, Eteoclem & Polynicem significare videatur. Bene autem dicendo *invisi*, per id, quod leve est, etiam majora complexus est. *Servius.*

609. *Pulsatusve parens.*] Item quod levius est dixit, parricidii comparatione. Possumus autem OEdipum accipere Laii extinctorem. *Idem.*

Pulsatusve parens.] Seneca lib. 9. Controv. 4. *Qui patrem pulsaverit, manus ei præcidatur.* Quid intersit *Pulsare* & *Verberare*, docet Chr. Colerus Parerg. c. 36. *Taubm.*

Et fraus innexa clienti.] Ex lege duodecim tabularum venit, in quibus scriptum est, *Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto.* Si enim *clientes* quasi colentes sunt, *Patroni* quasi patres: tantundem est clientem, quantum filium fallere. Et hoc posse fieri ex Horatii dictis intelligimus: qui cum loqueretur de avaris potentibus, ait de vicino cliente, *Pellitur paternos in sinu ferens deos.* Urbano tamen hoc displicet: & dicit rarum esse hoc magisque contrarium, cum magis patronos decipiant frequenter clientes. Vult autem intelligi prævaricatores, qui patroni sunt clientium, quos nunc *susceptos* vocamus. *Servius.*

Fraus innexa clienti.] Vide Agell. l. 5. cap. 13. *Taubm.*

610. *Divitiis incub.*] Etiam Cic. dixit: *Pecuniæ spe atque animo incubare.* Idem.

Divitiis soli incubuere repertis.] Cic. pro Cluent. *Hic ille planus improbissimus, quæstu judiciario pastus, qui illi pecuniæ,*

Nec partem posuêre suis, quæ maxima turba est;
Quique ob adulterium cæsi, quique arma secuti
Inpia,

cuniæ, quam condiderat, spe jam atque animo incubaret, contrahit frontem. Liv. lib. 8. ab urb. cond. *Liberes fœnore plebem Romanam, & istos incubantes publicis thesauris ex præda clandestina evolvas:* ἐπικειμένους, ἐγκειμένους. *Germ.*

Divitiis incubuere.] Sic l. 2. G. vs. 507.
—— *defossoque incubat auro.*
ad quem locum actum de hoc verbo. *Emmeness.*

611. *Nec partem posuere suis.*] Bene addidit *suis*, id est, cognatis, affinibus. Hæc enim fuerat apud majores donandi ratio: non profusa passim. Nam hoc est velle inaniter perdere. Unde Cicero ait in libris legum, *Septem prohibeo. nam auget superstitionem & exhaurit domos. Dignis igitur largiendum est.* Unde Horatius, *Cur eget indignus quisquam te divite?* id est, indignus paupertate. *Servius.*

Nec partem posuere suis.] *Ponere* ad opes verbum applicavit quoque Valerius lib 4. cap. 3. de abstinentia: *Deinceps ex iis vocemus, quorum animus aliquo in momento ponendi pecuniam nunquam vacavit. Ponere* autem nonnunquam eam vim mihi habere videtur, ut *cumulare* & *asservare* significet, ut Prop. 1. *Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas.* Germanus.

Quæ maxima turba.] Eurip. ὧν ἀριθμὸς πολύς. *Idem.*

612. *Ob adulterium cæsi.*] Si occisi, Ægystum significat Thyestæ filium; si re vera cæsi, Salustius, quem Milo deprehensum sub servi habitu verberavit in adulterio suæ uxoris, quæ fuerat Fausti Sullæ filia. *Servius.*

Quique ob adulterium cæsi.] Quam acriter lex Julia vindicarit adulterii crimen, liquet ex facta etiam extraneis accusandi potestate, & patri & marito, non ex æquo tamen, adulterum impune occidendi. *Germanus.*

Quique arma secuti Inpia, nec veriti dom. fall. dext.] Hoc loco videtur blandiri Augusto: quia contra Cæsarem patrem ejus, multi, quibus ignovit, arma susceperant. Est namque ejus dictum, *Dare quidem se veniam Pompejanis: sed ab ipsis quandoque esse periturum.* Ut *arma impia*, civilia dixerit bella: quæ moverunt Pompejani contra acceptæ veniæ fidem: sed non procedit. Nam si *arma impia* dixit bellum civile, tangit & Augustum & Cæsarem: qui & ipsi bella civilia tractarunt. Item si culpat eos, qui contra fidem datæ veniæ dimicarunt, tangit Augustum. Nam transierunt ad eum ab Antonio duo milia equitum, per quos est victoriam consecutus. Horatius, *Adhuc frementes verterunt bis mille equos Galli canentes Cæsarem.* Fecit præterea injuriam Augusto vel Cæsari, si eos *dominos* dixit: quod apud majores invidiosum fuit. Nam *patres patriæ* dicebantur, non *domini.* Juvenalis, *Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.* Melius ergo est, ut bellum, à Sexto Pompejo Pompeji filio in Siculo freto gestum, accipiamus. Nam occiso patre Siciliam tenuit: & collectis inde servitiis vastavit sex annis ultro citroque Siciliam: postea victus est ab Augusto & Agrippa. Horatius, *Minatus urbi vincla quæ detraxerat Servis amicus perfidis.* Et hoc sensu tam *arma impia*, quam dominorum congruit commemoratio. *Servius.*

Quique arma secuti Inpia.] Servius hoc refert ad Sextum Pompejum, qui collectis servitiis vastavit Siciliam. Alii ad Spartacum, qui servorum fugitivorum collecta manu bellum concitavit. Turnebus lib. 22. cap. 1. ad unum Menam, in quem Horatius scripsit oden quartam Epod. Nam hic, cum esset libertus Sexti Pompeji, defecit à patrono, & ad Augustum transiit prodita classe. Atque adeo Turnebus conjunxit hæc omnia, —— *quique arma secuti*
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras.

Hoc

Inpia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi pœnam exspectant. ne quære doceri
Quam pœnam, aut quæ forma viros, fortunave mersit.
Saxum ingens volvont alii, radiisque rotarum
Destricti pendent: sedet, æternumque sedebit,

Infe-

Hoc non omnino placet Germano, nec nobis. Rationem illius tu vide. Nostra hæc est. Nam male Poëta cum allusione ad rem Menæ nominaret *dominorum dextras*, cum longum sit discrimen inter dominos & patronos. Et quidem Sextus Pompejus patronus erat Menæ, non dominus. Quid quod Augusti arma Virgilius non *impia* diceret. Itaque satius est, verba disjungere, & per illa, *quique arma secuti Impia*, intelligamus omnes aggressores bellorum civilium. reliqua de servis nequam. *Cerda.*

613. *Dextras.*] In antiquis aliquot exemplaribus, *dextram* unitatis numero. Sed melius *dextras*, quum *dominorum* itidem multitudinis numero positum sit. *Pierius.*

614. *Inclusi.*] Fortasse cum allusione ad Romanum morem, quo vulgo servi in custodiis erant, & ergastulis tenebantur inclusi. *Cerda.*

Ne quære doceri.] Similes locutioni huic structuras adducit Lambinus in Od. 11. libr. 1. ad illud,

Tu ne quæsieris scire, &c.

Lege illum. *Idem.*

Pœnam expectant.] Quod gravius est. Nam in expectatione & præsens metus est & dolor futurus. In ipsa autem pœna, solus est dolor. *Servius.*

615. *Forma viros.*] Regula. Singulis enim sceleribus statuta sunt supplicia ex more Romano, quem sequitur. *Idem.*

Fortunave mersit.] Catull. *queis merser fortunæ fluctibus ipse.* Germanus.

616. *Saxum ingens volvunt alii.*] Sisyphum dicit, qui deorum consilia hominibus publicavit. *Servius.*

Saxum ingens volvunt.] *Sisyphum* notat. Vide Adag. *Sisyphus.* Ovid.

Sisyphus est illic saxum volvensque petensque.

Quidam per hoc intelligunt homines laboriosis quidem, sed irritis conatibus vitam terentes. Ita vetus P. apud Cic. 1. Tuscul.

— *Sisyphu' versat*
Saxum sudans nitendo: neque proficit hilum.

Vide & Aristotelem l. 3. Ethic. *Taubm.*

Radiisque rotarum.] Ixionem dixit, ut alibi ostendit, *Atque Ixionii vento rota constitit orbis.* Licet supra dixerit, *Quos super atra silex.* Nam de his fabulis variæ sunt in ipsis auctoribus opiniones. *Servius.*

Radiisque rotarum Destr.] Ixionem intelligit. De quo Seneca in Agam.

Ubi ille celeri corpus evinctus rotæ
In se refertur —

item Ovid. 4. Met. Fab. 10.

Volvitur Ixion, & se sequiturque fugitque.

Respexit ad supplicium Rotæ, quod nostra hodierna longe atrocius. Græcis dicebatur τροχίζεσθαι: Rotæ enim inserebantur, & radiis membratim distenti, convulsique, lentitudine mortis maximo cruciatu perimebantur. Apud Josephum in Maccabæis hujus crebra mentio, ut: *Illigari igitur mole pedibus appensa, atque innecti rotæ jubetur Maccabæus: ita etiam in gyrum circuli porrectus, ut solutis hinc inde visceribus venisque distentis dolores ipsius & pœnæ crescerent.* Vide *Turneb.* lib. 7. cap. 16. & *J. Langlæi JC.* Otium Semestr. l. 10. c. 3. Macrob. in Somn. Scip. vide: è quo Beroaldus docet Ixionem hic non intelligi: sed hæc in genere dici: cum de eo superius jam sit actum. *Taubm.*

617. *Æternumque sedebit, Infelix Theseus.*] Contra opinionem. Nam fertur

Infelix Theſeus: Phlegyaſque miſerrimus omnis
Admonet, & magna teſtatur voce per umbras:
Diſcite

ab Hercule eſſe liberatus: quo tempore eum ita abſtraxit, ut illic corporis ejus relinqueret partem. Frequenter enim variant fabulas poetæ. Hippolytum Virgilius liberatum ab inferis dicit, Horatius contra, *Neque enim Diana pudicum liberat Hipolytum.* Servius.

Sedet, æternumque ſedebit, Infelix Theſeus.] Hunc locum, quem Higynus apud Agell. lib. 10. cap. 16. illi ſuperiori ℣. 122. diſſentaneum cenſebat, vindicant acerrime *J. Baptiſta Pius*, cap. 9. Sylloges III. Facis Gruterianæ, & *Jov. Pontanus* in Antonio. *Paſſeratius* cenſet, Maronem in hoc ſecutum Apollon. lib. 1. quæ vide apud Pimpontium. Diſputatque de eo *G. Fabricius* ſane accuratius. Signate autem dicit; *ſedet, ſedebitque:* nam cum Pirithoo ad rapiendam Proſerpinam deſcendens ſuper quadam petra conſedit, à qua licet ſemel ab Hercule avulſus fuerit; (vide & Cælium lib. 4. cap. 8.) poſt mortem tamen deſtinatus eſt, ut in memoriam iſtius rei, æternum in igneſcente iſta petra perſideat. Alii, ut hæc ſalvarent, legebant, *Infelix Tereus:* cujus quidem tyranni immanitas nota eſt. quod tamen Fabricio non probatur. Sed cur tamen Theſeus, qui Athenarum conditor, & in deorum numero habebatur, hic affigitur? An, quia Proſerpinam rapere aggreſſus eſt? Porro *Læv. Torrentius* in Sueton. Cæſare, cap. 4. ubi docet *Sedendi* verbum in luctu uſitatum eſſe, de iis, qui mortuis feriabantur; notat, hic quoque non alium, quam pœnitentia lugentem hoc verbo deſcribi: Rob. Titius lib. 1. cap. 11. ſcribit: Theſea dici *æternum ſedere:* quia inſidens rupi apud inferos partem natium avulſam ibi reliquiſſet, tanquam ſui vicariam, καὶ τοποτηρητήν τινα, ideoque dici *æternum ſedere*, quia πυγὴ etiamnum in ſaxo relicta ſit. Quamquam alii non γλουτοῦ μέρος hæſiſſe ſaxo; ſed contra ſaxum, τῷ γλουτῷ ὑποστηλῶσαι. Sed enim poſt omnes omnium ſententias Yvo Villiomarus in Locos Controv. Titii lib. 1. cap. 14. omnino cum Hygino verba iſta ἐν τοῖς μνημονικοῖς ἡμαρτημένοις Virgilii habet; quæ tolli potius, quam ſolvi ab Interpretib. meruerint: cum manifeſta ſit ἀντιλογία. *Taubmannus.*

618. *Phlegyaſque miſerrimus omnis Admonet.*] Si *Phlegyas* eſt nominativus ſingularis, hoc dicit, Phlegyas omnes admonet apud inferos ferentes. Si autem *Phlegyas* accuſativus pluralis eſt, Theſeum omnes Phlegyas admonentem debemus accipere. Hi, namque ſecundum Euphorionem, populi inſulani fuerunt ſatis in deos impii & ſacrilegi. Unde iratus Neptunus percuſſit tridente eam partem inſulæ, quam Phlegyæ tenebant, & omnes obruit. Phlegyas autem Ixionis pater habuit Coronidem filiam, quam Apollo vitiavit: unde ſuſcepit Æſculapium. Quod pater dolens, incendit Apollinis templum, & ejus ſagittis eſt ad Inferos truſus. Statius, *Phlegyam ſubter cava ſaxa jacentem Æterno premit accubitu.* Servius.

Phlegyaſque miſerrimus omnis.] Tale quid apud Platonem de Aradiæo in inferis cruciato, ubi, ex ſolennibus & ritu judiciorum, editi in nocentem exempli ratio popularibus proclamatione ſignificatur, τὸν δὲ Ἀρδιαῖον καὶ ἄλλους συμποδίσαντες χεῖράς τε καὶ πόδας, καὶ κεφαλὴν, καταβαλόντες, καὶ ἐκδείραντες; εἷλκον παρὰ τὴν ὁδὸν ἐκτὸς, ἐπ' ἀσπαλάθων κνάμπτοντες, καὶ τοῖς ἀεὶ παριοῦσι σημαίνοντες, ὧν ἕνεκά τε ταῦτα ὑπομένοιεν, καὶ ὅτι εἰς τὸν τάρταρον ἐμπεσούμενοι ἄγοιντο. Servius ſub nominandi caſu vel ad Phlegyam, Ixionis patrem, referri poſſe putat, qui ob compreſſam ab Apolline Coronidem ſuam filiam, Ixionis ſororem, incenſo Apollinis templo, confoſſus Dei ultoris telis ad Inferos detruſus fuit: vel ſub accuſandi caſu ad populos Phlegyas, qui ob impietatem

Discite justitiam moniti, & non temnere divos.
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Inposuit: fixit leges pretio atque refixit.

Hic

etatem, concussa à Neptuno ea parte insulæ, quam incolebant, obruti omnes erunt. Profecto & Hom. eorum mentionem facit Il. ν. ubi de Marte & Pho- : τὼ μὲν ἄρ' ἐκ Θρήκης Ἐφύρους μετὰ θωρήσσεσθον, ἠὲ μετὰ Φλεγύας μεγαλήτορας. Videtur tamen *Phlegyas* doctis quibusdam sub nominativo potius accipiendum, cum hic Virgilii versus imitatione illius Pindari Pyth. Od. 2. conare videatur, nisi quod patri tribuit Maro, quod filio Pindarus: nempe eadem species proponitur à Pindaro Ixionis rota raptati, quæ hic fere Phlegyæ: mirum inquit ille, θεῶν δ' ἐφετμαῖς Ἰξίονα φαντὶ ταῦτα βροτοῖς λέγειν ἐν πτερόεντι τροχῷ παντᾷ κυλινδόμενον, τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι. Phlegyas tamen populos ingni impietate fuisse, & ὑβριστὰς memorat Hom. in hym. in Apoll. Ἷξες δ' Φλεγύων ἀνδρῶν πόλιν ὑβριστάων; οἳ Διὸς οὐκ ἀλέγοντες ἐπὶ χθονὶ ναιετάασκον καλῇ ἐνὶ βήσσῃ Κηφισίδος ἐγγύθι λίμνης. Tu ipse interpone judicium tuum. Infelicem autem Theseum appellasse videtur, quod se filii nece & parricidio contaminasset, ut post paulo eadem ratione Brutum: *Infelix, utcunque ferent ea fata nepotes.* Germanus.

620. *Discite justitiam.*] Hoc est, vel nunc in pœnis locati. *Servius.*

Discite justitiam, &c.] Versus in sano sensu auro expendendus. qui quidem status & summa est omnium Tragœdiarum, & compendium universæ Ethices. Testatur *G. Fabricius*, se ex *Laz. Bonamico* viro gravi & fidei pleno audivisse, puellam in agro Patavino visse fanaticam, quæ Græce & Latine, omnium literarum ante insaniam expers, optime locuta sit. Quæ cum interrogata esset, quænam esset præstantissima apud Virgil. sententia, hunc ipsum versum clara voce ter pronunciasse. *Taubm.*

621. *Vendidit hic auro patriam.*] Etiam hæc licet generaliter dicantur, habent tamen specialitatem. Nam Lasthenes Olynthum Philippo vendidit: Curio Cæsari vigintiseptem millibus sestertiis Romam. De quo Lucanus, *Gallorum captus spoliis & Cæsaris auro.* Servius.

Vendidit hic auro patriam.] Hæc licet generaliter in proditores patriæ dicantur: de C. Jul. Cæsare tamen fere omnes intelligunt, qui viginti septem millibus sestertiis, è Gallia Romam missis, Curionem, & hujus opera plerosque è Nobilitate suos faciebat: qui postea eundem sibi, eversa libertate, dominum præficiebant. Lucanus:

Gallorum captus spoliis & Cæsaris auro.

Item:

Emêre omnes, hic vendidit urbem.

Taubmannus.

622. *Fixit leges pretio atque refixit.*] Possumus Antonium accipere secundum Ciceronem in Philippicis. *Fixit* autem ideo, quia incisæ in æreis tabulis affigebantur. *Servius.*

Leges pretio refixit.] Omnia hæc scelera posuit Maro, ut viventes ad bonos mores metu pœnæ reduceret. *Donatus.*

Fixit leges pretio, &c.] Quod Antonium, Clodium, Verrem, ipsumque adeo Tribonianum per avaritiam fecisse, proditum est. *Fixit* autem ex eo dicit, quod Leges in æs incisæ in publico fixis tabellis proponebantur: quæ cum avellerentur, dicebantur *refigi*. Ovid.

—— nec verba minantia fixo
Ære ligabantur.

Cicero in Philipp. *Num figentur rursus hæ tabulæ, quas vos decretis vestris refixistis?* Vide & Turneb. lib. 25. cap. 30. *Taubmannus.*

Fixit, &c.] Græce διατάξαι. Inde tabulæ, in quibus edicta, leges, &c. incidebantur διατάγματα appellabantur. Vide Salm. Plin. exerc. p. 741. F.

623. *Hic*

Hic thalamum invasit natæ vetitosque hymenæos.
Ausi omnes inmane nefas, ausoque potiti.
Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnis scelerum conprendere formas;
Omnia pœnarum percurrere nomina possim.
Hæc ubi dicta dedit Phœbi longæva sacerdos:
Sed jam age carpe viam, & susceptum perfice munus:
Acceleremus, ait. Cyclopum educta caminis
Mœnia

623. *Hic thalamum invasit natæ.*] Thyestes: unde Ægystus natus est, item Cinyras. Nam quod Donatus dicit, nefas est credi dictum esse de Tullio. *Servius.*

Vetitosque hymenæos.] Legibus scilicet. Nam dicendo *Vetitos*, ostendit fuisse, ut est apud Persas hodie. Unde Donatus male ait, natura & legibus vetitos. *Idem.*

624. *Ausi omnes inmane nefas, ausoque potiti.*] Illic sunt & qui fecerunt, & qui conati sunt. Dicit autem secundum Romanum ritum, in quo non tantum exitus punitur, sed & voluntas. *Idem.*

625. *Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum, Ferrea vox.*] Lucretii versus sublatus de Homero: sed *Ærea vox* dixit. *Idem.*

Non mihi.] Necessario generalitas injecta est, ne cuncta descripsisse videretur: quoniam fuit impossibile latitudinem tantam plene complecti: vel ne contemptui haberentur pœnæ propositæ ex quotidiana meditatione. Plus quam etiam metus injicitur, cum infinita formido est. *Donatus.*

Ferrea vox.] Hoc κατ' ἐξοχὴν, & proverbialiter. Opp. ἁλιευτ. σιδήρειον νόημα. σιδήρειον νόον. σιδηρείας ὀδύνας. Calaber lib. 5. σιδήρεον ἦτορ. & lib. 12. σιδήρεον κῆρ. Homerus Od. 5. & Il. 10. σιδήρεος θυμός. & Il. 23. σιδήρεον μένος. Vocantur his ferrea, cogitatio, mens, dolores, cor, fatum, animus, robur. Æschylus in Prometh. flexu isto dixit: σιδηρόφρων τε κἀκ πέτρας εἰργασμένος: *Animo ferrea, atque ex petris compactus.* Ab hac forma non abit alia, qua ἀντὶ τοῦ σιδήρου infertur χαλκός. ita Homer. 2. Il. χάλκεον ἦτορ. & Pind. Od. 6. Nem. χάλκεος οὐρανὸς: *cor, cœlum æreum.* & vocibus compositis, sic Homer. 1. Il. χαλκοβατὲς δῶ: *domus nixa æreis fundamentis.* & Pind. Od. 7. Isthm.

Χαλκόπεδον θεῶν ἕδραν,
Sedem deorum, cui æreum pavimentum.

Latini utrique formæ hæserunt. Ovid. in Phæd.

Scribe, dabit victas ferreus ille manus.

Lucretius quoque *æream vocem* dixit. Omitto infinitos, nam hi tibi facile occurrent. *Cerda.*

626. *Scelerum conprendere formas.*] Ut, *Aut quæ forma viros fortunave mersit.* Servius.

627. *Possim.*] In antiquis pene omnibus, *possim* non invenuste. in nonnullis *possem*. Pierius.

628. *Longæva sacerdos.*] Euripid. πολυχρόνιος παρθένος. *Taubm.*

629. *Perfice munus.*] Hoc est ramum redde. Nam supra ait, *Hoc sibi pulchrum suum ferri Proserpina munus Instituit.* Servius.

Cyclopum educta caminis.] Hoc est magna. Ita enim cujuslibet rei magnitudinem significant: adeo ut Statius Argivorum muros ab ipsis dicat esse perfectos. *Idem.*

Cyclopum educta caminis.] Intelligit ærea ista aut ferrea esse, id est, invicta: ita supra, vs. 554.

—— *stat ferrea turris ad auras.*

Sed & turres inventum esse Cyclopum testatur

Mœnia conſpicio, atque adverſo fornice portas.
Hæc ubi nos præcepta jubent deponere dona.
Dixerat, & pariter, greſſi per opaca viarum,
Corripiunt ſpatium medium, foribuſque propinquant.
Occupat Æneas aditum, corpuſque recenti
Spargit aqua, ramumque adverſo in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere divæ,
Devenêre locos lætos, & amœna vireta

Fortu-

eſtatur Ariſtoteles. Vide Turneb. l. 28. . 46. *Taubm.*

Acceleremus, ait. Cyclopum educta caminis.] Præteribo, quod in aliquot antiquis exemplaribus, *hac celeremus* legitur, quaſi viam alteram, qua progrediendum eſſet, indicarit Sibylla. Illud non fuit diſſimulandum, quod varie legitur *educta*. Nam codices aliquot *obducta*, hoc eſt, circumducta, habent. Aliquot abſque præpoſitiva compoſitione *ducta* tantum, ut alibi, *Pars ducere muros:* & apud Livium, *Murum duxit.* Sunt tamen quibus *educta* ſatisfaciat magis utpote numeroſius, & quod *Caminis* de loco poſitum ſit. *Pierius.*

631. *Fornice.*] Arcu. Cicero, *Vidit ad ipſum fornicem Fabianum.* Serv.

Fornice.] Ea enim eſt camera, in arcum ducta. *Donatus.*

Adverſo fornice.] Vulgata aliquot exemplaria *in fornice*. Sed codices omnes antiqui, quotquot habui, *adverſo fornice* abſque ea præpoſitione interjecta legunt. *Pierius.*

632. *Hæc ubi.*] Antiqui nonnulli codices, *hic ubi* legunt. Sed *hæc dona* magis omnino placet. *Idem.*

634. *Corripiunt ſpatium.*] Raptim peragunt. *Servius.*

Corripiunt ſpatium.] Id eſt, raptim carpunt & peragunt. Turn. l. 9. c. 27. *Taubmannus.*

635. *Occupat Æneas aditum.*] Ingreditur, ſicut ſupra diximus. *Servius.*

Recenti.] Semper fluenti. Dixit hoc propter paludem Stygem. *Idem.*

636. *Spargit aqua.*] Purgat ſe. Nam inquinatus fuerat, vel aſpectu Tartari, vel auditu ſcelerum atque pœnarum: & *ſpargit*, quaſi ſe inferis purgat. *Idem.*

Ramumque adverſo in limine figit.] De munere hoc, quo gaudebat Proſerpina, jam ſupra. Fortaſſis hac mente ſcriptum eſt à Propertio lib. 2. eleg. 13.

Sat mea, ſat magna eſt, ſi tres ſint, pompa, libelli,
Quos ego Perſephonæ maxima dona feram.

Ut dicat hos libellos pro ramo ſibi futuros, quos offerat Proſerpinæ. *Cerda.*

638. *Devenêre locos lætos.*] Ut metu pœnarum malos deterruit, ita bonos ſpe felicitatis ad virtutes hortatur. Primo ergo regionum bona proſequitur: deinde, quæ ex his locis capiantur commoda, & qui ſint ii, qui hujuſcemodi bonis perfruantur. *Donatus.*

Devenêre locos lætos.] Vir quidam non indoctus, qui nuper & Virgilium ſcholiis illuſtravit, ubicunque apud hunc auctorem ſe offert hoc verbum *devenire* cum accuſativo (ſæpius autem occurrit) *advenire* legendum contendit, quod *devenire locos*, & *ſpeluncam*, ſine præpoſitione ipſi duriuſculum videatur, cum & ſimplici verbo Poëta accuſandi caſum ſubjunxerit non ſemel: *ſitientes ibimus Afros:* &, *rapidum Cretæ veniemus Oaxem:* &, *fines venturum Auſonios:* &, *delato Ortygiam dicturus Apollo:* ut & Sophocl. ἐπεὶ γὰρ ἦλθον πατρὸς ἀρχαῖον τάφον· & Hom. τὸν δὲ τέτρατον ἵκετο τέκμωρ αἰγᾶς· & Eurip. in Bacch. ἥξει δὲ βάκχας, οὐ θανὼν δώσει δίκην· & idem, στεῖχε νῦν ὦ παῖ τὰ ἀγρευταί· &

μόλ.

Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas.
Largior hic campos æther & lumine veſtit
Purpureo; ſolemque ſuum, ſua ſidera norunt.

Par

μόλῃ δῶμα τοὐμόν· &, βαρβάρους ἀφίξομαι. *Germanus.*

Amœna vireta.] Virentia: & eſt ſatis uſurpatum. *Amœna* autem, quæ ſolum amorem præſtant: vel, ut ſupra diximus, quaſi *amunia*, hoc eſt, ſine fructu, ut Varro & Carminius docent. Alludit autem ad inſulas fortunatas. Nam & ſequenti hoc indicat verſu. *Servius.*

Vireta.] In antiquis exemplaribus, *virecta* per *ct*, & à viridi actu *virectum* dictionem eſſe Grammatici tradunt. *Pierius.*

639. *Fortunatorum nemorum, &c.*] De *Campo Elyſio*, qui & *Paradiſus* vocatur, multi multa & admiranda tradidere. Et ſcribit Tertullianus, item Euſeb. & Irenæus, quæ de Inferis, vita æterna & Paradiſo commentati ſunt Socrates, Plato, aliique, pleraque hauſta è libris Propheticis & gente Judaica ad ſuum ſenſum depravaſſe. Fortunatarum tamen Inſularum deſcriptio & ſitus videatur apud Muret. l. 5. c. 1. Variar. Lect. *Taubm.*

640. *Largior hic campos æther & lumine veſtit Purpureo.*] Non noſtro largior: ſed quam eſt in cætera inferorum parte. Aut revera *largior*, ſi Lunarem intelligis circulum. Nam, ut ſupra diximus, campi Elyſii aut apud inferos ſunt, aut in inſulis fortunatis, aut in Lunari circulo. Lucanus, *Illic poſtquam ſe lumine vivo Induit.* Servius.

Largior.] Hic oſtendit nihil deeſſe ex iis, quæ ſunt apud ſuperos, adeo ut fortunati & beati appellari meruerint. *Don.*

Largior hic campos æther & lumine veſtit Purpureo.] In codicibus aliquot antiquis legere eſt, *largior hic campus.* inde altero membro, *æther & lumine veſtit Purpureo.* In quibuſdam aliis, *largior hic aër campos.* quod veriti ſunt ponere *Æthera* apud inferos, quum tamen *& Solem ſuum, & ſua ſidera norint.* Sed vulgata lectio, quæ eſt *largior hic campos æther* magis placet. *Pierius.*

Æther.] Putant quidam, Poëta Anaxagoræ ſententiam, de quo 1. Metaph. Ariſtot. ſecutum, accepiſſe *æthe rem* pro igne mundum ambiente & complente, ſuffragante illo,

—— *& lumine veſtit Purpureo.*

Alii tamen malunt pro *aëre* acciper ex illo ℣ſ. 887. *Aëris in campis latis.* lumen hîc *purpureum* referatur ad ſplendorem Solis & illuſtrationem Elyſi vel accipiatur, ut 1. Æn.

—— *lumenque juventæ Purpureum*

Et quidem *purpureum* pro pulchro dic ob coloris iſtius præſtantiam, not etiam Turneb. lib. 28. c. 46. Ita Ho rat. 4. Od. 1. *Purpureos olores* dixit; A binovanus *nivem purpuream.* Taubm.

Lumine veſtit.] Sic Apuleius lib. d Mundo: *Sinceriore interdum luce veſt tur.* ita emendat Colvius. vulgo leg tur, *veſcitur.* Defendi poteſt. Sic enim dici quit *veſcitur luce*, ut à Virgilio, *ve ſcitur aura.* Redeo: Cicero in Phæn.

Quam cum perpetuo veſtivit lumine Titan.

De lumine Elyſiorum ſignate ſcrib Plutarchus de ſera vindicta: ubi ai beatos, τῷ φωτὶ διαφέρεσθαι ὥσπερ γαλήνῃ: *vagari in lumine tanquam tranquillitate.* De hoc lumine Elyſio rum multa Plato in Phædone. *Cerda.*

Lumine veſtit.] Ita Lucret. l. 2.

Quam ſubito ſoleat Sol ortus tempore t
Conveſtire ſua perfundens omnia luce.

Arnob. lib. 1. *Siderum Sol princeps, c jus omnia luce veſtiuntur, atque anima tur.* Tertullianus: *Æqualitas circumfu aëris pari luce veſtiens angulos.* Tale qu forte Prudent. in Symmach.

Unde ſeges late crinitis fluctuet agris,
Denſius & gravidis ſe veſtiat æqu ariſtis.

Sic & Græci ἱμάτια πόλεως *murum* c cunt. *Taubm.*

641. *Purpureo.*] Dat hunc colore lumin

Pars in gramineis exercent membra palæstris;
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena:
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.

Nec

mini, ut Valer. 1. Arg. de face crinita:

—— *Lumenque innoxia fudit*
Purpureum.

irgilius ipse 1. Æn. *lumenque juventæ urpureum.* Hoc attributum luci dat atullus de Nupt. Pel.

Purpureaque procul nantes à luce refulgent.

)vidius & Seneca, diei, credo ab luce, ua dies splendet. Ille 3. Fast.

Purpureum rapido qui vehit axe diem.

Hic in Herc. Oet.

—— *quaque purpureus dies*
Utrumque clara spectat Oceanum rota.

Neque abit illud Petronii in fragm.

Indica purpureo genuit me litore tellus,
Candidus accenso qua redit orbe dies.

Cerda.

Solemque suum.] Sibi congruum: ut, *effosque sopor suus occupat artus.* Servius.

642. *Pars in gramineis.*] Ostendit uanta animi serenitate in voluptatius honestis vivant. *Donatus.*

Palæstris.] Luctationibus. Græce dit. *Servius.*

Palæstris.] *Palæstra* multa significat, nterque alia, imo proprie locum exercendis corporibus idoneum. Sic Cicero Arpinatem describens, palæstram ominat. & Terentius in Phorm. *ecum à sua palæstra exit foras.* De loco tiam capiendus Plautus Bacchid. *ante dem orientem nisi in palæstram veneras.* Male itaque aliqui in Virgilio explicant, *palæstris, id est, luctis.* Nam quidem Plautus dicto loco statim inter lios ludos, luctam quoque nominat. Addo auctoritatem Turnebi, & Merurialis, explicantium hic non luctam, ed locum luctæ. Ille lib. 18. cap. 46. ic lib. 1. Gymn. c. 9. Scio, à Polluce, c à Budæo (qui à Polluce accepit) palæstram, generale esse nomen, ita ut παλαιςραὶ, id est, *luctatores*, significent uoque δρομεῖς, πύκ]ας, δισκοβόλυς, ... λτικὺς, id est, *cursores, pugiles, jaculantes disco, contendentes saltu.* Sed hîc tantum abest, ut pro his capiam, ut neque pro ipsa lucta: sed pro loco, ut dixi, luctæ. In voce *gramineis*, respicit morem, quo, ut plurimum, veteres exercebant luctas in locis gramine consitis, ut victi inde gramen evellerent, victorique præberent, quod insigne, gloriosum. Tamen hîc *gramineis* explicari simpliciter potest, id est, herbosis. *Cerda.*

Palæstris.] *Palæstras* hîc luctas accipiunt, à quibus dissentit Turn. l. 28. c. 46. aitque *gramineas palæstras*, loca esse herbosa, vacua, in quibus se exercebant ludo & lucta. Idem censet Marc. Donatus l. 1. Dilucid. *Taubm.*

Palæstris.] Ædificii genus apud Græcos, cujus ædificationem & porticuum rationem tradit Vitruvius l. 5. c. 11. in quibus Athletæ, pugiles, &c. se exercebant. De vocis origine Mercurial. de Art. Gymn. l. 2. c. 8. de varia significatione idem l. 1. c. 9. Videndus etiam Panvinius de Lud. Circens. l. 1. per *æ* scribendum contendit ex Græca etymologia Dausquius. Varia hic studia enarrat, nam iisdem mortui delectantur, quibus vivi. Inde Ovid. lib. 4. Metam. ℣s. 444.

Parsque forum celebrant, pars ima tecta tyranni:
Pars alias artes antiquæ imitamina vitæ.

Idem noster ℣s. 654. & seqq. *Emm.*

643. *Contendunt ludo.*] Non odio. *Servius.*

644. *Choreas.*] *Re* corripuit propter metrum. Alibi ait secundum naturam: ut, *Juvat indulgere choreis.* Ergo aut Systolen fecit, aut Antithesin *i* pro *e* ponens. Nam Græcum est nomen. *Idem.*

Plaudunt choreas.] Ductum ab illo Od. θ. πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσὶν· ubi χορὸς pro loco destinato choreis: ut superius eodem lib. λείηναν δὲ χορὸν,

καλὸν

Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum:

Jam-

καλὸν δ' ἔθρωμαν ἀγῶνα. Fortasse etiam pro *choro*, & loco tripudiis dicato *choreas* hic accipit Maro. *Germanus.*

Plaudunt choreas.] Non tantum accusativum cognatum, sed & alios recipit. Stat. l. 1. silv. *aquas plaudere natatu.* plura dabit exempla Sanct. Minerva p. 180. *Emmeness.*

645. *Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos.*] Orpheus Calliopes Musæ, & OEagri fluminis filius fuit, qui primus Orgia instituit: primus etiam deprehendit harmoniam, id est, circulorum mundanorum sonum, quos novem esse novimus: è quibus summus, quem ἄναστρον dicunt, sono caret. Item ultimus, qui terrenus est. Reliqui septem sunt, quorum sonum deprehendit Orpheus; unde utique septem fingitur chordis. *Longam* autem *vestem*, aut citharœdi habitum dicit, aut longam barbam. Nam à contrario imberbes, *investes* vocamus. *Servius.*

Nec non Threïcius.] Ostendit citharam, inter honestas enumerari artes. Est enim musica. *Donatus.*

Sacerdos.] Quia & Theologus fuit, & Orgia primus instituit. Ipse etiam homines de feris & duris composuit. Unde dicitur arbores & saxa movisse, ut Deus. *Servius.*

Threïcius l. cum v. sacerdos.] *Orpheus* Thracius Calliopes Musæ F. qui hic *sacerdos* dicitur, quia primus ex Ægypto arcana ceremoniarum transtulit, & orgia instituit: unde & Horatio vocatur

—— *sacer interpresque deorum.*

Longo autem syrmate, hoc est, veste fluxa & prolixa humumque verrente tibicines fidicinesque usos esse, vel ex Horatio notum, in Arte:

—— *traxitque vagus per pulpita vestem:*

item è 4. ad Herenn. Talis & illa notatur apud Tibull. l. 3. 4.

Ima videbatur talis illudere palla.

De quo & Turneb. l. 28. c. 46. & l. 18. c. 35. Servius *longam vestem* exponit etiam longam barbam: cum *vesticeps* dicatur barbatus; & è contrario *imberbis* etiam *investis*. Taubm.

Longa cum veste.] Habitus musicus fuit olim demissus ad pedes, ideo notanter *longa veste.* Apulejus 2. Florid. *Eique prorsus citharœdicus status, deam conspiciens canenti similes, tunicam picturis variegatam deorsum ad pedes dejectus ipsos, &c.* Vide uti locum istum legat Lipsius 2. Elect. cap. 21. Redeo. Inde Horatius ad Pisones,

—— *traxitque vagus per pulpita vestem.*

& Martialis lib. 4.

Musa nec insano syrmate nostra tumet.

Callistratus de statua ipsiusmet Orphei, χιτὼν δὲ ἐξ ὤμων ἀπαγόμενος εἰς πόδας· *tunica ab humeris deducta ad pedes.* Huc spectant Tibullus & Propertius, qui in descriptionibus Phœbi patris musicæ illi hunc habitum assignant. Ait ille lib. 3. eleg. 3.

Ima videbatur talis illudere palla.

Hic lib. 2. eleg. 31.

Pythius in longa carmina veste sonat.

Utrique adjungo Valerium lib. 1. Arg qui ministrum Phœbi pari habitu ornat, ita inquiens:

Hic vates, Phœbique fides non vana patentis
Mopsus, puniceo cui circumfusa cothurni
Palla imos ferit alba pedes.

& Ovidium 6. Fast.

—— *& ut hunc tibicina cœtum*
Augeat, in longis vestibus ire jubet.

Cerda.

646 *Obloquitur numeris.*] Dicendo *obloquitur*, chordarum expressit laudem, quas dicit verbis loquutas. *Obloqui* enim non est, nisi contra loquentem loqui. *Servius.*

Obloquitur numeris septem.] Nimirum ἀπὸ τῶν ἑπταχόρδων ἁρμονιῶν, & Epigr. Græco de Thebis, σῆς χερὸς ἀμφίων ἄπονος χάρις, ἑπτάπυλον γὰρ πάτρην ἑπταμίτῳ τείχισας ἐν κιθάρῃ. Eurip. quoque in Alcest. & Iphig. ἑπτάτονο

Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroës, nati melioribus annis,

Ilus-

τονον χέλυν vocat: & Pind. in Pyth. Od. 2. φόρμιγγα ἑπτάκτυπον, & in Nem. ἑπτάγλωσσον. Callimachus autem in Deli hymno est auctor, Apollinem numero septenario chordas citharæ definivisse, quod septies cycni Latonæ in nixu accinuissent, ἔνθεν ὁ παῖς τόσσας δὲ λύρῃ ἐνεδήσατο χορδὰς ὕστερον, ὁσσάκι κύκνοι ἐπ' ὠδίνεσσιν ἄεισαν. Fulgentius tamen hunc Maronis locum ad septem Musicæ genera mavult referre, Diastemata, Systemata, Phthongos, Tonos, Metabolas, Melopœïas. *Obloquitur* autem à Poëta videtur dictum, ut à Græcis ἀντιμελίζειν, & ἀντιφωνεῖν. Plato de Leg. ζ. de citharœdis, ἀποδιδόντας πρόσχορδα τὰ φθέγματα τοῖς φθέγμασι. *Germanus.*

Obloquitur.] Explicui non de ipso loquente, sed de loquente cithara. Ita Lucretius lib. 4.

Et citharæ liquidum carmen, chordasque loquentes.

Si quis capiat de Orpheo pulsante pariter & canente, firmabit sententiam suam Tibulliano illo:

Sed postquam digiti fuerant cum voce locuti.

& illo Propertiano lib. 3. eleg. 3. *carmina nervis aptat.* In quibus non canitur aut assa voce, aut assa lyra: sed voce pariter & lyra ad eum modum, quo pastores Virgiliani:

Tu calamos inflare leves, ego dicere versus. Cerda.

Obloquitur.] Laus chordarum: quæ non sonare, sed verbis quasi loqui videbantur. Græci habent suum ἀντιμελίζειν & ἀντιφωνεῖν. Alii, *Obloquitur numeris*, interpretantur, *Cecinit modulis ac rhythmis:* ut & fides increpuisse, & simul voce cecinisse intelligatur. Sed vide & Turneb. l.28.c.30. *Taubm.*

Numeris.] Rhythmis, sonis: ut, *Numeros memini, si verba tenerem.* Servius.

Septem discrimina.] Quia omnes chordæ dissimiliter sonant. *Idem.*

Septem discrimina vocum.] Ita & Euripid. ἑπτάτονον χέλυν vocat: & Pindarus φόρμιγγα ἑπτάκτυπον; item ἑπτάγλωσσον. Sed & Eustath. ἑπταχόρδου lyræ meminit De Orphei lyra sive cithara; & cur septem chordas habuerit, à multis curiosissime disputatur. Tu vide mihi Turneb. l.19.c.30. & Serv. *Taubm.*

647. *Jamque eadem dig. &c.*] Id est, intus canit & foris. Manus enim sinistra carpit chordas digitis, quod *intus canere est:* tacita quadam musica nec foris audita, sed artifici tantum intellecta. At manus dextra pectine chordas pulsat, *canitque foris*, id est, canit, quod etiam alii audiant: nec enim tacita est ejus, ut sinistra musica; sed canora. Turn. l.14.c.4. & l.28.c.46. *Id.*

Jam pectine pulsat eburno.] *Jam*, nunc. Hoc autem *pecten* declinatur, ut *lien, carmen.* Servius.

Pectine.] Notat Nascimb. tempore Julii III. Romæ statuam Orphei marmoream erutam esse, quæ sinistra citharam, dextra pectinem tenuerit. inde censet, ubi pecten in hac re à Poëtis ponatur, revera pectinem intelligi, non plectrum. *Taubm.*

648. *Hic genus antiquum.*] Quod non omnes viros fortes in Elysio visos esse commemorat, hæc ratio est: quia isti divinos meruerant honores: quod Tydeo, vel his, quos supra memoravit, non contingit. Nam ideo *antiquum* addidit: quasi & illis Elysii non contingerent campi, si eis annorum non derogasset vetustas. *Servius.*

Hic genus.] Videtur mihi hic versus factus cum oppositione ad illum, ubi nocentium catalogus,

Hic genus antiquum terræ Titania pubes.

ut pari modulo incipiat catalogus felicium. *Cerda.*

649. *Magnanimi heroës.*] Catull. ô nimis

Ilusque, Assaracusque, & Trojæ Dardanus auctor.
Arma procul, currusque virûm miratur inanis.
Stant terra defixæ hastæ, passimque soluti
Per campum pascuntur equi. quæ gratia curruum
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentis
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit, ecce, alios dextra lævaque per herbam
Ves-

nimis optato sæclorum tempore nati Heroës salvete deûm genus. Germanus.

Heroës.] Ἡμίθεοι ἄνδρες apud Schol. Homeri ad ✠ſ.4.1.α. Iliad. de Heroibus Feith. ant. Homer. l.1.c.1. *Emmeness.*

Nati melioribus annis.] Plerumque enim virtus decoloratur temporis infelicitate. Cicero, *Ut illa laus temporum, non hominum fuisse videatur.* Serv.

Nati melioribus annis.] Aut felicioribus quam ii erant, in quos calamitas belli Trojani incidit: aut, quibus majori in honore Virtus erat, quæ plerunque decoloratur temporis infelicitate. Cicero: *Ut illa laus temporum, non hominum fuisse videatur:* Catullus:
O nimis optato sæclorum tempore nati
Heroës! Taubm.

650. *Ilusque, Assaracusque.*] Trojani reges fuerunt. *Servius.*

Trojæ Dardanus auctor.] Hunc in septimo inter deos dicit relatum: ut, *Et numerum divorum altaribus auget.* Sed, ut diximus supra, Homerum sequitur, qui inducit simulacrum Herculis, apud inferos visum. *Idem.*

651. *Miratur.*] In antiquis sane omnibus codicibus, Longobardico excepto *miratur* est singulari numero: ut de Ænea tantum id dicatur. Quid enim Sibylla miraretur, quæ sibi alias innotuerant? sunt tamen, in quibus *mirantur* legas. *Pierius.*

652. *Stant terra.*] Antiqui plerique codices, *stant terra defixæ*, legunt ablativo casu pro *terræ*. Utrunque enim dicitur eleganter. *Idem.*

Defixæ hastæ] Subaudis *Inanes*. Item, *equos inanes*. Servius.

Terra defixæ hastæ.] Notat Turnebus Poëtam morem antiquorum respexisse, qui hastæ posteriorem partem etiam præpilabant ad defigendum humi, quam οὐρίαχον Græci, σύρακα, & σαυρωτῆρα appellabant. Hom. ἔγχεα δέ σφιν ὄρθ' ἐπὶ σαυρωτῆρος. σαυρωτῆρα autem ἐπιδορατὶς opponitur, utpote cuspis, & pars hastæ prior. *Germanus.*

653. *Per campum.*] In antiquis aliquot exemplaribus, *campum* legitur unitatis numero: sed non displicet *campos* pluraliter, ad amplitudinem indicandam. *Pierius.*

Quæ gratia currum.] Detraxit unum *u* licentia, qua Latinitas Græcos secuta genitivo plurali syllabam aut addit, aut detrahit: hoc loco detraxit: sicut *Arma virûm.* Contra addidit, *Alituum pecudumque genus*: pro *alitum*, sicut Græci μουσάων ἑλικωνιάδων. *Servius.*

Curruum.] Sunt antiqui codices, Mediceus, & alii, in quibus *curruum* integra dictione scriptum habeatur. Prisciano placet syncopam fieri: neque tamen negat *uu* duplex scribi posse, ut fiat synalœpha cum subsequente versu. *currum* tamen reperias. *Pierius.*

654. *Nitentis.*] Pingues: ab eo quod sequitur, id, quod præcedit, intelligis. Per omnia autem, quæ dicturus est, intelligendum hoc, *Quæ gratia fuit vivis, eadem sequitur tellure repostos.* Servius.

655. *Eadem seq. tellure repostos.*] Anacreon contra ὁ θανὼν οὐκ ἐπιθυμεῖ. *Germ.*

Eadem sequitur, &c.] De his ex disciplina Platonica sumptis videatur Cælius l. 10. c. 9. & Macrob. l. 1. c. 9. in Somn. Scip. *Taubm.*

657. *Ves-*

Vescentis, lætumque choro Pæana canentis,
Inter odoratum lauri nemus: unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.

Hic

657. *Vescentis.*] Omnia in unum læta convenerant; honestorum personæ; cœtus justorum: apparatus epularum: lætitia, cantus: locus herbescente viriditate hilaris & odore lauri jucundus, nemorosus, atque undarum perennium copia semper apricus. *Idem.*

Pæana canentis.] Proprie Apollinis laudes, quod nunc congruit propter lauri nemus: abusive omnium deorum. Sic *Orgia* proprie Liberi: abusive, omnium deorum sacra. *Servius.*

658. *Odoratum.*] Pro *odorum:* ut diximus supra. *Idem.*

Inter odoratum lauri nemus.]Ita etiam de his locis Tibullus lib. 1. eleg. 3.

Floret odoratis terra benigna rosis.

Virgilius infra inducit,

Riparumque toros, & prata recentia.

Plutarchus de sera vindicta constituit partem istam, ὕλῃ καὶ χλωρότητι, καὶ χλόαις ἀνθέων ἁπάσαις διαπεποικιλμένον: *Silva, viriditate & omnigenis floribus ornatam.* Additque: ἐξέπνει δὲ μαλακὴν, καὶ πραεῖαν αὔραν, ὀσμὰς ἀναφέρουσαν ἡδονῆς θαυμασίας: *exhalabat autem lenem auram & mollem, quæ odorem exhibebat suavitatis maximæ.* Pergit pluribus Plutarchus. In opere etiam de orbe Lunæ adumbrans partem istam beatorum, ait: καὶ τὴν νῆσον εὐωδίᾳ κατέχεσθαι πᾶσαν: *totam insulam occupari suavi fragrantia.* Libat Propertius has voluptates lib. 4. eleg. 7.

Mulcet ubi Elysias aura beata rosas.

Consonant ista cum doctrina Epicuri, qui dicebat, τέλος τῶν ἀγαθῶν, καὶ σοφῶν ἀνδρῶν τὴν ἡδονὴν εἶναι. Verba sunt Cedreni: *finem bonorum & sapientium esse voluptatem.* Cerda.

Unde superne Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.] Eridanum Aratus in cœlo esset dixit, haud longe à ceto. Hic & in terris est, qui in Italia, id est, in Venetia *Padus* vocatur: quem alii etiam ad Inferos volunt tendere, alii nasci apud Inferos, & exire in terras. Ideo autem ista finguntur, quia de Apennini parte oritur, quæ spectat inferum mare, & tendit usque ad superum. Ergo hic sensus est, Canebant in locis, unde superne, id est, ad superos plurimus Eridani amnis per silvam volvitur. Namque verisimile est: quoniam legimus de Aristæo, *Omnia sub magna labentia flumina terra Spectabat diversa locis.* Et congrue. nam omnis humor ex terræ nascitur venis. Alii *Eridanum* pro quocunque accipiunt, & dicunt κατ' ἐξοχὴν dictum. Nam legimus *Fluviorum rex Eridanus.* & amant poëtæ, pro appellatione, ponere magnæ rei proprietatem: ut alibi, *Poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis.* Melius tamen est, si distinguamus, *Unde superne plurimus,* Unde ad superos plurimus, id est, magnus amnis volvitur per silvam Eridani, id est, populos. Fabula namque hæc est, Eridanus Solis filius fuit: hic à patre impetratum currum agitare non potuit, & cum ejus errore mundus arderet, fulminatus, in Italiæ fluvium cecidit: & tunc à luce ardoris sui, Phaëthon appellatus est, & pristinum nomen fluvio dedit. Unde mixta hæc duo nomina inter Solis filium & fluvium invenimus. Postea ejus sorores flendo in populos versæ sunt: ut in decimo, *Populeas inter frondes umbramque sororum.* Et hoc Virgilius. nam alii in alias arbores dicunt. *Servius.*

Unde superne Plurimus.] Canebant in locis, unde ad superos *plurimus*, id est, magnus amnis volvitur. quippe qui xxx. amnibus augeatur. *Taubm.*

Eridani.] Qui *Padus* vocatur. Sicut autem in cælo consecrarunt astrologi *Eridanum:* sic & in Elysiis ponit eum Maro vel cælestis illius imitatione, vel patriæ commendatione inductus, cum sit in Italia fluviorum rex. Sic *Catonem* umbris dare jura scripsit, ne Græci tantum

Hic manus, ob patriam pugnando volnera passi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates, & Phœbo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artis,
Quique sui memores alios fecere merendo:

Omni-

tum exercendis inferorum judiciis præfecti viderentur, interesse putans ad patriæ ornamentum & Catonis laudem, hominem Romanum illic judicare. Turn. l. 22. c. 1. *Taubm.*

660. *Hic manus, ob patriam pugnando volnera passi.*] *Manus*, id est, multitudo eorum, qui ob patriam passi sunt vulnera. & est figurate dictum. Sane animadvertendum, quod ait Horatius in arte poëtica, *Et simul & jucunda & idonea dicere vitæ.* Nullam enim majores nostri artem esse voluerunt, quæ non aliquid reipublicæ commodaret. Unde Virgilius hoc per transitum facit. Nam dicendo puniri patriæ venditores, contra præmia defensoribus solvi: nihil aliud, nisi fugienda vitia, & sectandas esse docet virtutes. *Servius.*

Hic manus, ob patriam, &c.] Locum communem eorum, qui dicti φιλοπόλεις, & φιλοπολίται, plures conjunxerunt. Erasmus variis in locis. Rittershusius in Oppianum, & in Homerum Spondanus, Brusonius lib. & cap. 5. Auctor. πολυανθ. Pierius in Hieroglyp. Andreas Eborensis, interpretes aliqui hic in Virgilium. Ideo abstineo, res enim ista facile parabilis. Non omittam tamen verba Tullii, qui cadentes pro patria in Elysiis constituit, ut hic Virgilius. Loquens de legione Martia, quæ cecidit dimicans contra Antonium, ait: *Vos vero, qui extremum spiritum effudistis, piorum estis sedem & locum consecuti.* Reliquorum exemplis adjice, quæ de Chæremone narrat Agathias lib. 2. *Cerda.*

661. *Sacerdotes casti, dum vita manebat.*] Quasi quis castus posset esse post mortem, sed aliud dicit: id est, qui fuerunt casti dum in communione vitæ versarentur. Nam hi qui sacra maxima accipiebant, renuntiabant omnibus rebus: nec ulla in his numinum cura remanebat. Herbis etiam quibusdam emasculabantur: unde jam coire nec poterant. Dicit ergo eos sacerdotes, qui casti fuerunt etiam ante sacra suscepta. *Servius.*

662. *Pii vates.*] Vaticinantes, non mendaces. *Idem.*

Phœbo digna locuti.] Aut veridici, qui talia loquebantur, qualia decebant Apollinem. Multi enim mentiebantur: ut in Lucano Phœbas, ad quam Appius Claudius, *Et nobis dabis improba pœnas, Et superis quos fingis, ait.* Idem.

663. *Inventas aut qui vitam excoluere per artis.*] Qui erudierunt & ornaverunt vitam per inventa artificia. Significat autem Philosophos: qui aliquid excogitaverunt, unde vita coleretur. *Idem.*

Inventas aut qui vit. exc. per artis.] Ἀλφηστὰς ἄνδρας Hesiodi innuere videtur, τουτέστι ἐφευρετὰς καὶ ἐπινοητικούς. Nimirum Orpheus in hym. Palladem εὑρεσίτεχνον vocat. Aristot. lib. Polit. β. memorat hanc inter alias leges Hippodami legislatoris, ut præmia inventoribus decernerentur: ἐτίθει δὲ νόμον περὶ τῶν εὑρισκόντων τι τῇ πόλει συμφέρον, ὅπως τυγχάνωσι τιμῆς. Videntur hæc autem ex Platonis fere desumpta symposio. φρόνησίν τε καὶ τὴν ἄλλην ἀρετήν, ὧν δή εἰσι καὶ οἱ πάντες ποιηταὶ γεννήτορες, καὶ τῶν δημιουργῶν ὅσοι λέγονται εὑρετικοὶ εἶναι. *Germanus.*

664. *Quique sui memores alios fecere merendo.*] Et quia aliquos sui memores fecere præstando: ut, *Nunquam reginæ negabo*

Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.
Quos circumfusos sic est adfata Sibylla;
Musæum ante omnis: medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exstantem suspicit altis:
Dicite, felices animæ, tuque, optime vates;
Quæ regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
Veni-

negabo Promeritam, id est, præstitisse. Terentius, *Ego Charine neutiquam officium liberi esse hominis puto: cum is nihil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi.* Servius.

Alios.] Non placet quod in exemplaribus plerisque veteribus *aliquos* legitur. Plus enim est *alios* dicere. *Pierius.*

Memores fecere merendo.] Prop. 4. *Sim digna merendo, Cujus honoratis ossa vehantur aquis.* Germanus.

Quique sui memores alios fecere merendo.] Vide ut locum istum tractet, explicet, expendat S. Augustin. Virgilium admiratus lib. 21. de Civit. cap. ultim. ubi versum istum comparat cum doctrina Euangelica. *Cerda.*

Quique sui memores, &c.] Horum virtutes enarrat Macrob. in somn. Scip. l. 1. c. 8. *Emmeness.*

665. *Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.*] Per quod eos ostendit meruisse divinos honores; ut diximus supra. *Servius.*

Omnibus his.] Omnia commoda consequuntur honestatis cultores: locum, sidera, lucem, prata, nemora, cibos, delitias, studia artium, ut non privati vita, sed ad aliud vivendi genus transisse videantur. *Donatus.*

667. *Musæum ante omnis.*] Theologus fuit iste post Orpheum: & sunt variæ de hoc opiniones. Nam eum alii Lunæ filium, alii Orphei volunt, cujus eum constat fuisse discipulum. Nam ad ipsum primum carmen scripsit, quod appellatur *Cratera.* Servius.

Medium nam plurima turba Hunc habet.] Locus huic similis est apud Aristidem in oratione funebri Alexandri Poëtæ præceptoris sui, ubi ait, hunc in inferno circumdari ab choris Poëtarum & historicorum, conantium enixe, ut ad se Alexander divertat. πάντων χορὸς ἵσταθαι περὶ ἐκεῖνον. Qui attente legerit Aristidem, inveniet Græcum hunc multis in rebus Virgilio hæsisse. *Cerda.*

668. *Humeris extantem suspicit altis.*] Quasi Philosophum, ac si diceret Platonem. Alludit enim poëta. Nam *Plato* ab humerorum dictus est latitudine. Athleta enim fuit, qui post omnium victoriam, se philosophiæ dedit. *Idem.*

Humeris extantem.] Hanc exsuperantiam Gr. ὑπερωμίαν & ἀκρωμίαν vocant. Servius, Nascimb. aliique putant allusum ad Platonem, unde sua potissimum hauserit Poëta. Certe ob humerorum latitudinem dictus est Plato: atque ob corporis illud robur primum athleta fuit, deinde se Philosophiæ tradidit. Mirantur autem multi hic Maronem honorifice Musæi meminisse, de Homero siluisse: ac Græci quidem nonnullam ei livoris hac de caussa labem adspergunt, &c. De quo Turneb. lib. 18. cap. 46. *Taubm.*

669. *Felices.*] Utpote quæ post depositam vitam, talia loca ac delitias sint assecutæ. *Donatus.*

Tuque, optime vates.] Quia theologus fuit. Et sciendum hoc loco Sibyllam jam à numine derelictam. Unde & interrogat, quod alias non faceret. *Servius.*

670. *Quæ regio Anchisen, quis habet locus?*] Bene & generalitatem requirit & speciem, quo possit facilius inveniri. Nam *Locus* in regione est. *Idem.*

Illius ergo.] Propter illum, vel causa illius.

Venimus, & magnos Erebi tranavimus amnis.
Atque huic reſponſum paucis ita reddidit heros:
Nulli certa domus. lucis habitamus opacis,
Riparumque toros & prata recentia rivis
Incolimus. ſed vos, ſi fert ita corde voluntas,
Hoc ſuperate jugum; & facili jam tramite ſiſtam.
Dixit, & ante tulit greſſum, campoſque nitentis
Deſuper oſtentat: dehinc ſumma cacumina linquont.
At pater Anchiſes penitus convalle virenti
Incluſas animas, ſuperumque ad lumen ituras,

Luſtra-

illius. *Ergo* autem conjunctio fuit, ſed per accentus mutationem in adverbium tranſit: & eſt ſola particula, quæ habet in fine circumflexum. Multi male putant nomen eſſe indeclinabile: & dicunt poſitum eſſe pro cauſſa (*Cauſſa* autem, nomen eſt quod ponitur pro ratione) qui caſus declinatione caret. *S.*

Illius ergo.] Lucret. 3. *Intereunt partim ſtatuarum & nominis ergo.* Germ.

671. *Magnos amnis.*] Aut magna fluenta: aut quia novem ſunt, quæ odioſum fuerat commemorare per ſingula. *Servius.*

673. *Nulli certa domus.*] Id eſt, habitatio, quam animæ tandiu certam habent, quandiu in corporibus ſunt: poſt quorum ſolutionem vagantur pro vitæ merito in circulis. *Idem.*

Nulli certa domus] Totum hunc locum laudat Scal. l. 5. c. 16. Poët. Hic autem innuitur, animam à corpore ſecretam nullius loci ſpacio includi; ſed pro vitæ merito in circulis vagari. *Taubmannus.*

Lucis habitamus opacis.] Varia dicit, quæ pro vitæ varietate contingunt. In his autem locis Heroum animæ coluntur. *Servius.*

674. *Recentia rivis.*] Virentia: rivorum ſcilicet cauſſa. *Idem.*

Rivis.] In Romano codice, *ſilvis* pro *rivis* legitur. Sed enim *Rivi* in in cauſſa ſunt, cur prata ſint recentia. *Pierius.*

Prata recentia rivis.] Virentia, rivorum cauſſa. ita Hor. 3. Od. 4. *frondem novam* pro virenti dixit. Alii *ſilvis* leg. *Taubm.*

675. *Voluntas.*] In codicibus aliquot antiquis, *voluptas* habetur. Errore, ut puto, quia alibi ſimili indiligentia *Voluptant*, pro *volutant* ſcriptum animadverti. *Pierius.*

Si fert ita corde voluntas.] Lucret. 3, *Si fert ita forte voluntas.* Germanus.

676. *Jugum.*] Ita enim dividuntur montes, in radices, latera, juga, vertices, pro locorum qualitate. *Servius.*

Facili jam tramite.] In codicibus aliquot antiquis, *facili vos tramite* legitur: ſed *jam* in antiquioribus habetur. *Pierius.*

678. *Dehinc ſumma cacumina linquont.*] Non *linquit.* hoc enim dicit Æneas & Sibylla, *Perducti ad ſummum, in plana deſcendunt.* Servius.

679. *Penitus convalle virenti.*] Valde virenti: ut, *Penituſque ſonanteis Aceſtis ſcopulos.* Idem.

680. *Incluſas animas.*] Non re vera incluſas: ſed multitudine ſeparatas, quo facilius agnoſcerentur. *Incluſas* autem, aut ſegregatas: aut ſecundum ritum antiquum. Multitudinem enim ſi numerare non poterant, eam in locum certum includebant per partes, & ex unius numero quanta eſſet videbant. Quod Xerxes de ſuo fecit exercitu. *Idem.*

681. *Lu-*

Luſtrabat ſtudio recolens, omnemque ſuorum
Forte recenſebat numerum, caroſque nepotes,
Fataque, fortunaſque virûm, moreſque, manuſque.
Iſque ubi tendentem adverſum per gramina vidit
Ænean, alacris palmas utraſque tetendit:
Effuſæque genis lacrimæ; & vox excidit ore:
Veniſti tandem, tuaque ſpectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua; & notas audire & reddere voces?
Sic

681. *Luſtrabat ſtudio recolens.*] Circuibat, ſtudioſe tractabat. *Idem.*

Luſtrabat.] Oculis. *Donatus.*

Recolens.] Animi intentione. *Idem.*

682. *Caroſque nepotes.*] Poſteros: ſicut per nurus fœminas dicunt. *Servius.*

683. *Fataque fortunaſque virûm, moreſque, manuſque.*] Felicitas enim aut fatalis eſt, aut fortuita, aut ex virtute deſcendens. *Idem.*

Fata, fortunas, mores, manus.] Propoſitio eſt eorum, quæ deinde proſequitur. *Donatus.*

685. *Alacris.*] Ipſe alacris. Et ſciendum antiquos & *alacris* & *alacer*, & *acris* & *acer*, tam de maſculino quam de fœminino genere dixiſſe. Nunc maſculino utrunque damus: de fœminino *alacer* & *acer* nunquam dicimus: licet Ennius dixerit: *Æſtatem Autumnus, poſt acer hiems ſit.* Nam inde eſt *alacer.* Servius.

686. *Genis.*] Palpebris. Ennius de dormiente, *Imprimitque genæ genam.* Idem.

Excidit ore.] Quaſi ſeni: quod circa Anchiſen reſervat, ut, *Tantumque nefas patrio excidit ore.* Idem.

687. *Veniſti tandem.*] Hoc ad effectum pertinet deſiderantis. Alias oritur quæſtio, quod dicit, *Sic equidem ducebam animo.* Idem.

Veniſti tandem.] Vide colloquium Ulyſſis cum Anticlea matre apud inferos, Od. λ. Ut autem *veniſti tandem*, ſic Od. ρ. ἦλθες Τηλέμαχε γλυκερὸν φάος. *Germanus.*

Spectata.] Probata: ut, *Et rebus ſpectata juventus.* Hoc autem dicit, Tua pietas mihi ſemper probata, nunc etiam *iter durum* vicit, ſcilicet inferorum. *Servius.*

Spectata.] Legi *exſpectata*, & explicui cum oppoſitione ad illud,

Sic equidem ducebam animo rebarque futurum,
Tempora dinumerans, nec me mea cura fefellit.

Hoc enim exſpectantis eſt. Alii legunt, *ſpectata*, hac ſententia: Probata eſt mihi tua pietas per labores, ac dura itinera. Ad eum modum, quo Ovidius dixit,

— *ſpectatur in ignibus aurum,*

id eſt, probatur. Quod Græci δοκιμάζεται, διαγνωσκωνίζεται. Lectionem hanc ſequitur Paſſeratius, quem Germanus advocat: & Germ. ipſe, prolato in Paralip. vetere codice, in quo eſt *ſpectata.* Sequitur Joſ. Scal. in Catull. & addit tralationem duci à probationibus operum, quæ dicuntur *ſpectationes*, ab Agellio, & aliis. Sequitur Servius: nam tametſi in illo ſemper legatur *exſpectata*, ſed ejus verba aliud indicant: ſunt vero hæc *exſpectata, probata, ut rebus ſpectata juventus, &c.* Potes hos ſequi. Ego in primum inclino, nam ita hic videtur aſſumi vox iſta, ut 2. Æn.

— *quibus Hector ab oris*
Exſpectate venis? Cerda.

689. *Et notas audire & reddere voces.*] Familiariter loqui. *Servius.*

Audire & reddere.] Ex Catullo de nupt. Pel.

Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent!
Ille autem: Tua me, genitor, tua tristis imago,
Sæpius occurrens, hæc limina tendere adegit.
Stant sale Tyrrheno classes: da jungere dextram,
Da, genitor; teque amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum:

Ter

Nec missas audire queunt, & reddere voces.
Usurpavit quoque 1. Æn. *Cerda.*

690. *Rebarque futurum.*] Arbitrabar, rationabar esse venturum. Per quod intelligimus fataliter Æneam ad inferos descendisse. Non enim nisi fatalia deprehenduntur. *Servius.*

691. *Nec me mea cura fefellit.*] Nec decepit me dulcissimus filius. Nam vocativus est, *mea cura*, id est, tu: & dictum est sicut *Veneris justissima cura.* Idem.

Mea cura.] Id est, Spes mea. quia Spei cura est comes. H. Steph. Servius *mea cura* pro vocandi casu habet, & exponit, *dulciss. fili.* Taubm.

692. *Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum.*] Patriæ ejus ingemit casibus. *Servius.*

Quas ego te terras.] Romanus codex, & aliquot alii vetusti, *quas ego per terras* legunt. Mihi prior lectio facit satis: quia etiam si *per* legas, *te* pronomen desideraretur. *Pierius.*

694. *Libyæ tibi regna nocerent.*] Aut quia de Junone ait Venus: *Haud tanto cessabit cardine rerum.* Aut quod est melius, illud dicit, Timui ne dum apud regna Carthaginis voluptatibus vacabas, imperium fatale derelinqueres. *Servius.*

695. *Tristis imago.*] Severa, terribilis, ut supra, *Et turbida terret imago.* Id.

696. *Sæpius occurrens.*] Κατὰ τὸ σιωπώμενον sæpius ei dictum intelligimus: aut certe, Egit me tua imago ad hæc tendere limina, quam sæpe videre consuevi. *Idem.*

Occurrens.] Respicit ad illud 5.

—— *Averna per alta*
Congressus pete nate meos.

Cum addit *sæpius*, intelligendum κατὰ σιωπήν. Nam semel apparuisse Anchises legitur. *Cerda.*

Tendere adegit.]In codicibus aliquot pervetustis, legere est *adire coëgit*. Sed omnino lectio hæc ex aliqua paraphrasi desumpta est, pedestris enim & exilis est. Illud vero *tendere adegit* longe sublimior phrasis & elegantior. *Pierius.*

697. *Stant sale Tyrrheno classes.*] Affectionis est filii etiam ea indicare, de quibus non interrogatur. *Servius.*

699. *Largo fletu.*] Nato ex gaudio. *Idem.*

Rigabat.] In antiquis plerisque *rigabant* plurali numero est. Sed de Ænea tantum hoc dictum volunt multi, quod absurdum dicunt dare lacrimas Anchisæ, in beatorum jam numerum adscito. Sed fecit hoc Poëta ad affectum mutuæ pietatis exprimendum. *Pierius.*

700. *Ter conatus ibi col. dar. brach.*] Supra ex Hom. de Eurydice & Creusa. Sæpe autem Eurip. ἀμφιθεῖναι, & περιβάλλειν δέρῃ χεῖρας. *Germanus.*

701. *Ter*

Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Interea videt Æneas in valle reducta
Seclusum nemus, & virgulta sonantia silvis,
Lethæumque, domos placidas qui prænatat, amnem.
Hunc

701. *Ter frustra.*] Sæpius. finitus pro infinito. *Servius.*

703. *Interea videt Æneas.*] Hirmos est hoc loco, id est, unus sensus protentus per multos versus: in quo tractat de Platonis dogmate, quod in Phædone positum est περὶ ψυχῆς, de quo in Georgicis strictim, hic latius loquitur. De qua re etiam Varro in primo divinarum plenissime tractavit. Hoc autem continet, Æneas dum per inferos pergeret, respexit fluvium quendam loci remotioris: ad quem innumera multitudo tendebat animarum. Interrogavit patrem, quis esset fluvius, vel qua ratione ad eum pergerent animæ. Pater ait, Lethæus est: pergunt autem ut potantes oblivionem patiantur, & incipiant in corpora velle remeare. Stupefactus Æneas interrogat, Dic pater, animæ, quæ per præteritam vitam tot supplicia pertulerunt, possunt habere votum revertendi in corpora? Non est verisimile, liberatas de corporis carcere ad ejus nexum reverti. Suscepta narratione hoc Anchises exequitur; primo debere fieri, ut redeant, deinde posse, deinde velle. quæ quoniam obscura sunt, aliis divisionibus innotescunt. Quid est debere? Cuncta animalia à deo originem ducunt: quæ quia nasci cernimus, revertuntur sine dubio, unde cuncta procreantur. Deinde posse sic probat: quia immortales sunt animæ, & sunt, quæ possunt reverti. Tertium est, utrum velint, quod dicit fieri per Lethæum fluvium. Et hoc est, quod dicturus est. Sed incidentes quæstiones faciunt obscuritatem. *Idem.*

Valle reducta.] Is locus dicitur reductus, qui habet vias non recta continuo tendentes, sed ejusmodi, ut tibi in lustrando redeundum recurrendumque sit. Sic Mæander flexus habet reductos, sic multi horti reductas vias, sic Horatius bis dixit, *reductam vallem* ad imitationem Nostri, videlicet lib. 1. Od. 17. & in Epod. Od. 2. Sed de hac re dictum jam & in Georg. & 1. Æn. *Cerda.*

704. *Seclusum.*] In Romano codice, *reclusum* legitur. Sed enim Virgilius hujus dictionis primam libentius corripere solet. *Pierius.*

Virgulta sonantia silvis.] Quæ sunt juxta prærupta fluminis. *Servius.*

Silvis.] Servius *silvæ* legit. & Romanus illi codex adstipulatur. Reliqui etiam variant. Advertendum autem, *silvæ* apud Servium accipi genitivo casu. In Mediceo *silvis* habetur. *Pierius.*

705. *Domos placidas.*] Campos Elysios. *Servius.*

Prænatat.] Præterfluit, & contrarie dictum est. Nam non natant aquæ, sed nos in ipsis natamus. Ennium igitur secutus est, qui ait, *Fluctusque natantes.* Sane de hoc fluvio quæritur à prudentioribus, utrum de illis novem sit, qui ambiunt inferos, an præter novem. & datur intelligi, quod ab illis novem, qui ambiunt inferos separatus est. Namque volunt, eum esse imaginem senectutis. nam animæ nostræ vigent & alacres sunt & plenæ memoria à pueritia usque ad virentem senectam, postea in nimia senectute omnis memoria labitur, qua lapsa mors intervenit, & animæ in aliud corpus revertuntur. Unde fingunt poëtæ animas, Lethæo hausto, in corpus redire. Ergo *lethæus* est oblivio, morti semper vicina. *Idem.*

 706. *Hunc*

Hunc circum innumeræ gentes, populique volabant.
Ac veluti in pratis, ubi apes æstate serena
Floribus insidunt variis, & candida circum
Lilia funduntur: strepit omnis murmure campus.
Horrescit visu subito, caussasque requirit
Inscius Æneas, quæ sint ea flumina porrò,
Quive viri tanto complerint agmine ripas.
Tum pater Anchises: Animæ, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam

Secu-

706. *Hunc circum.*] Signate, non, *circa.* quia hic non solum proximitas indicatur. Ita statim, *circum lilia.* ut notet, animas & apes in globum commeantes ad flumen, ad flores. ita etiam 1. Georg. de Zonis,

Hanc circum extremæ dextra lævaque trahuntur.

ut notet, non proximitatem, sed vertiginem. *Cerda.*

Gentes populique.] Innumerarum gentium & populorum animæ. *Servius.*

Innumeræ gentes.] Ut ille ἔθνη ἀνάριθμα. *Germanus.*

707. *Ac velut, &c.*] Illustrabitur hic locus illis, quæ dixi 1. Æn. ad illud:

Qualis apes æstate nova per florea rura,
Exercet sub sole labor.

Cur dicat *æstate*, satis illustratum, imo explicatum 4. G. ubi quæsivi, quo tempore apes sedent ad laborem suum. Cur *serena*; ibi quoque. nam apes non se credunt cœlo nubilo. *Cerda.*

708. *Floribus insidunt.*] *Insido illi rei*, ut, *Insidat quantus miseræ deus. Insisto* autem *illam rem*, ut, *Nulli fas casto sceleratum insistere limen.* Servius.

Circum Lilia funduntur.] Hoc est, circunfunduntur: *Lilia* autem pro quibuslibet floribus, speciem pro genere posuit. *Idem.*

Candida lilia.] Arripuit à Nostro Propertius lib. 1. eleg. 20. De variis liliorum generib. non solum candidorum, lege Plinium, qui docet, qua arte ex candidis fiant purpurea. *Cerda.*

711. *Flumina porro.*] Longe remota: & est Græcum adverbium. Bene autem Æneam longe à Lethæo facit: quia adhuc juvenis est. *Servius.*

712. *Quive complerint.*] In vetustis quibusdam exemplaribus legere est, *quidve*, hoc est quorsum, quanam de caussa. Sed non ita placet. In aliquot aliis *quique viri* habetur: quod rectius mihi succedere videtur, *Quæ flumina, Quique viri.* Est & *complerunt* finitivo modo in bona codicum antiquorum parte. In aliquot, ut in Mediceo *complerent* per *e*. Nusquam vero *complerint* per *i* legi. *Picrius.*

Agmine ripas.] Cursu, impetu: per quod ostendit cito iri ad senectam: quia tota celeritate usus labitur vitæ. *Serv.*

713. *Tum pater Anchises.*] Interrogat Æneas quis fluvius sit, & quare animæ illum petant. Ad utrunque breviter respondet, Esse animas, quæ in alia corpora reverti volunt, & fluvium esse Lethæum. *Donatus.*

Animæ, quibus altera fato Corpora debentur.] Sciendum, non omnes animas ad corpora reverti. Aliquæ enim propter vitæ merita non redeunt: aliquæ redeunt propter malam vitam: aliquæ propter fati necessitatem. *Servius.*

714. *Lethæi ad fluminis undam.*] Si anima æterna est, & summi spiritus pars: qua ratione in corpore non totum videt, nec est tantæ prudentiæ tantæque vivacitatis, ut omnia possit agnoscere: quia cum cœperit in corpus descendere, potat stultitiam & oblivionem.

Securos latices & longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque ostendere coram,
Jampridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quo magis Italia mecum lætere reperta.
O pater, anne aliquas ad cælum hinc ire putandum est

Sub-

nem. Unde non potest implere vim numinis sui, post naturæ suæ oblivionem. Obliviscitur autem secundum poëtas præteritorum, secundum Philosophos futuri. Unde medium tenuit dicendo *Oblivia*. Idem.

Lethæi ad fluminis undam.] Hinc, credo, ducto argumento, aut certe consentiente, Romæ Erycis fanum fuit, ubi ea figura & figmento Amor positus stabat, ut eodem gestu facem undæ immergere, & latices Lethæos propinare videretur, tali emblemate ἀντέρως dictus, quod ægras ab amore mentes sanare crederetur: cujus meminit Ovid. lib. 2. De remed. am. his versibus: *Est prope Collinam templum venerabile portam; Imposuit templo nomina celsus Eryx: Est illic Lethæus Amor, qui pectora sanat, Inque suas gelidam lampadas addit aquam. Illic & juvenes votis oblivia poscunt, Et si qua est duro capta puella viro.* Germanus.

715. *Securos latices.*] Qui securos faciunt: ut *morbos pallidos* dicimus, quod pallidos faciunt. *Servius.*

Securos latices.] Ut Cicero securam recordationem dixit præteriti doloris: & Epigr. 3. σὺ δ᾽ εἰ θέμις ἐν φθιμένοισι τῆς λήθης ἐπ᾽ ἐμοὶ μή τι πίῃς πόματος. Horat. Epod. *Pocula lethæos ut si ducentia somnos, Arente fauce traxerim.* Germanus.

Oblivia.] Docent autem Philosophi, anima, ad ima descendens, quid per singulos circulos perdat. Unde etiam Mathematici fingunt, quod singulorum numinum potestatibus corpus & anima nostra connexa sunt: ea ratione, quia cum descendunt animæ, trahunt secum torporem Saturni, Martis iracundiam, libidinem Veneris, Mercurii lucri cupiditatem, Jovis regni desiderium: quæ res faciunt perturbationem animabus, ne possint uti vigore suo & viribus propriis. *Servius.*

Longa oblivia potant.] Sic Lucan. l. 3. *Me non Lethææ, conjux, oblivia ripæ Immemorem fecere tui.* Taubmannus.

717. *Jam pridem.*] Ex quo ait, *Tum genus omne tuum, & quæ dentur mœnia disces.* Servius.

Jam pridem.] Respicit ad illud 5. Æn. *Congressus pete nate meos.* Jam enim dudum nato apparuerat Anchises, monueratque, ut descenderet ad se ad inferos: nunc aperit, cur hoc voluerit, *Jam pridem* (inquit) *cupio prolem enumerare meorum.* Cerda.

718. *Quo magis Italia.*] Ex hoc ostendit se magna dicturum. *Donatus.*

Quo magis Italia mecum lætere reperta.] In codicibus aliquot antiquis, *lætare* imperativo modo: deque re præsenti, ad solidiorem gaudii caussam. In omnibus deinde pro *tandem*, uno exemplo *mecum* scriptum est. In Romano totus versus ita mutatus, *quo magis Italiam mecum lætare repertam.* Jam enim in Italiam descenderat Æneas, eamque repertam esse, plurimum gaudebat. Sed eo magis gaudendum, ait Anchises, quod non tantum erroribus finis sit impositus, quodque sedes fato debitæ jam apprehensæ. Sed quod præter hæc tot illustres viri sint ex suo genere propagandi, totque & tantæ sanguini suo accessiones præparatæ: Quocirca, Lætare, ait, nunc magis ac magis. *Pierius.*

719. *O pater.*] Nova brevitas. Nam dicendo *pater*, qui loquatur, ostenditur. *Servius.*

Ad cælum hinc ire putandum est.] Miscet Philosophiæ figmenta poëtica: & ostendit tam quod est vulgare, quam quod

Sublimis animas, iterumque ad tarda reverti
Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem; nec te suspensum, nate, tenebo:
Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.

Prin-

quod continet veritas & ratio naturalis. Nam secundum poëtas hoc dicit, credendum est, animas ab inferis reverti posse ad corpora, ut *cœlum* superos intelligamus, id est, nostram vitam. Secundum Philosophos vero hoc dicit, credendum est, animas corporis contagione pollutas, ad cœlum reverti. *Serv.*

O pater, anne.] Non poterat non mirari, quod ad tanta incommoda vitæ redire vellent. *Donatus.*

O pater, anne, &c.] Lege versum integrum, & admirare Virgilium, qui ipsa carminis difficultate exprimit Æneæ sensum, vix credentis animas inde evasuras. Est hic *cœlum* mortalis vita; ut mortales, ipsi *superi*, respectu inferiorum. Ita supra,

— *superasque evadere ad auras.*

Cum allusione ad hoc significatum dixit Plautus Aulul. *superi incœnati sint, & cœnati inferi.* In Seneca Tragico reperies multa exempla. *Cerda.*

720. *Sublimis animas.*] Non omnes, sed sublimium. *Servius.*

Sublimis animas.] An, illustres & nobiles, ut plerique. An hæc est sententia? Fierine potest, ut animæ, quæ nunc sunt in inferno, iterum supernæ & sublimes reddantur? *Cerda.*

Ad tarda reverti corpora.] Animæ comparatione, qua velocius nihil est. Uno enim momento potest universa discurrere. *Servius.*

Ad tarda.] In codicibus aliquot antiquis, *in tarda* legere est. Utrunque placet. *Pierius.*

Ad tarda reverti corpora.] De transmigratione animarum videndus Lactant. l. 7. c. 22. *Poëtæ vero cum scirent hoc seculum malis omnibus redundare, oblivionis amnem induxerunt, ne malorum ac laborum memores animæ reverti ad superos recusarent, &c.* Emmeness.

721. *Quæ lucis miseris tam dira cupido.*] Ut id desiderent, propter quod se sciunt pœnas dedisse, scilicet vitam. *Servius.*

Cupido.] In codicibus aliquot antiquis *cupido est*, una plus dictione legitur. Sed absque ea suavius. *Pierius.*

Quæ lucis miseris tam dira cupido.] Supra in Georg. *regnandi veniat tam dira cupido.* Docte notavit Dion. Lambinus, cupidinem masculine semper ab Horatio hac significatione usurpari. Observavi etiam Euripidem in Iphig. eandem significationem & ἀφροδίτῃ dedisse: μέμηνε δ' ἀφροδίτῃ τις Ἑλλήνων στρατῷ πλεῖν ὡς τάχιστα βαρβάρων ἐπὶ χθόνα. Quin ut hic *lucis cupido*, Euripidi in Herc. οὐδὲ τοῦ βίου πόθος θανεῖν ἐρύκει με· & Sophocl. in Tyr. βίου μοι τοῦ μακραίωνος πόθος· idem in Trach. τίς ὁ πόθος αὐτοὺς ἵκετ' ἢ θεῶν βία. Lucret. lib. 3. sub finem:

Quæ mala nos subigit vitai tanta cupido?
Et sitis æqua tenet vitai semper hiantes.

Germanus.

722. *Dicam equidem; nec.*] Lucret. 6.

Expediam, neque te in promissis plura morabor. Idem.

Suspensum.] Sollicitum, incertum: ut, *Multo suspensum numine ducit.* Serv.

723. *Suscipit Anchises, atq; ordine singula pandit.*] Hystero proteron. Post hunc enim versum sequi debuit, *Dicam equidem: nec te suspensum, nate, tenebo.* Idem.

Suscipit Anchises.] Aggreditur Anchises relationem, & ordine suo singula prosequi cœpit. Occasione futuræ relationis, altior tractatus inducitur, ut ostendat poëta, ex quibus constet hominum genus, vel cæterorum animalium: & unde moveantur in gaudium; unde vertantur in metum; unde diversis cupiditatibus teneantur; unde

Principio cælum ac terras, camposque liquentis,
Lucen-

unde animæ nutrimenta suscipiant. *Donatus.*

Suscipit.] In probatioribus codicibus antiquis, *suscipit* habetur: quod significat *respondet.* Et in Euangelica lectione, multa eo modo reponenda animadvertas: recte quidem prius traducta, sed imperitia sæculi postmodum corrupta. Huic vero lectioni Prisciani etiam subscribit auctoritas dicentis, illi ὑπολαμβάνω pro *respondeo.* ὁδὲ ὑπολαβὼν ἔφη. *Nos suscipiens inquit.* Hinc Virgilius, *Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.* pro respondit ad interrogationem Æneæ. *Suspicit* agnoscunt nonnulli codices. *Pierius.*

724. *Principio cælum ac terras, camposque liquentis.*] Interrogatus Anchises, quare animæ velint reverti ad corpora, quasi aliud dicit, tamen illuc recurrit: quod Græce τὸ πᾶν dicitur, id est, omne quod est. Quatuor sunt elementa: terra, aër, aqua, æther: & Deus. Præter hæc nihil est aliud: & hoc mundum non possumus dicere. Nam mundus non est totum. Ergo Deus est quidem spiritus divinus, qui per quatuor infusus elementa gignit universa. Igitur si de elementis & Deo nascuntur omnia, unam originem habent, & par est natura omnium. Sed videamus quid in nobis est à Deo: & quid à quatuor elementis. Quantum datur intelligi, ab elementis habemus corpus, à Deo animam: quod ideo probatur, quia quod est in corpore, terra, humor, anhelitus, calor (quæ omnia videntur, sicut etiam elementa) animus invisibilis est: sicut etiam Deus, unde originem ducit. Illa præterea irrationabilia sunt sicut corpus. contra Deus habet consilium, sic etiam animus. Deinde elementa mutari videmus, quorum perire mutari est, sicut etiam corpus: quod inde originem ducit. contra, Deum non perire, manifestum est, ergo nec animus perit, qui inde originem ducit. Nam pars semper sequitur genus. Huc igitur tetendit primam intentionem suam, ut animos immortales diceret. Sed occurrit illud, Si immortales sunt, & unum habent principium: qua ratione non omnia animalia sentiunt similiter? Et dicit non esse in animis dissimilitudinem, sed corporibus, quæ prout fuerint, vel vivacia, vel torpentia, ita & animos faciunt, quod potest etiam in uno eodemque corpore probari. In sano enim corpore alia est vivacitas mentis, in ægro pigrior, insanis invalida & ratione carens, ut in phreneticis cernimus, adeo cum ad corpus venerit, non natura sua utitur, sed ex ejus qualitate mutatur. Inde Afros versipelles, Græcos leves, Gallos pigrioris videmus ingenii: quod natura climatum facit, sicut Ptolemæus deprehendit, qui dicit translatum ad aliud clima hominem naturam ex parte mutare. De toto enim non potest: quia in principio accepit sortem corporis sui. Ergo anima pro qualitate est corporis. Et qua ratione res melior est in potestate deterioris? Atqui divinus animus debuit corpus habere in potestate, non mortale corpus naturam animi corrumpere. Sed hoc ideo fit, quia plus est, quod continet, quam quod continetur: ut si leonem includas in caveam, impeditus vim suam non perdit: sed exercere non potest. ita animus non transit in vitia corporis, sed ex ejus conjunctione impeditus, nec exercet vim suam. Occurrit illud, Omne quod corrumpitur, æternum non est. si animus insanit, irascitur, desiderat, timet, caret æternitate, cui sunt ista contraria. Nam passio æternitatem solvit. Quod ideo falsum esse dicimus, quia animus nihil per se patitur, sed laborat ex corporis conjunctione. Et aliud est per suam naturam corrumpi: aliud per contrarium rei alterius. Videmus enim tale aliquid, ut in lucerna, quæ per se clara est: & locum in quo est sine dubio illuminat: sed si qua re tecta fuerit & in-

Lucentemque globum lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et

& incluſa, non perdit ſplendorem proprium, qui in ea eſt (remoto namque impedimento apparet) nec tamen quia impeditus eſt ejus vigor, ideo etiam corruptus. Ita ergo & animus quandiu eſt in corpore, patitur ejus contagionem, ſimul atque depoſuerit corpus, recipit ſuum vigorem, & natura utitur propria. Si ergo recipit naturam ſuam, quare pœnas apud inferos patitur? Ideo quia res quæ ſimul diu fuit, non poteſt depoſita ipſa re ſtatim ad ſuum nitorem reverti. ut ſi ſpeciem candidam miſſam in lutum polluas, & eam ſtatim auferas, non iccirco ſordibus caret, ſed abſolutionem requirit, ut in priſtinum nitorem poſſit redire. Sic anima ex eo quod datur corpori, inquinata, etiam ſi corpus deponat, neceſſe habet purgari. Si ergo purgantur & recipiũt naturam, cur volunt reverti? Quia potant (inquit) oblivia. Eſt etiam illud ambiguum, Aut ut præteritarum obliviſcantur pœnarum; aut certe ut ignaræ futuri, habeant redeundi deſiderium in corpora, quod ſine paſſione non fit. Nam animus in quo eſt paſſio meretur reverti. *Servius.*

Cælum.] Pro *aëre*, & *æthere* poſuit: ut, *Jam cœlum terramque.* Idem.

Ac terras.] In Romano codice *terram* unitatis numero ſcriptum eſt. Alibi tamen eadem pene ſententia dictum *Deum ire per omnes Terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum.* Pier.

Principio cælum ac terras.] Per *cælum* hic à plurimis intelligitur *aër* & *æther* (de quo tamen ambitioſiſſime diſputat P. Lætus) per *campos liquentes*, mare: quod Lucret. *campos* vocavit *natantes.* Tractat autem locum ex Platonicorum doctrina, *Mundi animam eſſe Deum*: quem hic *Spiritum* appellat: Plato νοῦν, id eſt, *mentem.* De quo Servius admodum copioſe: item Crinitus l. 6. c. 12. Cælius l. 20. c. 11. Macrob. in Somn. Scip. l. 1. c. 14. & 17. *Taubm.*

Campoſque liquentis.] Id eſt, maria. *Servius.*

725. *Lucentemque globum lunæ.*] Ideo uſus eſt participio, ut oſtendat eam ſuum lumen non habere. Nam *lucens*, eſt, quod aliunde illuminatur. *Lucibile*, quod per ſe lucet, ut patulum & patens. *Patulum* eſt quod ſemper patet: *Patens*, quod & aperitur & clauditur, ut oculus. *Globum* autem, ideo quia dicitur luna σφαιροειδὴς eſſe. *Idem.*

Titaniaque aſtra.] Aut ſtellas dicit: aut Solem, quem ſupra unum fuiſſe de Titanibus diximus. *Idem.*

726. *Spiritus.*] Divinus ſcilicet: & unum eſt, ſive mentem dicat, ſive animum, ſive ſpiritum. *Idem.*

Intus alit.] Vegetat, & in æternitatem cuſtodit: quia miſtus eſt, & nulla pars eſt elementi ſine Deo. *Idem.*

Per artus.] Per elementa: quæ membra ſunt mundi. Corporalia namque ſunt, quæ poſſunt videri. *Idem.*

727. *Mens agitat molem.*] Magnitudinem mundi mens agitat: & ſi, ut Cicero dicit in Tuſculanis, *æternum eſt quicquid in æterno motu eſt*: ſine dubio etiam animus æternus eſt. Semper enim in motu eſt, adeo ut ne nobis quidem quieſcentibus conquieſcat. *Idem.*

Magno ſe corpore miſcet.] Aut Antiptoſis eſt, pro *corpori*: ut, *Hæret pede pes, denſuſque viro vir*: quod potius credendum eſt. Aut certe ſecundum eos locutus eſt, qui dicunt corporalem eſſe: & eum ita diffiniunt πῦρ νοερὸν, id eſt, ignem ſenſualem. Quod ſi verum eſt, corpus eſt: nec per Antiptoſim dixit, ſed per diffinitionem *magno corpore*, id eſt, non communi. *Idem.*

728. *Inde hominum pecudumque genus.*]

Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque: dolent, gaudentque: neque auras
Diſpiciunt clauſæ tenebris & carcere cæco.

Quin

nus.] De quatuor elementis & Deo. *Serv.*

730. *Et cæleſtis origo Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.*] Quod ſupra diximus, In tantum, inquit, in omnibus viget pars divinitatis, in quantum ſinit corporum qualitas. *Idem.*

Igneus eſt ol. vig. & cæl. origo.] Lucret. 2. *Denique cæleſti ſumus omnes ſemine oriundi, Omnibus ille idem pater eſt.* Inde & heroës ex diſciplina Homeri in aquis mortem perhorreſcebant, quod igneam animam extingui aqua crederent. Recurre ad ſuperiorem locum Æn. 1. *O terque quaterque beati.* Videtur autem poëta alludere ad Democriti dogmata, quem ſequebatur Siron: qui quidem Democritus animam ignem ſtatuebat & ſe maxima agilitate moventem, & aliud, ut docet Ariſtot. l. 1. De animo: φασὶ γὰρ ἔνιοι καὶ μάλιστα καὶ πρώτως ψυχὴν εἶναι τὸ κινοῦν, &c. *Germanus.*

Igneus eſt ollis vigor & cæleſtis origo.] Veteres philoſophi animam ignem eſſe cenſuerunt, quam ſententiam à Zenone, Stoicorum principe, probatam eſſe & propagatam non uno loco Cicero teſtatur. Eum vide de Fin. bon. & mal. l. 4. c. 5. Tuſc. quæſt. l. 1. c. 10. de Nat. Deor. l. 3. c. 14. Huc faciunt illa Lactant. lib. de Opif. Dei. c. 8. *Eo igitur mens, & ignis ille divinus tanquam cœlo tegitur, &c.* Emmeneſſ.

732. *Terrenique Hebetant artus.*] In quantum non hebetant artus. *Servius.*

Moribundaque membra.] Morienti ſimilia, hoc eſt, ſemper morientia. Nunquam enim in eodem ſtatu ſunt: ſed aut minuuntur, aut creſcunt. Ergo animus idem eſt: ſed uti viribus ſuis non poteſt propter conjunctionem. *Idem.*

733. *Hinc metuunt, cupiuntque: dolent, gaudentque.*] Ex corporis conjunctione, & hebetudine. Varro & omnes Philoſophi dicunt, quatuor eſſe paſſiones: duas à bonis, duas à malis opinatis rebus. Nam *dolere* & *timere*, duæ opiniones malæ ſunt: una præſentis, alia futuri. Item *gaudere*, & *cupere*, opiniones bonæ ſunt: una præſentis, altera futuri. Hæc ergo naſcuntur ex ipſa conjunctione. Nam neque animi ſunt, neque corporis propria. Pereunt enim facta ſegregatione. *Idem.*

Met. cup. dol. gaud.] De hiſce quatuor affectionibus Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. c. 8. *Emmeneſſ.*

Neque auras Diſpiciunt.] Nam quia cohærent corpori, obliviſcuntur naturæ ſuæ, quam *auras* vocavit. *Servius.*

Neque auras Diſpiciunt.] In antiquis omnibus codicibus, quos viderim, eodem exemplo legitur, *Neque auras deſpiciunt.* Alicubi etiam *reſpiciunt* habetur. *Pierius.*

734. *Clauſæ tenebris, & carcere cæco.*] Diffinitiones ſunt corporis. *Serv.*

Clauſæ teneb. & carcere cæco.] Alludit forſan ad illud Platonis σῶμα ἡμῖν σῆμα. *Germanus.*

Clauſæ tenebris.] Diffinitiones corporis ſunt. nam & Græcis corpus noſtrum δέμας, hoc eſt, *vinculum* nuncupatur: & Platoni σῶμα noſtrum q. σῆμα. unde Cic. l. 6. de Repub. *Qui è corporum vinculis tanquam è carcere evolaverunt.* Taubm.

735. Quin

Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes: penituſque neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. aliæ panduntur inanis
Suſpenſæ ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Quiſque ſuos patimur Manis: exinde per amplum
Mitti-

735. *Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit.*] Quia, ut diximus, occurrit debere eas ſtatim, poſt corpus depoſitum, redire in ſuum vigorem: & dicit non poſſe. Quæ enim diu conjuncta ſunt, invicem ſe tenent, & trahunt reliquias ſordium antiquarum. *Servius.*

736. *Non tamen omne malum.*] Cedit quidem, ſed non omne. Nam remanet: quod, ut purgetur, neceſſe eſt. Inde eſt, quod dicit, *Eadem ſequitur tellure repoſtos.* Bene autem *miſeris*, quæ etiam poſt corpus habent corporis damna. Unde eſt, *Nec funditus omnes Corporeæ excedunt peſtes.* Idem.

738. *Diu concreta.*] Conjuncta & conglutinata. *Idem.*

Inoleſcere.] Creſcere, ut *Udoque docent inoleſcere libro.* Idem.

739. *Ergo exercentur pœnis.*] Quia, depoſito corpore, ſordes ſuperſunt. Pœnas autem minime perferunt animæ: ſed illius conjunctionis reliquiæ, quæ fuit inter animam & corpus. Nam licet iſta duo per ſe pœnas perferre non poſſint: homo tamen perfert, qui de his duobus eſt factus. *Idem.*

740. *Supplicia expendunt.*] Ideo agunt ſupplicia, non ut animas puniant, ſed ut eas peccatis exuant priſtinis. *Idem.*

Aliæ panduntur inanis Suſpenſæ ad ventos.] Loquitur quidem poëtice de purgatione animarum: tangit tamen quod & Philoſophi dicunt. Nam triplex eſt omnis purgatio. Aut enim in terra purgantur, quæ nimis oppreſſæ ſordibus fuerint, deditæ ſcilicet corporalibus blandimentis, id eſt, tranſeunt in corpora terrena: & hæc igni dicuntur purgari. Ignis enim ex terra eſt, quo exuruntur omnia. Nam cœleſtis nihil perurit. Aut in aqua, id eſt, tranſeunt in corpora marina, ſi paulo melius vixerint. Aut certe in aëre, tranſeundo ſcilicet in aëria corpora, ſi ſatis bene vixerint: quod in Statio legimus, ubi de auguriis tractat. unde etiam in ſacris omnibus tres ſunt iſtæ purgationes. Nam aut teda purgantur & ſulphure; aut aqua abluuntur, aut aëre ventilantur, quod erat in ſacris Liberi. Hoc eſt enim, quod dicit in ſecundo Georg. *Tibique Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.* Nam genus erat purgationis & in ipſis purgationibus bonum meritorum ſecutus eſt ordinem, ut ante aëriam, inde aquæ, poſt ignis diceret purgationem. *Idem.*

743. *Quiſque ſuos patimur Manis.*] Supplicia, quæ ſunt apud Manes: ut ſi quis dicat, judicium patimur, & ſignificet ea, quæ in judicio continentur. Eſt & aliud verius. Nam cum naſcimur, duos Genios ſortimur. Unus eſt, qui hortatur ad bona: alter qui depravat ad mala. quibus aſſiſtentibus poſt mortem, aut aſſerimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem: per quos aut vacationem meremur, aut reditum in corpora. Ergo *Manes*, Genios dicit: quos cum vita ſortimur. *Idem.*

Quiſque ſuos patimur Man.] Nam ſi bonus

Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus:
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthe-

bonus ad inferos venit, bonos patitur manes: si malus, malos. *Donatus.*

Quisque suos patimur Manis.] Ut Turnebus explicet lib. 22. c. 1. in promptu est, ille non mihi probatur: sicuti neque Servius, quem multi sequuntur. refert enim hos manes ad Genios. Mihi placitum, dici *pati manes*, ut, pati furias. Nam Ælius Stilo (citat hunc Lilius 6. syntag.) ait, nihil esse aliud manes, quam Deos inferos. Patimur igitur manes, erit, patimur deos inferos tortoresque. Plutarchus de ira dixit, τὸ δὲ κολαστικὸν, ἐριννυῶδες, καὶ δαιμονικὸν. οὐ θεῖον δὲ, οὐδὲ Ὀλύμπιον: *punitio furiarum est, & dæmonum: non deorum, non cœlestium.* Objiciet aliquis, cur dictum: *Quisque suos patimur manes?* nonne potius, *Quisque nostros patimur manes?* vel, *Quisque suos patitur manes?* Ego Poetam laudo, qui tres orationes in unam inclusit: Has scilicet, *omnes patimur nostros manes, ego meos, quisque suos.* Ergo ita verba conjunxit, ut sententia ad tres illas referri queat. Porro Poëtæ verba pro adagio esse possint, ad explicandum, omnes mortales, suo quemque incommodo, esse obnoxios. Observa imitationem Ausonii:

—— *tormentaque sæva gehennæ*
Anticipat, patiturque suos mens conscia manes. Cerda.

Manis.] Notum est inveniri *manes* pro pœna, ut apud Stat. Theb. 8.

At tibi quos, inquit, manes, qui limite præceps
Non licito per inane ruis?

Sed aliam addo Sanctii sententiam in lib. de Antiphrasi cap. 2. ubi sic hunc Maronis obscurum locum interpretatur. *Quemadmodum*, inquit, *qui alios læserunt, aut necaverunt, patiuntur lemures, & larvas interfectorum, ut Orestes & alii; sic Anchises & alii boni viri patiebantur proprios manes, id est, non prius transibant ad Elysios, quam propria crimina purgarent.* Plura illic. *Emm.*

Exinde.] Una pars orationis est, & in tertia à fine accentum habet, licet penultima longa sit. Quod factum est, ut ostenderetur una pars esse orationis, ne præpositio jungeretur adverbio, quod vitiosum esse, non dubium est. *Servius.*

Exinde.] Post exanimationem. *Donatus.*

Amplum.] Ut ostendat non illis paucis paratam esse latitudinem hanc, sed pluribus, modo ita vivant, ut illuc venire mereantur: sed quia pauci mereantur, pauci diffusam latitudinem merentur. *Idem.*

744. *Pauci læta arva tenemus.*] Non omnes. Qui enim minus purgantur, statim redeunt ad corpora. *Servius.*

745. *Donec longa dies perfecto temporis orbe.*] Quia etiam post purgationem opus est tempore, ut perseveret in purgatione: & sic redeat. Et quæritur, utrum animæ per Apotheosin (de quibus ait, *Pauci læta arva tenemus*) possint mereri perpetuam purgationem, quod non potest fieri. *Merentur* enim temporis multi, non perpetuitatis: & quæ male vixerunt, statim redeunt: quæ melius, tardius: quæ optime, diutissimo tempore sunt cum numinibus. Paucæ tamen sunt, quæ & ipsæ, exigente ratione, licet tarde, coguntur reverti. *Idem.*

Longa dies.] Longo tempore est opus, ut fiat talis purgatio, qualis fuit, antequam in corpus perveniret. *Donatus.*

Perfecto temporis orbe.] Finito legitimo tempore. *Servius.*

Orbe.] *Orbis* pro certo annorum numero & conversione passim sumi apud Nostrum, testatur Salmas. Plin. exerc. p. 822. *Emmeness.*

746. *Concretam.*] Affixam & inhærentem. *Servius.*

Ætherium sensum, atque auraï simplicis ignem.
Has omnis, ubi mille rotam volvêre per annos,
Lethæum ad fluvium deus evocat agmine magno:
Scili-

747. *Ætherium sensum.*] Siderum πῦρ νοερὸν. *Serv.*

Aurai.] Antiqua omnia exemplaria quæ legi, *auræ* quidem legunt: versumque absque collisione scandendum offerunt. Sed enim ab eruditis omnibus, *auraï* trisyllabum receptum video. Et unum hunc inter eos quatuor locos, quibus ea diæresi Virgilius sit usus, enumerat Valerius Probus. *Pierius.*

Ignem.] Sensualem: id est, deum. per quod, quid sit anima, ostendit. *Serv.*

Auraï simplicis ignem.] Non urentis. *Simplicis* autem, nostri comparatione: qui constat de ligno & aëre. Ille enim per se plenus est & æternus, quia simplex. Omnia enim σύνθετα, id est, composita, exitum sortiuntur. Unde & atomos, perpetuas dicunt, quia simplices sunt, nec recipiunt sectionem. *Idem.*

748. *Has omnis.*] Ac si diceret, *etiam has omnes.* Nam supra non *omnes* dixit: sed *Animæ quibus altera fato Corpora debentur.* Idem.

Rotam volvêre per annos.] Exegerunt statutum tempus per annorum volubilitatem. Est autem sermo Ennii. *Idem.*

Mille rotam volvêre per annos.] An in voce *rota* lateat aliud ab eo, quod explicui, me latet. De spacio mille annorum loquitur Plato lib. 10. de Rep. & ex Platone multa Cælius. Poëtæ sententiam adumbravit Silius lib. 13.

Hac animæ cœlum repetunt, ac mille peractis
Oblitæ Ditem redeunt in corpora lustris.

Cicero in Somn. loquens de hac re, non certum numerum posuit, tantum dixit: *corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur, nec in hunc locum, nisi multis exagitati seclis, revertuntur.* Itaque millenarius numerus Poëtæ videtur capiendus pro multiplici. Præsertim cum in Phædro Platonis loquentis de hac re, inferatur mentio non solum χιλιοστοῦ, sed etiam τριχιλιοστοῦ ἔτους, *millium annorum*, sed etiam *trium millium.* Quin ibidem mentio fit decem millium. & Aristophanes de re alia loquens in Vesp. πόλεις χίλιαι, *urbes mille.* ubi Scholiastes, ἀντὶ τῶ πολλαί. *Cerda.*

749. *Deus evocat.*] Non dicit quis, sicut supra, *Dii quibus imperium est animarum.* Sed alii Mercurium volunt propter hoc, *Animas ille evocat Orco Pallenteis, alias sub Tartara tristia mittit.* Et est ratio. nam νοῦς dicitur, id est, sensus: quo Philosophiam, quæ hæc indicat, intelligimus: quia ipse etiam invenit literas. *Servius.*

Deus.] Servius Mercurium accipit propter illud, 4. Æn.

— *animas ille evocat Orco*
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit.

Placet hoc Magio lib. 4. Miscell. c. 11. ad hanc Mercurii potestatem allusit Aristophanes in Irena; nam loquens cum illo: ἀλλ' ἔα τὸν ἄνδρ' ἐκεῖνον ὅσπερ ἐστ' εἶναι κάτω: *Quin ab inferis virum hunc ne quæso turbaßis situm.* Ab hac potestate, qua Mercurius putabatur præesse mortuis, factum ut huic Deo sacra quæpiam fierent post dies triginta à mortuo homine. *Cerda.*

Evocat.] Sumpta metaphora ab militibus evocatis. ideo signate *agmine.* Qui isti sint, obvium ubique, & in Lipsio non semel. Sed quoniam vocem hanc Mercurio attribuit Poëta, eo spectat, Deum hunc dici πομπαῖον, & πομπέα, à potestate, quam illi Maro hoc loci attribuit. Voces istæ ubique passim obviæ. Nunc mihi de priore ante oculos Sophocles in Ajace, de posteriore Laërtius in vita Pythagoræ. Hanc Mercurii potestatem fusius attigi lib. 4. Æn. *Idem.*

Agmine magno.] Impetu: & dictum est imperative ἀπειλητικῶς. Non enim blanditiis inductæ redeant: sed necessitate

Scilicet inmemores ſupera ut convexa reviſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reverti.
Dixerat Anchiſes: natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios, turbamque ſonantem:
Et tumulum capit, unde omnis longo ordine poſſit
Adverſos legere, & venientum diſcere voltus.

Nunc

ſitate quadam coguntur, ut potantes velint reverti. *Servius.*

750. *Inmemores.*] Vel præteritorum, vel futurorum. *Idem.*

Ut.] In codicibus aliquot antiquis, *ſupera in convexa* eſt: quod non ita placet. *Pierius.*

751. *Rurſus & incipiant, &c.*] Putant docti plerique illa Perſii,

Nec fonte labra prolui Caballino,
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini, ut ſic repente poëta prodirem.

capienda de hac animarum tranſmigratione, cum alluſione ad hiſtoriam & ſomnium Ennii. Quaſi dicat Perſius: Non mihi in ſomnis transfuſa eſt poëſis, uti Ennio accidit. Dicunt videlicet, Ennium ſomniaſſe, transfuſam in ſe Homeri animam, inde exſtitiſſe magnum vatem. Huc videtur alludere Horatius 2. epiſt.

Ennius & ſapiens, & fortis, & alter
Homerus.

Quem in locum ita Porphyrio: *Ennius in principio Annalium ſomniaſſe ſcripſit, admonitus, quod ſecundum Pythagoræ dogma, anima Homeri in ſuum corpus veniſſet.* Huc etiam credunt alluſiſſe Lucretium lib. 2.

In pecudes alias divinitus inſinuet ſe,
Ennius ut noſter cecinit.

Iſta Ennii, Lucretii, Horatii, Perſii conſenſio digna eſt, quæ notetur. *Cerda.*

752. *Dixerat Anchiſes.*] Antedicta de reverſione animarum probatio huc tetendit, ut celebret Romanos, & præcipue Auguſtum. Namque qui bene conſiderant, inveniunt omnem Romanam hiſtoriam ab Æneæ adventu, uſque ad ſua tempora ſummatim celebraſſe Virgilium. Quod ideo latet, quia confuſus eſt ordo. Nam everſio Ilii, & Æneæ errores, adventus, bellumque manifeſta ſunt: Albanos reges, Romanos etiam conſules, Brutos, Catonem, Cæſarem, Auguſtum, & multa ad hiſtoriam Romanam pertinentia hic indicat locus. Cætera quæ hic intermiſſa ſunt, in ἀσπιδοποιΐᾳ commemorat. Unde etiam in antiquis invenimus opus hoc appellatum eſſe non *Æneidem*, ſed *geſta populi Romani.* Quod ideo mutatum eſt, quia nomen non à parte, ſed à toto debet dari. *Servius.*

753. *Turbamque ſonantem.*] Aut quæ tunc propter feſtinationem ſonabat, aut *turbæ* perpetuum eſt epitheton. *Idem.*

Turbamque ſonantem.] Supra de Harpyis: *Turba ſonans prædam pedibus circumvolat uncis.* Germanus.

Turbamque ſonantem.] Imitatur Homerum, qui & ipſe animas ſtridere ac ſonare dixit. Sed & *turbæ* perpetuum eſt epitheton. Turneb. l. 22. c. 1. *Taubmannus.*

754. *Longo ordine.*] Non quo nati ſunt, ſed quo apud Inferos ſtabant. Non enim eo, quo regnarunt, dicturus eſt ordine. *Servius.*

Poſſit.] In antiquis pleriſque codicibus *poſſet* habetur. Et *Longo ordine,* ſecus à Servio No. Marcellus interpretatur, ingenti multitudine. *Pierius.*

755. *Adverſos legere.*] Conſiderare, relegere. *Servius.*

Venientum diſcere voltus.] Videtur ita dixiſſe ut Eurip. μαθεῖν in Phœniſſ. cum ad ſpectandum de muris Polynicis exercitum Antigone à pædagogo invitatur, ἀλλ' εἰσόρα τὸ πρῶτον, εἰ βούλει μαθεῖν. *Germanus.*

Nunc age, Dardaniam prolem, quæ deinde ſequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Inluſtris animas, noſtrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, & te tua fata docebo.

Ille,

756. *Nunc age.*] Proponit ſe dicturum prolem Trojanam, & nepotes: inde ex Italo ſanguine commixtos: & fata ſua: ergo exequitur ſpecialiter, quos generaliter in primo libro tetigit. *Donatus.*

Dardaniam prolem.] Albanos reges, qui tredecim fuerunt de Æneæ & Laviniæ genere. Unde ait, *Itala de gente.* Servius.

758. *Inluſtris.*] Hoc nomen notitiæ fuit, non meriti. Unde etiam in meretricibus invenitur. Nam & *nobiles* & *illuſtres* vocantur. *Idem.*

In nomen ituras.] In gentem, ut Statius, *Nomen Echionium matriſque genus Peridiæ.* Idem.

Nomen.] Notat Achilles Statius in Catullum, *nomen*, pro familia hic ſumi. Ita ipſe Catullus,

——*non decet*
Tam vetus ſine liberis
Nomen eſſe.

& Livius lib. I. *Per ſeipſum nomen Ceninum impetum facit.* Cerda.

Noſtrumque in nomen ituras.] Vir quidam doctus profitebatur nuper apud me, ſe ut pleroſque Grammaticos antiquos mirari quoque, quomodo Maro ſalvo decoro & fide hiſtoriæ ſub perſona Anchiſæ, Romanorum animas recenſere, deſignare, & indicare Æneæ potuerit, qui necdum nati eſſent: cum abſurdum videatur Romulum aut Numam apud inferos demonſtrare, qui nec in humanis, nec genitura adhuc ulla fuiſſent. Animadvertendum tamen fortaſſe, Poëtam perite à parte noſtri meliore anima individua denominaſſe, non à corpore, & eum Platonis in Phædone locum imitatum, ubi ζῶ & τεθνάναι opponit, mutuoque ſe conſequi docet, animoſque ex diſciplina Pythagoræ vices alternare, & varia ſortiri corpora, hinc ex ſuperis ad inferos migrare, in alia corpora temporis intervallo aliquo remigraturos: ut mirum non ſit, ſi Anchiſes fatorum peritus filio aperuerit, quæ quibus perſonis, & nominibus devotæ, deſtinatæque jam tum eſſent apud inferos animæ. Locus autem ille apud Platonem ſic habet: παλαιὸς μὲν οὖν ἐςι τὶς λόγος οὗτος οὗ μεμνήμεθα, ὡς εἰσὶν ἐνθένδε ἀφικόμεναι ἐκεῖ, καὶ πάλιν γε δεῦρο ἀφικνοῦνται, καὶ γίγνονται ἐκ τῶν τεθνεώτων; καὶ εἰ τοῦθ' οὕτως ἔχει πάλιν γίγνεσθαι ἐκ τῶν ἀποθανόντων τοὺς ζῶντας ἄλλο τὶ ἢ εἶεν ἂν ἡμῶν αἱ ψυχαὶ ἐκεῖ, οὐ γὰρ ἂν πάλιν ἐγίγνοντο μὴ οὖσαι, καὶ τοῦθ' ἱκανὸν τεκμήριον τοῦ ταῦτ' εἶναι, εἰ τῷ ὄντι φανερὸν γίγνοιτο ὅτι οὐδαμόθεν ἄλλοθεν γίγνονται οἱ ζῶντες ἢ ἐκ τῶν τεθνεώτων. Recolendum autem illud, quod prius paulo Maro ex decretis Pythagoræ dixit, *animæ, quibus altera fato Corpora debentur.* Germanus.

Ituras.] Etiam ſi fortaſſe videri poſſim doctis nimis anxie grammatiſtam agere, & tenuia moleſte inſectari, non temperabo tamen mihi, quin eo periculo lectorem admoneam, conjugata omnia, quæ ſupini, participiorum, verbalium nominum ſunt ab *eo* verbo, tam ſimplici, quam compoſito, cujuſmodi *iter*, *itum*, *iturus*, *ambitus*, *reditus*, *abitus*, *ambitio*, τὸ *i* ſemper corripere, ut hic Maronis contextus ſatis clare demonſtrat, & moduli ratio harum vocum, *præteritus*, *aditus*, per ſua genera variatarum, item & *obitus* apud Maronem & Lucret. *Morte obita quales dicunt volitare figuras:* quo magis mendum aliquod latere apud Naſonem Metam. I. mihi ſuſpicato venia dabitur, eo loco, *ambitæ circundare litora terræ*, cum idem, *itum eſt in viſcera terræ*, contracta modulatione dixerit. *Idem.*

760. *Ille*

Ille, (vides) pura juvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca; primus ad auras
Ætherias Italo conmixtus sanguine surget
Silvius Albanum nomen, tua postuma proles:
Quem

760. *Ille (vides) pura juvenis qui nititur hasta.*] Æneas, ut Cato dicit, simul ac venit ad Italiam, Laviniam accepit uxorem: propter quod Turnus iratus, tam in Latinum, quam in Æneam bella suscepit, à Mezentio impetratis auxiliis. Quod & ipse ostendit dicens, *Se satis ambobus, Teucrisque venire Latinisque.* Sed, ut supra diximus, primo bello periit Latinus. Secundo pariter Turnus & Æneas. Postea Mezentium interemit Ascanius, & Laurolavinium tenuit. cujus Lavinia timens insidias, gravida confugit ad silvas: & latuit in casa pastoris Tyri. Ad quod alludens ait, *Tyrusque pater, cui regia parent Armenta.* Et illic enixa est Sylvium. Sed cum Ascanius flagraret invidia, evocavit novercam, & ei concessit Laurolavinium: sibi vero Albam constituit. qui quoniam sine liberis periit, Silvio, qui & ipse Ascanius dictus est, suum reliquit imperium. Unde apud Livium est error, qui Ascanius Albam condidit * Postea Albani omnes reges, dicti *Silvii* sunt ab hujus nomine: sicut hodieque Romani imperatores, *Augusti* vocantur: Ægyptii, *Ptolemæi*: Persæ, *Arsacidæ*: Latini, *Murranni*: ut, *Murranum hic atavos & avorum antiqua sonantem Nomina, per regesq; actum genus omne Latinum.* Serv.

Pura.] Sine ferro: quod sit lignum pacis, & non belli. *Donatus.*

Pura juvenis qui nititur hasta.] Id est, sine ferro. Nam hoc fuit præmium apud majores ejus, qui tunc primum vicisset in prælio: sicut ait Varro in libris de gente pop. Rom. *Servius.*

Pura hasta.] Quæ est sine ferro. Sic *argentum purum* opponitur *emblematis cælato. Locus purus*, area est non ædificata. *purum solum* opponitur graminoso & novali. *Pura vestis*, quæ purpura non prætexta est. *Turneb.* lib. 29. cap. 1. Quidam tamen *hastam puram* h. l. exponunt ἄναιμον καὶ ἀναίμακτον λόγχην, id est, incruentam hastam: ita Propert. l. 4. el. 3.

Pura triumphantes hasta sequatur equos, id est, innoxia & incruenta. Antiquis autem *pura hasta*, & *parma alba*, insignia & præmia erant tyronum, & eorum, qui tunc primum vicissent in prælio. Vide Cæl. lib. 21. cap. 16. *Taubm.*

Pura hasta.] Inter præmia militaria numerat Valtrinus de re Mil. l. 6. c. 4. ea Posidem spadonem donavit in Britannico triumpho Claudius, libertis nimium obnoxius, ut de eo Suet. c. 28. *E.*

Nititur.] Nonius videtur legere, *innititur.* Tu adverte, utrum magis conveniat, Anchisen Æneæ juvenem ostendere hastæ innitentem: an qui hasta veluti adversus hostem nitatur. *Taubm.*

762. *Italo conmixtus sanguine.*] Sunt codices admodum antiqui, in quibus legere est, *Italo mixtus de sanguine.* Vulgata tamen lectio plures fautores habet. *Pierius.*

763. *Silvius Albanum nomen.*] Quia omnes *Silvii* dicti sunt. *Servius.*

Albanum nomen.] Quia omnes Albani reges ab eo dicti sunt *Silvii.* Sicut hodieque Romani Imperatores *Cæsares* vel *Augusti* vocantur: Ægyptii olim *Ptolemæi*: Persarum *Arsacidæ*: Latinorum *Murrani.* ut 12. Æn. *Murranum hic atavos &c.* At in hoc Silvio variant auctores. Livius quidem Ascanii Filium fuisse scribit: at Dionysius Æneæ. in silva tamen natum omnes prædicant. *Taubm.*

Tua postuma proles.] *Postumus* est post humationem parentis creatus. Per hoc autem Æneam cito ostendit esse periturum, & statim infert consolationem dicens, *Quem tibi longævo.* Id est,

Quem tibi longævo serum Lavinia conjux
Educet silvis regem, regumque parentem:
Unde genus longa nostrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas, Trojanæ gloria gentis,
Et Capys, & Numitor, & qui te nomine reddet
Silvius Æneas, pariter pietate vel armis
Egregius, si umquam regnandam acceperit Albam.
Qui

est, deo. *Ævum* enim proprie æternitatis est, quæ non nisi in deos venit. Ennius, *Romulus in cœlo cum diis genitalibus ævum Degit.* Male autem vindicavit usus: per quem dixit, *Longævosque senes.* Servius.

Tua postuma proles.] Sunt literati, qui *postuma* sine aspirationis nota scribant, hic τηλυγέτην significari volentes, deducentes *postumum* à *post*, ut *postremus*, & *extimus* & *extumus* ab *extra*, & *intimus* & *intumus* ab *intra*. Quorum sententiæ illud mire blanditur, quod jurisconsulti non solum eum postumum vocant, qui mortuo patre natus est, sed & qui post testamentum patris. *Germanus.*

Tua postuma proles.] Id est, Silvius post alios liberos ultimusque genitus: Homero τηλυγέτης est: quasi patre ætate procul progresso natus. alias & *Proculus* dicitur. Confirmat hanc sententiam etiam Auson. epist. 14.

Ut quondam in Albæ mœnibus
Supremus Ænea satus.

Turneb. lib. 18. cap. 1. Vide & Gul. Canterum Nov. Lect. lib. 2. cap. 10. Alii aliter. Vide Agell. lib. 2. cap. 16. *Taubmannus.*

764. *Quem tibi longævo.*] Displicet non indoctis item Servii interpretatio, qui hic *longævum* pro indigite deo accipit. Utcunque sit, observavi poëtas Græcos sæpe & δολιχαίωνας θεὸς, & μακραίωνας simpliciter deos dicere. Ut autem hic *educet serum conjux*, infra Euander de Pallante, *mea sola & sera voluptas*, τηλύγετον innuens. *Germanus.*

765. *Educet silvis.*] Ovidius 4. Fast.

Postumus hinc: qui, quod silvis est natus in altis,
Silvius in Latia gente vocatus erat.

Dionys. lib. 1. Antiq. loquens de hoc Silvio, ὅν φασιν ἐν τοῖς ὄρεσιν ὑπὸ τῶν νομέων ἐκτραφῆναι: *quem dicunt nutritum in montibus à pastoribus.* Livius: *Silvius deinde regnat Ascanii filius casu quodam in silvis natus.* Quo testimonio vides, Sylvium hunc fuisse filium Ascanii, non Æneæ. *Cerda.*

766. *Unde.*] A quo: ut, *Genus unde Latinum.* Nam posteri ejus fuerunt, qui postea apud Albam regnaverunt civitatem. *Servius.*

767. *Proximus ille Procas.*] Standi ordine, non nascendi. Nam sextus est rex Albanorum. Item Numitor tertiusdecimus fuit. *Idem.*

Proximus.] Teste Livio, *Procas* est XIII. ab Ascanio: ut *Capys* sextus; vel, ut alii, septimus: *Numitor* vero XIV. vel XV. Albanorum rex. *Taubm.*

768. *Reddet.*] In Romano codice *reddat* legitur, optativo modo non invenuste. *Pierius.*

770. *Si unquam regnandam acceperit Albam.*] Æneas scilicet Silvius. Et hic ostendit omnes Albanos reges, *Silvios* dictos. Recepit autem à tutore, qui ejus invasit imperium: quod ei vix anno quinquagesimo tertio restituit. Et rem plenam historiæ per transitum tetigit. *Servius.*

Regnandam accep. Albam.] Passive, ut supra, *regnata Lycurgo*: & infra, *regnata per arva*, more Græcorum, qui ἀνάσσεσθαι, βασιλεύεσθαι, τυραννεῖσθαι ὑπό τινος dicunt. *Germanus.*

771. *Osten-*

Qui juvenes quantas oſtentant, aſpice, vires!
Atque umbrata gerunt civili tempora quercu.
Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam,
Hi

771. *Oſtentant, aſp. vires.*] Imitatione Græcorum, qui δύναμιν δεῖξαι militari & caſtrenſi verbo utuntur, quod ſæpius tamen aciem, & totum exercitus robur reſpicit. Demoſth. pro Cteſiph. τί οὖν βούλεται; καὶ τίνος ἕνεκα τὴν Ἐλάτειαν κατείληφε, πλησίον δύναμιν δείξας, καὶ παραστήσας τὰ ὅπλα τοὺς μὲν ἑαυτοῦ φίλους θρασεῖς ποιῆσαι, καὶ ἐπᾶραι, τοὺς δ᾽ ἐναντιουμένους καταπλῆξαι. *Germanus.*

772. *Atque.*] Antiqui omnes codices, quotquot legi, *atque umbrata* per conjunctionem copulativam, non per *at* & relativum *qui* ſcriptum habent. alii *atqui* conjunctim. *Pierius.*

Umbrata.] Ab hoc Statius 6. Theb.

Nuper Olympiacis umbratus tempora ramis.

Cum ſapore ad Virgilium Claudian. Paneg. in Olib. deſcribens Romam:

Flava cruentarum prætenditur umbra jubarum.

Itaque, quod Virgilius de corona, Claudianus de jubis galeæ. Ego de Joanne Auſtriaco filio Caroli V. fratre Philippi Secundi, juvene maris victore, & Turcarum

Ille genas levis toto ſpectante Senatu
Prodiit, inſigni roſtrorum umbrante corona,
Non minor Auguſto, poſtquam freta cærula claſſe
Placavit, dives ſpoliis orientis, & auro.

Latini quidem ab Lucret. qui libr. 3.

— *& inumbrant ora coronis.*

Cerda.

Civili tempora quercu.] *Civica* debuit dicere: ſed mutavit. At econtra Horatius, *Motum ex Metello conſule civicum,* pro *civilem.* Querceam autem coronam accipiebant, qui in bello civem liberaſſent: ideo quia ante cauſſa vitæ in hac arbore hominibus fuit, qui glandibus veſcebantur. Aliæ enim erant murales: aliæ agonales, id eſt, lemniſcatæ. Muralis dabatur ei, qui prior murum aſcendiſſet. *Servius.*

Civili tempora quercu.] *Civilem* dixit feſtam, pacificam, ut eſt laurus & oliva. *Donatus.*

Civili tempora quercu.] Id eſt, corona civica ex quercu: quæ dabatur iis, qui civem ſervaſſent, hoſte interfecto. Sicinius Dentatus, qui *Achilles Romanus* dictus eſt, & cxx. præliis pugnavit, earum quattuordecim meruit. Uti ea perpetuo licebat. ludos inibant, aſſurgi iis à Senatu in more erat, & ſedendi jus proxime ſenatum habebant. Sola hæc omnium coronarum pretioſa metalla non accipiebat: quoniam nefas viſum eſt, hominem lucri cauſa ſervare. Vide Agell. lib. 5. cap. 6. *Taubm.*

773. *Hi tibi Nomentum, & Gabios.*] Hæ civitates ſunt priſcorum Latinorum, ab Albanis regibus conſtitutæ: quanquam Collatiam Tarquinius conſtituiſſe dicatur: qui, ut erat ſuperbus, eam ex collata pecunia conſtituit. Unde & *Collatia* dicta eſt. Poteſt tamen fieri, ut ab Albanis fundata ſit, aucta à Tarquinio, ſicut ſupra de Tarento diximus, quod Taras fecit, auxit Phalantus. Romam etiam Romulus feciſſe dicitur, quam ante Euander condidit: ut, *Tunc pater Euandrus Romanæ conditor arcis.* Servius.

Nomentum.] Νώμεντον. Eſt hæc mediterranea Latinorum urbs apud Livium, & Ptolemæum. Lege Ortelium. *Cerda.*

Gabios.] De Gabiis oppido ita Strabo lib. 5. Γάβιοι μὲν ἐν τῇ Πραινεστίνῃ ὁδῷ: *Gabii ſiti in via Præneſtina.* ſcribit Solin. *Gabios à Galatio & Bio, Siculis fratribus, conditos.* & inde fortaſſis nomen pluralis numeri. *Idem.*

Urbemque Fidenam.] *Fidenæ* dicuntur ut *Thebæ*: ſed dixit ut Juvenalis, *Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.* Nam varietati ſtudet. Unde etiam ait

Hi Collatinas inponent montibus arces,
[Laude pudicitiæ celebres, addentque superbos]
Pometios, Castrumque Inüi, Bolamque, Coramque.
Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.
Quin

ait *Pometios*, cum dicatur numero singulari *Pometia*. Servius.

Urbemque Fidenam.] Latinorum colonia. Fidenæ sunt Livio, Ptolemæo Φιδῆναι, Straboni Φιδῆναι, Livio Plinioque Fidenates populi. Urbem hanc delevit M. Æmilius Dictator. Strabo libr. 5. Fidenas, & Collatiam numerat inter πολίχνια oppidula, deinde inter κώμας, vicos. Aitque distare à Roma stadia triginta. *Cerda.*

Nomentum.]Oppidum Latino nomini adscribendum, ut Cluver. Ant. Ital. l. 2. c. 9. ubi etiam de Collatia & *Fidenis*, quod plerisque plurali numero effertur. Græce φιδῆναι. De Gabiis, quod oppidum positum est inter Romam & Præneste idem l. 3. de *Pometia*, quæ etiam *Suessa Pometia* nunc sine *n*, olim *Pomentia* urbs Volscorum l. 3. c. 8. sed hæc notiora nomina. Recte minus non nulli *castrum Inüi* confundunt cum *castro Novo*, imitantes Servium: quam disputationem dilucide expedit idem hic auctor lib. 3. Ant. Ital. cap. 5. Absolute *Castrum* apud Sil. Ital. l. 8. ubi male per minorem literam in aliquibus codicibus scribitur. *Emmeness.*

775. *Laude pudicitiæ, &c.*] Hic versus spurius videtur. in nullis codicibus, quos consului, extat. *Emmeness.*

776. *Pometios.*]In antiquis omnibus codicibus, quos habuerim, *Pometios* per *t*, non per *r* legitur. *Pierius.*

Castrumque Inüi.] Una est in Italia civitas: *Castrum novum* dicitur. De hac autem ait, *Castrum Inui*, id est, Panos, qui illic colitur. *Inus* autem Latine appellatur, Græce πᾶν. Item ἐφιάλτης Græce, Latine *incubo*. Idem *Faunus*, idem *Fatuus*, *Fatuellus*. Dicitur autem *Inus* ab ineundo passim cum omnibus animalibus. Unde & *Incubo* dicitur. *Castrum* autem civitas est. Nam *castra* numero plurali dicimus: licet legerimus in Plauto, *Castrum pœnarum*: quod etiam diminutio ostendit. Nam *castellum* dicimus. *Servius.*

Bolam.] Urbem hanc in Samnitibus constituit Ortelius. De populis Bolanis mentionem facit Plinius lib. 2. c. 5. Inter Latii oppida. Expugnavit Martius Coriolanus in gratiam Volscorum contra Romanos Romanus ipse, sed exul. vide Dionysium lib. 8. Antiq. *Cerda.*

Coram.] Coræ urbis Strabo meminit lib. 5. Plinius lib. 2. c. 5. dicit Coranos ortos à Dardano Trojano: id ipsum Solinus. Inde fortassis mentio poëtica. Tacitus 2. Annal. Coræ mentionem facit, promontorii in Etruria. Propertius lib. 4. eleg. 11. & Nomenti Coræ, cum ait:

Necdum ultra Tiberim belli sonus, ultima præda
Nomentum, & parva jugera parva Coræ. Idem.

Bolamque.] In Samnitibus ponunt hanc urbem multi, sed Livius Æquorum facit. cui sententiæ subscribit Cluver. Ant. Ital. l. 2. c. 16. qui etiam in urbibus Volscorum l. 3. c. 8. meminit *Coræ*. Emmeness.

777. *Hæc tum nomina, &c.*]*Nic. Erythræus* nomina, quibus hodie oppida ista vocentur, recensens, *Bola*, inquit, oppidum Latii sine vestigiis. *Alba longa*, nunc sedes Episcopalis. *Nomentum*, vulgo *Lamentano* ab Urbe mill. pass. & in Sabinis. *Gabii* prope Præneste, ab Urbe mill. pass. 20. *Fidenæ* urbs, hodie *Castel Jubileo*, ab Urbe mill. pass. 5. *Collatinæ arces*, in montibus, ab Urbe mill. pass. 4. ad viam Tuburtinam. *Pometii*, in Latio, nunc tantum urbis cadaver. *Castrum Inui*, nunc *Cornetto*; sedes & ipsa Episcopalis. *Cora* inter *Velitras* & *Senam*,

Quin & avo comitem ſeſe Mavortius addet
Romulus; Aſſaraci quem ſanguinis Ilia mater
Educet. viden' ut geminæ ſtant vertice criſtæ,
Et pater ipſe ſuo ſuperûm jam ſignat honore?

En

Senam, apud *Sermonetam*. Taubmann.

Nunc ſunt ſine nomine terræ.] At qui in Catalogo hinc eſt dicturus aliquas civitates: ſed ex perſona ſua præoccupat. *Servius.*

778. *Quin & avo comitem ſeſe Mavortius addet Romulus.*] Amulius, & Numitor fratres fuerunt, ſed Numitorem regno Amulius pepulit: & Iliam ejus filiam, ſacerdotem Veſtæ fecit. De hac & Marte, nati ſunt Remus & Romulus: qui cum adoleviſſent, occiſo Amulio, Avum Numitorem in regnum revocarunt: & cum eo uno anno regnaverunt. Poſtea propter anguſtias imperii, Romam captatis auguriis condiderunt. Ergo avo ſe addet comitem: aut avito ſe junget imperio, aut certe ſecundum Ennium, refertur inter deos cum Ænea. Dicit namque Iliam fuiſſe filiam Æneæ. quod ſi eſt, Æneas avus eſt Romuli. Unde etiam addidit, *Aſſaraci.* Nam hoc epitheton non ſine cauſſa eſt introductum: quod eſt proprium Æneæ. Nam Aſſaracus pater eſt Capyos, Capys Anchiſæ, Anchiſes Æneæ. *Serv.*

Aſſaraci.] Trojani. nam Trois F. *Aſſaracus* pater eſt Capyos, *Capys* Anchiſæ, *Anchiſes* Æneæ. *Ilia* igitur orta ex ſanguine Trojano. Vide & G. Merul. ad Enn. pag. 164. *Taubm.*

780. *Educet.*] Phraſis propria Virgilii, ita ſupra:

Quem tibi longævo ſerum Lavinia conjux
Educet ſilvis Regem. Cerda.

Viden'.] *Den* naturaliter longa eſt. Brevem tamen eam poſuit ſecutus Ennium: & adeo ejus eſt immutata natura, ut jam ubique brevis inveniatur. *Servius.*

Viden'.] Corripit hanc ſyllabam etiam Stat. Theb. l. 10.

Ipſa dedi, viden' ut jugulis conſumſerit enſem.

Horatius producit l. 1. Sat. 1.

Illuc, unde abii, redeo. Nemon' ut avarus. Emmeneſſ.

Geminæ ſtant vertice criſtæ.] Omnino in omnibus hoc egit Romulus, ut cum fratre regnare videretur, ne ſe reum parricidii indicaret. Unde omnia duplicia habuit, quaſi cum fratre communia. Etenim ad captanda auguria montem Palatinum Romulus tenuit: Aventinum Remus, qui prior ſex vultures vidit: poſtea Romulus duodecim. Et cum ille tempore, ille numero de condenda urbe certarent, orta contentione de urbis nomine inter exercitum, à Romuli militibus Remus occiſus eſt. Fabuloſum enim eſt, quod à fratre propter muros dicitur interemptus. *Servius.*

Geminæ ſtant vertice criſtæ.] Græci à geminis criſtis *δικορύφυς* & *διλόφυς* vocant. *Germanus.*

Stant.] Alii l. *ſtent*: male. *Taubm.*

781. *Et pater ipſe ſuo ſuperûm jam ſignat honore.*] Merito virtutis Mars Romulum deum eſſe ſignificat. *Superum* enim accuſativus eſt ſingularis, ab eo quod eſt *ſuperus, ſuperi.* Servius.

Signat.] In antiquis *ſtant* finitivo modo eſt. Ita *ſignat* in inferiore verſu: quod male quædam exemplaria *ſignet* ſcribunt. legitur & *ſtent*. Pierius.

Et pater ipſe ſuo, &c.] Q. d. Viden' uti Mars ipſe, Romuli pater, filium jam ſuperum & deorum numero adſcriptum ſuo honore, & divinitatis & cognominis, facit inſignem! Divinitatis quidem, ut divini honores illi tribuantur, templum condatur, Flamen creetur, dies feſtus inſtituatur: Cognominis vero, ut non ſecus ac pater, *Quirinus* poſteris nominetur; & loca publica, Mons & Porta, inde appellentur. Unde Romulus Ovidio etiam *Novus Mars*

nuncu-

En hujus, nate, auſpiciis illa inclita Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septemque una ſibi muro circumdabit arces,
Felix prole virûm. qualis Berecyntia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbis,

Læta

nuncupatur, lib. 1. Faſt. Nam certum eſt, Romulum etiam, cum in vivis ageret, *Quirinum* cognominatum. Vide G. Merulam ad Ennii Annal. lib. 1. ubi hanc vocem ab Hebræo trahit. item Horat. 3. Od. 3. Porro *ſuperum* Servius pro Accuſativo caſu habet: alii pro Genitivo contracto. *Taubm.*

782. *Illa.*] Quam tibi ſæpe fata promiſerunt. *Servius.*

Inclita.] Græcum eſt. Nam κλυτὸν *glorioſum* dicunt. *Idem.*

Roma.] De *Romæ* etymo: deque potentia ipſius accuratiſſime J. Lipſius in *Admirandis.* Ab *Erinna poëtria* nominatur Roma θυγατὴρ ἄρηος, id eſt, *Filia Martis.* Taubm.

783. *Imperium terris.*] In quantum tenditur terra. *Servius.*

Animos æquabit Olympo.] Magnanimitate æquabitur cœlo. De hoc autem loco & Trogus & Probus quærunt. *Idem.*

784. *Septemque una ſibi muro circumdabit arces.*] Bene urbem Romam dicit ſeptem incluſiſſe montes, & medium tenuit. Nam grandis eſt inde dubitatio: & alii dicunt breves ſeptem colliculos à Romulo incluſos, qui tamen aliis nominibus appellabantur. Alii volunt hos ipſos, qui nunc ſunt, à Romulo incluſos, id eſt, Palatinum, Quirinalem, Aventinum, Cœlium, Viminalem, Æſquilinum, & Janicularem. Alii vero volunt hos quidem fuiſſe, aliis tamen nominibus appellatos: quæ mutata ſunt poſtea, ut de omnibus rebus legimus fieri, ut de multis locis, & de fluminibus legimus: ut ſæpius, *Et nomen poſuit Saturnia tellus.* Idem.

Septemque una ſibi, &c.] Adi Donatum de urbe Rôma l. 1. c. 13. qui negat, ſub Romulo pomœrium occupaſſe ſeptem montes. *Emmeneſſ.*

785. *Prole virûm.*] Virorum fortium. *Servius.*

Felix prole virûm.] Εὔανδρος, ut Lacedæmonem poëtæ. Hanc, ut turritam hîc, πυργοφόρον Epig. Poëta vocat: & Apoll. lib. 10. δινδύμου ὀκρυόεντος εὔθρονον —— μητέρα συμπάντων μακάρων. Hic autem Virgilii locus ex illo Lucretii manaſſe videtur lib. 2. *Quare magna Deûm mater, materque ferarum, Et noſtri genitrix hæc dicta eſt corporis una, Hanc veteres Grajûm docti cecinere poëtæ Sublimem in curru bijugos agitare leones, &c.* Rheam autem Sophocl. in Philoct. λεόντων ἔφεδρον vocat. De ea Propert. *Vertice turrigero juxta dea magna Cybelle.* Ut autem *felix prole*, & *læta deûm partu*, certe & Ariſtoteles 1. Eth. non parvum felicitati eſſe adminiculum & ſubſidium εὐτεκνίαν quoque docet, ſed nec ἄτεκνον felicem omnino dici poſſe; carentiam enim externorum bonorum felicitatem ipſam inquinare: ἐνίων δὲ τητώμενοι ῥυπαίνουσι τὸ μακάριον, οἷον εὐγενείας, εὐτεκνίας, κάλλους· οὐ πάνυ γὰρ εὐδαιμονικὸς ὁ τὴν ἰδέαν παναισχής, ἢ δυσγενής, ἢ μονώτης καὶ ἄτεκνος. ἔτι δ' ἴσως ἧττον, εἰ τῳ πάγκακοι παῖδες εἶεν, ἢ φίλοι, ἢ ἀγαθοὶ ὄντες τεθνᾶσι. *Germanus.*

Qualis Berecyntia mater.] Phrygia. Nam Berecynthos, caſtellum eſt Phrygiæ juxta Sangarium fluvium, ubi mater deûm colitur. Per hanc autem comparationem nihil aliud oſtendit, niſi Romanos duces inter deos eſſe referendos. *Servius.*

786. *Turrita.*] Vel quia ipſa eſt terra, quæ urbes ſuſtinet. *Idem.*

788. *Omnis*

Læta deûm partu, centum conplexa nepotes,
Omnis cælicolas, omnis supera alta tenentis.
Huc geminas nunc flecte acies: hanc aspice gentem,
Romanosque tuos. hic Cæsar, & omnis Iuli
Progenies, magnum cæli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis,
Augustus Cæsar, Divi genus: aurea condet
Sæcula qui rursus Latio, regnata per arva
Saturno quondam, super & Garamantas & Indos
Pro-

788. *Omnis supera alta tenentis.*] Ὑπέρτατα δώματ' ἔχοντες. *Germanus.*

789. *Huc geminas nunc flecte acies.*] Totum visum tuum huc dirige, & huc specialiter intuere, sic Asper. *Servius.*

Huc geminas.] Asper & Fabric. vetustum hoc laudant: *Huc geminas huc flecte acies:* ut repetitione excitetur attentio. *Taubm.*

790. *Hic Cæsar & omnis Iuli progenies.*] Ut, *Julius à magno demissum nomen Iulo.* Servius.

791. *Cæli ventura sub axem.*] Nam cum Augustus patri Cæsari ludos funebres exhiberet, stella per diem apparuit, quam persuasione Augusti, Cæsaris esse populus credidit. Hinc est, *Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum. Sub axem* ergo, id est, ad divinos honores. *Idem.*

792. *Hic vir, hic est.*] c litera pro duplici, non nisi in monosyllabis habetur: ut, *Hoc erat alma parens.* Per eorum scilicet privilegium. Unde falsum est, quod Terentianus dicit, eam pro metri ratione vel duplicem haberi vel simplicem. Nam si hoc esset, etiam in dissyllabis, pro duabus haberi debuerat, quod nusquam invenimus. Literæ enim naturam servari, & in polysyllabis convenit. *Idem.*

Vir.] Vir hic ad similitudinem Saturni regnabit: ex quo illud videtur astruere, quod felicitas regnandi generi ejus attributa videatur. *Donatus.*

793. *Divi genus.*] Cæsaris, qui factus est deus. *Genus* autem dicit non solum jure adoptionis, sed consanguinitatis. Nam Octaviæ filius fuit, quæ erat soror Cæsaris. Hic autem, Augustus Cæsar, hoc nomen accepit à patre adoptivo. Nam ante *Octavianus* dictus est à patre Octavio. *Servius.*

Augustus Cæsar, Divi genus.] In Romano codice, in Mediceo, & plerisque aliis legere est, *divi genus.* id quod in nomismatum etiam inscriptionibus invenias, ut in nummo pulcherrimo, à cujus altera parte C. Cæsaris caput habetur, titulus est *divos Julius.* ab altera vero parte Augusti Octaviani caput, cum inscriptione *Augustus divi f.* ad quem titulum crediderim hoc loco Virgilium adlusisse. Prætereo vero lapidum inscriptiones, quæ sunt & in Capitolio, & alibi, in quibus *divi f.* scriptum observavi. Sane etiam in Porcio codice *divi genus* prius fuit. In eo vero quem Janus Vitalis præstantissimi ingenii, neque vulgatæ eruditionis juvenis mihi tradidit, dubio procul *divi genus* legitur. *Pierius.*

794. *Sæcula qui rursus Latio.*] Sub Saturno dicit aurea secula fuisse in orbe terrarum, sub Augusto tantum in Italia. *Servius.*

Regnata per arva.] In Romano codice legere est non inepte forsitan, *regnata per annos.* ut sit *sæcula regnata*, non *arva regnata.* Vulgata tamen lectio adhuc in precio est. *Pierius.*

795. *Garamantas.*] Populi inter Libyam & Africam juxta κεκαυμένην. *Servius.*

Indos.]

Proferet imperium. jacet extra ſidera tellus,
Extra anni ſoliſque vias, ubi cælifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.
Hujus in adventum jam nunc & Caſpia regna
Reſponſis horrent divûm, & Mæotia tellus,
Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit;

Fixerit

Indos.] Populi orientis extremi. *Serv.*

Super & Garamantas & Indos.] Faciet id, quod Saturnus in Italia: atque inſuper pacabit ipſum orbem. *Donat.*

796. *Jacet extra ſidera tellus.*] Nulla terra eſt, quæ non ſubjaceat ſideribus. Unde perite addidit, *Extra anni ſoliſque vias:* ut oſtenderet duodecim ſigna, in quibus eſt circulus Solis. Significat autem Maurorum Æthiopiam, ubi eſt Atlas: de qua ait Lucanus, *Æthiopumque ſolum: quod non premeretur ab ulla Signiferi regione poli, niſi poplite lapſo Ultima curvati procederet ungula tauri.* Servius.

797. *Anni Soliſque.*] *Annum* pro nocte, *Solem* pro luce poſuit. Vult ergo aliquid ulterius etiam eſſe Poëta, quod Sol neſciat, & mundus excludat. Ergo melius Cæſar, qui ad tantum ſpatium, imperium proferet quam Saturnus, qui in ſola regnavit Italia. *Donatus.*

798. *Torquet.*] Suſtinet. *Servius.*

Aptum.] Vicinum, ut diximus ſupra. *Idem.*

799. *Hujus in adventum.*] In Romano codice, & quibuſdam aliis legere eſt, *hujus in adventum.* Quam lectionem ſpero eruditis auribus placituram magis, quam *hujus in adventu.* Pierius.

Jam nunc & Caſpia regna.] Fines Aſſyriorum, in quibus ſunt πύλαι Caſpiæ. Quod autem dicit verum eſt. Nam & Suetonius ait in vita Cæſaris, reſponſa eſſe data per totum orbem naſci invictum imperatorem. *Servius.*

Caſpia regna.] Fines Aſſyriorum, in quibus ſunt πύλαι Caſpiæ. Alii non has tantum, ſed & alias ad Orientem gentes, Medos, Armenios, Hircanos, Perſaſque intelligunt. *Taubm.*

800. *Mæotia tellus.*] Scythica, cujus palus eſt Mæotis. *Servius.*

Mæotia.] Alibi *Mæotia* abſque *c* litera paſſim in antiquis codicibus ſcribi adnotavimus. Ita hoc loco habetur. Agnoſcunt tamen & *Mæotica.* Pierius.

801. *Septem gemini.*] Septem fluvii. *S.*

Turbant.] Turbantur. *Idem.*

Turbant trep. oſtia Nili.] Sic & abſolute & neutraliter Lucret. lib. 2. *Corpora quæ in ſolis radiis turbare videntur.* Eadem quoque forma extulit & Tacit. lib. 3. *Neque deorum principibus, ſi una alterave civitas turbet, omiſſa urbe, &c.* Sic apud Eurip. Supp. ταράσσειν pro ταράσσεσθαι accipi videtur: ὦ μέλεαι μελέων ματέρες λοχαγῶν ὥς μοι ὑφ' ἥπατι δεῖμα χλοερὸν ταράσσει. Et Lucret. 6. *Diſſimiles inter ſe res turbareque miſtas:* & 5. *ſinit hæc violentis omnia verti Turbinibus, ſinit incertis turbare procellis.* Sed & Nilum ſeptemgeminum vocat Catull. *Sive quâ ſeptemgeminus colorat Æquora Nilus.* Germanus.

Trepidi oſtia Nili.] Eſt qui putet legendum, *tumidi*, non *trepidi*, tum propter incrementum Nili, cum quo quadrat tumor: tum etiam, quia Horatius eo epitheto Nilum ornat, lib. 3. Od. 3.

Qua tumidus rigat arva Nilus.

Sed nihil tamen muto, nam cum turbatione egregie trepidatio. *Cerda.*

802. *Nec vero Alcides.*] Nunc comparat illum Herculi, deinde Libero patri, qui ambo plurima loca ſuperarunt. Laudat ergo alios, ut potiorem Cæſarem faciat. Sic aſſentator ille Terentianus

Fixerit æripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu.
Nec, qui pampineis victor juga flectit habenis,
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigris.

Et

nus Gnatho, cum dictum esset: *Magnas vero gratias Thais Mihi n'?* respondit, *ingentes:* ut æstimationem audentius assentatione etiam superaret: nam si *magnas* respondisset, non promerebatur patrocinium. *Donatus.*

Tantum telluris obivit.] Ideo à Græcis Hercules πολύπλαγκτος. & ab Horatio lib. 3. Od. 3. *vagus.* Cerda.

Nec vero Alcides tantum telluris obivit.] Peragrasse & pererrasse quia orbem dicitur Hercules, inde etiam Horatio dicitur *vagus Hercules* l. 3. od. 3. *Emmeness.*

803. *Fixerit æripidem cervam.*] Pro *aëripidem.* Vicit autem Cerinitim cervam dictam à loco. *Fixerit* autem *statuerit.* Servius.

Fixerit æripidem.] In Romano codice & quibusdam aliis, *fixerat æripedem* legitur, & exacta specie *fixerat* hic positum Carisius agnoscit. Ita enim ipse præteritum plusquam perfectum appellat, quæ quidem figura Græcanica est, & elegantissima. Neque tamen ierim inficias ubi *æripedem* Episynaloephen esse notat *fixerit* scriptum esse. Sed quum superius tempus & modus sit expressus, errore alterum hoc librarii omnino transcriptum esse credendum est. *Pierius.*

Æripedem cervam.] Sunt qui *æripedem* pro *aëripedem* accipiant. Alii, ut ab Homero, ὑπ' ὄχεσφι τιτύσκετο χαλκόποδ' ἵππω. Il. θ. & de tauris Æetæ Apoll. lib. 3. καὶ οἱ χαλκόποδας ταύρους κάμε, χάλκεα δέ σφέων ἦν στόματ' ἐκ δὲ πυρὸς, &c. qui & χαλκώνυχας. Sophocl. quoque in Elect. χαλκόποδα ἐρινὺν vocat: Pindarus quoque æripedes tauros Colchicos dixit, καὶ βόας οἳ φλόγ' ἀπὸ ξανθᾶν γνύ — ων πνέον. καιόμενοι πυρὸς, χαλκέαις δ' ὁπλαῖς ἀράσσεσκον χθόν' ἀμειβόμενοι· & Aristoph. in Equit. χαλκοκρότων ἵππων κτύπος. & Calab. lib. 6. ubi de gestis Herculis agit, hoc huic cervæ epitheton assignat: κεμμὰς δ' εὖ ἤσκητο θοὴν πόδας. *Germanus.*

Erymanthi Pacarit nemora.] Mons Arcadiæ ubi aper ferocissimus fuit. *Serv.*

804. *Pacarit.*] In Mediceo, & plerisque aliis veteribus exemplaribus, *pacarit* habetur. Si *placarit*, ad monstri feritatem referri debet. Si *pacarit*, ad loci quietem, qui hoste veluti sublato quiescere cœpisset. *Pierius.*

Lernam tremefecerit arcu.] Pro Hydra paludem ipsam posuit; & intelligamus ante eam sagittis fuisse confixam: post exsectam & adustam. *Servius.*

Tremefecerit.] Veluti superius *fixerat* in codicibus aliquot antiquis legebatur, ita in iisdem etiam *tremefecerat* habetur, eadem specie modoque. *Pierius.*

805. *Juga flectit.*] Ἡνιοστροφεῖ, Eurip. Ut autem, *celso Nysæ de vertice*, Apollon. lib. 2. Bacchum νυσήϊον υἷα vocat. Catull. *Sæpe vagus Liber Parnasi è vertice summo Thyadas effusis euantes crinibus egit.* Germanus.

806. *Nysæ de vertice.*] Mons est Indiæ, de quo loquitur. Cæterum est & Nysa civitas, in qua Liber colitur. Unde *Nysæus* dictus est. *Servius.*

Nysæ.] De hac urbe Mela l. 3. c. 7. *Urbium quas incolunt Nysa est clarissima & maxima, in qua genitum Liberum patrem arbitrantur.* Justinus contra conditam à Baccho affirmat. l. 12. c. 7. *Emmeness.*

Tigris.] De Bacchi tigribus, lyncibus, pantheris, tum alibi à me dictum, tum in promptu sunt loca Ovidii 1. Art. & in epist. Nemesiani 3. ecl. Martialis lib. 8. epigr. 26. Senecæ in Medea, Sidonii in Burgo. Extremi solum versus adduco:

Forte

Et dubitamus adhuc virtute extendere vires?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?
Quis procul ille autem ramis insignis olivæ
Sacra ferens? nosco crinis incanaque menta
Regis

Forte sagittiferas Euan populatus Erythras,

Vite capistratas cogebat ad esseda tigres. Itaque his missis, hic tantum adnoto, scribi à Plutarcho in præceptis Conjug. tigres sonitu tympanorum ἐκμαίνεσθαι παντάπασι, καὶ διασπᾶν ἑαυτάς: *furere, ac se ipsas dilacerare.* non aliter atque elephanti furunt colore splendido, tauri puniceo. Idem repetit lib. de superstitione. Ista ergo fortasse causa, cur dati Baccho furoris Deo, in cujus semper comitatu erant tympana: ut videlicet furor Bacchi feræ hujus furoribus juvaretur. *Cerda.*

Tigris.] Bacchi vehiculum à tigribus tractum & à lyncibus multis declarat Scheff. l. 1. de Re vehic. c. 18. *Emm.*

807. *Et dubitamus.*] Pro *dubitas.* Miscuit personam suam. Est autem sensus, Cum tibi sit tanta præparata posteritas, dubitas virtutem factis extendere, id est, gloriam? *Servius.*

Et dubitamus.] Fuit ornamenti, quo impelleret filium, ne frangeretur tarditate veniendi. *Donatus.*

Virtute extendere.] In Romano codice hemistichius ita legitur, *virtute extendere vires.* Plerique vero alii, qui priorem lectionem offerunt, abrasi sunt: nam & apex supra ultimam vocalem *in virtute*, & dictio tota *factis* aliena manu & atramento notata inspiciuntur. Sed quamvis plurimum ita veteres codices legant, non tamen pervincunt, ut ea vulgata lectio *virtutem extendere factis* displicere possit. *Pier.*

808. *Aut metus.*] Est aliquis timor, qui te regnis Italiæ revocet? *Servius.*

809. *Quis procul ille autem.*] Nunc redit ad Romanos reges, qui septem fuerunt: Romulus, Numa Pompilius, Tullus Hostilius, Ancus Marcius, Tarquinius Priscus, Servius Tullius, Tarquinius Superbus. Mira autem utitur phantasia: ut quasi ostendat se non agnoscere eum, qui de gente Romana non fuerat. Romulo enim mortuo cum anno senatus regnasset per decurias: tædiosum visum est, & quæsitus est rex. Sed cum in urbe nullus idoneus esset inventus, orta est bona Pompilii fama, quod esset apud Cures civitatem Sabinorum. Rogatus itaque per legatos accepit imperium: qui ferociam populi à bellis ad sacra contulit. Unde etiam *Numa* dictus est ἀπὸ τῶν νόμων, ab inventione & constitutione legis. Nam proprium nomen *Pompilius* habuit. Hic etiam canus fuit à prima ætate: ad quod alludens ait, *Incanaque menta.* Item propter sacerdotium, *Ramis insignis olivæ.* Servius.

Quis procul ille.] Multa dat signa, ut cognoscatur in multitudine. Magna autem laus, ut per modicas vires ad magnum tendat imperium. *Donat.*

Quis procul, &c.] Non abludit hic locus ab Euripidis loco in Phœniss. imo fortasse inde expressus:

Τίς οὗτος ὁ λευκολόφας
Πρόπαρ ὃς ἄγει στρατοῦ:
Quis hic est, qui albam cristam in casside habet,
Qui anteit exercitum?

Cerda.

810. *Incana menta.*] Catull. *Smyrnam incana diu sæcula provolvent:* supra: *barbas, incanaque menta,* de hircis. *Germanus.*

Incanaque menta.] Numam à prima ætate canum fuisse, interpretes hic & alibi afferunt. vide, si placet, quæ de hoc hominum genere scripsit Delrius lib. 2. Prolog. c. 1. & Cælius l. 24. c. 5. Crinitus l. 4. c. 15. Sed me nescio quod blandimentum invitat, ut ad senectutem canicies ista referatur, & ad obsi-

Regis Romani; primam qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis & paupere terra
Missus in imperium magnum. cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit
Tullus in arma viros, & jam desueta triumphis
Agmina. quem juxta sequitur jactantior Ancus,
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.

Vis

obsitam Numæ sapientiam, qua imperium firmavit. Nam illud de vera canicie in prima ætate qui firmetur de Numa, non video. *Cerda.*

811. *Regis Romani.*] Multa quidem vetera exemplaria, mutato numero, Tritimemerim faciunt, *Romani regis.* Sed vulgata lectio, spondæo suspenso, multo plus omnino videtur habere gravitatis. *Pierius.*

Primam.] In plerisque codicibus antiquis *primam* legitur, hoc est, adhuc recentem. Nam ante Numam Romulus leges tulit. In Mediceo, *Primum* est. & addita paraphrasis, *In principio.* probant & aliqui *primus.* Idem.

812. *Curibus parvis, &c.*] De Numæ Pompilii Justitia, Religione, & patria legendus Livius lib. 1. c. 18. & seqq. & Ovid. l. 15. Metam. à principio. & ꝟs. 408. & seqq. *Emmeness.*

813. *Cui.*] In aliquot veteribus exemplaribus, *quoi* scriptum. Cujusmodi lectiones plerasque missas facio, quum tam paucos videam, qui rerum hujusmodi eruditione delectentur. *Pier.*

814. *Otia qui rumpet patriæ.*] De hoc Livius, *Inde Tullum qui ferocior Romulo fuit, quam Numæ similis.* Servius.

Otia qui rumpet patriæ.] Quia ut Livius l. 1. c. 22. *undique materiam excitandi belli quærebat.* Quare Juvenal. Sat. 5. ꝟs. 67. eum *pugnacem* vocat, qui omnem militarem disciplinam, artemque bellandi condidit. plura Florus l. 1. c. 2. *Emmeness.*

Resides.] Pigros, ociosos, nimium sedentes. *Servius.*

815. *Desueta triumphis.*] A consuetudine triumphandi dissuescentia. *Id.*

Et jam desueta triumphis Agmina.] Totum hoc in Romano codice longe diversa lectione habetur, quum ibi scriptum sit, *& magnum deinde triumphum Agmina.* quod quo pacto quadrare possit, non intelligo: quum neque ordo structuræ ullus, neque sententia congrua discernatur: quare me ad vulgatam refero lectionem. *Pierius.*

816. *Jactantior Ancus.*] Amans populi favorem. hic Ostiam fecit. *Ancus* autem dictus ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος, id est, à cubito, quem incurvum habuisse dicitur. *Serv.*

Jactantior.] Jactat se, quisquis plurimum sibi arrogat. *Donatus.*

Jactantior Ancus.] De Anco honorifice lib. 3. Lucret. *Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit, Qui melior multis quam tu fuit, improbe, rebus.* Quod autem *gaudentem popularibus auris* dixit, videtur ex Euripide circumlocutione δημοχαριστὴν vertisse: qui de Ulysse in Hecub. πρὶν ὁ ποικιλόφρων κόπις, ἡδυλόγος, δημοχαριστὴς λαερτιάδης πείθει στρατιὰν, ubi alii δημοχαρηστὴν scribunt, hoc est, δεξοκομποῦντα, & κενοδοξοῦντα. Ancum autem primum Fortunæ templum Romæ fundasse est auctor Plutarch. in lib. De fort. & virt. Rom. his verbis: πρῶτος μὲν γὰρ ἱδρύσατο τύχης ἱερὸν μάρκιος ἄγκος ὄνομα θυγατριδοῦς, καὶ τέταρτος ἀπὸ ῥωμύλου γενόμενος βασιλεὺς, καὶ τάχα που τὴν τύχην τῇ ἀνδρείᾳ παρωνόμαζεν, ἣ πλεῖστον εἰς τὸ νικᾶν τύχης μέτεστι. *Germanus.*

817. *Auris.*] Favoribus. Unde & *aurarii* dicuntur favitores. *Servius.*

Popularibus auris.] Hi sunt favores popu-

Vis & Tarquinios reges, animamque superbam
Ultoris Bruti, fascisque videre receptos?

Con-

populi, quos non quærunt sapientes. *Donatus.*

Auris.] Pulchre Servius: *auris, favoribus: inde & aurarii dicuntur favitores,* & Ancus quidem populi & patrum favore regnum habuit, quod expresse Livius. Porro *populari aura* pro favore plebis, parœmiam sapit. ita enim dictum Livio, lib. 24. *Perseus levi aura spei objecta.* Horatio Od. 2. lib. 3.

Arbitrio popularis auræ.

Tullio, *ventus popularis, venti concionum.* Hieronymo ad Nepotianum, *ne rectum iter precum tuarum frangat aura popularis:* Cypriano epist. 2. *caducis atque inanibus votis popularis aura quæsita est.* Parco exemplis, nam congesta ab aliis. Gr. dicunt istos δημαγωγὲς. *Cerda.*

818. *Vis & Tarquinios reges, animamque superbam.*] Unus enim de Tarquiniis fuit superbus. *Servius.*

Tarquinios.] In codicibus antiquis *Tarquinios* quadrisyllabum pro *Tarquinos* legitur: ut si, quæ pene ultimam præcedit, syllaba non corripiatur ratione numeri polysyllabici, certe κατὰ συνίζησιν duæ ultimæ in unam coëant, quando sunt qui secundam à principio syllabam longam existiment. Hoc eodem modo sæpius apud Ovid. ex veteribus codicibus legi,

Illic Tarquinius mandata latentia nati.

Et eodem poëmate,

Ultima Tarquinius Romanæ gentis habebat.

Qui si dicant his quoque locis *Tarquinus* trisyllabum scribi debere: certe quadrisyllabum in eo pentametro non negabunt, *Natus ait Regis, Tarquiniusque vocor.* Pierius.

Vis & Tarquinios, &c.] Ex hoc Virgiliano colorem traxit Silius libro 13.

Si studium, & sævam cognoscere Amilcaris umbram,
Illa est, cerne procul, cui frons nec morte remissa,
Irarum servat rabiem. Cerda.

Animamque superbam.] Ita, ubi de regibus Rom. agit Horatius, meminit Tarquinii. l. 1. od. 12.

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem an superbos
Tarquini fasceis.

Sed hic de Bruto consule loqui Virgilium, non obscurum est. *Emmeness.*

819. *Ultoris Bruti, fascesque videre receptos?*] Vis videre etiam ultoris Bruti fasces receptos? Historia autem hoc habet, Tarquinius ob multa quidem, *Superbus* est dictus: præcipue tamen ob hanc caussam. Mandavit aliquando cuidam satelliti, ut cujusdam oppidi omnes principes interimeret. Profectus ille grandem multitudinem reperit. Quod cum ei renuntiasset deambulanti cum virga in hortis: detractans ille responsioni, capita decussit papaverum, ut satelles, quid fieri vellet, agnosceret. Hujus filius vitiavit nobilissimam matronam Lucretiam. Quod illa dolens, se interemit. Tunc ejus avunculus Brutus, rapto ex ejus corpore gladio, processit ad populum: & de hac re concionatus est. Quo facto omnibus placuit, ne reciperetur rex, qui tunc Ardeam expugnabat. Propter quod se Tarquinius cum liberis ad Porsennam regem Tusciæ contulit: & bellum gessit gravissimum contra populum Romanum. Tunc duo creati sunt consules, Brutus & Tricipitinus, pater Lucretiæ, qui & Tarquinius dicebatur: ob quod solum est urbe depulsus: & in ejus locum subrogatus est Valerius Publicola: quo mortuo item alter est factus: & alter similiter. Quod cernens tædiosum esse Virgilius Brutum solum posuit, qui annum solus implevit. Sed Bruti filii amici erant filiis Tarquinii: cum quibus cum iniissent consilium, ut eos per noctem intromitterent, proditi sunt à servo Vindicio: & à patre interempti sunt. Ideo ergo *ultoris*, scilicet & libertatis publicæ, & Lucretiæ pudoris. *Serv.*

Fascis.]

Consulis imperium hic primus sævasque securis
Accipiet: natosque pater, nova bella moventis,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
Infelix. utcunque ferent ea facta minores;
Vincet amor patriæ, laudumque inmensa cupido.

Quin

Fascis.] Sunt hi bacilli aliquot teretes, loro colligati in modum fascis, unde & nomen habuerunt. De his docte Lipsius lib. 1. Elect. cap. 23. *Cerda.*

820. *Sævasque securis.*] Quæ sævierunt etiam contra liberos. *Servius.*

Sævasque securis, Infelix.] Quamvis ob commodum publicum te laudent, tamen infelix eris propter natos cæsos. *Donatus.*

821. *Natosque.*] Plerique codices antiqui *gnatos* una plus litera scribunt, ut solitos esse veteres, ait Victorinus. At Cornelius Fronto tam asseveranter *gnatum* à *nato* distinguit, ut *gnatum* cum *g* filium dicat. *Natum* vero, vel pullum, vel quid hujusmodi, cum significatione temporis, ut sit potius participii vox, quam nominis. *Pierius.*

Natosque pater.] De hoc Bruti facto loquuntur Plutarchus, Dionys. 5. Antiq. & Valerius Max. lib. 5. cap. 8. Sed inter omnes elegi verba Livii lib. 2. quæ mihi admirationem injiciunt. Ait ille: *Missi lictores ad sumendum supplicium, nudatos virgis cædunt, securique feriunt: cum inter omne tempus pater, vultusque, & os ejus spectaculo esset, eminente animo patrio inter publicæ pœnæ ministerium.* Notanda verba Tullii pro Roscio: *Magna oportet esse vitia atque peccata filii, quibus incensus parens potuerit animum inducere, & naturam ipsam vincere, ut amorem illum penitus insitum ejiceret ex animo, ut denique se patrem esse oblivisceretur.* Cerda.

822. *Pulchra pro libertate.*] Ingenti arte loquitur consideratione personarum. Factum enim laudat dicens, *pulchra pro libertate:* personam vituperat. *Servius.*

823. *Utcunque ferent ea facta minores.*] Etiamsi lauderis à posteris, non extorquere vim naturæ debet amor patriæ. *Idem.*

Ferent ea facta.] In antiquis omnibus exemplaribus, quotquot habere potui, *ea facta* sub voce participii scriptum animadverti. pro *ea fata.* Quam lectionem divus etiam Augustinus III. de civitate Dei videtur agnovisse: cujus verba, quod ad Virgilianæ sententiæ declarationem faciunt, subjicere non pigeat. Quod factum Virgilius postquam laudabiliter commemoravit, continuo clementer exhorruit. Quum enim dixisset,

Gnatosque pater nova bella moventis
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.

Mox exclamavit & ait, *Infelix utcunque ferent ea facta minores. Quomodo libet,* inquit, *ea facta posteri ferant, id est, post ferant, & extollant. Qui filios occidit, infelix est.* Et tanquam ad consolandum infelicem subjunxit, *Vincet amor patriæ, laudumque immensa cupido.* Pierius.

Infelix. utcunque ferent ea facta minores.] Scire licet, tantam fuisse priscis patribus in liberos potestatem, ut in eos citra judicium capitaliter constituere possent. Unde Valerius lib. 5. *Bruti æmulatus exemplum Cassius, filium, qui tribunus plebis Agrariam legem primus tulerat, postquam illam potestatem deposuit, adhibito propinquorum & amicorum consilio, affectati regni crimine domi damnavit, verberibusque affectum necari jussit.* Eam tamen effusam potestatem revocatam constat lege Inauditum, II. ad leg. Cornel. de sicar. nec id temere, cum & in servos crudum immaneque dominorum imperium coërcitum humanitate legum fuerit. *Germanus.*

824. *Vincet amor patriæ.*] Nimirum

Quin Decios, Drusosque procul, sævumque securi
Aspice Torquatum, & referentem signa Camillum.

Illæ

& Plutarch. in Polit. præcep. ex poëta aliquo, *εὐγενὲς καὶ φρονήματος μεγάλου τὸ ἀναφωνῆσαι, φιλῶ τέκν', ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ.* Valerius l. 5. c. 8. sub titulo, *qui severi adversus liberos*, tragicæ huic asperitati patrocinans, *Exuit*, inquit, *patrem, ut consulem ageret, orbusque vivere, quam publicæ vindictæ deesse, maluit.* Germanus.

Vincet amor patriæ, laudumque inmensa cupido.] De hoc Bruto Sil. Ital. l. 13.

Sed raptabat amor priscos cognoscere manes
Nunc meritum sæva Brutum immortale securi
Nomen.

Totum hunc Maronis locum imitatus videtur poëta de Camillo, Curio, aliisque mentionem faciens. Juvenalis Sat. 8. ℣ſ. 263. hanc Historiam attingens pro *pulchra*, dicit *dubia pro libertate.* ubi etiam de Deciis, qui se pro patria devoverunt: de patre se devovente ad Veserim in bello Latino Livius lib. 10. c. 26. de filio in Gallos idem præstante c. 29. de quibus Propert. l. 4. El. 1.

Tunc animi venere Decii, Brutique secures.

& idem l. 3. Eleg. 10.

At Decius misso prælia rupit equo.

Cicero hanc tractans Historiam lib. 1. Tusc. quæst. c. 37. Nepotem tertium fuisse memorat: *Non cum Latinis decertans pater Decius, cum Hetruscis filius, cum Pyrrho Nepos se hostium telis objecissent.* De his omnibus præclare de Rep. Roman. meritis consulendus Claudian. de quarto consulatu ℣ſ. 400. & seqq. & quid dictum l. 2. Georg. 169. 170. vide. *Emmeness.*

825. *Quin Decios.*] Quin imo Decios respice. Hi duo fuerunt qui Mures dicti sunt: pater & filius. Horum alter se bello Gallico, alter Samnitico vovit pro republica, cum terra & mari universum bello vellent exercitum perdere. *Servius.*

Drusosque procul.] Et hi duo fuerunt. Horum prior vicit Hasdrubalem. Alter est filius Juliæ, sororis Augusti. *Idem.*

Sævumque securi aspice Torquatum.] Hic Gallum quendam in ponte Anienis, singulari certamine superavit, & ejus sibi torquem imposuit: unde nomen accepit. Hic ad urbem pergens, præcepit filio, ut tantum castra metaretur: ille, provocatus ab hostibus, nacta occasione, victoriam consecutus est. Reversus postea pater laudavit fortunam populi Romani: sed filium, ut dicit Livius, *Fustuario supplicio necavit.* Ergo *sævum securi*, sævum jure occidendi, non ferri genere. Nam securi non animadvertit in filium. *Idem.*

826. *Referentem signa Camillum.*] Brenno duce, Galli apud Alliam fluvium deletis legionibus, everterunt urbem Romam absque Capitolio: pro quo immensam pecuniam acceperunt. Tunc Camillus absens Dictator est factus: cum diu esset apud Ardeam in exilio propter Vejentanam prædam, non æquo jure divisam: & Gallos jam abeuntes secutus est. quibus interemptis aurum omne recepit & signa. Quod cum illic appendisset, civitati nomen dedit. Nam *Pisaurum* dicitur, quod illic aurum pensatum est. Post hoc tamen factum rediit in exilium. Unde rogatus, reversus est. *Idem.*

Camillum.] Tzetzes in Chiliadibus Camilli, aut Cadmilli, nomen refert ad Cadmum, & Græcum *κάζειν* quod est *ornare.* unde & *κόσμος*, & *κοσμέω* literarum commutatione. Goropius lib. 1. Hieroglyph. ait, vocis hujus originem esse *malum revelo.* Et sic olim generatim omnes ingenuos pueros vocatos, quod puerili quadam simplicitate citra ambages, omnia revelent. Est itaque Camillus, qui mala detegit. Non inepte quispiam referat hoc etymon ad Camilli facinus, quod in explicatione recensui. Hujus viri elogium est hoc in Plu-

Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animæ nunc & dum nocte prementur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ
Adtigerint, quantas acies stragemque ciebunt!
Aggeribus socer Alpinis atque arce Monœci
Descendens, gener adversis instructus Eois.

Ne,

Plutarcho lib. de exsil. Κάμιλλος Ῥώμης δεύτερος κτίστης, *Camillus Romæ alter conditor.* Cerda.

827. *Paribus.*] Ita etiam 1. G. ad signanda bella civilia,

—— paribus concurrere telis.

& Lucanus, *pares aquilas.* Idem.

Fulgere.] Ab eo quod est *fulgo fulgis.* Servius.

Paribus quas fulgere cernis in armis.] Infra lib. 9. *paribus non invidet armis.* Germanus.

Fulgere.] Lege Senecam lib. 1. Nat. Quæst. capit. 56. *Cerda.*

828. *Et dum nocte prementur.*] Bene allusit. Nam concordiam in humilitate tenuerunt: cum nobilitate vero in bella venerunt. *Servius.*

Nunc & dum nocte prementur.] In antiquis legere est *prementur* futuro tempore, quod multo magis placet, quam *premuntur*, quum præsens per adverbium *nunc*, sit jam expositum. *Pier.*

829. *Si lumina vitæ.*] Imitatione Lucretii lib. 10. *Unde animale genus generatim in lumina vitæ Redducit Venus.* Sunt tamen qui hîc *limina vitæ*, malint ex eodem Lucretio: *vitæ cum limen iniret:* & *limen leti*, apud eundem: adeo ut emendandus mihi videatur locus ille ejusdem Lucretii lib. 1. ubi de Epicuro, *Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ:* nam pro *lumine limine* omnino legendum existimo. ἄκυρον enim videtur decurrere lumen vitæ: est enim luminis & ignis decurrere potius quam decurri. Præterea *decurrere limen* transfertur elegantius à spatio & curriculo hippodromi, ut partem pro toto accipiamus: nam *limen* pro *carceribus* & ipse Maro supra usurpavit: *Corripiunt spatia audito, limenque relinquunt.* Germanus.

831. *Aggeribus socer Alpinis.*] A munimentis Alpium. Hæc enim Italiæ murorum exhibent vicem. Socer vero, quia Pompejus habuit Juliam filiam Cæsaris, quæ in partu periit. Unde etiam isti inter se facile dimicare potuerunt. *Servius.*

Arce Monœci.] De Liguria, ubi est portus Monœci Herculis. Dictus autem μόνοικος, vel quod pulsis omnibus illic solus habitavit: vel quod in ejus templo nunquam aliquis deorum simul colitur: sicut in Jovis, Minerva & Juno: in Veneris, Cupido. *Idem.*

Arce Monœci.] Tacit. lib. 19. Ann. Monœci meminit. *Fabius Valens è sinu Pisano sævitia maris, aut adversante vento, portum Herculis Monœci depellitur.* Hinc scilicet ducto Herculi nomine, quod (ut interpres docet) communem cellam cum alio deo repudiaverit, & ex augurali esset disciplina suam deorum cuique ædem dicare: ut constat ex illo Valerii lib. 1. In qua cum Marcellus quintum consulatum gerens templum Honori & Virtuti, Clastidio prius, deinde Syracusis potitus, nuncupatis votis debitum consecrare vellet, à collegio pontificum impeditus est, negante, unam cellam duobus diis recte dicari. futurum enim, si quid prodigii in ea accidisset, ne dignosceretur, utri rem divinam fieri oporteret, nec duobus, nisi certis diis, una sacrificari solere. Ea pontificum admonitione effectum est, ut Marcellus, separatis ædibus, Honoris ac Virtutis simulacra statueret. *Germanus.*

832. *Adversis instructus Eois.*] Orientis enim auxiliis est usus. *Servius.*

Ne, pueri, ne tanta animis adſueſcite bella:
Neu patriæ validas in viſcera vertite vires.
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo:
Projice tela manu, ſanguis meus.
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor

833. *Pueri.*] Nam quiſque cum naſcitur, puer eſt. Tanquam autem optimus pater, recte conſulit poſteris, eoſque ſapienter admonet. *Donatus.*

Adſueſcite bella.] Mire dictum. Ab ipſis enim quaſi conſuetudinem fecit populus Romanus bellorum civilium. Septies enim geſta ſunt à Cæſare contra Pompejum in Theſſalia. Item contra ejus filium Magnum in Hiſpania. Item contra Jubam & Catonem in Africa. Mortuo Cæſare ab Auguſto contra Caſſium & Brutum in Philippis civitate Theſſaliæ. Contra Lucium Antonium in Peruſia, Tuſciæ civitate. Contra Sextum Pompeium in Sicilia: Antonium & Cleopatram in Epiro. *Servius.*

Adſueſcite bella.] Sic cum accuſativo hoc uſurpat verbum, bene ſtante pro hac lectione Torrentio, Horatius l. 1. Sat. 4.

—— *inſuevit pater optimus hoc me*
Ut fugerem.

Vide etiam Sanctii Minervam in *aſſueſco* & *inſueſco*. Emmen.

835. *Tuque prior, tu parce.*] Cæſari dicit, quem clementem circa Pompejanos legimus: cui vult tunc hoc eſſe mandatum. *Servius.*

836. *Projice tela manu.*] Subeſt vis quædam huic verbo. Cæſar lib. 3. Bel. civil. *Cum plures arma projicerent, ac fugæ ſimile iter videretur.* Hom. Il. ξ. χειρὸς δ' ἔκβαλεν ἔγχος· Græci ῥίπτειν ὅπλα, unde ῥίψασπις. *Germanus.*

Sanguis meus.] Ad hanc rem pertinent verba Ariſtotelis ex lib. 8. ethic. ad Nicomachum, διὸ (inquit) φασὶ ταὐτὸν αἷμα καὶ ῥίζαν, καὶ τὰ τοιαῦτα. Loquitur videlicet de amore, quo ſe fratres diligunt: id eſt: *quamobrem dicunt, meum eundem ſanguinem, meam radicem, & ſimilia.* Inde etiam Horatius de Auguſto in carmine ſæculari:

Clarus Anchiſæ, Venerisque ſanguis.

Juppiter apud Silium lib. tertio loquens ad Venerem:

—— *tenet, longumque tenebit*
Tarpeias arces ſanguis tuus.

Clarius Thyeſtes apud Senecam dixit *ſanguinis mei*, pro, liberis meis. Et Statius 3. Theb. qui Virgilio hærens:

—— *vos ô ſuperi meus ordine ſanguis,*
Ne pugnate odiis.

Virgilius etiam in 7. *tu ſanguinis ultimus auctor.* Poteſt in hunc locum aptari nota illa, quam ego 1. Æn. ad illud:

Progeniem ſed enim Trojano à ſanguine duci
Audierat.

Porro non placet, qui ex Rufiniano admonet legendum in Virgilio *ſanguis pius*, pro *ſanguis meus*. Et quidem vulgarem lectionem defendit locus Statii. *Cerda.*

Sanguis meus.] Rufinianus Rhetor malit, *ſanguis pius.* Taubm.

837. *Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho.*] Mummium ſignificat. *Serv.*

Ille triumphata, &c.] Sententiam, quam ſequor de L. Mummio, ſequuntur fere omnes interpretes, alii etiam, videlicet Servius, Naſcimbænus, Hortenſius, Germanus, Corradus in Comment. ad Brutum, Jovianus in Antonio, quem vide, nam & egregie Poëtam explicat, & defendit à calumniis Agellii, & Higyni. Non bene Alciatus 5. Parerg. cap. 21. Q. Cæcilium Metellum accipit: neque alii, qui alium à Mummio, ut patebit adeunti Livium lib. 51. & 52. Juſtinum lib. 34. Oroſium lib. 5. cap. 2. Eutropium l. 4. c. 3. Florum lib. 2. Paterculum lib. 1. Hi enim omnes, alii etiam ita de Mummio, Achæis, & Corintho loquuntur, ut veluti digito monſtrent, de Mummio

Victor aget currum, cæsis insignis Achivis,
Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,
Ipsumque Æaciden, genus armipotentis Achilli;
Ultus avos Trojæ, templa, & temerata Minervæ.
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat?
Quis Gracci genus, aut geminos duo fulmina belli
Sci-

mio accipiendum Poëtam: neque parum ad id ipsum conducunt, quæ scribuntur à Pausania in Eliacis prioribus, atque in Achaicis. *Cerda.*

Ille triumphata.] Stephanus in lect. Virgil. p. 17. reprehendit Donatum, qui *triumphata* interpretatur *triumphis ornata* & ad Capitolium refert. Qua in re & metro & Latinitati vim afferre eum asserit. *Emmeness.*

839. *Eruet ille Argos, &c.*] Vapulat hic locus apud Agellium lib. 10. cap. 16. quem tuetur Pontanus in Antonio. Alii hæc de Q. Curio Dentato, & Pyrrho, Epirotarum Rege, intelligunt. Quos omnes refutant Nascimb. & Hortensius, & simpliciter *Paulum Æmilium* intelligunt, qui *Æaciden*, id est, Persen vicerit, &, Macedonia direpta, in triumpho ante currum egerit. quo facto Æacidarum regnum corruit. Macedonum autem & Epirotarum Reges ab Achille ortum traxisse constat. Propert. lib. 4. el. ult. *Et Persen proavi simulantem* (alii l. *tubulantem*, id est, tumefacientem.) *pectus Achillis,*

Quique tuas proavus fregit Achille domos.

Euripides in Oreste, *Argos* urbem Peloponnesi, sedem regiam facit Agamemnonis. *Taubm.*

840. *Ipsumque Æaciden.*] Necesse est ut *Ille* subaudiamus. Pyrrhum enim, quem Æaciden dicit, Curius & Fabricius vicerunt, ferentem Tarentinis auxilium. Hic postea fugit in Græciam, & illic est occisus in templo. Argos vero & Mycenas alii vicerunt. *Servius.*

841. *Ultus avos.*] Aut hic distinguendum: ut sit, *Trojæ Minervæ*, pro *Trojanæ*: principale pro derivativo. Aut certe *avos Trojæ:* non quos Troja habuit avos: sed qui de Troja fuerunt, id est, avos Trojanorum. *Idem.*

Ultus avos Trojæ.] Vehementer reficit animum filii, interitum Græciæ & ultionem Trojæ promittens. *Donatus.*

842. *Magne Cato.*] Censorium dicit, qui scripsit historias: multa etiam bella confecit. Nam Uticensem, præsente Augusto, contra quem pater ejus & dimicavit, & Anticatones scripsit, laudare non poterat. Supra autem Minervæ templa temerata per stuprum Cassandræ dicit. *Servius.*

Magne Cato.] M. Porcium Catonem Censorium majorem intelligit: qui & τεμμέγιστος dictus: fuit enim maximus Orator, max. Imperator, & max. Senator. In eum exstat distichon:

Portius hic mordax, glaucis subrufus ocellis,
Interiens Erebo sedes non comperit ullas.

Taubmannus.

Cosse relinquat.] Cossus tribunus militum consulari potestate fuit. Hic regem Tuscorum Lartem Tolumnium à loco dictum, occidit: & secunda post Romulum opima spolia revocavit. Erit autem nominativus *hic Lar*, *hujus Lartis.* Servius.

Cosse.] A. Corn. Cossum notat: de quo Livius l. 4. ab U. C. *Taubm.*

Quis te tacitum relinquat.] Simili formula utitur Horat. l. 4. od. 9.

Non ego te meis chartis inornatum sileri,
Totve tuos patiar labores. Emmen.

843. *Quis Gracci genus.*] Gracchos seditiosos constat fuisse: nobiles tamen genere. Namque per Corneliam, nepotes Scipionis Africani fuerunt. Unde Iuvenalis ad eam, *Tolle tuum precor Hanibalem.*

Scipiadas cladem Libyæ, parvoque potentem
Fabricium: vel te sulco, Serrane, serentem?

nibalem. Ergo Scipiones dicit per Gracchi genus. Duo autem fuerunt: major Africanus, Æmilianus minor, qui obsidione Carthaginis ab Italia revocavit Hannibalem. *Servius.*

Gracci genus.] Nobilissimum hoc Romæ, conjunctum etiam affinitate cum Scipionibus, unde à Poëta hîc etiam conjunguntur: minor enim Cornelia Africani filia nupsit T. Sempronio Graccho (nam Major Nasicæ nupserat) ex qua Sempronius duodecim filios reliquit superstites, &, cæteris amissis, tres tantum superfuere Tib. & C. Gracchi adolescentes ingeniis seditiosis, & filia una Sempronia, quæ nupsit minori Africano. Hinc apparet, non omnino respuendum Servium, qui per *genus Gracchi* Scipiones signari ait. Ego libenter intellexerim per *genus*, Tiberium & Cajum Gracchos: per *Gracchi* Sempronium ipsum. *Cerda.*

844. *Scipiadas.*] Hi gemini fratres fuerunt: qui cum fortissime dimicarent in Hispania apud Carthaginem novam, quæ *Spartaria* dicitur, insidiis interempti sunt. *Servius.*

Duo fulmina belli Scipiadas.] Cicero pro Corn. Balbo: *Cum duo fulmina nostri imperii subito in Hispania Cn. & Pub. Scipiones extincti occidissent:* & Lucret. lib. 3. *Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror, Ossa dedit terræ proinde ac famul infimus esset.* Ita & duo lumina civitatis Cicero quoque, ut & Epig. lib. 3. διοσὰ φάη μιλητὲ, &c. *Germanus.*

Geminos Scipiadas.] Aliqui hic capiunt duos illos Scipiones fatres, Publium & Cneum, qui in Hispania obierunt. His non deest ratio aliqua, cum dicat Cicero pro Balbo: *Et cum duo fulmina nostri imperii subito in Hispania Cn. & P. Scipiones exstincti occidissent.* Sed certius est, debere accipi utrunque Africanum, cum addat, *Cladem Libyæ.* Id etiam perspicuum fit ex imitatione Lucretii, qui lib. 3. dicit:

Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror.

Cui versui Virgilius institit, Manilius etiam,

Scipiadæque duces fatum Carthaginis unum. Cerda.

Fulmina belli.] Præconium hoc usurpatum ab aliis in mentione virorum militarium. Testimoniis Ciceronis, & Lucretii adductis, adjunge Silium l. 7.

—— *aut ubi sunt nunc fulmina gentis Scipiadæ.*

Apud Pausaniam in Atticis Ptolemæus appellatus est cognomento *fulmen κεραυνὸς*, propter eximiam in bellicis rebus gerendis alacritatem. *Idem.*

Cladem Libyæ.] Scipiones. *Servius.*

Parvoque potentem.] Paupertate gloriosum ac regibus imperantem. Hic legatis Samnitum respondit; Romam non aurum habere, sed habentibus aurum imperare. Horatius: *Vivitur parvo bene.* Vide Agell. l. 1. c. 14. *Taubm.*

Parvoque potentem Fabricium.] Adnecto hic verba Maximi lib. 4. cap. 3. de Fabricio: *continentiæ suæ beneficio sine pecunia prædives, sine usu familiæ abunde comitatus: quia locupletem illum faciebat, non multa possidere, sed modica desiderare. Ergo domus ejus, quemadmodum ære, & argento, & mancipiis Samnitum vacua; ita gloria ex his contemptis parta, referta fuit.* Fabius declam. 268. Fabriciis & Curiis proprio & signato elogio dat abstinentiam. *Cerda.*

845. *Fabricium.*] Paupertate gloriosum. Hic est qui respondit legatis Samnitum aurum sibi offerentibus, Romanos non aurum habere velle, sed aurum habentibus imperare. *Servius.*

Serrane serentem.] Attilius quidam senator fuit, qui cum agrum coleret, evocatus propter virtutem meruit dictaturam. *Serranus* autem, à serendo dictus est. *Idem.*

Sulco, Serrane, serentem.] *Sulcos* legit Turnebus. *Serranus* autem, qui & *Seranus*,

Quo fessum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,

Unus

ranus, prius Attilius dictus, à *serendo* hoc cognomen sortitus est: unde Plin. lib. 18. cap. 3. *Serentem invenerant dati honores Serranum*, unde cognomen. *Germanus.*

Serrane.] Salvianus lib. 1. de Providentia scribens de priscis moribus Romanorum: *Non despiciebant tunc, puto, pauperes cultus, cum vestem hirtam ac brevem sumerent: cum ab aratro arcessererentur ad fasces.* Manilius lib. 4.

Serranos, Curiosque tulit, fascesque per arva
Tradidit, èque suo Dictator venit aratro.

Allusit Sidonius lib. 8. Epist. *Quid Serranorum æmulus, & Camillorum, cum regas stivam, dissimulas optare palmatam?* Servius nulla historiæ fide scribit, Serranum vocatum ex aratro ad Dictaturam: dicere debuisset, ad Consulatum. Hoc idem parum caute suis marginibus addiderunt Manutius, aliique. Fortasse hi omnes decepti sunt μνημονικῷ ἁμαρτήματι. Nam Serrano attribuunt, quæ Romani scriptores dant Cincinnato. Hic enim ex aratro primum vocatus est ad Consulatum, deinde ad Dictaturam. Lege Dionysium lib. 10. Antiq. & Senecam de brevit. vitæ: & Orosium lib. 2. cap. 12. & Eutropium lib. 1. Serranus tantum, ad Consulatum. Simili errore Cedrenus involvitur, apud quem L. Quinctius Cincinnatus vocatur ex aratro ad Consulatum: & addit id factum, Nerone imperante, quod falsum. Si quis enim dicat, hunc alium fuisse Cincinnatum, vix credam, tacentibus aliis Romanis Scriptoribus. Cæterum occasione hujus possem excurrere ad loquendum de hac rerum frugalitate, vocante me occasione, cum olim agros honestissimus quisque coleret. Sed tu lege aurea Plinii verba lib. 18. c. 3. Columellam lib. 1. rei rusticæ in præfatione. Symmachum l. 7. epist. 15. Quibus adjunge locum Sidonii jam indicatum, & versus istos Lucani lib. 1.

— quondam duro sulcata Camilli
Vomere, & antiquos Curiorum passa ligones,
Longa sub ignotis extendere rura colonis.

Cerda.

846. *Quo fessum rapitis Fabii.*] Cur me, ô Fabii, fessum ad vestram trahitis narrationem? Aut certe *fessum* tristem: ut, *Ter fessus valle resedit*, scilicet propter eorum mortem. Nam trecenti sex fuerunt de una familia: qui conjurati cum servis & clientibus suis contra Vejentes dimicarunt, & insidiis apud Cremeram fluvium interempti sunt. Unus tantum superfuit Fabius Maximus, qui propter teneram adhuc pueritiam in civitate remanserat. Hic postea cum Hannibalis impetum ferre non posset, mora eum elusit, & ad Campaniam traxit. Ubi deliciis Carthaginiensium virtus obtorpuit. Notandum est de secunda persona dictum. Ille autem est, de quo ait Ennius, *Unus qui nobis cunctando restituit rem.* Sciens enim Virgilius quasi pro exemplo hunc versum posuit. *Servius.*

Quo fessum rapitis Fabii.] In Romano codice, *quo gressum rapitis* habetur: ut ex hoc tacite ad trecentos illos adludat, una pugna trucidatos: Quos omnes ad bellum missos, ut apud Ovidium est, *Abstulit una dies.* Sed elocutio illa, *Rapere gressum*, insolita videtur, magisque placet, *Quo fessum rapitis* legere, ut variata in orationis genere figura loquendi, non Anchisem tantum longa ea nomenclatura delassatum levet, verum etiam lectori consuluisse videatur. *Pierius.*

Quo fessum rapitis Fabii.] Plautus Menæch. *Quo rapitis me? quo fertis me?* Cerda.

Fabii.] Fabiorum familia ab Hercule est. Horum CCCVI. (uno, propter teneram adhuc pueritiam domi relicto) in bello contra Vejentes ad fluvium Cremeram uno prælio ex insidiis inter-

Unus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mollius æra :

Credo

fecti sunt cum servis & clientibus conjuratis. Ovidius :

— quamvis cecidere trecenti,
Non omnes Fabios abstulit una dies. Taub.

Tu maximus.] Hoc cognomen Q. Fabio prudentia peperit, non victoriæ, etiam si magnæ & multæ. Lege Livium lib. 9. ad finem. uti vero apparet ex eodem Livio lib. 30. non primus ex gente sua habuit hoc cognomen, sed ante illum alii. Verba Livii sunt : *Vir certe dignus fuit tanto cognomine, vel si novum ab eo inciperet. Superavit paternos honores, avitos æquavit. Pluribus victoriis, & majoribus prœliis avus insignis Rullus : sed omnia æquare unus hostis Annibal potest.* Hic clare ait non incepisse à Quinto hoc cognomen : & indicat, illo prius honestatum Rullum. *Cerda.*

847. *Restituis.*] In Romano, in Mediceo, & aliis quibusdam antiquis exemplaribus, *restitues* futuro tempore positum est : quod non displicet. *Pier.*

Cunctando restituis rem.] Q. Fabius missus est adversum Annibalem in summa rerum trepidatione, cum videlicet jam crederent ad urbem ipsam hostem venturum infestis signis, post duplicem victoriam ad Trebiam & Thrasymenum, quibus cæsi & fusi Romani. Cum vero Fabius nollet cum hoste acie confligere, ne feroci Annibali, & tot victoriis exultanti territum militem objiceret, tantum se opponens, illius conatus elusit. unde & *Cunctator* dictus, & cunctando Romanam rem restituisse. Scribit hoc late Livius, & Romani Scriptores, vetus inscriptio Florentiæ, qua continentur Fabii res gestæ : ANNIBALEM COMPLURIBUS VICTORIIS FEROCEM SUBSEQUENDO COERCUIT. Ovidius :

Scilicet ut posses olim, tu Maxime, nasci,
Cui res cunctando restituenda foret.

Manilius lib. 1. *invictusque mora Fabius.* Claudianus de bel. Getic.

— lento lustramine Pœnum
Compressit Fabius.

Silius lib. 7. pari ferme modulo,

— lento Pœnum moderamine lusit.

Auctor de viris illustribus : *Fabius Annibalem mora fregit.* Pulchre Valer. Max. cap. 7. *Fabius Maximus, cujus non dimicare, vincere fuit.* Cæterum versus Virgilianus ad verbum expressus est ab Ennio lib. 12. Annal. quem Ennii versum citant Cicero in Catone, & Livius lib. 30. Adagium adduco, quod in Varrone lib. 1. Rust. c. 2. videlicet, *vultis igitur interea vetus proverbium, quod est, Romanus sedendo vincit, usurpemus, dum ille venit?* habere ortum à Fabio Maximo, quo allusit Silius lib. 16.

— peperitque sedendo
Omnia cunctator nobis.

Cerda.

848. *Excudent.*] Alii cudendo efficient : & est rhetoricus locus. *Servius.*

Spirantia.] Animata. Horatius, *Et molles imitabitur ære capillos.* Idem.

Excudent alii spir. mol. æra.] Contrarium reddidit Horat. *Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset.* Hanc autem molliter excudendi artem & loquendi formam Turnebus ad illud Callistrati retulit : *εἰδες ἂν ὅτι ϗ στερεὸς ὢν εἰς τὴν τοῦ θήλεος εἰκασίαν ἐμαλάττετο.* Ut autem, *vivos duc. de marm. vul.* Lucret. 5. *Et prorsum quamvis in acuta & tenuia posse mucronum duci fastigia procudendo. Ducere vultus de,* statuarium est vocabulum, & item fusorium, respondetque illi barbaro vocabulo, quod *relevare* dicimus. Apulejus lib. 1. Florid. *modos omnes effigiandi complectens, de Alexandro : edixit universo orbi suo, ne quis effigiem regis temere assimularet ære, colore, cælamine, quin ipse solus eam Polycletus ære duceret, solus Apelles coloribus delinearet, solus Pyrgoteles cælamine excuderet :* quamvis codex oxcluderet habeat. *Germanus.*

Excudent alii.] Dictum hoc propter Corin-

Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus:
Orabunt caussas melius, cælique meatus
Descri-

Corinthios facile credat, qui legat Strabonem lib. 8. & Plinium lib. 34. c. 8. ubi loquens de nobilitate operum ex ære, principe loco affert Corinthios, quod firmat exemplis magnorum principum. *Cerda.*

Spirantia.] Ammianus lib. 22. *Spirantibus signorum figmentis.* Poëta statim *vivos vultus.* Ita Ausonius:

Viva tibi species vacca Myronis erit.

Propertius lib. 2. eleg. 31.

Atque aram circum steterant armenta Myronis,
Quattuor artificis vivida signa boves.

& lib. 3. eleg. 8.

Gloria Lysippo est animosa effingere signa.

id est, animata. Æs illud, quo facta Myronis vacca, ἔμπνεν dicitur lib. 4. Anth. quod Ausonius reddidit, *æs spirans.* Hujusmodi æs τροχίαν, καὶ χυτὸν appellat Pollux lib. 7. quasi rotile, & fusile. *Idem.*

Spirantia mollius æra.] Q. d. Tanta arte simulacra à Græcis ducentur, ut, deposito metalli rigore, in mollitudinem vivi animantis æs concessurum sit. Ita Horat. in Arte:

—— *& molles imitabitur ære capillos.*

Turneb. l. 22. 1. *Taubm.*

Ducent.] Translatum hic esse hoc verbum, tractumque à marmoribus aut metallis, quæ proprie dicuntur *duci*, Turnebus admonet lib. 18. c. 11. Probat, nam laminæ Græcis dicuntur ἐλάσματα, quod malleis ducantur, formenturque in effigiem. Cui addo Aristophanem, qui in Pluto, Apollinis tripodem vocat χρυσήλατον, id est, ex auro ductili: quasi dicat, χρυσῷ ἐληλασμένον, videlicet ab χρυσὸς, & ἐλαύνω. & Philostratum 2. Icon. qui σφυρήλατα, recensens habitudinem picti Herculis. & Cedrenum, qui auream platanum, leones aureos, vultures aureos, Imperatorum Græciæ σφυρηλάτους quoque dicit, quasi malleis ductos. & Apulejum lib. 1. Florid. apud quem Alexander jussit, ne quis effigiem suam *temere assimilaret ære, colore, cælamine; quin solus eam Polycletus ære duceret, solus Apelles coloribus delinearet, solus Pyrgoteles cælamine excuderet.* Possim etiam uti testimonio Callixeni Rhodii apud Athenæum lib. 11. ubi loquens de vase, συνηγμένον εἰς μέσον ἐπιεικῶς: *molliter cedens ad medium.* Possim (inquam) hoc uti, nam quod Græcis est ἄγω, Latinis est *duco.* Cæterum, ut Poëta in arte æris Corinthios intellexit, ita in marmorea fortasse Cretenses, aut Parios. *Cerda.*

Ducent.] Sic Horat. lib. 2. Epist. 1. *aut alius Lysippo duceret æra.* Marmor, ebur, æs arte molliri discimus ex Junio de Pict. vet. l. 3. c. 4. inde Ovid. l. 3. Fastor. ℣. 832.

Quique facis docta mollia saxa manu.

Apud Junium plura περὶ τῶν ἐμψύχων πλασμάτων, *de vivis figmentis.* quæ hic *spirantia æra*, & Juvenal. Sat. 8. ℣. 103. vitam adscribit ebori,

Et cum Parrhasii tabulis, signisque Myronis
Phidiacum vivebat ebur. Emm.

849. *Vivos voltus.*] Hoc est quod dixit *spirantia.* Et per *æs*, Corinthios indicat: per *marmor*, Parios: per *actionem causarum*, Athenienses: per *Astronomiam*, Ægyptios & Chaldæos. *Serv.*

850. *Orabunt caussas melius.*] Ut verum est, gratiam Principum valere plurimum apud subditos! Certe Maro hoc scripsit suo lenocinans Principi Augusto, qui artibus militaribus præstitit, quas illi ut daret unice, non dubitavit artes alias Romanis adimere. In arte certe eloquentiæ Romani Græcis præstiterunt, Demostheni Cicero. Ita hic ad Brutum: *Quo enim uno vincebamur à victa Græcia, id aut ereptum illis est, aut certe nobis cum illis communicatum.* Ita etiam 1. Leg. *Putant, te historiam tractante, effici posse, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus.* Itaque potius

Describent radio, & surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique inponere morem,

Par-

crediderim, quæ dixi de lenocinio Augusti, quam quæ alii volunt de Poëta, volente præferre Demosthenem Tullio, suggillatione quadam. *Cerda.*

Orabunt caussas melius.] Nihil detrahendum literatæ Græciæ. Habuit tamen Roma in eloquentia viros, quos Græciæ opponere potuit. verbis utar quæ de Æsopo dixit Phædr. l. 2. fab. 10. Occupavit Demosthenes, ne primus foret Cicero, qui tamen studuit, ne solus esset Demosthenes eloquentiæ princeps. *Emmeness.*

Describent radio.] *Describere*, est partiri, &, quasi terminis positis ac per limites dividere, ac suam cuique partem attribuere. *Radius* virga est, qua Geometræ lineas indicant. ita Cic. 5. Tuscul. *Archimedem à pulvere & radio excitare.* Taubm.

852. *Tu regere imperio populos.*] Eadem locutione fere noster utitur lib. 1. Æneid. vs. 153.

Ille regit dictis animos & pectora mulcet. Sic Quintil. l. 1. c. 1. Orat. Instit. *regere consiliis urbem.* quod ψυχαγωγεῖν. Vide notas ad locum citatum. *Emmeness.*

853. *Hæ tibi erunt artes.*] Nempe pacis & belli, quibus Imperium Romanum initio partum est, & postea amissum est, cum illis artibus retineri facile potuisset ut Salust. bell. Catil. qui has etiam artes, ad servandam Rempublicam necessarias, conjungit in Orat. de Ord. Rep. in princ. *In posterum firmanda respublica non armis modo, neque adversus hostes, sed, quod multo majus, bonis pacis artibus.* Flor. in procem. *tantum operum pace belloque gessit.* Illas autem artes dicitur Augustus revocasse, ut Horat. l. 4. od. 15. *Emmeness.*

Paci morem.] Leges pacis. *Servius.*

Paciq;.] In Longobardico, & quibusdam aliis codicibus vetustis, *pacis* genitivo casu legitur: quam lectionem Servius agnoscit. alii tamen *paci* malunt. *Pierius.*

(*Hæ tibi erunt artes*) *pacique inponere morem.*] Nimirum civilis scientiæ totius potissimæ partes belli administrandi, pacisque tenendæ & utendæ ratione & solertia contineri videntur, cum bellum non alium finem, quam sibi oppositam pacem spectare videatur, nec motus omnes bellici alio, quam in quietem desinere possint: unde non tantum voluit poëta, Romanum belli artibus præ cæteris gentibus, sed & pacis studiis & more excellere, ut assuetudine & institutione paci colendæ se dederet & consecraret. Scilicet & Aristoteles lib. 2. Pol. pugnans in Laconicam rempub. Lycurgum notat, quod cives ad bellum tantum victoriamque, non item ad pacis cultum instituerit & duxerit, ut qui felici successu sæpe prælium experirentur, pacis autem otia ferre & ducere nescirent, utpote ad virtutis partem non solidam, integramque virtutem conformati, & in otio languentes, & invicem tumultuantes, his fere verbis: ὡδὶ δὲ τῇ ὑποθέσει τοῦ νομοθέτου ἐπιτιμήσειεν ἄν τις, ὅπερ καὶ Πλάτων ἐν τοῖς νόμοις ἐπιτετίμηκε. πρὸς γὰρ μέρος ἀρετῆς ἡ πᾶσα σύνταξις τῶν νόμων ἐστὶ, τὴν πολεμικήν· αὕτη γὰρ χρησίμη πρὸς τὸ κρατεῖν, &c. Ut autem hic *morem paci*, in eandem partem accepit & lib. 8. *Saturni gentem, haud vinclo, nec legibus, æquam Sponte sua, veterisque Dei se more tenentem.* Germanus.

Paci inponere morem.] Sulpicia illa, quæ floruit sub Domitiano, in suo Satyrico, — *duo sunt, quibus extulit ingens Roma caput, Virtus belli, & Sapientia pacis.* Cerda.

Pacique inponere morem.] Malunt nonnulli, *moremque inponere paci*, ut hoc se accepisse à præceptoribus testatur Scal. l. 4. Poët. c. 48. sed priorem lectionem probat propter graviorem & corpulentiorem sonum. Plura illic. *Emm.*

854. *Par-*

Parcere subjectis, & debellare superbos.
855 Sic pater Anchises, atque hæc mirantibus addit:
Aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingre-

854. *Parcere.*] Id est, veniam dare. vide Non. Marc. c. 4. *Idem.*

Parcere subjectis & debellare superbos.] Deficiet me tempus memorantem testes hujus præconii, te legentem. Aliquos subjicere è re erit. jam de clementia in victos, jam de virtute in superbos, jam de utroque simul, ut se auctores obtulerint, qui mihi hanc notam suppeditant. Gordianus in nummis exprimi fecit Romam, inter taurum & leonem, immanem utranque bestiam, ad significandum, Romanam urbem ferocissimas gentes atque immanissimas subjecisse. Idem voluerunt significare Severus imperator, & Antoninus, cum fœminam excudi fecerunt in aversa nummorum parte leoni insidentem. De Tiberio prædicat Tacitus 2. Annal. *victis graves pœnas, in deditionem venienti paratam clementiam.* Legati Carthaginensium apud Livium lib. 30. de Romano populo dicunt: *Plus pene parcendo victis, quam vincendo imperium auxisse.* Imperator Trajanus de se ipso apud Cæsarem Julianum in sermone Cæsarum, πρᾶος μὲ πρὸς τοὺς ὑπηκόους, φοβερὸς δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους διαφερόντως γενόμενος: *subjectis mansuetus: hostibus formidolosus præ cæteris exstiti.* De Augusto Horatius in carmine sæculari,

Imperet bellante prior, jacentem
Lenis in hostem.

Id est, est superior pugnacissimis, est lenis in humiles & jacentes. Sulpicia illa poëtria quæ supra,

— *duo sunt, quibus extulit ingens*
Roma caput, virtus belli, & sapientia pacis.

Propertius pari sententia lib. 2. eleg. 16.

Cæsaris hæc virtus, & gloria Cæsaris hæc est,
Illa, qua vicit, condidit arma manu.

Ubi prædicat virtutem, qua vicit Cæsar: & gloriam, qua arma condidit. A Tacito 1. Annal. *Romana clementia* usurpatur, ut maxima, & à Curtio libro 4. *Romana mansuetudo.* Propertius lib. 3. eleg. 21. de Romanis:

Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus, victrices temperat illa manus.

Sic legendum in Propertio, quod censuit jam chorus doctorum: Non, *temperat ira manus*, nam ira quem temperat? Juvat hanc lectionem Propertianus versus, quem jam præmisi, ex l. 2. eleg. 16. sicut enim ibi,

Illa, qua vicit, condidit arma manu:

Ita hic,

Victrices temperat illa manus.

Cerda.

855. *Atque hæc mirantibus addit.*] Transitus quidam, ne una & continua narratio tædiosa sit. Hinc enim generibus varietas nascitur, & quasi nova initia aliarum narrationum fiunt. *Donatus.*

Mirantibus.] Æneæ & Sibyllæ. *Taubmannus.*

856. *Spoliis Marcellus opimis.*] Hic Gallos & Pœnos equestri certamine superavit. Viridomarum etiam Gallorum ducem manu propria interemit, & opima retulit spolia, quæ dux detraxerat duci: sicut Cossus Larti Tolumnio. *Servius.*

Spoliis Marcellus opimis.] Ἀκρόθινια vocant. *Germanus.*

Marcellus.] M. Claudius Marcellus M. Claudii F. qui à *Marte*, ob peritiam rei militaris nomen accepit: Græcis litteris apprime eruditus. primum Ædilis Curulis: inde Augur: post etiam Consul: Qui & *Romanorum Ensis* dictus est. Is Gallorum ducem *Virdomarum* manu propria interemit, & *opima spolia* retulit. Ea enim proprie *opima* sunt, quæ Dux Rom. duci hostium in prælio detraxit. quorum tanta raritas, ut intra annos paullo minus DXXX. tantum trina

Ingreditur, victorque viros supereminet omnis!
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques: sternet Pœnos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

Atque

trina contigerint nomini Romano. Vide tamen & Tiraquellum ad Alex. ab Alex. l. 1. c. 14. *Taubm.*

Marcellus.] De hoc agit Florus l. 2. c. 4. Alius est ille, de quo Horatius l. 1. od. 12.

Crescit occulto velut arbor ævo.

Fama Marcelli. Ad quem locum consule Torrentium, de quo infra ℣. 862. Spolia autem opima suspensa in templo Jovis Feretrii, de quo Donatus de urbe Roma l. 2. c. 10. *Emm.*

857. *Supereminet omnis.*] Virtutis scilicet genere. *Servius.*

858. *Rem Romanam.*] Statum reipublicæ. *Idem.*

Rem Romanam.] Ab Ennio 1. Annal.

Qui rem Romanam, Latiumque augescere vultis. Alibi:

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Ovid. 15. Met.

—— *Fundamine magno*
Res Romana valet.

Symmachus lib. 9. epist. 25. *Ob rem Romanam sæpe literas mittens.* Cape Poëtam signate cum respectu ad bellum, nam de bello etiam Cicero pro leg. Manil. *res à L. Lucullo summo viro est administrata.* Cerda.

Turbante tumultu.] Ideo *tumultu*, quia res in Italia adversus Gallos geritur. *Servius.*

Tumultu.] Docte, ut omnia, nam hic sermo est de Gallis: & *tumultus* proprie est, aut domesticus, id est, Italicus: aut Gallicus. Verba Festi ita legit Scaliger: *Tumultum dici, ait Verrius, quia is non aliter, quam ab Italicis & Gallicis hostibus immineat Italiæ. Itaque non alium quam Gallicum, aut domesticum timebant.* Quam lectionem ibi defendit Scaliger. Servius in hunc locum: *ideo tumultu, quia res in Italia adversus Gallos geritur.* Sed quid his opus, ubi est Tullius, cujus hæc sunt 8. Philipp. *Majores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus; tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabant.* Cerda.

859. *Sistet.*] Confirmabit, corroborabit. *Servius.*

Sistet eques: sternet Pœnos, Gallumque rebellem.] Parum me movet, quod in Romano codice *equis* legatur, quum eadem sit sententia, sive *eques*, sive *equis* dicas. Illud curiosius animadvertendum, quod in plerisque veteribus exemplaribus coma præjecta est dictioni *eques*, ut clausula superioris membri sit *sistet*, totumque id simul legatur, *Hic rem Romanam magno turbante tumultu Sistet.* Inde altero membro, *Eques*, sive malis, *Equis sternet Pœnos, Gallumque rebellem.* Nam quum ad eam diem rem Punicam equitatu potiorem esse, pluribus præliis compertum esset: Marcellus is, qui primus Hannibalem terga ostendere docuit, equis rem gessit, hostemque ab obsidione Nolæ turpiter recedere coëgit: & eo genere pugnæ sæpius res hostiles adflixit. *Pierius.*

860. *Tertiaque arma patri.*] Capta hic tertia, opima spolia suspendet patri, id est, Jovi. *Servius.*

Tertiaque arma.] Non placet quod in Romano codice legitur, *tristiaque arma*, quum ex Numæ Regis lege Tertia spolia opima Quirino suspendenda essent, quod Interpretes tangunt. Apud Livium quidem legimus Flamines institutos à Numa Marti, Jovi, & Quirino. Nihil ibi de spoliis. Idem quarto ab urbe condita de Cosso ait, Spolia in æde Jovis Feretrii prope Romuli spolia, quæ opima appellata sola ea tempestate erant, cum solenni dedicatione

Atque hic Æneas; una namque ire videbat
Egregium forma juvenem & fulgentibus armis,
Sed frons læta parum, & dejecto lumina voltu:
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso!

Sed

tione dono fixit. Ubi adnotandum est vulgata exemplaria una plus dictione legere, *quæ prima opima appellata.* Sed in veteri codice, *prima* non habetur. Satis enim est dixisse *Sola.* Pierius.

Tertiaque arma.] Id est, opima spolia. Quæ Plutarchus vocat jam τίμια, jam κάλλιστα, in vita Marcelli, jam λάφυρα. *Cerda.*

Capta Quirino.] Qualia & Quirinus ceperat, id est, Romulus de Acrone rege Ceninensium: & ea Jovi suspenderat. Possumus, & quod est melius, secundum legem Numæ hunc locum accipere, qui præcepit prima opima spolia Jovi Pheretrio debere suspendi, quod jam Romulus fecerat. Secunda Marti, quod Cossus fecit. Tertia Quirino, quod fecit Marcellus. *Quirinus* autem est Mars, qui præest paci: & intra civitatem colitur. Nam belli Mars extra civitatem templum habuit. Ergo aut suspendet patri, id est, Jovi: aut suspendet patri Quirino. Varie de hoc loco tractant commentatores, Numæ legis immemores: cujus facit mentionem & Livius. *Servius.*

Suspendet capta Quirino.] Quamvis Servius agnoscat *capta*, mavult tamen Passeratius *rapta*, ut lib. 3. Georg.

Et duo rapta manu, diverso ex hoste tropæa. Germanus.

862. *Egregium forma juvenem, & fulgentibus armis.*] Tria sunt secundum Carminium: pulchritudo, ætas, virtus. Significat autem Marcellum filium Octaviæ sororis Augusti, quem sibi Augustus adoptavit. Hic decimo sexto anno incidit in valetudinem: & periit decimo octavo in Bajano cum ædilitatem gereret. Hujus mortem vehementer civitas doluit. Nam & affabilis fuit: & Augusti filius. Ad funeris hujus honorem Augustus sexcentos lectos intrare civitatem jussit. hoc enim apud majores gloriosum fuerat. Etiam dabatur pro qualitate fortunæ. Nam Sulla sex millia habuit. Igitur cum ingenti pompa relatus, & in campo Martio est sepultus. Ergo modo in Augusti adulationem, quasi epitaphion ei dicit. Et constat hunc librum tanta pronuntiatione Augusto & Octaviæ esse recitatum, ut fletu nimio imperarent silentium: nisi Virgilius finem esse dixisset, qui pro hoc ære gravi donatus est, id est, massis. Nam sic & Livius *argentum grave* dicit, id est, massas. *Servius.*

863. *Sed frons læta parum.*] Omen est mortis futuræ. Ex contrario alibi, *Incipe parve puer risu cognoscere matrem.* Id.

Sed frons læta parum.] Omen erat mortis propediem futuræ. ita ỳ. 866. *Sed nox atra, &c.* Contra, 4. Ecl.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem.
Nam annos natus XVIII. in Bajano, imo potius aquarum frigidarum lotionibus in *Stabiano*, quæ *Dimidia* vocatur, ab Ant. Musa medico per imprudentiam, vel etiam (ut nonnulli suspicantur) consulto enectus est. De quo accuratissime *Jos. Scaliger* Notis ad Propert. l. 3. el. 16. *Taubm.*

864. *Quis, pater, ille, virum.*] Interrogat Æneas, cum admiretur formam juvenis & tristitiam in fronte, quis sit. *Donatus.*

Virum qui sic comitatur euntem.] Marcellum, cui similis est. *Servius.*

866. *Quis strepitus.*] Propter ædilitatem. *Idem.*

Instar.]

Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra.
Tum pater Anchises, lacrimis ingressus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quære tuorum:
Ostendent terris hunc tantum fata, nec ultra

Esse

Instar.] Similitudo: & est nomen quod non recipit præpositionem. *Ad instar* enim non dicimus, quod Probus declarat. *Serv.*

Quantum instar in ipso.] In Romano, & aliquot aliis codicibus antiquis *est*, quod in non nullis codicibus reperitur, non habetur: sed appositum addit ornatum orationi. *Pierius.*

Instar.] Symposius Poëta *mediocre instar* dixit faciens omen, versu isto,

Nec mediocre fuit magni certaminis instar.

Erythræus explicat, *instar, id est, similitudo*, & ait esse nomen, & variari, *instar instaris.* Firmari hoc potest, tum versu Symposii jam adducto; tum isto Claudiani lib. 1. Raptus:

Hastaque, terribili surgens per nubila gyro,
Instar habet silvæ.

Non displicent tamen, qui hanc vocem referunt ad superiorem Claudium Marcellum. ut dicat Poëta, magnam esse similitudinem, magnum instar huic Marcello Octaviæ cum illo Marcello Claudio. *Cerda.*

Instar.] Pro *exemplari* positum hoc loco, ut Hadrian. de Serm. Lat. Ulpianus de novi operis nunciatione L. *Stipulatio. si proponatur instar quoddam operis, quasi facies quædam facti operis.* Emmeneff.

867. *Sed nox atra caput trist. cir. umbra.*] Supra 2. *Sed nox atra cava circumvolat umbra.* Eurip. in Hipp. σκότος ἀμπίσχον κρύπτει νεφέλαις· & Æsch. ςυγία γὰρ ἐπ' ἀχλύς τις πεπότηται· & Epig. 3. κυάνεον θανάτου ἀμφεβάλοντο νέφος· & Nicand. de morsis à phalangio, qui caligine & vertigine tentantur, νὺξ δ' περὶ κροτάφοις· & Calab. 8. ὀλοὴ δέ μιν ἀμφεχύθη νύξ. *Germanus.*

Sed nox atra caput, &c.] Græcos, quos æmulatur Virgilius, adducit Germanus: adjiciam ego comparationem Virgilii cum illis. Ergo Euripid. in Hippol. σκότος ἀμπίσχον κρύπτει νεφέλαις. Æschylus, ςυγία γὰρ ἐπ' ἀχλύς τις πεπότηται. libro 3. epigrammatum: Κυάνεον θανάτου ἀμφεβάλοντο νέφος. Nicander, νὺξ δ' περὶ κροτάφοις. Calaber lib. 8. Ὀλοὴ δέ μιν ἀμφεχύθη νύξ. In quibus Virgilio est *nox*, quæ illis *caligo*, *tenebræ*, *nubes*; etiamsi extremi duo, *noctem* quoque dixerint. Virgilius *circumvolat*, quod illi, *volo*, *amplector*, *circumdo*, *occulto.* Virgilius *caput*, Nicander *tempora.* Virgilius *atra*, illi κυάνεον, ςυγία, ὀλοή. *Cerda.*

868. *Lacrimis ingressus obortis.*] Romanus codex, uti etiam superius observatum, & hic, & alibi *obortis* legit, non *abortis*, & *lacrimis* more suo per *i* Latinum absque adspiratione. *Pierius.*

Ingressus.] *Ingredi* h. l. incipere loqui, ut 2. G.

—— *tibi res antiquæ laudis & artis*
Ingredior. Taubm.

869. *O nate, &c.*] Incipiunt hinc versus illi, quos vocant aureos. Vide notam Budæi lib. 3. de Asse pag. 341. de pecunia persoluta Virgilio ab Octavia propter hos versus. Excurrit enim summa supra aureos quinque mille. De versu etiam sequenti, *ostendent terris, &c.* Vide Spartianum in vita Ælii Veri non longe ab initio. Ista & similia citasse sit satis; notas integras compingere, otiosum. *Cerda.*

Ingentem l. ne quære.] Tale illud Lucan. lib. 6.

Tu fatum ne quære tuum cognoscere: Parcæ,
Me reticente, dabunt. Taubm.

870. *Ostendent terris hunc tantum fata.*] Parum illucescet: quia mox peribit. *Servius.*

Osten-

Esse sinent. nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.
Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quæ, Tiberine, videbis
Funera, cum tumulum præterlabêre recentem!

Nec

Ostendent.] Metaphora ducta ab arboribus & re rustica: ideo postea signate *propago* pari consecutione. Cicero in Catone: *adolescentia significat ostenditque fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus, aut percipiendis accommodata sunt.* Dicuntur enim arbores ostendere, cum spes est in illis futuræ ubertatis. Inde illustrabis infinita auctorum loca, quæ ego hic nolo, in quibus semper hoc verbum cum respectu ad arbores. Versus Virgilii habere potest formam proverbii. Uti illo poterimus, quoties de puero aliquo ominamur brevi illum vitam finiturum. Gordianum Augustum patrem eo versu usum scimus tanquam proverbio aliquo in auguranda Gordiani filii immatura & acerba morte. Sed obsecro lector, an fallitur Virgilius? qui solum,

Ostendent terris hunc tantum fata, nec ultra
Esse sinent,

quo innuit brevem admodum vitam. An (inquam) fallitur? Nam Propertius lib. 3. eleg. 18. quæ tota est de hoc Marcello, ita scribit:

Occidit, & misero steterat vigesimus annus.
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.

Certe neque Dio, neque Plutarchus Marcelli annos attingunt, qui tamen de ipso. Tacitus de illo lib. 1. Annal. per initia ait, donatum ab Augusto Pontificatu, & Ædilitate *admodum adolescentem.* Post quæ verba innuit illum statim obiisse. & lib. 2. de eodem Marcello, ita: *flagrantibus plebis studiis ereptum, breves & infaustos Pop. Rom. amores.* Alii legunt: *flagrantibus plebis studiis, intra juventam ereptum,* &c. Certe Virgilius satis duxit affectus excitare, & ideo noluit ullam annorum supputationem, quæ est historiæ; sed tantum animum movere, ut Poëtam decebat. *Cerda.*

Nec.] In pluribus antiquis codicibus, *nec* monosyllabum est. Sed enim *neque* ultra, ea vocalium collisione nescio quid miserabilius ostendit, versu etiam ejulatum quodammodo emittente. *Pierius.*

871. *Nimium vobis, &c.*] Apostrophe ad deos, cum indignatione. Q. d. Invidistis superi gloriæ Romanæ, & vestris muneribus: nam *felicitas* vestrum munus est. *Taubm.*

Propago.] Quod quidam tradunt, vocabulum hoc de *vite* sumptum primam producere; de *homine*, corripere; futile esse docent Probus, Erythr. & Lucret. quos videas. In Casibus quidem variat modulum Syllabæ, sed non in significatu. *Idem.*

872. *Visa pot. superi.*] Cum indignatione dicit, Invidistis & gloriæ Romanæ, & vestris muneribus. Nam felicitas vestra sunt munera. *Servius.*

Superi.] In Romano codice, *superis* legitur. Sed neque id placet. Longe enim melius est, *Visa potens vobis ô superi*, quam *vobis superis.* Pierius.

Propria.] Perpetua: ut, *Propriamque dicabo.* Servius.

Propria.] Id est, perpetua. ita 3. Æn.
—— *da propriam, Tymbræe, domum.*
Proprium enim nunquam avellitur ab essentia. & est contrarium communi. Scal. l. 4. c. 16. Poët. *Taubm.*

873. *Mavortis campus.*] In quo est sepultus. *Servius.*

875. *Funera, cum tum. præterl. rec.*] Propter sexcentos lectulos. *Idem.*

Funera, cum tumulum.] Servius, historicique auctores sunt funus Marcelli lectis sexcentis ornatum curatumque fuisse,

Nec puer Iliaca quiſquam de gente Latinos
In tantum ſpe tollet avos: nec Romula quondam
Ullo ſe tantum tellus jactabit alumno.
Heu pietas, heu priſca fides, invictaque bello
Dex-

fuiſſe, hoc honoris genere à Græcorum conſuetudine deducto, qui in funeratione, & funebri pompa ſæpe tororum mentionem faciunt, ut Eurip. in Suppl. de Theſeo, qui & armis Argivorum cadavera receperat, & rite ſepeliverat: κ' ἄςρωσεγ' εὐνὰς, ἠ κάλυψε σώματα. *Germanus.*

Cum tumulum præterlabêre recentem.] Fuit hoc è more veterum, ut conſtituerent ſepulcra ad amnium ripas. Hecubæ tumulus (quem Græci κυνὸς σῆμα appellant, & Plinius lib. 4. c. 11. Cynoſſema) ſtatuitur ab Strabone lib. 12. ad amnem Rhodium. Pelopis à Pindaro Od. 1. Olymp ad Alpheum: Ἀλφεῦ (inquit) πόρῳ κλιθεὶς τύμβον ἔχων. Aryadis ab Philoſtrato in Heroicis, ad Orontan. Ceyx apud Heſiodum in ſcuto ſepelit filium Cygnum ad Anauri ripas. Valerius 5. Arg. loquens de Phaſide fluvio,

Ac dum prima gravi ductor ſubit oſtia pulſu,
Populeos flexus, tumulumq́, virentia ſupra
Flumina cognati medio videt aggere Phryxi.

Ariſtoteles in Peplo (ſi illius eſt liber hic) Peneleum tumulat ad Cephiſſum amnem. Verſus Ariſtotelis ita vertit Canterus:

Hunc ad Cephiſſi rapida abſcondere gementes
Fortem Bœoti flumina Peneleum.

His idem mos attingitur 3. Æn. ubi uxor Hectoris inducitur ferians manibus conjugis ad ripas fluvii,

Ante urbem in luco falſi Simoentis ad undam
Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum.

Pauſaniam omiſi, in quo vidi morem iſtum millies, videlicet, in Atticis: in Achaicis, ubi loquitur de Andræmone: in Bœotiis, ubi de Aſphodico: in Phocicis, ubi de Tityo, & ſæpe alibi. *Cerda.*

877. *In tantum ſpe tollet avos.*] Eriget generis antiquitatem. Et rhetorice ſpem laudat in puero, quia facta non invenit. Eſt autem Ciceronis in dialogo, *Fanni, cauſa difficilis laudare puerum. Non enim res laudanda, ſed ſpes eſt.* Servius.

In tantum.] Notarunt jam alii, hanc eſſe unicam vocem. Ita & Propertius lib. 3. eleg. 5.

Nunc maris in tantum ventis jactamur. Cerda.

Spe.] Neque id ſatisfacit, quod in Romano codice legitur *ſpes*, quamvis antiquo declinatu genitivi caſus eſſe poteſt, ut ſit, In tantum ſpei. *Pierius.*

Spe tollet avos.] Ciceronis verba ſunt, *non rem laudandam in puero ſed ſpem.* ad quæ verba diſputat Schottus nod. Ciceron. l. 3. c. 5. Recte ille omnium præceptorum intelligentiſſimus Quintil. l. 1. Inſt. Orat. c. 2. *in pueris elucere ſpem plurimorum* docet. *Emmeneſſ.*

Nec Romula quondam.] Pro *Romulea:* ut, *Quos Africa terra triumphis Dives alit.* *Quondam* autem, poteſt & præteriti eſſe & futuri. *Servius.*

879. *Heu pietas, heu priſca fides.*] Elogium Marcelli hujus hoc habet Vellejus lib. 2. *Sane, ut ajunt, ingenuarum virtutum, lætuſque animi, & ingenii, fortunæque, in quam alebatur, capax.* Seneca ad Marciam c. 2. hoc: *Adoleſcentem animo alacrem, ingenio potentem; ſed & frugalitatis continentiæque in illis aut annis, aut opibus non mediocriter admirandum, patientem laboris, voluptatibus alienum; quantumcunque imponere illi avunculus, & (ut ita dicam) inædificare voluiſſet laturum.* Cerda.

880. Se

Dextera! non illi se quisquam inpune tulisset
Obvius armato, seu cum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu, miserande puer! si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His

880. *Se quisquam inpune tulisset.*] Ennius 1. Ann. *Nec pol homo quisquam faciet impune.* Horat. Od. 17. Epod.

Impune ut urbem nomine impleris meo?

Cerda.

881. *Seu cum pedes iret.*] Inclusit hoc hemistichio, & versu altero, Homeri item hemistichium, & versum alterum. Sed quod discrimen? Ergo Græcus Odyss. 9.

—— ἐπιστάμενοι μὲν ἀφ' ἵππων
Ἀνδράσι μάρνασθαι, καὶ ὅθι χρὴ πεζὸν
ἐόντα:

—— *Docti quidem ab equis*
Cum hominibus pugnare, & cum opus,
peditem esse.

Idem.

882. *Foderet calcaribus armos.*] Species pro genere. *Equi armos* pro equo posuit. Non enim possunt *armi* calcaribus fodi. *Servius.*

Armis.] Armus in quadrupedibus idem, quod in hominibus humerus. de lepore Horat. l. 2. Sat. 4.

Fœcundi leporis sapiens sectabitur armos,

id est, caro illa, quæ in summo circa armos & spinam est. noster de equo l. 11. ✓s. 497.

—— *luduntque jubæ per colla, per armos.*

& de homine, pro ipse humero eodem libro, ✓s. 644.

—— *latos huic hasta per armos*
Acta tremit. ——

Emmeness.

883. *Fata aspera rumpas.*] Posse aliqua ratione fata disrumpi, per transitum docet. *Servius.*

884. *Tu Marcellus eris.*] Talis, qualis fuit Marcellus. *Idem.*

Tu Marcellus eris.] Lege Suetonium in Augusto c. 63. Senecam in consolatione ad Martiam cap. 2. Vellejum lib. altero, Tacitum lib. 1. *Cerda.*

Manibus date lilia.] Affectum dolentis expressit dicendo, *date:* cum non essent præsto qui darent. *Manibus plenis.*] Plena officia significat. *Donatus.*

Manibus date lilia plenis.] Epigr. l. 3. βάλλεθ' ὑπὲρ τύμβου πολιὰ κρίνα. unde & Anacreon de rosa: τόδε καὶ νοσοῦσιν ἀρκεῖ, καὶ νεκροῖς ἀμύνει. Alludit, credo, Maro Marcellum lugens ad Græcorum morem, qui conspergere floribus sepulcra ante diem morte immatura interceptorum solebant, referentes ad momentanei vigoris & ævi brevitatem, quæ flores carpit, humanos casus, ut constat ex epistola Græca Petales ad Simalionem, ubi objectat illa amatoris lacrymis quidem se ab eo rigari ac perlui, corollisque & floribus, ut intempestivos tumulos, consterni, necessariis autem muneribus prorsus destitui, his verbis: ἐγὼ δὲ ἡ τάλαινα θρηνῳδὸν οὐκ ἐραστὴν ἔχω; στεφάνιά μοι καὶ ῥόδα ὥσπερ ἀώρῳ τάφῳ πέμπει. quamvis non inconsiderate alii ἄωρον τάφον, sepulcrum exoletum, παρεστὸν, cariosum, sentum, & vietum accipiant, ut quod renovare, interpolare, & floribus veluti fucare antiqui solebant. *Germanus.*

Manibus date lilia.] Manes herbarum & florum amœnitate gavisos fuisse ex Scedio cognosce l. de Dis Germ. c. 49. ubi ex antiquissimis monumentis illud eruit. *Emmeness.*

885. *Purpureos flores.*] Ut sæpe diximus, propter sanguinis similitudinem: quia aut anima, aut animæ est sedes. *Servius.*

Nepotis.] Posteri. Non enim re vera nepos fuit. *Idem.*

His ſaltem adcumulem donis, & fungar inani
Munere. ſic tota paſſim regione vagantur
Aëris in campis latis, atque omnia luſtrant.
Quæ poſtquam Anchiſes natum per ſingula duxit,
Incenditque animum famæ venientis amore:
Exin bella viro memorat, quæ deinde gerenda,
Laurentiſque docet populos, urbemque Latini,
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminæ Somni portæ: quarum altera fertur
Cor-

886. *His ſaltem adcumulem donis.*] Obſervavit in Catullum Achilles Statius dici dona, & munera de his, quæ dabantur mortuis. Nam Catullus ipſe:

Ut te poſtremo donarem munere mortis.

iterum:

Tradita ſunt triſtes munera ad exſequias.

& Virg. 11. Æn.

—— *decorate ſupremis*
Muneribus. Ovidius,
—— *in cineres ultima dona dedit.*

& in epiſt.

Jam dabis in cineres ultima dona meos.

Vetus inſcriptio: *C. Iul. Fabian. anno XIX. Fabia. Paula. amita. munus. ſupremum.* Cerda.

Inani munere.] Secundum Epicureos, non profuturo. *Servius.*

Fungar inani munere.] Nempe quod officium honorarium illud Anchiſæ ἀποτρόπαιον non eſſet, nec ad avertendum Marcelli fatum quidquam proficeret. Vide eum locum Æn. 11. *vano mæſti comitamur honore.* Certe pari ſententia Eurip. in Iphig. in Taur. videtur dixiſſe, *δέσποιν' ἐξαυδάσω τὰν ἐν θρήνοις μοῦσαν, νέκυσιν μέλεον, τὰν ἐν μολπαῖς ἀΐδας ὑμνεῖ δίχα παιάνων.* *Germanus.*

Inani munere.] Conſtat, cum Virgilius hunc Librum præſente Auguſto & Sorore Octavia pronunciaſſet, atque ad hunc locum perveniſſet, Octaviam, Marcelli matrem defeciſſe: & ægre refocillatam, dena ſeſtertia, id eſt, CCL. Coronatos pro ſingulis verſibus dari juſſiſſe. *Taubm.*

887. *Sic.*] Iſta noſcentes. *Servius.*

Sic tota paſſim regione vagantur.] Non complevit omnia, quæ apud inferos agebantur. eſſet enim vitium ſi totum vellet ſuo carmine complecti, quia & longum & impoſſibile. *Donatus.*

888. *Aëris in campis.*] Colliſionem fecit. Locutus eſt autem ſecundum eos, qui putant Elyſium lunarem eſſe circulum. *Servius.*

Aëris in campis.] An, quod inanis tota illa plaga ſit corporibus carens, animaſque & umbras aërias eorum vice habeat, & aëre vacuo diffuſa ſit & obſeſſa? *aërem* enim *inanem* appellari non eſt inuſitatum. Sed & Græci *vias aërias* *ἠερόεντα κέλευθα* dicunt pro caliginoſis, quæ ad Orcum ferunt. *Turneb.* l. 11. c. 19. Sed vide & Serv. & P. Lætum, & Hortenſ. qui cenſent, Poëtam ſecundum eos locutum, qui Elyſium putarint Lunarem circulum eſſe. *Taubm.*

890. *Incenditque animum.*] Nam ſupra ait, *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?* Servius.

891. *Exin.*] Deinde. Confert autem in compendium narrationis prolixitatem. Sic Terentius propter longum actum ait, *Intus deſpondebitur, intus tranſigetur, ſi quid eſt quod reſtat* Idem.

Exin bella.] Narravit primo læta, triſtia prætermiſit, præterquam de Marcello. deinde docuit quomodo quædam æquo animo ferre poſſet. *Donatus.*

894. *Sunt geminæ ſomni portæ.*] Pro *ſomniorum.* Eſt autem in hoc loco Homerum

895 Cornea; qua veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto:
Sed falsa ad cælum mittunt insomnia Manes.

Sed

merum secutus. Hoc tantum differt, quod ille per utramque portam somnia exire dicit: hic umbras veras, per quas somnia indicat vera, & poëtice apertus est sensus. Vult autem intelligi falsa esse omnia quæ dixit. Physiologia vero hoc habet. Per portam corneam oculi significantur, qui & cornei sunt coloris, & duriores cæteris membris, nam frigus non sentiunt: sicut etiam Cicero dicit in libris de natura deorum. Per eburneam vero portam os significatur, à dentibus. Et scimus quia quæ loquimur, falsa esse possunt: ea vero quæ videmus, sine dubio vera sunt. Ideo Æneas per eburneam emittitur portam. Est & alter sensus, Somnum novimus cum cornu pingi: & qui de somnis scripserunt, dicunt ea quæ secundum fortunam & personæ possibilitatem videntur, habere effectum: & hæc vicina sunt cornu. Unde cornea vera fingitur porta. Ea vero quæ supra fortunam sunt: & habent nimium ornatum, unaque jactantiam, dicunt falsa esse. Unde eburnea, quasi ornatior porta fingitur falsa. *Servius.*

Sunt geminæ Somni portæ, &c.] Turneb. l.4.c.14. *Somni* dictum arbitratur pro *somnii.* ut dicantur somniorum duæ portæ: exemplo Homeri, qui ὀνειρείῃσι πύλῃσι scripserit, &c. Jam vero symbolice, per *Portam corneam* Oculi significantur: quia & cornei sunt coloris. & duriores cæteris membris: per *eburneam*, Os: à dentibus. quæ enim loquimur, falsa esse possunt: at quæ videmus, sine dubio vera sunt. Plautus noster:

Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem.

Qui audiunt, audita, dicunt: qui vident, plane sciunt.

Jo. Saresberiens. in Nug. Curialium. l. 2. c. 4. hanc caussam ponit: quod cornu sit pervium visui, qui non facile errat. Ebur contra, vel ad tenuissimam laminam rasum, visus acumine non penetretur, &c. Etiam Didymus ad *portam eburneam* spectans, *ideo,* inquit, *quæ ex ore exeunt, falsa esse possunt: quia quæ cibo quis potuque oppletus per somnium viderit, confusa atque adeo à vero remota sunt.* Idem etiam ex etymo τοῦ ἐλεφήρεσθαι, id est, *decipere,* hæc exponit. Ad has Poëticas portas etiam Socrates apud Platon. in Charmide, respexisse videbitur, cum ait: *Audi jam meum somnium: sive per cornu, sive per ebur emerserit.* Videatur Servius: Macrob. l. 1. c. 3. in Somn. Scip. Floridus l. 2. c. 24. Alciatus παρέργων l. 6. c. 8. Muretus Var. l. 11. c. 7. Dum igitur Maro Æneam porta eburna egredientem facit, sagaci lectori suspicandum relinquit, talem esse totam illam τερατολογίαν, qualia Somnia ex inferis eadem illa porta exire dixisset: hoc est, falsa esse omnia quæ de istis narraverit. Quo pacto autem hac apparente palinodia fidem superiorum Oraculorum non convellat Poëta noster, ut nec Homerus suo commento huic non absimili, copiose docuit *Jo. Auratus* Poëta regius carmine ad *Germ. Val. Pimpontium.* Denique *J. Meursius* Comment. in Lycophr. Cassandram docet, veteres, eos qui diutius peregrinarentur, *ad inferos descendisse* dictitare solitos. neque aliter intelligendum Ulyssis & Æneæ descensum, &c. Ejusmodi *Somniorum portas* fingit etiam Val. Flacc. l. 1. Argon. *Taub.*

Sunt geminæ Somni portæ.] Torrentius ad Hor. l. 3. Od. 27. *Somni* dici pro *Somnii* docet: *Ludit imago vanas quæ porta fugiens eburna Somnium ducit.* Em.

896. *Candenti elephanto.*] Pro ebore candido, de cujus Candoris pretio & honore passim veteres poëtæ, quos memorat Bochart. Hist. animal. de elephantis l. 2. c 24 *Idem.*

897. *Ad cœlum.*] In nostram terram,

His ubi tum natum Anchiſes unaque Sibyllam
Proſequitur dictis, portaque emittit eburna.
Ille viam ſecat ad navis, ſocioſque reviſit.
Tum ſe ad Cajetæ recto fert litore portum.
Ancora de prora jacitur: ſtant litore puppes.

ram. & vivorum regionem, reſpectu ſcil. inferorum. Nam *ſicut dii nobis*, (ait Macrob.) *ita nos defunctis ſuperi habemur; quibus noſtra regio velut cælum.* T.

Falſa inſomnia.] Id eſt, ſomnia. *Serv.*

Inſomnia.] De hac voce conſulendus Chariſius l. 1. inſtit. gramm. *Emmen.*

898. *His ubi.*] In Rom. cod. & aliquot aliis legere eſt, *his ibi tum:* quod ſi advertas, melius quadrabit. *Pierius.*

900. *Secat.*] Tenet. Unde *ſectas* dicimus, ab eo, quod propoſitum non tenent. *Servius.*

Viam ſecat.] Quid enim prius facere debuit, quam ſuos reviſere? *Donat.*

Ille viam, &c.] Eadem ratione Homerus abſolvit lib. 11. Odyſſ. ubi perluſtrati quoque inferi: atque etiam Sil. l. 13. quo libro verſatur in eadem inferorum luſtratione. Vſ. Homerici ſunt:

Αὐτίκ' ἔπειτ' ἐπὶ νῆα κιὼν, ἐκέλευον ἑταίρους
Αὐτούς τ' ἀμβαίνειν, ἀνά τε πρυμνήσια λῦσαι:

Statim deinde ad naves profectus, juſſi ſocios
Et ipſos aſcendere, oramque ſolvere.

Siliani:

Hæc vates, Erebique cavis ſe rettulit umbris,
Tum lætos ſocios juvenis, portumque reviſit. Cerda.

Secat.] Ita Græci τέμνειν ὁδὸν dicunt, *viam ſecare*, quod Galeni & Platonis teſtimonio Budæus indicat in Comment. Et Turn. l. 19. c. 17. ex Euripide in Phœn. Incidi & ego in loca ejuſdem Eurip. atque Ariſtop. qui dicunt τέμνειν κέλευθον. In Græco etiam epigr. τέμνειν πόρον. Ariſtides quoque περὶ τοῦ παραφθέγμ. dixit, σχίζειν ἀέρα, καὶ θάλατταν: *ſecare, findere aërem, mare.* Idem.

Navis.] Quod ant. cod. *navis* per i non *naves* ſcriptum oſtendunt, id etiam in vet. Priſc. cod. eodem modo ſcribitur. *Feſſas non vincula navis. Quoque magis feſſas cupiam dimittere navis: Muneraque in navis.* & ita reliqua. *Pierius.*

901. *Cajetæ portum.*] A perſona poëtæ, Prolepſis. Nam Cajeta nondum dicebatur. *Servius.*

Cajetæ portum.] Ita Ovid. 14. Met.
Litora adit nondum nutricis habentia nomen. Taubm.

Recto litore.] Atqui nullum litus rectum: ſed dicimus *rectam vitam agere*, quando nihil aliud agimus niſi iter continuum, & nullo alio actu illud rumpimus. nam cupida ſuorum mens, nihil aliud agere debuit. *Donatus.*

902. *Anchora de prora jacitur.*] Pari verbo Calaber lib. 12. εὐνὰς δ' ἔνθ' ἔβαλον κατὰ βένθος. *ibi Anchoras in profundum jecerunt.* Xenoph. 3. ἀναβ. ἀφεὶς ἀγκύρας. *Cerda.*

Stant litore p.] Scal. l. 4. c. 29. Poët. Si quo in loco *palilogia* λέξεως Virgil. objici poteſt, ſane iſta fuerit. *Litore*, heic. *litore*, verſu præcedente: *Litoribus* ſequenti.

Cæterum obſervat Servius, etiam ille Danielis, Poëtam controverſiarum more Epilogos dediſſe ex iſtis prioribus libris, quos etiam βιωτικοὺς eſſe voluerit. Nam ſingulis res ſingulas dediſſe: ut primo Omina, ſecundo πάθος, tertio Errores, quarto ἦθος, id eſt, Mores, quinto Feſtivitatem, ſexto Scientiam. Epilogos autem ſic variaſſe, ut in primo eſſet miſeratio Didonis, ſecundo mors Creuſæ, in tertio Anchiſæ, in quarto Didonis, in quinto Miſeni, in ſexto Marcelli acerbum defleret interitum. Vide & Notas primi Æneide extrema. *Taubm.*

FINIS VI. PRIORUM LIBRORUM ÆNEIDOS.

